Universidad de Deusto
Biblioteca

Patent Specification.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est. 9
Plút. 21

VILLAR

Villaberde





Bo Villaberde

Universidad de Deusto
Biblioteca

EST. 9 PLUT. 3

CLYPEUS THEOLOGIÆ THOMISTICÆ,

AUTHORE

R. P. IOANNE BAPTISTA GONET,
Bitterrensi, Ordinis FF. Prædicatorum, Provinciæ Toloſanæ, Strictioris Obſervantiæ, in Academia Burdigalenſi Anteceſſore.

TOMUS QUINTUS

CONTINENS TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE, de Baptiſmo, de Confirmatione, de Euchariſtia, de Pœnitentia, de Extrema-Unctione, de Ordine, & de Matrimonio.

EDITIO SEXTA.

25520

Ab Authore recognita, variiſque Tractatibus ac plurimis ſanctorum Patrum ſententiis locupletata.

Accedit etiam Tomus ſextus, continens Manuale Thomiſtarum, ſeu totius Theologiæ Compendium, in gratiam ſtudentium ab ipſomet Authore editum.

Colegio de la Compañia de Jesus de Valencia
Y de su Librería

LUGDUNI,
Apud ANISSONIOS, & JOAN. POSUEL.

M. DC. LXXXI.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX TITULORUM TOMI QUINTI.

De Sacramentis in communi. pag. 1
Synopsis *Doctrinæ Catholicæ de Sacramentis, desumpta ex decreto Eugenii IV. pro instructione Armenorum, in Concilio Florentino edito.* 3
Disp. I. *De Essentia Sacramenti,* 7
Art. I. *An solùm in genere signi, vel etiam in genere causæ, Sacramentum in communi debeat constitui?* ibid.
§. I. *Difficultas proposita, triplici conclusione resolvitur,* 8
§. II. *Solvuntur objectiones,* 9
§ III. *Corollaria præcedentis doctrinæ,* 10
Art. II. *Cujus rei sacræ Sacramentum sit signum?* ibid.
§. I. *Duplici conclusione difficultas proposita resolvitur?* 11
§. II. *Solvuntur objectiones,* 12
§. III. *Corollarium notatu dignum,* 13
Art. III. *An Sacramentum sit signum unius rei tantùm?* ibid.
Art. IV. *Vtrum Sacramentum sit semper res aliqua sensibilis, & hoc sit illi ita essentiale, ut de potentia Dei absoluta, non possit institui Sacramentum in aliqua re spirituali & insensibili?* 15
Art. V. *Vtrum res sensibiles, quibus in Sacramentis utimur, debeant esse determinatæ à Deo?* 17
Art. VI. *Vtrum in Sacramentis verba requirantur?* 18
Art. VII. *An omnia Sacramenta novæ legis componantur ex rebus & verbis, sicut ex materia & forma, & tanquam ex partibus essentialibus?* 20
§. I. *Triplici conclusione hæc triplex difficultas resolvitur,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones,* 21
Art. VIII. *Vtrum in Sacramentis requirantur determinata verba, subindeque illa non sint concionatoria, sed consecratoria?* 22
Art. IX. *Quæ mutatio ex parte materiæ, vel formæ, reddat Sacramentum invalidum?* 23
Disp. II. *De existentia Sacramentorum,* 25
Art. I. *An aliqua Sacramenta fuerint de facto in statu innocentiæ, vel futura fuissent Adamo non peccante, supposito saltem quod posteri ejus peccassent?* 26
§. I. *Quibusdam præmissis referuntur sententiæ,* ibid.
§. II. *Triplex difficultas proposita, triplici conclusione resolvitur,* ibid.
§. III. *Solvuntur objectiones,* 28
§. IV. *Aliud argumentum solvitur, & an in statu innocentiæ fuissent sacrificia, declaratur,* 30
Art. II. *An in statu legis naturæ fuerint vera Sacramenta, tam pro adultis, quàm pro parvulis, eaque immediatè à Deo determinata fuerint, & necessaria necessitate medii ad salutem?* 32
§. I. *Quibusdam præmissis referuntur sententiæ,* ibid.
§. II. *Triplici conclusione triplex difficultas proposita resolvitur,* ibid.
§. III. *Solvuntur objectiones,* 35
Art. III. *An in lege Mosaïca, præter circumcisionem, alia fuerint vera Sacramenta, & quot?* 37
Art. IV. *An post Christi adventum, seu in novæ lege, aliqua debuerint esse Sacramenta, diversa*

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX TITULORUM

versa ab his quæ erant in lege veteri? 39
DISP. III. *De gratia Sacramentali,* 40
ART. I. *Utrum Sacramenta novæ legis sint causæ gratiæ, eamque conferant ex opere operato, non ponentibus obicem?* ibid.
§. I. *Duplici conclusione veritas Catholica statuitur,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones,* 42
ART. II. *Quomodo Sacramenta producant gratiam, an instrumentaliter physicè, vel solùm moraliter?* 43
§. I. *Quibusdam præmissis referuntur sententiæ,* ibid.
§. II. *Explodituv Durandi sententia,* 44
§. III. *Rejicitur secunda sententia, & Sacramenta novæ legis instrumentaliter physicè concurrere ad causandam gratiam, ex Scriptura, Conciliis, & SS. Patribus ostenditur,* 45
§. IV. *Mens Divi Thomæ aperitur,* 47
§. V. *Causalitas physica Sacramentorum novæ legis, variis congruentiis suadetur,* 48
ART. III. *Convelluntur fundamenta adversæ sententiæ,* 50
§. I. *Solvuntur argumenta ex authoritate SS. Patrum,* ibid.
§. II. *Solvitur primum argumentum ex ratiotione petitum, & quomodo Sacramenta cum fictione suscepta, recedente fictione, producant gratiam, breviter declaratur,* 52
§. III. *Aliud argumentum solvitur,* 53
§. IV. *Solvitur aliud argumentum, petitum ex alia conditione, ad instrumentum physicum requisita,* 54
§. V. *Alia difficultas resolvitur, & quandonam Sacramenta causent gratiam, breviter explicatur,* 55
§. VI. *Solvitur ultimum argumentum, & an virtus per quam Sacramenta elevantur ad causandam gratiam, sit spiritualis, vel corporea, motio, vel qualitas, breviter explicatur,* 58
ART. IV. *An Sacramenta novæ legis, Christi & Dei, moralia instrumenta ad causandam gratiam dici possint?* 61
§. I. *Referuntur sententiæ & vera eligitur,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones,* 62
ART. V. *Quam gratiam causent Sacramenta novæ legis? An primam, vel secundam?* 63
§. I. *Quibusdam præmissis referuntur sententiæ,* ibid.
§. II. *Prima sententia rejicitur, & omnia Sacramenta novæ legis non causare per se primam gratiam, breviter suadetur,* ibid.
§. III. *Solvuntur objectiones,* 65
§. IV. *Secunda opinio refellitur, & aliquæ novæ legis Sacramenta, per se primam gratiam, etiam in adultis causare breviter ostenditur,* 66
§. V. *Tertia difficultas expeditur, & ostenditur Sacramenta vivorum, per accidens aliquando conferre primam gratiam,* 67
§. VI. *Solvuntur objectiones,* 68
ART. IV. *Quid addat gratia Sacramentalis supra gratiam habitualem?* ibid.
§. I. *Triplici conclusione difficultas resolvitur,* 69
§. II. *Solvuntur objectiones,* 70
DISP. IV. *De charactere Sacramentali,* 71
ART. I. *An & quæ Sacramenta novæ legis imprimant characterem?* ibid.
§. I. *Duplici conclusione proposita difficultas resolvitur,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones Hæreticorum,* 73
ART. II. *Quid sit character Sacramentalis?* 74
§. I. *In quo genere entis, & in qua specie ponatur character, sequentibus conclusionibus declaratur,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones,* 78
§. III. *Solvuntur argumenta Suaris,* 80
ART. III. *Quodnam sit subjectum proximum & immediatum characteris Sacramentalis, an ipsa substantia animæ, vel aliqua ex ejus potentiis, & quæ?* 83
§. I. *Duplici conclusione proposita difficultas resolvitur,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones,* 84
ART. IV. *Utrum character insit animæ indelebiliter?* 85
§. I. *Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuitur,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones,* 86
DISP. V. *De Sacramentorum institutore,* 87
ART. I. *An Christus omnia legis novæ Sacramenta immediatè instituerit?* ibid.
ART. II. *An potestas ministerialis instituendi Sacramenta, & potestas excellentiæ quæ fuit in Christo, homini puro communicari potuerit?* 88
§. I. *Duplici conclusione difficultas proposita resolvitur,* 89
§. II. *Solvuntur objectiones,* 90
DISP. VI. *De ministro Sacramentorum,* ibid.
ART. I. *Quinam sint Sacramentorum ministri?* 91
§. I. *Triplici conclusione difficultas proposita resolvitur,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones,* 92
ART. II. *Utrum ad valorem Sacramenti requiratur intentio ministri, quâ intendat Sacramentum perficere?* 93
§. I. *Conclusio affirmativa statuitur,* ibid.
§. II. *Mens D. Thomæ aperitur,* 94
§. III. *Solvitur argumentum ex historia Ecclesiastica desumptum,* 95
§. IV. *Solvun*

TOMI QUINTI.

IV. *Solvuntur aliæ objectiones,* 96
§. V. *Aliæ difficultates & casus conscientiæ breviter resolvuntur,* 97
ART. III. *Utrum per malos ministros validè possint Sacramenta conferri?* 99
§. I. *Varij circa hoc referuntur ac refelluntur errores,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones,* 101
ART. IV. *Utrum ministri Sacramenta in peccato mortali ministrantes, semper peccent mortaliter?* 102
§. I. *Quibusdam præmissis difficultas resolvitur,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones,* 103
DISP. VII. *De numero & ordine Sacramentorum,* 106
ART. I. *Quot sint novæ legis Sacramenta?* ibid.
ART. II. *Quinam inter Sacramenta ordo reperiatur?* 108
TRACT. III. *De Baptismo & Confirmatione,* 110
DISP. I. *De Institutione & natura Baptismi,* 111
ART. I. *Quando cœperit institutio Baptismi, & illius præceptum?* ibid.
§. I. *Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententiæ,* ibid.
§. II. *Resolvitur prima difficultas de institutione Baptismi,* 112
§. III. *Solvuntur objectiones,* 114
§. IV. *Expeditur alia difficultas de tempore quo cœpit obligatio Baptismi,* ibid.
§. V. *Corollarium præcedentis doctrinæ,* 116
§. VI. *Solvuntur objectiones contra duas ultimas conclusiones fieri solitæ,* 117
ART. II. *Quænam sit materia Baptismi?* 118
§. I. *Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur,* 119
§. II. *Corollaria notatu digna, & resolutiones plurimorum casuum conscientiæ,* 120
ART. III. *Quænam sit forma Baptismi?* 122
ART. IV. *An Baptismus possit iterari?* 125
ART. V. *Præcipuæ Baptismi cæremoniæ breviter exponuntur.* 127
ART. VI. *Utrum convenienter assignentur tria Baptismata?* 129
ART. VII. *An Baptismus sanguinis, sive martyrium, suppleat ita vicem Baptismi aquæ ut justificet ex opere operato, non solum parvulos, sed etiam adultos?* 130
§. I. *Hæc sententia, ut probabilior eligitur, & duplici conclusione stabilitur,* ibid.
§. II. *Duo corollaria notatu digna,* 132
§. III. *Solvuntur objectiones.* ibid.
§. IV. *Corollarium notatu dignum,* 134
DISP. II. *De ministro Baptismi,* 135
ART. I. *Quis sit idoneus minister Baptismi?* ibid.
ART. II. *An idem possit à seipso baptizari, vel plures ab uno, aut unus à pluribus?* 136
ART. III. *An requiratur aliquis qui baptizatum levet de sacro fonte?* 138
DISP. III. *De suscipientibus Baptismum,* 139
ART. I. *An Baptismus sit omnibus ad salutem necessarius?* ibid.
§. I. *Quibusdam præmissis referuntur sententiæ,* ibid.
§. II. *Error Calvini proscribitur,* 140
§. III. *Cajetani sententia rejicitur,* 141
§. IV. *Solvuntur argumenta Cajetani,* 142
§. V. *Quid de adultis dicendum?* 144
§. VI. *Corollaria notatu digna,* ibid.
ART. II. *An quando baptizatur adultus, requiratur ex parte ejus aliqua intentio suscipiendi Baptismum?* 146
ART. III. *An licitum sit pueros infidelium, nondum habentes usum liberi arbitrij, invitis parentibus baptizare?* 148
§. I. *Quibusdam præmissis referuntur sententiæ,* ibid.
§. II. *Duplici conclusione vera sententia statuitur,* 149
§. III. *Solvuntur objectiones,* 150
DISP. IV. *De effectibus Baptismi,* 151
ART. I. *Quinam sint effectus Baptismi,* 152
ART. II. *An Baptismus fictè susceptus, recedente fictione, ex opere operato, producat suum effectum?* 153
§. I. *Quibusdam præmissis difficultas resolvitur,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones,* 154
ART. III. *Quæ peccata remittantur per Baptismum, recedente fictione?* 155
§. I. *Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententiæ,* ibid.
§. II. *Rejiciuntur tres primæ sententiæ, & quarta statuitur,* ibid.
§. III. *Solvuntur objectiones,* 156
ART. IV. *Quæ dispositio sufficiat ad tollendam fictionem, ut baptismus habeat effectum?* 157
ART. V. *Utrum sit proprium baptismi quòd conferat suum effectum, recedente fictione, an verò id etiam competat aliis novæ legis Sacramentis?* 158
DISP. V. *De Circumcisione,* 159
ART. I. *An Circumcisio primariò & per se instituta fuerit in remedium peccati originalis?* ibid.
ART. II. *An & quomodo in Circumcisione gratia conferretur?* 161
ART. III. *Utrum liceat se circũcidere, mortificationis gratiâ, vel ad Christi imitationem?* 162
DISP. VI. *De Sacramento Confirmationis,* 163
ART. I. *An Confirmatio sit verum & proprium novæ legis Sacramentum, & quandonam à Christo fuerit institutum?* ibid.
§. I. *Prima pars quæsiti resolvitur,* ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX TITULORUM TOMI QUINTI.

§. II. *Respondetur instantiis Hæreticorum*, 165
§. III. *Alia difficultas expeditur, & quandonam Sacramentum Confirmationis à Christo fuerit institutum, breviter declaratur*, 166
ART. II. *Quæ sit materia & forma Sacramenti Confirmationis?* 167
§. I. *Resolutio primæ difficultatis*, ibid.
§. II. *Resolutio secundæ difficultatis*, 168
§. III. *Tertia difficultas resolvitur*, ibid.
§. IV. *Solvuntur objectiones*, 169
§. V. *Alia difficultas expeditur*, 170
§. VI. *Confirmationis materia proxima, & forma hujus Sacramenti explicantur*, ibid.
ART. III. *Quodnam sit subjectum capax Confirmationis, & utrum ad ejus susceptionem adulti aliquando obligentur?* 172
ART. IV. *Quidnam sit proprius Sacramenti Confirmationis effectus?* 173
ART. V. *Utrum solus Episcopus sit ordinarius hujus Sacramenti minister?* 174
ART. VI. *An possit Sacerdos confirmare ex commissione Papæ, vel Episcopi?* 175
§. I. *Referuntur sententiæ, & tertia ut verior & probabilior eligitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones*, 177
TRACT. IV. *De Sacramento Eucharistiæ*, 179
Disputatio Procœmialis, *De veritate Eucharistiæ contra Hæreticos*, 182
ART. I. *Duo præcipui Hæreticorum errores contra Sacramentum Eucharistiæ, breviter recensentur*, ibid.
ART. II. *Duplici Scripturæ testimonio Calvinistarum error refellitur*, 183
ART. III. *Veritas Catholica probatur ex traditione*, 186
ART. IV. *Catholica veritas definitionibus Conciliorum stabilitur*, 188
ART. V. *Catholica veritas testimoniis sanctorum Patrum confirmatur*, 189
ART. VI. *Ratio Divi Thomæ exponitur*, 192
ART. VII. *Aliud argumentum desumptum ex disparitate fidelium novi testamenti ab antiquis, in manducatione corporis Christi, ut panis cœlestis*, 193
ART. VIII. *Tres aliæ rationes breviter expenduntur*, 194
ART. IX. *Præcluditur aditus solitæ evasioni & fraudi Hæreticorum*, 195
ART. X. *Hæreticorum testimoniis, Calvini hæresis refellitur*, 197
ART. XI. *Solvuntur argumenta Hæreticorum, desumpta ex sacra Scriptura*, 198
ART. XII. *Solvuntur objectiones Calvinistarum ex Patribus*, 201
ART. XIII. *Solvuntur argumenta ex rationibus humanis*, 203
ART. XIV. *Solvitur alia objectio hæreticorum, & consensus Ecclesiæ Græcæ cum Latina, quoad transubstantiationem, & realem Christi præsentiam in Eucharistia, breviter demonstratur*, 207
DISP. II. *De Sacramento Eucharistiæ secundùm se*, 209
ART. I. *In quo essentialiter consistat Sacramentum Eucharistiæ, & pro quo supponat?* ibid.
§. I. *Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententiæ*, ibid.
§. II. *Rejectis aliis sententiis, vera statuitur*, 210
§. III. *Solvuntur objectiones contra duas primas conclusiones*, 213
§. IV. *Diluuntur argumenta contra tertiam conclusionem fieri solita*, 214
§. V. *Solvuntur objectiones contra ultimam conclusionem*, ibid.
§. VI. *Corollaria præcedentis doctrinæ*, 215
ART. II. *Utrum Sacramentum Eucharistiæ, sit unum specie infimâ, & unde unitas ejus specifica desumatur?* 216
§. I. *Duplici conclusione vera sententia statuitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones*, 217
ART. III. *Utrum Sacramentum Eucharistiæ sit multiplex numero, & unde sumatur unitas ejus numerica?* 218
ART. IV. *Utrum realis susceptio Eucharistiæ, vel saltem ejus votum, sit simpliciter ad salutem ejus votum?* 219
§. I. *Quibusdam præmissis referuntur sententiæ*, ibid.
§. II. *Vera sententia triplici conclusione statuitur*, 220
§. III. *Corollaria præcedentis doctrinæ.* 222
§. IV. *Solvuntur objectiones*, 223
ART. V. *Quandonam Christus instituit Eucharistiæ Sacramentum?* 224
§. I. *Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententiæ*, ibid.
§. II. *Vera sententia duplici conclusione statuitur*, 225
§. III. *Præcipua Græcorum fundamenta solvuntur*, 226
§. IV. *Solvuntur argumenta contra secundam conclusionem*, 227
ART. VI. *Nomina quibus hoc Sacramentum insigniri solet, breviter recensentur, & ostenditur Agnum paschalem fuisse præcipuam ejus figuram*, 228
DISP. III. *De materia Eucharistiæ*, 229
ART. I. *Qualis debeat esse panis, ad conficiendam Eucharistiam?* ibid.
§. I. *Præmittuntur quæ apud omnes sunt certa, & referuntur sententiæ*, ibid.
§. II. *Vera sententia duplici conclusione statuitur*, 230
§. III. *Solvuntur objectiones*, 232
ART. II. *An solum vinum de vite sit materia calicis?* 233
ART. III. *An & quo jure admittenda sit aqua vino consecrando?* 234
ART. IV. *Utrum aqua infusa calici consecrando immediatè convertatur in Christi sanguinem, vel priùs debeat converti in vinum, quàm in sanguinem?* 235
§. I. *Conclusio negativa statuitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones*, 238
ART. V. *An materia consecranda debeat esse præsens ministro, & sub certa quantitate?* 240
ART. VI. *Utrum in aliquo casu ex dispensatione Pontificis liceat in una tantùm specie consecrare?* 242
§. I. *Quibusdam præmissis referuntur sententiæ*, ibid.
§. II. *Vera sententia duplici conclusione statuitur*, ibid.
§. III. *Solvuntur objectiones*, 244
DISP. IV. *De Transubstantiatione, seu conversione panis & vini, in Corpus & sanguinem Christi*, 246
ART. I. *Utrum tota substantia panis & vini convertatur in corpus & sanguinem Christi, idque ex vi significationis illorum verborum (Hoc est corpus meum) efficaciter colligatur?* ibid.
§. I. *Errores suprà dicti refelluntur, & Catholica veritas declaratur*, ibid.
§. II. *Alia difficultas expeditur*, 248
§. III. *Corollaria præcedentis doctrinæ*, 249
ART. II. *Quænam sit actio conversiva, & quem terminum formalem habeat?* 250
§. I. *Præmittenda ad resolutionem quæstionis*, ibid.
§. II. *Rejiciuntur tres primæ sententiæ, & quarta statuitur*, 251
§. III. *Solvuntur objectiones.* 253
§. IV. *Corollarium præcedentis doctrinæ*, 255
ART. III. *An substantia panis & vini in Eucharistia desinat esse per annihilationem?* ibid.
DISP. V. *De modo quo Christus est in Eucharistia*, 257
ART. I. *Quid ex vi verborum, quid concomitanter, sub Speciebus panis & vini contineatur?* 258
ART. II. *An corpus Christi sit in hoc Sacramento cum sua quantitate, totusque existat sub quavis parte specierum, etiam ante fractionem, imò & sub quolibet indivisibili hostiæ consecratæ?* 260
§. I. *Rejiciuntur omnes illæ sententiæ, & communis ac vera statuitur*, 261
§. II. *Solvuntur objectiones*, 162
ART. III. *Quid sit præsentia Sacramentalis corporis Christi in Eucharistia, & ad quod prædicamentum pertineat?* 263
§. I. *Prima pars quæsiti triplici conclusione resolvitur*, 264
§. II. *Alia difficultas expeditur*, ibid.
§. III. *Solvuntur objectiones*, 265
ART. IV. *An Christus in Eucharistia possit moveri localiter, & agere vel pati actione corporeâ?* 267
ART. V. *An repugnet de potentia absoluta oculum corporeum elevari ad videndum corpus Christi in Sacramento?* 269
§. I. *Hæc sententia ut probabilior eligitur*, 270
§. II. *Solvuntur objectiones*, 271
ART. VI. *Quando & quomodo corpus Christi desinat esse in hoc Sacramento?* 272
DISP. VI. *De accidentibus Eucharisticis*, 273
ART. I. *Utrum accidentia Eucharistica sint sine subjecto substantiali?* ibid.
ART. II. *An quantitas panis & vini sit aliorum accidentium subjectum?* 274
ART. III. *Utrum quantitati communicetur à Deo modus existendi per se, ratione cujus subsistat independenter à subjecto, & aliis accidentibus subsit?* 275
§. I. *Conclusio affirmativa statuitur*, ibid.
ART. IV. *An ex speciebus Sacramentalibus aliquid verè & propriè generari possit?* 277
ART. V. *Utrum in generatione vermium ex speciebus Eucharisticis, adveniat nova materia à Deo producta, ex cujus potentia educatur forma vermis, vel ipsa quantitas tunc gerat vices materiæ?* 278
DISP. VII. *De forma Sacramenti Eucharistiæ*, 281
ART. I. *An forma consecrationis panis, solùm consistat in his quatuor verbis (Hoc est Corpus meum) subindeque nulla alia requirantur ad validè consecrandum corpus Christi?* ibid.
ART. II. *Utrum omnia verba quæ in consecratione calicis à sacerdote proferuntur, sint de essentia formæ?* 283
§. I. *Quibusdam præmissis referuntur sententiæ, & probabilior, ac menti sancti Thomæ conformior, eligitur*, ibid.
§. II. *Eadem veritas ratione suadetur?* 285
§. III. *Solvuntur objectiones*, 286
§. IV. *Solvitur argumentum ex Liturgiis Græcorum*, 288
ART. III. *Utrum Christus in consecratione sui corporis & sanguinis, aliquibus verbis usus fuerit?* 289
ART. IV. *Utrum verba consecrationis formaliter & significativè, seu assertivè, à sacerdote proferantur, vel solùm historicè & recitativè?* 290
§. I. *Explicatur titulus, & difficultas proposita, unicâ*

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX TITULORUM TOMI QUINTI.

unicâ conclusione resolvitur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones, 291
§. III. Corollarium notatu dignum, 292
Disp. VIII. De effectibus Sacramenti Eucharistiæ, 293
Art. I. Qui sint præcipui hujus Sacramenti effectus? ibid.
Art. II. Quandonam Eucharistia conferat gratiam? 299
Art. III. An ad consequendum effectum hujus Sacramenti requiratur actualis devotio, excludens mentis distinctionem, & peccata venialia actu exercita? 301
§. I. Triplici conclusione difficultas resolvitur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones, 302
Art. IV. Utrum sacerdotes celebrantes, & sub duplici specie communicantes, plus gratiæ recipiant, quàm laïci, qui sub una tantùm specie communicant? 303
§. I. Conclusio negativa statuitur, ibid,
§. II. Solvuntur objectiones, 305
Disp. IX. De usu seu sumptione Eucharistiæ, 306
Art. I. Utrum fideles præcepto Divino & Ecclesiastico teneantur sumere Eucharistiam, & quandonam ad id obligentur? ibid.
Art. II. Quæ dispositio requiratur ad dignam sumptionem hujus Sacramenti? 308
Art. III. An communio sub utraque specie potuerit laïcis ab Ecclesia prohiberi, & convenienter ac justis de causis fuerit eis prohibita? 313
§. I. Quibusdam præmissis, duplici conclusione difficultas resolvitur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones Hæreticorum, 316
Disp. X. De ministro Eucharistiæ, 319
Art. I. Utrum consecratio hujus Sacramenti sit ita propria sacerdoti, ut à nullo alio, etiam in casu necessitatis, fieri possit? ibid.
Art. II. An ad solos sacerdotes pertineat dispensatio hujus Sacramenti? 321
Disp. XI. De sacrificio Missæ, 323
Art. I. An Missa, seu celebratio Eucharistiæ, sit verè ac propriè sacrificium? ibid.
§. I. Hujus nominis, Missa, etymologia, & antiquitas explicantur, ibid.
§. II. Hæreticorum error refellitur, & veritas catholica defenditur & stabilitur, 324
§. III. Hæreticorum objectiones solvuntur, 327
§. IV. Corollarium præcedentis doctrinæ. 328
Art. II. In qua actione Missæ essentia sacrificij Eucharistici consistat? 329
§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ, ibid.
§. II. Rejiciuntur plures ex illis sententiis, ibid.
§. III. Solvuntur objectiones, 330
§. IV. Vera sententia explicatur, ibid.
§. V. Solvuntur objectiones, 332
Art. III. A quibus & pro quibus possit Missæ sacrificium offerri? 334
Art. IV. Utrum Missæ sacrificium valorem habeat propitiatorium ad obtinendam remissionem peccatorum, & impetrativum pro obtinendis à Deo beneficiis, & quomodo illos effectus causet? 335
Art. V. Utrum valor sacrificij Missæ sit infinitus, non solum intensivè, sed etiam extensivè, subindeque oblatum pro pluribus, æquè prosit cuilibet, ac si pro uno tantum offerretur? 338
Art. VI. De stipendio Missarum, 339
Declaratio sacræ Congregationis Cõcilij, SS.D.N. Alexandri Papæ VII. jussu edita, super servando Decreto ejusdem Congregationis, de celebratione Missarum, 341
Art. VII. Præcipuæ Missæ cæremoniæ breviter explicantur, 342
Tract. V. De Pœnitentia, 345
Disp. I. De Pœnitentia, ut est Sacramentũ. 347
Art. I. An detur in Ecclesia remedium aliquod, quo peccata post Baptismum commissa remittantur, illudque sit verum Sacramentum, à Baptismo distinctum, ibid.
§. I. Recensentur tres Hæreticorum errores, ibid.
§. II. Tribus sequentibus assertionibus, tres prædicti errores confutantur, 349
§. III. Solvuntur objectiones, 350
Art. II. An Christus sit Author & Institutor Sacramenti Pœnitentiæ, & quo tempore facta fuerit ejus institutio? 352
§. I. Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententiæ, ibid.
§. II. Prima pars quæsiti resolvitur, ibid.
§. III. Altera difficultas expeditur, & quo tempore Christus Sacramentum pœnitentiæ instituerit, breviter declaratur, 354
Art. III. Quæ sit materia & forma Sacramenti Pœnitentiæ? 355
Art. IV. Utrum absolutio sacerdotis, & actus pœnitentis sint partes intrinsecè componentes Sacramentum Pœnitentiæ, 356
§. I. Conclusio affirmativa statuitur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones, 357
§. III. Corollaria notatu digna, 358
Art. V. Utrum Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel saltem in voto, sit medium necessarium ad delenda peccata post Baptismum commissa? 359
§. I. Quibusdam præmissis, duplici conclusione difficultas resolvitur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones, 361
Disp. II. De Pœnitentia ut virtute, ibid.
Art. I. An Pœnitentia sit virtus? 362
§. I. Hæreticorum error refellitur, ibid.
§. II. Quæstioni propositæ respondetur, & pœnitentiam veram esse virtutem ostenditur. 363
§. III. Solvuntur objectiones, ibid.
Art. II. An pœnitentia sit virtus aliqua specialis, & quodnam sit ejus objectum materiale & formale? 364
§. I. Vera & communis sententia duplici conclusione statuitur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones, 365
§. III. Alia difficultas resolvitur, & quodnam sit objectum materiale & formale virtutis pœnitentiæ, breviter explicatur, 366
Art. III. An pœnitentia sit virtus à cæteris distincta, vel ad aliquã ex illis reducatur? ibid.
§. I. Rejicitur prima sententia, ibid.
§. II. Sententia Cajetani refellitur, 367
§. III. Solvuntur objectiones, 368
§. IV. Tres aliæ sententiæ breviter confutãtur, 369
§. V. Solvuntur objectiones, 370
§. VI. Corollaria notatu digna, 372
Disp. III. De remissione peccatorum mortalium, 374
Art. I. An per Pœnitentiã omnia peccata mortalia, quantuncũque gravia, remitti possint? ibid.
Art. II. Utrum peccatum mortale sine pœnitentia deleri nequeat, nec unum peccatum remitti sine alio? 376
Art. III. An contritio perfecta semper habeat conjunctam remissionem peccati mortalis, etiam ante receptionem actualem Sacramenti, 378
§. I. Conclusio affirmativa statuitur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones, 379
Art. IV. In quo genere causæ contritio expellat peccatum? 380
§. I. Duplici cõclusione difficultas resolvitur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones, 381
Art. V. An remissã per pœnitentiam culpã peccati mortalis, & reatu pœnæ æternæ, maneat tamen aliquando reatus pœnæ temporalis? 382
§. I. Quibusdam præmissis veritas Catholica defenditur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones hæreticorum, 383
Disp. IV. De remissione peccatorũ venialiũ, 384
Art. I. Utrum ad remissionem peccatorũ venialium, necessaria sit aliqua pœnitentia interior eaque debeat esse formalis, vel sufficiat virtualis? ibid.
§. I. Referuntur sententiæ, & vera eligitur, & duplici conclusione explicatur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones, 385
§. III. Tria corollaria ex præcedenti doctrina, 387
Art. II. Utrum ad remissionem venialium requiratur gratia? ibid.
§. I. Quibusdã præmissis difficultas resolvitur, ib.
§. II. Solvuntur objectiones, 388
Art. III. An, & quomodo, peccata venialia remittãtur per sacramenta, & sacramẽtalia? 389
§. I. Quibusdam præmissis, triplici conclusione, utraque difficultas resolvitur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones, 391
Art. IV. An, & quomodo, remittantur justis post hanc vitam peccata venialia? 393
Disp. V. De perfectione remissionis peccatorũ, 395
Art. I. Utrum peccata semel per pœnitentiam remissa, per subsequens peccatum redeant, vel redire possint? ibid.
§. I. Quibusdam præmissis, triplici conclusione utraque difficultas resolvitur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones, 397
Disp. VI. De reviviscentia meritorum, 398
Art. I. Utrum merita, seu bona opera, per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviscant? ibid.
§. I. Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuitur, ibid.
§. II. Solvuntur aliæ objectiones, 399
Art. II. In qua proportione & quantitate reviviscant per pœnitentiam, opera mortificata per peccatum? 400
§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ, ibid.
§. II. Rejiciuntur tres primæ sententiæ, & quarta statuitur, 401
§. III. Solvuntur objectiones, 404
§. IV. Solvuntur objectiones contra quartam conclusionem, 405
§. V. Solvuntur duæ instantiæ contra ultimam conclusionem, 407
Disp. VII. De contritione, 408
Art. I. An in dolore de peccato, vel in ejus odio, aut in utroque simul, consistat essentialiter ratio contritionis? ibid.
§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ, & verior seu probabilior eligitur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones, 410
Art. II. Utrum contritio differat essentialiter ab attritione? ibid.
Art. III. An attritio ex metu gehennæ sit actus bonus, & sufficiat ad dignè & fructuosè recipiendum Sacramentum pœnitentiæ? 412
§. I. Lutheranorum error refellitur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones Hæreticorum, 413
§. III. Alia difficultas resolvitur, 414
§. IV. Duplici ratione conclusio nostra suadetur, 415
§. V. Convelluntur præcipua fundamenta Iansenij, 416
§. VI. Corollaria præcedentis doctrinæ, 418
Art. IV. Qualis requiratur attritio ad effectum hujus Sacramenti? 419
Art. V. An, & quo jure, teneatur ille qui est in peccato mortali, elicere actum contritionis, & quandonam obliget tale præceptum? 421
§. I. Prima pars quæsiti duplici conclusione resolvitur, ibid.
§. II. Solvuntur objectiones, ibid.
§. III. Alia difficultas expeditur, 422
§. IV. Solvuntur objectiones, 423

Disp.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX TITULORUM

DISP. VIII. *De præcepto confessionis*, 425
ART. I. *An confessio Sacramentalis sit jure divino positivo præcepta, & quas personas, quove tempore, obliget tale præceptum?* ibid.
ART. II. *Resolvuntur breviter quædam difficultates seu casus conscientiæ de præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis*, 427
DISP. IX. *De ministro confessionis*, 429
ART. I. *Utrum solus Sacerdos sit minister confessionis Sacramentalis?* ibid.
ART. II. *Utrum in ministro confessionis necessaria sit potestas jurisdictionis, eaque sit omnino distincta à potestate Ordinis?* 431
§. I. *Duplici conclusione duplex hæc difficultas resolvitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones*, 433
§. III. *Corollaria notatu digna*, 434
DISP. X. *De qualitate & integritate confessionis*, 436
ART. I. *An, & in quibus casibus, confessio possit esse informis, & tamen valida?* ibid.
§. I. *Quibusdã præmissis referũtur sententiæ*, ibid.
§. II. *Verior & probabilior sententia sequentibus conclusionibus statuitur & explicatur*, ibid.
§ III. *Solvuntur objectiones*, 438
ART. II. *Utrum confessio semper debeat esse integra, vel interdum pœnitens ab ejus integritate excusetur?* 440
ART. III. *An ad integritatem confessionis necessarium sit declarare circunstantias peccatorũ, intra eandem speciem notabiliter aggravantes?* 442
§. I. *Conclusio affirmativa statuitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones*, 443
ART. IV. *An pœnitens possit, & debeat, propter integritatem suæ confessionis, personam complicis revelare?* 445
§. I. *Quibusdam præmissis, conclusio affirmativa statuitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones*, 446
DISP. XI. *De sigillo confessionis*, 447
ART. I. *Utrum confessarius in omni casu teneatur servare sigillum confessionis?* 448
§. I. *Quibusdam præmissis, conclusio affirmativa statuitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones*, 449
§. III. *Corollaria præcedentis doctrinæ*, ibid.
ART. II. *Quæ res cadant sub sigillo confessionis, & quæ personæ ad illud servandum obligentur?* 450
DISP. XII. *De absolutione sacramentali*, 452
ART. I. *Quæ verba sint essentia absolutionis Sacramentalis, & forma Sacramenti pœnitentiæ?* ibid.
§. I. *Quibusdã præmissis, difficultas resolvitur*, ib.
§. II. *Solvuntur objectiones*, 453
§. III. *Corollaria præcedentis doctrinæ*, ibid.
ART. II. *An forma absolutionis deprecatoriè prolata, valida sit?* 454
§. I. *Conclusio negativa statuitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones*, ibid.
ART. III. *An sacerdos per hæc verba*, Ego te absolvo, *verè pœnitẽtẽ absolvat à peccatis?* 445
ART. IV. *An absolutio dari possit scripto, vel absenti, vel saltem pœnitens absenti sacerdoti per litteras aut internuntium confiteri*, 458
§. I. *Referuntur sententiæ*, ibid.
§. II. *Vera sententia tribus sequentibus conclusionibus statuitur*, ibid.
§. III. *Solvuntur objectiones*, 461
§. IV. *Solvitur difficile argumentum, de absolutione moribundi, qui in absentia sacerdotis signa contritionis exhibuit*, 463
DISP. XIII. *De satisfactione*, 464
ART. I. *An homo possit satisfacere de condigno propœna tẽporali, peccato mortali debita?* ibid.
ART. II. *Quæ conditiones ad satisfactionem requirantur?* 466
§. I. *Conditiones ex parte satisfacientis requisitæ*, ibid.
§. II. *Conditiones ex parte ipsius operis satisfactorij necessariæ*, 467
§. III. *Corollaria præcedentis doctrinæ*, 468
§. IV. *Conditio requisita ex parte Dei*, 470
ART. III. *Utrum satisfactio sit vera pars Sacramenti pœnitentiæ, & quem effectum causet ex opere operato?* 471
§. I. *Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones*, 472
§. III. *Corollaria præcedentis doctrinæ*, 473
ART. IV. *An possit unus confessarius tollere vel saltem commutare pœnitentiam ab alio priùs impositam?* 475
ART. V. *Vtrũ possit unus pro alio satisfacere?* 476
TRACT. VI. *De Sacramento Extremæ-Vnctionis*, 478
DISP. I. *De existentia & essentia hujus Sacramenti*, 480
ART. I. *An Extrema-Vnctio, quæ solet in Ecclesia adhiberi infirmis, sit verum Sacramentum*, ibid.
§. I. *Conclusio affirmativa statuitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones Hæreticorũ, & à quo, & quando, Sacramentum Extremæ-Vnctionis institutum fuerit, breviter explicatur*, 481
ART. II. *Quæ sit materia & forma Sacramenti Extremæ-Vnctionis?* 483
§. I. *Materia remota hujus Sacramenti*, ibid.
§. II. *Materia proxima hujus Sacramenti*, 485
§. III. *Forma hujus Sacramenti*. 486
§. IV. *Corollaria præcedentis doctrinæ*, 487
DISP. II. *De effectibus hujus Sacramenti*, 488
ART. I. *Qui sit proprius ac primarius hujus Sacramenti effectus?* ibid.
§. I. *Rejiciuntur duæ primæ sententiæ, & tertia ut verior & probabilior eligitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones*, 490
§. III. *Corol*

TOMI QUINTI.

§. III. *Corollaria notatu digna*, 492
DISP. III. *De subjecto & ministro hujus Sacramenti*, 493
ART. I. *Quodnam sit subjectum capax recipiendi hoc Sacramentum?* ibid.
ART. II. *Quis sit minister proprius istius Sacramenti?* 495
TRACT. VII. *De Sacramento ordinis*, 497
DISP. I. *De ordine in communi*, 499
ART. I. *An ordo seu ordinatio quâ ministri Ecclesiæ initiantur, sit verè & propriè Sacramentum?* ibid.
§. I. *Conclusio affirmativa statuitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones hæreticorum*, 501
DISP. II. *De singulis ordinibus in particulari*, ibid.
ART. I. *An septem ordines Ecclesiastici, sint verè & propriè Sacramenta?* 502
§. I. *Quibusdã præmissis referũtur sententiæ*, ibid.
§. II. *Vera sententia duplici conclusione statuitur*, 503
§. III. *Solvuntur objectiones*, 504
§. IV. *Solvitur alia objectio* 507
ART. II. *Quæ sit ordinum singulorum materia & forma?* 508
ART. III. *Utrum manûs impositio ad ordinationem Sacerdotis & Diaconi essentialiter requiratur, vel sola instrumentorum traditio, cum forma verborum ipsi correspondente, totam essentiam ordinationis Sacerdotum & Diaconorum constituat?* 510
§. I. *Verior & probabilior sententia, duplici conclusione statuitur, & explicatur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones*, ibid.
DISP. III. *De ministro & subjecto Sacramenti ordinis*, 513
ART. I. *Quis sit minister Sacramenti ordinis?* ibid.
§. I. *Verior & probabilior sententia, duplici conclusione statuitur*, 514
§. II. *Solvuntur objectiones*, 515
ART. II. *Quinã sint capaces hujus Sacramẽti?* 516
ART. III. *An cœlibatus lege divina, vel tantùm Ecclesiasticâ, sacris ordinibus sit annexus, talisque lex justa & conveniens sit, & à temporibus Apostolorum in Ecclesia viguerit?* 518
§. I. *Prima pars quæsiti duplici conclusione resolvitur*, ibid.
§. II *Solvuntur objectiones*, 519
§. III. *Alia difficultas expeditur, & legem cœlibatûs rectissimam & utilissimam esse, & à temporibus Apostolorum in Ecclesia viguisse, contra hæreticos ostenditur*, 521
§. IV. *Solvuntur objectiones Hæreticorum*, 523
ART. IV. *An & quo jure bigamus sit ordinis incapax*, 524
§. I. *Duplici conclusione difficultas resolvitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones*, 525
DISP. IV. *De Episcopatu*, 526
ART. I. *An Episcopus jure divino sit Presbytero dignitate & potestate superior?* ibid.
§. I. *Conclusio affirmativa statuitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones Hæreticorum*, 527
ART. II. *An Episcopatus sit ordo distinctus à sacerdotio, vel solum ejus extensio & complementum?* 528
§. I. *Hæc sententia ut probabilior eligitur*, 529
§. II. *Solvuntur objectiones*, 530
ART. III. *Utrum necessariò requirantur tres Episcopi ad unius consecrationem, adeò ut Summus Pontifex in eo dispensare non possit?* 531
TRACT. VIII. *De Sacramento Matrimonij*, 533
DISP. I. *De Matrimonio secundùm se*, 535
ART. I. *Quid sit matrimonium, seu in quo formaliter & quidditativè consistat?* ibid.
§. I *Quibusdã præmissis difficultas resolvitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones*, 536
ART. II. *Utrum homo non solùm habeat naturalem inclinationem ad matrimonium, sed etiam præceptum de usu illius, & quale sit & quos obliget tale præceptum?* 537
§. I. *Quatuor conclusionibus difficultates istæ resolvũtur*, ibid.
§. II. *Solvuntur aliæ objectiones*, 538
ART. III. *Utrum poligamia, seu uxorum sub uno viro pluralitas, sit contra finem matrimonij, subindeque contra legem naturæ?* 539
§. I. *Quibusdã præmissis referũtur sententiæ*, ibid.
§. II. *Hæc sententia ut probabilior eligitur*, 540
§. III. *Solvuntur objectiones*, 541
§. IV. *Aliquæ difficultates circa tempus, modum, & personas, quas Deus in poligamia dispensavit, breviter resolvuntur*, 543
DISP. II. *De matrimonio ut sacramentum est*, 545
ART. I. *Utrum matrimonium sit verè & propriè Sacramentum, conferens gratiam?* ibid.
§. I. *Matrimonium verè & propriè rationem Sacramenti habere, breviter ostenditur*, 546
§. II. *Solvuntur objectiones*, 548
ART. II. *An matrimonium inter absentes per procuratorem vel per litteras contractum, sit Sacramentum?* 550
§. I. *Quibusdã præmissis referuntur sententiæ*, ibid.
§. II. *Vera sententia duplici cõclusione statuitur*, 551
§. III. *Solvuntur objectiones*, 552
§. IV. *Resolvuntur breviter aliæ difficultates*, 554
ART. IV. *Quis sit minister hujus Sacramenti?* 555
§. I. *Referuntur sententiæ, & vera eligitur*, ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones*, 556
ART. V. *Quæ sit materia & forma hujus Sacramenti?* 558
§. I. *Referuntur ac refelluntur variæ Theologorum sententiæ*, ibid.
§. II. *Verior seu probabilior sententia declaratur*, 559
DISP. III. *De sponsalibus*, 560
ART. I. *Quid sint sponsalia, & quænam ad illorum valorem requirantur?* ibid.
ART. II. *Qui possint sponsalia contrahere?* 563
ART. III. *Resolvuntur breviter aliquæ difficultates, de obligatione ex sponsalibus proveniente*, 564
ART. IV. *Quibus de causis sponsalia dissolvi possint?* 568

ART. V.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX TITULORUM TOMI QUINTI.

ART. V. *An per solum ingressum in Religionem, & per simplex votum castitatis, sponsalia dissolvantur?* 570
§. I. *Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones,* 571
DISP. IV. *De consensu matrimonij,* 572
ART. I. *An ita ad matrimonium necessarius sit proprius conjugum consensus, ut nullâ authoritate humanâ, vel divinâ, sine illo fieri absolutè nequeat?* ibid.
§. I. *Quibusdã præmissis referuntur sententiæ,* ibid.
§. II. *Duplici conclusione vera sententia statuitur,* 573
§. III. *Solvuntur objectiones,* 574
ART. II. *Utrum consensus ad valorem matrimonij requisitus, debeat esse verus, & verbis, aut signo aliquo exteriori expressus?* 575
§. I. *Prima difficultas resolvitur,* ibid.
§. II. *Aliæ difficultates resolvuntur,* 576
ART. III. *An jure veteri Ecclesiastico, vel novo, per Tridentinum inducto, irritentur matrimonia consensu clandestino facta?* 578
§. I. *Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur,* ibid.
§. II. *Solvitur difficile argumentum, & breviter, explicatur, quâ ratione Tridentinum matrimonia clandestina irritare potuerit,* 579
§. III. *Resolvuntur aliæ difficultates, seu casus conscientiæ, circa matrimonia clandestina, & prædictũ Concilij Tridentini decretum,* 580
ART. IV. *An, & quo jure, matrimonium factum ex metu gravi, seu in virum constantem cadente, irritum sit,* 582
§. I. *Quibusdam præmissis, utraque difficultas resolvitur,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones,* 584
§. III. *Corollaria præcedentis doctrinæ,* 586
ART. V. *Utrum per consensum conditionatum fiat matrimonium,* 587
ART. VI. *An consensus in copulam sit de essentia matrimonij?* 589
§. I. *Præmittitur quod ferè apud omnes est certum, & sententia Gratiani rejicitur;* ibid.
§. II. *Aliquæ objectiones solvuntur,* 590
§. III. *Relatis sententiis, principalis difficultas duplici conclusione resolvitur,* 591
§. IV. *Solvuntur objectiones,* 592
DISP. V. *De indissolubilitate matrimonij.* 593
ART. I. *Utrum matrimonium, ut est in officium naturæ, non solùm lege & institutione divinâ, sed etiam jure naturæ, indissolubile sit?* ibid.
§. I. *Præmittuntur quæ apud omnes sunt certa, & referuntur sententiæ,* ibid.
§. II. *Conclusio affirmativa statuitur,* 594
§. III. *Solvuntur objectiones,* 595
§. IV. *Corollaria notatu digna,* 596
ART. II. *An repudium olim fuerit licitum Judæis, & Romanis, aliisque Gentilibus, ita ut repudiando uxores, non peccarent, Deo dispensante in lege naturæ?* 597
§. I. *Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententiæ,* ibid.
§. II. *Vera sententia duplici conclusione statuitur,* 598
§. III. *Solvuntur objectiones,* 599
ART. III. *Utrum ob adulterium alterius conjugis, matrimonium quoad vinculum dissolvatur?* 601
ART. IV. *An, & quo jure, matrimonium ratum, per solemnem Religionis professionem dissolvatur?* 603
§. I. *Triplici conclusione utraque difficultas resolvitur,* 604
§. II. *Solvuntur objectiones,* 605
ART. V. *An & quando matrimonium legitimum & consummatum inter infideles, quoad vinculum dissolvatur, vel dissolvi possit, per alterius conjugis conversionem ad fidem, altero perseverante in infidelitate, & nolente pacificè, vel sine contumelia Creatoris, habitare cum altero?* 607
§. I. *Duplici conclusione utraque difficultas revitur,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones,* 609
DISP. VI. *De bonis matrimonij,* 610
ART. I. *An & quæ bona necessaria sint ad excusandum matrimonium?* ibid.
DISP. VII. *De impedimentis matrimonij in communi,* 612
ART. I. *Penes quem sit potestas apponendi impedimenta matrimonio?* ibid.
§. I. *Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur,* ibid.
§. II. *Corollaria præcedentis doctrinæ,* 614
§. III. *Solvuntur objectiones,* ibid.
DISP. VIII. *De impedimentis prohibentibus,* 615
ART. I. *Quinque prima impedimenta exponuntur,* 616
ART. II. *Alia septem impedimenta ex crimine provenientia explicantur,* 617
DISP. IX. *De impedimentis dirimentibus,* 619
ART. I. *De impedimentis erroris & cõditionis,* ibid.
ART. II. *Quo jure votum solemne Religionis dirimat matrimonium subsequens?* 621
§. I. *Sententia D. Thomæ præfertur,* ibid.
§. II. *Solvuntur objectiones,* 622
§. III. *Solvitur alia objectio,* 625
ART. III. *De impedimento cognationis,* 626
§. I. *De impedimento cognationis carnalis, seu consanguinitatis,* ibid.
§. II. *De cognatione spirituali,* 628
§. III. *De cognatione legali,* 629
ART. IV. *De impedimento criminis,* ibid.
ART. V. *De impedimento disparis cultûs,* 630
ART. VI. *De impedimento ordinis,* 631
ART. VII. *De impedimento ligaminis,* ibid.
ART. VIII. *De impedimẽto publicæ honestatis,* 632
ART. IX. *De impedimento affinitatis,* 633
ART. X. *De impedimentis impotentiæ, clandestinitatis, & raptûs,* 634

DE

TRACTATUS SECUNDUS.

DE SACRAMENTIS IN COMMUNI.

Ad quæstionem 60. Divi Thomæ usque ad 66.

PRÆFATIO.

PLURA sunt (Amice Lector) *quibus lex nova veterem, & Ecclesia Synagogam superent, & quæ inter præcipuos redemptionis fructus recenseri solent. Sed vix ullum concessum hominibus beneficium majus agnovi sacramentis, quæ Salvatoris fontes, canales sacros quibus cœlestis gratia diffluat, & Paradisi fœcundas arbores, nuncupare licet. Si Ecclesia cœlum est, & quod oculis cernimus cœlo, præstantius, jure Sacramenta septem planetas dixeris, quibus cœlestis hæc irroratio ad abluendos ac vegetandos animos proveniat; & nisi hæc Gentilium fabulas resiperent, à quibus abstinendum Theologis in primis censeo, non esset admodum difficile, singulares cujusque virtutes aut effecta, seu Lunæ innovandi vim, seu Martis pugnandi fortitudinem, seu Veneris fœcunditatem, cæteraque hujusmodi, ad nostra sacramenta transferre. Nec à consuetudine forsitan & usu loquendi Patrum, plurimùm abhorreret, cùm nihil frequentius sit, Eucharistiam in medio instar Solis positam, ut cætera suâ luce perfundat. Sed erit collatio manifestior, & quam frequentiùs Patres usurpent, si quis Ecclesiam Paradisum dixerit; nam ut egregiè Tertullianus lib. 2. contra Marcionem:* Bonitas delicias adjecit homini, ut quamquam totius orbis possidens in amœnioribus moraretur, translatus in Paradisum, jam tum de mundo in Ecclesiam. *At hujus felicioris Paradisi, loco arborum, sacramenta collocata sunt.* Inseruit (*inquit Laurentius Iustinianus*) in ea (*scilicet Ecclesia*) arbores & ligna, id est Ecclesiæ sacramenta, quorum alimento nutriantur qui illic collocati sunt, & *suaves usque ad delicias fructus decerpant. Nec sanè minor in sacramentis, quàm paradisi arboribus,* Libro de ligno vitæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

boribus, varietas, quibus multiformis, *seu ut aliis placet*, multivaria *Dei gratia profluat. Decurre ætates hominis singulas, percense ætatibus omnibus tuendis aut fovendis præsidia & remedia, seu primò producenda, seu post ortum augenda, seu post incrementum servanda natura sit; & hæc ad statum usumque animorum transfer, & sanè nullum, ut ita dixerim, animæ statum aut ætatem perspicies, cui non suum sacramentum paratum sit, æquè simili elemento petitum unde ætates hominum foveri solent, ut penè quibus vegetantur ac nutriuntur corpora, sanandis, curandisque animis rebus eguisse Deus videatur.* Nec aquam (*inquit Tertullianus*) reprobavit, quâ suos abluit; nec oleum, quo suos unxit; nec mellis & lactis societatem, quâ suos infantat, nec panem quo ipsum suum corpus repræsentat, etiam in sacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris. *Eximium hoc redemptionis munus, hac ultima parte, quâ jam finem aspicio, & brevi Theologiæ cursum absolvam, explico. Quid à me sperare debeas hac etiam tractatione, non dicam, cùm nec ipse, ut puto, dubites, & certiora sint argumenta, quàm ut conjecturis solùm locus esse debeat, eandem doctrinæ securitatem, nec dissimilem explicandi methodum, quæ aliis partibus minimè desunt, non erit cur hac etiam parte desideres. Sed antequam hanc tractationem aggrediar, Lectori rem utilissimam, meoque instituto opportunam, me facturum existimavi, si quæ definit Concilium Florentinum, de materia, forma, numero, & aliis quæ ad sacramenta pertinent, hîc velut in exordio exscriberem. Cùm enim hæc brevem totiùs rei sacramentariæ sinopsim & compendium contineant, & necesse sit identidem plura inde desumi, erit opinor pergratum Lectori, si eodem tenore quo definita sunt, hîc ea reperiat, ne cogatur, si cum ipso textu conferre velit quæ occurrunt (& sanè occurrunt plurima frequentissimè) maximo sui studij, otijque dispendio, tomos ipsos Conciliorum pervolvere. Interim dum ultimam Theologiæ manum impono, beneficij quo jam usus es, aut quod adhuc paro, usuram hanc opto, ut me tuis ad Deum precibus juves. Vale.*

Libro 1. contra Marcionem.

SYNOPSIS

SYNOPSIS

DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE SACRAMENTIS, desumpta ex Decreto Eugenij IV. pro instructione Armenorum, in Concilio Florentino edito.

NOVÆ Legis septem sunt sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo & Matrimonium. Quæ multùm à sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt. Horum quinque prima, ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso perfectionem: duo ultima, ad totius Ecclesiæ regimen multiplicationemque ordinata sunt. Per baptismum enim spiritualiter renascimur, per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autem & roborati, nutrimur divinâ Eucharistiæ alimoniâ. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam spiritualiter sanamur, spiritualiter, etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per Extremam-unctionem: per Ordinem verò Ecclesia gubernatur & mulplicatur spiritualiter, per Matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. Inter hæc sacramenta, tria sunt, Baptismus, Confirmatio & Ordo, quæ characterem, id est spirituale quoddam signum, à cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona non reïterantur. Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reïterationem admittunt.

Septem sacramenta.

Baptismus.

Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. Et cùm per primum hominem mors introïerit in universos, nisi ex aqua & spiritu renascimur, non possumus (ut inquit Veritas) in regnum cœlorum introïre. Materia hujus sacramenti est aqua vera & naturalis: nec refert, frigida sit an calida. Forma autem est, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Non tamen negamus, quin & per illa verba, Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: Vel, baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, verum perficiatur baptisma: quoniam cùm principalis causa, ex quo baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum. Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis

Ioan. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

necessitatis non solùm sacerdos vel diaconus, sed etiam laïcus vel mulier, imò etiam paganus & hæreticus, baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia. Hujus sacramenti effectus, est remissio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio: sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum & Dei visionem perveniunt.

Confirmatio. Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, qui odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est. *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ordinarius minister est Episcopus. Et cùm cæteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quòd per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat. *Cùm enim audissent*, inquit, *Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm venissent, oraverunt pro eis vt acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Loco autem illius manûs impositionis datur in Ecclesia Confirmatio. Legitur tamen aliquando, per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causa, simplicem sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis sacramentum. Effectus autem hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideóque in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem ejus, qui Judæis est scandalum, Gentibus autem stultitia, secundùm Apostolum, propter quod signo crucis signatur.

Act. 8.

1. Cor. 1.

Eucharistia. Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideò admiscetur, quoniam juxta testimonia sanctorum Patrum ac Doctorum Ecclesiæ pridem in disputatione exhibita, creditur, ipsum Dominum in vino aquâ permixto hoc instituisse sacramentum. Deinde quia hoc convenit Dominicæ passionis repræsentationi. Inquit enim beatus Alexander Papa quintus à beato Petro: *In sacramentorum oblationibus, quæ intra Missarum solemnia Domino offeruntur, non debet in calicem Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque, id est, sanguis & aqua, ex latere Christi profluxisse legitur.* Tum etiam quia hoc convenit ad significandum hujus sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum. Aqua enim populum significat, secundùm illud Apoc. *Aquæ multæ populi multi.* Et Iulius Papa secundus post B. Sylvestrum, ait: *Calix dominicus juxta canonum præceptum, vino & aquâ permixtus, debet offerri: quia vidimus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi. Ergo cùm in calice vinum & aqua miscetur, Christo populus adunatur, & fidelium plebs ei in quem credit, copulatur & jungitur.* Cùm ergo tam sancta Romana Ecclesia à Beatissimis

In prima epist. & de consec. dist. 2.

Non invenitur in epistol. Iulij, sed de consec. dist. 2.

simis Apostolis Petro & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum, Græcorumque Ecclesiæ, in quibus omnis sanctitatis & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio nascentis Ecclesiæ sic servaverint, & modò servent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis regio ab hac universali & rationabili discrepet observantia. Decernimus igitur, ut etiam ipsi Armeni se cum universo orbe Christiano conforment, eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ (prout dictum est) admisceant vino. Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem convertuntur: ita tamen, quod totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini, sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ & vini consecrati, separatione factâ, totus est Christus. Hujus sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris ejus unitur: consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem, in quo (ut inquit Urbanus Papa) *gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.*

Quartum sacramentum, est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis, secundùm arbitrium sacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per orationem, jejunium, & eleemosynam. Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cùm dicit: *Ego te absolvo &c.* Minister hujus sacramenti est sacerdos, habens authoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Effectus hujus sacramenti, est absolutio à peccatis. *Pœnitentia.*

Quintum sacramentum est Extrema unctio, cujus materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum. Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis ungendus est, in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus sacramenti est hæc: *Per istam unctionem & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum, &c.* Et similiter in aliis membris. Minister hujus sacramenti est sacerdos. Effectus verò est mentis sanatio, & inquantum animæ expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento inquit B. Jacobus Apostolus: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.* *Extrema unctio.* *Iacob. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sextum sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem, Subdiaconatus verò per calicis vacui cum patena vacua superpositâ traditionem: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotij talis est: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* Et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano latè continetur. Ordinarius minister hujus sacramenti est Episcopus. Effectus, augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus Christi minister.

Matrimonium. Ephes. 5. Septimum est sacramentum Matrimonij, quod est signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ, secundùm Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Causa efficiens Matrimonij, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonij. Primum est proles suscipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonij, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi & Ecclesiæ. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cùm matrimonij vinculum legitimè contracti, perpetuum sit.

DISPUTA

DISPUTATIO PRIMA.

DE ESSENTIA SACRAMENTI.

Ad quæstionem 60. Divi Thomæ.

EXplicato Incarnationis Salvatoris nostri mysterio, de Sacramentis Ecclesiæ convenienti ordine disputat S. Thomas, sunt enim Sacramenta, *quædam divinæ incarnationis reliquiæ* (ut ipse ait in prologo libri quarti sententiarum ad Annibaldum) instrumenta divinæ gratiæ, quam ipse Christus passione suâ & morte nobis promeruit, & scaturigines aquæ illius spiritualis in vitam æternam salientis, vel fontes Salvatoris, ab Isaia Propheta prænuntiati, per quos aqua illa cælestis continuo fluxu in nos derivatur; vel denique septem columnæ, manu divinæ sapientiæ excisæ, quibus Christus suffultum esse voluit totius Ecclesiæ suæ ædificium. Unde præclarè ait Catechismus Romanus part. 2. titulo de Sacram. num. 31. *Totum Christianum ædificium firmissimo quidem lapidis angularis fundamento innititur: verùm nisi verbi prædicatione, & sacramentorum usu undique fulciatur, magnoperè verendum est, ne magna ex parte labefactatum concidat. Ut enim per sacramenta in vitam suscipimur: ita hoc veluti pabulo alimur, conservamur, augemur.*

Porrò S. Doctor quinque proponit discutienda de sacramentis in communi, in procœmio hujus quæstionis, & ea prosequitur per quinque quæstiones, nimirum illorum, essentiam, necessitatem effectus, causas, & numerum. Meritò autem præponit quæstionem *quid est*, quæstioni *an est*, sive de necessitate, quia vix potest explicari necessitas & existentia sacramentorum, nisi distinctè cognoscatur quid natura sacramenti significet; explicando autem significatum hujus nominis *sacramentum*, essentia sacramenti declaretur necesse est. Juxta ergo methodum S. Doctoris quidditatem sacramenti in hac disputatione suscipimus explicandam, dicturi de aliis in sequentibus, ordine proposito.

Sed antequam ulteriùs progrediamur, sciendum est, hoc nomen *sacramentum*, aliter apud Gentiles Latinos, aliter apud Jurisperitos, aliter apud sacros Scriptores, & demum aliter in usu Patrum, Conciliorum, & Theologorum usurpari. Apud priscos Latinos, sumebatur olim pro pecunia quam litigantes apud Summum Pontificem deponebant, ut qui causâ caderet, pro lite injustè suscepta, eâ pecuniâ mulctaretur, ut constat ex Varrone libro 4. de lingua Latina, & ex Cicerone oratione pro Milone. Apud Jurisperitos sacramentum dicitur quidquid jurisjurandi sacratione interpositâ geritur, ut patet L. 2. C. *Si adversùs venditionem*, ubi dicitur: *Sacramenta puberum sponte facta, inviolabiliter custodiantur.* In Scriptura verò Sacramentum frequentissimè accipitur pro occulto mentis secreto, seu mysterio; nam Tobiæ 12. ubi Græcè habetur: *Mysterium Regis abscondere bonum est*, in vulgata Latina sic legitur: *Sacramentum Regis abscondere bonum est*: Et ad Ephes. 1. ubi Græcè dicitur: *Ut notum faceret mysterium voluntatis suæ*, noster Interpres sic vertit: *Ut notum faceret Sacramentum voluntatis suæ.* Item 1. ad Timoth. 3. Mysterium incarnationis vocatur, *Magnum pietatis sacramentum.* Denique sumitur hæc vox *sacramentum* apud Patres, Concilia, & Theologos, pro ipso signo rei sacræ. Unde Augustinus lib. 10. de civit. Dei cap. 5. *Sacrificium visibile invisibilis sacrificij sacramentum, id est sacrum signum est.* Et de sacramento sic accepto agimus in præsenti, ejusque essentiam seu quidditatem investigamus, quæ cùm ex genere & differentia, sicut & quidditas cujuslibet alterius entis, componatur; ad perfectam ipsius intelligentiam sufficiet primò rationem ejus genericam, secundò differentiam ipsius essentialem explicare.

ARTICULUS PRIMUS.

An solùm in genere signi, vel etiam in genere causæ, sacramentum in communi debeat constitui?

VAriè in hujus difficultatis resolutione opinantur Theologi, omnes tamen sententias ad tres præcipuas revocari posse existimo. Prima docet sacramentum esse tantùm in genere signi, & non in genere causæ. Secunda è contra constituit illud solùm in genere causæ, & non in genere signi. Tertia ad utrumque genus illud pertinere existimat. Primam sententiam tenent Soto, Nuño, Cabrera, Aravius, Serra, Joannes à S. Thoma, & alij ex nostris Thomistis. Secundam defendit Stephanus Bauni tract. 1. quæst. 4. Tertiæ adhærent ex nostris Melchior Cano, relect. de sacram. & Martinez à Prado hic dubio 1. §. 3. & ex extraneis Cardinalis Delugo, disp. 1. sect. 2. concluf. 2. & Aversa hic sect. 3. plusquàm viginti Authores referens pro hac sententia.

Verùm, ut rectè observavit Martinez à Prado, horum Authorum dissensio nascitur ex æquivocatione terminorum, unde pro ejus resolutione, duo diligenter observanda sunt, ex quibus tota hujus difficultatis decisio pendet. Primum est, aliquid posse dici sacrum tripliciter, nempe formaliter, ut formam ipsam sanctitatis; significativè, quia est sanctitatis signum, & effectivè, quia est sanctitatis instrumentum: quod exemplo sani explicat S. Thomas hic art. 1. aliquid enim potest dici sanum, vel formaliter à sanitate quæ est in animali, vel effectivè, à virtute causandi aut conservandi sanitatem, quæ virtus est in medicina, vel in dieta; vel significativè, inquantùm est signum & indicium ipsius sanitatis, ut urina, vel pulsus. Secundum est, duplicem posse dari causam gratiæ, seu sanctitatis, unam strictam & rigorosam, qualis est sola causa efficiens

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciens physicè; aliam latè & impropriè sumptam, qualis est causa moraliter duntaxat operans. His præmissis, facilis erit solutio difficultatis propositæ. Unde fit.

§. I.

Difficultas proposita, triplici conclusione resolvitur.

1. DIco primo: Sacramentum esse in genere signi. Ita D. Thomas hîc art. 1. ubi hanc conclusionem non aliter probat, quam ex communi SS. Patrum & Theologorum usurpatione & consensu: cùm enim (ut suprà diximus) aliquid possit dici sacrum tribus modis, nempe formaliter, effectivè, & significativè; Theologi hanc ultimam acceptionem præcipuè attendunt, & sacramentum usurpant, prout signi sanctitatis habitudinem importat. Eodem modo accipitur & usurpatur à SS. Patribus, qui sæpè sacramenta appellant symbola & signa, ut Dionysius lib. de Ecclesiastica hierarchia cap. 2. dicens, *malis symbola ne contingere quidem permissum esse.* Ambrosius lib. 4. de sacramentis, Damascenus lib. 4. de fide cap. 12. & Augustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 5. ubi (ut suprà vidimus) hanc hujus nominis *Sacramentum* etymologiam adducit, *Sacramentum, id est sacrum signum.* Et Epist. 5. sic ait: *Longum est convenienter disputare de varietate signorum, quæ cùm ad res sacras pertinent, sacramenta appellantur.* Demum S. Bernardus serm. de Cœna Domini, docet sacramentum esse *sacrum signum.*

Hæc ratio D. Thomæ magis est conclusionis explicativa, quàm demonstrativa; quia ut ait Suarez in commentario primi articuli, significatio vocum ex usu tantùm probari potest, & quæstiones quæ sunt de quidditate vel essentiis rerum, nec tractari, nec expediri à nobis possunt, nisi vocum significatio ex communi modo loquendi supponatur.

2. Dico secundò: loquendo de causalitate strictè sumpta, pro causa physica & efficiente instrumentali, sacramentum ut sic, non est in genere causæ: benè tamen loquendo de causa latè, hoc est de causa efficiente moraliter, vel de causa formali sacrativa. Ita Martinez à Prado loco suprà citato.

3. Prima pars patet, Nam ratio generica debet reperiri in omnibus generis speciebus: Sed causare instrumentaliter physicè sanctitatem, non convenit omnibus sacramentis, nam sacramenta veteris legis erant vera sacramenta, & tamen gratiam non causabant physicè, sed duntaxat moraliter: Ergo loquendo de causalitate strictè sumpta, seu de causalitate physica instrumentali, sacramentum ut sic non est in genere causæ.

4. Secunda verò pars ratione oppositâ suadetur: Nam sacramenta veteris legis moraliter saltem & impropriè causabant gratiam: Ergo loquendo de causa sanctitatis latè & impropriè, illa convenit omnibus sacramentis, subindeque sacramentum ut sic, potest dici esse in genere causæ, loquendo de causa latè & impropriè. Antecedens verò constabit ex dicendis infrà, cùm agemus de causalitate sacramentorum, & breviter hîc suaderi potest. Sacramenta veteris legis erant signa & figuræ passionis Christi futuræ, cujus intuitu Deus gratiam in antiqua lege conferebat, ut communiter docent Theologi in Tractatu de Incarnatione, & nos ibidem ostendimus: Sed à ratione signi vis excitativa moraliter inseparabilis est: Ergo sacramenta veteris legis habebant vim moralem excitativam, quâ Deum movebant ad gratiam conferendam, licèt non continerent vim instrumentalem productivam gratiæ, sicut sacramenta novæ legis, ideóque vacua & egena elementa ab Apostolo appellantur: ut dicemus infrà, cùm de circumcisione agemus.

5. Addo cum Martinez à Prado, quod licèt loquendo de causalitate effectiva in communi, ut abstrahit à propria vel impropria, à physica vel morali, daretur illam omnibus sacramentis non convenire, loquendo tamen de causa formaliter sacrativa, certum est illam cuilibet sacramento competere, quia ut docet D. Thomas 1. 2. q. 101. art. 4. sacramenta consecrant suscipientem. Unde quæst. 102. art. 5. sic habet: *Sacramenta propriè dicuntur illa quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quandam consecrationem, per quam scilicet deputabantur quodammodo ad cultum Dei.* Et in hoc sensu docet in 4. sent. distinct. 1. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. *Sacramentum importare sanctitatem activè.* Quod loquendo de causalitate effectiva propria, non semper est verum, loquendo tamen de causa latè, pro causa formaliter sacrativa, de omnibus verificatur, ut notat idem S. Doctor hîc art. 1. ad 1.

6. Confirmatur. Idem Doctor Angelicus loco citato ex primo libro sententiarum quæstiunc. 3. approbat hanc definitionem sacramenti traditam à Magistro sententiarum, *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ut imaginem gerat, & causa existat.* Et quæstiunc. 5. hanc etiam refert & probat Hugonis Victorini definitionem: *Sacramentum est corporale, vel materiale elementum, extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans, & ex similitudine repræsentans, & ex sanctificatione invisibilem gratiam continens.* Et ibidem quæstiunc. 3. ad 5. sic ait: *Sacramentum simpliciter est quod causat sanctitatem, quod autem significat tantùm, non est Sacramentum nisi secundùm quid, & ideò esse causam ponitur in definitione sacramenti.* Censet ergo S. Doctor, aliquam causalitatem vel efficientem moralem, vel formalem sacrativam, esse de ratione sacramenti, subindeque illud non solùm in genere signi, sed etiam in genere causæ collocari debere. Idem docet Catechismus Concilii Tridentini part. 2. cap. 10. his verbis: *Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & justitiæ, tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.*

7. Dico tertiò: quamvis sacramentum sit simul in genere signi & causæ, meliùs tamen & convenientiùs dicitur esse in genere signi, quàm in genere causæ.

Hæc conclusio sequitur ex dictis in præcedentibus: Licèt enim ratio signi, & ratio causæ, sacramento in communi conveniat, ratio tamen signi est prior, & convenit omnibus sacramentis cum proprietate & rigore; ratio verò causæ est posterior, saltem per rationem, & in rigore non convenit omnibus sacramentis, sed impropriè tantùm & largè accepta, ut præcedenti conclusione declaravimus: Ergo sacramentum meliùs & convenientiùs in genere signi, quàm in genere causæ esse dicitur, & ideò D. Thom. hîc art. 1. simpliciter & absolutè asserit sacramentum poni in genere signi, quamvis in 4. sent. dist. 1. quæst. 1. art. 1. ipsum in genere causæ & signi simul collocari docuisset, ut patet ex testimoniis supra adductis.

§. II.

§. II.

Solvuntur objectiones.

8. OBjicies primò contra primam conclusionem: Si Sacramentum in communi, esset formaliter in genere signi, vel naturalis, vel ad placitum? Non naturalis, quandoquidem ea quibus constat, non significant naturaliter gratiam sanctificantem. Neque instrumentalis, sive ad placitum, alias cùm signum ad placitum, formaliter sumptum, sit ens rationis, ut docent communiter Thomistæ, Sacramentum dici posset ens rationis, quod tamen videtur absurdum.

9. Respondet Augustinus Bernal. disp. 1. de Sacramentis sect. 1. n. 50. Sacramentum pro formali non esse signum sanctitatis ad placitum, sed naturale: Sacramentum enim (inquit) pro formali dicit rationem signi, pro formali: signum verò pro formali, non est signum ad placitum, sed naturale; quia signum pro formali dicit formam repræsentativam, quæ est impositio Reipublicæ, quæ ex se & intrinsecè repræsentat naturaliter.

10. Verùm hæc responsio merum ac mirum paradoxum est, hactenus in Scholis inauditum, & in terminis implicatorium: nam (ut rectè observavit Martinez à Prado) dicere signum ad placitum constitui per formam naturaliter repræsentantem, idem est ac asserere, quod forma lucidi, ut lucidum est, sunt tenebræ; & quod forma albi est nigredo, & calidi frigus. Addo quod Sacramenta sunt signa sensibilia gratiæ: Sed nulla res sensibilis ex natura sua significat gratiam, siquidem est forma supernaturalis: Ergo necesse est quod hæc significatio ipsi ex beneplacito & libera Dei institutione superveniat, ut tandem ille Author num. 53. fateri cogitur.

11. Respondet secundò Suarez, negando signum ad placitum, in cujus genere sacramentum in communi collocatur, esse ens rationis, sive constitui formaliter per relationem rationis, existimat enim illud constitui formaliter per denominationem extrinsecam, petitam ab actu voluntatis, quo ad significandum deputatur, quæ denominatio est realis.

12. Sed hæc responsio meritò ab omnibus Thomistis rejicitur, cùm enim signum ad placitum debeat formaliter constitui per respectum proportionaliter similem rationi per quam signum naturale constituitur formaliter; sicut ratio constitutiva signi naturalis, est relatio transcendentalis ad rem significatam: ita similiter id per quod signum ad placitum formaliter constituitur, non debet esse denominatio extrinseca, sed relatio, non realis, sed rationis, ad rem quam significat, fundata tamen in illa denominatione extrinseca, quâ redditur impositum, seu destinatum ad significandum.

13. Hac ergo responsione relictâ, ut aliam & legitimam ex principiis communis doctrinæ Thomistarum deducamus, recolendum est ex Dialectica, non esse idem illud per quod concretum accidentale constituitur formaliter, & illud pro quo supponit; constituitur enim formaliter per formam accidentalem, & tamen supponit pro materiali sive subjecto talis formæ, quia præcipuum quod in ipso reperitur, non est formale, sed materiale; ex quo fit id per quod formaliter constituitur tale concretum, non prædicari absolutè de ipso, benè tamen illud quod importat de materiali; non enim verum est absolutè dicere, album est accidens, cathedra est figura, benè tamen album est substantia, cathedra est lignum. Quia ergo signa ad placitum, proindeque sacramenta, sunt concreta accidentalia importantia pro formali significationem, quæ, ut diximus, est relatio rationis ad rem significatam, pro materiali verò aliquid reale & positivum, non est verum dicere absolutè, signum ad placitum vel sacramentum est ens rationis; imò è contra, juxta regulam assignatam, est absolutè dicendum, sacramentum est ens reale, quia materiale pro quo supponit, est ens reale. Dixi tamen, *absolutè*, quia cum addito verum est dicere, Sacramentum est ens rationis, addendo scilicet, de formali. Ad argumentum ergo respondeo distinguendo sequelam: si signum, in cujus genere collocatur Sacramentum, esset signum ad placitum, Sacramentum dici posset ens rationis, absolutè, nego: cum addito, scilicet de formali, concedo, & nego id esse absurdum.

Instabis: Si Sacramentum esset ens rationis formaliter & essentialiter, non esset nisi dependenter ab operatione intellectûs: Sed hoc nequit dici, Sacramenta enim sunt permanenter in Ecclesia, suppositâ Christi institutione: Ergo, &c. Major probatur, quia totum esse entis rationis est objici intellectui.

Respondent aliqui esse quædam entia rationis quæ sunt actu, hoc ipso quod ponitur fundamentum ipsorum & terminus; & in hoc genere esse significationis relationem, per quam sacramenta constituuntur formaliter, sicque sacramenta esse permanenter in Ecclesia, independenter ab intellectu.

Sed contrà: Essentialis differentia inter ens reale & rationis in eo consistit, quòd illud habet esse independenter ab intellectûs apprehensione, istud verò ita dependet ab intellectu, sicut radius dependet ab actuali influxu Solis. Adde quod, per ens reale intelligitur illud omne quod non habet esse fictum: quod autem seclusâ intellectûs operatione ponitur in esse, non potest dici fictum, cùm fictio sit opus intellectûs. Unde hac responsione relictâ.

Dicendum, quod quia sacramentum supponit pro materiali, non verò pro formali, absolutè & sine addito verum est, sacramenta esse nullo cogitante intellectu: quod si fiat restrictio, & sit sermo de sacramentis quoad essentialem & formalem rationem, certum est illa non esse actu, seclusâ operatione intellectûs, sed solùm fundamentaliter proximè, suppositâ institutione. Verùntamen quia illud quod parùm distat ab esse, quasi censetur esse; hoc ipso quod ponitur proximum fundamentum relationis rationis, quia parùm distat ab esse, censetur quasi esse moraliter, & subjectum sive materiale ipsius, idem præstat ac si de facto eam haberet. Sic voces & scripturæ deserviunt ad cognitionem rerum ad quas repræsentandas sunt deputatæ, quamvis actu non habeant, sed solùm in fundamento proximo, actualem significationem, quæ consistit in relatione rationis ad rem significatam.

Objicies secundò contra secundam conclusionem: Idem non potest pertinere ad duo genera primò diversa: Sed genus signi & genus causæ sunt primò diversa, cùm signum ad placitum sit aliquid rationis, & virtus activa quâ aliquid potens ad causandum constituitur, sit qualitas, vel ad genus qualitatis reducatur: Ergo sacramentum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum non potest simul esse in genere signi & in genere causæ.

18. Respondeo primò distinguendo Minorem: genus signi, & genus causæ physicæ, sunt primò diversa, concedo Minorem. Genus signi & genus causæ moralis, nego Minorem; nam ut suprà dicebamus, cùm vis moraliter & extrinsecè excitativa à ratione signi inseparabilis sit, signum ad rationem causæ moraliter excitantis reducitur. Unde hoc argumentum solùm probat sacramentum non posse simul in genere signi & causæ physicæ collocari, non tamen convincit illud non posse simul ad genus signi & causæ moralis, sive abstrahentis à morali & physica, pertinere.

19. Respondeo secundò, quod quamvis totum physicum & naturale non possit ad diversa genera non subalternatim posita pertinere, benè tamen totum morale & artificiale, quale est sacramentum, nam in totis moralibus & artificialibus concurrunt res diversorum generum, quæ tamen faciunt unum per se, quia se habent ordine quodam.

20. Objicies tertiò contra tertiam conclusionem: Illud magis pertinet ad quidditatem & rationem genericam sacramenti, quod est in eo perfectius: Sed esse causam gratiæ est quid perfectius quàm esse signum illius: Ergo esse causam gratiæ est potiùs de essentia & ratione generica sacramenti, quàm esse signum illius, subindeque melius & convenientius ponitur sacramentum in genere causæ, quàm in genere signi.

21. Respondeo primò negando Majorem, in justo enim gratia est id quod perfectius est, cùm nulla res creata eam in perfectione adæquare possit, & tamen non constituitur essentialiter per gratiam, cùm sit ejus accidens.

Respondeo secundò, quod licèt causare sit perfectius materialiter in sacramento, quàm significare, tamen significare est formaliter quid nobilius, quia perfectio & nobilitas medij formaliter, desumitur ex perfectione finis per se primò intenti: finis autem primò & immediatè ad sacramentorum significationem intentus, est nobilior fine intento ad causalitatem, nam causalitas, cùm sit medicativa, per se primò & immediatè tendit ad salutem nostram, significatio verò ad honorem & reverentiam Dei.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

22. EX dictis inferes primò: Sacramentum ut sic rectè dici posse signum practicum gratiæ, si ly *practicum* denotet causalitatem impropriam & imperfectam, atque abstrahentem à causalitate physica & morali: secùs verò si per ly *practicum*, vera & propria causalitas, seu efficientia physica intelligatur. Patet hoc corollarium ex dictis conclusione 2. ibi enim ostendimus, omnibus sacramentis, etiam veteris legis, causalitatem quandam, impropriam saltem & metaphoricam, competere, quamvis si de causalitate stricta & rigorosa loquamur, seu de vera & reali efficientia, sola novæ legis sacramenta sint in genere causæ: unde cùm ratio signi practici ex causalitate desumatur, idem cum proportione de illa dicendum est.

23. Inferes secundò: quod si rationem formalem adæquatam Sacramenti consideremus, Sacramenta veteris & novæ legis analogicè tantùm in ratione sacramenti conveniunt: si verò ejus rationem formalem inadæquatam attendamus, possunt aliqualiter in ratione sacramenti univocari.

Prima pars ex suprà dictis colligitur, Nam rationem formalem sacramenti in ratione signi & in ratione causæ adæquatè consistere, conclusione 2. ostendimus: Sed in ratione causæ sacramenta veteris & novæ legis analogantur, cùm sacramenta vetera impropriè duntaxat & metaphoricè causarent gratiam & animæ sanctitatem; sacramenta verò novæ legis verâ, propriâ, & reali ac physica efficientiâ illam attingant, ut infra ostendemus: Ergo sacramenta veteris & novæ legis analogicè tantùm conveniunt in ratione formali sacramenti, completè & adæquatè sumpta. Unde D. Thomas in 4. distinct. 1. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 5. *Sacramentum non dividitur per sacramenta veteris & novæ legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes.* *Disp. 3. art. 2.*

Secunda verò pars suadetur: Ratio sacramenti inadæquatè sumpta in significatione gratiæ consistit: Sed in ratione signi gratiæ sacramenta veteris & novæ legis univocantur; quamvis enim sacramenta novæ legis perfectiori modo significent gratiam, quàm sacramenta legis veteris, hæc tamen inæqualitas, quia se tenet ex parte differentiæ, non tollit univocationem; sicut à simili illam non impedit inæqualitas sub qua homo & equus rationem animalis participant. Addo quod, sicut religio vetus & nova univocè conveniunt in ratione religionis; ita & sacramenta quæ talium religionum sunt symbola & veluti columnæ, ac exteriores protestationes, debent univocè, saltem ut sunt rei sacræ signa, convenire.

24. Dices, Nullus terminus potest univocè prædicari de figura & re figurata: Atqui sacramenta vetera erat figuræ nostrorum, juxta illud 1. ad Corinth. 10. *Omnia illis in figuris contingebant*: Ergo ratio sacramenti, etiam inadæquatè considerata, de illis univocè enuntiari non potest.

Respondeo distinguendo Majorem: si figura nihil habeat aliud significare, quàm rem illam significatam, ad quam subinde primariò & principaliter ordinetur, concedo. Si secundariò tantùm illam significet, & ad aliud primariò & principaliter significandum ordinetur, nego. Sic enim quando ad similitudinem unius imaginis repræsentantis Cæsarem, depingitur alia imago, quamvis ista secunda imago sit figura prioris, quia tamen secundariò tantùm ad illam repræsentandam ordinatur, primariò verò & principaliter repræsentat Cæsarem, dicitur univocè convenire cum priori imagine. Ita quia sacramenta vetera primariò & principaliter significabant gratiam, & non nisi secundariò sacramenta nostra, univocè cum nostris in ratione sacramenti inadæquatè sumpti conveniebant.

ARTICULUS II.

Cujus rei sacræ sacramentum sit signum?

EXplicatâ ratione genericâ sacramenti, investigamus ejus differentiam specificam, quæ in signo non aliunde quàm ex re significata desumitur, unde inquirimus cujus rei sacræ sacramentum sit signum?

In cujus difficultatis resolutione, relicto Hæreticorum

reticorum errore, qui censent sacramentum esse signum divinæ benevolentiæ, & prædestinationis, cujus falsitas ex eo manifestè constat, quòd non solùm prædestinati, sed etiam reprobi, vera suscipiunt sacramenta, ut patet in Juda, qui sacramentum Eucharistiæ in cœna Dominica suscepit, & postea laqueo se suspendit. Relicto, inquam, hoc errore, sunt quidam inter Catholicos qui existimant, ad rationem sacramenti non requiri esse signum rei sacræ perfectè sanctificantis, qualis est gratia, sed sufficere significare & causare imperfectam & legalem sanctificationem, quâ per sacramenta veteris legis homines sanctificabantur. Ita docent Melchior Cano 1. p. relectionis de sacramentis in genere, Bellarminus tomo 3. lib. 1. de sacramentis propositione 2. dicens: *Sacramenta veteris legis non ideo sacramenta sunt, quia significant gratiam justificantem, sed quia significant & efficiunt gratiam legalem.* Hos sequuntur Caspensis disp. 1. sect. 3. Aversa hic quæst. 60. sect. 2. & Philippus à S. Trinitate disp. 1. dubio 2. Alij verò asserunt, de ratione quidem sacramenti esse significare rem sacram perfectè sanctificantem, qualis est gratia, non tamen in actuali usu sacramenti conferendam suscipienti sacramentum, sed satis esse quod significet gratiam dandam aliquo tempore. Ita Soto, Suarez, Vasquez, & Martinez à Prado.

§. I.

Duplici conclusione difficultas proposita resolvitur.

DIco primò: de ratione sacramenti esse significare perfectam sanctitatem quæ est per gratiam.

25. Probatur primò authoritate D. Augustini 19. contra Faustum cap. 16. dicentis sacramentum esse donum temporale, significare verò donum æternum: nomine enim doni æterni nequit intelligi sanctitas solùm legalis utpotè temporalis. Item authoritate Concilij Tridentini approbantis sess. 13. cap. 3. dictum istud de sacramentis in communi: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma*, quod ex Magistro sententiarum in 4. dist. 1. sumptum est. Præterea ex D. Thoma hic art. 2. ad 3. asserente ea solùm esse sacramenta, quæ significant perfectionem sanctitatis humanæ, non verò quæ significant dispositionem ad illam.

26. Probatur secundò: Docent communiter Theologi non posse verum sacramentum institui nisi à solo Deo, vel ex speciali commissione ipsius; quia nimirum sacramentum debet esse signum gratiæ conferendæ, & solus Deus, sicut potest esse author gratiæ, ita & tale signum instituere: Atqui si ad rationem sacramenti sufficeret significatio cujuslibet sanctitatis imperfectæ, sicut potest Ecclesia, propriâ authoritate cæremonias instituere quæ conferant & significent hujusmodi sanctitatem, ita posset propriâ authoritate sacramenta instituere: Ergo ad rationem sacramenti non sufficit significatio sanctitatis imperfectæ, sed requiritur significatio sanctitatis perfectæ quæ est per gratiam.

27. Probatur tertiò: Ad rationem sacramenti ut sic, requiritur significatio illius sanctitatis quæ distinguit ipsum ab omnibus quæ non sunt sacramenta: Sed sanctitas legalis & imperfecta non distinguit sacramentum ab omnibus quæ non sunt sacramenta: Ergo ad rationem sacramenti ut sic, non sufficit significare sanctitatem imperfectam. Major constat, de ratione enim differentiæ essentialis sacramenti, quæ est significare rem sacram, est quod ipsum distinguat ab omnibus aliis quæ non sunt sacramenta. Minor verò probatur ex eo quod in lege veteri multæ erant cæremoniæ, quæ imperfectam & legalem sanctificationem causabant & significabant, ut colligitur ex illo ad Hebræos 9. *Solummodo in cibis, & potibus, & variis baptismatibus & justitiis carnis*; & tamen nemo dicet omnes illas cæremonias, ablutiones, & justitias carnis, fuisse sacramenta. Item in lege gratiæ prima tonsura est cæremonia sacra, per quam homo incipit dicari cultui divino, quæ proinde aliquam sanctitatem confert & significat, & tamen non est sacramentum. Aqua lustralis est etiam cæremonia sacra, aliquam homini cui applicatur conferens sanctitatem, inquantùm delet peccata venialia. Per signum crucis, & manuum impositionem, confertur cathecumenis, subindeque significatur aliqua sanctificatio imperfecta, & tamen neque aqua lustralis, neque signum crucis, neque illa manuum impositio, sunt sacramenta, sed solùm dicuntur sacramentalia: Ergo non quæcumque sanctitas, etiam homini intrinseca, multò minùs extrinseca, sed solùm sanctitas perfecta quæ habetur per gratiam, est discretiva sacramenti ut sic, ab omnibus quæ non sunt sacramenta.

Si dicas illa tria aliunde deficere à ratione sacramenti, ex eo nempe quod sint cæremoniæ, non à Deo, sed ab Ecclesia propriâ authoritate institutæ. Contra est quod in præcedenti probatione dicebamus, nempe quod si ad rationem sacramenti sufficeret significatio cujuslibet sanctitatis imperfectæ, sicut potest Ecclesia propriâ authoritate cæremonias instituere quæ conferant & significent hujusmodi sanctitatem, ita posset propriâ authoritate sacramenta instituere, & idem cum proportione dicendum est de Synagoga.

28. Denique suaderi potest conclusio: Sacramenta novæ & veteris legis ejusdem rationis sunt, & univocè conveniunt in ratione signi rei sacræ, ut articulo præcedenti ostensum est: At hoc falsum esset si ad ista sufficeret significare sanctitatem legalem & imperfectam, & non ad nostra: Ergo, &c. Sequela Minoris patet, sanctitas enim legalis æquivocè, vel ad summum analogicè, dicitur sanctitas, comparata ad sanctitatem perfectam, quæ per gratiam justificantem confertur: sanctitas enim perfecta, in immunitate à peccato, & rectitudine voluntatis consistit; sanctitas verò legalis, non reddebat hominem verè & intrinsecè sanctum, seu purum à peccato, sed tantùm constituebat talem, ut alij possent licitè & sine legis transgressione conversari cum eo. Unde in veteri lege mulier alienigena, seu non ex semine Israël progenita; quantumvis ex se sancta & recta coram Deo, erat tamen immunda legaliter, quia non licebat per legem viro Israëlitæ eam uxorem habere: contra verò mulier Judæa origine, licèt in se fuisset peccato inquinata, erat legaliter sancta, quia licebat viro Judæo eam ducere in uxorem. Ex quo fiebat, quod si aliquando Israëlitæ ducerent in uxores alienigenas, filij ex talibus conjugiis orti, erant immundi immunditiâ legali, quantumvis fortè fuissent à peccatis propriis expiati, & in se puri & sancti, quia non licebat parentibus Judæis eos retinere, sed jubebantur lege eos rejicere, & à se separare, ut colligitur ex libro 1. Esdræ cap. 10. ubi jubentur

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur Judæi è captivitate Babylonica reversi, amovere à se omnes mulieres alienigenas, & filios quos ex eis susceperant, ut legaliter immundos. Similiter sacerdos, qui etiam nullâ suâ culpâ inciderat in cadaver, & illud tetigerat, fiebat immundus legaliter, quamvis maneret intrinsecè sanctus coram Deo, quia nimirum non licebat cum eo communicare, donec purificatus esset legaliter. Item mulieres, etsi in partu non peccassent, post partum manebant immundæ per quadraginta vel per octoginta dies, quia ipsis non licebat adire templum. Quare Apostolus ad Hebræos 9. sanctitatem legalem vocat *emundationem carnis*, quia est externa, & sanctitatem animæ, quæ est per gratiam, *emundationem conscientiæ*, quia est sanctitas interior, ut ibidem lect. 3. & 1. 2. qu. 102. art. 5. ad 4. & qu. 103. art. 2. observat S. Thomas: Ergo si sacramenta veteris legis sanctitatem duntaxat legalem significabant & conferebant, non poterant univocè convenire in ratione signi rei sacræ cum sacramentis novæ legis, quæ perfectam animæ sanctitatem tribuunt.

Dico secundò: de ratione sacramenti est significare perfectam sanctitatem, in actuali usu & susceptione sacramenti conferendam.

29. Probatur primò ex D. Thoma hìc art. 2. docente quod *sacramentum est signum rei sacræ, inquantùm est sanctificans homines*, nempe suscipientes sacramentum, ut colligitur ex solut. ad 2. Ergo censet de ratione sacramenti esse quod significet perfectam sanctitatem in actuali usu & susceptione sacramenti suscipienti conferendam. Unde in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. docet serpentem æneum à Moyse in deserto jussu Dei elevatum, non fuisse sacramentum, & rationem assignat dicens: *Quamvis serpens æneus esset signum rei sacræ sacrantis, non tamen inquantum sacrans est actu: quia non ad hoc adhibebatur, ut aliquis sanctificationis effectus percideretur.*

30. Probatur secundò ratione quam adducit Serra hìc art. 2. dubio unico: Si ad rationem sacramenti sufficeret significare gratiam, non quæ confertur in ejus usu, sed quæ conferenda erat per passionem Christi in lege Evangelica, sequeretur omnia sacrificia legis veteris fuisse sacramenta, significabant enim gratiam dandam per Christum & ejus passionem in lege Evangelica, ut docet D. Augustinus lib. 5. contra Julian. cap. 9. Sed hoc falsum est, ut colligitur ex D. Thoma 1. 2. qu. 101. art. 4. ad 2. Ergo de ratione sacramenti est significare perfectam sanctitatem in actuali usu datam suscipienti sacramentum. Idem argumentum fieri potest de cæremoniis omnibus legis Mosaïcæ, omnes enim significabant Christum, & gratiam per eum dandam, tanquam umbræ futurorum. Idem dicendum de matrimonio, tam in lege naturæ, quàm Mosaïca, significabat enim conjunctionem Christi cum Ecclesia, & consequenter gratiam per Christum dandam, & tamen non erat sacramentum propriè dictum: Ergo ad rationem sacramenti non sufficit significare gratiam de futuro conferendam, sed requiritur quod illam ut datam in actuali usu suscipienti sacramentum significet.

31. Probatur tertiò: De ratione sacramenti est quod sit signum practicum gratiæ, ut articulo præcedenti ostensum est: Sed non posset dici propriè signum practicum gratiæ, si eam non significaret ut dandam in actuali usu suscipienti sacramentum: Ergo illam ut sic dandam significat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

32. Objicies primò contra primam conclusionem: Ad rationem sacramentorum veteris legis sufficiebat sanctitatem legalem, atque adeò imperfectam, significare: Ergo & ad rationem sacramenti ut sic. Consequentia est legitima, sacramenta enim legis antiquæ fuerunt vera sacramenta: illud autem quod sufficit ad rationem sacramenti veri in specie, est etiam sufficiens ad sacramentum in genere. Antecedens verò probatur: Ad rationem sacramenti sufficit significare illam sanctitatem, quæ est propria statui in quo datur: Atqui sanctitas propria statui legis Mosaïcæ, erat solùm legalis, carnea, & quasi umbra veræ sanctificationis, quæ fit per gratiam: Ergo ad rationem sacramentorum veteris legis, sufficiebat sanctitatem legalem significare.

33. Confirmatur: De ratione sacramenti, cùm sit signum practicum, solùm est significare illam sanctitatem quam conferre potest: Sed sacramenta veteris legis perfectam sanctitatem quæ est per gratiam conferre non poterant, hoc enim est proprium sacramentorum novæ legis: Ergo eam non significabant, sed tantùm sanctitatem legalem & imperfectam.

34. Ad objectionem respondeo negando Antecedens, & ad ejus probationem, distinguo Majorem. Ad rationem sacramenti sufficit significare illam sanctitatem quæ est propria statui pro quo datur, si talis sanctitas non ordinetur tanquam dispositio ad aliam majorem sanctitatem, etiam in illo statu acquirendam, sed sit sanctitas finalis illius statûs, concedo Majorem. Si ordinetur tanquam dispositio ad aliam sanctitatem magis perfectam, pertinentem etiam ad illum statum tanquam finem; licèt non ei proprium, nec ex vi ipsius acquirendum, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: sanctitas legalis erat statui legis Mosaïcæ propria, & non ordinata ad sanctitatem magis perfectam, qualis est interna per gratiam, nego Minorem. Et ordinata ad sanctitatem magis perfectam, tanquam disponens ad ipsam, concedo Minorem, & nego Consequentiam, nam ut hìc art. 2. ad 3. dicit D. Thomas: *Res denominatur à fine & complemento*, ac proinde signum rei sactæ, seu sacramentum legis antiquæ, à sanctitate quæ est finis & complementum ipsius, non verò ab ea præcisè quæ est dispositio ad ipsam.

35. Ad confirmationem nego Majorem: Ad rationem enim signi practici gratiæ sufficit quod significet perfectam sanctitatem quam virtute propriâ confert, aut quæ in actuali ejus usu confertur: licèt autem sacramenta veteris legis non haberent vim physicè productivam gratiæ, sicut sacramenta novæ legis, tamen Deum moraliter movebant & excitabant ad eam dandam ritè ea suscipientibus, subindeque in actuali eorum usu gratia conferebatur; atque adeò erant signa practica gratiæ, & perfectæ sanctitatis.

36. Contra secundam conclusionem objicitur primò: Concilium Florentinum, in Decreto unionis definit sacramenta veteris legis non causasse gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurasse: in quo decreto notanda est particula *solùm*, quæ videtur designare nullam aliam gratiam per illa sacramenta fuisse significatam, nisi eam quæ per Christi passionem in statu legis Evangelicæ conferenda erat: Ergo non est de ratione sacramenti ut sic, significare gratiam ut præsentem.

37. Secundò, D. Thomas in præsenti art. 2. ad 1. asserit sanctitatem in sacramentis significari per modum causæ formalis, vel finalis: ex quo sequitur non esse necessarium in sacramento sanctitatem significari per modum causæ formalis, sed sufficere quod significetur per modum causæ finalis: At gratia quæ in actuali usu sacramenti confertur, significatur per modum causæ formalis, utpotè cùm actu & formaliter sanctificet: Ergo in doctrina D. Thomæ, non est de ratione intrinseca sacramenti absolutè sumpti, significare gratiam quæ in ipso detur, sed sufficit quod significet gratiam aliquo tempore dandam.

38. Tertiò, in resp. ad 2. ex eo probat immolationem agni paschalis fuisse sacramentum, quia significabat immolationem Christi, quâ (inquit) sanctificati sumus: Sed sanctitas illa quâ sanctificati sumus, non erat illa quâ sanctificabantur Judæi in usu actuali talis sacramenti: Ergo, &c.

39. Quartò, Gratia interdum non confertur in ipso actuali usu & receptione sacramenti, ut patet in adulto, qui fictè, hoc est cum affectu ad peccatum mortale, recipit sacramentum baptismatis, habens tamen intentionem ipsum verè recipiendi: Ergo non est de ratione intrinseca sacramenti, significare gratiam, in ipso actuali usu ipsius recipiendam.

40. Respond. ad primum, per gratiam dandam virtute passionis Christi, intellexisse Concilium, gratiam dandam tunc in ipso actuali usu sacramenti legis veteris, non verò gratiam dandam solùm post passionem Christi; particula enim *solùm*, non excludit præsentiam ipsius gratiæ, sed solùm vim effectivam ipsius à sacramentis legis veteris.

41. Ad secundum respondeo sensum verborum D. Thomæ esse quod sanctitas significetur in sacramentis, vel per modum causæ formalis in ordine ad illum qui sacramentum suscipit, vel per modum causæ finalis, in ordine ad legem antiquam, respectu cujus gratia est finis, unde objectio solùm concludit sufficere ad rationem sacramenti, quòd significet sanctitatem in genere causæ finalis, si consideretur præcisè per ordinem ad legem, sed cum hoc stat, quòd si simul per ordinem ad alium (scilicet ad illum qui recipit sacramentum) attendatur, debeat significare eandem sanctitatem in genere causæ formalis, atque adeò ut præsentem.

42. Ad tertium dicendum illa verba D. Thomæ, *quâ sanctificati sumus*, esse referenda non solùm ad nos qui post Christi passionem nati sumus, sed etiam ad alios omnes homines qui adventum Christi præcesserunt, quia illi etiam virtute immolationis, seu passionis Christi futuræ, sanctificati sunt.

43. Ad quartum respondeo, quod cùm dicimus de ratione sacramenti esse quod significet gratiam in actuali susceptione ejus conferendam, hoc debet intelligi solùm per se loquendo, & quando suscipiens sacramentum, est in actuali usu ipsius sufficienter dispositus ex parte sua ad perfectam animæ suæ sanctificationem; fatemur enim quod si ratione indispositionis gratiam non recipiat, sacramentum illam non significat ut præsentem, sed hoc per accidens se habet, & ex defectu subjecti, non verò ipsius sacramenti, sive significationis ejus; sicut per accidens se habet ad nostra sacramenta, quod interdum ob eundem defectum non causent gratiam in suo subjecto, quam ex se valent producere.

§. III.

Corollarium notatu dignum.

44. Ex dictis intelliges, sacramentum sic rectè definiri: *Sacramentum est signum ad placitum rei sacræ, perfectè sanctificantis homines*: nomine *rei sacræ* intelligendo gratiam habitualem, ut collatam in actuali usu sacramenti: nomine verò *signi* intelligendo signum à Deo in Ecclesia permanenter institutum: cùm enim sacramenta sint signa quibus in unum nomen religionis colligantur homines, sicut religio stabilis est & permanens, ita & illa signa stabilia esse debent. Unde Exodi 12. & alibi sæpè, sacramenta veteris legis dicuntur ritu perpetuo servanda, & 1. ad Corinth. 11. ritum illum quo mortem Domini in Eucharistia commemoramus, usque ad diem judicij duraturum asserit Apostolus. Addo probabilem esse opinionem multorum asserentium quod quando Christus Joan. 20. insufflavit in Apostolos, dicens eis, *Accipite Spiritum Sanctum*, hæc cæremonia sensibilis fuit instrumentum quo Apostoli acceperunt gratiam, & Spiritum Sanctum. Idem putant aliqui dicendum de cæremonia illa quâ Christus lavit pedes Discipulorum, nempe quod per eam sanctificavit Apostolos; & tamen cæremonias illas sensibiles quæ Apostolos sanctificaverunt, non fuisse novæ legis sacramenta, certum & indubitatum est apud omnes; alioquin dicendum esset Christum instituisse non tantùm septem, sed octo vel novem sacramenta novæ legis, quod nemo dixerit. Cùm ergo cæremoniis illis & signis sensibilibus gratiæ, & perfectæ sanctitatis, hoc tantùm defuerit, quod à Christo, ut permanerent in Ecclesia instituta non sunt, dicendum est ut aliquid verum sacramentum dicatur, requiri quod sit stabiliter & permanenter in Ecclesia institutum, ut scilicet sacramenta sint conformia religioni, quæ & permanens est.

Ex quo facilè intelliges, cur hæc Christi verba ad Magdalenam, *Remittuntur tibi peccata tua*, non fuerint verum sacramentum, quia nempe licèt significarent gratiam actu collatam Magdalenæ, non erant tamen aliquid permanenter institutum à Christo, ad hoc significandum in Ecclesia fidelium.

Articulus III.

An sacramentum sit signum unius rei tantùm?

45. Dico primò: Sacramentum ut sic significare tria, scilicet passionem Christi, gratiam, & gloriam. Ita D. Thomas hìc art. 3.

Probatur ejus ratione: Sacramentum est essentialiter signum gratiæ sanctificantis homines: Ergo etiam passionis Christi, & gloriæ. Consequentia patet, nam gratia sanctificans dicit habitudinem ad passionem Christi, tanquam ad causam efficientem physicè, vel moraliter, & ad gloriam tanquam ad finem: Ergo hoc ipso quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacramentum significat gratiam, significat etiam A
passionem Christi, & gloriam.

46. Confirmatur: Sacramentum non significat utcumque gratiam, sed ut medicinalem, & sanativam: gratia autem, ut talis, respicit passionem Christi tanquam causam efficientem, & gloriam tanquam finem, quia omne naturæ lapsæ remedium est ex passione Christi, & in vitam æternam ut in finem ordinatur, eò quòd vulnus naturæ confistat præcipuè in carentia mediorum ad eam ordinantium.

47. Ex quibus intelliges, verum esse quod ait D. Thomas in fine corporis ejusdem articuli, nimirum sacramenta novæ legis esse signa rememorativa, demonstrativa, & prognostica: B
rememorativa ejus quod præcessit, scilicet passionis Christi, demonstrativa ejus quod in nobis efficitur per passionem Christi, scilicet gratiæ: prognostica verò illius quod in futurum expectatur, scilicet gloriæ, ut idem S. Doctor de sacramento Eucharistiæ asserit in officio quod de illo jussu Urbani IV. edidit, his verbis: *O sacrum convivium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Et in hoc differunt sacramenta novæ legis à sacramentis legis antiquæ, ista enim erant tantùm demonstrativa & prognostica, non verò rememorativa; significabant enim gratiam, quæ ad præsentiam ipsorum conferebatur per passionem C
Christi nondum existentem, sed futuram, subindeque erant prognostica nedum gloriæ, ut sacramenta novæ legis, sed etiam ipsius passionis Christi.

Hæc sunt certa & indubitata apud omnes, sed est difficultas & controversia inter Theologos, an sit de essentia sacramenti hæc tria significare, aliis partem affirmativam, aliis negativam tenentibus, sed breviter respondeo, &

Dico secundò: Licèt non sit de intrinseca ratione sacramenti ut sic, prout abstrahit à sacramentis existentibus & possibilibus, hæc tria significare, intrinsecè tamen id convenire sacramentis jam institutis.

Prima pars probatur primò ex D. Thoma hîc D
48. articulo 3. ad 3. dicente: *Sufficit ad rationem sacramenti quod significet perfectionem quæ est forma*, quam in corpore articuli gratiam esse dixerat.

Secundò, Sicut Deus potest absolutè conferre gratiam non ex meritis Christi, ita posset absolutè instituere sacramenta, quæ solùm significarent gratiam dandam in usu ipsorum immediatè ab illo, absque ordine ad passionem Christi: Ergo non est de intrinseca ratione sacramenti, hæc tria, nimirum passionem Christi, gratiam, & gloriam significare.

49. Quod verò sacramentis jam à Deo institutis, id intrinsecè conveniat, patet ratione quam su- E
prà adduximus: Sacramenta enim à Deo in lege veteri aut nova instituta, non significant utcumque gratiam, sed ut medicinalem & sanativam: Atqui gratia ut talis respicit passionem Christi ut causam efficientem, & gloriam ut finem & consummationem: Ergo de ratione sacramenti est significare hæc tria, nimirum passionem Christi, gratiam, & gloriam.

50. Confirmatur: De ratione sacramenti à Deo instituti est significare gratiam eo modo quo confertur: Sed confertur per meritum passionis Christi, & in ordine ad gloriam: Ergo de ratione sacramenti à Deo instituti est significare passionem Christi, gratiam, & gloriam.

Confirmatur ampliùs: Distinctio essentialis 51.
sacramentorum veteris & novæ legis, desumitur ex eo quod est essentiale eorum significationi: Sed sacramenta veteris & novæ legis distinguuntur in eo quod illa significabant gratiam conferendam per merita Christi venturi, ista verò per merita Christi præsentis: Ergo est essentiale sacramentis à Deo institutis significare Christum merentem, ac proinde patientem.

Dices: Cùm sacramenta veteris legis januam 52.
regni cœlestis non aperirent, quia scilicet ante Christi mortem, nulli patebat ingressus in regnum cœlorum, non significabant gloriam ut futuram: ex sacramentis verò novæ legis, licèt aliqua significent Christi mortem; putà Baptismus & Eucharistia, non videtur tamen quomodo Pœnitentia, Ordo, & Matrimonium, eam repræsentent: Ergo non est de ratione intrinseca sacramentorum quæ in veteri aut nova lege instituta sunt, gratiam, passionem Christi, & vitam æternam simul significare.

Respondeo: Ex eo quod sacramenta legis 53.
antiquæ januam regni cœlestis non aperirent, solùm sequi quod non significabant gloriam virtute eorum futuram, sed tantùm virtute meritorum Christi venturi. Et certè quod agnus paschalis significaret præter passionem Christi, gratiam, & gloriam, manifestum ex eo est, quòd esset rememorativus liberationis populi Israëlitici ab Ægypto ut iret in terram promissionis: hæc enim duo significant gratiam liberantem à peccato, & adeptionem gloriæ, cujus terra promissionis erat figura. Item in circumcisione abscissio pelliculæ membri genitalis, significabat remissionem culpæ originalis, quæ per generationem traducitur, nec non circumcisionem laborum, futuram in gloria, & sanguis emissus in illa abscissione, passionem Christi Domini.

Quantùm verò ad sacramenta legis novæ, non 54.
solùm Baptismus & Eucharistia, sed etiam alia, gratiam sanctificantem, passionem Christi, & futuram gloriam repræsentant: etenim sacramenta quæ in oleo ministrantur, videlicet Confirmatio, & Extrema-Unctio, significant primò unctionem spiritualem quâ Christus Psal. 44. & ad Hebræos 11. dicitur unctus, quasi fortis athleta cum diabolo, & cum morte in cruce pugnaturus; secundò unctionem spiritualem animæ, quæ fit per gratiam; tertiò spiritualem gloriæ exultationem, eò quòd oleum in Scriptura gaudium significet, Matth. 6. *Cum jejunas unge caput tuum oleo*, & Psal. 103. *Vt exhilaret faciem in oleo.* Item in sacramento pœnitentiæ contritio significat dolores & tormenta quibus Christus attritus est propter scelera nostra; propositum vitam emendandi significat renovationem vitæ, quæ fit per gratiam; absolutio verò à peccatis, cùm fiat authoritate clavium, apertionem regni cœlestis designat, juxta illud Matth. 18. *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Præterea in sacramento Ordinis, cùm ordinatus ad participationem sacerdotij Christi assumatur, significatur tale sacerdotium, proindeque & sacrificium quo Christus ipse se in ara crucis Patri æterno obtulit. Rursus cùm tale sacramentum consecratione perficiatur, significat spiritualem consecrationem animæ, quæ fit mediâ gratiâ, imò & gloriam, quâ beati perfectè consecrantur, ut offerant

rant Deo hostias spirituales ipsi placentes, juxta A
illud Apocal. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes.* Denique in sacramento matrimonij significatur matrimonium Christi cum Ecclesia, nec non spiritualis animæ conjunctio cum eo, mediante gratiâ, & perpetuum vinculum quo Beati in patria Deo copulabuntur, juxta illud sponsæ Cantic. 3. *Tenui eum, nec dimittam.*

Dico tertiò: Sacramenta jam instituta, principaliùs significant gratiam, quàm passionem Christi, & gloriam. Ita communiter Thomistæ, excepto Nuño, qui existimat in sacramento Eucharistiæ principalius significatum esse Christum.

55. Probatur primò ex D. Thoma in 4. distinct. 1. B
quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 4. ubi de sacramentis novæ legis sic ait: *Item significant effectum sanctificationis quam faciunt, & hæc significatio est eis principalis:* Ergo juxta D. Thomam, sacramenta jam instituta principaliùs significant gratiam per quam sanctificamur, quàm passionem Christi, & gloriam.

56. Probatur secundò ratione: Sacramentum significat primariò id ad quod primariò significandum est institutum, & cujus est signum ostensivum, sive demonstrativum: Sed est per se primò institutum ad significandam gratiam cujus est demonstrativum: Ergo illam primariò & principaliter significat. Major patet, Minor probatur. C
Sacramentum est per se primò institutum ad significandam nostram sanctificationem, cùm ad illam ut ad finem principalem ordinetur: Sed causa formalis & intrinseca nostræ sanctificationis est gratia: Ergo sacramentum est per se primò institutum ad significandam gratiam.

57. Contra istam conclusionem objicitur primò: Cùm sacramentum institutum, gratiam, gloriam, & Christum significet, inquantùm sunt causæ nostræ sanctificationis, illa ex ipsis principaliùs significat, quæ sunt principaliores causæ: Sed gloria & Christus sunt principaliores causæ nostræ sanctificationis, quàm gratia; principaliores enim causæ sunt finalis & efficiens, quàm formalis: Ergo principalius significatum in sa- D
cramentis jam institutis, non est gratia, sed Christus, & gloria.

58. Secundò objicit Nuño specialiter de sacramento Eucharistiæ: Illud semper principaliùs significatur, quod expressiùs & formaliùs significatur: Sed in sacramento Eucharistiæ expressiùs & formaliùs significatur Christus, quàm gratia, ut constat ex verbis consecrationis, *Hoc est corpus meum:* Ergo in sacramento Eucharistiæ Christus principaliùs significatur.

59. Confirmatur primò: Sacramentum Eucharistiæ non consistit essentialiter, sicut alia, in usu ipsius sacramenti, sed in consecratione materiæ: Ergo ejus principale significatum non est gratia E
quæ in usu sacramenti confertur, sed corpus & sanguis Christi, quæ in materia consecrata permanent.

60. Confirmatur secundò: Forma sacramenti Eucharistiæ (inquit D. Thomas infrà quæst. 78. art. 5.) significat tantùm transubstantiationem: Sed principalius in transubstantiatione est corpus Christi: Ergo illud est principalius significatum in sacramento Eucharistiæ.

61. Ad primum respondeo distinguendo Majorem: illa principaliùs significat sacramentum, quæ sunt principaliores causæ nostræ sanctificationis, comparatæ in ordine & gradu dignitatis quem habent inter se, nego. Quæ sunt principaliores comparatæ ad nostram sanctificationem, concedo. Ea enim secundùm istum duntaxat ordinem significat sacramentum. Similiter distinguo Minorem: gloria & Christus sunt principaliores causæ nostræ sanctificationis, quàm gratia: comparatæ in ordine & gradu dignitatis quem habent inter se, concedo. Comparatæ in ordine ad nostram sanctificationem, nego. Immediatè enim ad eam concurrit gratia, & solùm ipsâ mediante, Christus, & gloria.

Ad secundum distinguo Majorem: illud prin- 62.
cipaliùs significatur, quod expressiùs & formaliùs significatur, inquantùm non dicens ordinem ad aliud, quod etiam significatur, concedo. Quod expressiùs & formaliùs significatur, solùm inquantùm dicens ordinem ad aliud, quod etiam expresè & formaliter significatur, nego: tunc enim illud aliud per ordinem ad quod significatur & exprimitur, est potiùs principale significatum. Similiter distinguo Minorem: in sacramento Eucharistiæ expressiùs & formaliùs significatur Christus, absolutè, nego. Ut dicens ordinem ad nostram sanctificationem, concedo. Verba enim consecrationis, ut forma Eucharistiæ, significant corpus Christi, non absolutè sumptum, sed per modum alimenti spiritualis, inquantùm scilicet potest per gratiam animam reficere, unde principaliùs gratiam ipsam significat.

Ad primam confirmationem respondeo quod 63.
licèt sacramentum Eucharistiæ non consistat in actuali usu, ac proinde non significet gratiam, ut actu sanctificantem, essentialiter tamen dicit ordinem ad usum, ac subinde gratiam, ut potentem per modum cibi spiritualis animam sanctificare, repræsentat.

Ad secundam confirmationem distinguo Mi- 64.
norem; principalius significatum in transubstantiatione absolutè sumpta, est corpus Christi, concedo. In transubstantiatione ut significata per modum alimenti spiritualis, potentis animam per gratiam reficere, nego Antecedens, D
& Consequentiam, sacramentum enim Eucharistiæ significat transubstantiationem isto secundo modo.

ARTICULUS IV.

Utrum sacramentum sit semper res aliqua sensibilis, & hoc sit illi ita essentiale, ut de potentia Dei absoluta, non possit institui sacramentum in aliqua re spirituali & insensibili?

DIco primò: sacramenta constare de facto 65.
rebus sensibilibus.

Conclusio est certa de fide, habetur enim in sacra Scriptura in qua narratur sacramentorum institutio, & res sensibiles ex quibus quodlibet illorum constat, referuntur, ut patebit cùm agemus de singulis in particulari. Habetur etiam in Conciliis, præcipuè Florentino & Tridentino in doctrina de sacramentis, & in Jure de consecr. dist. 2. Can. *Sacrificium*, ubi sacramentum dicitur, *Invisibilis gratiæ visibilis forma.* Et dist. 4. Can. *Multi*, ubi dicitur baptismum perfici per immersionem baptizandi. Denique D. Augustinus tract. 8. in Joan. loquens de baptismo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ait, *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.*

66. Variæ etiam afferri solent congruentiæ, quibus nostra conclusio suaderi potest. Prima & præcipua ea est quam adducit S. Thomas hîc art. 4. & quæ sumitur ex parte Divinæ Sapientiæ: nam Divina Sapientia unicuique rei providet secundùm suum modum, unde Sapient. 8. dicitur quod *suaviter disponit omnia*: est autem homini connaturale, ut per sensibilia deveniat in cognitionem intelligibilium: unde Dionysius de cœlesti hierarchia cap. 1. *Impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum*: Ergo cùm res sacræ quæ per sacramenta significantur, sint B quædam spiritualia & intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur, conveniens fuit ut per res aliquas sensibiles, sacramentorum significatio impleretur, & sic sacramenta rebus sensibilibus de facto constare debent. Quam rationem insinuant Nazianzenus oratione de baptismate, his verbis: *Medicamentum, partim corporale, partim spirituale aptissimè convenit in eos ægrotos, quorum natura corpore & spiritu continetur.* Et Chrysostomus homil. 26. in Matth. dicens: *Si tu incorporeus esses, nuda ipsa dona incorporea tradidisset tibi; quoniam vero corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.* Similia habet homil. 62.

Secunda petitur ex parte omnipotentiæ divinæ, quæ in hoc maximè elucet, quòd res sensibiles quæ fuerunt homini occasio spiritualis infirmitatis, factæ sint efficacia remedia salutis. C

Tertia ex parte divinæ justitiæ æquum enim erat, ut quia homo per superbiam noluit subjici summo Spiritui, per humilitatem subjiciatur rebus infimis & sensibilibus.

Quarta ex proportione ad Ecclesiam, quæ constat membris visibilibus, & capite (scilicet Christo) naturam sensibilem & humanam includente; & divinam, invisibilem & spiritualem: unde ut sacramenta, cum ea analogiam & similitudinem habeant, oportet ut cum virtute occultâ causandi gratiam, & significatione spi- D rituali gratiæ, rem corpoream & sensibilem includant.

Quinta denique ex fine sacramentorum, qui est multitudinem hominum in unam religionem adunare: hoc autem fieri non potest nisi per aliqua signa sensibilia, ut docet Augustinus 19. contra Faustum cap. 11. dicens: *In nullum religionis nomen homines coadunantur, nisi aliquo signaculorum aut sacramentorum visibilium consortio.*

67. Dices: Character baptismalis est res & sacramentum simul, & similiter corpus Christi sub speciebus Eucharisticis existens; pariterque interior contritio est pars sacramenti pœnitentiæ, & tamen hæc non sunt aliquid sensibile: Ergo ad sacramenta non requiruntur res sensibiles. E

Respondeo cum D. Thoma in 4. dist. 1. qu. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 3. quod *Character baptismalis, & corpus Christi verum, non dicuntur sacramenta, nisi secundùm quod conjunguntur signis sensibilibus.* Et hîc art. 4. ad 1. ait: *Effectus autem intelligibiles non habent quod possint ducere in cognitionem alterius, nisi inquantùm sunt per aliud manifestati, id est per aliqua sensibilia. Et per hunc etiam modum, quædam quæ non sunt sensibilia, dicuntur quodammodo sacramenta inquantùm sunt significata per aliqua sensibilia, de quibus infrà agemus:* nempe quæst. 63. art. 1. ad 2. ubi ait S. Doctor, quòd *character animæ impressus habet rationem signi, inquantùm per sensibile sacramentum exprimitur: per hoc enim scitur aliquis esse baptismali characterе insignitus, quod est ablutus aquâ sensibili.* Idemque de contritione docet infrà quæst. 84. art. 1. ad 3. & ad 1. notat quod *nomine corporalium rerum, intelliguntur largè etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ita se habent in pœnitentia, sicut aqua in baptismo, vel chrisma in confirmatione.* A

Dico secundò, potuisse à Deo institui sacramenta ex rebus insensibilibus. Est contra Cabreram, Nuño, Joannem à S. Thoma, Suarem, Bellarminum, Sayrum, Bernal, & alios Recentiores, existimantes sacramentum ita essentialiter exigere quod constet ex re sensibili, ut nec divinitùs sacramenta constare possint ex solis rebus & signis spiritualibus. Oppositum ex nostris docent Soto, Aravio, Serra, Martinez à Prado, & ex extraneis Henriquez, Vasquez, Cartagena, & alij, cum quibus

Probatur conclusio ratione à priori: Institutio 68.
sacramentorum est ad placitum ex sola libera voluntate Dei: Ergo sicut elevavit materiam sensibilem ut significaret & conferret gratiam, ita potuit elevare operationem internam, v. g. actum purè internum adorationis, ad significandam, C
imò & causandam gratiam; in quo casu actus ille haberet quidquid requiritur ad essentiam sacramenti, esset enim signum practicum, ad placitum Dei, gratiæ sanctificantis, in ipsius actuali exercitio conferendæ.

Confirmatur primò: Quamvis de facto Deus 69.
Angelis dederit gratiam absque signis & sacramentis, tamen non repugnat, de potentia absoluta, quod sicut hominibus dedit sacramenta eis proportionata, sub tegumento visibili, invisibilem gratiam significantia, & continentia; ita daret signa & causas instrumentales in actu exercito causantes in Angelis gratiam: Sed hujusmodi signis & causis nihil essentiale sacramenti deficeret, esset enim signa practica, & ex beneplacito seu institutione Dei, gratiæ sanctificantis, in actuali eorum exercitio conferendæ: Ergo potuerunt à Deo institui Sacramenta ex rebus insensibilibus.

Confirmatur secundò: Deus ad patranda mi- 70.
racula potest interiori motu hominis tanquam instrumento uti, juxta D. Thomam 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad 1. Ergo potest eandem operationem immanentem elevare ut instrumentaliter causet gratiam, eo genere causalitatis, quo nunc causant sacramenta: Sed accedente divinâ institutione, talis actus interior habebit omnia essentialiter requisita ad sacramentum; erit enim signum practicum, ad placitum Dei, gratiæ sanctificantis, in ipsius actuali exercitio conferendæ: Ergo nihil repugnat Deum instituere sacramenta ex rebus insensibilibus. Verum tamen est, quod talia sacramenta non essent ejusdem rationis cum iis quæ modò sunt, cùm ista sint signa sensibilia, & consequenter omnibus communia; illa verò essent insensibilia, subinde specialia solùm prædictum actum elicienti. Item non essent ita proportionata homini, qui non devenit in cognitionem spiritualium, nisi quasi manuductus per sensibilia.

Dices primò. Est de ratione signi quod sit sen- 71.
sibile,

sibile, ut patet ex hac definitione signi quam tradit D. Augustinus 2. de doctrina Christiana: *Signum est quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire:* Sed de ratione sacramenti est quod sit signum, cùm sit essentialiter in genere signi, ut art. 1. ostendimus: Ergo nequit dari sacramentum quod non sit sensibile.

Respondeo negando Majorem, nulla enim est repugnantia quòd dentur signa spiritualia instrumentalia, quamvis secundùm primævam vocis impositionem, *primò & principaliter dicantur signa quæ sensibus offeruntur*, ut ait S. Thomas hîc art. 4. ad 1. Unde ad Augustinum, dicendum, illum non definire signum in tota sua la- B
titudine, sed solùm prout complectitur omne signum ab homine institutum, illud enim debet esse sensibile: unde signum abstrahens à spirituali & sensibili quod posset institui, debet sic definiri: *signum est quod mediante, sive præsuppositâ sui notitia, in alterius cognitionem deducit:* sive prima illa cognitio pertineat ad sensum, sive ad intellectum.

72. Dices secundò: Non minùs est de intrinseca ratione sacramentorum, quòd constent rebus sensibilibus, quàm quòd sint signa ad placitum: Sed fieri nequit, etiam de potentia absoluta, quòd sacramenta sint signa naturalia gratiæ: Ergo etiam implicat dari sacramenta quæ non C
constent rebus sensibilibus.

Respondeo negando Majorem: cùm enim nulla creatura factibilis possit naturaliter causare gratiam, non potest etiam naturaliter eam significare, sed solùm ex institutione Dei virtutem productivam gratiæ ei tribuentis; unde implicat in terminis aliquid esse sacramentum, & esse signum naturale, nam ut ait S. Doctor hîc artic. 5. ad 2. *Res non ordinantur ad sanctificationem ex aliqua virtute sibi naturaliter indita, sed solum ex institutione divina.* At verò materia sacramenti assumitur ad libitum instituentis, unde sicut assumpsit materiam sensibilem, potuit assumere actus purè internos & spirituales. D

ARTICULUS V.

Utrum res sensibiles, quibus in sacramentis utimur, debeant esse determinatæ à Deo?

SEnsus hujus quæstionis quam D. Thomas hîc artic. 5. resolvit, est an sit positum in arbitrio cujuslibet, vel saltem Ecclesiæ, assumere res quascumque in sacramenta, an verò sit necesse uti certâ materiâ ad unumquodque, eaque debeat esse à Deo determinata? Pro reso- E
lutione

73. Dico breviter, in sacramentis novæ legis utendum esse materiâ à Christo determinatâ.

Probatur ratione D. Thomæ: In sacramentis novæ legis duo possunt considerari, cultus scilicet divinus, & sanctificatio nostra, quorum primum pertinet ad hominem per comparationem ad Deum, secundum verò ad Deum per comparationem ad homines: quamvis autem potuisset pertinere ad hominem determinare materias sacramentorum, quatenus sunt res ordinatæ ad cultum divinum, quia cultus Dei est in potestate hominis; non tamen quatenus ordinantur ad

A nostram sanctificationem, quia sicut est in potestate solius Dei sanctificare, ita ad solum Deum pertinet determinare res quibus homo sanctificetur. Nec propter hoc arctatur via salutis, quia res quarum usus est necessarius in sacramentis, vel communiter habentur, vel parvo studio adhibito haberi possunt.

Hæc ratio procedit de sacramentis novæ legis, de quibus expresè loquitur S. Doctor; doctrina tamen tradita verum habet etiam in sacramentis antiquæ legis; nam sicut lex ipsa fuit à Deo data, mediantibus Angelis, & à Moyse promulgata; ita ab ipso Deo fuerunt determinatæ res quibus utendum erat in sacramentis veteris legis. Quid verò de sacramentis quæ erant ante legem scriptam sentiendum sit, & an etiam in illis certæ materiæ essent à Deo determinatæ, patebit ex infrà dicendis.

Contra hanc conclusionem objicitur primò: 74.
Ecclesia de facto mutavit materiam sacramenti matrimonij, in Concilio Tridentino sess. 24. decreto de reformatione cap. 1. nam ante Concilium, consensus sensibiliter expressus verbis aut nutibus viri aut mulieris, sive publicè, sive clam & occultè, erat materia proxima matrimonij: in citato verò capite statuitur, non futurum ampliùs matrimonium, nisi adsit consensus expressus coram Parrocho, & duobus testibus: Ergo materia omnium sacramentorum novæ legis, non est à Christo determinata in particulari.

Respondeo hanc difficultatem infrà in Tra- 75.
ctatu de matrimonio exactè esse discutiendam, interim tamen breviter dico, matrimonium fuisse semper contractum aliquem naturalem, & civilem, cujus validitas dependet à conditionibus à Republica præscriptis, quibus non stantibus est irritus, sicut alij civiles & naturales contractus. Sicut autem ad Rempublicam pertinet cuilibet contractui certas adhibere conditiones, ita ad eandem spectat eas immutare secundùm diversitatem, & exigentiam temporum, & circunstantiarum, aut etiam novas addere, quibus non subsistentibus, nullus erit contractus. Cùm ergo Christus instituit sacramentum matrimonij, elevavit contractum civilem ad sacramenti dignitatem, non auferendo tamen à Republica potestatem quam habebat super illum, sed relinquendo in ejus dispositione, ut pro diversitate temporum, & aliarum circunstantiarum, posset illi addere certas conditiones, sine quibus esset nullus, & consequenter non esset sacramenti materia: unde Christus non determinavit pro materia matrimonij consensum hoc vel illo modo expressum, sed ita expressum, ut juxta dispositionem Christianæ Reipublicæ, sit legitimus ad contractum civilem; sicque quando Tridentinum decrevit, non futurum ampliùs matrimonium, nisi consensus exprimatur coram Parrocho & duobus testibus, non mutavit materiam, ut erat à Christo determinatè formaliter, quia stat semper quod materia matrimonij sit consensus legitimus ad contrahendum, sed ad summum materialiter) sub qua ratione non erat ab eo determinata, sed in potestate Ecclesiæ relicta) efficiendo scilicet, ut consensus clam expressus, non esset ampliùs ad contrahendum legitimus, quia ita exigebant circumstantiæ temporum, ob varia inconvenientia quæ ex matrimoniis clandestinis oriebantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

76. Objicitur secundò : Olim per solam manuum impositionem, tanquam materiam, videtur fuisse collatum Sacerdotium, imò nunc in Ecclesia Græca, non solùm Episcopi Schismatici, sed etiam Catholici, & qui Romæ degunt, dum Græcos Presbyteros ordinant, sciente & consentiente Summo Pontifice (ut Cardinalis Delugo seipso præsente accidisse testatur) non per calicis & patenæ porrectionem id faciunt, sed per manuum impositionem super caput ordinandi, & tamen Ecclesia Latina eundem ordinem confert per exhibitionem panis & vini in calice, & in hac actione credit imprimi characterem, & consistere materiam hujus sacramenti : Ergo fieri potest variatio materiæ sacramenti Ordinis, subindeque à Christo determinata non fuit.

77. Huic difficillimæ objectioni respondent plures graves Theologi, Christum Dominum non determinasse in specie materiam & formam sacramenti Ordinis, sed in genere tantùm : id est solùm voluisse quod conferretur Ordo per aliquod signum sensibile significativum potestatis quæ traditur, & per verba hoc ipsum exprimentia : unde licèt Ecclesia Græca ordinet suos sacerdotes per manuum impositionem, Latina verò per exhibitionem panis & vini in calice ; quia tamen utraque illa materia, juncta suæ formæ, est signum sensibile potestatis consecrandi panem & vinum, quæ confertur, neutra variat materiam hujus sacramenti, à Christo statutam & determinatam. Videntur aliqui moderni Societatis gloriari quòd hanc solutionem, & modum istum conciliandi ritus Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, in collatione sacramenti Ordinis, primò invenerint. Sed immeritò, jamdiu enim hæc solutio & doctrina fuit tradita à Decano Lovaniensi Ruardo Tapper art. 17. contra Lutherum, & à Petro Soto in instit. Sacerdotum, de sacramento Ordinis, lect. 4. folio 398. his verbis : *Ubi de modo tradendi hanc potestatem ordinum non est certum aliquod institutum à Christo, potest Ecclesia constituere, quibus vel verbis, vel actibus, vel signis aliis in ejusmodi traditione utendum sit. Quod aliâ ratione non est opus nunc probare, cum sit hoc à Christo commissum Ecclesiæ.*

78. Verùm, licèt hæc solutio probabilitate non careat, secundò tamen responderi potest, juxta opinionem illam probabilem, quam mordicùs sustinet Estius in 4. dist. 24. & alij quos citat Diana 2. p. tract. 16. resolut. 3. quod scilicet in ordinatione non sit necessarius contactus physicus materiæ, sed sufficiat contactus ejus moralis, id est illius exhibitio, vel ostensio, dum traditur potestas consecrandi. Hoc enim supposito, facilè potest quis se expedire à difficultate proposita, dicendo quod eadem materia Latino & Græco sacerdoti in susceptione Ordinis traditur ; hoc solùm excepto, quòd materia Ordinis Sacerdotalis, nimirum panis & vinum in calice, in ritu Græcorum est in altari, & moraliter solùm à Græco Sacerdote tangitur ; in ritu verò Latinorum est in manibus initiandorum, & physicè ab ipsis contingitur : unde Ecclesia Latina & Græca, in substantia materiæ sacramenti Ordinis conveniunt, & in accidentali tantùm ritu, qui penes contactum physicum vel moralem materiæ attenditur, differunt.

79. Sed quia alia opinio, quæ in susceptione Ordinis physicum materiæ contactum requirit, securior, probabilior, & communior est, addo quod licèt sacerdos Græcus non tangat immediatè calicem cum hostia, illum tamen tangit mediate, eo ipso quod tangit altare in quo est calix cum hostia ; cum enim connexa sint mensa sacra, & calix cum hostia ei superposita, benè stat, quod tactus ille qui est immediatus circa altare, sit mediatus circa calicem & hostiam. Sicut ergo si daretur casus in Latina Ecclesia, quod poneret Episcopus calicem cum hostia super altare portatile, seu parvam aram, eamque sic exhiberet initiando, revera sacraretur quis sacerdos, dummodo aram tangeret, quia tactu mediato tangeret calicem, non secùs ac tangens pedem calicis, nec tangens patenam, patenam quoque quæ superponitur calici, imò & vinum ac hostiam tetigisse dicitur, ut docent Soto, Victoria, Armilla, Ledesma, & alij quos refert & sequitur Diana parte 2. tract. 16. seu 2. miscellaneo resol. 3. Ita pariter tangente Græco magnam aram, ubi calix cum hostia positus est, ipsum quoque mediato contactu physicè contingere dicendum est. Ita præclarè noster Gravina in vindiciis orthodoxis pro sacramento Ordinis, adversùs Archiapostatam Marcum Antonium de Dominis, ubi hanc quæstionem eruditè pertractat, & ait, quod sicut satis est ad possessionem, etiam physicam & realem, ut quis ponendo pedem in fundo (etiam si manu non tangat territorium, nec omnes glebas pede percurrat) investituram recipiat. Ita pariter ut Græcus in Sacerdotem ordinetur, non requiritur quod tangat immediatè calicem cum hostia, qui est materia Ordinis sacerdotalis, sed sufficit quod contingat immediatè altare, in quo calix cum hostia positus est ; nam hoc ipso simul calicem mediatè contingere dicitur. Quod verò tactus altaris in ordinatione Presbyteri Græci semper interveniat, probat idem Author ex Euchologio Græco, ubi sic dicitur : *Qui verò ordinandus, fronti incumbens sacræ aræ, utrumque genu flectit, Diacono verò elatâ voce dicente* ATTENDAMUS : *statim Pontifex impositâ manu unâ cum pallio, clarâ voce enunciat. Divina gratia, quæ semper infirma curat, & quæ desunt supplet, promovet N. Venerabilem Diaconum in Presbyterum, &c.* Ubi dum manus sacerdoti initiando à Pontifice imponitur, simul tactus altaris intervenire dicitur.

ARTICULUS VI.

Utrum in sacramentis verba requirantur ?

LIcèt hæc difficultas procedat præcipuè de sacramentis novæ legis, & de illis potissimùm agat S. Doctor hîc art. 6. ubi hanc quæstionem proponit, solet tamen à Commentatoribus, ad omnia sacramenta, non solùm novæ legis, sed etiam legis veteris, & legis naturæ extendi, unde de istis etiam breviter hîc agendum est.

Dico ergo primò : in omnibus sacramentis novæ legis requiruntur verba propriè vel impropriè sumpta. Ita D. Thomas hic art. 6.

80. Probatur primò ex Scriptura, discurrendo sigillatim per singula sacramenta. Primò de baptismo dicitur Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et ad Ephes. 5. *Mundans eam* (scilicet Ecclesiam) *lavacro aquæ, in verbo vitæ.* Unde Augustinus tract. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* De Confirmatione habetur

Actuum 8. quod fiat per orationem & impositionem manuum. De Eucharistia dicitur Matth. 26. *Accepit panem, fregit, & dixit* &c. de Pœnitentia legitur Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata* &c. & specialis ratio pro pœnitentia est, quia potestas absolvendi judicialiter, quæ verbis jam adductis tradita fuit Apostolis, principaliùs exercetur per verba absolutionis. Unde Chrysostomus homil. 85. in Joan. dicit, Spiritum Sanctum cujus est solius remittere peccata uti ad absolutionem pœnitentis, non solùm manu, sed & linguâ sacerdotis. Ad Extremam Unctionem necessaria esse verba, colligitur ex Jacobi 5. ubi ad conficiendum hoc sacramentum ponitur unctio, & oratio. De Ordine verò & de Matrimonio nihil expresè habetur in Scriptura, colligitur tamen ex traditione Ecclesiæ, quam explicuit Eugenius IV. in decreto pro instructione Armenorum, ubi numeratis septem Ecclesiæ sacramentis, de illis ait : *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri.* Colligitur etiam ex SS. Patribus, dicit enim Hieronymus in cap. 58. Isaiæ, *ordinationem Clericorum fieri ad imprecationem vocis, & impositionem manûs.* Et Ambrosius in cap. 4. 1. ad Timoth. *Manus impositiones* (inquit) *verba sunt mystica, quibus accipit authoritatem sacerdos, ut audeat vice Domini sacrificium Deo offerre.* Denique Alexander III. in caput *Licet de sponsa duorum*, ait oportere ut uterque conjugum, verbis aut aliis signis consensum suum alteri significet, propter quod in conclusione dixi, requiri verba propria vel impropria, quia in sacramento Pœnitentiæ & Matrimonij interdum sufficiunt nutus, aut alia signa, quæ supplent vices verborum, & dicuntur verba impropriè, ex quadam proportione, ut declarabitur articulo sequenti.

81. Probatur secundò conclusio discursu D. Thomæ. Tripliciter possunt considerari sacramenta, primò ex parte causæ instituentis, & homines sanctificantis, scilicet Christi, secundò ex parte hominis recipientis, & tertiò ex parte significationis : ex triplici autem illa consideratione habent sacramenta novæ legis, ut exigant verba ; sicut enim Christus componitur ex Verbo spirituali, & ex carne visibili : ita congruum fuit ut sacramenta instituta à Christo, fierent per res sensibiles, & verba quodammodo spiritualia, quatenus à ratione procedunt, & conceptus rationis significant. Deinde, sicut homo constat ex corpore & anima, ita conveniens fuit ut medicina proportionaretur infirmo, & quòd sacramenta gratiam medicinalem efficientia, constarent ex rebus, & verbis, quæ anima credit. Unde Augustinus citatus, explicans illud Joan. 15. *Jam vos mundi estis propter sermonem*, sic habet : *Unde est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.* Tandem sacramenta novæ legis, cùm sint omnibus aliis perfectiora, significant etiam perfectiùs & expressiùs gratiam : verba autem expressiùs significant, quam res sensibiles : Tum quia *verba inter homines obtinuerunt principatum significandi*, ut ait Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 3. Tum etiam, quia res sensibiles ex se sunt indifferentes ad multa significanda, & determinantur ad unum per verba : v. g. aqua baptismalis potest significare refrigerium animæ, propter suam frigiditatem ; vel ablutionem & munditiam spiritualem, ratione suæ humiditatis ; determinatur verò ad significandam mundationem spiritualem, per hæc verba, *Ego te baptizo.*

82. Dico secundò : in sacramentis veteris legis non erat necessarium quod rebus verba adderentur. Ita S. Thomas hic art. 6. ad 3. ubi id probat ex Augustino lib. 19. contra Faustum cap. 6. dicente quod *alia debent esse sacramenta rei præsentis, & alia rei futuræ* : rem enim præsentem clariùs manifestamus, quàm futuram ; sacramenta autem veteris legis prænuncia erant Christi venturi, & ideò non ita expresè significabant Christum, sicut sacramenta novæ legis ; & idcircò illis non addebantur verba, quæ (ut ex eodem Augustino vidimus) inter homines obtinuerunt principatum significandi. Unde bellè ait Soto in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 6. quod in veteri lege Patres antiqui nostræ fidei mysteria solùm in umbra cognoscebant, & illic res mutæ quasi sub una umbra mussitabant quod nostra sacramenta expressis verbis adaperiunt.

83. Idem etiam colligitur ex eo quod in veteri testamento, quando fit mentio sacramentorum, non præscribuntur verba quibus perficerentur, ut Genes. 17. cùm tractatur de ritu Circumcisionis, & Exodi 12. cùm præcipitur immolatio agni, & Levitici 8. cùm mentio fit de ritu ordinationis.

Neque obstat quod in sacrificiis pro peccato (quæ respondebant nostro sacramento pœnitentiæ, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 1.) præcipitur ut oraret sacerdos, ut patet Levitici 4. Nam illæ orationes non erant de substantia sacrificij, aut de forma sacramentorum, sed solùm pertinebant ad ritum & solemnitatem cultûs divini. Unde S. Thomas hic art. 6. ad 3. sic ait : *Orabantur tamen in veteri lege aliquibus verbis, in his quæ ad cultum Dei pertinent, tam sacerdotes qui erant sacramentorum illorum ministri* (*secundùm illud Numer. 6. sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis : Benedicat tibi Dominus &c.*) *quàm etiam illi qui illis sacramentis utebantur : secundùm illud Deuter. 26. Profiteor hodie coram Domino Deo tuo &c.*

84. Durandus tamen in 4. dist. 1. quæst. 3. docet ab hac lege generali, quam pro sacramentis veteris legis tradit S. Thomas, excipiendum esse sacrificium zelotypiæ, illudque rebus & verbis constasse ; tum quia id videtur insinuari Num. 5. tum etiam, quia illud non tantùm fiebat ad figurandum futura, sed potiùs ad exhibendum aliquid de præsenti, non quidem spirituale, ut sacramenta novæ legis, sed corporale, quod significabatur per verba ibidem expressa.

Sed hoc non obstat generali doctrinæ, pro sacramentis veteris legis à D. Thoma traditæ, nam ut rectè annotarunt Soto, loco suprà citato, & Bellarminus lib. 1. de sacramentis cap. 18. cæremonia illa zelotypiæ, non erat sacramentum antiquæ legis, cùm non esset instituta ad significandam sanctitatem, nec ad sacrandum legaliter, sed solùm esset lex, de modo quo inquireretur, & puniretur adulterium.

Quod diximus de sacramentis legis veteris, asserendum est etiam de sacramentis legis naturæ : ad illa enim nulla requirebantur verba, sed sufficiebat fidem Mediatoris exprimere, illamque protestari actu, aut signo aliquo exteriori, ut ex infrà dicendis constabit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICULUS VII.

An omnia sacramenta novæ legis componantur ex rebus & verbis, sicut ex materia & forma, & tanquam ex partibus essentialibus?

TRia in titulo hujus articuli inquirimus. Primum est, an sacramenta novæ legis ex rebus & verbis componantur? Secundum, an in tali compositione res habeant rationem materiæ, & verba rationem formæ? Tertium, an sicut in naturalibus materia & forma essentialiter & intrinsecè componunt totum, ita sacramenta novæ legis essentialiter & intrinsecè ex rebus & verbis constent?

§. I.

Triplici conclusione hæc triplex difficultas resolvitur.

85. DIco primò: omnia sacramenta novæ legis constare ex rebus & verbis. Est contra Durandum negantem sacramenta pœnitentiæ & matrimonij rebus & verbis necessariò perfici: quæ sententia meritò ab omnibus censetur temeraria, & ab aliquibus ut hæretica proscribitur, ob definitionem Concilij Florentini, quod in decreto unionis, enumeratis sigillatim omnibus sacramentis novæ legis, sic concludit. *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri conficientis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum.* Potest tamen aliqualiter excusari Durandus, ex eo quod ante Concilium Florentinum scripserit, vixit enim tempore Joannis XXII. circa annum 1320. ut cum Trithemio notat Fernandez in Scriptoribus Prædicatoriæ Familiæ. Constat etiam conclusio ex dictis articulis præcedentibus, ubi ostensum est, in omnibus sacramentis res aliquas sensibiles, & verba reperiri.

86. Dico secundò: in sacramentis novæ legis, res habent rationem materiæ, & verba rationem formæ. Ita D. Thomas hîc art. 6. ad 2. dicens: *Ex verbis & rebus fit quodammodo unum in sacramentis, sicut ex forma & materia, inquantùm scilicet per verba perficitur significatio rerum.* Quam doctrinam Concilium Florentinum, in decreto unionis suprà citato, sanxivit, & ut loquitur Cajetanus, *canonizavit*, asserens *omnia sacramenta perfici rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ.*

87. Ratio etiam à S. Doctore in corpore ejusdem articuli insinuata, id suadet: Illud enim quod est determinabile per aliud, habet rationem materiæ; illud verò quòd determinat & perficit habet rationem formæ: Sed in omnibus sacramentis novæ legis, res sensibiles sunt determinabiles per verba, cùm sint indifferentes ad multa, verba autem determinant illos ad unum: *Aqua enim significare potest & ablutionem, propter suam humiditatem, & refrigerationem, propter suam frigiditatem: sed cùm dicitur, Ego te baptizo, manifestatur, quod aquâ utimur in baptismo ad significandum emundationem spiritualem.* Ergo in sacramentis novæ legis, res sensibiles habent rationem materiæ, verba autem rationem formæ.

88. Dico tertiò: res & verba sunt partes intrinsecæ & essentiales sacramentorum novæ legis. Est contra Cabreram asserentem omnia quidem sacramenta legis novæ, rebus & verbis necessariò perfici, nullum tamen eorum intrinsecè & essentialiter constare verbis, sed solùm rebus, unde vult quod verba solùm in genere causæ efficientis, seu formalis extrinsecæ, ad compositionem sacramenti concurrant.

89. Nostra tamen conclusio apertè colligitur ex D. Thoma in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 3. ad 2. dicente, *Verba & res sunt de essentia sacramenti*: hoc enim esset apertè falsum, si sacramenta novæ legis non componerentur ex rebus & verbis, tanquam ex partibus essentialibus. Item infrà quæst. 90. art. 2. in corp. ait, *Quodlibet sacramentum distingui in materiam & formam, sicut in partes essentiæ.*

90. Dices, verba esse in doctrina D. Thomæ de essentia sacramenti novæ legis, & partem ejus essentiæ, non intrinsecè, sed extrinsecè, ipsum efficienter componendo.

Sed contra: nunquam propriè loquendo causa efficiens dicitur de essentia compositi quod efficit, ut pars essentiæ ipsius, unde hæc expositio verborum D. Thomæ, quæ est Cabreræ, abusum terminorum intolerabilem ipsi imponit.

91. Probatur secundò: Omne sacramentum legis gratiæ ex eis componitur tanquam ex partibus intrinsecis & essentialibus, ex quibus constat tanquam ex materia & forma: Sed quodlibet ex eis constat ex rebus & verbis, tanquam ex materia & forma: Ergo ex illis constat tanquam ex partibus intrinsecis & essentialibus. Minor patet ex dictis conclusione præcedenti, Major verò sic ostenditur. Non solùm materia, sed etiam forma, est in quolibet composito, etiam artificiali, pars intrinseca & essentialis ipsius: Ergo omne sacramentum legis gratiæ, ex eis componitur tanquam ex partibus intrinsecis & essentialibus, ex quibus constat tanquam ex materia & forma. Consequentia patet, Antecedens verò, quod negat Cabrera, probatur. Si sola materia in composito artificiali esset tota essentia, de ea sola prædicari posset absolutè, ipsum totum compositum artificiale, etiam nomine substantivo expressum: v.g. si in cathedra lignea solum lignum esset tota ejus essentia, verum esset absolutè loquendo dicere, *lignum est cathedra*; sicut ex eo quod animal rationale sit tota essentia hominis, verum est absolutè, quòd animal rationale est homo; idque quia res quælibet nihil aliud est absolutè, præter totam suam essentiam, ac proinde de ea absolutè potest prædicari: Consequens autem non potest admitti, ut est de se manifestum: Ergo nec Antecedens.

92. Confirmatur: In omni sacramento, non solùm res ipsæ, sed etiam significatio ipsa rerum & verborum, est forma intrinseca, ut fatetur Cabrera, & tamen compositio illa ex rebus & verbis ex una parte, tanquam ex materia; & ex significatione ex alia, tanquam ex forma, non minùs est accidentalis, quam sit compositio ipsa præcisè ex rebus & verbis; æquè siquidem accidentale est rebus & verbis sacramentalibus significationi gratiæ sanctificantis conjungi, quàm rebus præcisè, sive substantiis, uniri verbis: Ergo similiter verba quibus constant sacramenta novæ legis, sunt forma ipsis intrinseca, non verò solùm extrinseca.

93. Probatur tertiò, destruendo fundamentum Cabreræ:

Cabreræ: Ideò enim asserit sacramenta novæ legis non componi ex rebus & verbis, tanquam ex partibus essentialibus & intrinsecis, quia existimat quod sicut verba non possunt dici de substantia sacramenti, ita neque de ejus essentia: Sed hæc paritas omnino falsa est, ideò enim verba nequeunt dici esse intrinsecè de substantia sacramenti, sed solæ res sunt tota ejus substantia, quia verba non sunt substantiæ, sed accidentia: At hæc ratio non concludit, quod neque etiam dici possint esse de ratione seu de essentia sacramenti; quia licèt in compositis substantialibus idem sint essentia & substantia, ac proinde valeat consequentia, non est de substantia, ergo neque de essentia: non tamen in compositis accidentalibus, seu artificialibus.

94. Confirmatur: Quamvis significatio in sacramentis non sit de substantia eorum, quia est accidens, est tamen, etiam in doctrina Adversarij, pars intrinseca essentiæ ipsorum: Ergo idem dicendum de verbis sacramentalibus.

95. Observandum tamen est, quod cùm sacramentum Eucharistiæ, non consistat in usu, sed in aliqua re permanente, nimirum in speciebus consecratis, ut continentibus corpus & sanguinem Christi, materia & forma non sunt intrinsecæ illius partes, nisi ut est in suo fieri, id est in actuali materiæ consecratione, non verò prout est in facto esse; nam dum gratia infunditur, & sacramentum sacra communione percipitur, verba dudum transierunt; unde non possunt cum speciebus Eucharisticis, ad modum partium intrinsecarum, constituere sacramentum permanens, ut magis declarabitur, cùm de essentia sacramenti Eucharistiæ disseremus.

§. II.

Solvuntur objectiones.

96. OBjicies primò cum Durando contra primam conclusionem: Neque sacramentum Pœnitentiæ, neque sacramentum Matrimonij, constant ex rebus sensibilibus & verbis: Sed utrumque est sacramentum novæ legis: Ergo falsum est quod omnia sacramenta novæ legis constent seu perficiantur rebus & verbis. Minor est certa inter Catholicos, Major verò probatur primò de sacramento pœnitentiæ, quia materia remota ipsius sunt peccata; proxima contritio & actus pœnitentis, & forma, absolutio sacerdotis: Sed fieri potest quod quis non habeat peccatum, nisi verbo commissum; item actus pœnitentis possunt esse sola verba, nam non est de necessitate hujus sacramenti, flectere genua, flere, &c. sed sat est dicere sua peccata, & dolere; contritio autem est spiritualis: denique absolutio etiam in verbis consistit: Ergo sacramentum pœnitentiæ, nihil continet sensibile, nisi verba. Idem probatur de Matrimonio, Tum quia fieri potest præcisè per verba contrahentium exprimentia consensum de præsenti, & ita non est necesse quod constet rebus, & verbis distinctis. Tum etiam, quia fieri potest Matrimonium sine verbis, ut cùm absentes contrahunt per litteras, & præsentes, qui sunt muti, per nutus, & alia signa.

97. Pro solutione hujus objectionis observandum est, quod cùm omnia sacramenta novæ legis dicuntur constare ex rebus & verbis, non ita strictè accipi debent nomina rerum & verborum, ut (sicut existimavit Durandus) neque res pro verbis, neque verba pro rebus interdum accipi possint, sed nomine verborum ea omnia intelligi debent, præter verba, quæ verborum loco adhiberi solent ad aliquid significandum, qualia sunt litteræ, nutus, & alia signa, in sacramento Matrimonij, quæ verborum loco adhibentur ad utriusque partis consensum formaliter exprimendum; & ideò verba, non quidem formalia, sed virtualia dici possunt. Similiter cùm præter verba res necessarias esse diximus in omni sacramento legis gratiæ, nomine rerum intelligimus ea omnia etiam quæ sunt vice earum, id est quæ ita adhibentur in sacramentis loco rerum, ut sicut ipsæ, per alia signa determinentur ad significandum. Et ratio horum est, quia cùm in omni sacramento illa pars dicatur res, cujus significatio est vel determinabilis, vel complebilis per aliam partem; illa verò è contra dicatur verba quæ determinat, vel saltem complet determinationem alterius partis; si quæ sint verba in sacramentis, quorum significatio determinetur, vel saltem compleatur per alia verba, poterunt in sacramento cujus sunt partes, habere rationem rerum, & dici res virtualiter: sicut è contra, si quæ sit res in sacramento, quæ determinet, vel saltem compleat significationem alterius, habebit rationem verbi, & dici poterit verbum virtualiter. Quia ergo in sacramento pœnitentiæ ita se res habet, confessio enim verbalis pœnitentis, determinatur per absolutionem sacerdotis ad significandum remissionem peccatorum, ideò verba pœnitentis, rectè, per comparationem ad verba sacerdotis, appellantur res sacramenti pœnitentiæ. Similiter in sacramento Matrimonij, quamvis nutus & gestus contrahentium, ex quibus solis interdum constat, sint res quædam, quia tamen nutus unius contrahentium, quoad significationem, nutus alterius complent, siquidem ad exprimendum perfectè mutuum consensum sponsi & sponsæ, opus est utriusque nutibus, aut aliis signis; rectè sub illa ratione formali, nutus unius, quatenus scilicet determinant & complent nutus alterius, dicuntur verba: sicut etiam, quando idem sacramentum constat ex solis verbis contrahentium, verba illius quæ determinantur per verba alterius, habent rationem rerum & materiæ, in tali sacramento.

98. Objicies secundò: In omnibus sacramentis significatio est forma illorum, cùm omnia sint signa: Ergo non requiruntur verba quæ habeant rationem formæ, subindeque falsum est, omnia novæ legis sacramenta rebus & verbis constare.

99. Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam: nam significatio est ultima forma totius sacramenti, quæ adæquatè inest toti composito ex rebus & verbis: cæterùm in illo composito una pars comparata ad alteram, habet se ut forma ad materiam: sicut in homine humanitas est forma totius hominis, & nihilominus anima in ordine ad corpus, habet rationem formæ.

100. Objicies tertiò contra secundam conclusionem: Materia & forma debent esse simul in eis quæ ex ipsis componuntur: Sed in sacramentis novæ legis res & verba non sunt, aut non necessariò debent esse simul: Ergo sacramenta novæ legis non componuntur ex rebus & verbis, tanquam ex materia & forma. Minor probatur, nam in sacramento Baptismi res, scilicet ablutio, potest

Universidad de Deusto
Biblioteca

test præcedere verba, & è contra verba possunt præcedere ablutionem.

101. Respondeo distinguendo Majorem materia & forma in eis quæ ex ipsis componuntur, debent esse simul, vel simultate physicâ, vel simultate morali, concedo Majorem. Simultate physicâ semper, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: in sacramentis novæ legis res & verba non sunt, aut non debent necessariò esse simul, simultate physicâ, concedo Minorem. Simultate morali, nego Minorem, & Consequentiam.

102. Explicatur solutio: In omnibus quæ ex materia & forma componuntur, non requiritur ut eodem modo materia & forma sint simul: nam in compositis substantialibus, materiam & formam substantialem omnino simul esse oportet; in aliis verò, præsertim in successivis & artificialibus, non omnimoda simultas requiritur. Propositio enim componitur ex subjecto & prædicato, tanquam ex materia & forma, quæ tamen non sunt simul, ita ut eodem temporis momento proferantur, sed quia immediatè post subjectum sequitur prædicatum in propositione. In numero etiam quatuor annorum, quartus annus, utpote ultima unitas illius quaternarij, habet rationem formæ, ex qua tanquam ex forma, & aliis unitatibus, seu annis, tanquam ex materia, numerus ille componitur; & tamen solùm dicuntur esse simul, quia una succedit alteri. Ita pariter inter materiam & formam sacramentorum sat est ut sit moralis simultas, conjunctio, & propinquitas, nec inter illas requiritur simultas & conjunctio physica. Cavenda tamen est nimia interpolatio: nam ut ait Soto in 4. dist. 3. quæst. unicâ art. 8. Si tantùm temporis intervallum intercideret, ut secundùm usum humanum, forma & actio non essent simul, tunc nullum perficeretur sacramentum.

103. Objicies tertiò cum Cabrera contra tertiam conclusionem: Concilium Florentinum suprà citatum, tantùm dicit quod sacramenta novæ legis perficiuntur rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ, & personâ ministri conficientis sacramentum. Ubi primò notandum, quod utitur verbo *perficitur*, non verò *componitur*, quo tamen propriè loquendo uti debuisset, si sacramenta novæ legis constent rebus & verbis tanquam ex partibus intrinsecis & essentialibus. Secundò quod eodem modo loquatur de ministro, ac de rebus & verbis; & tamen certum est, quod minister non est pars intrinseca & essentialis sacramenti: Ergo neque verba. Præterea D. Thomas infrà quæst. 84. art. 1. ad 2. vocat formam sacramenti pœnitentiæ, *complementum sacramenti*: quod autem complet aliquid jam ipsum factum supponit, & ut habens omnia sua essentialia: Ergo &c.

104. Respondeo quoad primum quod dicitur de verbis Concilij Florentini, ideò verbo *perficiuntur*, non verò *componuntur*, uti debuisse, non obstante quod res & verba intrinsecè componant sacramenta; quia non solùm de rebus & verbis, sed etiam de persona ministri loquebatur, quam constat non esse partem intrinsecam sacramenti, licèt ad illud necessariò requiratur. Quoad secundum, nego quod eodem modo loquatur de ministro, ac de rebus & verbis; dicit enim sacramenta perfici rebus & verbis, tanquam materiâ & formâ, ministro verò tanquam conficiente: sunt autem materia & forma de essentia rei, non verò causa efficiens, sive conficiens. Ad locum A D. Thomæ respondeo quod loquitur de complemento essentiali, & intrinseco; non verò de accidentali, & extrinseco.

Objicies quartò: Si sacramentum rebus & 105.
verbis tanquam ex partibus intrinsecis & essentialibus constaret, non solùm pro rebus, sed etiam pro verbis supponeret: At hoc dici nequit: Ergo nec illud. Minor est certa, concretum enim accidentale, quale est sacramentum, etiam physicè sumptum, supponit pro sola materia, ut habente formam. Major verò probatur, quia compositum physicum, pro illis omnibus supponit, ex quibus essentialiter constat; ut patet in homine, qui supponit non solùm pro corpore, quod est ejus materia, sed etiam pro anima.

B Respondeo negando sequelam Majoris, & di- 106.
stinguendo ejus probationem: Compositum physicum pro illis supponit, ex quibus essentialiter constat: si sit substantiale, concedo. Si sit compositum accidentale, ut sacramentum, nego. Ratio disparitatis est, quia in composito substantiali, quælibet pars est de substantia ipsius: at verò in composito accidentali, licèt forma sit de ejus essentia, non tamen de ejus substantia, quandoquidem non est quid substantiale, sed accidentale

ARTICULUS VIII.

C *Utrum in sacramentis requirantur determinata verba, subindeque illa non sint concionatoria, sed consecratoria?*

DIco primò: multò magis requiri determi- 107.
nata verba in sacramentis, quàm res determinatas. Ita D. Thomas hîc art. 7.

Probatur primò, quia Christus in consecratione Eucharistiæ protulit determinata verba, ut habetur Matth. 26. *Hoc est corpus meum.* Et similiter præcepit Discipulis ut baptizarent sub determinata forma verborum, juxta illud Matth. ultimo: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* D

Probatur secundò ratione D. Thomæ: Magis 108.
requiritur in aliquo composito determinatio formæ, quàm materiæ, quia principium determinationis est à forma, quæ est veluti finis & terminus materiæ, cujus determinatio requiritur propter formam: Sed verba habent rationem formæ in sacramentis, res autem rationem materiæ, ut articulo præcedenti ostensum est: Ergo magis requiruntur in sacramentis determinata verba, quam determinatæ res.

Advertendum tamen est, duobus modis posse 109.
intelligi verba sacramentalia esse determinata, E scilicet materialiter, quoad sonum exteriorem, & formaliter, quoad significationem: certum autem est ea non debere esse determinata primo modo, aliàs non possent administrari sacramenta, nisi in ea lingua quâ Christus loquebatur, dum ipsa instituit, quod est absurdum. Debent ergo esse determinata solùm formaliter, quoad significationem; unde validè conficiuntur sacramenta per verba cujuscumque idiomatis, dummodo apud illos qui tali idiomate loquuntur, correspondeant verbis illius idiomatis quo Christus usus est, & idem significent. Imò addo, quod quia in quolibet idiomate, variis terminis &

& orationibus solet idem significari, validè ministrarentur sacramenta in verbis æquivalentibus, & eundem sensum reddentibus. Unde validum esset pœnitentiæ sacramentum, nedum in hac forma, *Ego te absolvo*, sed etiam in ista: *Ego remitto tibi peccata tua.* Et similiter baptismus, si diceretur: *Ego te abluo*, *Ego te tingo*, quia hæc verba æquivalent illis in quibus solent hæc sacramenta ministrari. Non licèt tamen uti verbis æquivalentibus, nisi in casu necessitatis, aut quo Ecclesia id permittit: unde non licèt sacramenta conficere verbis linguæ vulgaris, excepto sacramento matrimonij, quod verbis linguæ propriæ in qualibet provincia conficitur, quia contrahentes qui illud conficiunt, regulariter linguam Latinam ignorant; excepto etiam sacramento Baptismi, quando urgente necessitate ministratur à fœmina, vel â viro laïco, nesciente loqui nisi linguâ vulgari.

Dico secundò: Verba requisita in sacramentis novæ legis esse consecratoria, seu virtute divinâ facientia quod significant, non verò purè concionatoria, & solùm ad instruendum fideles ordinata. Ita communiter docent Theologi contra Lutherum, Calvinum, & alios hujus temporis hæreticos.

110. Probatur primò ex Apostolo 1. ad Corinth. 10. ubi verba quibus consecratur Eucharistia, non instructionis, sed benedictionis vocat: *Calix* (inquit) *benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* Quem loquendi modum Apostoli, SS. Patres passim usurpant, dicentes panem & calicem consecrari, sanctificari, benedici, nullam omnino instructionis facientes mentionem. Unde S. Thomas ibidem lect. 4. sic ait: *Calix benedictionis cui benedicimus, id est quem nos sacerdotes consecramus.* C

111. Probatur secundò: Infantibus confertur Baptismus qui concionem non intelligunt, & in casu necessitatis baptizat mulier, quæ idonea non est ad concionandum, præcipiente Apostolo, quod *mulier in Ecclesia taceat*: Ergo verba sacramenti baptismi non sunt concionatoria, sed consecratoria.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: D
Verba concionatoria, seu exhortatoria, ordinantur ad excitandam fidem & devotionem astantium: Sed hæc verba, *Ego te baptizo*, non ordinantur ad excitandam fidem vel attentionem in astantibus, licèt enim omnes astantes dormirent, revera puer baptizaretur; neque in ipso puero, cùm sit expers usûs rationis; alioquin peccaret, ejulatu, & motibus, sacramentum recusans, ut discurrit Augustinus Epist. 57. ad Dardanum.

112. Denique suaderi potest conclusio ex dictis in præcedenti, nam ut in ea ostendimus, requiruntur verba determinata, sine quibus non conficitur sacramentum: At verba concionatoria, non E sunt ita determinata, nec necessaria ad valorem sacramenti: Ergo verba requisita in sacramentis novæ legis, non sunt concionatoria, sed consecratoria, & efficientia id quod significant.

113. Objiciunt tamen Hæretici: Christus mittens Apostolos ad prædicandum, præcepit eis ut docerent omnes gentes, baptizantes &c. Ergo verba sacramentorum sunt doctrinalia & concionatoria. Unde Augustinus citatus ait verbum quod est in baptismo esse illud quod prædicamus, & verbum *non quod dicitur, sed quod creditur.*

Respondeo Christum præcipere modum quem A Apostoli observare debebant, in conversione infidelium adultorum, ut scilicet eos docerent, priusquàm baptizarent: Sed quia modò pueri ante usum rationis baptizantur parentibus consentientibus, non est nunc necessaria ad baptismum hæc doctrina. Idem ferè dicendum est ad Augustinum, verum enim est quod ad baptismum adultorum prærequiritur verbum concionatorium, ut instruantur, sed magis opus est verbo consecratorio, ut sanctificentur.

ARTICULUS IX.

B *Quæ mutatio ex parte materiæ, vel formæ, reddat sacramentum invalidum?*

QUæ de variatione materiæ & formæ sacramentorum disputant hic Theologi cum D. Thoma art. 8. facilia sunt, & magis ad casus conscientiæ, quàm ad scholasticas difficultates pertinent, ideòque breviter ab illis nos expediemus.

Dico igitur, mutationem essentialem materiæ, aut formæ, reddere sacramentum invalidum, non verò accidentalem. Ita D. Thomas hic articulo 8.

Probatur breviter: Sacramentum non potest 114.
stare sine suis partibus essentialibus & intrinsecis: C Sed materia & forma sunt partes essentiales & intrinsecæ ex quibus sacramentum componitur: Ergo mutatio essentialis materiæ vel formæ reddit sacramentum invalidum.

Probatur secundo specialiter quantùm ad for- 115.
mam sacramentorum: Sicut enim res naturales consistere nequeunt sine forma, ita nec res artificiales eædem perseverant, si amittant formam quâ constituuntur in genere artis: Sed sacramenta sunt veluti quædam entia & composita artificialia, ab infinita Christi sapientia exeogitata & fabricata: Ergo sublatis ipsorum formis, consistere nequeunt. Sicut autem in naturalibus & artificialibus, salvâ essentiâ rerum variari possunt accidentia, vel quæ ad integritatem, vel D quæ ad decorem pertinent: ita pariter in sacramentis potest esse (invariatâ essentialiter materiâ & formâ à Christo Domino institutâ) aliqua variatio quæ non tollat seu destruat essentiam sacramenti. Ex quo

Inferes primò, quod si loco panis triticei, qui 116.
est materia sacramenti Eucharistiæ, alius ex alia materia confectus, putà ex ordeo, apponatur missæ sacrificio, non conficitur sacramentum, quia materia mutatur essentialiter: secùs verò si pani triticeo admisceantur pauca grana ordei, vel alterius speciei, quæ non solvunt nec multùm corrumpunt panem triticeum, quia mutatio quæ tunc fit ex parte materiæ, est tantùm accidentalis. Idem cum proportione dicendum de aceto & musto, cùm enim acetum essentialiter differat à vino, quod Christus pro materia calicis instituit, mustum verò accidentaliter tantùm ab eo distinguatur; sacerdos qui poneret acetum in calice, non consecraret, benè tamen qui poneret mustum. Item qui baptizaret in aqua rosacea, aut alia simili, non conficeret sacramentum, benè tamen qui in aqua calida baptizaret; quia in primo casu mutatio ex parte materiæ esset essentialis, in secundo verò solùm accidentalis.

Inferes secundo, quod si additio facta formis 117.
sacramentali

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacramentalibus non mutet legitimum sensum ipsarum, sacramenta erunt valida, quia salvabitur ratio formalis sacramenti, quæ in significatione consistit: unde validus esset baptismus in hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij unigeniti, & Spiritus Sancti Paracleti.* Et idem cum proportione dic de diminutione: unde validè consecraret hostiam, qui solùm diceret, *Hoc est corpus meum*, omittendo *enim*.

118. Inferes tertiò, quod si aliquis Sacerdos verba sacramentalia corruptè proferat, vel ex industria, vel ex imperitia, vel ex balbutie, aut lapsu linguæ: si corruptio sit tanta ut auferat omnino locutionis sensum, non conficitur sacramentum: si verò sit talis quæ sensum verborum non tollat, non redditur invalidum sacramentum: quia in primo casu, mutatio se tenens ex parte formæ est essentialis, in secundo duntaxat accidentalis. Licèt autem satis difficilè sit cognoscere quandonam corruptio sit tanta, ut mutet omnino sensum; assignatur tamen à D. Thoma hîc art. 7. hæc regula; si mutatio se teneat ex parte principij dictionis, regulariter variatur sensus, ut si loco, *In nomine Patris*, dicatur, *In nomine matris*. Et ratio est, quia variatio dictionis ex parte principij, regulariter mutat significationem. Si verò mutatio sit ex parte finis dictionis, sensus regulariter manet idem; quia variatio dictionis ex parte finis, non mutat ut plurimum ejus significationem. Unde validus esset baptismus si ex ignorantia vel errore fieret in hac verborum forma: *Ego te baptizo in nomine Patrias, Filias & Spiritus Sanctas*, ut definivit Zacharias Papa in cap. *Retulerunt*, de consecrat. dist. 4. Licèt enim verba sic prolata, ex vi impositionis, nihil significent, tamen ex usûs accommodatione acciperentur ut idem significantia, ac *Patris, Filij, & Spiritus Sancti*. Addit tamen S. Doctor, posse aliquando contingere ut mutatio esset tanta ex parte finis dictionis, ut non relinqueret eundem orationis sensum, & tam parva ex parte principij, ut sensum non tolleret; atque ita maximè hoc considerandum esse, & judicio viri prudentis relinquendum.

119. Inferes quartò, quod si tanta fiat interruptio in prolatione verborum, ut moraliter & secundùm communem usum hominum, non censeatur idem tractus sermonis, sacramentum non erit validum, secùs si censeatur idem tractatus sermonis. Ratio est, quia in priori casu non manet sensus formæ integer, qui in tota oratione consistit, benè tamen in posteriori. Quanta verò interruptio sufficiat, ut non censeatur eadem moraliter oratio, non potest certa regula definiri, sed ex modo, duratione, & aliis circunstantiis judicandum est, juxta viri prudentis arbitrium. Hoc solùm tanquam certum statui potest, quod quando discontinuatio fit inter duas syllabas ejusdem dictionis, minor duratio tollit sensum verborum, quàm cùm fit inter duas dictiones, quia in primo casu maximè interrumpitur sensus.

120. Quæres, an minister ex intentione inducendi novum ritum, etiam reprobatum ab Ecclesia, proferens verba sacramentalia, additione, diminutione, aut quovis alio modo non tollente legitimum sensum, mutata, verum conficiat sacramentum, si habeat voluntatem faciendi quod facit vera Ecclesia?

Respondeo affirmativè: Si enim Sacerdos Latinus consecret in Ecclesia Latina in fermentato, cum intentione hunc ritum in Ecclesiam Latinam inducendi, verum conficit Sacramentum, ut fatentur ferè omnes Theologi; & tamen Ecclesia apud Græcos duntaxat, non verò apud Latinos tolerat, sed execratur tales ritus: Ergo licèt minister sacramentorum variet accidentaliter materiam vel formam sacramenti, in ritu ab Ecclesia non tolerato, & tamen habeat generaliter intentionem faciendi quod præstat vera Ecclesia, in usu talis materiæ & formæ, verum conficit Sacramentum.

121. Dices, Qui habet intentionem intentioni Ecclesiæ contrariam, non habet intentionem Ecclesiæ: Sed eo ipso præcisè quod minister intendat introducere suum errorem in Ecclesiam, habet intentionem Ecclesiæ intentioni contrariam, utpotè cùm intendat Ecclesia excludere hujusmodi errorem: Ergo eo ipso præcisè quod minister intendat introducere suum errorem in Ecclesiam, non potest simul intendere quod intendit Ecclesia.

Respondeo distinguendo Majorem: Qui habet intentionem intentioni Ecclesiæ formaliter contrariam, non habet intentionem Ecclesiæ, concedo. Qui habet intentionem, Ecclesiæ intentioni materialiter solùm contrariam, nego. Similiter distinguo Minorem: eo ipso præcisè quod minister intendat suum errorem introducere in Ecclesiam, habet intentionem, Ecclesiæ intentioni materialiter tantùm contrariam, concedo Minorem. Contrariam etiam formaliter, nego Minorem, & Consequentiam.

Explicatur solutio: Intentio privata ministri introducendi in Ecclesiam aliquem errorem, sive toleratum, sive non toleratum ab ea, potest dupliciter esse contraria generali intentioni Ecclesiæ, nimirum vel materialiter tantùm, vel etiam formaliter: materialiter tantùm, si volens suum errorem introducere non credat eum esse errorem, sed veritatem, atque adeò non intendat ipsum introducere tanquam errorem, sed tanquam veritatem: formaliter verò privata illa intentio est contraria generali Ecclesiæ intentioni si volens suum privatum errorem in eam introducere, non existimet ipsum esse veritatem, sed errorem: licèt autem habens istam posteriorem intentionem, non possit simul habere intentionem generalem Ecclesiæ, benè tamen qui illam priorè duntaxat habet, eo ipso enim quod existimans suum errorem privatum, non esse errorem, sed veritatem, velit ipsum introducere, non existimat eum esse contrarium Ecclesiæ, sed potiùs ab ea intentum, quia existimat veram Ecclesiam veritatem intendere: quia ergo hoc ita potest contingere, imò communiter ita contingit: hæretici enim volentes introducere suos errores in Ecclesiam, existimant illos non esse errores, sed veritates, licèt de facto errores sint: hinc fit quòd licèt eorum intentio sit materialiter contraria intentioni generali Ecclesiæ, quæ errare non potest, non tamen formaliter.

122. Instabis: Ut minister in dicto casu habeat generalem intentionem Ecclesiæ, necesse est quod intendat, saltem virtualiter, oppositum suo errori: Sed intendens introducere suum privatum erorem in Ecclesiam, non intendit, etiam virtualiter oppositum suo errori: Ergo neque habet intentionem generalem Ecclesiæ. Major constat, cùm enim Ecclesia vera intendat oppositum errori privato ministri, nisi minister, saltem virtualiter, idipsum intendat, non potest dici habere intentionem generalem Ecclesiæ veræ. Minor verò probatur: Cum intentione formali alicujus, non stat intentio virtualis oppositi: quis enim dicat, quod aliquis possit simul intendere esse secundùm eandem partem, & eodem tempore, calidus & frigidus? Sed minister in casu posito intendit formaliter suum errorem: Ergo non habet simul intentionem virtualem oppositi suo errori.

Respondeo negando Minorem, & ad ejus probationem, data Majori, distinguo Minorem: minister in casu posito intendit formaliter suum errorem, reduplicativè ut errorem, nego. Non ut errorem, sed ut veritatem, concedo. Similiter distinguo Consequens: Ergo non habet simul intentionem virtualem oppositi suo errori, ut errori, nego. Ut non existimato tali, concedo.

DISPUTATIO II.

De Existentia Sacramentorum.

Ad quæstionem 61. Divi Thomæ.

1. QUAMVIS juxta ordinem doctrinæ ab Aristotele 1. poster. assignatum, de quacumque re priùs inquirendum sit, an existat, deinde quid sit, ac proinde videatur D. Thomas, & nos post ipsum, priùs investigare debuisse, an existat sacramentum, quàm quid sit sacramentum: quia tamen antequam ostenderetur sacramenta esse, necesse erat exactè intelligi quid nomine sacramenti significetur; significatio autem hujus nominis tam est conjuncta cum essentia & proprietate ipsius rei significatæ, ut sine ejus cognitione, non possit perfectè haberi; ordo doctrinæ aliquantulum inverti debuit, priùs quid sit sacramentum, quàm an sit inquirendo. Cùm autem sacramenta fuerint instituta, atque adeò existant propter hominem: homo autem considerari possit vel ante Christi adventum, nimirum in statu innocentiæ, in statu legis naturæ, & in statu legis scriptæ, sive Mosaïcæ, & post Christi adventum, seu in lege nova & Evangelica, existentia seu necessitas sacramentorum, quoad omnes illos status, investiganda est.

2. Sed priùs supponendum est cum Sancto Thoma hîc art. 1. sacramenta esse homini necessaria ad salutem, ob triplicem rationem. Prima petitur ex conditione humanæ naturæ: Ea enim est naturæ humanæ conditio, ut ex cognitione sensibilium assurgat in notitiam rerum spiritualium: Atqui sacramenta sunt quædam signa sensibilia & corporalia, quibus homines adducuntur in notitiam rerum spiritualium: Ergo congruum est ut pro eruditione sacramenta instituantur. Unde Dionysius cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ docet medium tenere locum Ecclesiam inter Synagogam, & Paradisum: *Cùm sit media* (inquit) *societate quadam extrema sibi vendicat, cum cœlesti quidem communes habens spirituales contemplationes, cùm legali verò signa quæ sensum movent, quorum etiam varietate distinguitur, & per ea piè præclaréque ad Deum deducitur.* Illi concinit Eucherius, asserens *sibi Deum tria fecisse tabernacula: Synagogam, quæ umbram habuit sine veritate: Ecclesiam, quæ veritatem & umbras habet, cœlum ubi nullæ sunt umbræ, sed nuda veritas.*

Secundam rationem sumit S. Doctor ex humiliatione, quæ per sacramenta homini feliciter contingit: Homo enim peccando, & consequenter convertendo se in corporalia & sensibilia tanquam in ultimum finem, subjicit se secundùm affectum corporalibus: Ergo congruum fuit, ut in pœnam simul & remedium, subjiceretur sacramentis, quæ sunt quædam sensibilia, ut unde morbum contraxerat, inde medicinam reciperet.

Tertiam desumit ab exercitatione utili, ne enim homini ad exercitationes corporales interdum sibi noxias valde proclivi, durum esset, si totaliter ab actionibus corporalibus abstraheretur, convenienter Deus instituit sacramenta sensibilia, quibus homo salubriter exerceretur.

Has tres rationes breviter perstringit D. Bonaventura 3. p. sect. 47. de sacramentis in generali, ubi sic ait: *Quoniam eramus cœci quoad rationalem, ideò data sunt sacramenta sensibilia ad eruditionem. Quoniam eramus elati quoad irascibilem, ideò data sunt sacramenta corporalia ad humiliationem. Quoniam eramus proni ad malum quoad concupiscibilem, ideò data sunt sacramenta plura ad exercitationem.*

3. Illas fusiùs exponit Hugo Victorinus libro 1. de sacramentis parte 9. cap. 3. sed aliâ serie, ait enim sacramenta esse homini necessaria, *Propter humiliationem, propter eruditionem, propter exercitationem. Primò quidem, ut dum in sensibilibus elementis rationalis creatura ex Creatoris præcepto subjicitur, ex hac ipsa sua humiliatione, Creatori suo reconciliari mereatur; sicut priùs Deum superbiendo deserens, se terrenis per concupiscentiam subdit &c. Secundò, ut per id quod foris in sacramento specie visibili cernitur, ad invisibilem virtutem quæ intus in re sacramenti constat agnoscendam, mens humana erudiatur &c. Tertiò, ut dum mens humana per varias operum species exercitata colitur* (seu velut ager spiritualis excolitur) *ad multiplicem virtutis fructum interius fœcundetur: quia postquam per concupiscentiam ad multiplicia hæc & transitoria se dividi permisit, sicut multa diligens, in his per affectum dividitur, sic mutabilia sequens variatur: & idcircò ne suâ mobilitate semper ad deteriora deficeret, talibus nutrienda fuerat studiis, in quibus & per varietatem rerum foris excitata, & æmulatione virtutum intus accensa, proficiendi occasionem inveniret. Propositæ igitur sunt species corporales, injuncta sunt opera exercenda, ut medicinam interioris hominis, exterior homo præpararet, eique subesse ac prodesse addisceret, nam cùm priùs humana vita per duo exercitationum genera cucurrisset, in altero ad usum pro natura, in altero ad vitium pro culpa, congruum erat ut tertium exercitationis genus adjungeretur; ut per illud, unum è duobus primis evacuaretur, quia erat nocens; alterum perficeretur, quia non erat sufficiens, &c.*

4. Hanc rationem egregiè etiam prosequitur Soto in 4. sent. dist. 1. quæst. 2. art. 1. his verbis: *Dum homo in statu innocentiæ persistebat, solâ divinâ contemplatione fruebatur; ad hæc autem ima per peccatum demissus, rerum varietate gaudet. Id quod Christus in iis sororibus nos admonuit, quarum actuosâ Marthâ erga plurima se solicitante, contemplatrici Mariæ dixit, unum est necessarium. Si ergo puris spiritualibus homo juberetur vacare, esset à sua natura violenter abstractus: quod certè*

Universidad de Deusto
Biblioteca

egerrimè ferret. Morem ergo Deus nobis gessit, ut sacramentorum varietate oblectati, ad nostram comparandam salutem essemus propensiores. Delectat enim nos nunc basilicas extruere, mox sacrificia celebrare, deinde orare, & nonnunquam hymnos cantusque intonare divinos. Aliis incumbit sacramenta ministrare, atque alios expedit suscipere, per quæ quidem virtutum munera à cunctis idolorum servitutibus distrahimur. Id quod in illis Neophitis novi orbis experimento comperitur. Mirum enim in modum in istiusmodi cæremoniis exhilarantur, per quas à sua idololatria semoventur.

ARTICULUS PRIMUS.

An aliqua sacramenta fuerint de facto in statu innocentiæ, vel futura fuissent Adamo non peccante, supposito saltem quod posteri ejus peccassent?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

5. NOtandum primò, triplicem in titulo hujus articuli difficultatem insinuari. Prima est, an de facto institutum fuerit aliquod sacramentum pro brevi illo tempore quo status innocentiæ in Adamo duravit? Secunda, an si Adamo non peccante, status innocentiæ in omnibus ejus posteris durasset, fuissent pro eis aliqua sacramenta instituta? Tertia, an ex hypotesi futuritionis peccati in aliquibus ex posteris Adami, ipso non peccante, pro eis fuisset aliquod sacramentum in remedium peccati institutum?

6. Notandum secundò, quod sicut quando in Tractatu de Incarnatione quærunt Theologi, utrum Adamo non peccante Christus venisset? hoc intelligi debet, ex vi decreti quod Deus de facto habuit, non verò ex vi alterius quod habere potuisset; certum enim est, Deum ex vi alterius decreti quod potuisset habere, Adamo non peccante, carnem potuisse assumere. Ita similiter quando hic quæritur, an si Adamo non peccante, status innocentiæ in omnibus, vel saltem in aliquibus ejus posteris durasset, fuissent aliqua sacramenta à Deo instituta pro ipsis? hoc intelligi debet de institutione sacramentorum in eo statu, ex vi decreti quod Deus ab æterno habuit, non verò de institutione sacramentorum facienda ex vi alterius decreti quod in Deo esse potuisset; cùm certum & indubitatum sit apud omnes Theologos, Deum potuisse, de absoluta potentia, instituere sacramenta in statu innocentiæ, hoc enim nullam absolutè implicat contradictionem. His præmissis.

7. Circa tres difficultates propositas varia sunt Authorum placita. Prima sententia asserit de facto fuisse aliqua sacramenta à Deo instituta pro brevi illo tempore quo status innocentiæ in primis parentibus duravit. Ita Durandus in 4. dist. 1. quæst. 2. ubi ait in statu innocentiæ fuisse sacramenta, non ratione medicinæ, sed ratione eruditionis. Quam sententiam plusquàm probabilem esse dicit Alanus Tractatu de sacramentis cap. 7. illamque etiam ut probabilem defendit Alensis 3. parte quæst. 1. membro 2. art. 1. Pro ea etiam citari possunt omnes illi Theologi qui docent matrimoniũ Adami cum Eva fuisse sacramentum: nimirum Petrus de Soto, Alphonsus à Castro, Catharinus, Roffensis, Pighius, & Henricus Angliæ Rex, qui id docuit in Tractatu de sacramentis, quem edidit, dum esset Catholicus, & antequam in apostasiam laberetur.

Secunda fatetur quidem pro illo brevi tempore quo status innocentiæ duravit, nulla extitisse sacramenta strictè sumpta; si tamen status ille diutiùs durasset, suppositâ opinione Scoti asserentis Christum venturum, etiam Adamo non peccante; in illa, inquam, hypothesi, futurum esse aliquod sacramentum, nempe Eucharistiam, quia (inquit) est sacramentum maximè expetibile & independens à peccato, seclusâ significatione passionis Christi, quæ facilè excludi posset, remanente præsentiâ reali Christi, & intimâ unione, quâ nos sibi conjungit per hoc sacramentum. Ita Suarez & Coninxus, qui addunt, consequenter etiam futurum in eo statu sacramentum Ordinis ad ministros tanti sacrificij & & sacramenti convenienter instituendos.

Tertia distinguit, & dicit quod si Adamo non peccante status innocentiæ in omnibus ejus posteris durasset, nulla etiam pro eis futura fuissent sacramenta; si tamen primo parente non peccante, aliqui ex ejus descendentibus potuissent peccare, & de facto peccassent, pro iis qui peccassent, institutum fuisset aliquod sacramentum. Ita ex Thomistis Nuño, & Serra hic articulo 2.

§. II.

Triplex difficultas proposita, triplici conclusione resolvitur.

8. DIco primò: De facto nullum fuit institutum sacramentum, pro illo brevi tempore, quo status innocentiæ in Adamo duravit.

Probatur breviter: Tum quia nullibi in Scriptura, Conciliis, aut SS. Patribus fit mentio sacramenti instituti pro illo brevi tempore, quo status innocentiæ in Adamo duravit. Tum etiam, quia cùm sacramenta sint signa permanentia alicujus religionis protestativa, conveniens non fuit quod Deus aliqua sacramenta instituret pro statu innocentiæ Adami, quem præviderat tam brevi tempore duraturum. Addo quod, pro illo brevissimo tempore, quo status innocentiæ in primis parentibus duravit, vix potuit esse locus usui sacramentorum; sacramenta enim præcipuè requiruntur ad perficiendum in gratia & scientia homines: primi verò parentes perfecti creati sunt in utraque, ut ostendimus in Tractatu de statibus naturæ humanæ: Ergo de facto nullum fuit institutum sacramentum pro illo brevi tempore quo status innocentiæ in Adamo duravit. Unde nec matrimonium Adami cum Eva, nec lignum vitæ, fuere verè & propriè sacramenta: licèt enim typum & figuram rei sacræ gesserint, unionis scilicet Christi cum Ecclesia & sacramenti Eucharistiæ, tamen pro tunc non erant à Deo instituta, ut signa practica gratiæ & sanctificationis hominum, sicut etiam transitus mari rubri, & serpens æneus, erant signa rei sacræ, non tamen sacramenta. De quo fusiùs in solutione argumentorum. *Disp. 1. art. 3.*

9. Dico secundò: perseverante Adamo & posteris ejus in statu innocentiæ, nulla pro illo statu fuissent à Deo instituta sacramenta, ex vi decreti quod Deus habuit ab æterno. Ita D. Thomas in

in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 2. & hic art. 2. Quamvis enim Cajetanus velit D. Thomam in hoc articulo loqui tantum de statu innocentiæ qui de facto fuit, ejus tamen rationes concludunt æqualiter de statu innocentiæ qui futurus erat Adamo non peccante. Imò Soto, Ledesma, & Suarez ipse, contendunt D. Thomam loqui in hoc articulo de utroque statu. Sed quidquid sit de hoc.

10. Probatur conclusio triplici ratione. Prima desumitur ex inutilitate sacramentorum in statu innocentiæ: Sacramenta enim ad duo præcipuè ordinantur, nimirum ad sanctificandos homines, & ad eos instruendos de rebus supernaturalibus: Sed ad nullum ex his necessaria fuissent sacramẽta in statu innocentiæ: Ergo fuissent prorsus inutilia & superflua, subindeque non fuissent à Deo instituta, si Adamus, & posteri ejus in statu innocentiæ perseverassent, cùm gratia non minùs abhorreat à superfluo, quam natura. Major patet, Minor verò quoad utramque partem suadetur. Posteri omnes Adami, eo non peccante, accepissent per modum naturæ gratiam & scientiam, quæ ad eos dirigendos in operibus justitiæ supernaturalis necessaria fuisset; quia geniti fuissent, sicut Adamus, in justitia originali, & gratia, omnibusque habitibus supernaturalibus, ad eas consequentibus per modum proprietatis, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma 1. p. quæst. 90. & 91. Ergo in statu innocentiæ, sacramenta nec ad sanctificandos homines, nec ad eos instruendos de rebus supernaturalibus fuissent necessaria.

11. Confirmatur: Sacramenta sunt necessaria vel utilia ad recipiendam gratiam, vel ad eam conservandam, vel ad eam augendam: Sed ad nullum ex illis tribus indiguissent homines sacramentis in statu innocentiæ: Non quidem ad primum, quia ut diximus, accepissent gratiam per modum naturæ, sive in ea creati fuissent. Neque ad secundum, quia in eo felicissimo statu nulla passi essent contraria gratiæ conservationi, nulla siquidem in eo fuisset concupiscentia, vel rebellio appetitûs inferioris contra superiorem, quæ sola videtur contrariari conservationi gratiæ. Neque demum ad tertium, quia augmentum formæ, debet fieri proportionaliter ad primam ejus productionem, atque adeò independenter ab eis à quibus prima productio non dependet: gratia autem pro illo statu independens fuisset quoad suam primam productionem à sacramentis: unde sicut Angeli per propriam dispositionem, & non per applicationem alicujus sacramenti, vel signi spiritualis, aut sensibilis, auxerunt gratiam, dum essent viatores: ita homines in florentissimo & felicissimo innocentiæ statu, in quo veluti Angeli terreni fuissent, ut loquitur Chrysostomus, gratiam auxissent per actus proprios, & magis connaturales illi statui, sicut & statui Angelorum: Ergo &c.

21. Secunda ratio quam tradit D. Thomas hîc art. 2. in corp. sumitur ex perfectione status innocentiæ, cui sacramenta non videntur congrua & accommodata: Nam rectitudo & perfectio status innocentiæ in eo sita erat, quod superiora dominarentur inferioribus, nec ab illis dependerent; unde hominem perfici per aliquid corporale, quantùm ad scientiam, vel quantùm ad gratiam, est contra debitum ordinem & perfectionem illius status: Atqui si in eo fuissent sacramenta, homo accepisset suam perfectionem, quantùm ad scientiam, & quantùm ad gratiam, per aliqua corporalia & sensibilia; sacramentum enim est aliquid corporeum & sensibile, ad sanctificandos homines, & ad eos instruendos de rebus supernaturalibus ordinatum: Ergo sacramentorum institutio videtur esse contra debitum ordinem & perfectionem status innocentiæ.

Dices primò cum Suare: Adamo non peccante, & consequenter perseverante statu innocentiæ, posteri Adæ acquisivissent scientiam ex rebus sensibilibus, & intellexissent per conversionem ad phantasmata, quæ sunt aliquid corporale & sensibile: Ergo non est contra rectitudinem status innocentiæ, quòd homo perficiatur per aliquid corporale, quantùm ad scientiam. 13.

Sed contra: Licèt hominem in statu innocentiæ dependere ab illis rebus sensibilibus à quibus ex natura sua non dependet, sit contra perfectionem status innocentiæ, non tamen est contra perfectionem illius status, quod homo dependeat ab illis rebus sensibilibus, à quibus ex natura sua dependet: Atqui homo dependet ex natura sua ab objectis sensibilibus, quantùm ad acquisitionem scientiæ, non verò à sacramentis: Ergo est contra ordinem & perfectionem status innocentiæ, quod homo dependeat à sacramentis, quantùm ad acquisitionem scientiæ, non autem ab objectis sensibilibus. Minor quoad secundam partem est evidens, quoad primam verò probatur, quia homo in hoc distinguitur ab Angelo, quòd iste petat habere species sibi infusas, ille verò eas sibi comparet, mediante intellectu agente. Unde quòd Adam non dependeret ab objectis sensibilibus, quantùm ad acquisitionem scientiæ, nec à conversione ad phantasmata, quantùm ad usum ipsius; non oriebatur præcisè ex natura & perfectione status innocentiæ, aliàs hoc ipsum debuisset convenire ejus posteris, sed ex eo quod per accidens habuit species sibi à Deo infusas. 14.

Dices secundò cum eodem: Hominem indigere sacramentis, non est ipsum subjici rebus sensibilibus, sed magis Deo, in usu alicujus rei sensibilis: Hoc autem non videtur repugnare perfectioni status innocentiæ, nam Deus prohibuit homini in eodem statu esum ligni scientiæ boni & mali, quod erat arbor sensibilis: in quo Deus non subdit hominem alicui sensibili, sed tantùm sibi ipsi, in usu alicujus rei sensibilis: Ergo similiter in proposito &c. 15.

Sed contra: Licèt hominem ita subjici Deo in usu alicujus rei sensibilis, ut per talem subjectionem reddatur superior ad illam rem sensibilem, sit tantùm hominem subjici Deo, neque hoc repugnet perfectioni status innocentiæ; hominem tamen ita subdi Deo in usu alicujus rei sensibilis, ut per illam subjectionem subdatur etiam rei sensibili, non est hominem subjici tantùm Deo: primum autem factum fuit in prohibitione esûs ligni scientiæ boni & mali, secundum verò fieret in institutione sacramentorum. 16.

Dices tertiò: Hominem uti rebus sensibilibus tanquam instrumentis, ad acquirendam suam perfectionem, non est hominem subjici rebus sensibilibus: Atqui homo in statu innocentiæ, non uteretur sacramentis nisi tanquam instrumentis ad consequendam gratiam: Ergo non subjiceretur illis. Minor est certa, Major probatur; quia in illo statu homines uterentur vocibus, & reliquo corpore, tanquam instrumentis, ad instruc- 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctionem & cognitionem rerum, etiam supernaturalium.

18. Respondeo distinguendo Maiorem: Hominem ad acquirendam suam perfectionem, uti rebus sensibilibus tanquam instrumentis sibi subordinatis, non est illum subjici rebus sensibilibus concedo. Tanquam instrumentis sibi non subordinatis, nego. Sacramenta autem in statu innocentiæ, non essent instrumenta subordinata homini, sed tantùm Deo, cujus essent instrumenta, & à quo suam haberent virtutem. At verò voces & alia signa corporalia, homini connatulia essent instrumenta sibi ipsi subordinata, quibus subinde non subjiceretur, sed magis illa sibi subjiceret.

19. Tertia ratio quam habet D. Thomas in eodem articulo in argumento *sed contra*, potest sic breviter proponi. Illud quod non est institutum nisi in remedium peccati tanquam spiritualis quædam medicina, non fuisset necessarium, nec conveniens, morbo spirituali, seu peccato non existente: Atqui sacramenta ex vi decreti quod Deus de facto habuit, sunt quædam medicinæ spirituales, in remedium peccati institutæ: Ergo in statu innocentiæ, in quo non fuisset peccatum, non fuissent etiam sacramenta, ex vi decreti præsentis. Major constat, tum ex illo Christi Matth. 9. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Tum ex illo Augustini serm. 9. de verbis Apostoli: *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla erit medicinæ causa.* Minor autem probatur inductione, nam baptismus & pœnitentia sunt sacramenta instituta ad tollendum peccatum originale, & actuale. Extrema-unctio, ad tollendas peccatorum reliquias. Matrimonium, ad libidinem frænandam & mitigandam, quæ nulla fuisset in statu innocentiæ. De Eucharistia, quam Suarez negat præsupponere peccatum, probatur. Eucharistia supponit Christum venisse in carne passibili, quia ipsum ut talem continet, saltem ex modo quo fuit instituta, ex vi præsentis decreti: Ergo cùm adventus Christi in carne passibili dependeat à peccato (quandoquidem etiam illi qui dicunt Christum Adamo non peccante venturum, adhuc fatentur non venturum in carne passibili) ipsa etiam Eucharistia non potest non præsupponere peccatum. Ex quo etiam sequitur, sacramentum Ordinis non fuisse tunc necessarium, quia non est institutum nisi propter Eucharistiam. Denique de sacramento Confirmationis id etiam patet, quia Confirmatio ordinatur ad conferendam gratiam, quâ confirmati in professione fidei possint superare difficultates & persecutiones tyrannorum: Sed hæ non haberent locum in statu innocentiæ: Ergo nec Confirmationis sacramentum.

20. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Omnia sacramenta ex vi decreti quo de facto sunt instituta, habent totam suam vim & efficaciam ex Verbo incarnato, ac ex morte & passione Christi, unde etiam dicuntur à SS. Patribus dimanasse ex latere Christi: Ergo in statu in quo Verbum non fuisset incarnatum & passum, sacramenta nullam habuissent vim, nec proinde extitissent: Atqui Adamo non peccante Christus non venisset, saltem in carne passibili, ut omnes fatentur: Ergo Adamo non peccante, nullum fuisset sacramentum ex his quæ instituta sunt. Unde

21. Dico tertiò: Si Adamo non peccante, multi ex ejus posteris peccassent, nullum, ex vi præsentis decreti, foret prò ipsis sacramentum, ex his quæ à Christo instituta sunt.

Probatur breviter: Sacramenta ex sua institutione non sunt ordinata in remedium cujuscumque peccati, sed tantùm peccati originalis, aut actualis, ab originali provenientis: Atqui in statu innocentiæ, Adamo non peccante, nec fuisset peccatum originale, nec actuale ab originali proveniens: Ergo nec ullum sacramentum tunc existeret, tametsi multi ex ejus posteris peccarent. Minor patet, Major probatur. Cùm sacramenta ex modo quo sunt instituta, habeant suam vim & efficaciam ex Verbo incarnato, & morte ac passione ipsius, & ad hoc tantùm sint instituta, ut merita Christi ad nos deferant, nobisque applicent, consequenter non sunt instituta nisi in remedium illius peccati, ad quod tollendum valent merita Christi, seu propter quod Christus incarnatus & mortuus est: Atqui Christus non est incarnatus & mortuus, nisi in remedium peccati originalis, aut actualis, ab illo provenientis, ut est probabilior opinio, quam in Tractatu de Incarnatione defendimus: Ergo sacramenta ex sua institutione, & ex vi præsentis decreti, non sunt ordinata in remedium cujuscumque peccati, sed tantùm peccati originalis, aut actualis ab originali provenientis. *Disp. 5. art. 2.*

§. III.

Solvuntur objectiones.

22. OBjicies primò contra primam conclusionem: Apostolus ad Ephesios 5. vocat matrimonium Adæ cum Eva, *magnum sacramentum.* Et Augustinus lib. 8. de Genes. ad litt. cap. 4. appellat etiam lignum vitæ, quod Deus in medio Paradisi terrestris collocaverat, *sacramentum*, ait enim: *Erat ei:* (scilicet Adamo) *in lignis cæteris alimentum, in isto sacramentum:* Ergo pro brevi illo tempore, quo status innocentiæ in Adamo duravit, institutum à Deo fuit aliquod sacramentum.

23. Respondeo Apostolum non sumere loco citato, ut sumimus modo, nomen sacramenti, pro signo rei sacræ sanctificantis hominem, sed pro mysterio, eodem sensu quo mysterium Incarnationis appellat interdum sacramentum: matrimonium enim in statu innocentiæ, non fuit institutum in signum gratiæ, sed solùm in officium naturæ, quamvis ex consequenti, sive ex sua ipsius conjunctionis natura, significet aliquo modo unionem Christi cum Ecclesia, sicut unumquodque suum simile. Unde D. Thomas hic art. 2. ad 3. dicit. *Matrimonium fuit institutum in statu innocentiæ, non secundùm quod est sacramentum, sed secundùm quod est in officium naturæ; ex consequenti tamen aliquid significabat futurum circa Christum & Ecclesiam: sicut & omnia alia, quæ in figura Christi præcesserunt.* Ad illud quod subditur de ligno vitæ, dicendum est, Augustinum illud appellasse sacramentum, non quòd institutum esset in signum practicum gratiæ, sed quia mysticè adumbrabat & figurabat sacramentum Eucharistiæ, seu virtutem Christi ad gratiam & gloriam, seu vitam æternam conferendam.

24. Objicies secundò: Homini secundùm suam naturam considerato congruunt sacramenta, ut suprà triplici ratione D. Thomæ ostendimus: Sed Adamus

Adamus in statu innocentiæ habuit eandem naturam, quam cæteri homines: Ergo in hoc statu quamvis brevissimo tempore in ipso duraverit, illi conveniebant sacramenta.

25. Confirmatur: Cùm homo essentialiter constet ex corpore & anima, proindeque hanc compositionem retineat in omni statu, & ex illa proveniat quod modus cognoscendi spiritualia per sensibilia, sit connaturalis homini, debuit ille modus cognitionis servari in statu innocentiæ, atque adeò institui in illo statu aliquod sacramentum, quo mediante, tanquam signo sensibili, Adamus gratiam sanctificantem quæ est forma spiritualis cognosceret.

26. Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: homini secundùm suam naturam considerato, in quocumque statu conveniunt sacramenta, nego. Considerato tantùm in statu naturæ lapsæ, concedo. Solutio est D. Thomæ hic art. 2. ubi secundo loco sibi hoc argumentum objicit: *Sacramenta sunt necessaria homini secundum conditionem humanæ naturæ, sicut dictum est: sed eadem est natura hominis ante peccatum, & post peccatum: ergo videtur quod ante peccatum homo indiguerit sacramentis.* Cui sic respondet: *Ad secundum dicendum, quod eadem est natura hominis ante peccatum, & post peccatum, non tamen est idem naturæ status: nam post peccatum anima, etiam quantùm ad superiorem partem, indiget accipere aliquid à corporalibus rebus ad sui perfectionem, quod in illo statu* (scilicet innocentiæ) *homini necesse non erat.* Unde quando idem S. Doctor hic art. 1. dixit, *humana naturæ proprium esse, ut per corporalia & sensibilia, in spiritualia & intelligibilia deducatur*, hoc de natura sibi relicta, & secundùm proprium statum intelligit, non de natura in aliquem sublimiorem statum elevata, qualis erat innocentiæ status.

27. Ad confirmationem dico, res spirituales quoad sui cognitionem esse in duplici differentia: aliæ enim sunt quæ lumine naturali cognosci possunt, cujusmodi sunt naturæ angelicæ: aliæ verò quæ lumine solùm supernaturali possunt cognosci, nempe gratia, habitus per se infusi, & omnia mysteria Christianæ religionis; quamvis autem modus connaturalis cognoscendi res spirituales primi generis, sit ex sensibilibus in homine, quia earum cognitio oritur per se à sensu, ascenditque ad cor hominis; non tamen modus connaturaliter cognoscendi res spirituales secundi generis, quia eorum cognitio non oritur per se ex sensibilibus, nec ex illis ad cor hominis ascendit, sed ex superiori revelatione descendit; quare signa sensibilia solùm per accidens possunt homini esse necessaria ad earum notitiam, quando nimirum repugnantiam aliquam patitur ex parte sensitiva in tali cognitione, sicut patitur modò in statu naturæ corruptæ.

28. Objicies tertiò: Adamus gratiam suam habuit ex Christo præviso, & meritis ejus: Sed gratia ex meritis Christi concessa, fertur solùm per sacramenta, per quæ merita Christi applicantur: Ergo fuerunt aliqua sacramenta in statu innocentiæ, pro illo brevi tempore quo in Adamo duravit.

29. Respondeo primò negando Majorem, ut enim in Tractatu de Incarnatione ostendimus, gratia concessa primis parentibus in statu innocentiæ, cùm non esset medicinalis & sanativa, non fuit illis data ex meritis Christi Redemptoris, sed ex sola liberalitate & benignitate Dei Conditoris, *Disp. 14. art. 4.*

ris, Christúsque solùm fuit illius gratiæ reparator, & consummator, ut ibidem fusè declaravimus.

Respondeo secundò, data Majori negando Minorem: dato enim quod illius gratiæ Christus fuisset auctor, non inde sequitur quod Adamus eam mediantibus sacramentis receperit; siquidem neque in hoc statu peccati semper sacramentis alligata fuit gratia Christi, ut patet in Jeremia, Joanne Baptista, & aliis Sanctis, quos Christus in uteris maternis sine Sacramento justificavit. 30.

Nec obstat quod Christus fuit caput & consummator illius gratiæ, nam sicut fuit caput & consummator gratiæ Angelorum, nec tamen mediantibus sacramentis, quia naturæ Angelorum non congruunt: ita & fuit consummator gratiæ Adamo concessæ in statu innocentiæ, non tamen per sacramenta, quia statui illi non congruebant. Addo quod non fuit consummator illius gratiæ, pro statu innocentiæ, qui non fuit status consummationis & prædestinationis, sed pro alio statu, in quo ex meritis Christi reparata fuit.

Objicies quartò: Deus præscius peccati Angelorum & hominum, ante eorum lapsum, ignem infernalem peccatoribus puniendis præparavit: Ergo cùm sit pronior ad miserendum quam ad puniendum, æquiori ratione videtur, ante peccatum primorum parentum præparare debuisse sacramenta medicinalia, in remedium talis peccati; eò maximè quod salutiferas herbas, & medendis corporibus convenientes, antequam morbi essent, creaverit. Addo quod, providentissimi medici est, non modò præsentibus ægritudinibus mederi, verùm etiam ab illis quæ timentur sanos præservare, subindeque debuit Deus debito congruentiæ, sacramenta instituere in statu innocentiæ, quibus homo ab illa culpa, quam postea contraxit, præservaretur. 31.

Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem: discrimen est quòd ex una parte Dei misericordia contrariari non debet ejus sapientiæ, omnia suaviter disponenti, secundùm rerum naturas & indigentias; aliunde verò ignis inferni, cùm sit corpus naturale & elementare, ad universi perfectionem connaturalem pertinens, debuit simul cum isto universo creari; idemque dicendum est de herbis medicinalibus, quæ cùm sint res naturales, & ad opus creationis pertineant, debuerunt pariter cum ipso universo, ut partes ejus naturales creari: sacramenta verò, cùm sint res supernaturales & artificiales, ad perfectionem naturalem universi non spectant, unde non debuerunt ante peccatum institui, & cum ipso universo creari. 32.

Nec obstat quod subditur de prudenti Medico, qui non solùm præsentibus ægritudinibus debet mederi, verùm etiam ab illis quæ timentur sanos præservare: facilè enim respondetur, in statu innocentiæ hominem nedum medicinâ sanante, sed nec præservante eguisse; medicina enim præservativa non debet applicari nisi iis qui jam sunt dispositi ad morbum, & quibus ob aliquê humorem corruptum timetur morbus, in statu verò innocentiæ sicuti nulla erat ignorantia, nulla passio inordinata, sed summa facilitas faciêdi quodcumque bonum: ita nulla erat dispositio & propensio in morbum. Quod verò Adam de facto peccaverit, hoc ex propria ipsius malitia ortum habuit, non verò ex prava aliqua dispositione 33.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tione quâ esset affectus, & ideò non indigebat medicinâ præservativâ. Præterquam quod sufficienter ipsi provisum fuerat per justitiam originalem, & donum integritatis, aliaque dona & privilegia quibus in illo felicissimo statu dotatus fuit: *Erat enim* (inquit Augustinus) *pudicitiâ armatus, temperantiâ compositus, claritate splendidus. Ipsum* (subdit Bernardus) *misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat justitia, pax fovebat.* Denique, ut ait Ambrosius: *Operatus erat virtutum velamine, priusquam prævaricaretur.*

In concione ad Carthecum. Serm. de Annunt.

34. Objicies quintò cum Suare contra secundam conclusionem: Sacramenta in statu innocentiæ habuissent congruam rationem suæ institutionis, & inquantùm sunt signa, & inquantùm sunt causæ: Ergo fuissent in illo. Consequentia patet, Antecedens quoad primam partem probatur. Sacramenta sunt signa deservientia non solùm ad acquirendam cognitionem rerum supernaturalium, sed ad alias etiam utilitates, putà ad profitendam interiorem fidem, ad excitandam memoriam & affectum erga bonitatem Dei, ad quandam repræsentationem mysteriorum supernaturalium, ad consensionem & unitatem hominum in una religione: Ergo inquantùm signa habuissent congruam rationem suæ institutionis. Secunda etiam pars Antecedentis probatur. Producere gratiam per res sensibiles, est unum ex maximis operibus potentiæ, sapientiæ, & bonitatis divinæ; & insuper non parùm videtur redundare in hominum utilitatem, ut ex opere operato conferatur ipsis gratia: Ergo sacramenta, etiam inquantùm sunt causæ gratiæ, habuissent in statu innocentiæ congruam rationem suæ institutionis.

35. Respondeo, negando Antecedens, ad probationes, in primis dico, omnes illas utilitates non esse sufficientes ad sacramenta instituenda, si desit primarius & principalis finis sacramentorum, qui est homines per illa sanctificari: sicut non veniret Christus in carne passibili, si deficeret finis redimendi à peccatis, licèt aliæ congruentiæ essent. Secundò dico, illas omnes congruentias potuisse quidem Deum movere, ut instituere-D ret quædam sacramenta diversæ rationis à nostris, ex vi alterius decreti, sed quòd ex vi decreti quod Deus habuit de facto, & ex quo modo sunt instituta in remedium peccati, ea instituisset in statu innocentiæ, non probat Suarez, & contrarium nos ostendimus conclusione secundâ, duplici ratione. Addo quod, sacrificia, oblationes, aliique cultus externi, abundè sufficerent ad varias illas utilitates, quæ & fusè & inutiliter referuntur à Suare.

36. Objicies sextò: Sacramenta vivorum, putà Eucharistia, & Ordo, sunt per se instituta ad significandum & causandum augmentum gratiæ: Sed in statu innocentiæ gratia quam habuissent homines à nativitate, potuisset augeri: Ergo in eo statu ad producendum & significandum illud augmentum sacramenta fuissent instituta.

37. Respondeo sacramenta vivorum esse instituta ad augendam gratiam, vel regenerativam, vel sanativam, quæ nimirum primò collata sit per sacramenta mortuorum, ut est gratia baptismalis, vel gratia in sacramento pœnitentiæ recuperata: non verò ad augendam gratiam seu justitiam originalem, quæ nullam præsupponit ægritudinem. Potuisset autem hæc gratia aliis modis augeri, putà per exercitium bonorum operum, maximè verò actuum charitatis, quos in statu innocentiæ facillimum erat elicere.

Dices, Saltem Eucharistia in illo statu potuit 38. institui, ut per illam homines intimiùs Christo unirentur: Ergo congruum fuit, quod saltem Eucharistia institueretur in statu innocentiæ.

Sed nego Antecedens, quia non existente Adæ peccato, Christus non venisset in carne passibili, quem tamen adventum Eucharistia supponit. Deinde Eucharistia est instituta per modum medicinæ præservativæ, ad succurrendum nostræ fragilitati, & à frequenti lapsu nos præservandum, unde etiam datur per modum cibi & po-B tûs confortantis nos, & infirmitatem præsupponentis, quæ omnia non fuissent in statu innocentiæ.

Objicies septimò: In statu innocentiæ potuis- 39. sent homines peccare, sicut de facto peccavit Adam: Ergo pro illis reparandis decebat sacramenta esse. Consequentia videtur manifesta, in illo enim statu in quo possent esse vulnera, non essent incongruæ medicinæ.

Respondeo, concesso Antecedente, negando 40. Consequentiam: nam supposito etiam quod aliqui ex posteris Adæ peccassent, non fuisset adhuc congruum, ut essent sacramenta; quia quan-C diu natura humana in suo capite & pluribus ejus membris retinuisset integritatem & justitiam originalem, non fuisset congruum ut subderetur aliquo modo rebus sensibilibus in acquisitione gratiæ & scientiæ rerum supernaturalium, quamvis in aliquibus individuis ab hujusmodi rectitudine & integritate decidisset, sed quandiu mansisset absolutè in capite, & pluribus ejus membris, in illa dispositione, tandiu fuisset consentaneum rationi, ut nedum perfectionem gratiæ & scientiæ rerum supernaturalium acquireret sine dependentia à sensibilibus, per immediatum influxum Dei, sed etiam ut eam recuperaret, & in aliquibus individuis eam aliquando per peccatum amisisset. Unde si in statu innocentiæ aliqui homines peccassent, non recuperassent gratiam mediantibus sacramentis, sed per actus charitatis D & contritionis, quos, ob perfectiorem Dei cognitionem, faciliùs in eo statu elicere potuissent, quàm nos; subindeque sacramento pœnitentiæ, supplente vices perfectæ contritionis, non indiguissent, sicuti nos.

§. IV.

Aliud argumentum solvitur, & an in statu innocentiæ fuissent sacrificia, declaratur.

OBjicies ultimò: In statu innocentiæ fuissent 41. sacrificia: Ergo & sacramenta. Consequentia videtur legitima, tum ex paritate rationis: E tum etiam quia homo in illo statu ideò uteretur sacrificiis, quia constat corpore & animâ, & in utroque Deum debet colere: Ergo eadem ratione deberet uti sacramentis, ut sanctificationem suam, non solùm spiritualiter, sed etiam corporaliter, id est mediante signo sensibili, externo, & corporeo, consequeretur.

Respondet Soto in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 2. 42. negando Antecedens existimat enim, quod sicut in statu innocentiæ non fuissent sacramenta, ita nec sacrificia.

Sed hæc solutio displicet, nam S. Thomas 2. 2. quæst. 85. art. 1. ait quod *offerre Deo sacrificium est de jure naturali*, quia in qualibet ætate, & apud

apud quoslibet hominum nationes, semper fuit A aliqua sacrificiorum oblatio. Pro cujus ampliori notitia.

43. Sciendum est, homines lege naturali obligari ad colendum Deum, propter summam ipsius excellentiam, supremumque dominium. Verùm Deus potest ab homine coli tribus modis, primò per actus purè internos, quibus confitetur ipsum esse unum & trinum, creatorem, & conservatorem, ac demum glorificatorem. Secundò per virtutum officia, & laudes exteriores, ac enarrando mirabilia ejus. Tertiò per sacrificia & oblationes, offerendo scilicet illi de bonis corporeis & sensibilibus. Non solùm autem est de jure naturæ, Deum colere actibus interioribus, aut B exterioribus virtutum, & enarratione mirabilium ejus, sed etiam bonorum temporalium oblationibus. Cujus rationem assignat D. Thomas loco citato, quia ratio naturalis dictat homini, ut alicui superiori, scilicet Deo subdatur, propter defectus quos sentit in seipso, in quibus eget adjuvari & dirigi ab illo, eique cultum, subjectionem, & honorem exhibeat, secundùm modum suum: modus autem conveniens homini est, ut aliquibus sensibilibus utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Ratio ergo naturalis dictat homini, ut utatur aliquibus rebus sensibilibus, offerens illas Deo in signum debitæ subjectionis & honoris: Sed hoc pertinet ad rationem sacrificij: Ergo offerre Deo C sacrificium est de jure naturæ.

44. Confirmatur: Homo non tantùm accipit à Deo corpus & animam, sed etiam res exteriores, quibus ad animi profectum, oblectationem, vel exercitium, & ad corporis sustentationem & conservationem utitur: Ergo non solùm corpore & animo debet Deum colere, sed etiam rebus externis, quarum oblatione, consumptione, aut alio simili usu, protestetur Deum esse omnium dominum, eique gratias agat: juxta illud 1. Paralip. 29. *Tua sunt omnia, & de iis quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi:* Ergo offerre Deo sacrificium est de jure naturæ, subindeque ad hoc homo fuisset obligatus, etiam in statu innocen- D tiæ, si perseverasset.

45. Dices primò cum Soto: De ratione sacrificij est, quòd sit pro peccatis institutum, quòd sit ex propriis bonis offerentis, & quòd cedat in usum ministrorum: Sed in statu innocentiæ non fuisset peccatum, nec bonorum proprietas, quin imò omnia fuissent communia, & sic non potuisset sacrificiorum materia cedere in usum ministrorum, quia nullam passi fuissent necessitatem: Ergo non potuissent esse sacrificia.

46. Respondeo hæc omnia enumerata non esse de ratione sacrificij ut sic, sed ei accidere, suppositâ amissione justitiæ originalis; nam de essentia sacrificij ut sic, solùm est quod ordinetur ad re- E cognoscendam supremam Dei majestatem, & consequenter ad protestandam subjectionem nostram ad Deum: unde propter has causas extrinsecas non est negandum sacrificium in statu innocentiæ, cùm intrinseca ratio ejus, cum perfectione illius statûs non repugnet, sed maximam habeat congruentiam. Præterquam quod, falsum est quod ait Soto, nempe quod in statu innocentiæ non fuissent peccata: nam si status justitiæ originalis perseverasset, homines non fuissent in gratia confirmati, ut docet D. Thomas 1. parte qu. 101. art. 2. subindeque peccare potuissent, ut infelix Adami casus satis demonstrat.

Dices secundò: Omnes justi legis naturæ ser- 47. varunt ea quæ sunt juris naturalis: Sed nullibi in Scriptura legimus de Isaac quod sacrificium obtulerit, sicut nec de Adam, postquam è paradiso terrestri ejectus est: Ergo offerre Deo sacrificium non est de jure naturæ.

Respondeo, concessâ Majori, negando Mino- 48. rem: nam ut ait D. Thomas 2. 2. qu. 85. art. 1. ad 2. *Adam & Isaac, sicut alij justi sacrificium obtulerunt Deo secundùm sui temporis congruentiam, ut patet per Gregorium lib. 4. Moralium cap. 2. qui dicit quod apud antiquos per sacrificionale. Non tamen de omnibus ustorum sacrificiis fit mentio in Scriptura, sed solùm de illis circa quæ aliquid specialiter accidit. Potest autem esse ratio quare Adam non legitur obtulisse sacrificium, nè scilicet quia in ipso notatur origo peccati, similiter etiam in eo sanctificationis origo signaretur. Isaac verò significavit Christum, inquantùm ipse oblatus est in sacrificium: unde non oportebat ut significaretur quasi sacrificium offerens.*

Aliter ergo ad principalem objectionem res- 49. pondeo, concesso enim Antecedente, nego consequentiam & paritatem: duplex enim est ratio discriminis. Prima patet ex jam dictis, sacrificiorum enim oblatio (ut ostendimus) est de jure naturæ, illud autem quod est de jure naturæ, debet in quolibet statu reperiri; sacramenta verò non sunt de jure naturæ, quia nec consequuntur ex lumine naturali per se & necessariò, neque connaturalia sunt gratiæ, cùm illa connaturaliter possit sine sacramentorum adminiculo communicari, ut patet in Angelis, & in primis parentibus, ac in illis justis, qui in utero matris à Deo sanctificati sunt.

Secunda ratio discriminis est, quia cultus Dei 50. externus, est aliquid debitum Deo, ex subjectione quam habet homo Deo, non solùm spiritualiter, sed etiam corporaliter; sanctificationem autem ipsius hominis fieri per signa corporalia, non est debitum naturæ humanæ, quando talem statum habet, ut perfectissimè Deo subjiciatur, quia tunc ex vi subjectionis hujus, sanctitatem hanc habere debet. Unde licèt non sit inconveniens in statu innocentiæ signa externa fuisse, quibus homines in rebus sacris communicarent (hoc enim potiùs perfectionem dicit, cùm hæc signa ex sanctificatione interna dimanaverint) erat tamen inconveniens, quòd homo in eo statu his signis subjiceretur, ut ab eis suam perfectionem & sanctificationem emendicaret, ut suprà ostensum est. Ex quo patet responsio ad secundam probationem consequentiæ: quia enim homo constat corpore & animâ, in utroque debet cultum Deo reddere, secundùm protestationem interiorem & exteriorem; sed quando constat corpore & animâ perfectè Deo subjectâ (sicut constabat in statu innocentiæ) non debet sanctificationem suam ex signis externis, sed ab ipso Deo immediatè accipere. Et quidem cùm sanctificatio sit quid solùm spirituale, non est per se loquendo necessarium eam applicari corporaliter; cultus autem Dei & spiritualiter & corporaliter debet exhiberi, quia in utroque subjicitur homo Deo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICULUS II.

An in statu legis naturæ fuerint vera sacramenta, tam pro adultis, quàm pro parvulis, eaque immediatè à Deo determinata fuerint, & necessaria necessitate medij ad salutem.

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

51. SUppono primò, statum naturæ per peccatum corruptæ, secundùm triplicem legem dividi: alius enim est status hominis lapsi sub lege naturæ, qui duravit ab Adamo lapso usque ad Moïsem, & dicitur legis naturæ, non quasi distinctæ contra legem supernaturalem, ita ut sola præcepta quæ dictamen rationis naturalis suggerit obligarent (nam revera sub illa lege implebantur etiam præcepta supernaturalia fidei, spei, & charitatis) sed ut distinctæ à lege scripta, quia scilicet in illo statu nulla fuit lex scripto mandata ex instituto Dei, sed lex naturalis, solo instinctu interiori naturæ; & lex supernaturalis, solâ inspiratione Dei, quasi per modum naturæ, erant cognitæ. Alius verò status fuit hominis lapsi sub lege scripta, qui duravit à Moïse usque ad Christum. Alius denique sub lege gratiæ, qui à Christo usque ad finem mundi duraturus est.

52. Suppono secundò, quod licèt status legis scriptæ, rigorosè loquendo, non incœperit nisi à tempore quo lex fuit tradita Moïsi (utpotè cùm ante id tempus nullum Dei præceptum fuerit litteris mandatum, saltem ex divina institutione) tamen ubi primum circumcisionis præceptum Deus Abrahamo imposuit, statim cœpit declinare status legis naturæ, & insinuavit se status legis scriptæ, eò quòd circumcisio fuit (ut docet D. Thomas) quædam dispositio & præparatio ad legem scriptam; propter quod tempus quod inter Abraham & Moïsem fluxit, acutè vocant Theologi, confinium legis naturæ & legis scriptæ; sicut intervallum temporis quod à Joanne Baptista usque ad Christum condentem legem gratiæ transmissum est, dicitur confinium legis scriptæ & legis gratiæ, ipseque Joannes, *terminus legis, & initium Evangelij*, à D. Thoma 3. parte quæst. 38. art. 1. ad 2. & à Petro Chrysologo serm. 91. *legis & gratiæ fibula*, appellatur. Non procedit autem difficultas de lege naturæ, nisi ut à tali ejus & legis scriptæ confinio præcisæ, atque adeò de illo duntaxat tempore quod ab Adamo lapso, usque ad præceptum circumcisionis Abrahamo impositum, fluxit; certissimum enim est circumcisionem fuisse sacramentum, ut ostendemus Tractatu sequenti, ubi de baptismo & de circumcisione quæ illum præcessit, & cui baptisma successit, disseremus.

In 4. dist. 1. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 1.

53. De statu ergo legis naturæ, sic considerato, tria inquirimus. Primum est, an in eo vera sacramenta tam pro parvulis, quàm pro adultis fuerint? Secundum, an talia sacramenta fuerint à Deo immediatè determinata, vel relicta in hominum arbitrio? Tertium, an ea fuerint necessitate medij ad salutem necessaria?

Circa primum, Soto, Martinus de Ledesma, Martinez de Prado, & alij, docent, nulla prorsus in statu legis naturæ fuisse vera sacramenta. Suarez verò, Vazquez, Delugo, & alij ex Recentioribus, concedunt quidem in tali lege fuisse sacramentum ad delendum peccatum originale, institutum pro parvulis, negant tamen fuisse aliquod ad delenda peccata actualia, institutum pro adultis.

Circa secundum Scotus & Ricardus asserunt, illud saltem sacramentum quod pro parvulis justificandis institutum erat in lege naturæ, fuisse à Deo immediatè determinatum in particulari, sicut sacramentum circumcisionis in lege scripta.

Circa tertium Hugo Victorinus lib. 1. de sacramentis p. 2. cap. 3. & 6. dicit sacramentum in lege naturæ pro parvulis, fuisse devotionis & non necessitatis. Suarez verò hìc disp. 4. sect. 4. admittit sacramenta in lege naturæ fuisse quidem necessaria pro parvulis, eò quòd sint incapaces contritionis, secùs tamen pro adultis, quia poterant justificari per solam contritionem. Alij ex opposito asserunt, sacramenta tunc fuisse solùm necessaria adultis, non autem parvulis, quia ad eorum justificationem ab originali, sufficiebat fides parentum. Ita docent Albertus Magnus in 4. dist. 1. quæst. 11. Paludanus qu. 5. art. 5. Cano relectione de sacramentis in genere, Vazquez, Meratius, Bernal, & alij.

§. II.

Triplici conclusione triplex difficultas proposita resolvitur.

DIco primò: In lege naturæ fuerunt vera sacramenta pro parvulis & pro adultis, in remedium peccati originalis, & actualis.

54. Prima pars conclusionis probatur primò ex D. Augustino lib. 5. contra Julianum cap. 11. hæc scribente: *Non est credendum ante datam circumcisionem, famulos Dei (quandoquidem illis inerat Mediatoris fides) nullo ejus sacramento opitulatos esse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliquâ necessariâ causâ, Scriptura sacra tacere voluerit.* Ubi ponderandum est, S. Doctorem loqui de sacramento propriè dicto, quatenus à sacrificio distinguitur. Tum quia Scriptura non tacet sacrificia legis naturæ, quandoquidem Genes. 4. sacrificium Caïn & Abelis, 8. sacrificium Noë, 14. sacrificium Melchisedech, & Job 1. sacrificium hujus Patriarchæ narrantur. Unde subdit Augustinus post verba recitata: *Nam & sacrificia eorum legimus, quibus utique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata mundi.* Tum etiam, & maximè, quia illud sacramentum non erat, sicut sacrificium, ut distinctum à sacramento, signum merè speculativum, sed practicum ipsius gratiæ, utpotè in actuali ejus applicatione parvulis de facto conferendæ. Item D. Cyprianus in libro de Cardinalibus Christi operibus, capite de circumcisione ait: *Sanè originale peccatum, quod à primis parentibus in totam generis hujus successionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiare.* Ibidem autem talia remedia vocat sacramenta: verba autem Patrum, in materia dogmatica, debent propriè sumi, nisi ex eo sequatur aliquod inconveniens, quod nullum potest assignari in præsenti. Idem asserit Hugo de S. Victore lib. 1. de sacramentis, p. 2. cap. 1. ubi addit, non rectè sentire qui contrarium opinantur.

55. Probatur secundò eadem pars ex D. Thoma hìc art. 2. loquendo de toto tempore quod fuit post peccatum Adami, ante Christi adventum (quod comprehendit statum legis naturæ, & tempus circumcisionis præceptæ Abrahamo, & tempus legis Mosaïcæ) ait, *quod necesse fuit quædam sacramenta institui.* Et infrà qu. 70. art. 4. ad 2. hæc scribit *Probabile est, quod parentes fideles pro parvulis natis, & maximè in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro seipsis preces & sacrificia offerebant.* Ergo tam externa sacramenta agnoscit S. Thomas pro remedio parvulorum in lege naturæ, de qua ibi loquitur, quàm externa fuerunt sacrificia pro salute adultorum.

56. Probatur tertiò eadem pars ratione fundamentali. Remedium sensibile peccati originalis, est verum sacramentum: Sed in lege naturæ fuit aliquod remedium pro peccato originali, illudque fuit sensibile: Ergo in lege naturæ aliquod sacramentum à Deo institutum est in remedium peccati originalis. Major patet, nam remedium sensibile ordinatum ad culpam originalem delendam, est significativum gratiæ, tale peccatum tollentis: Sed signum sensibile gratiæ, est verum sacramentum: Ergo remedium sensibile peccati originalis, est verum sacramentum. Minor etiam quantùm ad primam partem certa videtur, nam Deus vult voluntate antecedenti omnes homines salvos fieri, subindeque dat omnibus sufficientia remedia ad salutem, juxta singulorum capacitatem: *Hujus enim voluntatis effectus, est ipse ordo in finem salutis, & promoventia in finem, omnibus communiter proposita, tam naturalia, quàm gratuita,* inquit S. Thomas in 1. dist. 46. quæst. 1. art. 1. unde cùm parvuli sub tali voluntate & providentia Dei generali comprehendantur, debuit Deus in quacunque lege & statu naturæ, sufficiens remedium ad salutem, subindeque ad tollendam maculam peccati originalis, ipsis præparare.

57. Confirmatur: Post legem scriptam fœminæ apud Judæos justificabantur ab originali, etiam cùm parvulæ essent; neque enim verisimile est, in populo fideli masculos ab originali justificari, & non fœminas: cùm autem eis non applicaretur nisi remedium legis naturæ (nec enim de alio constat, cùm non fuerit in lege aliquod institutum) manifestè sequitur, quod pro parvulis erat remedium originalis in statu legis naturæ.

58. Quod verò tale remedium fuerit sensibile (ut in secunda parte Minoris principalis asseritur) multipliciter suadetur. Primò, quia oportebat remedium illud legis naturæ parvulis applicari, ut ipsi consequerentur salutem: Sed non est conveniens applicatio inter homines, & modo humano, si fiat per actum purè internum, & non externâ aliquâ operatione: Ergo tale remedium legis naturæ, non erat purè spirituale, sed internum, ac sensibile.

Secundò, parvuli dum justificabantur in lege naturæ, adunabantur Ecclesiæ fidelium, non minùs quàm adulti: Sed in nullum religionis nomen (inquit Augustinus) adunantur homines, sine sacramentorum visibilium consortio: Ergo remedium illud quo parvuli in lege naturæ justificabantur, erat externum & sensibile, & non puræ internum & spirituale.

Tertiò, Ecclesia semper fuit visibilis: Ergo & id quo parvuli in lege naturæ fiebant membra Ecclesiæ.

Quartò, Remedio legis naturæ pro justificatione parvulorum, successit in lege scripta circumcisio, & in lege nova baptismus: Ergo sicut ista remedia sunt externa, & sensibilia, ita & illud quod in lege naturæ pro justificandis parvulis institutum erat.

Quintò, Decuit ut sicut Salvator hominum homo sensibilis erat, ita etiam homines in omni lege, & statu, salutem per ipsum consequerentur, mediantibus signis sensibilibus.

Denique, Si remedium quod erat in lege naturæ pro justificatione parvulorum, fuisset aliquid insensibile, nempe solus actus fidei interioris parentum in Christum venturum, ad parvulos suos explicitè vel implicitè directus, ut docent Adversarij, vel habuisset talis actus ex sua natura, vel solùm ex divina institutione, quod solus justificaret illos parvulos? Non ex natura sua, tum quia non fuit tunc actus fidei ex natura rei majoris efficaciæ, quàm sit modò post Christi adventum: modò autem non sufficit fides ex sua natura ad alicujus justificationem. Tum etiam, quia cùm ex natura rei sola fides non possit producere in habente fidem ipsam gratiam, multominùs id in alio potest efficere. Quod si dicatur id fecisse ex institutione divina, contra est, quia sicut Adversarij fingunt ex divina institutione fidem parentum hanc virtutem & efficaciam habuisse, ita nos multò rationabiliùs dicere possumus, Deum instituisse signa sensibilia ad hanc sanctitatem efficiendam, quandoquidem hic modus homines justificandi est communis, & magis ipsis conveniens.

Addo quod in nostra sententia, major reperitur analogia & proportio, inter morbum peccati originalis, & ejus remedium; cùm enim peccatum originale, carnis propagatione contraheretur in lege naturæ, sicut modò, non erat consentaneum, nisi ut corporali etiam remedio, atque sensibili sanaretur.

59. Ex his probata manet contra Suarem secunda conclusionis pars, quæ asserit in lege naturæ fuisse pro adultis aliquod sacramentum ad delenda peccata actualia, debuit enim divina providentia non minùs aliquod remedium ad delenda peccata actualia, quàm ad tollendum peccatum originale præparare, cùm habeat voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, sive parvulos, sive adultos, & per talem voluntatem salutis media, seu remedia, hominibus præparentur, ut suprà ex D. Thoma vidimus: Sed remedium ad delenda peccata actualia in lege naturæ institutum, non minùs debuit esse sensibile, quàm remedium ad tollendum peccatum originale in eadem lege institutum, cùm rationes quæ hoc probant de uno, id etiam suadeant de alio: Ergo in lege naturæ fuit aliquod remedium sensibile ad tollenda peccata actualia, subindeque aliquod sacramentum, in remedium peccatorum actualium pro adultis institutum.

60. Confirmatur ex D. Thoma infrà quæst. 84. art. 7. ad 1. ubi sic ait: *De jure naturali est quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit, quantùm ad hoc quod doleat ea fecisse, & doloris remedium quærat per aliquem modum, & quod etiam aliqua signa doloris ostendat, sicut & Ninivitæ fecerunt, ut Jonæ 3. legitur.* Et in solut. ad 2. docet quod in lege veteri pœnitentia habuit aliquam determinationem, non solùm quoad dolorem de commissis, sed etiam quantùm ad remedium doloris quærendum, ut aliquo modo ministris Dei

homines

Universidad de Deusto
Biblioteca

homines confiterentur peccata sua saltem in generali. Igitur si de jure naturali erat remedium doloris quærere, & signa doloris ostendere, oportebat in lege naturæ hujusmodi remedium esse, subindeque aliquod sacramentum ad delenda peccata actualia institutum. Unde idem S. Doctor in 4. dist. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 2. *Ante legem scriptam* (inquit) *erant quædam sacramenta necessitatis, sicut illud fidei sacramentum, quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati & similiter pœnitentia, quæ ordinabatur ad deletionem actualis.* Cujus aliquod vestigium in Scriptura invenitur, ut apud Job capite ultimo, ubi inveniuntur sacrificia pro remissione peccatorum amicorum Job.

61. Verisimile etiam est in statu legis naturæ fuisse necessarium aliquod sacramentum, ad conservandum se in gratia, & ad illam augendam, correspondens Eucharistiæ nostræ, quæ fuit figurata per oblationem Melchisedech. Nec probabile est quod ait Suarez, tale sacramentum ad solam familiam Melchisedech fuisse restrictum, cùm neque Scriptura, neque traditio dicant quòd Deus tale sacramentum ad familiam Melchisedech restrixerit, & aliunde omnes congruentiæ, quæ afferri possunt hujus institutionis pro illa familia, valeant etiam pro aliis.

Dico secundò: Sacramenta legis naturæ non fuisse determinata immediatè à Deo in particulari, sed relicta in hominum arbitrio.

62. Probatur primò ex D. Thoma hîc art. 3. ad 2. ubi de sacramentis veteris legis ait: *Comparabantur ad sacramenta quæ fuerunt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatum: quia scilicet ante legem, non fuit determinatè præfixum homini quibus sacramentis uteretur.* Quod intelligendum est de sacramentis, quantùm ad signa visibilia quibus homines protestabantur in lege naturæ fidem suam de futuro adventu Salvatoris, non autem de ipsa protestatione fidei, quæ ex divina institutione erat hominibus necessaria ad salutem, ut infrà magis declarabitur.

63. Probatur secundò conclusio ratione quam ibidem insinuat idem S. Doct. Cùm status legis naturæ esset à Christo remotior statu legis scriptæ, fidem in ipsum habebat magis obscuram, & consequenter non exigebat sacramenta à Deo in particulari determinata.

64. Tertiò, cùm eo tempore nondum esset Scripturæ sacræ usus, neque homines in unum corpus adunarentur, vix potuisset divina talium signorum determinatio omnibus innotescere.

Denique, non est assignabile ex Scriptura aut traditione aliquod signum sensibile, in quo determinatè sacramentum in remedium peccati originalis Deus in lege naturæ instituerit, aliunde verò nulla afferri potest hujus determinationis congruentia, sed potiùs ejus indeterminatio congrua erat statui illius legis, ut ostensum est: Ergo absque fundamento Scotus & Ricardus asserunt, illud sacramentum fuisse immediatè à Deo determinatum in particulari.

65. Quamvis ergo divinâ institutione revelatâ Adæ, ab illoque posteris indicatâ, determinatè præfixum fuerit homini in lege naturæ, ut pro sacramentis uteretur protestatione fidei de Salvatore venturo, factâ signo aliquo exteriori (non enim voluntati hominis relictum erat, ut ipse sacramenta instituereret, aut pro sacramentis uteretur quibus rebus voluisset) hoc tamen signum non fuit divinâ institutione determinatum, sed interiori instinctu determinabant se homines, quo signo, actu, vel ritu, aut quibus rebus sensibilibus uterentur, ad prædictam fidem protestandam, ut colligitur ex D. Thoma quæst. præcedenti art. 5. ad 3. ubi sic ait: *Sicut in statu legis naturæ homines nullâ lege exterius datâ, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur.* Et 1. 2. quæst. 103. art. 1. *Quia ante legem* (inquit) *fuerunt quidam viri præcipui, prophetico spiritu pollentes, credendum est, quod ex instinctu divino, quasi ex quadam privata lege, inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, qui & conveniens esset interiori cultui, & etiam congrueret ad significandum Christi mysteria.* Qui modus colendi Deum non erat sacramentum ipsum secundùm substantiam, sed ritus quo conficeretur, aut signum exterius quo protestatio externa fidei de Salvatore venturo, in qua substantia sacramenti consistebat, fieret.

66. Advertendum tamen est, quod licèt Prophetæ & viri sancti, hujusmodi signis sensibilibus ex divino duntaxat instinctu determinatis uterentur ad protestandam fidem de Salvatore venturo, in sacramentis, & in sacrificiis; valde tamen probabile est, quamlibet Rempublicam determinasse in particulari, per commune civium suffragium, sacrificiorum & sacramentorum materias; tum quia id expediebat ad perfectam unitatem & uniformitatem religionis servandam: Tum etiam quia ad Rempublicam benè institutam pertinet dirigere cives, non solùm in ordine ad bonum temporale, sed etiam, imò & maximè, in ordine ad bonum spirituale. Unde licèt quilibet particularis potuisset validè alia signa sensibilia, quàm determinata à Republica sua, pro materia sacramentorum, aut sacrificiorum assumere, quia hæc determinatio signorum in particulari, non erat de jure divino; peccasset tamen, tum propter scandalum, tum propter periculum cui se exposuisset, assumendo signa quæ fortasse finibus sacramentorum vel sacrificiorum significandis, non fuissent ita proportionata & convenientia, sicut determinata à Republica.

Nulli autem mirum esse debet, quòd Deus cum hac indeterminatione materiæ, legis naturæ sacramenta instituerit, nam etiam in lege Evangelica sacramentum matrimonij instituit cum aliqua simili indeterminatione, ut disp. præcedenti art. 5. declaravimus; & eandem aut similem indeterminationem, plures graves Theologi (quos ibidem retulimus) in materia sacramenti Ordinis admittunt.

67. Dico tertiò: Sacramenta fuisse necessaria in lege naturæ, necessitate medij, non solùm parvulis, sed etiam adultis.

Explicatur conclusio: Illud dicitur necessarium necessitate præcepti, quod est quidem in præcepto, sed tamen sine illo salvari quis potest, vel propter ignorantiam, vel propter impotentiam: necessarium autem necessitate medij, est illud sine quo nullus salvari potest, nec excusatur ob ignorantiam, vel impotentiam: sicut quantumcumque quis ignoret Baptismum, si tamen illum non suscipiat, salvari non potest. Dicimus ergo, quod in statu legis naturæ sacramenta quæ ad delendum peccatum originale & actuale, pro parvulis & adultis à Deo instituta fuere, erant in eo statu ad salutem necessaria, nedum

necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij.

68. Probatur prima pars ex dictis in prima conclusione, ibi enim ostendimus, quod in statu legis naturæ, non sufficiebat pro justificatione parvulorum sola fides, vel actus interior, sed requirebatur insuper signum aliquod exterius & sensibile, quo fides interior de venturo Salvatore declararetur, subindeque aliquod sacramentum.

69. Confirmatur: Nulla est ratio cur in lege scripta, & in lege nova fuerint, & sint necessaria necessitate medij sacramenta externa, & in statu legis naturæ, sine externo signo parvuli justificari potuerint; siquidem non minùs necessaria erant signa sensibilia in lege naturæ, quàm in aliis statibus.

70. Probatur secundò eadem pars, ex absurdo & inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia: si enim sola fides parentum in lege naturæ fuisset sufficiens ad salutem parvulorum, cùm æquè illis qui nondum nati essent, ac eis qui jam nati fuissent, applicari potuisset, justificasset pueros in utero materno morientes, quod tamen non potest admitti; aliàs enim non tantùm per accidens, sed etiam per se & ordinariè, facilior fuisset via salutis pro parvulis in illa lege, quàm sit modò pro parvulis in statu legis gratiæ, utpotè quibus applicari nequit adhuc in utero materno existentibus, remedium unicum (scilicet baptisma) ad eos salvandos à Christo institutum.

71. Dices contra hanc rationem: sicut Deus secundùm legem ordinariam, modò non regenerat nisi priùs natum per naturam, ita neque tunc voluit, ut fides parentum prodesset parvulis, nisi natis per naturam, atque adeò extra uterum matris existentibus.

Sed contra: Ideò Deus secundùm legem ordinariam modò non regenerat nisi priùs natum per naturam, quia illud quo secundùm legem ordinariam regenerat, non est applicabile puero nondum nato, ut docet D. Thomas infrà qu. 68. art. 11. ad 1. his verbis: *Pueri in maternis uteris existentes, nondum prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant; unde non possunt subjici actioni humanæ, ut per eorum ministerium sacramenta recipiant ad salutem:* Sed fides parentum fuisset applicabilis suis parvulis nondum natis, tempore legis naturæ: Ergo per talem fidem illi fuissent regenerati.

72. Potest insuper suaderi eadem pars, ex eo quod nostra sententia, magis quàm opinio contraria, repugnet doctrinæ hæreticorum nostri temporis, asserentium non esse necessarium modò Baptismum in re parvulis, sed sufficere illis ad salutem, quod ex parentibus fidelibus nati sint, idque quia (inquiunt) aliàs deterioris conditionis essent infantes modò in lege gratiæ, quàm in lege naturæ, quandoquidem illis sufficiebat ad salutem fides parentum.

73. Ex his probata manet secunda pars conclusionis, quæ asserit sacramentum in lege naturæ pro adultis institutum ad remissionem peccatorum actualium, fuisse illis necessarium ad salutem, necessitate medij: nam licèt illi possent habere interiores actus fidei & charitatis, tamen ad salutem erat tunc necessaria ipsa protestatio & confessio fidei, juxta illud Roman. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem:* Ergo in tali lege, adultis necessarium erat ad salutem, necessitate medij, sacramentum aliquod externum, & sensibile, quo interior fides de venturo Salvatore declararetur.

Addo quod, in omni statu remedium originalis peccati, quod erat necessarium parvulis sine propria dispositione, erat necessarium adultis cum propria dispositione; solùm enim in hoc erat differentia ex parte dispositionum, ex parte autem signi sensibilis, quod per talem dispositionem suscipiendum est, omnibus necessarium est; nec enim est ratio cur parvuli eo signo deberent uti in fide communi Ecclesiæ, & non adulti in dispositione propria, ut rectè dicit Joannes à S. Thoma hic art. 3. dubio 2. Unde S. Thomas suprà citatus ait, *quod ante legem scriptam erant quædam sacramenta necessitatis, sicut illud fidei sacramentum quod ordinabatur ad deletionem originalis peccati, & similiter pœnitentia, quæ ordinabatur ad deletionem actualis.* 74.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem: Status legis naturæ non habuit particularia præcepta Dei circa supernaturalia, quæ positivè à Deo darentur, aliàs non differret à lege scripta: Ergo neque habuit sacramenta. Consequentia patet, quia hæc debent esse positivè instituta à Deo, sive immediatè, sive mediatè. 75.

Confirmatur: De sacramentis, cùm sint supernaturalia, nihil definiendum est, nisi quod in Scriptura revelatum est: Sed nullibi in Scriptura sacra revelatur, fuisse sacramenta in lege naturæ in remedium peccati originalis, & actualis: Ergo non est asserendum de facto talia sacramenta in lege naturæ fuisse. 76.

Ad objectionem respondeo negando Majorem, falsum enim est quod lex naturæ excluderet omnia præcepta positiva, includebat enim aliqua, licèt paucissima, & ad quorum memoriam non opus esset scripturâ; quod certè in doctrina Adversariorum necessariò admitti debet, quandoquidem, cùm fides parentum non haberet ex sua natura, sed solùm ex divina institutione, quod parvulos justificaret, requirebat necessariò præceptum positivum: unde status ille non dicitur legis naturæ, quòd omnia prorsus præcepta positiva excluderet, sed quia in eo non gubernabantur homines per cæremonias & leges determinatas in particulari à Deo, sicut in lege scripta & Evangelica, sed solùm in communi, relinquendo earum determinationem in particulari, Reipublicæ, vel Principibus familiarum, ob rationes suprà declaratas. 77.

Ad confirmationem dicendum, quod licèt in Scriptura non legamus fuisse in lege naturæ aliqua sacramenta, in remedium peccati originalis & actualis, id tamen probabiliter à nobis asseritur, propter doctrinam Augustini citatam, & authoritatem multorum Doctorum, tam antiquorum, quàm recentiorum, nec non propter rationes allatas. Neque silentium Scripturæ quoad hoc, probabilitati nostræ opinionis adversatur: tum quia Augustinus citatus affirmat, Scripturam, aliqua necessaria de causa, licèt eam ignoremus, sacramenta legis naturæ tacuisse. Tum etiam, quia certum est, quod Adam post peccatum sacramenta suscepit, & sacrificia obtulit, & tamen id non referunt sacræ litteræ, sicut nec legitur quod Isaac sacrificium obtulerit. Unde rectè ait Cano relect. de sacram. parte 3. ad 3. 78.

Gravis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gravis error eorum est, qui de sacramentis nihil discerni posse credunt, nisi quod sacris litteris traditur: multa enim verbo tenus, & in nova, & in antiqua lege tradita sunt, quæ scripto non fuerunt mandata.

79. Objicies secundò: De ratione sacramenti est, quod gratiam conferat ex opere operato, seu ultra meritum suscipientis; aliàs enim inutile erit ad sanctificationem hominis: Atqui in lege naturæ nullus justificari poterat ex opere operato, sed solùm ex opere operantis; quia justificari ex opere operato, est justificari ex meritis Christi operatis, & positis in rerum natura, quod illi statui convenire non poterat: Ergo in lege naturæ nulla prorsus sacramenta fuere.

80. B Respondeo primò, hoc argumentum nimis probare, probat enim circumcisionem in lege scripta non fuisse sacramentum, imò nullum prorsus in tali lege fuisse sacramentum, cùm ante Christi adventum, nullus justificari potuerit ex opere operato.

81. Respondeo secundò, distinguendo Majorem: de ratione sacramenti est quod gratiam conferat ex opere operato, vel activè, vel passivè, concedo Majorem. Activè semper, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: sacramenta legis naturæ non poterant conferre gratiam ex opere operato, activè, concedo Minorem. Passivè, nego Minorem: & Consequentiam.

82. C Explicatur solutio: Dari ex opere operato gratiam per sacramenta dupliciter potest intelligi, uno modo passivè, alio modo activè. Dari gratiam ex opere operato passivè, est dari gratiam suscipientibus tale sacramentum passivè, solo Deo activè eam præbente ad præsentiam sacramenti, non tamen ipso sacramento activè concurrente. Dari autem gratiam ex opere operato activè, est sacramenta ipsa activè ad justificationem & productionem gratiæ concurrere. Quia ergo sacramenta legis naturæ, & legis Mosaïcæ, non continebant virtutem instrumentalem productivam gratiæ, sicut sacramenta novæ legis, nec efficienter physicè ad justificationem concurrebant, sed solùm movebant moraliter Deum, ut ad præsentiam ipsorum gratiam in suscipientibus produceret; hinc est quod per sacramenta illa, gratia ex opere operato passivè solùm data fuisse dicitur; è contra verò Baptismus, & alia novæ legis sacramenta, ex opere operato activè justificare dicuntur, quia supponunt passionem Christi jam factam, & ex ejus virtute gratiam conferunt. Ita præclarè Joannes à S. Thoma hic art. 3. dub. 1. D

Nec ex hoc sequitur, sacramenta legis naturæ, & legis scriptæ, fuisse prorsus inutilia; tum quia, ut diximus, moraliter movebant & excitabant Deum, ut ob merita Christi futura, gratiam conferret ritè ea suscipientibus. Tum etiam, quia (ut suprà ostendimus) deserviebant ad humiliationem ipsius hominis, in sui sanctificatione. E

83. Objicies tertiò specialiter contra secundam partem primæ conclusionis: Sacramentum pœnitentiæ est illud unicum quod datur & dari potest pro peccato actuali, post remissum originale: Sed in lege naturæ non fuit sacramentum pœnitentiæ, tum quia pertinet ad novæ legis sacramenta; tum etiam quia designari non potest tempus, pro quo illud sacramentum suscipi debuisset; non enim sufficiens fuisset semel in vita, nec necessarium esset, quotiescumque homo converteretur ad Deum, illud suscipere: Ergo in lege naturæ nullum fuit sacramentum pro remissione peccatorum actualium. A

Respondeo, concessâ Majori, distinguendo Minorem: in lege naturæ non fuit sacramentum pœnitentiæ, quod fieret eodem modo quo fit in lege gratiæ, sive quod fieret per vocalem confessionem peccatorum apud sacerdotem, concedo. Quod fieret diverso modo quo fit in lege gratiæ, nego. Erant enim cæremoniæ in lege naturæ, & in lege Mosaïca, alterius rationis à nostris, in remissionem peccatorum actualium. Et per hoc patet ad primam probationem Minoris distinctæ. Ad secundam dico, quod sicut præceptum suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, quod est modò in Ecclesia, obligat tantùm juxta naturam præcepti affirmativi, non semper, sed pro tempore necessitatis, quod Ecclesia determinavit ad confessionem annuam; ita & præceptum pœnitentiæ in sacramentum institutæ in lege naturæ, non obligabat nisi tempore necessitatis: quando verò esset necessitatis tempus, vel judicio uniuscujusque particularis prudentis erat determinandum; vel certè Respublica, sive Ecclesia, illud definiebat, sicut definivit in nostra lege. 84.

Objicies quartò contra secundam conclusionem: Deus Genes. 7. distinxit animalia in munda & immunda, quæ distinctio desumitur per ordinem ad sacrificia: Ergo materia sacrificiorum, ac proinde etiam sacramentorum, erat determinata in lege naturæ. Quod evidentius habetur Job ultimo, ubi Deus dixit amicis Job: *Sumite vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis.* Idem colligitur ex Genesis 14. ubi Melchisedech dicitur specialiter sacerdos Dei altissimi, quia Deus illi præscripserat res quas offerret in sacrificium, scilicet panem & vinum; non enim apparet alia ratio, ob quam dictus fuerit specialiter sacerdos Dei altissimi, cùm & ipse Abraham fuerit sacerdos, nec tamen specialem illam sortitus sit appellationem. C 85.

Respondeo regulas generales pati plerumque suas exceptiones, unde quamvis in lege naturæ, regulariter, & quoad communitatem, non esset à Deo determinatum, quibus rebus sensibilibus utendum esset in sacrificiis, & sacramentis, quia ita postulabat status legis naturæ; voluit tamen quandoque quibusdam viris insignis sanctitatis, immediatè per seipsum determinare res aliquas sensibiles, pro sacrificiorum vel sacramentorum materia. Sed hæc determinatio, vel eos non ita obligabat, quin potuissent uti aliis rebus omnino diversis, vel si quam inferebat obligationem, non erat communis, sed illis solùm particularis. 86. D

Objicies quintò: Sacramenta sunt signa practica gratiæ: Sed signa practica gratiæ, nemo præter Deum determinare potest; cùm enim ille solus sit author gratiæ, ille solus potest illam alicui signo alligare: Ergo solus Deus materias sacramentorum determinare potest, subindeque in lege naturæ, determinatio sacramentorum debuit esse determinatè à Deo, non verò à Republica, vel Principibus familiarum. 87.

Respondeo neminem, præter Deum, authoritativè posse instituere signa practica gratiæ, nec proinde sacramenta formaliter: posse tamen homines ministerialiter, & ex instinctu & inspiratione Dei, ut causæ principalis, instituere vel determinare sacramenta, quasi materialiter, scilicet 88.

licet ex parte materiæ & cæremoniæ; quando videlicet ita sunt imperfecta sacramenta & confusa, ut in particulari non determinentur à Deo, sed solùm quasi in communi, & quantùm ad rationem formalem sacramenti; hoc est, quantùm ad hoc, quod per signum sensibile homo debeat justificationem suam acquirere, non tamen quantùm ad hoc quod in particulari præscribantur ei à Deo cæremoniæ, quibus uti debet. Sicut (inquit Joannes à S. Thoma) si Pontifex daret sæculari Principi potestatem, ut imagines vel rosaria quæ ipse designaret, haberent talem vel talem indulgentiam, non ille, sed Papa, indulgentiam dare censeretur. A

39. Objicies sextò: Si sacramentum in remedium peccati originalis institutum in lege naturæ, non fuit determinatum à Deo, sed relictum liberæ hominum determinationi, sequitur inde meliorem fuisse conditionem parvulorum in lege naturæ, quoad salutem, quàm in lege gratiæ, utpotè cùm habuissent remedium facilius, quia generalius, quàm sit illud quod habetur modò, utpotè ad solum Baptismum restrictum, & Baptismus ad aquam solùm naturalem: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. B

90. Respondeo negando sequelam, licèt enim remedium generalius, sit facilius, cæteris paribus, remedium autem parvulorum esset pro statu legis naturæ generalius, quia minùs determinatum, quàm sit modò pro statu legis gratiæ: cætera tamen non sunt paria, quandoquidem cum hoc stat longè pauciores fuisse fideles in lege naturæ, quàm sint modò in statu legis gratiæ, ac proinde longè minorem numerum parentum qui vellent tale remedium applicare vel applicari suis parvulis, quàm sit numerus eorum qui volunt modò suos infantes baptizare, vel baptizari.

91. Objicies ultimò contra tertiam conclusionem: D. Gregorius lib. 4. Moralium cap. 2. sic habet: *Quod apud nos valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro adultis virtus sacrificij, vel pro iis qui de stirpe Abrahæ prodierunt, mysterium circumcisionis.* Quibus verbis manifestè docet solam fidem fuisse satis ad salutem parvulorum, in lege naturæ. Idem docere videtur S. Bernardus Epist. 77. ubi sic ait: *In nationibus verò quotquot inventi fideles sunt, adultos quidem, & fide, & sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem etiam solam fidem profuisse, imò sufficisse credimus.* Item D. Thomas in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 6. quæstiunc. 2. eidem sententiæ ut probabiliori adhæret, propter verba D. Gregorij jam adducta, ait enim: *Circa hoc est opinio. Quidam enim dicunt quod non sufficiebat fides sine protestatione fidei facta per aliquod exterius signum, &c. Sed quia hoc non videtur consonare cum verbis Gregorij in littera positis: ideò probabilius dicunt, quòd parvulis sufficiebat sola fides sine omni exteriori signo.* Idem repetit in 4. ad Annib. distinct. 1. quæst. 2. art. 2. dicens: *Ideò alij probabilius dicunt, quod cùm ad remedium originalis nulla signa vel sacramenta forent adhuc instituta, sufficiebat professio fidei directa ad salutem parvuli, in solo motu interiori, sine exteriori.* Ergo in lege naturæ non erat necessarium necessitate medij, etiam pro parvulis, aliquod sacramentum ad delendam maculam peccati originalis, sed tunc sola fides parentum parvulos justificabat. C D E

92. Respondeo D. Gregorium per solam fidem intelligere non solùm fidem quantùm ad actum interiorem, sed etiam quantùm ad actum exteriorem; utrumque enim actum fides habet, & de utroque tractat D. Thomas 2. 2. quæst. 2. & 3. In actu autem exteriori includitur protestatio fidei facta aliquo signo sensibili, & hoc pro parvulis erat sacramentum salutis. Idem dicendum ad testimonium D. Bernardi. 93.

Ad D. Thomam fateor ipsum loco citato in oppositam opinionem ut probabilem inclinasse, sed in quæstionibus disputatis, & in Summa, in nostram magis propendere sententiam: nam q. 4. de malo art. 8. ad 12. sic ait: *Fides antiquorum,* CUM ALIQUA PROTESTATIONE FIDEI, *valebat parvulis ad salutem.* Et in hac parte infrà quæst. 70. art. 4. ad 2. videtur limitare doctrinam illam quam in libris sententiarum tradiderat, ad signum sensibile determinatum, ita ut doceat solùm in lege naturæ non fuisse necessarium pro justificatione parvulorum signum aliquod sensibile, à Deo immediatè determinatum: ex eo enim probat ibi non fuisse necessarium signum protestativum fidei in lege naturæ ad salutem parvulorum, quia in eo statu nondum erat populus fidelis ab infidelibus segregatus: hæc autem ratio nihil aliud probat, nisi quod non fuerit aliquod signum particulare, per legem naturæ determinatum, & omnibus fidelibus commune; unde continuò ibidem subjungit: *Probabile est quod parentes parvulis natis, & maximè in periculo existentibus, aliquas preces funderent, vel aliquam benedictionem adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro seipsis preces & sacrificia offerebant.* C

ARTICULUS III.

An in lege Mosaïca, præter circumcisionem, alia fuerint vera sacramenta, & quot?

94. SUppono primò tanquam certum, & ab omnibus Theologis communiter receptum, circumcisionem fuisse verum sacramentum: tum, quia fuit verum signum gratiæ justificantis, unde ab Apostolo ad Rom. 4. *signaculum justitiæ fidei* appellatur. Tum etiam, quia mysterio circumcisionis successisse Baptismum, docet Innocentius III. cap. *Majores*, de Baptismo. D

95. Suppono secundò, quod quamvis circumcisio in lege scripta instituta non fuerit, sed in Abraham initium habuerit, quadringentis & amplius annis ante Moïsem, sacramentum tamen legis Mosaïcæ dicitur; Tum quia sacramenta legis naturæ non erant in particulari determinata immediatè ab ipso Deo, sed ab hominibus, ut articulo præcedenti ostensum est: circumcisio autem in particulari fuit immediatè ab ipso Deo instituta & determinata, quantùm ad omnes suos ritus, ut habetur Genes. 17. Tum etiam, quia remansit in lege Mosaïca, & fuit quasi proprius character populi Judaïci, professio per quam homines se illi legi obligabant, & subjiciebant, juxta illud Apostoli ad Gal. 5. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ:* sicut in lege Evangelica Baptismus est professio talis legis, ad eam servandam obligans. E

96. Suppono tertiò, multò magis debuisse esse sacramenta in statu legis scriptæ, quàm in statu legis naturæ, utpotè cùm in illo fuerit major sacramentorum necessitas, cùm multò magis crescente

Universidad de Deusto
Biblioteca

numero peccatorum, natura humana esset subjecta rebus sensibilibus per affectum, & lumen rationis magis obtenebratum. Unde solùm difficultas est & controversia de numero hujusmodi legis Mosaïcæ sacramentorum. Quidam enim volunt, unicum tantùm fuisse sacramentum in ea, scilicet circumcisionem: Ita Joannes de Bassolis in 4. dist. 1. qu. 3. art. 3. & Carolus Franciscus Abra de Raconis, Tract. 2. disp. 1. sect. 2. qu. 1. Alij duo, scilicet circumcisionem, & esum agni paschalis. Cui sententiæ videtur favere Soto in 4. dist. 1. qu. 1. art. 2. ubi horum tantùm sacramentorum meminit, & quæst. 2. art. 3. dicit in lege veteri nullum fuisse sacramentum pro expiandis peccatis actualibus, neque consecrationem sacerdotum fuisse sacramentum. Alij denique plura alia sacramenta in lege Mosaïca agnoscunt. Ita communiter Theologi, tam domestici, quàm extranei, cum quibus.

Dico primò: in veteri lege, præter circumcisionem, fuerunt alia sacramenta propriè dicta: imò plura habuit sacramenta status talis legis, quàm status legis naturæ, & status legis gratiæ.

97. Probatur prima pars ex Florentino in decreto unionis, & Tridentino sess. 7. can. 2. ubi de sacramentis veteris legis tanquam de pluribus loquuntur, eaque in plurali *sacramenta* appellant. Eodem modo loquitur Dionysius de cœlesti Hierarchia cap. 5. asserens Ecclesiam legis gratiæ, mediam versari inter synagogam, & cœlestem patriam; & cum hac habere communes contemplationes, cum illa verò communia symbola, seu sacramenta. Augustinus etiam lib. 19. contra Faustum cap. 13. sic ait: *Prima sacramenta quæ celebrabantur & observabantur ex lege, prænuncia erant Christi venturi.* Ergo ex Conciliis, & SS. Patribus, in veteri lege, præter circumcisionem, fuerunt alia sacramenta.

98. Probatur secundò eadem pars: In veteri lege, præter esum agni Paschalis, & circumcisionem, quæ ad tollendum peccatum originale instituta fuit, erat aliquod sacramentum, ad delenda peccata actualia institutum: Ergo in tali lege plura erant sacramenta. Consequentia patet, Antecedens probatur ex D. Thoma infrà quæst. 84. art. 7. ad 2. ubi sic ait: *Pœnitentia in veteri lege aliquam determinationem habuit, quantùm quidem ad dolorem, ut esset magis in corde, quàm in exterioribus signis, secundùm illud Joël. 2. scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Quantùm autem ad remedium doloris quærendum, ut aliquo modo ministris Dei peccata sua confiterentur, ad minus in generali. Unde Dominus Levit. 3. dicit, Anima si peccaverit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram æstimationemque peccati, qui orabit pro eo quod nesciens fecerit, & dimittetur ei. In hoc enim ipso quod oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suum peccatum sacerdoti confitebatur, & secundùm hoc dicitur Proverb. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Quibus verbis S. Doctor, non solùm apertè docet, fuisse in veteri lege aliquod sacramentum pro peccatis actualibus institutum, sed etiam id probat ex Scriptura, quæ Levit. 5. promittit remissionem peccati per ignorantiam commissi, oblationi arietis, & orationi sacerdotis, subindeque talem oblationem, & orationem, fuisse signum practicum gratiæ, & per consequens verum sacramentum, insinuat.

99. Secunda pars conclusionis, quæ ait statum legis scriptæ plura habuisse sacramenta, quàm statum legis naturæ, triplici conjecturâ, & optimâ simul congruentiâ suadetur. Prima est, quod cùm tempore legis naturæ populi essent quasi parvuli instruendi, subindeque non multitudine præceptorum, atque adeò nec sacramentorum, obruendi; è contra verò tempore legis scriptæ, exercitati jam homines essent, ac proinde amplius instruendi, crescere debuit præceptorum ac sacramentorum numerus. Secunda, quia lex naturæ generalia dat præcepta, lex autem scripta ea specificat, & consequenter non mirum quod in lege scripta plura existere debuerint præcepta & sacramenta, quàm in lege naturæ. Tertia, quia sacramenta sunt in remedium contra peccata: nondum autem in lege naturæ tantùm creverat morbus, quantùm postea crevisse tempore legis scriptæ cognoscitur, & consequenter non tot remedia in illa fuerunt necessaria, quot in ista. Unde Hugo Victorinus lib. 1. de sacrament. part. 12. cap. 4. sic habet: *In primis pauca antidota, & paucis membris, id est paucis personis, medicus apposuit, ut paulatim morbus deficeret, & salus crescceret; & post plura contulit remedia, & plures reparavit.*

100. Tertia pars, quæ asserit in lege veteri plura fuisse sacramenta, quàm in nova, probatur primò ex Augustino lib. 19. contra Faustum cap. 13. ubi sic habet: *Sacramenta veteris legis ablata sunt, quia impleta, & alia sunt instituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora,* ET NUMERO PAUCIORA.

Secundò, decuit ita esse, ut nostrorum sacramentorum magnitudo & præstantia, pluribus præfigurata signis (sacramenta enim legis scriptæ, fuerunt eorum signa) certior haberetur: multitudo enim signorum, certiorem facit signatorum adventum. Præterea, sicut Princeps quò dignior est, eò pluribus præcedentibus ministris honorari debet; ita sacramenta nostra, in suæ magnitudinis signum, pluribus debebant indiciis seu signis, qualia erant sacramenta legis scriptæ, honorari. Deinde, sacramentorum legis scriptæ inefficacia & defectus, numero saltem, aliquo modo supplenda fuit. Denique, *Prima sacramenta legis naturalis* (inquit Victorinus) *quasi veritatis umbra fuerunt, quæ verò tempore legis Moisis, quasi quædam imago veritatis: quæ autem sub gratia novissimè consequuntur, jam non umbra, vel imago, sed ipsum corpus veritatis.* Cùm ergo plures sint corporum imagines, quàm corpora ipsa, plura tunc sacramenta esse oportuit. *Lib. 1. de Sacram. part. 11. cap. 6.*

Dico secundò: Sacramenta veteris legis, ad tria genera reduci. Ita D. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 5. cujus discursus potest ad hanc formam reduci.

101. Sacramenta veteris legis erant quædam cæremoniæ sacræ, quibus cultores Dei deputabantur quodammodo ad cultum divinum: Sed omnes illæ cæremoniæ reducuntur ad tria genera: Ergo & omnia veteris legis sacramenta. Probatur Minor: Tria requiruntur ad hoc ut Dei cultores, ad Dei cultum deputentur, scilicet quòd constituantur in statu colendi Deum, quòd usu consumant ea quæ ad cultum Dei pertinent, & denique quòd ab eis removeantur impedimenta cultûs divini, per ipsos exercendi. Tria ergo solùm in veteri lege erant genera cæremoniarum ordinatarum ad deputandum homines ad cultum divinum,

num, illæ scilicet quibus constituebantur in statu colendi Deum, cujusmodi erant circumcisio pro toto populo, quæ erat janua ad omnia legalia, & consecratio pro sacerdotibus. Illæ quæ in usu rerum pertinentium ad cultum divinum consistebant, qualis erat comestio Agni Paschalis pro toto populo, Panum propositionis pro sacerdotibus. Illæ denique quæ ordinabantur ad removenda impedimenta divini cultûs, cujusmodi pro toto populo erant purificationes à quibusdam exterioribus immunditiis, & expiationes pro peccatis: pro sacerdotibus verò ablutio manuum & pedum, & rasio pilorum. Ex quibus constat, unumquodque genus sacramentorum legis Mosaïcæ, sub se continuisse plures species; nam sub primo erant sacerdotum consecratio, & circumcisio. Sub secundo, comestio Agni Paschalis, & Panum propositionis. Sub tertio, purificationes, & expiationes populi, & ablutio manuum sacerdotum, & rasio pilorum. Purificationes autem ab immunditiis exterioribus fiebant, vel per aspersionem aquæ, vel per aliquod sacrificium ordinatum ad tollendum peccatum, quo immunditiæ illæ contractæ fuerant. Expiationes verò à peccatis fiebant per sacrificia, quæ erant in duplici differentia, quædam scilicet oblata pro tota communitate, & alia specialia pro peccatis singulorum.

102. Adverte tamen, quod illæ cæremoniæ quæ solùm erant institutæ ad removendas immunditias legales, non autem ad significandam perfectam animæ sanctitatem, non erant verè & propriè sacramenta, sed solùm impropriè, & secundùm quid: nam ut disp. præcedenti art. 2. contra Canum & Bellarminum ostendimus, de ratione veri sacramenti est significare perfectam sanctitatem, quæ est per gratiam.

103. Adverte etiam, quod ex omnibus illis sacramentis veteris legis, quæ recensuimus, aliqua correspondebant nostris; videlicet Circumcisio Baptismati, comestio Agni Paschalis, & Panum propositionis, Eucharistiæ; omnes purificationes, expiationes, ablutiones, rasio pilorum, & ablutio manuum & pedum, sacramento pœnitentiæ; & consecrationes sacerdotum, sacramento Ordinis. Confirmationi autem, Extremæ-Unctioni, & Matrimonio, nullum correspondebat in antiqua lege sacramentum. Rationem assignat D. Thomas loco citato, ad 3. Primò quoad Confirmationem, quia illa est sacramentum plenitudinis gratiæ, quæ nondum advenerat in lege scripta, nihil enim ad perfectum adducit lex. Secundò quoad Extremam-Unctionem, quia est immediata præparatio ad introitum gloriæ, cujus aditus nondum patebat in veteri lege, pretio nostræ redemptionis nondum soluto. Tertiò quoad Matrimonium, quia fuit quidem in lege veteri, prout erat in officium naturæ, non autem ut erat signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, quæ nondum facta erat, unde tunc dabatur libellus repudij.

ARTICULUS IV.

An post Christi adventum, seu in nova lege, aliqua debuerint esse sacramenta, diversa ab his quæ erant in lege veteri?

104. NEgabant olim quidam hæretici, qui Archontici dicebantur, ut referunt S. Epiphanius hæresi 34. & Theodoretus lib. 1. hæretic. fabularum, cap. 12. & 13. Fratricelli pariter & Beguinæ, sacramenta Ecclesiæ despiciebant, ut ait Joannes XXII. in Extravag. *Sanctæ Romanæ*, de religiosis domibus. Demum nostro tempore, & præcedenti sæculo, non defuisse hæreticos, qui omnia sacramenta sensibilia & corporalia contemnerent, ex Frederico Staphilo refert Bellarminus lib. 1. de sacram. cap. 1. circa finem. Ut hic error impugnetur, & veritas Catholica stabiliatur.

Dico breviter: conveniens fuisse ut Christus in nova lege aliqua sacramenta instituerit. Ita D. Thomas hic art. 4.

Probatur primò ratione quam ibidem adducit. Sicut antiqui Patres salvi facti sunt per fidem Christi venturi, ita & nos salvamur per fidem Christi nati & passi: Ergo oportet esse sacramenta in lege nova, distincta à sacramentis legis antiquæ. Probatur consequentia: Sacramenta enim sunt signa protestantia fidem quâ homo justificatur: Sed necesse est aliis signis significari futura, & aliis præsentia, sive præterita; eadem enim res aliter annunciatur facienda, & aliter facta, ut ait Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 13. Ergo oportet esse in nova lege sacramenta distincta à sacramentis legis antiquæ, quibus significetur Christus præsens & passus, sicut per sacramenta legis antiquæ, significabatur venturus & passurus. 105.

Secundò, ut idem S. Doctor in 4. distinct. 2. qu. 1. art. 4. quæstiunc. 1. discurrit: Sacramenta sunt medicinæ spirituales: Sed non competit eadem medicina parvulo, & adulto: Cùm ergo status legis comparetur puerili ætati, status autem temporis gratiæ, ætati perfectæ, ut patet ad Galatas 4. aliqua sacramenta fuerunt instituenda in lege gratiæ, diversa ab illis quæ erant in lege Mosaïca. 106.

Dices, Veniente veritate debet cessare figura: Sed *gratia & veritas per Jesum Christum facta est*, ut dicitur Joan. 1. Cùm igitur sacramenta sint veritatis signa seu figuræ, videtur quod post Christi adventum, nulla prorsus sacramenta in nova lege esse debuerint. 107.

Respondetur ex D. Thoma hìc art. 4. ad 1. quod *sicut S. Dionysius dicit cap. 5. cœlestis hierarchiæ, status novæ legis medius est inter statum veteris legis, cujus figuræ implentur in nova lege, & inter statum gloriæ, in qua omnis nudè & perfectè manifestabitur veritas, & ideò tunc nulla erunt sacramenta; nunc autem quandiu per speculum & in ænigmate cognoscimus (ut dicitur 1. ad Corinth. 13.) oportet nos per aliqua sensibilia signa, in spiritualia devenire, quod pertinet ad rationem sacramenti.* Ex qua doctrina S. Doctoris patet, quod omnis homo viator sacramentis indiget; beatis verò & comprehensoribus, nullum congruit sacramentum, quia ubi est veritas clara, omnis signorum umbra fugit. In cujus rei typum testatur D. Joannes Apocal. 21. se nullum vidisse templum in cœlesti Jerusalem, ibi enim non est opus templo, ubi neque sacramenta, neque sacrificia erunt. Unde Augustinus de Cataclysmo cap. 4. *Comeditur agnus post noctem hujus sæculi, ut cùm mane illud venerit quod vesperum non habebit, non jam offeratur sacrificium imaginis agni, sed ipsum agnum, quem quotidie immolamus, comedimus, & cujus sanguinem bibimus, inveniamus illic eum sacerdotem perfectum, quem constat hìc pro nostra Salute occisum.* Ex quo refellitur error quorumdam 108.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæreticorum qui dicebant Christum Beatis in cœlo Eucharistiam ministrare, in quos acriter invehitur Theophilus Raynaudus in Candelabro sancto septilustri sect. 1. cap. 6.

DISPUTATIO III.

De Gratia Sacramentali.

Ad quæstionem 62. Divi Thomæ.

CUM causa finalis sit prima omnium, aliunde verò hæc in instrumentis cum effectu ad quem ordinantur & assumuntur coincidat, explicatis naturâ & existentiâ sacramentorum, priùs post D. Thomam, disputandum nobis est de eorum effectibus, quàm de causa efficiente ipsorum. Duo autem sunt effectus sacramenti, gratia scilicet sanctificans, & character. De primo, utpotè priori, principaliori, & universaliori, priùs nobis agendum est in hac disputatione: de altero verò in sequenti. Sed ut clariùs in hujus celeberrimæ disputationis resolutione procedamus, priùs contra hujus temporis hæreticos demonstrandum est, sacramenta novæ legis, de quibus solùm agimus in præsenti, verè & propriè conferre gratiam *ex opere operato*, ut loquuntur Theologi, deinde modum hujus causalitatis declarabimus, eaque non solùm moraliter, sed etiam instrumentaliter physicè gratiam causare, contra plures ex Recentioribus ostendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Sacramenta novæ legis sint causæ gratiæ, eamque conferant ex opere operato, non ponentibus obicem?

1. VTrumque negant hujus temporis hæretici. In primis enim, cùm existiment gratiam justificantem non esse aliquid intrinsecum animæ, sed vel favorem Dei extrinsecum, vel justitiam Dei & Christi, nobis imputatam, & veluti extrinsecùs applicatam; nec aliud ex parte hominis requirant ad justificationem, quàm fidem, sive fiduciam, quâ justitiam Dei vel Christi nobis prodesse credimus, aut confidimus; consequenter ad hunc errorem, asserunt sacramenta novæ legis ad nihil aliud valere, quàm vel ad excitandam illam fidem, sive fiduciam, vel ut sint quædam notæ Christianæ professionis, quibus fideles ab infidelibus discernantur. Deinde irrident modum illum loquendi Theologorum, dicentium sacramenta novæ legis causare gratiam *ex opere operato*, ut barbarum, & Grammaticæ legibus adversantem, nam ly *operatum*, contra regulas Grammaticæ ab illis (inquiunt) passivè usurpatur, cùm tamen veriùs actionem quàm passionem significet. Præterea Theologos calumniantur fingentes eos vocibus illis nihil aliud significare, nisi quod sacramenta novæ legis gratiam conferant sine fide, aut bono motu cordis, vel absque ulla dispositione suscipientis. Ita Calvinus libro 4. instit. cap. 14. §. 16. ubi fingit sensum hujus controversiæ esse: *Num sacramenta gratiam conferant sine fide, aut bono motu cordis, vel dispositione suscipientis?* Et Melancton in Apologia confessionis Augustanæ, circa articulum 5. & 13. ubi sic ait: *Damnamus totum populum Scholasticorum Doctorum, qui docent quod sacramenta non ponentibus obicem conferunt gratiam ex opere operato, sine bono motu utentis. Hæc simpliciter Judaïca est opinio, quòd per cæremonias justificamur, sine bono motu cordis, hoc est sine fide; & tamen hæc impia & perniciosa opinio, magnâ authoritate docetur in toto regno Pontificio.* Ut hic error confutetur, & Theologi ab hæreticorum calumniis vindicentur, sit

§. I.

Duplici conclusione veritas Catholica statuitur.

2. DIco primò: Sacramenta novæ legis gratiam conferre non ponentibus obicem, subindeque non esse solùm signa excitativa fidei, vel notas quibus fideles ab infidelibus discernuntur. Conclusio est certa de fide, definita in Tridentino sess. 7. canone 6. his verbis: *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.* Definita est etiam in Florentino, in decreto unionis, ubi constituitur differentia inter sacramenta novæ & veteris legis, quod sacramenta veteris legis, solùm significabant gratiam, legis novæ autem, illam conferunt & causant.

3. Desumpsit Ecclesia hanc veritatem ex Scriptura, & ex SS. Patribus, passim asserentibus sacramenta novæ legis habere vim causandi gratiam, & remittendi peccata: Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introïre in Regnum Dei.* Ubi regeneratio spiritualis, quæ per gratiam fit, Baptismo, & Spiritui Sancto tanquam causæ tribuitur: Spiritui Sancto quidem, tanquam causæ principali; Baptismo verò, tanquam causæ instrumentali. Unde Augustinus exponens hunc locum Epist. 23. sic habet: *Non enim scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium vel ministrantium fide, sed nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto.* Et Tract. 80. in Joan. exclamat: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor obluat!* Similia habent alij Patres, Cyprianus enim lib. 2. Epist. 2. ait Christianos prædicare quod aqua baptismalis habet virtutem ad immutandum hominem, & peccata abstergenda. Chrysostomus homil. 25. in Joan. dicit Christianos in fonte baptismali formari, ut embrio in utero matris. Et Leo Papa serm. 4. de Nativitate, sic ait: *Omni homini renascenti aqua baptismatis instar est uteri virginalis, eodem spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem; ut peccatum quod ibi evacuavit sacra conceptio, hîc solvat ablutio.*

4. Idem patet de aliis sacramentis: nam de sacramento Confirmationis Actuum 8. dicitur Spiritum Sanctum dari per impositionem manuum. De Eucharistia Joan. 6. *Qui manducat me, vivet propter me. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* De Pœnitentia Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur.* De Extrema-Unctione Jacobi 5. *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.* De Ordine 2. ad Timoth. 1. *Admoneo*

te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Ubi particula *per* denotat verè ex vi impositionis manuum (quâ denotatur Ordo) collatam fuisse gratiam Timotheo. De sacramento Matrimonij non habetur ita expressè in Scriptura, id tamen docet Traditio perennis in Ecclesia, & definiunt Concilia, præcipuè Tridentinum sess. 24. his verbis: *Si quis dixerit Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem novæ legis sacramentis, neque gratiam conferre, anathema sit.* Denique usque adeò fideles persuasum habent, sacramenta novæ legis habere aliquam virtutem sanctificandi animas, ut teste Augustino lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 21. Afri vulgò Baptismum appellaverint *salutem*, & Eucharistiam *vitam*, ob ejusmodi sacramentorum effectus.

5. Ratio hujus conclusionis non potest alia assignari, quàm voluntas Dei, & Christi, qui potuit, & voluit, mediis sacramentis sensibilibus, communicare fructum & pretium nostræ salutis: quod ita fecisse constat ex prædictis testimoniis, & ex Ecclesiæ traditione, & sensu Patrum sic ea intelligentium. Præsertim, cùm utantur comparationibus quæ veram & realem sacramentorum causalitatem innuunt, respectu gratiæ sanctificantis: comparant enim fontem baptismalem utero Virginis, quod facit Leo Papa suprà relatus. Aquis initio mundi producentibus volucres & pisces, ut Tertullianus in libro de baptismo. Aquæ quæ virtute ignis intensiùs calefacta, non aliter urit ac ipse ignis: ita Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. cap. 42. Virgæ Moysis quæ obruit aquis Pharaonem & exercitum ejus, quâ similitudine utitur Nissenus. Et demum aquæ Jordanis, quæ sanavit Naaman leprosum, & mundum effecit. Quæ comparationes essent plusquàm absurdæ, si sacramenta novæ legis haberent solùm excitare fidem, non verò causare gratiam.

6. Præterea, Verba sacramentorum ab ipsa Veritate institutorum, non possunt non habere veritatem: Sed verba sacramentorum, ut rebus adjuncta, significant interiorem emundationem, & gratiæ collationem, atque augmentum, ut patebit singulorum sacramentorum verba considerando. Unde Tertullianus libro de resurrectione carnis: *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro manûs impositione obumbratur, ut anima Spiritu illuminetur: Caro corpore Christi & sanguine vescitur, ut anima de Deo saginetur.*

7. Denique hæreticorum sententia innumeris propemodum involvit absurda & inconvenientia, à quibus sese nullatenus expedire valent. In primis enim, si aqua baptismalis, seu sacramentum baptismi, non causaret gratiam, sed duntaxat fidem seu fiduciam excitaret, falsa esset illa Christi propositio: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introïre in regnum Dei*; aliis enim modis excitari potest fides, quam per aquam baptismalem; imò concio, lectio Evangelij, meditatio passionis Christi, & alia hujusmodi, multò meliùs id præstare possent.

8. Confirmatur: Imago Baptismi in tabula depicta, plus in ratione signi facit promissionem Dei visibilem, & consequenter magis excitat fidem, quàm Baptismus ipse; quandoquidem Baptismus semel fit & transit, imago autem Baptismi in tabula depicta, permanet, & ante oculos semper

ponitur potest: Ergo plus prodesset ad salutem, quàm Baptismus ipse, si ille verè non conferret seu causaret gratiam, sed solùm ad fidem excitandam deserviret.

9. Secundò, Si efficacia sacramentorum novæ legis consisteret præcisè in eo quod excitarent fidem, per modum signi testificantis divinam promissionem, nullum esset discrimen in ratione causæ justificationis, inter Baptismum Joannis, & Baptismum Christi; quandoquidem Baptismus Joannis erat signum promissionis divinæ de remissione peccatorum, ut patet ex illo Lucæ 3. *Venit Joannes in omnem regionem Jordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.* Sed major est efficacia Baptismi Christi, quàm Baptismi Joannis; etenim ipse Joannes Lucæ 3. tantam ponit differentiam inter efficaciam sui Baptismi, & efficaciam Baptismi Christi, quanta est inter aquam & Spiritum Sanctum, dicendo Judæis: *Ego baptizo vos aquâ, ille vos baptizabit Spiritu Sancto*: Ergo, &c.

10. Nec valet quod respondet Calvinus in 3. caput Matthæi, dicens discrimen quod ponit Joannes, inter suum Baptisma, & Baptisma Christi, non in eo consistere, quòd major esset efficacia Baptismi Christi; sed in hoc tantùm, quod Joannes esset minister solùm externi ritûs, significati nomine *aquæ*; Christus autem esset author internæ sanctificationis, significatæ nomine *Spiritus Sancti*. Non valet, inquam, nam si erat eadem vis utriusque Baptismatis, cur Paulus Actorum 19. jussit eos qui baptizati fuerant Baptismo Joannis, iterum baptizari?

11. Tertiò, si sacramenta nostra non causent gratiam, in non ponentibus obicem, sed duntaxat per modum objecti extrinseci fidem excitent, sequitur sacramentum Baptismi non debere conferri parvulis, cùm illi (utpotè rationis usu carentes) ad fidem excitari non possint.

12. Respondent Lutherani, infantibus, cùm baptizantur, pro eo tempore usum rationis concedi, eosque tunc actum fidei elicere. Sed hoc chimericum planè est, & risu magis, quàm impugnatione dignum; meritóque de illis dici potest quod olim de aliis hæreticis Augustinus ajebat, eos nimirum orationibus potiùs quàm argumentis esse juvandos.

13. Quartò ex hæreticorum sententia sequitur, non esse majorem aut aliam vim in nostris, quàm in antiquis sacramentis, utpotè cùm etiam illa ad fidem excitarent: quod tamen est contra Apostolum vocantem sacramenta legis antiquæ, per comparationem ad nova, *infirma & egena elementa.*

14. Quintò sequitur, eodem modo prodesse sacramenta audita, lecta, & meditata, quàm exercita; & æquè prodesse illis omnibus qui adsunt, quando conferuntur, ac iis qui ea recipiunt, cùm in utrisque æqualiter fidem excitare possint.

15. Sextò sequitur, sacramenta fore inefficacia, si dentur linguâ Latinâ, vel Græcâ, quam non intelligant qui ea recipiunt; tunc enim non intellecta, nequeunt excitare fidem; & tamen Lutherani & Calvinistæ admittunt nostrum Baptismum, qui semper datur linguâ Latinâ, absque alia concione, esse validum.

16. Dixi autem Sacramenta novæ legis causare gratiam *non ponentibus obicem*, quia quamvis virtute Christi plena sint, & ad efficiendum procliv ia, cùm tamen aliquam requirant in subjecto dispositionem, si fictè, vel negligenter recipian-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, eisque apponatur aliquis obex, non producunt gratiam in suscipientibus. Unde præclarè Gregorius magnus in 1. Regum lib. 1. cap. 1. *Ne mirare* (inquit) *si negligentes comedunt, & satiari non possunt; quia licèt Sacramentum ore percipiunt, virtute Sacramenti non replentur: à virtute ergo Sacramenti jejunant, quia repleti fuerunt; salutis quippe fructum non percipiunt, quia ea quibus se repleverunt flagitia portant in mente. Non saturantur ergo nisi famelici, qui à vitiis perfectè jejunantes, divina sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis.*

Dico secundò: sacramenta novæ legis conferre gratiam ex opere operato.

Hæc etiam conclusio est de fide, & definita in Trid. sess. 7. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit per ipsa nova legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.*

17. Probatur breviter: Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, nihil aliud sonat, quàm ea conferre gratiam immediatè per seipsa, ex virtute quam habent ex passione Christi, quæ est opus operatum, quo operatus est salutem in medio terræ; non verò ex merito conficientis, vel dantis, vel recipientis illa: Sed sacramenta novæ legis conferunt gratiam, ex virtute & efficacia à Christo ipsis communicata; non autem ex merito conficientis, vel dantis, vel recipientis illa: Ergo conferunt gratiam ex operato.

18. Confirmatur: In Baptismo confertur gratia parvulis: At illa non confertur illis, mediante aliquo actu fidei, quo ad eam se disponant, vel ex merito conferentis, seu ministrantis tale sacramentum, cùm interdum minister sit malus, & in ejus administratione pecce: Ergo tunc gratia confertur ex opere operato.

19. Neque est quod hæretici, modum illum loquendi, ut barbarum, & Grammaticæ regulis parùm consonum despiciant, & irrideant, nam Grammaticæ leges plerúmque Ecclesia spernit. Unde D. Augustinus in Psalmum 138. ut faciliùs perciperetur, maluit dicere, *ossum ossi*, quàm *os ossis*, hujus rationem assignans: *Quia melius est ut nos reprehendant Grammatici, quàm ut non intelligant populi.* De quo eruditè Gravina tom. 2. Præscriptionum, lib. 4. controversiâ 10. generali, quæst. 2. art. 2. Sed hæretici plus solent esse solliciti de latinitate, quàm de veritate, & de modo loquendi, quàm de arte benè vivendi: plus erubescentes (inquit Augustinus libro 1. Confess. cap. 18.) si seclusâ aspiratione pronuntient *Ominem*, quàm si, interclusâ respiratione, *enecent hominem.* Præterquam quod in sacra Scriptura aliquando voces, quæ juxta communem loquendi modum, sunt solùm activæ, reperiuntur usurpatæ passivè, ut patet ex illo ad Hebræos 13. *Talibus enim hostiis promeretur Deus*, ubi vox activa, *promeretur*, usurpatur passivè. Quid ergo mirum, quod etiam Theologi verbum *operatum* passivè accipiant, dicendo sacramenta novæ legis conferre gratiam *ex opere operato?* Id enim fit majoris energiæ & brevitatis causâ, nec à linguæ Latinæ consuetudine prorsus alienum est, nam illa verbis quibusdam aliàs deponentibus in participio præteriti significationem tribuit passivam, ut videre est in istis, *interpretatus, meditatus, consolatus, admiratus*: cur ergo Theologis id ad participium *operatus* extendere non licebit, cum tantis commodis, cum tot exemplis, cum tam illustri ratione? Præsertim, cùm non solùm ante tempora D. Thomæ hic modus loquendi in usu fuerit (ut ipse Doctor sanctus testatur in 4. distinct. 1. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 5.) sed etiam olim Innocentius III. de sacro altaris mysterio, lib. 3. cap. 5. illum usurpaverit dicens: *Quamvis igitur opus operans aliquando sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

CONtra primam conclusionem objiciunt primò hæretici plura Scripturæ testimonia, quibus fidei attribuitur justificatio. Verùm hæc in Tractatu de justificatione & merito multipliciter explicata sunt, unde ad hunc locum Lectorem remittimus. *Disp. 1. art. 6. §. 2.*

Objicit secundò Kemnitius illud ad Ephes. 5. 20. *Mundans eam* (scilicet Ecclesiam) *lavacro aquæ, in verbo vitæ.* Ex quo Apostoli testimonio hoc argumentum desumit: Baptismus mundat in verbo vitæ: Sed verbum vitæ est ex fide, & operatur excitando fidem: Igitur Baptismus mundat solùm excitando fidem, non verò causando gratiam.

Sed facilè respondetur, per ly *in verbo vitæ*, 21. Apostolum intelligere verbum consecratorium, quod dat virtutem aquæ, & de quo ait Augustinus, *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*: verbum autem consecratorium non solùm habet excitare fidem, sicut verbum concionatorium, sed etiam causare gratiam, & animam sanctificare; quia tale verbum est instrumentum & imago Divini Verbi, quod Apostolus appellat, *Verbum virtutis Dei, & Dei virtutem ac Dei sapientiam.*

Objiciunt tertiò hæretici: Non oportet men- 22. tes fidelium avertere à Deo & convertere ad elementa vilia & creata: Atqui asserere quod per aquam, oleum, & similia, sanctificemur, est avocare mentem à Deo: Ergo, &c.

Respondeo negando Minorem, cùm enim sa- 23. cramenta sint causæ duntaxat instrumentales, à Deo ut à causa principali virtutem sanctificandi & producendi gratiam recipientes; cùm eis utimur ad nostram sanctificationem, non separamur à Christo, sed potiùs ei unimur: sicut mulier laborans fluxu sanguinis, cùm tetigit vestem Christi, ut sanitatem corporalem reciperet, non est aversa ab illo, sed potiùs ad ipsum conversa; quia talem vestem consideravit ut rem Christo cohærentem, & veluti instrumentum Divinitatis ejus, ad patrandum tale miraculum.

Objiciunt quartò: Sicut in Scriptura dicitur 24. de sacramentis quod justificent, ita & de verbo Dei, ac Evangelio: nam ad Rom. 1. ipsum Evangelium vocatur, *Virtus Dei in salutem omni credenti*: Sed Evangelium non aliter est virtus Dei in salutem, nisi quia fidem excitat, & proponit credenda de Deo: Ergo similiter sufficienter dicuntur sacramenta virtutes Dei ad salutem, ex eo quod excitent ad fidem: si enim hoc sufficit ut Evangelium dicatur virtus Dei, cur non etiam ut sacramentum eadem appellatione donetur?

Respondeo quod quando Evangelium dicitur 25. *virtus Dei in salutem omni credenti*, per ly *Evangelium*, non intelligitur solùm verbum concionatorium excitans nos ad fidem, & proponens credenda, sed etiam Lex Evangelica, quæ non excludit sacramenta, & ratione sacramentorum quibus

quibus justificat, virtus Dei est. Quod ut magis declaretur, Advertendum est, Legem Evangelicam duplici verbo constare; verbo scilicet concionatorio, quod mentem illuminat, & fidem excitat, & Christi, ut est Dei sapientia, instrumentum est; & verbo consecratorio, quod sacramenta constituit, animam sanctificat, & gratiam causat, atque ratione miræ virtutis & efficaciæ quâ pollet, est imago & instrumentum Verbi Divini, ut est Dei virtus, ut in solutione secundæ objectionis insinuavimus. Quando ergo Evangelium, *Dei virtus* appellatur, hoc debet intelligi de Evangelio seu lege Evangelica ut includente verbum consecratorium, quo sacramenta constituuntur. Unde ad argumentum in forma, concessâ Majori, Minor negan da est, falsum enim est quod Evangelium, seu lex Evangelica, non aliter sit virtus Dei in salutem, nisi quia ad fidem excitat, & proponit credenda; potiùs enim virtus Dei dicit, ex eo quod justificat, & gratiam causat, quod ipsi ratione sacramentorum quibus constat, competit.

26. Objiciunt quintò: 1. Petri 3. Dicitur: *Vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi.* Quibus verbis Apostolus videtur innuere, quod ipsa ablutio carnis, non operatur in Baptismate salutem, sed fides, quæ *conscientiæ bonæ interrogatio* dicitur. Unde Augustinus Tractatu 80. in Joan. explicans illa verba: *Iam vos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis*, sic dicit: *Quare non ait, mundi estis propter Baptisma meum, quo loti estis, sed ait propter verbum quod locutus sum vobis, nisi quia & in aqua verbum mundat; id est detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua?* Et infrà: *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.*

27. Respondeo sensum Apostoli non esse illum quem fingunt hæretici, nempe quòd sola fides & non ablutio seu Baptismus non sanctificat (alioquin sibi contradiceret Apostolus, nam antea dixerat Baptismum salvare eos qui baptizantur, sicut arca salvavit Noë & familiam ejus) sed his verbis solùm intendere, quòd salus à Baptismo proveniens, seu fructus Baptismi, non est emundatio sordium carnis, sed animæ sanctificatio, quam bonæ conscientiæ interrogationem appellat; cùm anima gratiâ, charitate, & aliis habitibus supernaturalibus instructa, maneat perfectè pendens à Deo, nullamque aggrediatur operationem Deo inconsulto, seu non interrogato; id est nisi priùs videat, suam operationem Deo placituram. Vel ut alij volunt, his verbis alludit Apostolus ad morem Ecclesiæ, quæ baptizandum interrogat, num velit renunciare diabolo? & respondet? *Volo.*

28. Ad Augustinum facile respondetur, quod quando dicit aquam Baptismatis non mundare, sed verbum, non loquitur de verbo concionatorio, sed de consecratorio, de quo dixerat, *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*; & solùm intendit, quod ipsa ablutio exterior in Baptismate, nihil prodesset; si verba consecratoria, quibus ejus forma constat, ei non adjungerentur. Cùm verò subdit: *Nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur*; solùm intendit, verbum Christi, sive sacramentale, non habere quod justificet, *quia dicitur*, id est secundùm sonum materialem, & exteriorem; sed *quia creditur*, id est propter sensum verborum qui fide tenetur. Sic enim hunc locum intelligit & interpretatur S. Thomas suprà quæst. 60. art. 7. ad 1.

Objicies sextò contra secundam conclusio- 29. nem: Si sacramenta ex opere operato conferrent gratiam, non exigeretur in suscipiente aliqua dispositio: Sed hoc est falsum, nullum enim sacramentum gratiam confert sine aliqua dispositione, saltem in subjecto capaci: Ergo nullum sacramentum gratiam confert ex opere operato.

Respondeo negando sequelam Majoris, causa- 30. litas enim ex opere operato, non excludit opus operantis, ut dispositionem ad gratiam, sed excludit opus operantis, ut rationem principalem & quasi effectivam habendi gratiam; seu excludit opus operantis, ut principium à quo habeat vim suam, cùm illam habeat ex meritis Christi. Sacramenta ergo non dicuntur à Theologis conferre gratiam ex opere operato, ex eo quod eam sine fide, aut bono motu cordis, aut absque ulla dispositione suscipientis conferant, ut falsò Calvinus, & Melancton, suprà citati, ipsis attribuunt; sed quia eam conferunt ex meritis passionis Christi, quæ est opus jam operatum, & quia eam conferunt ultra propriam dispositionem suscipientis, sed non sine illa.

ARTICULUS II.

Quomodo sacramenta producant gratiam, an instrumentaliter physicè, vel solùm moraliter?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

CUm secundùm fidem Catholicam fateri oporteat, sacramentis novæ legis aliquod genus causalitatis convenire, ut patet ex dictis articulo præcedenti, celebris est disputatio inter Theologos, & magna partium contentione exagitata, de genere seu modo causalitatis, qui debet ipsis attribui. Sed ut sententiarum varietas clarè percipiatur, & ad aliquē ordinem redigatur.

Advertendum est, causam ut sic dividi in 31. causam per accidens, sive conditionem sine qua non, sic dictam, quia sine ea non ponitur quidem effectus, in eum tamen non influit; & in causam per se, sic dictam, quia aliquo modo influit in effectum. Et hæc est duplex, physica scilicet & moralis. Causa physica illa dicitur, quæ suæ virtutis actione immediatè & realiter attingit effectum. Moralis verò, quæ actione suæ virtutis non immediatè nec realiter attingit effectum, sed intentionaliter duntaxat movet efficientem ad effectûs productionem, per modum consilij, aut persuasionis, imperij, meriti, aut pretij. Utraque causalitas explicatur exemplo homicidij: qui enim alicui homicidium consulit aut imperat tantùm; vel ad hoc pecuniam ei spondet, est causa moralis ipsius; qui verò propriâ manu alium occidit, aut apprehensâ manu alterius, per vim eam applicat ad homicidium, dicitur causa naturalis aut physica homicidij.

Rursus utrumque genus causæ dividitur in 32. principale & instrumentale. Causa principalis physica dicitur illa, quæ virtute suæ propriæ formæ agit, ut ignis producendo calorem, vel alterum ignem. Instrumentalis physica, quæ non

Universidad de Deusto
Biblioteca

virtute propriæ formæ, sed alterius superioris sibi communicatâ, physicè operatur, ut serra, penicillus &c. Similiter causa moralis principalis dicitur illa quæ propriâ virtute & intentione inducit causam efficientem ad producendum effectum. Instrumentalis verò moralis, quæ non ex propria virtute & intentione, sed ut subordinata voluntati & intentioni alterius, causam efficientem inducit ad dandum esse effectui intento. Exemplum utriusque est, si Rex famulo pecuniam det, ut eâ mediante tyrannum inducat ad dandam libertatem captivo: Rex erit causa principalis moralis, famulus verò & pecunia erunt causæ instrumentales morales libertatis captivi.

33. Quæritur ergo in præsenti, an sacramenta novæ legis sint causæ gratiæ per accidens tantùm, seu per modum conditionis, an per se, & per verum influxum? Et si hoc modo, an per influxum solùm moralem, an verò per physicum, non B quidem principalem, cùm solus Deus sit causa principalis gratiæ, sed instrumentalem?

In cujus difficultatis resolutione variæ sunt Authorum sententiæ. Prima asserit Sacramenta novæ legis esse causas tantùm per accidens gratiæ sanctificantis, seu meras conditiones, ad quarum positionem solus Deus conferat gratiam. Ita Durandus, Ocham, Gabriël, Marsilius, Aliacensis, & alij.

Secunda opinio est Magistri Cano, Martini de Ledesma, & Bartholomæi de Ledesma, Molinæ, Vazquis, Delugo, Beccani, Martinoni, & aliorum Recentiorum, docentium sacramenta novæ legis esse causas instrumentales, non physicas, sed tantùm morales gratiæ sanctificantis hominem. Verùm non eodem modo hæc opinio à suis Authoribus explicatur. Cano enim intantum vult sacramenta novæ legis dicenda esse causas morales nostræ sanctificationis, inquantum sunt veluti chirographa, sanguinem Christi, ut pretium nostræ redemptionis, moraliter continentia, quatenus videlicet sunt testimonia divinæ promissionis de nostra justificatione fundatæ in sanguine Christi. Vazquez rejiciens hunc modum explicandi causalitatem moralem in nostris sacramentis, asserit ideò moraliter gratiam ab D eis causari, quia ministri in illorum applicatione gratiam à Deo impetrant, non quidem impetratione quæ in eorum merito sit fundata, sed illâ quæ promissioni divinæ de conferenda gratia est innixa, quæ promissio (inquit) quia sub conditione sacramentorum facta est, non nisi sacramentis positis obligat. Verùm cùm hic modus causalitatis non transcendat rationem conditionis sine qua non, alij illum rejicientes, aliter etiam explicant causalitatem illam, dicendo quod sacramenta novæ legis intantùm in genere causæ instrumentalis efficiunt nostram justificationem, sive Deum ipsum ad eam physicè causandam movent, inquantùm continent, continentiâ quadam morali, valorem meritorum Christi, ipsis ab eo applicatum: cùm enim (inquiunt) fuerit in Christo potestas excellentiæ super omnia sua merita, habuit ratione illius facultatem eligendi res sensibiles quibus hunc valorem applicaret. Unde (subdunt) sicut regale argenteum, suppositâ institutione & authoritate Regis, verè continet moraliter valorem trium librarum, ipsumque recipere tenemur in politicis commutationibus, venditionibus, & emptionibus, secundum illam æstimationem trium librarum: ita similiter sacramenta novæ legis, factâ simili applicatione meritorum Christi, verè continent moraliter pretium sanguinis Christi, secundùm quantitatem illis applicatam ab ipso Christo, adeò ut Deus teneatur acceptare sacramenta nostra, ex Christi voluntate sibi oblata, ad nostram justificationem, secundùm valorem & pretium sanguinis Christi ipsis applicatum. Alij alio exemplo id explicant, dicendo quod sacramenta sunt instar bursæ plenæ pecuniâ, quæ datur alicui, ut sibi necessaria comparet.

Tertia opinio docet sacramenta novæ legis, per modum instrumenti physici efficere in nobis gratiam. Ita, præter Thomistas, docent Ruardus Taper, Andræas Vega, Sayrus, Yzambertus, & celebriores ex Societate Theologi, nimirum, Suarez, Valentia, Bellarminus, Henriquez, Reginaldus, Granado, Meratius, Ripalda, Escobar, Albertinus, Costerus, Canisius, Fonseca, & integrum Collegium Conimbricense, imò & major pars totius Scholæ Theologorum, ut testatur Ruvius 2. physic. Tract. 4. qu. 3. num. 33. ubi sic ait: *De humanitate Christi, & sacramentis, concedit major pars totius Scholæ, cum S. Thoma, esse instrumenta gratiæ; & verbum ipsius Christi, vel etiam contactum, habuisse modum physici instrumenti, ad miracula patranda.* Et Henriquez lib. 1. cap. 16. num. 4. dicit quod *nobiliores Theologi benè id colligunt ex sacris litteris.* Denique P. Hiacinthus Choquetius lib. 2. C de gratia disput. 6. capite 1. refert & citat quinquaginta tres egregios hujus sententiæ patronos.

§. II.

Exploditur Durandi sententia.

34. Dico primò: Sacramenta novæ legis non sunt meræ conditiones, ad quarum præsentiam Deus conferat gratiam. Ita S. Thomas in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. ubi loquens de sacramentis novæ legis, sic discurrit: *Quidam dicunt quod non sunt causæ quasi facientes aliquid in anima, sed causæ sine quibus non: quia increata virtus quæ sola effectus ad gratiam pertinentes in anima* D *facit, sacramentis assistit per quandam Dei ordinationem, & quasi pactionem: sic enim ordinavit, & quasi pepigit Deus, ut qui sacramenta accipiunt, simul ab eo gratiam recipiant; non quasi sacramenta aliquid faciant ad hoc. Et est simile de illo qui accipit denarium plumbeum, factâ tali ordinatione, ut qui habuerit unum de illis denariis, habeat centum libras à Rege; qui quidem denarius non dat illas centum libras, sed solus Rex accipienti ipsum. Et quia pactio talis non erat facta in sacra-* E *mentis veteris legis, ut accedentes ad ipsa gratiam acciperent, ideò dicitur quòd gratiam non conferebant, sed promittebant tantùm. Sed hoc non videtur sufficere ad salvandum dicta Sanctorum, causa enim sine qua non, si nihil omnino faciat ad inducendum effectum, vel disponendo, vel meliorando, quantum ad rationem causandi, nihil habebit supra causas per accidens, sicut album est causa domûs, si ædificator sit albus; & secundum hoc sacramenta essent causæ per accidens tantùm respectu sanctificationis: illa enim ordinatio quam dicunt, sive pactio, nihil dat eis de ratione causæ, sed solùm de ratione signi; sicut & denarius plumbeus est solùm signum indicans quid debet accipere: quod autem est per accidens, omittitur ab arte, nec ponitur in definitione; unde in definitione sacramentorum non poneretur causalitas prædicta, nec Sancti multum*

curassent de ea dicere. Nec iterum sacramenta novæ legis, quæ differunt à sacramentis veteris legis secundùm ordinationem prædictam, differrent ab eis secundùm rationem causæ, sed solùm quantùm ad modum significandi; inquantum hæc significant gratiam ut statim dandam, illa verò non. Hæc S. Doctor: quibus verbis conclusionem nostram & docuit, & probavit. Si enim sacramenta novæ legis essent tantùm meræ conditiones ad quarum præsentiam Deus conferret gratiam, non possent dici eam causare: Sed hoc erroneum est, & Scripturæ, Conciliis, & sanctis Patribus repugnans, ut articulo præcedenti contra hujus temporis hæreticos ostensum est: Ergo & illud. Sequela Majoris patet, nam conditio sine qua non, non influit in effectum, sed tantùm desideratur ut B causa influat, ut patet in approximatione ignis ad lignum, quæ non influit in calorem.

35. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Concilium Florentinum suprà citatum, ita asserit nostra sacramenta causare gratiam, ut hoc deneget antiquis: At si nostra non alio modo causarent gratiam, quàm per modum conditionis, nulla esset hæc differentia, quia sacramenta veteris legis, erant etiam saltem conditiones, ad quarum præsentiam Deus conferebat gratiam: Ergo sacramenta novæ legis non sunt meræ conditiones ad quarum præsentiam Deus conferat gratiam.

36. Objicies primò cum Durando: D. Bernardus C in sermone de cœna Domini sic loquitur: *Sicut Canonicus investitur per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & annulum simul, sic diversa gratia, diversis sunt traditæ sacramentis.* Atqui liber, baculus, & annulus, non sunt causæ illorum effectuum, ipsos producentes, sed tantùm signa & conditiones: Ergo & sacramenta nostra, respectu collationis gratiæ.

37. Respondeo cum D. Thoma in 4. dist. 1. qu. 1. art. 4. quæstiunc. 1. ad 1. D. Bernardum loco citato comparasse sacramenta baculo, annulo, & libro, non quoad causalitatem divinæ gratiæ, sed præcisè quoad ejus significationem; idque colligi ex verbis quæ habet antea, quibus docet sa- D cramenta operari gratiam, cùm tamen non possit tribui libro, baculo, & annulo, quod operentur illos effectus quos significant.

38. Objicies secundò: Sicut se habet lex nova ad legem veterem, sic sacramenta novæ legis, ad sacramenta veteris legis: Sed lex vetus (inquit Durandus) sic se habet ad novam legem, ut illud quod promittebatur in veteri lege, solvatur in nova, non per legem, sed à Deo in lege: Ergo similiter gratia exhibetur in sacramentis novæ legis, non per ipsa, sed à Deo in ipsis; & in hoc (subdit idem Author) sufficienter excedunt sacramenta novæ legis, sacramenta legis antiquæ.

39. Respondeo negando Minorem, cùm enim lex E nova perfectior sit lege veteri, & quod est perfectum, aliquo modo causare debeat; Deus non tantùm implet in lege nova quæ in veteri promiserat, sed etiam legi novæ virtutem tribuit, per quam veteris legis promissa implet.

§. III.

Rejicitur secunda sententia, & sacramenta novæ legis instrumentaliter physicè concurrere ad causandam gratiam, ex Scriptura, Conciliis, & SS. Patribus ostenditur.

Dico secundò: Sacramenta novæ legis instrumentaliter physicè ad causandam gratiam concurrunt.

Probatur primò conclusio ex verbis illis Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &* 40. *Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: ut enim ait S. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 1. ad 2. illis significatur, per sacramenta novæ legis causari gratiam instrumentaliter, & per virtutem Spiritus Sancti principaliter: Ergo sicut Spiritus Sanctus principaliter physicè causat gratiam, ita & sacramenta novæ legis instrumentaliter physicè; instrumentum enim causæ physicæ principalis; etiam physicum esse debet, & physicè causare.

Confirmatur ex variis loquendi modis, quibus Scriptura utitur ad causalitatem nostrorum 41. sacramentorum significandam: nam Joan. 3. dicuntur homines renasci ex aqua, ad Titum 3. salvari per lavacrum regenerationis, ad Ephes. 5. mundari lavacro: Sed hi modi loquendi physicam causalitatem indicant: Ergo &c. Minor probatur, nam particula *Ex* communiter indicat causam physicam, vel materialem, juxta quod dicitur annulus fieri ex auro; vel efficientem & instrumentalem, sicut dum animal dicitur gigni ex semine: constat autem homines renasci spiritualiter ex aqua baptismali, non tanquam ex causa materiali: Ergo ut ex instrumentali physica, & tanquam ex spirituali semine. Idem indicant particula *Per*, & ablativus casus, dum enim in communi modo loquendi causam physicam instrumentalem scriptionis volumus indicare, dicere solemus quod hoc scriptum est calamo, vel per calamum: Ergo similiter cùm dicimur mundari lavacro, aut per lavacrum, convenientius id intelligitur ut per instrumentum physicum, quàm ut per instrumentum solùm morale.

Scio Adversarios respondere, hæc omnia rectè 42. etiam posse explicari per causalitatem moralem: vulgò enim (inquiunt) dicitur aliquid effici litteris, & per litteras; meritis, præceptis, ac per merita & præcepta, quæ tamen constat morales tantùm causas esse.

Sed licèt hoc verum sit, quando constat de morali tantùm causalitate sermonem esse, ut in his Adversariorum exemplis contingit, quia manifestum est ea non posse aliter intelligi: in re tamen adeò dubia, qualis est ea in qua versamur, de qua non apparet quòd non possit nisi moraliter exponi, quis sibi persuadeat Spiritum Sanctum ejusmodi voces quibus vim sacramentorum nostrorum significare voluit, semper minùs propriè, ac præter solitum usum, ad moralem duntaxat & metaphoricam causalitatem significandam usurpasse, & tamen nusquam explicuisse se illo sensu esse locutum?

Probatur secundò conclusio ex Tridentino, 43. quod sess. 7. Canone 6. jubet sub anathematis pœna credere sacramenta novæ legi continere gratiam quam significant, quod etiam asserit Florentinum in decreto unionis: At hoc verificari nequit de continentia locali, & materiali, quomodo

Universidad de Deusto
Biblioteca

quomodo aqua verbi gratiâ continetur in vase, medicina in pixide, vel pecunia in bursa; gratia enim, cùm sit qualitas spiritualis, non occupat locum. Unde rectè dixit S. Bonaventura in 4. dist. 1. art. 1. quæst. 3. *Non aliquo modo dicendum est, quod gratia contineatur in ipsis sacramentis, tanquam aqua in vase, vel medicina in pixide.* Non potest etiam hoc intelligi de continentia formali per inhæsionem, eo modo quo accidens dicitur contineri in subjecto cui inest; gratia enim, cùm sit accidens spirituale, completum, & permanens, non inhæret sacramentis, quæ sunt res corporeæ, sed residet in essentia animæ, quæ spiritualis est: Ergo necessariò hoc debet intelligi de continentia virtuali, quæ propria est causæ efficientis principalis, vel instrumentalis: quo pacto illuminatio & calefactio in Sole & igne continentur, & planta in semine, & effectus artis in instrumento artificis. Unde D. Thomas hic art. 3. in corp. ait quod gratia continetur in sacramento, *secundùm quandam instrumentalem virtutẽ, quæ est fluens & incompleta.* Et in contrarium tertio loco sibi objicit: *Spirituale non continetur à corporali, etiam si in eo sit, non enim anima continetur à corpore, sed potiùs continet corpus: Ergo videtur quod gratia, cùm sit quid spirituale, non contineatur in sacramento corporali.* Cui argumento sic respondet: *Ad tertium dicendum, quòd spirituale existens perfectè in aliquo, continet ipsum, & non continetur ab eo: sed gratia est in sacramento, secundum esse fluens & incompletum, & ideò non inconvenienter dicitur sacramentum continere gratiam.*

Ex quo facilè intelliges, quo sensu sacramenta novæ legis, à SS. Patribus & Theologis, *vasa gratiæ*, interdum appellentur, quia scilicet eam virtualiter continent: ut ejus causæ instrumentales; sicut arma vocantur in Scriptura, *Vasa interfectionis, vasa mortis*, & instrumenta musica, *Vasa cantici*, eò quòd prædictos effectus, velut causæ instrumentales virtualiter contineant.

44. Nec valet si dicas cum Adversariis, sacramenta novæ legis, vasa gratiæ appellari, & dici eam continere, quia continent virtutem sanguinis & passionis Christi, velut quædam signa & chirographa, ad quorum præsentiam Deus infallibiliter confert gratiam. Non valet inquam: licèt enim hedera sit signum infallibile vini vendibilis, non dicitur tamen continere vinum, & multominùs esse vas vini, aut vino plena: chirographum etiam, quamvis sit infallibile signum pecuniæ debitæ, & ad ejus exhibitionem pecunia debita exhibeatur, nullus tamen propterea dicet, illud esse plenum pecuniâ, aut vas, vel bursam eam continentem. Similiter ergo si sacramenta novæ legis sint dumtaxat signa, chirographa, & moralia instrumenta quæ Deum excitent ad dandam gratiam ritè ea suscipientibus, intuitu passionis & meritorum Christi, incongruè illa esse vasa gratiæ, eamque continere dicentur.

45. Probatur tertiò conclusio ex sanctis Patribus, qui virtutem & causalitatem physicam sacramentorum novæ legis passim videntur innuere. In primis enim Tertullianus antiquissimus Author libro de Baptismo cap. 4. sic ait: *Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogativa, sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo: supervenit enim statim Spiritus de cœlis, & aquis supereſt, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificandæ,* VIM SANCTIFICANDI COMBIBUNT. Docet etiam idem Author, quod sicut aqua elementaris initio mundi fœcundata Spiritu Dei, produxit pisces, & alia animalia: ita aqua baptismalis, eodem Spiritu sanctificata, spiritualiter regenerat Christianos, quos idcircò *pisciculos* appellat. Huic consonat illud Leonis Papæ serm. 4. de Nativitate Domini: *Omni homini renascenti Baptismus est ad instar uteri virginalis, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem.* Et istud quod serm. 5. habetur: *Originem quam* (Christus) *sumpsit in utero virginis posuit in fonte baptismatis: dedit aquæ quod dedit Matri: Virtus enim altissimi, & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit ut Maria pareret Salvatorem, facit ut regeneret unda credentem.* Favet etiam Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. cap. 42. ubi ait: *Quemadmodum viribus igni intensius aqua calefacta, non aliter urit, quam ipse ignis; sic Spiritus Sancti operatione, aqua quâ baptizati corpus aspergitur, reformatur ad divinam virtutem & potentiam.* Nissenus oratione de S. Baptismo docet eo modo aquam Baptismi purgare animam, hominemque regenerare, quo semen est causa effectrix hominis geniti. Chrysostomus homil. 31. in Joan. *Futurum erat* (inquit) *Baptisma, plenum maximæ potestatis & gratiæ, purgaturum peccata, pro mortuo vivum effecturum.* Et homil. 25. docet, Christianos in fonte Baptismali formari, ut embrio in utero matris. *Quod* (inquit) *est matrix embrioni, hoc & fideli aqua.* Cyprianus serm. de cœna Domini, ait de Eucharistia, *Panis est propter nutrimenti congruentiam, sanguis propter vivificationis efficientiam.* Celebre etiam est illud Augustini Tract. 80. in Joan. *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat!* Denique Sanctus Sylvester apud Nicephorum libro 7. historiæ capite 33. alloquens Constantinum Imperatorem, illumque instruens de virtute Baptismi, sic ait: *Hæc aqua, Imperator, divinâ virtute per invocationem vivificæ Trinitatis concepta, sicut exteriùs corpus hominis abluit, ita etiam interiùs animam mundat, & splendidiorem radiis solaribus efficit.*

Ex his SS. Patrum testimoniis plura possunt 46.
argumenta desumi, ad suadendum eos in sacramentis novæ legis, non solùm virtutem & causalitatem moralem, sed etiam physicam agnovisse. In primis enim recipere à Spiritu Sancto virtutem sanctificandi, & eam in se combibere, vel imbibere, virtutem & causalitatem physicam denotat; vis enim moralis, cùm sit merum ens rationis, non potest, nisi absurdè & ineptè, dici combibi in aqua, vel in ea imbibi: Sed ex Tertulliano citato, aquæ Baptismi virtutem sanctificandi combibunt in semetipsis: Ergo in aquis Baptismi virtutem instrumentalem physicam productivam gratiæ agnovit.

Secundò, ex eodem Authore, sicut ex aquis 47.
naturalibus pisces generantur, ita & ex aquis Baptismi homines spiritualiter regenerantur: Sed aquæ naturales concurrunt physicè ad generationem piscium: Ergo & aquæ Baptismi ad regenerationem fidelium.

Tertiò, ex Leone, Chrysostomo, Cyrillo, & 48.
Nisseno citatis, Baptisma se habet ad instar uteri virginalis ex quo natus est Christus; ad instar matricis seu vulvæ in qua homo concipitur; ad instar seminis ex quo generatur; & ad instar aquæ ferventis, quæ ab igne calefacta, non minùs urit, quàm ipse ignis: At certum est concursum Virginis ad partum Christi, fuisse physicum, vulvam in qua homo concipitur, physicè ad ejus conceptionem concurrere; semen ex quo generatur, esse instrumentum physicum, & physicè concurrens ad ejus generationem; & denique aquam ferventem, & ab igne calefactam, physicè in calefactionem influere: Ergo pariter, juxta illos SS. Patres causalitas physica, & non solùm moralis, sacramentis novæ legis tribuenda est.

49. Demum si sacramenta moraliter tantùm concurrerent ad gratiæ productionem, & hominum sanctificationem, & essent solùm (ut docent Adversarij) veluti chirographa quæ Deum moraliter moverent & excitarent ad gratiam conferendam, absurda prorsus ac inepta, & quasi puerilis, esset, celebris illa Augustini exclamatio, & admiratio: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat!* hoc enim commune & usitatum est apud homines, ut in virtute chirographi, vel sigilli regij in cæra impressi, & aliorum signorum sensibilium, conferantur officia, dignitates, pecuniæ, & aliæ res magni momenti. Unde si quis in hanc admirationem & exclamationem erumperet, Quæ est tanta virtus chirographi, ut ad exhibitionem ejus, statim numerentur pecuniæ! Quæ est tanta virtus monetæ, ut tradita mercatori, statim det ea quæ vendit! Quæ est tanta virtus hederæ, ut ad fores appensa, statim vendatur vinum! meritò irrideretur ab hominibus: ita pariter si sacramenta solùm moraliter ad gratiæ productionem concurrant, irrisoria erit hæc Augustini admiratio: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat!*

50. Hæc omnia confirmari & illustrari possunt ex Cathechismo Romano, jussu Pij V. edito, & in pluribus Conciliis Provincialibus in Gallia celebratis recepto: in eo enim parte 2. Symboli capite 1. quæst. 18. hæc verba leguntur: *Quo pacto tanta res & tam admirabilis, per sacramentum efficiatur, ut quemadmodum S. Augustini sententiâ celebratum est, aqua corpus tangat, & cor abluat, id quidem humanâ ratione atque intelligentiâ comprehendi non potest, constitutum enim esse debet, nullam rem sensibilem, suâpte naturâ ea vi præditam esse, ut penetrare ad animam queat; at fidei lumine cognoscimus, omnipotentis Dei virtutem sacramentis inesse quâ id efficiant quod suâ vi res ipsæ naturales præstare non possunt.* Quibus verbis in primis clarissimè exprimitur efficientia realis & physica sacramentorum. Secundò declaratur hanc sententiam non esse rejiciendam ex eo quod non ita facilè percipitur, sicut alia quæ causalitatem duntaxat moralem eis attribuit. Tertiò, ad hoc probandum adducit celebrem illum locum Augustini: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat!* Denique rationem reddens quare hæc efficientia & causalitas sacramentorum, lumine naturali non ita facilè possit intelligi, dicit hoc ideò esse, quia *nulla res sensibilis, suâ naturâ, eâ vi prædita est, ut penetrare ad animam queat:* quæ ratio (ut evidens est) solùm valet de instrumento physico, cùm instrumenta moralia nullo modo debeant contingere subjectum in quo effectus causæ principalis producitur.

§. IV.

Mens Divi Thomæ aperitur.

51. Licèt superfluum videatur mentem S. Doctoris in hujus difficultatis resolutione investigare, nam ita clarè & perspicuè pluribus in locis causalitatem & efficientiam physicam in sacramentis novæ legis agnoscit, ut de hoc dubitare, sit tenebras Soli offundere, & ut aiunt, in meridie cœcutire: quia tamen Vazquez, Coninck, & Delugo. S. Thomam in suam conantur pertrahere sententiam, & novissimè Augustinus Bernal, ejusdem Societatis Theologus, disp. 10. de sacramentis sect. 4. §. 2. ait quod *influxûs physici sacramentorum assertio; nequit S. Thomæ, nisi* assertores, *ignorantes, ineptos Philosophos, summè stupidos, & incredibilis oscitantiæ Authores,* appellat, ut clarè pateat quantùm Autor ille verbis illis excesserit, & quantùm in doctrina D. Thomæ novitius sit ac peregrinus: operæ pretium existimavi, variis ac evidentissimis demonstrare, argumentis, S. Doctorem stare pro nostra sententia, & causalitatem physicam in sacramentis novæ legis manifestè docere.

In primis ergo manifestum est, securim esse 52.
instrumentum physicum ad faciendum lectum: Sed expresè docet S. Thomas hic art. 1. in corp. sacramenta novæ legis eodem modo causare gratiam, quo securis facit lectum, ait enim: *Causa instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solùm per motum quo movetur à principali agente, unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti, sicut lectus non assimilatur securi, sed arti quæ est in mente artificis, & hoc modo sacramenta novæ legis* GRATIAM CAUSANT. Ergo juxta D. Thomam, sacramenta novæ legis instrumentaliter physicè causant gratiam.

Secundò, Idem S. Doctor ibidem in solut. 53.
ad 2. docet sacramenta novæ legis ex illis instrumentis esse, quæ duas habent actiones, unam propriam, & aliam instrumentalem, & hanc per illam efficiunt, qualem dicit esse securim respectu lecti: At hæc instrumenta sunt physica, ut convincit non solùm exemplum securis, sed etiam doctrina ejusdem Doctoris Angelici 1. parte qu. 45. art. 5. ubi instrumenta quæ has duas actiones habent, negat posse esse instrumenta creationis, cùm tamen constet creaturam ad creandum, moraliter posse concurrere, nam creationem alicujus rei potest homo mereri, aut impetrare à Deo: Ergo juxta sanctum Thomam, sacramenta novæ legis sunt physica instrumenta gratiæ.

Tertiò, D. Thomas art. 3. hujus quæstionis, 54.
docet quod *gratia est in sacramento, secundùm quandam instrumentalem virtutem, quæ est fluens & incompleta*, & quam locis art. sequenti §. 6. referendis, dicit esse qualitatem. Et infra qu. 78. art. 4. *Quidam dixerunt* (inquit) *nullam virtutem creatam esse, nec in prædictis verbis* (formæ scilicet Eucharistiæ) *ad transubstantiationem faciendam, nec etiam in aliis sacramentorum formis, vel etiam in ipsis sacramentis, ad inducendos sacramentorum effectus. Quod sicut supra dictum est, & dictis Sanctorum repugnat, & derogat dignitati sacramentorum novæ legis. Unde cum hoc sacramentum* (Eucharistiæ) *sit præ cæteris dignius, consequens est quod in verbis formalibus hujus sacramenti sit quædam virtus creata ad conversionem hujus sacramenti faciendam; instrumentalis tamen, sicut & in aliis sacramentis. Cùm enim hæc verba ex persona Christi proferantur, ex ejus mandato consequuntur virtutem instrumentalem à Christo.* At virtus instrumentalis, fluens & incompleta, & quæ est vera qualitas, physica est, & non moralis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

xalis, ut de se patet: Ergo sacramenta novæ legis, juxta D. Thomam, sunt instrumenta physica, & non solùm moralia, ad gratiam producendam.

55. Quartò, Idem S. Doctor in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 4. sic ait: *Pœnitentia, ut est sacramentum, effectivè tollit peccatum ex parte maculæ, quia gratiam tribuit, sicut inducens albedinem, aufert nigredinem. Et secundùm hoc pœnitentia, inquantùm est sacramentum, peccata dimittit, quia sacramentum novæ legis est causa instrumentalis gratiæ, ut in prima distinctione dictum est.* Sed inducens albedinem, aufert nigredinem effectivè physicè: Ergo ex S. Thoma, sacramenta causant gratiam, & auferunt maculam animæ, effectivè physicè.

56. Quintò, Juxta D. Thomam eodem modo philosophandum est de sacramentis novæ legis, quantùm ad efficientiam gratiæ, ac de humanitate Christi; docet enim hic art. 5. quod cùm Deus sit causa principalis gratiæ, humanitas Christi instrumentum conjunctum, & sacramentum instrumentum separatum; & per instrumentum conjunctum moveatur separatum, ut baculus per manum, *oportet quod virtus salutifera à Divinitate Christi, per ejus humanitatem, in ipsa sacramenta derivetur.* Et quæst. 27. de verit. art. 4. ad calcem corporis articuli, ait quod *sacramenta participant aliquid de virtute illa, quâ humanitas Christi instrumentaliter ad justificationem operatur, ratione cujus sanctificatus Baptismo, sanctificatus sanguine Christi dicitur ab Apostolo ab Hebræos* 10. At juxta eundem S. Doctorem, Christi humanitas, non solùm moraliter, sed etiam physicè causat gratiam: Ergo & sacramenta novæ legis. Minor probatur ex D. Thoma suprà quæst. 13. art. 2. ubi loquens de anima Christi, inquantùm est instrumentum unitum Verbo, dicit *quod habet virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, quæ conducunt ad finem incarnationis; non tamen ad annihilationem, vel creationem.* At si non loqueretur de instrumento physico, sed morali, evidens est quod non posset negare virtutem moralem ad creationem, vel annihilationem; nihil enim repugnat quod Christus impetrare possit annihilationem diaboli, vel creationem unius Angeli, vel animæ: Ergo &c.

Item idem S. Doctor suprà quæst. 48. distinguit apertè modum physicum, quo passio Christi operata est salutem nostram, à modo morali. In primo enim articulo determinat quod per modum meriti operata sit salutem; in secundo, per modum satisfactionis; in tertio, per modum redemptionis, qui omnes quatuor modi sunt causalitatis moralis: Ergo quando postea art. 5. determinat quod etiam per modum efficientiæ operata sit salutem, tanquam Verbi instrumentum, manifestum est, ipsum loqui de efficientia physica, de morali enim quatuor præcedentibus articulis locutus fuerat.

Præterea, cùm Magister in 4. dist. 10. attulisset hæc verba S. Ambrosij, quæ etiam referuntur à Gratiano de consecratione dist. 2. *Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret, valebit tantùm sermo Christi, ut substantias mutet?* in expositione textûs id declarat S. Thomas, dicens: *Locus est à minori: unde intelligendum est quod plus valeat sermo Christi, & in persona Christi prolatus: quia sermo Eliæ in seipso non habebat virtutem aliquam, sed operabatur per modum intercessionis; sermo autem Christi habet virtutem intraneam, de qua suprà dist. 8. dictum est:* Cùm ergo sermo Eliæ habuerit virtutem moralem, moventem Deum ad patranda miracula, virtus Christi intranea verbis ejus, fuit virtus instrumentalis physica, ad patranda opera miraculosa, & gratiam producendam, & non solùm moralis: juxta illud Prophetæ Psal. 67. *Dabit voci suæ vocem virtutis.*

Denique, D. Thomam causalitatem physicam 57.
in sacramentis novæ legis admisisse, eo manifestè patet, quod in 4. sent. dist. 4. quæst. 3. art. 2, quæstiunc. 3. expressè docuit, Baptismum cum fictione susceptum, recedente fictione, producere gratiam, ratione characteris, in quo virtualiter remanet, & in quo tanquam in semine, ex sacramento præterito relicta est virtus gratiæ productiva. Verba ejus sunt: *Ad tertiam quæstionem dicendum, quod in Baptismo imprimitur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam; & ideò cùm fictio non auferat characterem, recedente fictione, quæ effectum characteris impediebat, character qui est præsens in anima, incipit habere effectum suum, & ita Baptismus, recedente fictione, effectum suum consequitur.* Ex hac, inquam, S. Thomæ doctrina, manifestum relinquitur, ipsum causalitatem physicam in sacramentis novæ legis agnovisse; si enim moralem tantùm admisisset, non debuisset recurrere ad characterem, in quo virtus gratiæ productiva, ex præcedenti sacramento relinquatur, & in quo illud tanquam in semine virtualiter permaneat; nam causa duntaxat moralis potest moraliter operari, etiam quando non est, & licèt nullam virtutem sui vicariam reliquerit. Videat ergo Bernal, an assertores influxûs physici sacramentorum novæ legis, qui eum S. Doctori tribuunt, sint *ignorantes, inepti Philosophi, summè stupidi, & incredibilis oscitantiæ:* his enim præclaris encomiis Author ille, non solùm Thomistas, sed etiam illustriores Societatis Theologos, qui physicam (ut suprà ostendimus) sacramentorum novæ legis causalitatem admittunt, loco suprà citato extollit. Sed huic egregio Encomiasti respondere sufficiet illud Proverb. 10. *Qui contumeliam profert, insipiens est.*

§. V.

Causalitas physica sacramentorum novæ legis, variis congruentiis suadetur.

Licèt nulla possit dari ratio à priori, cur sacramenta novæ legis instrumentaliter physicè causent gratiam (hoc enim ex sola Dei voluntate pendet, qui ea voluit ut instrumenta physica assumere, eisque vim instrumentalem gratiæ productivam imprimere) variæ tamen assignari possunt congruentiæ, & rationes probabiles, quibus hæc veritas suaderi potest.

Prima sumitur ex D. Thoma qnæst. 27. de verit. art. 4. ubi docet quod opinio illa quæ sacramentis novæ legis causalitatem solùm moralem attribuit, non sufficienter salvat dignitatem illorum supra sacramenta veteris legis, nec nobiliorem causandi modum in illis quàm in istis agnoscit; constat enim moralem causalitatem non defuisse sacramentis antiquis, cùm enim essent signa passionis Christi futuræ, cujus intuitu Deus in antiqua lege gratiam conferebat, vim quandam moralem excitandi Deum habebant, ad 58.

conferendam gratiam, ob merita Christi futura; unde si sacramentis novæ legis nulla alia virtus tribuatur, quàm vis illa moralis, & excitativa, manifestum est ea non elevari supra sacramenta vetera, nec ab illis differre, quantùm ad modum operandi, sed tantùm ex parte rei causatæ, majoris scilicet & abundantioris gratiæ, quam causant sacramenta novæ legis, quatenus significant passionem Christi præteritam, quam sacramenta vetera repræsentabant solùm ut futuram. Quod ut docet S. Thomas loco citato, non sufficit ad salvandam dignitatem sacramentorum nostrorum supra sacramenta vetera; *& magis pertinet* (inquit) *ad conditionem temporis, quam ad dignitatem sacramentorum; quia in tempore illo promittebatur gratia, nunc autem est tempus plenitudinis gratiæ, propter reparationem humanæ naturæ jam factam; unde secundum hoc sacramenta ista, si tunc fuissent cum toto eo quod nunc habent, nihil plus fecissent quàm illa; nec illa nunc minùs facerent quàm ista, nullâ eis additione factâ.*

59. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio. Sacramenta novæ legis differunt à sacramentis legis Mosaïcæ, eaque superant in hoc, quod sacramenta vetera erant tantùm signa gratiæ, nova autem sunt non solùm signa, sed etiam causæ illius: Sed hoc intelligi nequit de sola causalitate morali: Ergo in sacramentis novæ legis, præter moralem causalitatem, realis & physica admittenda est. Major patet, Minor probatur. Causalitas moralis, si quæ in sacramentis novæ legis intervenit, non excedit rationem signi: Ergo quando sacramenta nostra per hoc dicuntur differre ab antiquis, quòd ista sunt tantùm signa gratiæ, illa verò simul causæ & signa, hoc de causalitate solùm morali intelligi nequit. Consequentia patet, Antecedens probatur. Sacramentis nostris non potest competere causalitas moralis, ratione alicujus actûs moralis, quem ipsa exerceant & eliciant; sicut meritum, aut satisfactio, vel redemptio, sunt actus moralis causalitatis: Ergo illis solùm potest competere causalitas moralis, secundùm aliquid relictum ab actibus moralibus, ut contineant eorum valorem, & efficaciam in effectum: hæc autem continere nequeunt, nisi significando & repræsentando talem efficaciam & valorem; sicut chirographum repræsentat obligationem debitoris, & denarius plumbeus est signum voluntatis regiæ dandi tale vel tale officium, vel dignitatem: Ergo omnis causalitas moralis communicata sacramentis, solùm potest esse per modum signi significantis efficaciam actuum meritoriorum & moralium Christi. Et hujus ratio est, quia non est causalitas moralis in istis inanimatis, nisi inquantùm movent voluntatem aliquam, ut ipsis positis conferat effectum, quæ motio fieri ab eis non potest, nisi ut à signo.

60. Confirmatur ampliùs: Chirographum est tantùm causa moralis largitionis pecuniæ, inquantùm excitat memoriam hominis ut recordetur se debere, & convincatur, si neget: Sed non excitatur ejus memoria, nec convincitur per chirographum, nisi quia illud est signum voluntatis & consensus prioris exhibiti; unde si adessent alia signa, quibus probaret non consensisse, rescinderetur contractus, & nulla foret obligatio: Ergo causalitas moralis non transcendit rationem signi, subindeque si sacramenta novæ legis causent tantùm moraliter gratiam, & sint tantùm veluti chirographa, promissionem Dei de largienda gratia ea ritè suscipientibus significantia, non erunt veræ causæ gratiæ, sed tantùm signa illius, subindeque à sacramentis veteris legis non different.

Secunda ratio: Cùm Deus pronior sit ad miserendùm, quàm ad puniendum, & sit (ut loquitur Tertullianus) *de suo misericors, de nostro justus*, congruum est ut instrumenta divinæ misericordiæ ad sanctificandos homines non habeant imperfectiorem & ignobiliorem modum operandi, quàm instrumenta divinæ justitiæ ad illos puniendos: At divinæ justitiæ instrumenta (ignis scilicet inferni, & purgatorij) virtute divinâ physicè agunt in Dæmones, & in animas purgatorij, ac physicè dolorem & tristitiam in ipsis causant, idque (ut ait Augustinus libro 21. de civit. cap. 10.) præstant *miris, veris tamen modis*, de quo plura diximus in Tractatu de Angelis: Ergo pariter dicendum est sacramenta novæ legis instrumentaliter physicè concurrere ad sanctificandos homines, idque miris, veris tamen modis, efficere, ut suprà ex Catechismo Pij V. ostensum est. 61. *Contra Marcion.* *Disp. 14. art. 2.*

Tertia ratio: Sacramentum pœnitentiæ physicè producit gratiam: Ergo & alia sacramenta novæ legis. Consequentia patet, ex paritate rationis. Antecedens verò probatur primò ex D. Thoma suprà citato, ait enim in 4. sententiarum dist. 14. quæst. 2. art. 4. quod *pœnitentia, ut est sacramentum, effectivè tollit peccatum ex parte maculæ, quia gratiam tribuit, sicut inducens albedinem, tollit nigredinem.* Quibus verbis apertè docet sacramentum pœnitentiæ physicè producere gratiam. 62.

Secundò probatur Antecedens eo modo producit gratiam sacramentum pœnitentiæ, quo sacerdos pœnitentem absolvens: Sed hic physicè producit gratiam: Ergo & pœnitentia sacramentum, Major patet, Minor probatur: Tum quia ad veritatem horum verborum, *Ego absolvo te*, necessarium est ut sacerdos verè & realiter peccata remittat: Sed hoc non potest, nisi verè, & realiter producendo gratiam, atque adeò physicè, cùm causa physica & realis, sit illa quæ verè & realiter influit in effectum, & efficientia moralis, sit impropria tantùm & metaphorica causalitas. Tum etiam, quia non apparet quomodo sacerdos; verè sententiam proferat, si moraliter tantùm peccata remittat; sicut enim qui chirographum exhibet, quo oblato debitum solvitur, non dicitur solvere tale debitum: ita si sacerdos administrando sacramentum pœnitentiæ, habeat tantùm offerre Deo sacramentum, veluti chirographum, quo oblato & applicato, Deus conferat gratiam, non poterit dici sacerdos causare gratiam remissivam peccati.

Confirmatur: Sacramentum pœnitentiæ se habet per modum judicij, & in eo Sacerdos gerit vices Judicis, & pœnitens vices rei: Sed Judex in humanis, non excitat alium ad absolvendum reum, nec impetrat ejus absolutionem; sed propriâ authoritate à Principe sibi commissâ, eum absolvit: Ergo & Sacerdos in tribunali pœnitentiæ, verba illa, *Ego absolvo te*, proferens, non solùm excitat moraliter Deum ad illi tribuendum gratiam à vinculis peccatorum solventem, nec solùm à Deo impetrat ejus absolutionem, sed authoritate Christi sibi commissâ, verè instrumentaliter eum absolvit & gratiam remissivam peccati, ut divinæ virtutis instrumentum, physicè ei confert, & producit in anima ejus. Unde 63.

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. Thomas infrà quæst. 84. art. 3. *Solus Deus per authoritatem, & à peccato absolvit, & peccatum remittit; Sacerdotes tamen utrumque faciunt per ministerium, inquantùm scilicet verba sacerdotis in hoc sacramento instrumentaliter operantur in virtute divina; unde & Dominus expressit utrumque, nam Matth. 16. dixit Petro, quodcumque solveris super terram &c. Et Ioan. 20. dixit Discipulis suis, Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Et in resp. ad 4. ait quod *Apostolis non est data potestas, ut ipsi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationem infirmi sanarentur: est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter sive ministerialiter in sacramentis; & ideò magis possunt in formis sacramentorum exprimere actum suum, quàm in sanationibus infirmorum.*

64. Quarta ratio: In eodem genere causæ sacramenta concurrunt ad gratiæ productionem, quo humanitas Christi: Sed humanitas Christi ad gratiæ productionem physicè concurrit: Ergo & sacramenta. Minor fusè probata fuit in Tractatu de Incarnatione, & manifestè docetur à S. Thoma locis §. præcedenti adductis. Major verò suadetur: Tum quia vel sacramenta novæ legis ipsum Christum realiter in se continent, ut sacramentum Eucharistiæ, vel reputantur quasi actiones ipsius, ut alia sacramenta, quæ consistunt in usu, verba enim proferuntur à ministris in persona Christi. Tum etiam, quia sicut humanitas est instrumentum conjunctum divinitatis, ita sacramenta sunt ejusdem instrumenta separata; ideóque Concilia, Patres, & ipsa Sacra Scriptura, eodem modo loquuntur de sacramentorum & humanitatis Christi causalitate. Unde D. Thomas quodlib. 12. art. 15. *Sicut caro Christi habuit virtutem instrumentalem ad facienda miracula, propter conjunctionem ad Verbum; ita sacramenta per continuationem ad Christum crucifixum & passum.* *Disp. 19. art. 2.*

65. Quinta ratio: Admittendus est in sacramentis novæ legis modus producendi gratiam instrumentaliter physicè, si ille sit possibilis, & si non repugnet aliquid corporeum, quale est sacramentum, ad productionem rei spiritualis, qualis est gratia sanctificans, elevari: Sed in hoc nulla est implicantia: Ergo id de facto ita esse asserendum est. Major patet, Tum quia id valde decet humanitatem Christi, & ejus sacramenta; cùm modus ille producendi gratiam, & sanctificandi homines, nobilissimus, & præstantissimus sit, & dignitatem sacramentorum novæ legis supra sacramenta vetera, manifestè declaret. Tum etiam, quia hic modus causalitatis ostendit, quanto amore Deus diligat & optet nostram sanctificationem, qui continua veluti miracula voluit operari, ut nos sanctificaret, elevando res corporeas ad producendam in nobis rem adeò excellentem, qualis est gratia sanctificans. Addo quod, juxta hunc modum dicendi, melius & cum majori proprietate intelliguntur & explicantur loca Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum, asserentium sacramenta novæ legis homines sanctificare, mundare, regenerare &c. ut ex suprà dictis patet.

66. Minor verò, in qua est difficultas, probatur primò ratione quam innuit S. Doctor infrà qu. 75. art. 4. Deus cùm sit rerum omnium dominus, & ejus actio se extendat ad totam naturam entis creabilis, eique ad nutum omnia obediant, quamlibet creaturam potest assumere ut instrumentum physicum ad producendum quidquid est in potentia saltem obedientiali alterius creaturæ: Sed gratia sanctificans continetur in potentia obedientiali animæ, cùm ex ea educatur: Ergo potest Deus elevare quamlibet creaturam, etiam corpoream, ad producendam instrumentaliter physicè gratiam sanctificantem in anima.

Secundò eadem Minor suadetur: Intellectus agens elevat phantasma corporeum, ut instrumentaliter causet species intelligibiles spirituales in intellectu residentes, ut Vazquez & plures alij ex Adversariis fatentur: Ergo à fortiori Deus qui est agens infinitæ virtutis, potest elevare aquam, & voces sensibiles & corporeas, ut physicè gratiam spiritualem & supernaturalem causent instrumentaliter in anima.

Tertiò, Ignis inferni est corporeus, & tamen à Deo ut instrumentum physicum assumitur ad alligandas substantias purè spirituales, quales sunt dæmones, & animæ damnatorum, & virtute divinâ dolorem & tristitiam in ipsis causat, torquetque miris, sed veris modis, ut suprà ex Augustino dicebamus, & in Tractatu de Angelis fusè ostensum est: Ergo pariter potest Deus elevare sacramenta, ad producendam instrumentaliter physicè gratiam sanctificantem in anima, ut magis patebit ex dicendis articulo sequenti, ubi diluentur omnia argumenta quibus Adversarij conantur ostendere, aliquid corporeum non posse divinâ virtute ad producendâ gratiâ elevari. *Disp. 14. art. 2.*

ARTICULUS III.

Convelluntur fundamenta adversæ sententiæ.

PLura contra physicam sacramentorum novæ legis efficientiam proponi solent argumenta, quorum aliqua ex authoritate, alia ex ratione petuntur: quæ sunt primi generis, §. 1. diluentur, alia verò in sequentibus.

§. I.

Solvuntur argumenta ex authoritate SS. Patrum.

OBjiciunt in primis Adversarij quædam Patrum testimonia, quibus physicam nostris sacramentis videntur denegare causalitatem; ait enim Author sermonis de Baptismo apud Cyprianum, *Remissio peccatorum, sive per Baptismum, sive per alia sacramenta donetur, propria Spiritus Sancti est, & ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet.* Hieronymus in cap. 4. Isaiæ: *Ex hoc* (inquit) *discimus quod homo solum aquam tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum.* Similiter Augustinus 15. de Trinit. cap. 26. de Discipulis Christi ait, *Orabant ut veniret Spiritus Sanctus in eos quibus manus imponebant, non ipsi eum dabat.* 67.

Respondeo primò, quod si authoritates illæ convincerent, probarent sacramenta novæ legis non conferre gratiam ex opere operato, nec physicè, nec moraliter, ut patet illas ponderanti, unde illæ ab Adversariis explicandæ sunt. 68.

Respondeo secundò, Patres in quibus hæ & similes locutiones inveniuntur solùm velle quod Deus sit principalis author gratiæ, & quod homines vel elementa, ex se non habent vim dandi illam, non tamen negare quod ex communicatione virtutis Dei, & subordinatione ad eam, etiam homines, & sacramenta, possint instrumentaliter causare gratiam. Unde S. Thomas

mas quæst. 5. de verit. art. 8. ad 1. ait, *quod dictio exclusiva non excludit ab operatione instrumentum, sed aliud principale agens, ut si dicatur sic, faber cultellum facit, non excluditur operatio martelli; sed alterius fabri. Ita etiam quod dicitur quod Deus per se mundum gubernat (juxta illud Gregorij libro 34. Moral. cap. 26. Mundum quippe per semetipsum regit, qui mi per seipsum fabricatus est) non excludit operationem inferiorum causarum, quibus quasi instrumentis Deus agit, sed excluditur regimen alterius principaliter agentis.*

69. Objiciunt secundò: Hieronymus super caput 16. Matthæi comparans sacerdotes novæ legis sacerdotibus veteris, subdit: *Quomodo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic & hic alligat vel solvit Episcopus vel Presbyter.* At sacerdos veteris legis non erat causa leprosum efficienter mundans à lepra corporis: Ergo neque sacerdos legis novæ, efficienter mundat peccatorem à lepra peccati.

70. Hoc etiam argumentum ab Adversariis solvendum est, cùm illi doceant sacerdotes novæ legis, in genere saltem causæ efficientis moralis, ad mundandum peccatorem à lepra peccati concurrere, cùm tamen sacerdotes veteris legis, nullatenus à lepra corporis mundare possent, sed duntaxat lepram à non lepra discernere. Hoc præmisso.

Respondeo Hieronymum eo loco non negare quod Episcopi & Presbyteri veram habeant solvendi à peccatis potestatem (hoc enim de fide certum est) sed invehi solùm adversùs aliquos Episcopos & Presbyteros, qui verba illa Christi ad Petrum: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris, &c.* non rectè intelligentes, se posse vel damnare innocentes, vel solvere noxios, existimabant, ut patebit locum illum integrum perlegenti, verba enim S. Doctoris hæc sunt: *Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur; cùm apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi jubentur ut ostendant se sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à sacerdote immundi fiant; non quòd sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quòd habeant notitiam leprosi, & possint discernere qui mundus quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic & hic alligat vel solvit Episcopus & Presbyter: non eos qui insontes sunt vel noxij, pro officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus.*

71. Objiciunt tertiò: D. Thomas hîc art. 4. ad 1. virtutem instrumentalem quæ est in sacramentis novæ legis ad causandam gratiam comparat virtuti spirituali seu intentionali, quæ est in voce ad excitandum intellectum audientis in conceptum ultimatum rei significatæ: Quis autem dicat (inquit Vazquez) virtutem vocum ad excitandum intellectum esse physici instrumenti, & non moralis? Siquidem significatio nihil est reale in vocibus. Item in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 2. in corp. dicit Deum uti sacramentis, quasi quibusdam instrumentis justificationis. Et ad 2. sacramenta esse causas gratiæ, quasi instrumentaliter. Quibus in locis particula illa *quasi*, quam non absque causa adjecit, indicat eum non tribuere sacramentis rationem instrumenti simpliciter dicti, quale est instrumentum physicum, sed instrumenti secundùm quid, quale est instrumentum morale. Denique idem S. Doctor hic art. 5. docet virtutem in sacramenta derivari ab humanitate Christi, mediâ passione: Sed passio Christi non est causa physica, sed solùm moralis nostræ justificationis, nam cùm agere præsupponat esse, quod non est physicè in rerum natura, non potest esse causa physica: passio autem Christi jam transiit, neque unquam amplius erit, juxta illud Apostoli ad Romanos 6. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur &c.* Ergo juxta doctrinam D. Thomæ, sacramenta novæ legis non sunt instrumenta physica, sed solùm moralia, gratiæ sanctificantis.

Respondeo quoad primum locum, negando quod virtus vocum ad excitandum intellectum, non sit virtus physici instrumenti; licèt enim in voce significativa, ipsa ejus significatio non sit physica, nec realis, sed relatio aliqua rationis, ex passiva impositione vocis consurgens, virtus tamen quam habet ad immittendum species suas in sensum auditoris, & per eas conceptionem loquentis in alterius mentem transmittendi, realis est, & physica, atque adeo virtus instrumenti physici, ut docet Capreolus in 4. dist. 1. quæst. 1. ad quintum Scoti contra quartam, & variis D. Thomæ testimoniis ostendit; idque S. Doctor manifestè indicat in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 2. ad 4. ubi fusius explicans doctrinam quam tradit hic art. 4. ad 1. sic ait: *In re corporali non potest esse virtus secundum esse completum, potest tamen ibi esse per modum intentionis, sicut in instrumentis motis ab artifice est virtus artis, & sermo audibilis existens causa disciplinæ (ut dicitur in libro de sensu & sensato cap. 2.) continet intentiones animæ quodammodo: etiam in motu est virtus substantiæ separatæ moventis, secundum Philosophos; & semen agit in virtute animæ ut dicitur in 1. de generatione animalium cap. 20. circa finem.* Ubi D. Thomam loqui de instrumentis physicis, evidentissimum est, nam instrumenta mota ab artifice, instrumenta physica sunt; ut securis, dolabra, serra; & virtus substantiæ separatæ, quæ agit ad generationem viventium, virtus physica est, & similiter virtus seminis est virtus instrumentalis physica. 72.

Ad secundum locum dico particulam *quasi*, non esse semper similitudinis notam, & diminutivam, sed expressionis, & confirmationis, ut cum de Rege ornatu & pompâ regiâ incedente dicitur, *incedit quasi Rex*, id est tanquam Rex. Et Scriptura Joan. 1. dicit de Christo, *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Ad eum ergo modum dixit D. Thomas, sacramenta esse causas gratiæ, quasi instrumentales, id est, tanquam vera instrumenta gratiæ. 73.

Ad tertium nego Minorem, & ad probationem ei subjunctam dico quod licèt passio & mors Christi jam transierint in actu, & in ratione motûs, aut actionis, manent tamen virtute in effectu suo, videlicet in stigmatibus gloriosis corporis Christi, seu in humanitate quæ affecta fuit passione & morte; & quia hæc humanitas sic affecta, modò & in æternum manet, ideò modò & in æternum consummare potest sanctificatos virtute suâ effectivâ. Ita colligitur ex D. Thoma suprà quæst. 56. artic. 1. ad 3. ubi sic ait: *Resurrectio Christi est causa efficiens & exemplaris nostræ resurrectionis: efficiens quidem, inquantum humanitas Christi secundùm quam resurrexit,* 74.

Universidad de Deusto
Biblioteca

surrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis ipsius, & operatur in virtute ejus, & ideò sicut alia quæ Christus in sua humanitate fecit, vel passus est, virtute divinâ sunt nobis salutaria, ita & Resurrectio ejus. Ex quibus verbis apparet, non esse mentem S. Thomæ, quod actio ipsa quæ jam præteriit, assumatur ut instrumentum Divinitatis, sed humanitas, quæ secundùm actionem illam resuscitata manet & passa est, aut mortua: & ideò Christi passio, & resurrectio, physicè ad nostram justificationem & resurrectionem concurrere dicuntur, quia humanitas ejus, ut passa, & resuscitata, ad utrumque physicè concurrit.

§. II.

Solvitur primum argumentum ex ratione petitum, & quomodo sacramenta cum fictione suscepta, recedente fictione, producant gratiam, breviter declaratur.

75. PRæter argumenta ex authoritate, quæ §. præcedenti diluimus, variis rationibus insurgunt Adversarij in nostram sententiam. Prima sic potest breviter proponi: Baptismus qui in puncto suæ receptionis gratiam non contulit, propter recipientis obicem, sive fictionem, recedente postea fictione, eam confert, ut docent S. Augustinus libro de Baptismo contra Donatistas cap. 12. relatus de consecrat. dist. 4. cap. 41. & S. Thomas infrà quæst. 69. art. 10. & cum eo communiter Theologi: Sed tunc eam non causat physicè, cùm tunc non sit, sed transierit, & quod non est, physicè agere nequeat: Ergo solùm moraliter.

Nec valet si dicas, quòd licèt quando recedit fictio, Baptismus non sit in se, remanet tamen in sua virtute, nimirum in charactere, qui tunc à Deo elevatur ad causandam gratiam, quam Baptismus in puncto suæ receptionis debebat producere, si non fuisset positum impedimentum. Non valet, inquam, character enim de se non est instrumentum ad producendam gratiam, ut patet, quando simul character & gratia dantur, tunc enim gratia non datur mediante charactere: Ergo neque quando non datur simul gratia.

76. Respondeo bonam esse responsionem & tradi expresè à D. Thoma in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 3. his verbis articulo præcedenti relatis: *Ad tertiam quæstionem dicendum quod in Baptismo imprimitur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam, & ideò cùm fictio non auferat characterem, recedente fictione, quæ effectum characteris impediebat, character qui est præsens in anima, incipit habere effectum suum, & ita Baptismus, recedente fictione, effectum consequitur.* Quibus verbis apertè docet, quod quando Baptismus suscipitur cum fictione, recedente fictione, per characterem, ut effectum sacramentalem minùs principalem, datur effectus principalis, qui est gratia.

Nec refert, quod quando non fictè suscipitur gratia non detur mediante charactere; nam tunc sacramentum ipsum influit formaliter, & sic non oportet ponere virtualem influentiam, seu mediante virtute à se relicta: quando tamen non adest sacramentum, sufficienter salvatur hæc causalitas physica, mediante virtute aliquâ sacramento relictâ, sicut mortuo generante producitur proles per virtutem à se relictam in semine.

77. Hæc solutio & doctrina haud dubiè valde probabilis est, & potest applicari non solùm Baptismo, sed etiam aliis sacramentis imprimentibus characterem. Verùm adhuc gravis difficultas remanet de aliis sacramentis quæ characterem non imprimunt, quomodo scilicet, recedente fictione, possint physicè producere gratiam, cùm tunc nec in se nec in sua virtute existant, nihilque ex ipsis relinquatur in quo virtualiter permanere dicantur.

Respondent aliqui, quod licèt sacramenta quæ 78.
non imprimunt characterem, neque in se, neque in sua virtute sint, quando tollitur fictio, verè tamen instrumentaliter phisicè concurrunt ad gratiæ productionem, quia sicut in instrumentis divinæ virtutis non requiritur necessariò præsentia & contactus formalis subjecti in quo producitur effectus, eò quòd virtus causæ principalis sit intimè in omnibus rebus, & ratione illius instrumenta dicantur virtualiter præsentia & contingentia passum; ita non est necessaria existentia eo tempore quo operantur, eò quòd eadem virtus causæ principalis sit formaliter existens in omni temporis differentia, & ratione existentiæ ipsius, instrumenta quæ assumit sint virtualiter existentia in ea duratione in qua non sunt formaliter.

Sed hæc solutio & doctrina probabilitate ca- 79.
ret, impossibile enim est, ut res non existens nec in se formaliter, nec virtualiter in aliquo suo effectu, possit physicè in aliquid influere, sive principaliter, sive etiam instrumentaliter; existentia enim est conditio omnino necessaria ad agendum, quam Deus non potest supplere. Et ratio est, quia sublatâ existentiâ rei, vel in se, vel in alio, nihil illius actu remanet, ac proinde non est aliquid à quo possit esse actio: unde licèt Deus possit multas conditiones supplere, v. g. præsentiam sive approximationem agentis ad passum, quia hujusmodi conditionibus sublatis adhuc intelligitur remanere principium à quo procedat actio, non potest tamen supplere existentiam, quia licèt non sit actionis principium, ita tamen ab ea dependet principium actionis, ut eâ sublatâ, in nihilum redeat. Et sanè, si hæc opinio esset probabilis, nullâ ratione posset falsitatis convinci, qui vellet sustinere, Deum posse assumere tanquam instrumentum physicum res possibiles & futuras; si quidem licèt illæ non sint actu, Deus tamen adest formaliter præsens nedum tempori præsenti & præterito, sed etiam futuro, quod plusquam absurdum est.

Secundò respondent alij, relinqui à sacramen- 80.
to determinationem in voluntate quæ se illi subjecit, & recedente fictione, vi talis determinationis sacramentalis, seu ex sacramento relictæ, & modificatæ, resultare effectum gratiæ in sacramentis quæ non imprimunt characterem: sicut enim (inquiunt) non est inconveniens remanere virtualem determinationem physicam voluntatis, quâ amavit finem, ut ex ea se determinet ad media; sic nec repugnat voluntatem à sacramento suscepto determinari, & hanc determinationem in ea manere, ut recedente fictione gratiam operetur. Sicut suprà dicebamus, quod passio & resurrectio Christi, physicè ad nostram salutem concurrere dicuntur, quia humanitas ejus, ut illis actionibus aut passionibus determinata & modificata remanet, & in virtute talis determinationis & modificationis: producit gratiam, ut instrumentum conjunctum Divinitatis. Hæc solutio probabilitate non caret.

Verior

81. Verior tamen ac probabilior est solutio & doctrina aliorum Thomistarum asserentium sacramenta quæ non imprimunt characterem, recedente fictione, non causare gratiam physicè, sed solùm moraliter: rationi enim consentaneum videtur, quod sacramentum causet gratiam, secundùm modum essendi quem habet; ita ut illam physicè causet, quando verè & physicè existit; moraliter verò, quando existit solùm moraliter & in divina acceptatione, ut contingit in proposito. Nec hoc officit sententiæ de causalitate physica sacramentorum novæ legis, quia hæc non intelligitur, nisi de sacramento existente, cùm existentia sit una de conditionibus requisitis ad physicam operationem.

§. III.

Aliud argumentum solvitur.

82. OBjiciunt secundò Adversarij: Ad rationem instrumenti physici necessarium est quòd sit immediatè conjunctum subjecto in quo effectum suum producit, ipsumque physicè contingat: Sed sacramenta sæpè distant localiter ab homine in cujus anima est causanda gratia, ut patet in sacramento pœnitentiæ, nam cùm sacerdos pœnitentem absolvit, verba non tangunt physicè pœnitentem, nec ejus animam in qua producitur gratia: Ergo nequeunt sacramenta esse instrumenta physicè productiva gratiæ.

83. Respondent Nuño & Serra, non esse necessarium quòd agens physicum sit immediatè conjunctum cum ea parte in qua producit suum effectum, ut patet in pungente carnem, quod in sensu aut organo tactûs causat dolorem, & tamen non est immediatè ipsi conjunctum, sed satis est, ipsum esse conjunctum cum toto composito; unde cùm sacramenta possint esse immediatè conjuncta cum homine, in ejus anima possunt instrumentaliter physicè causare gratiam, & tangendo corpus, cor abluere, ut loquitur Augustinus, seu efficere operationem instrumentalem circa animam, ut ait sanctus Thomas hìc art. 1. ad 2.

84. Hæc solutio haud dubiè veram doctrinam continet, sed difficultatem propositam penitùs non evacuat, sunt enim aliqua sacramenta novæ legis, quæ contactum circa corpus non requirunt necessariò, ut patet in exemplo adducto, non enim est necessarium, quod in sacramento pœnitentiæ, verba absolutionis à sacerdote prolata, reali & physico contactu ipsum pœnitentem attingant. Idem constat in sacramento matrimonij. non requiritur enim necessariò quod verba unius contrahentis in ea distantia proferantur, quod alterum contrahentem realiter attingere valeant. Simile est in sacramento Eucharistiæ respectu consecrationis, non enim oportet, quod verba sacerdotis consecrantis, panem & vinum materialiter & realiter attingant, ut cùm plures hostiæ consecrantur. Alia ergo assignanda est solutio, quæ sit universalior, & valeat etiam pro illis sacramentis quæ physicum corporis contactum non requirunt. Unde

85. Respondeo primò distinguendo Majorem: Ad rationem instrumenti physici necessarium est, quod sit immediatè conjunctum subjecto in quo suum effectum producit: si sit instrumentum artis, vel naturæ, transeat Major. Si sit instrumentum divinæ virtutis, quale est sacramentum, nego Majorem. Hoc enim inter instrumenta primi & secundi generis reperitur discrimen, quod cùm in instrumentis naturalibus, aut artificialibus, virtus causæ principalis non sit ita diffusa, ut per seipsam possit immediatè contingere passum, vel subjectum operis naturalis, vel artificiosi, necesse est quod mediante instrumento illam deferente, reddatur ipsi præsens, subindeque quod instrumentum naturæ, vel artis, contingat immediatè passum seu subjectum in quo debet produci ejus effectus: è contra verò, cùm virtus Dei, ob ejus immensitatem, sit omnibus rebus intimè præsens, non requiritur quod mediante instrumento reddatur præsens subjecto in quo gratia vel alius effectus supernaturalis producitur, nec per consequens quod instrumenta divinæ virtutis tale subjectum immediatè contingant, sed in rem distantem operari possunt. Unde Christus Matth. 8. solâ voce sanavit servum Centurionis absentem, & Joan. 4. sanitati restituit filium Reguli distantem. Item Joan. 11. voce revocavit animam Lazari existentem in Lymbo, quò vox illa physicè pertingere non poterat. Hinc D. Thomas 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad 1. infert Deum posse elevare interiorem hominis operationem ad physicè patranda miracula in re externa & distanti. Et 1. parte quæst. 64. art. 4. ad 2. asserit Dæmones in aëre isto detentos, torqueri ab igne inferni, affertque Glossam Jacobi 3. dicentem: *Dæmones portant semper ignem gehennæ, quocumque vadant.*

Dixi autem in distinctione Majoris: transeat Major, quantùm ad instrumenta naturalia, quia in istis instrumentis non est universaliter verum, quod debeant immediatè contingere subjectum in quo effectus causæ principalis producitur; æstimativa enim, licèt non sit nisi in capite, operatur tamen instrumentaliter in pede, ipsumque movet localiter, ut instrumentum naturale animæ; quia ipsa anima cui conjungitur, & quæ est causa principalis talis motûs, formaliter in pede existit. Cur ergo similiter, sacramenta, & alia divinæ virtutis instrumenta, non poterunt operari in subjectum distans, cùm Deus, qui est causa principalis gratiæ & miraculorum, omnibus rebus intimè præsens sit, & immediatiùs ac intimiùs, quàm anima pedi, ipsis conjungatur; *in ipso enim vivimus, movemur, & sumus*, ut dicitur Actorum 17.

Secundò responderi potest & magis explicari 86.
ac illustrari præcedens solutio distinguendo aliter Majorem: De ratione instrumenti physici est, ut subjectum in quo debet recipi ejus effectus, physicè contingat, contactu suppositi, seu rei, nego Majorem. Contactu virtutis, & causalitatis, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem: sacramenta non contingunt semper subjectum in quo producitur illorum effectus, scilicet gratia, contactu suppositi, seu rei, concedo Minorem. Contactu virtutis & causalitatis, nego Minorem, & Consequentiam. Quamvis ergo implicet contradictionem, quod instrumentum physicè influat in effectum causæ principalis, nisi causalitate & virtute à causa principali derivatâ, spiritualiter passum contingat; agere enim est virtute activâ actu dare esse, & ipsa productio & actualis efficientia, est virtualis & realis contactus: unde S. Thomas suprà quæst. 48. articul. 6. ad 2. ait quod *Passio Christi licèt sit corporalis, habet tamen spiritualem virtutem ex Divinitate unita, & ideò per spiritualem contactum efficaciam sortitur.* Non requiritur

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen, quod instrumentum physicum (præsertim si sit instrumentum divinæ virtutis) per seipsum, seu per suam entitatem, physicè contingat subjectum, in quo effectus causæ principalis producitur, quia propinquitas, seu indistantia agentis ad passum, est aliqua conditio, divinâ virtute supplebilis.

§ IV.

Solvitur aliud argumentum, petitum ex alia conditione, ad instrumentum physicum requisita.

87. OBjiciunt tertiò Adversarij: Instrumentum physicum debet indispensabiliter habere aliquam actionem prævium, & sibi propriam: Sed sacramenta talem actionem non habent: Ergo non sunt instrumenta physica. Major supponitur ex Philosophia, Minor verò sic ostenditur. Actio prævia instrumenti desideratur, ut operetur dispositivè ad effectum principalis agentis: Sed sacramenta ex viribus propriis non possunt ad effectum Dei, scilicet gratiam, dispositivè operari: Ergo non possunt habere actionem prævium & sibi propriam ad rationem instrumenti physici requisitam. Major communiter docetur à Thomistis in Philosophia, Minor verò suadetur. Instrumenta operari dispositivè ad effectum principalis agentis, est ipsa in subjecto in quo debet produci talis effectus, operari aliquid C disponens ad illum: Sed sacramenta hoc non possunt præstare, cùm non possint ex viribus propriis ponere in anima aliquid quod sit dispositio ad gratiam: Ergo non possunt ad effectum Dei dispositivè operari.

88. Hoc argumentum tangit difficultatem quam resolvunt Philosophi in secundo Physicorum, non tamen omnes eodem modo. Suarez enim existimat, in pluribus quidem instrumentis reperiri actionem prævium, per quam dispositivè operantur ad actionem & effectum principalis agentis, illam tamen non requiri indispensabiliter in omnibus, præsertim in instrumentis divinæ virtutis. Idem videtur sentire Nuño hic difficultate 7. quatenus docet, quamcumque rem actu D & realiter existentem, posse à Deo assumi ut instrumentum, ad quemlibet effectum, etsi nullam habeat actionem sibi propriam. Alj dicunt, agentis creati instrumenta debere necessariò habere actionem prævium propriè sumptam; instrumenta verò Dei, vel actionem propriam, vel saltem aliquid habens modum actionis, putà realem passionem, vel motum localem, &c.

89. Sed communior sententia inter Thomistas, à D. Thoma multis in locis evidenter tradita, asserit requiri indispensabiliter actionem prævium propriè sumptam in omni, etiam divinæ virtutis, instrumento. Ita 1. p. quæst. 45. art. 5. ubi sic ait: *Causa instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi inquantum per aliquid sibi proprium, dispositivè operatur ad effectum principalis agentis.* Et hìc art. 1. ad 2. *Dicendum* (inquit) *quod instrumentum habet duas actiones: unam instrumentalem, secundùm quam operatur, non virtute propriâ, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam, quæ competit sibi secundùm propriam formam, sicut securi competit scindere, ratione suæ acuitatis, facere autem lectum, inquantùm est instrumentum artis: non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim* A *facit lectum. Et similiter sacramenta corporalia, per propriam operationem quam exercent circa corpus quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute divina circa animam: sicut aqua Baptismi, abluendo corpus secundùm propriam virtutem, abluit animam, inquantùm est instrumentum virtutis divinæ, nam ex anima & corpore unum fit. Et hoc est quod Augustinus dicit quod corpus tangit, & cor abluit.* Ubi, ut patet, S. Doctor loquitur de actione propriè sumpta, eamque admittit in omni, etiam divinæ virtutis, instrumento.

Ratio etiam suffragatur: Virtus enim quâ 90.
causa principalis movet instrumentalem, est essentialiter elevativa, atque ita essentialiter præ- B
supponit in subjecto cui communicatur virtutem activam inferiorem, quam elevet, & faciat attingere aliquid quod est supra sphæram activitatis ipsius; subindeque implicat quod communicetur rei non habenti virtutem aliquam & operationem sibi propriam. Unde sicut habitus intellectûs & voluntatis nequeunt recipi in alio, quàm in potentiis vitalibus, quia sunt essentialiter perfectivi & elevativi potentiarum vitalium; & si in alio per impossibile reciperentur, nihil agerent. Ita virtus instrumentalis non potest recipi nisi in subjecto habente virtutem sibi propriam, & si per impossibile reciperetur, nihil omnino efficeret.

Dices, Deus non assumit instrumenta ex eo 91.
quod indigeat eorum actione, imò potiùs suâ omnipotentiâ elevat ea ad consortium suæ actionis: ideóque indifferenter uti potest qualibet re ad producendos effectus quos intendit: Ergo instrumenta divinæ virtutis, nullam habere debent operationem prævium, & sibi propriam.

Sed nego consequentiam, licet enim Deus absolutè non indigeat actione instrumenti, cùm per seipsum absolutè producere possit quæ producit per instrumenta: supposito tamen quod velit uti aliquo instrumento, necesse est quod aliquid assumat habens operationem propriam, quam exercendo, possit elevari ad producendum effectum altiorem quem intendit. Unde fit ut licèt possit D
indifferenter uti qualibet re habente propriam operationem (in quo excedit creaturas, quæ determinatis tantùm instrumentis uti possunt) non tamen potest aliquid non operativum, ut instrumentum assumere. His præmissis.

Ad argumentum respondeo, concessa Majori, 92.
negando Minorem; & ad ejus probationem, distinguo Majorem: Actio propria instrumenti desideratur ut operetur dispositivè, ex parte rei operatæ semper, nego Majorem. Ex parte modi operandi, concedo Majorem. Et similiter distinguo Minorem: Sacramenta ex viribus propriis non possunt ad effectum Dei, scilicet gratiam, dispositivè operari, ex parte rei operatæ, concedo E
Minorem. Ex parte modi operandi, nego Minorem, & Consequentiam.

Explicatur solutio: Dupliciter intelligi potest, instrumenta dispositivè operari, nimirum ex parte rei operatæ, & ex parte modi operandi. Tunc instrumentum dicitur operari dispositivè ex parte rei operatæ, quando producit in passo aliquid quod disponit ad effectum principalis agentis; & hoc modo serra, verbi gratiâ, dicitur dispositivè operari, ex parte rei operatæ, quia facit divisionem continui, quæ est dispositio ad formam illam artificiosam, quæ in cathedra verbi gratiâ reperitur. Tunc verò dicitur instrumentum operari dispositivè,

positivè, ex parte modi operandi, quando producit aliquam actionem, per quam fit ultimatè capax & dispositum ad recipiendam motionem principalis agentis, per quam possit attingere effectum illius. Licet ergo instrumenta naturalia operentur dispositivè ad effectum principalis agentis utroque modo, instrumenta tamen divinæ virtutis, solùm operantur dispositivè secundo modo, seu ex parte modi operandi. Ratio verò hujus discriminis evidens est: in hoc enim Deus differt ab agentibus naturalibus, quòd ista dum assumunt instrumenta, utuntur tantùm iis quæ habent actionem prævium, proportionatam effectui principalis agentis, seu producentem in subjecto aliquid disponens ad hujusmodi effectum: B
faber enim verbi gratiâ non utitur penicillo ad faciendum scamnum, sed duntaxat serrâ; quia ista ex se habet vim ad faciendam ligni divisionem, quæ est dispositio ad formam scamni: Deus verò, quia est agens infinitæ virtutis, non eligit semper talia instrumenta, sed indifferenter utitur qualibet creaturâ, quantumvis actio ejus prævia, effectui producendo sit improportionata; imò interdum utitur rebus ut instrumentis, quæ effectui quem intendit repugnare videntur, ut patet Joan. 9. ubi ad dandum visum cœco nato, assumpsit ut instrumentum lutum, quod certè ex se potiùs idoneum erat ad excæcandum. Unde licet instrumenta agentium naturalium dispositivè operentur, tam ex parte rei operatæ, quàm C
ex parte modi operandi; instrumenta tamen divinæ virtutis, operantur solùm dispositivè ex parte modi operandi.

93. Ex hoc facilè intelliges, quid intendat D. Thomas, dum 1. p. qu. 45. negat posse aliquam creaturam creare, nedum principaliter, sed etiam instrumentaliter; quia instrumentum (inquit) non participat actionem principalis agentis, nisi per aliquid sibi proprium, dispositivè operetur ad effectum illius: illud autem quod est proprius effectus Dei creantis, præsupponitur aliis omnibus, scilicet esse absolutè; unde non potest aliquis operari dispositivè & instrumentaliter ad hunc effectum, cùm creatio non sit ex aliquo præsup- D
posito quod possit disponi ad actionem principalis agentis. Non enim vult S. Doctor, necessarium esse, ut instrumentum ita dispositivè operetur, quòd debeat alterare, aut aliquo alio modo per suam virtutem immutare subjectum in quo debet recipi effectus causæ principalis (hoc enim, ut jam diximus, non requiritur in instrumentis divinæ virtutis) sed solùm quòd debet modificare, & deferre actionem principalis agentis ad prædictum subjectum, ipsam determinando, ut in eo producat effectum; hoc enim est, ipsum subjectum quodammodo disponere ad effectum principalis agentis. Ex quo benè sequitur, nullam creaturam posse assumi ad creandum, quia nulla actio, E
ita modificata & determinata ad producendum effectum in subjecto, potest esse creatio, cùm creare sit ex non subjecto aliquid efficere.

§. V.

Alia difficultas resolvitur, & quandonam sacramenta causent gratiam, breviter explicatur.

94. OBjiciunt quartò Adversarij: Non potest assignari quandonam sacramenta nostra physicè producunt gratiam, nam cùm, exceptâ Eucharistiâ, omnia alia consistant in usu materiæ, atque adeò inter entia successiva numerentur;

A in rebus autem successivis tria tantùm possint considerari, initium, videlicet instans, sive indivisibile, quo dicuntur ultimò non esse, & immediatè post futura; finis, scilicet instans in quo dicuntur primò non esse, sed immediatè antea fuisse; & medium, quod est tota eorum duratio, clausa inter duo illa instantia; si posset assignari, quando sacramenta novæ legis physicè causant gratiam, vel in instanti eorum initiativo hoc esset, vel in terminativo, vel in duratione intermedia? Sed non in instanti initiativo, utpotè cùm in illo nondum sint; neque in terminativo, quia in eo jam amplius non existunt; neque tandem in duratione intermedia, nam præterquam B
quod gratia est forma permanens, habens totum esse simul, subindeque in instanti, sacramenta insuper in sua duratione intermedia, ante instans terminativum, nondum completè & perfectè sunt, ac proinde nondum possunt physicè gratiam causare: Ergo illa non possunt physicè producere gratiam, sed tantùm moraliter.

Propter hoc argumentum multi negant phy- 95.
sicam sacramentorum novæ legis efficientiam, qui verò eam propugnant, in varias dividuntur sententias. Aliqui enim existimant gratiam produci à sacramentis toto illo tempore quo durat actio sacramentalis, & quod inter instans initiativum & terminativum illius includitur. Alij dicunt illam produci eo tempore quo durat ultima C
syllaba. Alij volunt eam causari in instanti, sed isti in duas adhuc dividuntur sententias, aliis asserentibus eam produci in instanti intrinseco quo dicunt sacramenta compleri; aliis in instanti duntaxat extrinseco, quando verum est dicere, nunc primò sacramenta non sunt, sed immediatè antea erant; & hic dicendi modus apud Thomistas communior est. Unde

Dico primò: sacramenta non causare gratiam 96.
in tempore, sed in instanti.

Probatur breviter: Esto enim gratia, de absoluta Dei potentia, possit in tempore produci, ut aliqui existimant, probabile tamen non est ita de facto à Deo per sacramenta produci; quia connaturale est rebus indivisibilibus, & quarum esse D
est permanens, incipere determinatè per primum sui esse, subindeque produci in instanti: Ergo gratia sacramentalis non producitur in tempore, sed in instanti, sicut lux.

Confirmatur ex D. Thoma 3. parte quæst. 75. 97.
art. 7. ubi probat conversionem panis in corpus Christi fieri in instanti, triplici ratione. Primò ex parte formæ, quia forma substantialis non suscipit magis & minus, & ideò fit in instanti. Secundò ex parte subjecti, quod est in ultima dispositione ad formam quam in instanti acquirit, & ideò aër in instanti illuminatur. Tertiò ex parte agentis, quia agitur Dei virtute infinita: Sed omnes istæ rationes locum habent in infusione gratiæ, concurrente sacramento instrumentaliter, ut patebit singulas expendenti: Ergo gratia sacramentalis non producitur in tempore, sed in instanti.

Confirmatur amplius ex eodem S. Doctore 98.
ibidem in solut. ad 3. ubi sic ait: *Ista conversio fit in ultimo instanti prolationis verborum, tunc enim completur verborum significatio, quæ est efficax in sacramentorum formis.* Quibus verbis rationem fundamentalem primæ partis nostræ conclusionis insinuat. Sacramenta enim non producunt gratiam, nisi quando est completa eorum significatio; quia ut communiter dicitur, verba

Universidad de Deusto
Biblioteca

operantur in sacramentis, inquantùm significant, unde si tollatur à verbis aliquid quod est de substantia significationis, tollitur id quod est de substantia formæ, ut docent Zacharias Papa cap. *Retulerunt* de consecrat. dist. 4. Et Nicolaus Papa cap. *Si revera*.; ideóque si una trium personarum omittatur in forma Baptismi, non est validum sacramentum: Sed usque ad ultimum instans prolationis verborum, non est perfectus sensus significationis, nec illa censetur completa: Ergo ante illud instans, sacramenta non producunt gratiam, sed solùm in illo instanti.

99. Dices, Eo modo potest gratia incipere, quo peccatum: Sed istud potest incipere in tempore indeterminato: Ergo & gratia. Minor probatur: Si Deus imponeret Petro præceptum de eliciendo actu contritionis ante mortem, quod Petrus non exequeretur, in tali casu peccatum non inciperet in instanti mortis, quia tunc non potest amittere gratiam, quam usque ad illud instans habuit: Ergo inciperet in tempore indeterminato antecedente illud instans.

Respondeo ipsum tunc peccaturum, quando se exponit periculo non satisfaciendi præcepto, licèt enim physicè loquendo, toto tempore antecedenti instans mortis, possit elicere actum contritionis, potest tamen designari aliquod instans in quo deberet ultimò tale præceptum adimplere, quia post illud, adimpletio præcepti erit illi moraliter impossibilis, & ideò peccatum in tali casu inciperet in tali instanti.

100. Dico secundò: Sacramenta non causant gratiam in instanti intrinseco, sed extrinseco, in quo verum est dicere, jam non sunt, sed immediatè antea erant. Est contra Suarem, Philippum à S. Trinitate, & quosdam alios asserentes sacramenta causare gratiam in instanti intrinseco.

Probatur conclusio unicâ sed efficaci ratione: Sacramenta non conferunt gratiam usque ad ultimum instans: Atqui non habent instans intrinsecum, sed duntaxat extrinsecum in quo desinant: Ergo non causant gratiam nisi in instanti extrinsecè terminativo, in quo verum est dicere, jam non sunt, sed antea erant. Major patet ex dictis conclusione præcedenti, & docetur expressè à D. Thoma in 4. ad Annibaldum dist. 8. art. 5. ubi ait quod *virtus* (productiva gratiæ) *communicatur sacramento, quando est in suo termino & complemento, non quando est simpliciter in successione*. Minor verò probatur: Ablutio v. g. & prolatio verborum in Baptismo, sunt res successivæ: At res successivæ non habent ultimum instans intrinsecum in quo desinant, sed duntaxat extrinsecum, unde Philosophi docent in libris Physicorum, successiva non desinere per ultimum sui esse, sed per primum sui non esse, id est per instans in quo verum est dicere, jam non sunt, sed immediatè antea erant: Ergo sacramenta non habent instans intrinsecum, sed duntaxat extrinsecum, in quo desinant.

101. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Quando aliquis effectus causatur mediante motu, tanquam terminus secundarius illius, non est simul in eadem duratione in qua est motus, sed in ultimo instanti terminativo ipsius, in quo verum est dicere, nunc non est motus, sed immediatè antea erat, ut patet in communi doctrina Thomistarum de alteratione, quæ immediatè disponit materiam ad introductionem formæ substantialis; quandiu enim durat alteratio, non ponitur forma, sed resultat in ultimo instanti terminativo illius, in quo verum est dicere, nunc primò non est alteratio, & immediatè antea erat. Sic etiam ubi permanens, quo quis dicitur esse permanenter in loco, non acquiritur per motum localem, quoadusque motus ille sit perfectus, scilicet in instanti extrinsecè terminativo illius, in quo verum est dicere, nunc non est motus localis, & immediatè antea erat. Idem constat in generatione mixti, nam quando elementa in se invicem agendo, corrumpunt sese mutuò, & generant mixtum, tunc mixtum causatur instrumentaliter ab eis, quando non sunt, sed immediatè antea fuerunt; neque enim possunt causare mixtum quando sunt, aliàs in uno & eodem instanti essent plures formæ in eadem materia, quod implicat contradictionem, ut suppono ex Philosophia. Cùm ergo similiter gratia sacramentalis conferatur aliquo modo, medio motu quem includunt sacramenta, non producitur in eadem duratione in qua sunt sacramenta, sed in instanti extrinsecè terminativo illorum, in quo primò non sunt. Unde

Ad argumentum initio propositum, respondetur in forma, concessâ Majori, negando Minorem, quantùm ad secundam partem, ut enim jam ostensum est, sacramenta producunt gratiam in instanti extrinsecè terminativo illorum. Cùm verò instant Adversarij: Quod non est non potest aliquid physicè producere, nam existentia est conditio necessaria ad agendum: Sed sacramenta non sunt in illo instanti extrinsecè terminativo, cùm in illo instanti verum sit dicere, nunc non est motus physicus sacramentalis, & immediatè antea erat: Ergo in tali instanti non possunt instrumentaliter physicè causare gratiam. Dupliciter respondetur potest, primò distinguendo Majorem: Quod non est, nec immediatè antea fuit, non potest aliquid physicè producere, concedo Majorem. Quod non est, sed immediatè antea fuit, subdistinguo Majorem, illamque concedo de his quæ agunt ut quod, & quæ sunt entia permanentia; nego autem de entibus successivis, & quæ agunt tantùm ut quo; hæc enim est natura actionis successivæ, ut si per eam producatur terminus, ille non existat, donec ipsa actio successiva desinat, ut patet in exemplis suprà adductis. Unde cùm actiones sacramentales sint successivæ, & assumantur tanquam causalitates ministrorum applicantium sacramenta, non debet gratia sacramentalis produci, quandiu illæ actiones sunt, sed quando verum est dicere quod immediatè, antea erant.

Secundò respondetur potest aliter distinguendo 103.
Majorem: Quod non est in se nec in sua virtute, non potest aliquid physicè producere, concedo Majorem. Quod non est in se, est tamen in sua virtute, nego Majorem. In illo autem instanti extrinsecè terminativo motûs sacramentalis, remanet virtus ipsius, quia remanet terminus per ipsum productus, in quo recipitur virtus productiva gratiæ: hujusmodi verò terminus est ultimum mutatum esse, quod mensuratur illo instanti extrinsecè terminativo motûs.

Dices primò: hinc sequi sacramentum non 104.
elevari ad producendam gratiam, sed tantùm illud mutatum esse: At hoc videtur absurdum: Ergo, &c. Sequela Majoris probatur: Illud non elevatur, quod non recipit virtutem productivam gratiæ: Atqui ex jam dictis, talis virtus in

sacramento non recipitur, sed duntaxat in ultimo mutato esse: Ergo sacramentum non elevatur ad producendam gratiam.

Respondeo negando sequelam Majoris, ad cujus probationem, distinguo Majorem: Illud non elevatur quod non recipit virtutem productivam gratiæ, vel in se toto, vel in aliquo complemento suo intrinseco, concedo Majorem. In se toto, nego Majorem. Quamvis autem sacramentum non recipiat in se toto, imò nec in aliqua sui parte, hanc virtutem, recipit tamen illam in aliquo ad suum complementum intrinsecè pertinente, scilicet in ultimo mutato esse, quod licèt non sit intrinsecum sacramento per modum partis, benè tamen per modum termini ipsum immediatè afficientis, & ad illud pertinet per modum complementi, sicut punctum ad lineam, & superficies ad corpus: unde quemadmodum unum corpus dicitur tangere aliud, quamvis illud non tangat nisi ratione superficiei, & corpus perfectè sphæricum contingit planum, licèt illud non tangat nisi in puncto: ita sacramentum dicitur causare gratiam, ratione illius indivisibilis seu mutati esse motûs sacramentalis, quo intrinsecè completur, quia tunc sacramentum dicitur esse in facto esse, cùm antea esset solùm in fieri. Addo quod vis productiva gratiæ non recipitur in illo mutato esse, nisi ratione motûs sacramentalis quem terminat, & ideò hoc ipso quod illud mutatum esse attingit gratiam, totus motus sacramentalis potest dici producere instrumentaliter gratiam.

105. Dices secundò: Res immediatè futura, nullo modo potest agere effectivè: Ergo neque res immediatè præterita. Antecedens est certum, & patet ex dictis suprà §. 2. Consequentia verò videtur legitima ex paritate rationis, etenim tam nihil est res præterita, quàm futura.

Confirmatur: Si res quæ nunc desinit, & non est, potest agere, quia immediatè antea fuit: Ergo & causa quæ fuit heri, hodie poterit supernaturaliter elevari ut effectivè agat, quod est omnino impossibile.

106. Ad instantiam, concesso Antecedente, nego Consequentiam, & paritatem; nam res futura nondum existit secundùm quid & in termino, sicut res quæ immediatè præteriit, & ideò non potest assumi à Deo ut instrumentum, sicut potest assumi id quod præteriit sub ratione successionis, & manet secundùm rationem termini.

Ad confirmationem respondetur quod res quæ heri præteriit, non habet contiguitatem cum re quæ modò producitur, & ideò neque contactum durationis habet, ac proinde in illam effectivè operari nequit; res autem quæ immediatè conjungitur cum alia, habet contactum durationis successivæ, & ita potest agere in illam.

107. Addo quod, res quæ præteriit heri, si virtutem aut effectum suum reliquit, potest hodie à Deo assumi ut instrumentum, non in se, sed in sua virtute & effectu, sicut dicit S. Thomas suprà quæst. 50. hujus partis, de morte Christi, & quæst. 56. de ejus resurrectione, quòd operantur nostram salutem & resurrectionem; quia videlicet operantur per humanitatem aliquando mortuam, & nunc resuscitatam: Sic ergo sacramentum dicitur operari physicè, non quia omnes ejus partes sint simul, aut secundùm successionem suam assumatur à Deo, sed quia remanet in termino talis successionis virtualiter, nimirum in ultimo mutato esse, in quo (ut suprà diximus) recipitur virtus productiva gratiæ.

Dices tertiò: Si sacramentum operatur in in- 108.
stanti extrinsecè terminativo, sequitur quod possit sacramentum habere suum effectum in instanti separationis animæ à corpore: Sed hoc videtur absurdum: Ergo, &c. Minor patet, quia tunc homo qui in tota vita sua fuit in peccato mortali, posset in instanti quo jam non vivit ampliùs, gratiam accipere, & salvari, quod omnino impossibile est. Sequela verò Majoris probatur: Contingere potest quod taliter ministretur sacramentum homini morienti, ut idem sit instans extrinsecum sacramenti, & separationis animæ à corpore: Ergo si sacramentum operatur in instanti extrinsecè terminativo, poterit habere suum effectum in instanti separationis animæ à corpore, & producere gratiam in anima jam à corpore separata.

Respondeo primò retorquendo argumentum 109.
in Adversarios, nam etiam contingere potest, quod taliter ministretur sacramentum homini morienti, ut idem sit instans intrinsecum sacramenti, & separationis animæ à corpore: Ergo si sacramentum causat gratiam in instanti intrinsecè terminativo illius, poterit habere suum effectum in instanti separationis animæ à corpore.

Respondeo secundò, negando sequelam Ma- 110.
joris, nam admisso illo casu, anima separata non recipiet gratiam per sacramentum, ob duplicem rationem. Primò scilicet, ob defectum subjecti capacis; sicut enim in naturalibus, vi alterationis non resultaret forma naturalis in ultimo ejus termino, si materia destrueretur, quia non esset in quo reciperetur: ita etiam si contingeret hominem mori in ultimo instanti extrinsecè terminativo sacramenti, verè sacramentum non causaret gratiam, quia non esset subjectum capax eam recipiendi; si quidem non anima separata, sed corpori conjuncta, est capax recipiendæ gratiæ, & justificationis à peccato. Secundò, quia in illo casu sacramentum non esset ultimò completum, cùm non haberet suum ultimum mutatum esse, quo tamen mediante (ut suprà dicebamus) sacramentum producit gratiam: sicut enim subjectum totius motûs sacramentalis est homo, ita & ultimi indivisibilis, seu mutati esse illius; unde ubi primò non esset homo, non posset esse tale indivisibile, seu mutatum esse, motûs sacramentalis.

Ad completam hujus difficultatis resolutio- 111.
nem, diligenter observandum est, quod quando in prima conclusione diximus, gratiam sacramentalem in instanti produci, si sit sermo de mensura propria & proportionata ipsi gratiæ, hoc non debet intelligi de instanti temporis continui, sed discreti; cùm enim actio illa intentionalis quâ sacramenta producunt gratiam, non sit corporea & successiva, sed spiritualis & supernaturalis, non habet pro mensura sibi propria & proportionata tempus nostrum, sed aliam mensuram superiorem, quæ nulla alia esse potest, quàm tempus discretum, quo actiones supernaturales mensurantur. Quia tamen instans illud temporis discreti, mensurans propriè & per se productionem gratiæ, potest coexistere toti tempori quo durat motus sacramentalis, aut quo profertur ultima syllaba, vel solùm instanti mensuranti ultimum mutatum esse motûs sacramentalis, ideò quærunt Theologi, an gratia, in tali du-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratione temporis, vel in illo instanti producatur; & in hoc sensu diximus in prima conclusione, gratiam sacramentalem non causari in tempore, sed in instanti, nimirum in instanti temporis discreti, correspondenti non parti, sed solùm instanti nostri temporis.

§. VI.

Solvitur ultimum argumentum, & an virtus per quam sacramenta elevantur ad causandam gratiam, sit spiritualis, vel corporea, motio, vel qualitas, breviter explicatur.

112. OBjiciunt ultimò Adversarij: Si sacramenta essent instrumenta physica ad causandam gratiam, deberet ipsis imprimi virtus aliqua à Deo, causativa gratiæ: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Major certa videtur, quia sacramenta ex se nullam habent virtutem sufficientem ad agendū in animam, & producendum in ea gratiam sanctificantem: Ergo necesse est quod prius naturâ quàm operentur, recipiant à Deo aliquam virtutem per quam eleventur. Minor verò suadetur primò: Si esset aliqua virtus in sacramentis, vel esset spiritualis, vel corporea? Non spiritualis, quia implicat virtutem spiritualem recipi in subjecto corporeo. Nec etiam corporea, nam sicut sacramentum ex eo quod corporeum est, non potest ex se, etiam instrumentaliter, C attingere effectum supernaturalem & spiritualem, qualis est gratia, ita etiam non posset eam attingere, motum & elevatum per solam virtutem corpoream.

Secundò probatur eadem Minor: Si in sacramentis daretur virtus aliqua causativa gratiæ, per quam elevarentur, vel talis virtus esset motio, vel qualitas? Primum dici nequit, cùm enim motus se teneat ex parte actûs secundi, nequit esse virtus elevans sacramentum, ipsumque in actu primo constituens. Nec etiam secundum, alioquin sacramenta novæ legis haberent virtutem productivam gratiæ permanenter, & sic non essent instrumenta ad causandam gratiam, cùm sit contra rationem instrumenti operari per D formam sibi permanenter inhærentem.

113. Huic argumento multipliciter respondent Authores qui physicam sacramentorum novæ legis causalitatem defendunt. Suarez enim, Meratius, Yzambertus, & alij Recentiores, nolentes admittere in sacramentis virtutem ullam supernaturalem, per quam eleventur, recurrunt ad potentiam quandam obedientialem, proximè & immediatè activam omnium effectuum supernaturalium, qui non repugnant, quam volunt singulis rebus creatis esse congenitam, imò & ab illis non esse distinctam, sed esse ipsammet entitatem cujuslibet rei, ut potentem cum Deo influere in quemcumque effectum.

114. Sed hæc solutio & doctrina Suaris, non solùm Thomistis, sed etiam Vazqui, aliisque Societatis Theologis displicet, & fusè à nobis confutata est in Tractatu de visione beatifica, ibi enim multis ostendimus, potentiam illam obedientialem, proximè & immediatè omnium actuum supernaturalium, cum solo concursu Dei simultaneo operativam, & omnibus rebus creatis congenitam, fictitiam esse, contradictionem involvere, totum ordinem gratiæ evertere, virusque Pelagiani erroris continere.

Disp. 3. art. 3. §. 3.

Addo quod, etsi talis potentia obedientialis admitteretur, illa non sufficeret ad constituendum aliquid in ratione instrumenti divinæ virtutis in actu primo; alioquin, cum juxta Suarem detur in omnibus rebus creatis talis potentia, hoc ipso quod creaturæ sunt, omnes essent instrumenta in actu primo ad producendam gratiam aut effectum supernaturalem, nec particularem ordinationem in hoc haberent sacramenta, ut dicerentur esse in actu primo Dei instrumenta ad producendam gratiam; solùm enim requireretur applicatio & concursus Dei cum qualibet re creata ad producendum talem effectum: applicatio autem & concursus simultaneus non dant virtutem, nec constituunt creaturam in actu primo potentem ad operandum, sed illam ut talem supponunt: Ergo ante applicationem & concursum Dei simultaneum, dicenda sunt res omnes creatæ instrumenta Dei ad producendam gratiam, aliosque effectus supernaturales, subindeque omnes creaturæ essent sacramenta.

Addo etiam, repugnare quod instrumentum 115. per virtutem activam sibi congenitam, inchoativè constituatur in actu primo respectu effectuum quos solùm instrumentaliter attingit, & ut excedentes respicit. Et hoc præsertim habet verum in instrumentis divinæ virtutis, quia in instrumentis quæ assumuntur ab agentibus naturalibus, aliquid est in instrumento quo indiget agens naturale ad suum effectum, & ideò non C potest æqualiter agere uno instrumento, sicut alio: sicut non potest quis scribere securi, sed calamo, & idcircò agens naturale non prævenit in instrumento suo omnem ordinem ad effectum: At verò Deus æquè benè potest gratiam producere ablutione, & ambulatione, aut quavis aliâ re, aut operatione, unde non supponit in instrumento suo aliquem ordinem ad effectum supernaturalem, sed omnem ipse prævenit, & ab ipso derivatur: Ergo non debet inchoativa virtus productiva gratiæ, & aliorum effectum supernaturalium in instrumentis Dei, ipsis naturaliter esse congenita, ut fingit Suarez.

Secunda solutio est Vincentij Asturicensis, & 116. aliorum, qui ut activitatem hanc obedientialem, ab ipsa naturali entitate indistinctam rejicerent, & tamen virtutem supernaturalem à Deo sacramentis impressam admittere non cogerentur, dixerunt sacramenta, & alia divinæ virtutis instrumenta, non elevari, nec constitui in actu primo ad producendam gratiam, & alios effectus supernaturales, per aliquid intrinsecum, sed per extrinsecam subordinationem ad Deum, & specialem ipsius assistentiam.

Sed hic etiam modus dicendi communiter à 117. Thomistis rejicitur, & meritò, repugnat enim manifestè doctrinæ D. Thomæ, qui variis in locis expresse admittit virtutem creatam & supernaturalem in sacramentis, & aliis divinæ virtutis instrumentis, per quam ad producendam gratiam, & alios effectus supernaturales eleventur. Nam hic art. 4. cùm retulisset sententiam aliquorum dicentium sacramenta causare gratiam, per virtutem divinam sacramento assistentem (quæ est sententia de elevatione per subordinationem extrinsecam, & specialem Dei assistentiam) eam rejicit: quia (inquit) *Ponendo quod sacramentum sit instrumentalis causa gratiæ, necesse est simul ponere quod in sacramentis sit quadam virtus instrumentalis ad inducendum sacramentalem effectum.* Hanc etiam virtutem clarissimè admittit in solutione argumentorum, ut legenti patebit. Et infrà quæst. 74. artic. 4. ait quod *verbis*

verbis consecrationis inest quædam virtus creata ad conversionem sacramenti faciendam; & oppositum (subdit) dictis sanctorum repugnat, & derogat dignitati sacramentorum novæ legis. Similia habet in 4. ad Annib. dist. 8. art. 5. ubi sic concludit: *Et quia forma efficit significando, ideò completâ significatione, in fine orationis, id est in ejus termino, infunditur ei virtus efficiendi, quæ perficit transmutationem in instanti.* Denique in 4. sent. dist. 1. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 2. ait: *Dicendum quod propter authoritates inductas necesse est ponere aliquam virtutem supernaturalem in sacramentis.* Et dist. 8. quæst. 2. art. 3. refert S. Dionysium in fine libri de Eccles. hierarchia dicentem: *In ipsis scilicet consummatis invocationibus, id est formis sacramentorum, esse virtutes operativas ex Deo.* Et subjungit ipse D. Thomas, relatâ oppositâ opinione: *Sed hæc opinio dignitati sacramentorum novæ legis derogat, & dictis Sanctorum obviare videtur. Et ideò dicendum est, quod in verbis prædictis, sicut in aliis formis sacramentorum, est aliqua virtus ex Deo.* Ergo juxta doctrinam D. Thomæ, sacramenta non elevantur ad producendam gratiam, per extrinsecam subordinationem ad Deum, seu specialem ejus assistentiam, sed per impressionem alicujus virtutis supernaturalis in ipsis receptæ.

118. Ratio etiam id suadet: Primò quia impossibile est illud quod est de se impotens & improportionatum ad causandum aliquem effectum, reddi potens & proportionatum ad illum producendum, nisi intrinsecè mutetur, subindeque nisi in se recipiat aliquam formam seu virtutem quam antea non habebat: Sed sacramentum non est de se potens ad causandam gratiam: Ergo non potest reddi potens, & constitui in actu primo ad illam producendam, nisi intrinsecè à Deo mutetur, & elevetur, per impressionem alicujus virtutis supernaturalis. Minor patet, Major verò suadetur. Causam esse potentem, & constitutam in actu primo ad operandum, non est aliqua denominatio extrinseca, subindeque à virtute aliqua & principio interno peti debet: Ergo implicat de non potente in actu primo reddi potentem & proportionatam ad aliquem effectum producendum, nisi intrinsecè mutetur per receptionem alicujus virtutis activæ quam antea non habebat.

119. Confirmatur ex illo communi axiomate Philosophorum, *Idem manens idem, semper facit idem*: Sed si aqua v. g. in Baptismo non recipiat aliquam virtutem à Deo, per quam elevetur & reddatur potens ad producendam gratiam, semper manebit eadem: Ergo semper faciet idem quod antea præstabat, id est solùm abluet corpus, non verò mundabit cor, nec gratiam in anima producet.

120. Secundò: Omnis causa efficiens antequam E producat aliquem effectum, vel eliciat aliquam operationem, debet eam in se præcontinere, saltem virtualiter, aliàs non posset illam producere, & extra se emittere; unde implicat quod sacramentum producat gratiam in anima, nisi priùs saltem naturâ, eam virtualiter & in actu primo contineat: Sed non potest eam in actu primo & virtualiter in se præcontinere, nisi ratione alicujus virtutis à Deo receptæ: Ergo ut producat physicè gratiam, necesse est quod à Deo, per impressionem alicujus virtutis supernaturalis, priùs saltem naturâ elevetur.

121. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: A Nulla causa physicè agere potest, nisi priùs saltem naturâ habeat in se virtutem physicam & realem ad agendum, cùm actus secundus essentialiter præsupponat primum: unde si Deus velit aliquam creaturam operari & producere aliquem effectum, requiritur indispensabiliter quod ponat vel supponat in ea virtutem ad illum producendum; alioquin talis causa non ageret, sed Deus ad ejus præsentiam, talem effectum produceret: Ergo cùm sacramenta non habeant ex se virtutem ad producendam gratiam, ut eam instrumentaliter physicè producant, necesse est ut à Deo per impressionem alicujus virtutis supernaturalis eleventur.

Confirmatur ampliùs: Licèt probabile sit, B quod ad complendam activitatem, & actum primum alicujus causæ, sufficiat sola assistentia extrinseca Dei, absque impressione alicujus virtutis, sicut probabile est quod divina essentia in ratione speciei potest complere activitatem intellectûs glorificati, per solam assistentiam sui ad intellectum; repugnat tamen quod detur tota activitas, & actus primus ad agendum alicui causæ, per solam extrinsecam Dei assistentiam; oportet enim quod agens seu causa à qua exit actio, in se habeat activitatem, & id quo agat, & quo emittat actionem: Sed sacramenta nullam planè habent ex sua natura activitatem, seu vim C gratiæ productivam, ut fatentur Authores hujus sententiæ, qui in rebus creatis non agnoscunt potentiam illam obedientialem proximè & immediatè effectuum supernaturalium operativam, quam fingit Suarez: Ergo implicat sacramenta elevari & reddi potentia ad causandam gratiam, per solam assistentiam Dei extrinsecam, sed ad hoc præstandum, necesse est quod Deus virtutem aliquam supernaturalem ipsis tribuat. 122.

Tertiò: Non potest intelligi quod Deus specialiter assistat alicui instrumento, & illud suo actui conjungat & subordinet, nisi instrumentum aliquo modo mutetur: Ergo & nisi recipiat aliquid intrinsecum. Consequentia patet, Antecedens probatur. Eo ipso quod Deus incipit assistere specialiter alicui instrumento, resultat nova relatio realis in instrumento in ordine ad Deum: relatio autem realis nequit inter duo extrema resultare, nisi saltem in altero eorum fit realis mutatio, quæ cùm non possit esse in Deo, necessariò dicendum est eam fieri in instrumento. 123.

Denique: Etsi in instrumentis quæ naturaliter sunt colligata cum causa principali, non requiratur nova immutatio, ut operentur; sicut in calore animalis, ut producat carnem, non requiritur nova virtus ab animali proveniens; tamen in instrumentis quæ de novo colligantur, oportet novam dari immutationem quâ dicatur instrumentum subordinatum tali causæ, & illi unitum, atque ab ea ad agendum elevatum, ut docent Philosophi in 2. Physicorum, & patet in serra, dolabra, penicillo, & aliis instrumentis artificialibus: Atqui sacramenta non sunt instrumenta naturaliter Deo colligata, & subordinata, ad causandam gratiam, sed à Christo ad hunc effectum præstandum instituta: Ergo ut gratiam producant, necesse est quod per impressionem alicujus virtutis supernaturalis, intrinsecè immutentur. Unde 124.

Ad argumentum principale initio paragraphi 125. propositum respondeo, concessa Majori, negando

Universidad de Deusto
Biblioteca

gando Minorem, ad cujus primam probationem, in qua quæritur an virtus illa supernaturalis in sacramentis recepta, sit spiritualis vel corporea? Respondent Paludanus, Cabrera, Sylvius, & alij, virtutem illam esse formaliter corpoream, virtualiter tamen spiritualem, quia est à Deo, qui summè spiritualis est. Sed præterquam quod hæc solutio est formaliter contra D. Thomam hic art. 4. ad 1. asserentem virtutem illam spiritualem esse, non tollit difficultatem argumenti propositi; nam sicut sacramentum, quia corporeum est, non potest ex se, etiam instrumentaliter, attingere effectum supernaturalem & spiritualem, qualis est gratia, ita etiam non potest eam attingere motum & elevatum per solam virtutem corpoream. Item sicut sacramentum, ex eo quod est corporeum, non habet ex se ullam vim agendi in animam, quæ spiritualis est; ita & virtus corporea, quæcunque illa sit, est penitus incapax agendi in animam.

126. Dicendum ergo est, virtutem illam quâ sacramenta elevantur ad causandam gratiam, spiritualem esse. Ad probationem verò in contrarium respondetur primò cum D. Thoma citato, quod sicut forma spiritualis incompleta, qualis est anima rationalis, potest informare materiam; quamvis forma spiritualis completa, qualis est Angelus, hoc non possit: ita etiam, licèt virtus spiritualis completa & permanens, non possit recipi in subjecto corporeo, benè tamen virtus incompleta, vialis, & intentionalis. Cujus disparitatis ratio est, quia accidens viale & incompletum, licèt ex ea parte quâ est accidens, dependeat à subjecto in esse; tamen formaliter ut viale, magis debet commensurari termino quàm subjecto (via enim, inquantùm via, solùm debet habere commensurationem cum utroque termino à quo & ad quem) unde si causa à qua producitur, & terminus ad quem ordinantur, spiritualia sint, ut contingit in proposito, tale accidens spirituale esse debet. At verò accidens completum & permanens, solùm est subjecti cui inhæret, non verò alterius ad quod in actu exercito continuò ordinetur, & ideò debet ipsi subjecto proportionari & commensurari, subindeque esse corporeum, si subjectum in quo recipitur corporeum sit. Unde cùm dicitur, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur, distinguendum est, si habeat esse permanens, concedo. Si habeat esse fluens, & intentionale, ac elevet ad effectum supernaturalem, nego. Quod enim ita elevat, non debet esse secundum modum, sed potiùs supra modum recipientis, & in eo debet solùm præsupponere non repugnantiam ad sui receptionem.

127. Secundò responderi potest, quod licèt repugnet accidens spirituale recipi in subjecto corporeo, quâ corporeum est, non tamen quod in subjecto corporeo, quatenus est ens creatum, recipiatur: virtus autem spiritualis per quam sacramenta elevantur ad causandam gratiam, non recipitur in sacramento, quatenus corporeum est, & à re spirituali distinctum, sed quatenus est ens creatum. Et ratio est, quia hæc virtus recipitur in subjecto corporeo, ratione potentiæ obedientialis passivæ: potentia autem obedientialis passiva non convenit rei corporeæ, quâ corporea est (aliàs non conveniret rei spirituali) sed quâ est ens creatum, & ideò hæc potentia obedientialis est ejusdem rationis, formaliter loquendo, in re spirituali & corporea.

Dices primò contra primam solutionem: Accidens corporeum, etiam incompletum, non potest recipi in subjecto spirituali: Ergo neque accidens spirituale, etiam incompletum, in subjecto corporeo.

Respondet Aravius, negando Antecedens: 128
si enim (inquit) verum est illud principium quod suprà adduximus, nimirum accidens viale & incompletum non commensurari subjecto, sed soli principio & termino, tam benè concluditur, accidens incompletum & viale corporeum, posse recipi in subjecto spirituali, ac accidens spirituale incompletum in subjecto corporeo.

Verùm si hic Author attendisset ad subjectum accidentis corporei concessisset Antecedens, & negasset consequentiam: quamvis enim accidens viale solùm commensuretur & principio & termino, si aliud non obstet, si tamen sit corporeum, dicit essentialem habitudinem ad corpus tanquam ad subjectum, quia essentialiter exigit subjectum extensum, aut extensionem connaturaliter exigens; cujus ratio est, quia quantitas fundatur & radicatur in gradu corporis, unde necesse est, ut illud omne quod pertinet ad gradum entis corporei, habeat in se quantitatem, aut pertineat ad subjectum quantitatis. 129.

Est etiam alia ratio disparitatis inter accidens spirituale & corporeum, accidens enim debet esse perfectio subjecti in quo recipitur: unde cùm corporeum nequeat perficere spirituale, benè tamen spirituale corporeum, licèt accidens spirituale, incompletum, & viale, possit recipi in subjecto corporeo, repugnat tamen accidens corporeum, quodcumque illud sit, recipi in subjecto spirituali. 130.

Dices secundò: Omne accidens habet existentiam dependenter à subjecto in quo recipitur, unde communiter dicitur, *Accidentis esse, est subjecto inesse*: Ergo si recipiatur in subjecto corporeo, ejus existentia erit corporea: Sed repugnat accidens spirituale existere per existentiam corpoream, cùm existentia debeat esse proportionata essentiæ quam actuat: Ergo repugnat accidens spirituale, quodcumque illud sit, recipi in subjecto corporeo. 131.

Respondeo, concesso Antecedente, distinguendo Consequens: Ergo si recipiatur in subjecto corporeo, quâ corporeum est, ejus existentia erit corporea, concedo. Si recipiatur in subjecto corporeo, sed non quâ corporeum est, sed quatenus est ens creatum, & substantia creata, nego; & concessâ Minori subsumptâ, eadem distinctione, secundum consequens, seu consequentia distingui debet. Solutio patet ex dictis in secunda responsione ad principale argumentum. Ibi enim dicebamus, quod licèt virtus spiritualis recipi possit in subjecto corporeo, in eo tamen non recipitur quâ corporeum est formaliter, sed quatenus est ens, & substantia creata, quia non recipitur in eo, nisi ratione potentiæ obedientialis passivæ, quæ competit rebus creatis sub ratione generali entis & substantiæ creatæ, non verò præcisè sub ratione corporis: unde licèt ratione talis potentiæ, accidens spirituale recipiatur in subjecto corporeo, non oportet tamen ejus existentiam esse corpoream. 132.

Ad secundam probationem Minoris principalis, in qua quæritur, an virtus per quam sacramenta elevantur ad causandam gratiam, sit motio 133.

motio, vel qualitas? duobus modis respondent Thomistæ: aliqui enim asserunt virtutem illam esse motionem aliquam virtuosam elevantem simul & applicantem ipsum sacramentum ad gratiam producendam. Ita Nazarius, Nuño, Cabrera, & Joannes à S. Thoma. Alij verò docent, illam esse qualitatem vialem & incompletam, habentem modum motionis, & ad secundam speciem qualitatis reductivè pertinere. Ita Paludadanus, Capreolus, Ferrarienses, Choquetius, Martinez à Prado, & alij ex nostris Thomistis. Et hic dicendi modus videtur probabilior, & doctrinæ D. Thomæ conformior. Nam S. Doctor in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 2. in corp. & ad 1. sic concludit: *Unde & virtus hæc quæ est in sacramentis, reducitur ad id genus in quo est virtus completa principalis agentis, quæ est qualitas.* Quæ authoritas videtur expressa, cùm clarè S. Thomas virtutem quæ est in sacramentis ad causandam gratiam, ad speciem qualitatis reducat; non enim est in genere qualitatis directè, quia non est qualitas completa, sed incompleta. Unde ibidem dist. 8. qu. 2. art. 3. in corp. ait: *Sed hæc qualitas non habet esse completum in natura, qualiter est virtus alicujus principalis agentis secundum formam suam: sed habet esse incompletum, sicut virtus quæ est in instrumento ex intentione principalis agentis, & sicut similitudines colorum in aëre, ut suprà dist. 1. dictum est.* Ubi S. Thomas eo sensu quo negat virtutem illam esse qualitatem completam, affirmat esse qualitatem incompletam, adducitque exemplum specierum intentionalium in aëre existentium, quas constat esse qualitates incompletas, viales, & transeuntes: Ergo juxta doctrinam D. Thomæ asserendum est, virtutem supernaturalem per quam sacramenta elevantur ad causandam gratiam, esse qualitatem vialem & transeuntem, & habere solùm modum motionis, non autem reipsa motionem aliquam virtuosam esse.

134. Ratio etiam id suadet: Nam talis virtus non solùm applicat sacramenta ad instrumentalem operationem, ob quam rationem se habet ut motio, sed etiam constituit illa in actu primo, conferens illis vim eliciendi talem actionem, quam de se non habent: Sed virtus reddens subjectum activum, seu vim operandi illi tribuens, ipsumque in actu primo constituens, pertinet ad genus qualitatis, scilicet ad habitum, vel potentiam; directè quidem, si sit completa; indirectè verò & reductivè, si sit incompleta, ut communiter docent Philosophi: Ergo virtus supernaturalis per quam sacramenta elevantur à Deo ad causandam gratiam, reductivè ad genus qualitatis pertinet.

135. Confirmatur: Character pertinet ad genus qualitatis, ut est communis Theologorum sententia: Ergo & virtus per quam sacramenta elevantur, eadem enim est ratio utriusque, quia utraque est virtus instrumentalis, complens potentiam in ordine ad aliquos effectus, nativam ejus virtutem excedentes; & in hoc solùm differunt, quod character est virtus instrumentalis permanens, virtus autem per quam sacramenta elevantur, est fluens & transiens, & se habet per modum motionis, ideóque interdum à S. Thoma appellatur motio, quamvis locis suprà citatis expressè asserat esse qualitatem.

136. Dices, Idem S. Doctor 2. 2. quæst. 78. art. 1. ad 1. negat posse dari aliquam qualitatem ex suo genere operativam miraculorum: Ergo non poterit etiam dari in sacramentis aliqua qualitas ex suo genere productiva gratiæ.

Respondeo D. Thomam ibi negare tantùm qualitatem permanentem & habitualem, quæ ad omnia miraculorum genera se extendere nata sit: qualitas autem illa quam in instrumentis divinæ virtutis admittimus, nec permanens est, sed vialis, & incompleta, nec ad omnia miraculorum genera se extendit, sed pro diversis miraculis, diversæ etiam exiguntur qualitates.

ARTICULUS IV.

An sacramenta novæ legis, Christi & Dei, moralia instrumenta ad causandam gratiam dici possint?

§. I.

Referuntur sententiæ & vera eligitur.

MUltis ostendimus præcedentibus articulis, sacramenta novæ legis esse instrumenta physica Dei ad causandam gratiam, sed adhuc superest breviter discutiendum, an præter causalitatem illam physicam, quam passim Thomistæ omnes unà cum S. Doctore illis attribuunt, causalitas aliqua moralis illis conveniat, possintque Christi & Dei moralia instrumenta appellari? In cujus difficultatis resolutione, partem negantem tenent aliqui ex nostris Thomistis, contendentes sacramenta novæ legis, nec Christi, nec Dei posse propriè instrumenta moralia appellari. Ita ex professo docent Hyacinthus Choquetius lib. de origine gratiæ sanctificantis disp. 9. cap. 3. Nuño, Martinez à Prado, & ex extraneis Suarez, Valentia, & Alanus. 137.

Sententia tamen affirmans illa non solùm esse instrumenta physica, sed etiam moralia Christi, & Dei, videtur probabilior, & communior est in Schola D. Thomæ, eamque ex Thomistis amplectuntur Cabrera, Aravius, Joannes à S. Thoma, Marcus à Serra, Philippus à S. Trinitate, & ex Recentioribus Henriquez, Meratius, Bonacina, & alij, cum quibus.

Dico primò: sacramenta novæ legis esse causas instrumentales morales Christi Domini ad gratiam producendam.

Probatur breviter: Illud est causa moralis instrumentalis alicujus effectûs, quod ut subordinatum causæ principali morali, inducit causam physicam ad ipsius productionem, ut patet, dum pretium, quo artifex conducitur, inducit ipsum ad faciendum artefactum: Atqui sacramenta novæ legis inducunt causam physicam gratiæ, scilicet Deum, ad ejus productionem, ut subordinata Christo Domino, qui est causa principalis moralis ipsius, per modum meriti, impetrationis, & satisfactionis: Ergo &c. Major patet, Minor probatur. Sacramenta novæ legis se habent ad Christum in ordine ad gratiam proportionaliter, sicut pecunia se habet ad emptoré, in ordine ad rem aliquam emendam, quia sicut pecunia continet pretium rei emendæ, ita sacramenta continent pretium ipsius gratiæ, quod est virtus passionis Christi. Sicut ergo pecunia, ut subordinata emptori, inducit vendentem ad tradendam emptori rem venditam; ita etiam sacramenta novæ legis, ut subordinata Christo pro nobis merenti & satisfacienti, inducunt nostro modo 138.

loquendi

Universidad de Deusto
Biblioteca

loquendi Deum ad gratiam conferendam illis à quibus suscipiuntur.

139. Confirmatur : Sacramenta novæ legis sunt instrumenta Christi ut causæ principalis moralis gratiæ : Ergo sunt instrumenta moralia ipsius. Consequentia patet ; omne enim agens principale debet uti instrumento sibi proportionato, & ejusdem ordinis cum ipso ; ita ut agens principale physicum, instrumento physico, agens verò principale morale, instrumento morali utatur. Antecedens verò sic ostenditur. Sacramenta novæ legis sunt instrumenta Christi, prout est noster Redemptor : Sed Christus, inquantùm noster Redemptor, est causa principalis moralis gratiæ : Ergo sacramenta novæ legis sunt instrumenta Christi, ut causæ principalis moralis. Major est evidens, Minor probatur. Causa meritoria alicujus doni, vel præmij, est causa moralis illius : Christus autem ut noster Redemptor, est B causa meritoria nostræ gratiæ, & quidem principalis in genere causæ moralis meritoriæ ; quia causa instrumentalis subordinatur alteri causæ principali tanquam superiori, nulla autem potest dari causa superior Christo, à qua meritum ejus ut à causa principali procedat ; siquidem Deus qui solus est superior Christo ut homini, est incapax merendi, ex eo quod ille qui meretur est inferior illi qui mercedem retribuit : Deus autem nec potest esse inferior alicui, nec ab aliquo mercedem expectare vel accipere : Ergo Christus, inquantùm noster Redemptor, est causa C principalis moralis gratiæ.

Dico secundò : Sacramenta novæ legis possunt etiam dici instrumenta moralia respectu Dei, in ordine ad gratiæ productionem.

140. Probatur : Illud est instrumentum morale Dei in productione gratiæ, quod ab ipso habet vim movendi causam principalem physicam, ut producat gratiam : Atqui sacramenta novæ legis, non solùm à Christo, sed ab ipso etiam Deo, habent vim movendi moraliter : Ergo non solùm instrumenta moralia Christi, sed etiam Dei, in ordine ad gratiæ productionem, dici debent. Major patet, Minor probatur. Quando quis promittit se ad præsentiam alicujus rei collaturum aliquod beneficium, hujusmodi deinde D res applicata, habet ex tali promissione vim movendi moraliter promittentem, ut conferat tale beneficium : Atqui Deus promisit se daturum gratiam ad præsentiam sacramentorum : Ergo sacramenta applicata habent ex illa Dei promissione vim movendi ipsummet Deum promittentem, ut conferat gratiam.

Confirmatur : Deus exhortationibus & præceptis Christum excitavit & determinavit, ad promerendum nobis gratiam, & ad instituendum sacramenta, quibus mediantibus meritum ipsius nobis applicaretur, & ipse moveretur nostro modo intelligendi ad gratiam principaliter nobis communicandam : Ergo ex hoc etiam capite sacramenta possunt dici instrumenta moralia Dei. Unde Deus se habet in proposito, sicut artifex qui alium hortaretur, ut se invitaret ad artefactum aliquod efficiendum oblatâ pecuniâ : sicut enim illa pecunia esset non solùm morale instrumentum illius qui eâ mediante invitaret artificem ad operandum, sed etiam ipsius artificis, qui per eam vellet moveri ad operandum ; ita etiam in proposito, sacramenta sunt moralia instrumenta, non solùm Christi, quatenus eis mediantibus sua nobis applicat merita ad gratiam à Deo impetrandam, sed Dei, qui voluit eis moveri ad gratiam nobis communicandam. A

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò : Si sacramenta novæ legis 141.
essent instrumenta moralia Dei, ex eo quod Deus promisit ad illorum præsentiam se gratiam largiturum, etiam sacramenta veteris legis possent dici instrumenta moralia Dei ad gratiam producendam : Sed hoc videtur falsum, & repugnans doctrinæ D. Thomæ : Ergo & illud. Sequela Majoris est evidens, quia etiam Deus promiserat se ad præsentiam sacramentorum veteris legis daturum gratiam non ponentibus obicem. Minor verò probatur : D. Thomas hîc art. 6. ex professo inquirens, utrum sacramenta antiqua causarent gratiam ? Respondet negativè : Ergo censet non fuisse etiam instrumenta moralia Dei ad illam producendam, aliàs diminutè processisset, nihil dicendo de illa causalitate morali.

Respondeo, concessa Majori, negando Mino- 142.
rem, ut enim ostendemus Tractatu sequenti, cùm agemus de circumcisione, circumcisio, & alia veteris legis sacramenta causarunt gratiam, ut instrumenta moralia Dei. Ad probationem in contrarium dicendum est. D. Thomam negasse tantùm causalitatem physicam sacramentis veteris legis. Nec tamen diminutè processisse, nihil dicendo de causalitate morali, quia art. 1. dixerat causalitatem moralem quæ convenit sacramentis novæ legis, non transcendere rationem signi, unde quia art. 6. inquirebat de causalitate transcendente rationem signi, quam concesserat sacramentis novæ legis art. 1. non debuit art. 6. explicare hanc causalitatem moralem ; imò hoc ipso quod illa non transcendit rationem signi, supposuit eam convenire etiam sacramentis veteribus.

Objicies secundò : Causa moralis non est in- 143.
strumentum illius qui movetur ad conferendum effectum, sed alterius qui movet ipsum ; preces enim, aut pretium, aut consilium, vel metus, quibus Petrus movet Paulum ad aliquod beneficium conferendum, non sunt instrumenta Pauli quibus beneficium conferat, sed Petri, quibus Paulum excitet ad illud conferendum : Atqui sacramenta novæ legis, sunt instrumenta Dei quibus confert gratiam : Ergo non possunt dici causæ morales respectu illius.

Respondeo primò negando Majorem, univer- 144.
saliter & absolutè sumptam, nullum enim est inconveniens, quod instrumentum morale, quo mediante aliquis movet alium ad operandum, sit etiam instrumentum morale illius qui movetur, ut patet exemplo adducto in probatione secundæ conclusionis ; si enim artifex aliquem hortaretur, ut se invitaret ad artefactum aliquod efficiendum, oblatâ pecuniâ, illa pecunia esset morale instrumentum, non solùm illius qui eâ mediante invitaret artificem ad operandum, sed etiam ipsius artificis, qui per eam vellet moveri ad artefactum efficiendum. E

Respondeo secundò distinguendo Majorem : 145.
Quod inducit ad aliquid faciendum, non est instrumentum illius qui movetur vel inducitur ad illud præstandum : si ille non promiserit se illud facturum ad præsentiam talis rei, concedo. Si promiserit

promiserit se illud facturum ad illius præsentiam, nego. Cùm ergo in proposito Deus promiserit se daturum gratiam ad sacramentorum applicationem, illa possunt dici instrumenta moralia Dei.

146. Objicies tertiò : Ut sacramenta novæ legis essent instrumenta moralia Dei in productione gratiæ, deberet Deus esse causa moralis gratiæ : Sed hoc dici nequit : Ergo nec illud. Major patet, nam instrumentum morale respicit causam principalem ejusdem ordinis. Minor verò suadetur, Tum quia causa moralis non influit per se in effectum : Deus autem influit per se in gratiam. Tum etiam, quia non potest explicari causalitas moralis, quam Deus exerceat unà cum sacramentis.

147. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cujus primam probationem, distinguo Minorem : Deus influit per se in gratiam, quatenus præcisè est causa moralis illius, nego. Quatenus præter causalitatem moralem habet efficientiam physicam, concedo. Ad secundam dicendum, causalitatem Dei moralem consistere in hoc quod Deus promiserit se daturum gratiam ad præsentiam sacramentorum ; vel in hoc quod Christo præcepit, ut applicaret suæ passionis merita sacramentis, quibus deinde ad dandam nobis gratiam moveretur, ut antea explicatum est.

ARTICULUS V.

Quam gratiam causent sacramenta novæ legis ? An primam, vel secundam ?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

148. NOtandum primò, Gratiam sanctificantem solere distingui in primam & secundam. Illa prima dicitur, quæ primùm infunditur subjecto, nondum habenti ullum gradum gratiæ sanctificantis, atque adeò existenti in peccato mortali, quod desinit esse quando gratia infun- D ditur. Illa verò appellatur secunda, quæ advenit subjecto jam grato, & gratiam jam præhabitam auget.

149. Notandum secundò : Sacramenta novæ legis alia esse quæ dicuntur *sacramenta vivorum*, alia quæ vocantur *sacramenta mortuorum*. Sacramenta mortuorum sic dicta sunt, quòd pro mortuis spiritualiter, morte videlicet peccati, instituta sint, & sunt duo, Baptismus & Pœnitentia. Sacramenta verò vivorum sic appellantur, quia Christus ea instituit pro viventibus vitâ spirituali animæ, quæ est vita gratiæ, & sunt alia quinque.

150. Notandum tertiò : Dupliciter nos posse intelli- E gere quod aliquod sacramentum causet primam vel secundam gratiam, nimirum per se, & per accidens. Illa sacramenta dicuntur per se causare primam gratiam, quæ sunt instituta à Christo ad conferendam gratiam homini in peccato originali vel mortali existenti. Illa verò dicuntur per accidens causare primam gratiam, quæ licèt instituta sint ad augendam gratiam, possunt tamen interdum causare primam gratiam. Et in hoc etiam duplici sensu, possunt sacramenta dici causare secundam gratiam, ut consideranti patebit. His præmissis.

151. Triplex hîc occurrit difficultas breviter dis- A cutienda, & resolvenda. Prima est, utrum omnia sacramenta tàm vivorum quàm mortuorum, causent per se primam gratiam ? Secunda, utrum saltem hoc sacramentis mortuorum conveniat ? Tertia, an sacramenta vivorum quæ per se & ex sua institutione, ordinantur ad causandam secundam gratiam, per accidens primam gratiam causare possint ?

152. Quantum ad primum Nuño hîc art. 1. difficultate 2. probabile esse dicit omnia sacramenta legis novæ per se conferre primam gratiam, cum hac tamen moderatione, ut duo sacramenta quæ dicuntur mortuorum, eam per se conferant, B nedum ex ratione communi sacramenti, sed etiam ex propria ratione atoma, cætera verò solùm ex ratione commmuni, quia sic apparet major dignitas sacramentorum novæ legis ; subditque sententiam hanc à viris doctissimis subtiliter & curiosè defendi. In illam inclinare videtur Joannes à S. Thoma hîc art. 1. dubio 2. ubi docet sacramenta novæ legis esse per se productiva primæ gratiæ ex ratione generica.

153. Quoad secundum, Gabriël, Ocham, Major, & alij Nominales, docuere olim nullum ex sacramentis novæ legis, etiam pro mortuis institutum, per se loquendo causare primam gratiam in adultis. Fundamentum eorum erat, quia adulti non sunt sufficienter dispositi ad aliquod sacramentum suscipiendum, nisi per contritionem : C unde cùm contritio non sit, sine gratia, nunquam adulti recipiunt fructuosè sacramentum aliquod, nisi præsupponantur in gratia. In quam opinionem incidunt aliqui Recentiores, qui docent ad validitatem sacramenti pœnitentiæ, prærequiri dolorem sive detestationem peccatorum ex Dei dilectione procedentem, ac proinde qui sit vera contritio.

154. Quantùm ad tertium Vazquez 3. parte disp. 205. cap. 4. Villalobos Tract. 4. difficult. 7. num. 4. Bernal disp. 11. sect. 2. docent sacramenta vivorum nunquam, etiam per accidens, causare primam gratiam. Alij id asserunt solùm de quatuor sacramentis, nimirum de Confirmatione, D Eucharistia, Ordine, & Matrimonio, & concedunt Extremam-Unctionem in aliquo casu conferre primam gratiam. Ita Cardinalis Delugo de Eucharist. disp. 12. sect. 1. num. 3. & 16. & Gaspar Hurtado disp. 3. difficult. 4.

155. Communis verò Thomistarum sententia fatetur quidem non omnia novæ legis sacramenta causare per se primam gratiam, sed asserit duo sacramenta mortuorum, illam per se causare, non solùm in parvulis, sed etiam in adultis, sacramenta autem vivorum nunquam illam causare per se, benè tamen per accidens, atque adeò reddere de attrito contritum, nempe quando ille qui ad aliquod eorum accedit in peccato mortali, E existimat bonâ fide se esse in gratia, & attritionem habet, quam putat esse contritionem. Ita Capreolus, Cajetanus, Paludanus, Soto, & alij, quos sequuntur, Suarez, Valentia, Granado, & alij Recentiores.

§. II.

Prima sententia rejicitur, & omnia sacramenta novæ legis non causare per se primam gratiam, breviter suadetur.

DIco primò : non omnia sacramenta novæ legis causant per se primam gratiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

156. Probatur primò conclusio ratione fundamentali. Illud dicitur convenire per se sacramentis, quod convenit ex vi suæ institutionis : Sed omnibus sacramentis novæ legis ex vi suæ institutionis non convenit causare primam gratiam : Ergo omnia novæ legis sacramenta per se illam non causant. Major patet, nam sacramenta sunt signa ad placitum, & ita omnem vim significativam & causativam quam per se habent, debemus asserere illis convenire ex libera institutione Dei & Christi ; unde si aliquid ex vi institutionis non convenit sacramentis, non potest ipsis convenire nisi per accidens. Minor verò suadetur : Illa sacramenta dicuntur instituta ad causandam primam gratiam, quæ sunt instituta ad remittenda peccata : At omnia novæ legis sacramenta non sunt instituta ad remittenda peccata, sed tantùm duo, nimirum Baptismus, & Pœnitentia, quæ ad tollendum peccatum originale & actuale instituta sunt ; alia verò instituta sunt ad alios effectus producendos qui supponunt per se peccata remissa, & infusionem primæ gratiæ, puta ad conservationem & augmentum vitæ spiritualis, ut patet de Confirmatione & Eucharistia : Ergo omnibus sacramentis novæ legis, ex vi suæ institutionis, non convenit causare primam gratiam.

157. Confirmatur : Non alia de causa, aliqua sacramenta novæ legis appellantur sacramenta mortuorum, alia verò sacramenta vivorum, nisi quia aliqua ordinantur ad mortuos spiritualiter resuscitandos, subindeque ad producendam primam gratiam expulsivam peccati : alia verò instituta sunt ad magis perficiendam & augendam spiritualem vitam gratiæ, & per consequens solùm ad producendam secundam gratiam, quæ ita appellatur, ex eo quod adveniat subjecto jam grato, & gratiam jam præhabitam augeat.

158. Respondet Nuño, hanc rationem, cum sua confirmatione, convincere quidem omnia sacramenta novæ legis, secundùm rationes specificas atomas considerata, non causare per se primam gratiam ; non probare tamen, quod ex ratione communi & generica illam non causent : licèt enim (inquit) sacramenta vivorum ex sua ratione specifica, sive differentiali, per se instituta sint ad solum augmentum gratiæ, sive ad secundam gratiam producendam, atque adeò ex tali ratione non habeant conferre per se nisi illud augmentum, sumpta tamen secundùm suam rationem genericam sacramenti novæ legis, per se instituta sunt ad primam gratiam causandam.

159. Verùm hæc responsio, licèt subtilis, primâ fronte videri possit, nihil tamen reipsa soliditatis habet. Unde contra illam arguitur primò : Implicat quod differentia distinguens duas species ejusdem generis, conveniat per se utrique speciei, etiam secundùm rationem genericam, sicut fieri non potest ut rationale conveniat ullo modo homini & equo : Sed causare per se primam gratiam, est differentia distinguens sacramenta mortuorum à sacramentis vivorum, ut jam ostensum est, & concedit Nuño : Ergo causare per se primam gratiam, sacramentis vivorum secundùm rationem genericam convenire nequit.

160. Secundò, differentia non debet repugnare rationi genericæ : Sed si sacramenta vivorum ex ratione generica per se causarent primam gratiam, eorum differentia repugnaret rationi genericæ : Ergo sacramenta vivorum ex ratione generica sacramenti novæ legis non habent per se causare primam gratiam. Major est principium certum in Metaphysica, ex duobus enim repugnantibus adinvicem, non potest una simplex essentia resultare, qualis resultat ex genere & differentia. Minor verò probatur. Per se non causare primam gratiam, sed ejus augmentum & perfectionem accidentalem, repugnat ei quod est causare per se primam gratiam : Atqui sacramenta vivorum ex propria ratione differentiali habent per se non conferre primam gratiam, sed augmentum & perfectionem accidentalem ipsius : Ergo si ex ratione generica per se conferrent primam gratiam, differentia ipsorum repugnaret rationi genericæ.

161. Tertiò, Distinctio illa metaphysica quoad causalitatem gratiæ, absque fundamento fingitur, sacramenta enim sub nulla ratione virtutem habent gratiæ productivam, nisi ex institutione Christi : Christus autem nullam institutionem fecit sacramentorum secundùm rationem genericam, sed solùm singula instituit ad suos speciales fines & effectus ; & quamvis ex hac institutione factum sit, ut conveniant omnia in aliquibus rationibus communibus quas intellectus abstrahere potest, & præcisè considerare, tamen hoc ad nostram tantùm speculationem pertinet, non verò ad practicam institutionem, utpotè quæ per se particularia, & proprios ac determinatos fines respicit, non generales, nisi quatenus in specificis continentur.

162. Confirmatur hæc impugnatio : Vel Christus fecit aliquam institutionem sacramentorum quæ dicuntur pro mortuis, secundùm rationem genericam, vel non fecit ? Si fecit, quæro ad quid illa instituerit secundùm rationem genericam ? Non ad causandam primam gratiam, quandoquidem docet Adversarius id eis convenire secùm rationem specificam. Si respondeat ad gratiam ut sic, abstrahendo à prima & secunda, idem dicam de sacramentis vivorum, ea nimirum secundùm rationem genericam non fuisse instituta neque ad primam neque ad secundam gratiam, sed ad gratiam ut sic. Si respondeat, Christum non instituisse sacramenta mortuorum secundùm rationem genericam, sed secundùm specificam, quare non idem dici poterit de sacramentis vivorum ?

163. Probatur secundò conclusio : Si omnia sacramenta causarent per se primam gratiam, sacramenta vivorum possent dignè suscipi ab eo qui conscius peccati mortalis cognosceret se esse solùm attritum supernaturaliter, non verò contritum : licet enim cum conscientia peccati mortalis accedere ad sacramentum quod per se ad illud expellendum institutum est, quale est sacramentum per se conferens primam gratiam : Atqui secundùm fidem qui conscius sibi peccati mortalis, cum sola attritione, etiam supernaturali, cognita ut tali, sacramentum vivorum, v. g. Eucharistiæ, susciperet, indignè illud reciperet : Ergo omnia sacramenta non causant per se primam gratiam.

164. Respondet Nuño negando sequelam : cùm enim (inquit) ratio generica sacramenti vivorum, non possit habere suum effectum, nisi ratio specifica habeat etiam suum proprium effectum, ut dignè quis accedat ad tale sacramentum, necesse est quod sit dispositus, saltem per se loquendo, non solùm ad receptionem primæ gratiæ

gratiæ, correspondentis rationi genericæ talis sacramenti, sed etiam ad receptionem augmenti gratiæ, correspondentis rationi specificæ : qui autem habens conscientiam peccati mortalis, est solùm attritus, non est sufficienter dispositus ad secundam gratiam, sed tantùm ad primam.

165. Sed contra : Vel sacramentum vivorum per se requirit unam tantùm dispositionem, vel duplicem ? Si unicam, vel illa dispositio correspondere debet rationi specificæ sacramenti, atque adeò esse contritio, & tunc nunquam sacramentum illud per se causabit primam gratiam, utpotè requirens per se in suscipiente aliquid incompossibile cum carentia primæ gratiæ, videlicet contritionem : vel illa unica dispositio correspondere debet solùm rationi genericæ, atque adeò esse tantùm attritio ; & tunc qui sibi conscius erit peccati mortalis, poterit cum sola attritione, cognita ut tali, dignè accedere ad illud sacramentum. Quod si dicatur sacramentum vivorum duplicem in peccatore suscipiente requirere dispositionem, attritionem videlicet correspondentem rationi genericæ, & contritionem, correspondentem rationi specificæ. Contra erit primò, quòd attritio & contritio sint simul incompossibiles in eodem subjecto, utpotè cùm attritio dicat carentiam gratiæ justificantis, quam contritio essentialiter importat, quia contritio est dolor informatus gratiâ & charitate ; attritio verò est dolor non informatus gratiâ & charitate. Contra secundò : Impossibile est Eucharistiam producere primam gratiam in subjecto in quo supponit actum contritionis.

166. Probatur tertiò conclusio : Ut sacramenta vivorum per se conferrent primam gratiam, secundùm rationem genericam, oporteret quod ratio generica sacramenti novæ legis esset conferre primam gratiam : Atqui ratio generica sacramenti novæ legis, non est conferre primam gratiam, sed conferre gratiam absolutè, abstrahendo à prima & secunda : Ergo sacramenta vivorum per se non conferunt primam gratiam. Major patet, Minor verò probatur. Ratio generica sacramenti novæ legis, ea est quam determinant omnes differentiæ specificæ sacramentorum novæ legis : Sed ratio quâ determinant omnes differentiæ specificæ sacramentorum novæ legis, non est conferre primam gratiam, quandoquidem ista ratio est differentia essentialis Baptismi & Pœnitentiæ, benè tamen conferre gratiam absolutè, abstrahendo à prima & secunda, ut manifestum est : Ergo &c.

§. III.

Solvuntur objectiones.

167. Objicies primò : Juxta Concilia & SS. Patres articulo 1. citatos, sacramenta novæ legis, quæcumque illa sint, dicuntur simpliciter & absolutè causæ gratiæ : At nisi causarent primam gratiam, non absolutè & simpliciter dici possent causæ gratiæ, sed tantùm cum addito ; nam secunda gratia, sive ejus augmentum, non significat gratiam simpliciter & absolutè, sed tantùm ejus modum seu intensionem : Ergo omnia sacramenta novæ legis causant primam gratiam.

168. Respondeo negando Minorem, cùm enim augmentum gratiæ, sive quilibet gradus ipsius, sit vera gratia, sicut quilibet gradus caloris est verus calor, etsi aliqua sacramenta novæ legis, illa videlicet quæ vivorum sacramenta dicuntur, per se non causent primam gratiam, sed solùm ejus augmentum, seu aliquem gradum illius, absolutè & per se debent dici causæ gratiæ. Unde etiam in Scriptura qui crescit in gratia, dicitur justificari, Eccles. 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari.* Apocal. 22. *Qui justus est, justificetur adhuc.* Licèt ergo apud Theologos nomine gratiæ intelligatur prima, ut in materia de merito, in qua ad tollendam æquivocationem, ne quis videatur concedere primam gratiam cadere sub merito condigni, contra doctrinam Tridentini sessione 6. canone ultimo, distingui solet gratia & augmentum gratiæ : non tamen est cur augmentum gratiæ non possit appellari absolutè gratia, cùm sit ejusdem omnino rationis & essentiæ cum prima gratia.

169. Objicies secundò : Passio Christi per se, non verò solùm per accidens, remittit peccata, & & tribuit primam gratiam : Sed omnia sacramenta novæ legis, etiam illa quæ pro vivis instituta sunt, continent per se, & non solùm per accidens, virtutem passionis Christi : Ergo per se, & non solùm per accidens, possunt primam gratiam producere.

170. Respondeo distinguendo Minorem : Sacramenta vivorum continent per se virtutem passionis Christi, universaliter sumptam, sicut est in ipsa passione Christi, sive in ejus humanitate, ratione passionis, nego Minorem. Continent per se virtutem passionis Christi, limitatè participatam, & ut determinatam ad producendam per se secundam gratiam, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

171. Si instes, & dicas, ex hac limitatione sequi quod sacramenta vivorum non possint etiam per accidens primam gratiam efficere. Negabitur sequela, quia licèt virtus passionis Christi non derivetur per se ad illa, nisi ad solum augmentum & perfectionem accidentalem gratiæ, per accidens tamen in aliquo casu communicatur ipsis talis virtus à Christo, non solùm ad augmentum, sed etiam ad primam productionem gratiæ, ut patebit ex dicendis §. 5.

172. Objicies tertiò : Omne agens quod per se potest intendere aliquem habitum, potest etiam illum quoad suam entitatem producere : Sed sacramenta vivorum causant per se augmentum gratiæ : Ergo possunt etiam per se causare entitatem gratiæ, subindeque primam gratiam. Major probatur : non major, imò minor requiritur virtus ad producendum habitum quoad suam entitatem, quàm ad illum augendum : Ergo omne agens quod per se potest intendere aliquem habitum, potest etiam illum quoad suam entitatem producere.

173. Respondeo negando Majorem, ad probationem, concesso Antecedente, nego Consequentiam : ut enim sacramenta vivorum dicantur causare per se primam gratiam, non satis est quod habeant in se sufficientem virtutem ad producendam gratiæ entitatem, sed insuper exigitur ut ad sic producendam sint instituta : unde cùm sacramenta vivorum non sint instituta à Christo, ad producendam entitatem ipsam gratiæ, sed ad illam augendam ; licèt virtus quam habent à passione Christi sit sufficiens ad illam producendam, & de facto illam interdum producant, ut infrà dicemus, non tamen propterea causant per se primam sed secundam gratiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dices, D. Thomas 3. parte quæst. 79. art. 3. de Eucharistia loquens ait, quod *virtus hujus sacramenti potest considerari dupliciter: uno modo secundum se, & sic hoc sacramentum habet virtutem ad remittendum quæcunque peccata, ex passione Christi, quæ est fons & causa remissionis peccatorum:* Sed peccata non remittuntur nisi per infusionem primæ gratiæ: Ergo Eucharistia ex se & per se habet conferre primam gratiam.

175. Respondeo hunc locum D. Thomæ cui potissimùm confidit Adversarius, non adversari nostræ sententiæ, sed potiùs eam confirmare, & explicare: nihil enim aliud intendit S. Doctor, quàm quòd si virtus Eucharistiæ consideretur absolutè & in abstracto, prout ambit tam ea quæ per se, quàm illa quæ per accidens ipsi communicantur passione Christi, est efficax ad remittenda quæcumque peccata; si verò consideretur per comparationem ad recipiendum sacramentum, hæc virtus contrahitur ad duas species, quarum alia per se respicit augmentum gratiæ producendum, alia verò per accidens ad causandam primam gratiam ordinatur, quando per accidens recipitur à subjecto non existente in gratia, non habente tamen impedimentum ad gratiam, & invincibiliter ignorante se esse in statu peccati. Unde particula, *secundum se*, quâ utitur S. Thomas loco citato, non idem sonat ac per se, sed idem valet ac absolutè, & in abstracto.

§. IV.

Secunda opinio refellitur, & aliqua novæ legis sacramenta, per se primam gratiam, etiam in adultis causare, breviter ostenditur.

176. Dico secundò: causare primam gratiam, etiam in adulto, per se convenit sacramentis mortuorum, Baptismo scilicet & Pœnitentiæ.

Probatur primò conclusio ratione fundamentali: Illud per se convenit sacramentis mortuorum ad quod per se instituta sunt: Sed sacramenta mortuorum sunt per se instituta ad causandam primam gratiam: Ergo per se illis convenit causare primam gratiam. Major patet ex suprà dictis, Minor probatur. Sacramenta mortuorum per se instituta sunt ad delendum peccatum mortale, originale, vel actuale: Atqui illa peccata non delentur per secundam gratiam, sed per primam; sicut enim secunda gratia necessariò præsupponit primam, quia nihil aliud est, quàm ipsius augmentum, ita præsupponit peccatum mortale deletum, utpotè incompossibile cum prima gratia: Ergo sacramenta mortuorum ad causandam primam gratiam per se instituta sunt.

177. Confirmatur: Si Baptismus & Pœnitentia non causarent per se primam gratiam, nulla esset ratio ob quam ad differentiam aliorum appellarentur sacramenta mortuorum, quandoquidem æquè ac illa, vitam spiritualem animæ, sive primam gratiam, præsupponerent.

Probatur secundò conclusio ab absurdo & inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia, & simul præcipuum ejus fundamentum convellitur. Si remissio peccati originalis & actualis in adultis non fieret nisi per contritionem ut includentem votum Baptismi vel Pœnitentiæ, & ad validitatem horum sacramentorum non sufficeret attritio, sed requireretur dolor seu detestatio peccatorum ex Dei dilectione procedens, ac proinde qui sit vera contritio, institutio sacramentorum novæ legis non contulisset hominibus faciliorem viam ad justificationem obtinendam per sacramenta, quàm sine sacramentis: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Minor constat, quia finis institutionis sacramentorum novæ legis est ut homines faciliùs justificentur, & majorem gratiam consequantur, juxta illud Christi Joan. 10. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Sequela etiam Majoris evidens est, si enim antequam aliquis accedat ad sacramentum Pœnitentiæ v. g. necessariò debeat habere contritionem, cùm nullus illam habeat, nisi simul habeat gratiam, & sit justificatus, non erit facilius justificari per sacramentum Pœnitentiæ, quàm extra illud. Unde ad vitandum hoc inconveniens, necessariò dicendum est, ad utilem hujus sacramenti susceptionem, sufficere imperfectam aliquam peccatorum detestationem, quæ dicitur attritio; & ideò sacramentum pœnitentiæ dici facere de attrito contritum, quia revera efficit subjectum à quo recipitur de habente solùm attritionem, habens saltem habitualiter contritionem, eò quòd ad gratiam in tali sacramento collatam, cum aliis virtutibus infusis, sequatur etiam pœnitentia, quæ est habitualis contritio: vel quia ipsum sacramentum est æquivalenter sive virtualiter contritio, eò quòd loco ipsius substituatur, & suppleat ejus defectum. De quo fusiùs in Tractatu de Pœnitentia.

178. Ex his solutum manet præcipuum fundamentum Nominalium, falsum enim supponunt, nempe adultos non esse capaces recipiendi sacramenta etiam mortuorum, nisi habeant contritionem; aliàs nulla esset differentia inter sacramenta mortuorum & viventium, & falsum esset quod communiter docent Theologi, nimirum sacramenta mortuorum facere hominem de attrito contritum.

Nec obstat illud Gregorij magni homil. 26. super Evang. *Non debemus nos per pastoralem authoritatem solvere, nisi quos Authorem nostrum per suscitantem gratiam cognoscimus vivificare.* Sensus enim illorum verborum iste est: non debemus nos sacerdotes absolvere sacramentaliter, nisi eos qui per gratiam Dei excitantem & suscitantem concipiunt motum doloris de peccatis, & incipiunt per gratiam vivificari, scilicet dispositivè. Ex quibus nihil contra nos.

179. Ex dictis etiam confutatum manet quod asserit Serra hîc articulo 1. dubio 3. concluf. 2. nimirum causare augmentum gratiæ, per se convenire omnibus sacramentis, etiam illis quæ sacramenta mortuorum dicuntur. Nam, ut suprà dicebamus, sacramenta illam gratiam causant per se & directè, quam causant ex institutione propria & peculiari unicuique: Sed ex institutione peculiari Baptismi, & Pœnitentiæ, non est sacramenta illa causare augmentum gratiæ, quia Baptismus est regeneratio, & dat per se primum esse in ordine supernaturali; Pœnitentia verò est secunda post naufragium tabula, & directè solùm habet liberare à morte peccati: Ergo hæc sacramenta per se & directè non causant augmentum gratiæ, sed per accidens tantùm, & indirectè, quando nimirum eam in subjecto jam per actus contritionis vel charitatis productam inveniunt.

Addo

180. Addo quod, cùm secunda gratia, sive augmentum gratiæ, causari nequeat, nisi præsuppositâ primâ gratiâ, ut sacramenta mortuorum causarent per se secundam gratiam oporteret quod supponerent per se primam gratiam: Sed non supponunt per se primam gratiam, aliàs enim, cùm per se etiam causent primam gratiam, & eam per se causare nequeant, nisi supponendo per se ejus carentiam, simul supponerent per se, & non supponerent per se primam gratiam: Ergo sacramenta mortuorum non causant per se secundam gratiam.

§. V.

Tertia difficultas expeditur, & ostenditur sacramenta vivorum, per accidens aliquando conferre primam gratiam.

Dico tertiò: Sacramenta vivorum per accidens interdum causant primam gratiam.

181. Probatur primò ex D. Thoma, qui variis in locis manifestè conclusionem istam docet: nam infrà quæst. 72. art. 7. ad 3. de sacramento Confirmationis sic loquitur: *Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento, consequetur remissionem peccatorum.* Et quæst. 79. art. 3. de Eucharistia ait: *Potest hoc sacramentum operari remissionem peccatorum dupliciter: uno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cùm quis primò justificatur à peccato: alio modo etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet; fortè enim primò non fuit sufficienter contritus, sed devotè & reverenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.* Item in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 2. loquendo de Extrema-Unctione: *Quia* (inquit) *hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideò ex consequenti si invenit peccatum aliquod vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum dummodo non ponatur obex ex parte recipientis (sicut etiam de Eucharistia & Confirmatione suprà dictum est) & ideò Iacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur dicens, si in peccatis sit, dimittuntur ei, quoad culpam, non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit, sed semper remittit quoad debilitatem prædictam, quam quidam reliquias peccati dicunt.* Quo nihil clarius & expressius in favorem nostræ conclusionis dici potest.

182. Respondet Delugo, sensum D. Thomæ locis citatis non esse quod per illa sacramenta immediatè remittatur peccatum in casibus illis, sed solùm mediante auxilio ad eliciendum contritionem necessario, quod sumptio illorum impetrabit peccatori, bonâ fide ad ea accedenti.

Sed contra primò: D. Thomas locis citatis nullam omnino facit mentionem auxilij ad actum contritionis impetrandi: Ergo gratis omnino ita D. Thomam interpretatur Delugo.

Secundò: Ille fatetur locò suprà citato, Extremam-Unctionem in aliquo casu, juxta doctrinam D. Thomæ, causare immediatè primam gratiam: Sed D. Thomas eodem modo loquitur locis citatis de Confirmatione, & Eucharistia, ac de Extrema-Unctione: Ergo sentit, tria illa sacramenta per accidens interdum remittere peccatum, & conferre primam gratiam immediatè, & non solùm mediante auxilio, ad eliciendam contritionem necessario. Idemque de aliis sacramentis vivorum, Ordine scilicet & Matrimonio, dicendum est.

183. Probatur secundò conclusio: Si quis cum sola attritione supernaturali de peccatis confessus, sed ex malitia sacerdotis non absolutus, prudenter tamen existimans se esse absolutum, atque adeò contritum, accedat consequenter ad aliquod sacramentum vivorum, putà ad Eucharistiam, tunc non ponit obicem primæ gratiæ: Ergo illam saltem per accidens virtute sacramenti recipit. Probatur consequentia, quia cùm Christus instituerit omnia sacramenta, ut sint organa per quæ illius merita nobis applicentur, & gratia conferatur, verisimile est, ea ita instituisse, ut aliquem gradum gratiæ conferant omnibus non ponentibus obicem ejus receptioni, aliunde verò primus gradus gratiæ non est excellentior secundo: Ergo si homo nullum in dicto casu habeat obicem primæ gratiæ, verisimile est, quod illam recipiet infallibiliter, virtute sacramenti Eucharistiæ ad quod accedit.

184. Dices cum Delugo: licèt in sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ, peccatum actuale mortale solâ attritione supernaturali detestatum, atque adeò non remissum, non sit obex effectui illorum sacramentorum, quia nimirum illa sacramenta de se auferunt peccatum; tamen propter rationem oppositam, quia sacramentum Eucharistiæ causat nutritionem spiritualem, cui status peccati opponitur, in casu argumenti, peccatum lethale cum quo homo accedit ad Eucharistiam, est sufficiens obex ad gratiam virtute talis sacramenti recipiendam.

Sed contra: Obstaret quidem in casu nostro effectui proprio sacramenti Eucharistiæ peccatum de quo solùm habetur attritio, si priùs prioritate naturæ, quàm conferretur augmentum gratiæ, per accidens in dicto casu non remitteretur; sed cùm in tali casu priùs naturâ quàm conferatur augmentum gratiæ per Eucharistiam, peccatum illud quod homo invincibiliter ignorat, per accidens ex vi talis sacramenti remittatur, & fiat ex attrito, habitualiter contritus, nulla omnino est hæc Adversarij responsio.

185. Probatur tertiò conclusio: Sacramenta mortuorum interdum per accidens causant secundam gratiam, ut concedunt Adversarij, etsi instituta sint ad conferendum per se primam gratiam: Ergo reciprocè sacramenta vivorum, licet per se ordinata ad collationem secundæ gratiæ, tamen ex accidenti interdum simul conferunt primam gratiam.

186. Negat paritatem Delugo, quia (inquit) multò major requiritur virtus ad causandam primam gratiam, & tollendum peccatum, quàm ad causandum augmentum gratiæ in homine justo, idque probat ex eo quod homo justus possit sibi mereri de condigno augmentum gratiæ, non tamen primam gratiam post lapsum recipiendam.

187. Sed contra: Primus gradus gratiæ non est excellentior secundo. Deinde, quòd justus non possit sibi mereri de condigno primam gratiam acquirendam post lapsum, benè tamen augmentum gratiæ, non ex eo provenit quòd unum, per se loquendo, difficilius sit alio, sed præcisè, quia principium meriti, quale est gratia, non potest cadere sub merito.

188. Denique suaderi potest conclusio: Sæpè accidit quod ægrotus proximus morti nequeat aliud

Universidad de Deusto
Biblioteca

sacramentum suscipere, nisi Extremam-Unctionem, & in illis angustiis difficillimum sit elicere contritionem: Ergo credendum est, clementiam divinam instituisse, & ordinasse, ut hoc sacramentum tunc illi subveniat, & per accidens primam gratiam conferat. Et hoc sibi persuadent fideles, cùm adeò solliciti sunt non discedere sine Extrema-Unctione, quamvis non sit sacramẽtum tantæ necessitatis, sicut Baptismus, & Pœnitentia. Si autem hoc concedendum est Extremæ Unctioni, ut fatetur Delugo non est cur Eucharistiæ denegetur: tum quia ipsum fontem gratiæ & vitæ continet: tum etiam, quia sicut de Extrema-Unctione dicitur Jacobi 5. *Si in peccatis sit remittentur ei*; ita Ecclesia petit, quod Eucharistia sit *ablutio scelerum*.

A

B

§. VI.

Solvuntur objectiones.

189. CONtra conclusionem istam objicitur primò: Sacramentis nullum effectum ex opere operato attribuere possumus, nisi aut definitione Ecclesiæ expressum, aut traditione Patrum acceptum, aut Scripturâ traditum sit, aut saltem ex illorum propria natura & institutione efficaciter deducatur: Sed nihil horum habemus, ut productionem primæ gratiæ, etiam solùm per accidens, sacramentis vivorum tribuamus: Ergo illam nullo modo ipsis adscribere debemus.

C

190. Secundò, Sacramentum Confirmationis est in vita spirituali, sicut potentia augmentativa in vita naturali; & Eucharistia, sicut potentia nutritiva: Sed potentia augmentativa, & potentia nutritiva, essentialiter præsupponunt vitam naturalem: Ergo similiter sacramenta Confirmationis & Eucharistiæ, essentialiter supponunt vitam supernaturalem animæ, quæ habetur mediante primâ gratiâ, & consequenter nunquam etiam per accidens illam conferunt.

191. Tertiò, Cibus quantumcumque applicetur mortuo, non potest ei vitam restituere: Ergo similiter sacramentum Eucharistiæ, quod est per modum cibi spiritualis, applicatum animæ per peccatum mortuæ, non potest, etiam per accidens, illi vitam gratiæ restituere.

D

192. Quartò, Qui solùm attritus putat se esse contritum, non magis dici potest sufficienter dispositus ad sacramenta vivorum, quàm qui solùm attritus cognoscit se esse tantùm attritum; quod enim putet se esse contritum, hoc oritur ex ignorantia; ignorantia autem non facit hominem magis dispositum ad effectum gratiæ: Ergo non magis recipit effectum sacramenti, subindeque primam gratiam, quàm qui sciens se esse tantùm attritum, accederet ad Eucharistiam.

193. Ad primam respondeo distinguendo Majorem: sacramentis nullum effectum attribuere possumus, certò & tanquam de fide, aut tanquam demonstrabile demonstratione Theologicâ, nisi aut definitione Ecclesiæ expressum sit &c. concedo Majorem. Sacramentis nullum effectum attribuere possumus, probabiliter & conjecturaliter, nisi &c. nego Majorem, ad hoc enim sufficit quod ille effectus qui sacramentis ascribitur, non adversetur doctrinæ Scripturæ, determinationi Ecclesiæ, & traditioni Patrum, & verisimiliter ex ipsa institutione sacramentorum, eorumque excellentia deducatur, maximè si graves Theologi ita sentiant, quæ omnia concurrunt in præsenti materia. Nam in primis nullus locus Scripturæ, aut traditionis Patrum, aut determinationis Ecclesiæ, hactenus objectus est, cui nostra opinio videatur adversa. Secundò id verisimiliter deducimus ex institutione, natura, & nobilitate sacramentorum legis gratiæ, cùm enim, ut dicebamus, Christus instituerit sacramenta novæ legis, tanquam instrumenta & organa suæ gratiæ nobis conferendæ, verisimile est, instituisse ut eam conferant omnibus qui impedimentum ipsi non ponunt: qui autem solùm attritus de peccato, existimat bonâ fide se esse contritum, nullum videtur apponere impedimentum gratiæ recipiendæ in sacramentis vivorum. Cui congruentiæ generali pro omnibus sacramentis vivorum, addi potest specialis pro Eucharistia, nimirum quod cùm realiter Christum contineat, qui est fons vitæ, verisimile est quod potest mortuos morte peccati vivificare. Denique D. Thomas, & communiter ejus Discipuli, aliique celebres Theologi extra ejus Scholam, quos suprà citavimus, ita piè sentiunt.

Ad secundum respondetur quod licèt sacramentum Confirmationis, & sacramentum Eucharistiæ, sint per se in vita spirituali, sicut potentia augmentativa & potentia nutritiva in vita naturali, sunt tamen etiam interdum, licèt solùm per accidens, sicut potentia generativa. 194

Ad tertium respondetur, cibum quidem materialem qui convertitur in substantiam aliti, mortuo applicatum, esse incapacem vitam ei restituere; cibum tamen spiritualem Eucharistiæ, qui est vita per essentiam, & qui alitum potest in se convertere, posse etiam hominem mortuum morte peccati, sed tamen de eo attritum, attritione quam bonâ fide credit esse contritionem, vivificare; præsertim cùm homo ille non sit ita mortuus, quin possit aliquem actum vitæ supernaturalis, licèt imperfectum, exercere, manducando cibum illum, etiam aliquo modo supernaturaliter, videlicet illum suscipiendo cum fide & reverentia. 15

Ad quartum distinguo Antecedens: Qui solùm attritus putat se esse contritum, non magis est dispositus positivè ad sacramenta vivorum, quàm qui solùm attritus cognoscit se non esse contritum, concedo. Non magis est dispositus negativè, nego: ignorantia enim ipsius facit ut non indigne accedat ad hoc sacramentum.

ARTICULUS VI.

Quid addat gratia sacramentalis supra gratiam habitualem?

SUpponit titulus, gratiam sacramentalem (id est per sacramenta productam) addere aliquid supra gratiam habitualem, imò & supra virtutes & dona Spiritus Sancti, quæ ad instar passionum consequuntur infusionem gratiæ habitualis. Et ratio evidens est. Nam ille qui extra sacramentum justificatur, habet gratiam habitualem, virtutes omnes infusas, sicut & dona Spiritus Sancti, nec tamen habet gratiam sacramentalem: Ergo signum est illam aliquid addere supra gratiam habitualem. In hoc ergo conveniunt omnes Theologi, sed dissident in explicando quid sit illud superadditum: Divus enim Bonaventura, Richardus, & Gabriel, existimarunt gratiam sacramentalem non addere supra gratiam gratum facientem, nisi respectum ad sacramentum 1

E

mentum tanquam ad causam: ita ut in hoc solùm hæ duæ gratiæ differant, quòd gratia gratum faciens, quæ non est sacramentalis, cauletur a solo Deo, illa verò quæ est sacramentalis, sit effectus non solùm Dei, sed etiam & simul sacramenti. Paludanus verò & Capreolus docuerunt gratiam sacramentalem addere gratiæ gratum facienti alium particularem habitum realiter ab ea distinctum, quem vocant regenerativum in Baptismo, corroborativum in Confirmatione, nutritivum in Eucharistia, & sic de aliis. Alij autem fatentur quidem illud quod addit gratia sacramentalis supra gratiam gratum facientem, non esse alium distinctum habitum, dicunt tamen esse modum aliquem, seu perfectionem aliquam intrinsecam, modaliter ab ipsa gratia habituali distinctam. Ita Cabrera, Nuño, Choquetius, Joannes à S. Thoma, Marcus à Serra, & Martinez à Prado. Demum alij Thomistæ communiter docent illud quod gratia sacramentalis superaddit gratiæ gratum facienti, non esse aliud præter auxilia specialia, pro specialibus sacramentorum effectibus necessaria, sive jus aliquod morale ad illa.

A

B

§. I.

Triplici conclusione difficultas resolvitur.

198. DIco primò: Gratia sacramentalis non est gratia habitualis, additâ solâ connotatione ad sacramentum, tanquam ad causam.

Probatur primò: Si gratia sacramentalis præter respectum ad sacramentum nihil adderet gratiæ gratum facienti, frustrà tot sacramenta, tot & tam diversis cæremoniis celebranda, à Christo instituta fuissent, cùm unumquodque sæpiùs iteratum, id omne quod singula præstarẽ potuisset.

C

199. Secundo, Non magis esset effectus proprius sacramenti Extremæ-Unctionis tollere reliquias peccatorum, quàm Confirmationis, præsertim cum in Confirmatione major gratia gratum faciens conferatur: neque esset magis proprius effectus sacramenti Confirmationis, robur ad fidem Christi protestandam, quàm sacramentorum Baptismi & Pœnitentiæ, utpotè cùm tria illa sacramenta in hoc conveniant, quòd singula ex eis conferant gratiam sanctificantem, cum omnibus virtutibus & donis, tanquam proprietatibus concomitantibus.

D

Dico secundò: Gratia sacramentalis non est aliquis habitus à gratia habituali, & virtutibus ac donis ab ea profluentibus, specie distinctus,

200. Probatur primò: Gratia sacramentalis facit hominem Deo gratum, aut magis gratum: At si esset habitus à gratia gratum faciente realiter distinctus, non redderet hominem Deo gratum, vel magis gratum, cùm reddere hominem Deo gratum, sit effectus proveniens à sola gratia habituali, quæ specie multiplicari nequit: Ergo gratia sacramentalis non est aliquis habitus à gratia habituali specie distinctus.

E

201. Probatur secundò: Frustrà ponuntur habitus distincti à gratia sanctificante, & virtutibus ac donis ab ea profluentibus, infundi per sacramenta: Ergo gratia sacramentalis non est aliquis habitus, à gratia habituali, & virtutibus ac donis realiter distinctus. Consequentia patet, Antecedens probatur. Vel enim illi habitus reciperentur in essentia animæ, vel in potentiis? Non in essentia animæ, quia ad sanctificandam animam sufficit gratia habitualis: non potest autem fingi alius finis vel effectus in essentia animæ, ob quem illi habitus gratiæ superaddantur. Neque etiam in potentiis, quandoquidem ipsis solùm infundi debent habitus qui sint principia supernaturalium actionum: actus verò ad quos specialiter gratiæ sacramentales ordinantur, sunt ab ipsa gratia habituali, mediantibus virtutibus & donis, ut patebit discurrendo per singulos. Nam actus ad quem gratia baptismalis ordinatur, est conservare vitam spiritualem, mitigando fomitem, ne regnet & noceat concupiscentia: hoc autem, ut constat, perficitur per virtutes morales, quæ appetitum sensitivum subjiciunt rationi. Actus gratiæ Confirmationis est constanter profiteri fidem: professio autem fidei inter actus externos fidei numeratur à D. Thoma 2.2.quæst. 3. art. 1. Actus gratiæ Eucharistiæ est augere & nutrire spiritualiter animam, quod maximè fit per actus ferventiores virtutum, quibus gratia & ipsæ virtutes augentur. Actus gratiæ Pœnitentiæ est peccata præterita plangere, pro pœnis temporalibus satisfacere; peccata, & peccatorum occasiones vitare, ad quæ sufficiunt gratia, virtutes, & dona, cum auxiliis actualibus. Actus gratiæ Ordinis est cum debita intentione, attentione, & devotione, cultum divinum exercere, præcipue ministrare sacramenta, ad quæ character & virtus religionis sufficiunt. Actus gratiæ Extremæ-Unctionis est auferre reliquias peccatorum, quæ sunt quidam animi torpor, sive languor, erigendo animam in spem, & firmam fiduciam divinæ misericordiæ contra diaboli tentationes, sicque ad introitum gloriæ disponere; quod potest fieri per spem, perseverantiam, & fortitudinem. Denique actus gratiæ Matrimonij, sunt castè vivere, fidem mutuam servare, seque mutuis officiis fovere; ad quæ sufficiunt justitia, charitas, & castitas, sive continentia.

Dico tertiò: Gratia sacramentalis non addit 202.
suprà gratiam gratum facientem, modum aliquem seu perfectionem aliquam intrinsecam, modaliter à gratia habituali, & virtutibus, ac donis ipsam concomitantibus distinctam, sed duntaxat jus ad specialia auxilia, ad actiones sacramentales exercendas necessaria.

Colligitur ex D. Thoma hîc art. 2. ubi quærit, quid gratia sacramentalis addat super gratiam communiter dictam? Et nullâ factâ mentione alicujus modi intrinseci, solùm dicit addere quoddam auxilium divinum ad consequendum finem sacramenti. Deinde modus intrinsecus gratiæ habituali superadditus, ad actiones sacramentales exercendas non est necessarius; ut enim conclusione præcedenti ostendimus, discurrendo per singula sacramenta, ad eliciendas actiones sacramentales cuilibet sacramento proprias, sufficiunt gratia habitualis, cum virtutibus & donis ipsam concomitantibus, atque specialibus auxiliis ad operandum requisitis: Ergo frustrà admittitur modus aliquis, seu perfectio aliqua intrinseca, modaliter distincta à gratia habituali, & virtutibus ac donis ipsam concomitantibus, subindeque gratia sacramentalis addit solùm supra gratiam, virtutes, & dona, jus quoddam ad specialia auxilia quæ Deus confert his qui suscipiunt sacramenta, quando illis auxiliis opus habent in ordine ad proprium finem cujuslibet sacramenti, ut patebit discurrendo per singula sacramenta.

In Baptismo ergo, præter gratiam habitualem, 203.
confertur

Universidad de Deusto
Biblioteca

confertur jus quoddam ad auxilia quibus homo juvetur ad rectè & religiosè suscipienda alia sacramenta, quod est proprius finis Baptismi. In Confirmatione, præter augmentum gratiæ sanctificantis, datur jus ad specialia auxilia, quibus homo inclinetur, etiam cum periculo vitæ, ad fidem constanter profitendam; ad quam professionem fidei ritè exercendam, tanquam ad suum finem, Confirmatio ordinatur. In sacramento Eucharistiæ, præter augmentum gratiæ, datur speciale auxilium ad actus charitatis & devotionis, quibus anima spiritualiter nutritur; quæ nutritio charitatis est proprius finis Eucharistiæ. Pœnitentia, præter gratiam habitualem, quæ confert remissionem peccatorum actualium, tribuit insuper auxilium ad indignationem aliquam contra seipsum, & satisfactionem Deo exhibendam pro peccatis præteritis, & ad evitanda futura. Extrema-Unctio, præter augmentum gratiæ habitualis, confert jus ad auxilia specialia homini solatium interius afferentia, ad languorem ex morbo & afflictione corporis provenientem, mitigandum, & simul ad vincendas Dæmonum tentationes, quæ tunc gravissimæ sunt, & molestæ. In sacramento Ordinis datur augmentum gratiæ, & simul jus ad auxilia pro bono usu officij suscepti necessaria. Denique Matrimonium, præter augmentum gratiæ, confert auxilium ad frænandam carnis libidinem, fidelitatem conjugalem servandam; curamque de prole habendam.

204. Dixi gratiam sacramentalem addere jus ad auxilium, non verò ipsum auxilium, quia cùm gratia sacramentalis conferatur in susceptione sacramenti, auxilium verò, quia est aliquid transiens, non detur nisi quando exercenda est actio sacramentalis, consequenter dicendum est, gratiam sacramentalem non addere auxilium in actu secundo, sed in actu primo; id est jus morale ad auxilium in actu secundo, quod jus actu confertur, cùm suscipitur sacramentum. Et in hoc sensu intelligendus est D. Thomas, cùm hic art. 1. dicit gratiam sacramentalem addere auxilium supra habitualem.

§. II.

Solvuntur objectiones.

205. OBjicies primò contra istam conclusionem: D. Thomas hîc art. 2. ad 3. ait quod *ratio sacramentalis gratiæ se habet ad gratiam communiter dictam, sicut ratio speciei ad genus*: Sed species addit supra genus aliquid intrinsecum: Ergo & gratia sacramentalis aliquid intrinsecum superaddit gratiæ habituali, & non solùm auxilia extrinseca.

206. Secundò, Habens gratiam sacramentalem potest eâ uti ad libitum, sicut ille qui habet gratiam habitualem: Sed si nihil gratiæ habituali superadderet, præter auxilia actualia, per modum transeuntis collata, non posset eam habens uti ipsâ pro libito & voluntate sua; ad hoc enim necessarium esset, quod illa auxilia essent sicut habitus permanentia in habente gratiam sacramentalem, quod tamen est contra eorum naturam: Ergo gratia sacramentalis gratiæ habituali aliquid præter auxilia superaddit.

207. Tertiò, Auxilia specialia uni sacramento debent esse magis proportionata gratiæ habituali quæ confertur in illo, quàm gratiæ habituali quæ recipitur in alio sacramento: Sed non appareret quomodo hæc proportio salvari posset, nisi gratia habeat in uno sacramento intrinsecam perfectionem, quam non habeat in alio, Ergo gratia sacramentalis aliquam perfectionem intrinsecam gratiæ habituali superaddit.

Ad primum respondent Cajetanus & Soto, 208.
D. Thomam per gratiam communiter dictam intelligere gratiam, prout abstrahit ab habituali & actuali, & sic non esse mirum, si gratia sacramentalis se habeat ad illam sicut species ad genus. Sed hæc solutio, seu interpretatio, à mente D. Thomæ prorsus aliena est; manifestum enim est, D. Thomam per gratiam communiter dictam, gratiam habitualem intelligere, de hac enim procedit titulus, & corpus articuli, nec non argumentum quod tertio loco sibi objicit, ut textum legenti patebit. Unde meliùs respondetur, D. Thomam verbis citatis solùm velle, gratiam sacramentalem se habere ad gratiam habitualem, sicut speciem ad genus, quia sicut species addit aliquid ad rationem generis, ita gratia sacramentalis addit supra gratiam habitualem jus ad specialia quædam auxilia, ad proprios effectus sacramentorum producendos proportionata; & secundùm hoc gratia illa, quamvis una essentialiter, in diversas tamen contrahitur species accidentales, sicque est effectus nostrorum sacramentorum. Ponit ergo S. Doctor exemplum de genere & specie ad hoc tantùm ut ostendat gratiam sacramentalem addere supra gratiam habitualem, sicut species addit ad genus, non verò intendit quod sicut species addit ad genus perfectionem essentialem & intrinsecam, ita & gratia sacramentalis ad gratiam habitualem, comparatio enim non debet tenere in omnibus.

Ad secundum nego Minorem, ut enim qui 209.
recipit sacramentum uti possit ad libitum gratiâ in eo receptâ, sufficit quod habeat jus speciale ad auxilia toties à Deo recipienda, quoties occurrit occasio utendi tali gratiâ ad finem proprium sacramento.

Ad tertium respondeo similiter, jus speciale 210.
quod habet gratia gratum faciens in uno sacramento ad actus ei proprios, ex eo quod conferatur specialiter in ordine ad illos, tribuere ipsi majorem proportionem cum illis auxiliis in illo sacramento, quàm in alio.

Ex his inferes primò, quod licèt Deus aliis 211.
qui sacramenta non suscipiunt, non soleat auxiliis deesse, quibus in operibus ad quæ tenentur, adjuventur; speciali tamen titulo adest illis qui sacramenta suscipiunt, ratione scilicet juris specialis, quod ipsis gratia sacramentalis tribuit ad auxilia pro actibus specialibus sacramentorum necessaria.

Inferes secundò, gratias sacramentales dici 212.
posse distingui inter se specie, non quidem physicâ, aut ratione gratiæ habitualis, quæ specie multiplicabilis non est, sed specie morali, ratione juris annexi ad auxilia specie diversa.

Quærunt hîc aliqui Authores, an gratiæ sa- 213.
cramentales dari possint extra sacramenta? Cui interrogationi breviter respondeo, quod licèt extra sacramenta non conferatur character, qui solet à quibusdam imprimi, potest tamen conferri eadem gratia, & credibile est multis fuisse collatam per solum Baptismi votum, eandem gratiam quam solet conferre ipse Baptismus: cujus evidens signum est, quod olim in primitiva Ecclesia, non suscipiebatur Baptismus usque ad virilem ætatem, quod magno fuisset fidelibus præjudicio, si per votum Baptismi non potuis-

sent

sent eandem habere gratiam, quam per realem ipsius receptionem fuissent consecuti. Nec tamen inde sequitur, superfluam esse susceptionem sacramentorum, quia faciliùs recipiuntur in re, quàm habeatur votum ipsorum, absolutè loquendo; tale enim votum importat necessariò contritionem. Addo quod, per realem susceptionem gratia sacramentalis datur ex opere operato, at verò extra sacramentum, ex opere operantis.

DISPUTATIO IV.

De charactere Sacramentali.

Ad quæstionem 63. Divi Thomæ.

QUIA sunt aliqua sacramenta in lege nova, quæ præter effectum communem omnibus, videlicet gratiam, habent causare characterem, postquam S. Doctor de gratia sacramentali disseruit, agit de charactere sacramentali, utpotè secundario, & minùs principali sacramentorum novæ legis effectu. Circa illum verò celebres occurrunt difficultates & controversiæ, articulis sequentibus resolvendæ.

ARTICULUS PRIMUS.

An & quæ sacramenta novæ legis imprimant characterem?

1. CHaracter est nomen græcum, idem significans ac signum quo solet res aliqua signari, vel ut agnoscatur, & ab aliis distinguatur, sicut signari solet servus, aut ovis; vel ut usui publico deputetur, sicut signatur pecunia sigillo regio; vel ut ad aliquod officium destinetur, sicut olim qui militiæ nomen dabant, notâ aliquâ insigniebantur, quæ character militaris dicebatur. Unde character propriè supponit pro re sensibili, à Theologis tamen transfertur ad significandum signaculum quoddam, quo Christiani in susceptione quorundam sacramentorum, cultui divino deputantur. Quærimus ergo, an, & quæ sacramenta novæ legis, tale signaculum seu characterem imprimant? In sacramentis enim veteris legis, non fuisse aliquem specialem characterem impressum, docent communiter Theologi cum D. Thoma, hîc art. 1. ad 3. ubi sic ait: *Sacramenta veteris legis non habebant in se spiritualem virtutem, ad aliquem spiritualem effectum operantem; & ideò in illis sacramentis non reperiebatur aliquis spiritualis character, sed sufficiebat ibi corporalis circumcisio, quam Apostolus signaculum nominat Romanum.* 4. Unde Chrysostomus homil. 2. in Epist. ad Ephes. loquens de Judæis: *Obsignati sunt* (inquit) *Israelitæ, sed circumcisione, quemadmodum pecudes.* His verbis significans, signaculum quo Judæi à Gentilibus secernebantur, fuisse tantùm, sicut in pecudibus, corporale, non verò spirituale, sicut in Christianis.

§. I.

Duplici conclusione proposita difficultas resolvitur.

DIco primò, aliqua sacramenta novæ legis imprimere characterem. 2.

Conclusio est certa de fide, definita in cap. *Majores*, de Baptismo, & in Concilio Florentino in decreto unionis, Ubi sic dicitur: *Inter hæc sacramenta, tria sunt, baptismus, confirmatio, & ordo, quæ characterem, id est spirituale quoddam signum, à cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile, unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua verò quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem accipiunt.* Idem definit Tridentinum sess. 7. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit in tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Quamvis autem existentia characteris contra Hæreticos eam negantes non possit evidenter probari ex Scriptura, nec adduci expressum aliquod illius testimonium, probabiliter tamen suaderi potest ex illo Apostoli 2. ad Corinth. 1. *Qui unxit nos Deus est, & qui signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris*: licèt enim tres illi effectus, quos ibi enumerat Apostolus, nimirum signatio, unctio, & pignus, non incongruè ad gratiam sanctificantem referri possint, nam illâ ungimur, & in filios Dei signamur, illaque pignus est atque arrha gloriæ futuræ; plures tamen ex SS. Patribus, signationem illam quæ fit in Baptismo, de quo ibi loquitur Apostolus, distinguunt à gratia, dicunt enim characterem illum impressum per Baptismum, reperiri in eis qui carent gratiâ sanctificante, & qui posuerunt obicem suæ justificationi, per peccatum infidelitatis. Ita Augustinus lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. ubi ait: *Authoritate Ecclesiæ in Conciliis generalibus constare, ovem quæ foris errabat, & dominicum characterem à fallacibus depradatoribus acceperat in Baptismo, venientem ad Christianæ veritatis salutem, ab errore corrigi, & dominicum characterem in eo agnosci, nec improbari.* Et Tract. 1. in Joan. dicit, quod *si Baptizatus charitatem non habet, habet tamen characterem impositum, sed desertor vagatur.* Item vetustus Scriptor, Haymo nomine, dicit in eundem locum Apostoli, Deum dando hoc signum seu signaculum, *facere nos genus electum, etiam tunc cùm boni non sumus*: quod tamen falsum esset, si illa obsignatio de qua loquitur Paulus loco citato, esset effectus gratiæ, sumus enim boni per gratiam.

Favent etiam alij SS. Patres: Cyrillus enim Jerosolymitanus præfat. in Catecheses vocat Baptismum, *signaculum sanctum & indelebile*, quod non potest intelligi de gratia, utpotè delebili per peccatum. Epiphanius lib. 1. Tomi primi contra hæreses, hæresi 8. sic habet: *Baptismus & circuncidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomine Domini.* Quibus verbis, non solùm characterem à gratia remissionis peccatorum distinguit, sed etiam analogiâ figuræ & veritatis, Circumcisionis & Baptismi, confirmat nostram doctrinam; in Circumcisione enim gratia infundebatur, & nota quædam in parte corporis relinquebatur: ut igitur veritas ipsa respondeat figuræ, per Baptismum non solùm gratiam dari oportet, sed etiam signum aliquod, quod cùm

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non sit corporale, quia transacto Baptismate nihil corporale remanet, oportet quod sit spirituale.

4. Confirmatur ex aliis SS. Patribus, qui apertè characterem sacramentalem agnoscunt. In primis enim Dionysius Ecclesiasticæ hierarchiæ cap. 2. cùm dixisset quod Deus in quodam signo sui tradit participationem accedenti ad Baptismum subjunxit: *Perficiens ipsum divinum* (intellige per gratiam) *& communicatorem divinorum, per characterem.* Quibus verbis ita expressè characterem sacramentalem videtur agnoscere, ut S. Thomas in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 1. dicat quod à *S. Dionysio prima traditio charactèris nobis advenit.* Illum etiam apertè admisit Cyrillus Alexandrinus in Concilio Ephesino columnâ 1. ubi loquens de eo quod nobis datur in Baptismo, sic ait: *Per eum divinus nobis character imprimitur.* Augustinus etiam illum non obscurè expressit, variis in locis, Epistolâ enim 44. ad Donatum: *Vos omnes* (inquit) *Christi estis, quia characterem dominicum portatis, quem accepistis in sacramento.* Et libro 2. contra Parmenian. cap. 13. *Si militiæ characterem in corpore suo, non militans pavidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusâ, & impetratâ jam veniâ, militare cœperit, nunquid homine liberato, atque correcto, character ille repetitur, ac non potiùs agnitus approbatur? An fortè minùs hærent sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc nota?*

5. Denique quanti fecerint SS. Patres characterem sacramentalem, colligi potest ex S. Basilio homilia 13. quæ est exhortatio ad baptismum, in qua Cathecumenos ut Baptismum sine mora recipiant, his verbis hortatur: *Tesseram duces sub se militantibus dant, ut amici faciliùs se invicem noscentes exhortemur, & si cum hostibus commisceantur, faciliùs discerni ac separari possint. Quod si fortè commilitonum separatio fiat, nemo te quarum, nostrarum an adversarij, partium sis, noverit, nisi mysticis signis familiaritatem præ te feras, nisi signatum sit super te lumen vultûs Domini, nisi characterem in te agnoscat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? Quomodo, inquam, dices, Dei sum, signa non ostendens? An ignoras, quemadmodum signatas domos in Ægypto exterminator præteriit, in non signatis vero primogenita peremit? Thesaurus non obsignatus, furibus facilè patebit. Ovis item absque nota, insidiis protinus est obnoxia.*

6. Ex quibus patet Innocentium III. non fuisse primum charactèris sacramentalis authorem, ut ait Kemnitius, cùm Patres citati, multis sæculis ante ipsum vixerint, & cùm tempore Magistri sententiarum, qui quinquaginta ferè annis Pontificem illum præcessit, doctrina de charactere esset in scholis recepta, ut ipse Magister testatur in 4. sent. dist. 28. litterâ K. ipseque Innocentius in capite *Majores*, de charactere tanquam de re notissima, & certissima, & apud Doctores indubitata, loquatur: unde S. Thomas suprà citatus, primam charactèris traditionem, per Dionysium advenisse affirmat, qui eam acceperat ab Apostolis, à Spiritu Sancto, & à Christo immediatè edoctis.

7. Licèt autem ratio à priori impressionis charactèris in aliquibus sacramentis, sit sola Christi voluntas, congruentiæ tamen non desunt, petitæ ex analogia ad res humanas, illa quam D. Thomas hic art. 1. adducit, optima est: Sacramenta enim non solùm ordinantur ad remedium peccati, sed etiam ad perficiendum hominem in his quæ pertinent ad cultum Dei: quando autem aliquis deputatur ad aliquid determinatum, solet ad id consignari, & per aliquid sibi impressum aut additum deputari: unde sicut milites qui adscribebantur militiæ, solebant olim quibusdam charactèribus corporalibus insigniri, quia ad aliquid corporale deputabantur; ita congruum est, Christianos, qui per sacramenta ad aliquid spirituale deputantur, spirituali aliquo charactère consignari & consecrari.

Addo quod Baptismus, etiam cum fictione susceptus, non debet, etiam ab hæreticorum doctrina, iterari: Ergo habuit aliquem effectum; si enim nullum habuit nulla apparet ratio quare non debeat iterari: Sed ille effectus non potest esse gratia, sive fides justificans, hæc enim indignè suscipienti sacramentum, etiam in eorum doctrina, non confertur: Ergo debet esse character.

8. Respondent hæretici, Baptismum, ob quadruplicem alium effectum quem habet, iterari non posse: Primò, quia significat Christi mortem: Christus autem semel tantùm mortuus est. Secundò, quia est sacramentum fidei: fides autem est una. Tertiò, quia Deus in illo sacramento, quasi init fœdus nobiscum: divina autem pacta & fœdera sunt perpetua. Quartò, quia Baptismus est regeneratio spiritualis, nemo autem generatur plusquam semel.

9. Sed contra primum est, quod Eucharistia significat etiam Christi mortem, juxta illud 1. ad Corinth. 11. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis*, & tamen non semel tantùm, etiam apud hæreticos, sumitur Eucharistia.

Contra secundum: Fidei unitas non impedit quin possimus sæpiùs fidem nostram protestari, imò redeuntes ad Ecclesiam jubentur Catholicæ fidei professionem iterum edere. Adde quod, sicut ad Ephesios 4. dicitur *una fides, unum Baptisma*: ita etiam Eucharistia vocatur *unus panis.*

Contra tertium est, quod divinum pactum est etiam in aliis sacramentis, nimirum tribuendi jus ad vitam æternam, & tamen iterantur. Deinde, pactum Dei non est perpetuum simpliciter, sed solùm si homo servet conditiones pacto appositas: fieri autem potest, ut non servet id quod promiserat in Baptismo, & consequenter quod pactum non impediat Baptismum iterari: Ergo &c.

Contra quartum est, quemadmodum licèt anima non sæpiùs producatur in esse naturæ, potest tamen sæpiùs produci in esse gratiæ, quoties nimirum mundatur à peccato mortali: ita licèt homo non possit sæpiùs generari substantialiter quoad entitatatem suam, benè tamen spiritualiter quoad gratiam. Deinde recipiens Baptismum cum intentione non recedendi à peccatis, & tamen sacramentum ipsum recipiendi, non regeneratur spiritualiter; quandoquidem non justificatur, ob appositionem obicis divinæ gratiæ, & tamen non potest denùo baptizari: Ergo &c.

10. Dico secundò: per tria sacramenta imprimi charakterem, nimirum, per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem: non verò per alia quatuor, nempe Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, & Matrimonium.

Utraque

11. Utraque pars est de fide, definita in Florentino & Tridentino supra relatis, & prima probatur hac ratione D. Thomæ hic art. 6. Character est quædam spiritualis potestas, quâ homo deputatur ad agendum aliquid, vel ad recipiendum ea quæ pertinent ad cultum sacerdotij Christi: Sed per sacramentum Confirmationis & Ordinis homo deputatur ad agendum aliquid pertinens ad cultum sacerdotij Christi, nimirum ad propugnandam ejus fidem, vel ad sacramenta aliis tradenda: per sacramentum verò Baptismi accipit potestatem recipiendi alia sacramenta, quare Baptismus omnium sacramentorum janua dicitur: Ergo per hæc tria sacramenta character imprimitur. Unde idem S. Doctor in 4. dist. 7. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2. ait, *In distinctione filiorum Israël ab Ægyptiis, significabatur character Baptismalis: in distinctione timidorum à fortibus in bellis, character Confirmationis: in distinctione Levitarum à fratribus suis, character ordinis.*

Similia habet S. Bonaventura 6. parte breviloquij cap. 6. de Sacramentorum iteratione, ubi sic discurrit: *Quoniam triplex est status fidei, secundum quem habet fieri distinctio in populo Christiano, in acie Ecclesiasticæ Hierarchiæ: scilicet status fidei genitæ, roboratæ, & multiplicatæ. Secundum primum fit distinctio fidelium ab incredulis. Per secundum fit distinctio fortium ab infirmis & debilibus. Secundum tertium fit distinctio Clericorum à laicis. Hinc est quod illa sacramenta, quæ respiciunt triplicem fidei statum prædictum, charactères imprimunt, per quos indelebiliter impressos semper distinguunt, ac per hoc nunquam iterari possunt. Quoniam ergo baptismus respicit statum fidei genitæ, in quo populus Dei distinguitur ab incredulis, ut Israëlitæ ab Ægyptiis. Et confirmatio respicit statum fidei roboratæ, in quo distinguitur populus fortis ab infirmis, sicut pugiles ab his qui ad pugnam non sunt idonei. Et ordo respicit statum fidei multiplicatæ, in quo distinguitur Clerus à Laicis, sicut Levitæ ab aliis Tribubus. Hinc est quod in his tantùm tribus sacramentis characteres imprimuntur.*

12. Secunda pars quæ asserit per alia quatuor sacramenta characterem non imprimi, probatur primò ratione quam tradit idem Doctor Angelicus eodem art. 6. citato, in argumento *sed contra*: & indicat Florentinum verbis suprà relatis: Sacramenta in quibus imprimitur character, non reïterantur, eò quòd character indelebilis sit: Sed alia quatuor sacramenta iterantur: Ergo charakterem non imprimunt.

13. Probatur secundò aliâ ratione, quam habet idem S. Doctor in corpore ejusdem articuli. Ea solùm sacramenta characterem imprimunt, quibus homines specialiter cultui divino deputantur: Atqui tribus tantùm prædictis sacramentis deputantur cultui divino: Ergo solùm tria illa sacramenta characterem imprimunt. Major patet ex dictis conclusione præcedenti, Minor probatur. Quamvis omnia sacramenta sint aliquæ cæremoniæ religiosæ, & cultus divini, tamen per se omnia ordinantur in bonum suscipientis, & in remedium peccati; tria verò solùm secundariò tribuunt hominibns quandam spiritualem potestatem exercendi cultum divinum, vel per modum agentis, vel per modum patientis, ut Baptismus dat potestatem suscipiendi alia sacramenta, Confirmatio dat vim pugnandi pro Christo, & profitendi fidem coram tyrannis: Ordo dat potestatem offerendi sacrificium, vel in ordine ad illud ministrandi; Pœnitentia verò habet solùm restituere peccatorem in pristinum statum, quo religiosè modo ordinario colit Deum; Extrema-Unctio, cùm detur solùm migrantibus ex hoc sæculo, non ordinatur ad specialem illum cultum, sed removet reliquias peccatorum; Matrimonium etiam, ut constat, non tribuit spiritualem illam potestatem; denique Eucharistia, licèt sit essentialiter cultus divinus, per modum actionis, ut loquitur S. Thomas, tamen, cùm sit consummatio totius cultûs divini, & finis omnium sacramentorum, non ordinatur ad specialem cultum, nec tribuit spiritualem potestatem exercendi cultum divinum, quin potiùs omnis potestas ad illum ordinatur.

14. Confirmatur ex pulchra analogia charactèris divini cum humano: sicut enim apud homines illi solum insigniuntur charactère, qui coaptantur familiæ Principis, vel ad militiam destinantur, aut ad aliquod officium publicum; non verò omnes illi qui in mensa Regis comedunt, vel ei reconciliantur, aut homines in regno multiplicant, vel ab aliqua infirmitate sanantur: ita quia Baptismus est introïtus in familiam Christi, Confirmatio coaptatio in familiam ejus, Ordo assumptio ad officium sacrum, & Ecclesiæ ministerium, in his tribus sacramentis imprimitur character, non verò in aliis quatuor, nimirum Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctione, & Matrimonio.

§. II.

Solvuntur objectiones Hæreticorum.

15. OBjiciunt primò hæretici contra præcedentes conclusiones, nomen charactèris sacramentalis nusquam haberi in Scriptura, subindeque ipsum admittendum non esse.

Secundò sic arguunt: Augustinus in libro de gestis dicit, quod *character exteriùs agnoscitur, & agnitus approbatur*: Atqui character spiritualis non agnoscitur exteriùs, sed solùm sacramentum sensibile: Ergo per characterem Augustinus intelligit ipsum sacramentum.

Tertiò, Idem S. Doctor ibidem ait, quod si quis baptizaretur in nomine Donati, reciperet characterem Donati: At nullus esse potest character Donati animæ impressus: Ergo S. Augustinus nullum agnovit characterem spiritualem animæ impressum per receptionem sacramenti.

Quartò, Idem Augustinus ibidem asserit charakterem esse invocationem Trinitatis: Ergo non est aliquod signaculum animæ inhærens, & ipsi per sacramenta impressum.

Quintò, Sacramenta vetera non causabant charakterem: Ergo nec nova.

Denique, Videmus hodie homines ascribi militiæ corporali, absque eo quod notentur aut sigillentur in corpore, notis seu charactèribus corporalibus, sed sufficere quod verbo tenùs à duce admittantur ad militandum, vel in aliquo libro eorum nomina scribantur: Ergo ut servetur proportio inter militiam spiritualem & corporalem, sufficit in Christianis extrinseca denominatio à sacramento præterito, vel relatio rationis, sicut in militia corporali; subindeque character spiritualis, animæ per sacramentum Baptismi vel Confirmationis impressus, superfluus & fictitius videtur.

16. Ad primum respondeo, concesso Antecedente,

Universidad de Deusto
Biblioteca

te, negando Consequentiam : Nomina enim hypostasis & personæ expresè in sacris litteris non habentur, ut tradit Hieronymus in Epistola ad Damasum, & tamen hæretici hujus temporis nomina illa non rejiciunt. Item Patrem ingenitum esse, Scriptura similiter non tradit, teste Augustino, & tamen hoc hæretici ipsi negare non audent. Licèt ergo similiter nomen characteris sacramentalis nusquam legatur in Scripturis, id tamen non est sufficiens argumentum ad ipsum negandum; præsertim cùm apud Dionysium, Cyrillum, Augustinum, & alios SS. Patres suprà citatos reperiatur.

Libro 3. contra Maximin. c. 3.

17. Ad secundum respondeo Augustinum solùm velle characterem cognosci exteriùs ex sua causa, hoc enim ipso quod externo sensu cognoscimus aliquem esse baptizatum, cùm Baptismus sit causa characteris, cognoscimus etiam quodammodo exteriùs characterem, quia cognoscimus ejus causam.

18. Ad tertium dico quod quando Augustinus ait, eum qui baptizaretur in nomine Donati, recepturum characterem Donati, argumentatur ad hominem, & vult inde probare, quod sicut Donatus non habet potestatem imprimendi characterem interiùs in anima, ita nec instituendi Baptismum administrandum in nomine proprio.

19. Ad quartum dicendum, Augustinum loqui in sensu causali, quia per invocationem Trinitatis, tanquam per causam, in sacramento Baptismi imprimitur character spiritualis in anima baptizati.

20. Ad quintum, concesso Antecedente, nego Consequentiam & paritatem : Tum quia sacramenta novæ legis multò excedunt sacramenta veteris legis : unde licèt in sacramentis antiquis nullus requireretur spiritualis character, benè tamen in nostris. Tum etiam, quia ut ait D. Thomas hìc articul. 1. ad 3. *Sacramenta veteris legis non habebant in se spiritualem virtutem ad aliquem spiritualem effectum operantem*, sicut habent sacramenta novæ legis. Addo quod, in Circumcisione, externa illa carnis abscissio erat sufficiens ad distinguendum Judæos ab infidelibus.

21. Ad ultimum, concesso pariter Antecedente, nego etiam consequentiam & paritatem : sicut enim licèt inter homines amicitia non ponat aliquid intrinsecum, amor tamen divinus formam aliquam & qualitatem supernaturalem, nimirum gratiam sanctificantem, in anima ponit & causat, ut suaviùs res disponantur, & propter majorem efficaciam divinæ operationis & amicitiæ, ut in tractatu de gratia ostensum est. Ita pariter, licèt homines ad militiam corporalem ascribi possint, absque eo quod nota aliquâ seu charactere corporali notentur in corpore, ad suavem tamen Dei providentiam pertinet, ut milites suos spirituales, spirituali, interno, & indelebili insigniat charactere, ut excellentia sacerdotij Christi, & sacramentorum ejus, eorumque vis & efficacia magis reluceant, & suaviori modo res disponantur.

Disp. 2. art. 1.

A

ARTICULUS II.

Quid sit character sacramentalis ?

22. CUm essentia cujuslibet rei ex ratione generica & specifica constet, ut natura characteris plenè & integrè habeatur, duo in hoc articulo explicanda sunt : nimirum in quo genere entis character ponatur, & in qua specie colocetur.

Variæ autem circa hæc duo sunt Auhorum sententiæ. Durandus enim in 4. dist. 4. quæst. 1. num. 11. asseruit characterem sacramentalem esse tantùm relationem rationis, vel denominationem extrinsecam, quâ aliquis ratione sacramenti susceptì dicitur ad certum statum vel munus deputatus. Scotus verò in 4. dist. 6. quæst. 10. fatetur quidem characterem esse aliquid reale, non tamen absolutum, sed relativum, relatione quam vocat extrinsecam, sive extrinsecùs advenientem, quia posito ipsius fundamento, seu subjecto (quod inquit est ipsa animæ substantia) & termino, qui est Christus, quia character est signum Christo assimilativum, non consurgit relatio illa, nisi præterea aliquid extrinsecum ipsi adveniat, nimirum susceptio alicujus è sacramentis quæ characterem imprimunt. Communiter tamen cæteri Theologi docent characterem esse ens absolutum, & pertinens ad prædicamentum qualitatis.

Verùm cùm quatuor sint species prædicamenti qualitatis, nimirum habitus & dispositio, potentia & impotentia, passio & patibilis qualitas, forma & figura, adhuc gravis inter eos controversia est, ad quam ex illis specialiter character pertineat? Alij enim volunt pertinere ad primam, alij ad secundam, alij ad tertiam, & alij ad quartam. Primum placet Bellarmino, Suari, Vazqui, & aliis Recentioribus. Secundum docetur à D. Thoma & ejus Discipulis, nec non à Valentia, Henrique, Sayro, & aliis. Tertium olim docuere Altisiodorensis & Ocham, quibus adhærere videtur Cardinalis Delugo hìc disp. 6. sect. 3. num. 48. ubi dicit quod possumus facilè constituere characterem in tertia specie qualitatis, quia est patibilis qualitas, nec enim in ea specie solùm constitui debent qualitates corporeæ. Non desunt etiam qui asserant characterem esse in quarta specie qualitatis, quia (inquiunt) est quædam figura spiritualis. Ita Marsilius, Salas, Aversa, & alij.

B

C

D

E

§. I.

In quo genere entis, & in qua specie ponatur character, sequentibus conclusionibus declaratur.

DIco primò : erroneum videtur asserere quòd character sit sola relatio rationis, aut denominatio extrinseca.

23. Probatur primò : Concilium Florentinum & Tridentinum vocant characterem, *signum spirituale animæ impressum*, quod tamen verificari nequit, propriè loquendo, de ente rationis, utpotè quod non imprimitur animæ, sed tantùm existit objectivè in intellectu. Nec dicas hunc modum loquendi Conciliorum, non esse necessariò intelligendum cum proprietate. Contra enim est, quod semper debent Concilia ita intelligi,

telligi, nisi hoc sit evidenter impossibile, quod tamen non contingit in præsenti.

24. Confirmatur primò : Concilia hoc modo loquendi damnarunt hæreticos negantes aliqua ex sacramentis novæ legis imprimere characterem : Sed non negabant hæretici, neque negare poterant, ejusmodi denominationem extrinsecam, vel relationem rationis in qua constituit Durandus characterem ; quis enim negare posset, quod ratione susceptionis Baptismi maneat homo deputatus, sive ordinatus ad certum statum ? Ergo &c.

25. Confirmatur secundò : Si character non sit quid reale, sed relatio rationis, sive denominatio extrinseca, consurgens ex eo quod per susceptionem sacramenti homo deputatur specialiter ad cultum divinum, ipsa etiam legis antiquæ sacramenta, saltem circumcisio, & consecratio sacerdotum, dici poterunt impressisse characterem ; imò & nunc consecratio altarium, & vasorum templi, per quam ad sacros usus deputantur, dici poterit eis imprimere characterem : Sed hoc dici nequit : Ergo nec illud.

26. Probatur secundò : Character sacramentalis est principium vel agendi realiter, ut in sacerdote ad consecrandum panem & vinum, & in confirmato ad protestandum fidem coram Tyranno, vel recipiendi realiter alia sacramenta, ut in Baptismate : Sed ens rationis non potest esse principium realis actionis, vel passionis : Ergo character sacramentalis relatio rationis esse nequit.

27. Probatur tertiò : Terminus immediatus actionis realis debet esse aliquid reale, nunquam enim ens rationis sic terminat actionem realem, sed tantùm mediatè, unde dicitur fieri per resultantiam : Atqui character est, interdum saltem, terminus immediatus actionis realis, videlicet sacramentalis ; in eo enim qui cum fictione, & tamen validè susçipit sacramentum Baptismi, nequit alius terminus assignari ; præter ipsum characterem, quandoquidem non producitur gratia in illo casu : Ergo character est aliquid reale, non verò sola relatio rationis.

Dico secundò : character sacramentalis non est relatio, sed ens absolutum, pertinens ad prædicamentum qualitatis.

28. Probatur prima pars ratione jam insinuatâ : Quod immediatè terminat actionem realem, non potest esse relatio, etiam realis, nam ad relationes formaliter & immediatè non datur motus, teste Aristotele 5. Physicorum textu 10. & 11. imò nec actio, ut ex eodem textu colligitur : Sed character (ut suprà dicebamus) est interdum terminus immediatus actionis realis : Ergo non est relatio realis, sed aliquid absolutum.

29. Respondet Scotus, locum Aristotelis intelligendum esse de relationibus internis, non verò de relationibus quæ extrinsecùs adveniunt.

Sed contra : Ipsemet Scotus inter relationes extrinsecùs advenientes ponit relationem dextri ad sinistrum, quia idem numero corpus potest nunc dextrum nunc sinistrum fieri, per mutationem alterius, quamvis in se nullum motum, nullamve mutationem recipiat : Sed Aristoteles loco citato negans ad relationem dari per se sive immediatè motum, affert exemplum eorum relatorum quæ diversos respectus acquirunt, mutato solùm uno extremo, & non altero : Ergo loquitur etiam de relationibus, quas Scotus vocat externas, seu extrinsecùs advenientes,

30. Probatur secundò eadem pars : Nulla relatio, etiam realis, potest esse principium agendi, vel patiendi, quia totum ejus esse est ad aliud se habere tanquam ad terminum : Sed character baptismalis est principium patiendi, Confirmationis verò, & Ordinis, principium agendi : Ergo character sacramentalis, relatio realis esse nequit.

A

B

C

D

E

31. Probatur tertiò : Si character esset, ut docuit Scotus, relatio realis, posset, & deberet assignari fundamentum proximum ipsius : Sed non potest assignari tale fundamentum : quæro enim quodnam sit ?

32. Respondent ejus Discipuli, esse actualem susceptionem sacramenti, quod dicitur imprimere characterem.

Sed contra : Impossibile est relationem actu manere, non existente ampliùs ipsius fundamento proximo : Sed transactâ actuali sacramenti imprimentis characterem susceptione, remanet character, utpotè in omnium doctrina indelebilis : Ergo si sit relatio realis, falsum est quod susceptio sacramenti sit ejus fundamentum proximum.

Si dicant Adversarij, remanere virtualiter susceptionem sacramenti ; licet formaliter transeat, quæro quid sit illa virtus ? Certè non potest aliud assignari, præter ipsum characterem præsertim in eo qui fictè susçepit sacramentum, habens tamen intentionem ipsum susçipiendi.

33. Mitto quæ à Philosophis objiciuntur adversùs illas Scoti relationes, quas vocat extrinsecùs advenientes, solúmque addo, in ejus doctrina, non magis propriè, quàm in opinione Durandi, verificari verba Conciliorum dicentium characterem spiritualem esse animæ impressum, neque enim propriè loquendo dici potest relatio etiam realis imprimi : non est igitur character relatio etiam realis, sed solùm fundamentum quadruplicis relationis, videlicet relationis ad Christum cui consignat, & quodammodo assimilat, cùm sit quædam participatio sacerdotij Christi ; relationis ad alios fideles habentes similem characterem ; relationis ad alios qui nullum vel saltem non similem habent characterem, quæ est relatio dissimilitudinis ; & tandem relationis ad cultum divinum ad quem ordinat, quæ tunc est actu, quando ejus terminus, scilicet cultus divinus, actualiter ponitur.

34. Ex his probata manet secunda pars conclusionis, quæ asserit characterem sacramentalem ad prædicamentum qualitatis pertinere, suppositò enim quod character sit ens reale, & absolutum, ad aliud genus, quàm ad prædicamentum qualitatis, pertinere nequit, non potest enim pertinere ad prædicamentum substantiæ, cùm sit accidens supernaturale, à substantia animæ distinctum, & in ea per operationem sacramentalem productum, nec ad prædicamentum quantitatis, quia hæc est accidens corporeum, & ordinis naturalis ; ille verò est accidens spirituale, pertinens ad ordinem supernaturalem. Quod etiam non sit actio, vel passio, vel aliquod ex quatuor ultimis prædicamentis, manifestum est ; actio enim & passio citò transeunt, character verò est aliquid permanens : item quatuor ultima prædicamenta sunt entia corporea, character verò spiritualis est ; præterquam quod hujusmodi prædicamenta resultant in subjecto ex adhæsione sive adjacentia extrinseca alterius rei, quod non convenit characteri : factâ ergo sufficienti enumeratione, relinquitur characterem ad genus seu prædicamentum qualitatis spectare, unde solùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

restat resolvendum, ad quam ex quatuor speciebus qualitatis suprà enumeratis pertineat.

Dico ergo secundò, characterem non poni in quarta vel tertia specie qualitatis.

35. Probatur prima pars: Illa solùm forma pertinet ad quartam speciem qualitatis, quæ propriè & non per metaphoram tantùm dicitur figura, sive forma: Atqui character sacramentalis non dicitur propriè, sed solùm per metaphoram, figura, vel forma: Ergo ad quartam speciem qualitatis non pertinet. Major est certa, res enim non constituuntur in specie per denominationem metaphoricam, sed per rationem formalem propriam, aliàs ex eo quod virtus dicatur facere hominem rectum, constitueretur in specie lineæ, vel figuræ, ad quam rectitudo pertinet. Minor verò probatur: Cùm figura propriè dicta, sit proprietas quantitatis, non reperitur in rebus spiritualibus: Sed character sacramentalis est spiritualis: Ergo non dicitur propriè figura, sed solùm metaphoricè, quatenus scilicet sicut in rebus sensibilibus uti solemus figuris impressis, tanquam signis quibus eas distinguimus & sigillamus: ita proportionaliter character sacramentalis est qualitas spiritualis animæ impressa, ratione cujus ordinatus verbi gratiâ tanquam specialis Dei minister distinguitur à non ordinato. Hanc rationem insinuat D. Thomas hîc art. 2. ad 1. ubi sic discurrit: *Figura est quædam terminatio quantitatis, unde propriè loquendo non est nisi in rebus corporeis, in spiritualibus autem dicitur metaphoricè: non autem ponitur aliquid in genere vel specie, nisi per id quod de eo propriè prædicatur; & ideò character non potest esse in quarta specie qualitatis, licèt hoc quidam posuerint.*

36. Probatur etiam secunda pars conclusionis, quæ asserit characterem non poni in tertia specie qualitatis. Ad tertiam speciem qualitatis, nempè passionem & patibilem qualitatem, pertinent tantùm illæ formæ, quæ sunt principia vel termini actionum, quæ fiunt cum alteratione sensibili, sive actionum, quæ sunt transmutationes sensibiles, sicut pallor qui fit ex metu, & rubor qui causatur ex verecundia: Sed character non est ejusmodi, utpotè spiritualis: Ergo ad tertiam speciem qualitatis non pertinet. Hanc etiam rationem indicat S. Thomas articulo citato in resp. ad 2. ubi sic habet: *In tertia specie qualitatis non sunt nisi sensibiles qualitates: character autem non est lumen sensibile, & ideò non est in tertia specie qualitatis, ut quidam dixerunt.* Et in argumento *sed contra* sic argumentatur: *Character non est passio, quia passio citò transit, character autem indelebilis est, ut infrà dicetur.*

Dico tertiò: Character non est in prima specie qualitatis, sed in secunda. Ita D. Thomas, hîc art. 2.

37. Probatur primò conclusio ratione fundamentali. Quidquid reducitur ad primam speciem qualitatis, est habitus, vel dispositio: Sed character nec est habitus, nec dispositio: Ergo ad primam speciem qualitatis non pertinet. Major patet, Minor etiam quoad secundam partem manifesta videtur: Dispositio enim est qualitas facilè mobilis à subjecto: Sed character, utpotè indelebilis, non est qualitas à subjecto facilè mobilis: Ergo non est dispositio. Probatur verò quoad primam, Primò quia habitus sunt intensibiles, & remissibiles, secùs potentiæ: Sed character nusquam intenditur, vel remittitur; quantumlibet eo utatur sacerdos, aut ab ejus exercitio desistat: Ergo non est habitus, sed potentia. Secundò, indelebilitas est proprietas potentiæ, non verò habitûs: Sed character est indelebilis, ut infrà ostendemus: Ergo non est habitus, sed potentia. Tertiò, Differentia essentialis quæ est inter habitum & potentiam, in hoc consistit, quod habitus disponit subjectum determinatè benè aut determinatè malè, vel in se absolutè, vel in ordine ad operationem; potentia verò perficit subjectum in ordine ad operationem absolutè & indifferenter, sive benè, sive malè; voluntas enim est principium volitionis nedum virtuosæ, sed etiam vitiosæ: scientia verò influit solùm in cognitionem certam & evidentem, ex principiis deductam, & virtus moralis est principium solùm operis conformis rationi, sive dictamini prudentiæ. Et quamvis qualitates istæ primæ speciei, quæ dant determinatè benè aut malè operari, sint in duplici differentia, aliæ scilicet quæ absolutè & simpliciter dant determinatè benè, aut determinatè malè, secundùm naturam subjecti, quia disponunt ad operandum absolutè conformiter aut difformiter ad rectam rationem; aliæ verò quæ dant determinatè benè aut malè secundùm quid, & cum addito, id est in aliquo certo genere, sive circa certam aliquam materiam, & objectum speciale alicujus potentiæ; sicut sunt scientia & error, quæ disponunt ad benè vel malè discurrendum ex principiis, sicque qualitates istæ relinquunt indifferentiam in subjecto, ut iis benè vel malè utatur in alio genere extra propriam illam materiam, ob quam rationem potest quis benè discurrere ex principiis, benè tamen aut malè indifferenter in genere moris; hoc tamen habent omnes qualitates primæ speciei, quod si dent benè, nullus possit iis malè uti in propria materia, sive illa materia sit bonum totius, ut constat in virtutibus moralibus, quæ versantur circa bonum rationis, sive sit bonum alicujus particularis potentiæ; nec similiter possit ullus iis benè uti in propria materia, si dent malè operari: at verò qualitates secundæ speciei relinquunt in subjecto indifferentiam ad bonum vel malum sui usum circa propriam materiam.

Character autem relinquit animam indifferentem, ut benè vel malè ipso utatur circa propriam materiam, propria enim ejus materia est cultus exterior religionis Christianæ, disponit enim ad ea quæ sunt divini cultûs perficienda, agendo vel patiendo; nam character Baptismi disponit ad recipienda alia sacramenta; character Confirmationis, ad profitendam fidem coram tyranno; character verò Ordinis, ad conficiendum Eucharistiam, absolvendum à peccatis &c. Et quia hæc possunt exerceri religiosè aut sacrilegè (potest enim baptizatus alia sacramenta infructuosè percipere, confirmatus profiteri fidem ex motivo vanæ gloriæ, vel religionis, & sacerdos sacrilegè vel religiosè consecrare, vel absolvere) ideò character ea non respicit, ut benè & religiosè determinatè perficienda, aliàs nusquam validè exercerentur, si irreligiosè; sed respicit ea absolutè, ut perficienda cum habitudine ad regulas morum, non determinando ad habitudinem conformitatis aut difformitatis, sed hæc determinatio habitudinis est à virtute religionis, aut à vitio illi oppositio.

38. Ex quo meliùs intelligitur differentia characteris à virtutibus secundùm quid, quales sunt scientia, ars, &c. hæ enim non respiciunt suam materiam, ut subest regulis morum, sed scientia illam

illam respicit, ut subest certitudini & evidentiæ principiorum, & formæ præceptisque dialecticis, ars verò respicit illam, ut subest regulis artis, & sic quamvis scientia & ars non determinent subjectum ad bonum sui usum in genere moris non relinquunt tamen illud indifferens in propria materia, sed extra illam. At verò character respicit cultum & cæremonias religionis Christianæ, nedum in esse entis, sed etiam prout pertinent ad genus moris, & non dat eas exercere benè aut malè determinatè, ac proinde relinquit indifferentiam in suo subjecto, circa genus in quo propria ejus materia continetur, ad benè vel malè, religiosè & sacrilegè; unde se habet respectu cæremoniarum divini cultûs, prout pertinent ad genus moris, sicut voluntas se habet in ordine ad bonum: quare sicut voluntas dat posse prosequi bonum absolutè, sive sit tale in re, sive secundùm apparentiam tantùm; quod autem verum bonum determinatè, aut apparens prosequatur, habet à virtutibus & vitiis: ita character dat posse peragere Christianæ religionis cultum & cæremonias, ut sunt actus humani & morales, quod verò perficiantur determinatè benè aut malè, intra genus moris, habetur à religione, aliisque virtutibus aut vitiis respectivè.

39. Hanc rationem, quæ est præcipua & fundamentalis, insinuat D. Thomas hîc art. 2. in argumento *sed contra*, ubi sic discurrit: *Nullus habitus est, qui se possit ad benè & malè habere: character autem ad utrumque se habet utuntur enim eo quidam benè, alij verò malè, quod in habitibus non contingit, nam habitu virtutis nullus utitur malè, & habitu malitiæ nullus benè: Ergo relinquitur quod character sit potentia.*

40. Dices cum Vazque, characterem non esse habitum disponentem ad operandum, & ideò neque disponentem ad benè vel malè operandum, sed ad benè vel malè se habendum secundùm se, quòd sufficit ad rationem habitûs.

Sed contra: Character sacerdotalis concurrit activè ad conversionem panis in corpus Christi, ut docet D. Thomas infrà quæst. 78. art. 4. & idem dicendum est de absolutione & productione gratiæ in anima pœnitentis; character etiam Confirmationis concurrit activè ad confitendum publicè fidem, ut constabit ex infrà dicendis: character etiam Baptismi, ad alia sacramenta recipienda ordinatur: Ergo character est qualitas activa vel passiva, subindeque si esset habitus, ab benè vel malè operandum vel recipiendum disponeret, non verò ad benè vel malè se habendum secundùm se, ut ait Vazquez: unde in Catechismo Pij V. de sacramentis in genere §. penultimo dicitur, quod *character hoc præstat, ut apti ad aliquid suscipiendum vel peragendum efficiamur.*

Aliis responsionibus, vel instantiis, hanc D. Thomæ rationem, luce meridianâ clariorem, veluti quibusdam nebulis obscurare nititur Suarez; sed hæ facilè depelli possunt ex fundamentis jam statutis, & ex discrimine suprà explicato inter characterem, & scientiam, aliasque virtutes in intellectu speculativo existentes, magisque in solutionibus argumentorum instantiæ illæ diluentur.

41. Secunda ratio quam idem S. Doctor habet in corpore ejusdem articuli, potest sic breviter proponi. Illa qualitas quâ homo fit potens ad recipienda vel tradenda ea quæ sunt cultûs divini, est potentia: Sed per characterem homo fit potens ad recipienda vel tradenda ea quæ sunt cultûs divini, est potentia passiva; quæ verò ad agendum ordinatur, potentia activa: Sed qualitas quâ homo fit potens ad recipienda ea quæ sunt cultûs divini, ordinatur ad recipiendum; quâ verò fit potens ad tradenda ea quæ sunt cultûs divini, ordinatur ad agendum: Ergo qualitas quâ homo fit potens ad recipienda vel tradenda ea quæ sunt cultûs divini, est potentia. Minor verò probatur: In Baptismo verbi gratiâ homo acquirit potestatem recipiendi alia sacramenta, quæ sunt quædam cultus; quam potentiam non habebat antea, cùm Baptismus sit janua omnium sacramentorum: similiter quando quis ordinatur in sacerdotem, accipit de novo potestatem conficiendi corpus Christi, absolvendi à peccatis, & producendi gratiam: Sed nihil aliud potest esse illa potestas, nisi character: Ergo &c. Major patet, Minor probatur. Sacramenta nihil producunt præter gratiam, virtutes infusas, & characterem: Sed nec gratia, nec virtutes infusæ, possunt esse hujusmodi potentia, ut manifestum est, alioquin illa in omnibus justis, non verò in solis sacerdotibus reperiretur: Ergo talis potestas nihil aliud potest esse quàm character.

Respondent Suarez, Vazquez, & alij Recentiores, hanc rationem D. Thomæ probare quidem characterem esse potentiam moralem ad recipiendum vel tradendum ea quæ sunt cultûs divini, non demonstrare tamen illum esse potentiam physicam ad hujusmodi res, cùm homo plures ex illis actibus qui ad cultum divinum pertinent, absolutè possit sine charactere exercere, verbi gratiâ cantare Epistolam, vel Evangelium, deferre candelabrum, &c. & character solùm requiratur, ut tales actus eliciat vel exerceat ex officio. 42.

Sed contra primò: Absurdum videtur dicere, potentiam quam habet Sacerdos ad conficiendum corpus Christi, vel ad absolvendum à peccatis, non esse diversam à potestate Judicis, vel Prætoris, quæ moralis est; præsertim cùm talis potestas sit participatio sacerdotij Christi, & potestatis quam habet ad producendam gratiam, & alios actus supernaturales eliciendos; quæ potestas physica est, non solùm moralis, ut in Tractatu de Incarnatione fusè ostendimus. 43. *Disp. 19. art. 2.*

Secundò, Sacerdos instrumentaliter physicè concurrit ad productionem gratiæ in anima peccatoris, quem à peccatis absolvit, & ad conversionem panis in corpus Christi, ut disp. præcedenti ostensum est, & Suarez, aliique ex Adversariis nobiscum docent: Ergo potentia quam habet ratione characteris sacerdotalis ad actus illos exercendos, physica est, & non solùm moralis. 44.

Tertiò, Character est indelebilis, nec potest intendi, vel remitti: At hæc potentiæ morali convenire nequeunt, sed solùm potentiæ physicæ: Ergo character est potentia physica. 45.

Quartò, Potentia solùm moralis, in relatione rationis, vel denominatione extrinseca consistit, ut patet in potestate Judicis, vel Prætoris, quæ sunt puræ denominationes extrinsecæ, vel relationes rationis: Sed character sacramentalis non est sola relatio rationis, vel denominatio extrinseca, ut conclusione primâ contra Durandum ostendimus: Ergo non est potentia solùm moralis, sed etiam physica. 46.

Universidad de Deusto
Biblioteca

47. Denique, Non repugnat characterem sacramentalem esse potentiam physicam, ut constabit ex solutione objectionum, aliunde verò hoc cedit in majorem ipsius dignitatem, & magis propriè explicat doctrinam Augustini & aliorum Patrum asserentium characterem Baptismi esse potentiam ad recipienda alia sacramenta: Ergo hoc ei concedendum est.

§. II.

Solvuntur objectiones.

48. OBjicies primò cum Durando contra primam conclusionem: Per hoc quod quis deputatur à Rege ad aliquod ministerium, Prætoris v. g. vel Judicis, non imprimitur illi aliquid reale, sed solùm ex tali deputatione consurgit denominatio extrinseca, vel relatio rationis, per quam intellectus distinguit illum qui sic deputatus est, ab aliis non ita deputatis: Ergo cùm character sacramentalis solùm propter hoc constituatur, ut homo deputetur à Deo ad aliquod ministerium cultûs divini, est solùm denominatio extrinseca, vel respectus rationis.

49. Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam, & paritatem; hæc enim est differentia inter Deum & homines, quod homines deputando aliquem ad aliquod officium, non ipsum intrinsecè mutant, nec dant ipsi qualitatem aliquam per quam reddatur idoneus ad illud exercendum, sed illam præsupponunt: at verò Deus non supponit in suis ministris talem idoneitatem, sed illam facit, eosque eligendo ad ministeria sui cultûs, simul dat potentiam ad illa exercenda, per impressionem alicujus qualitatis supernaturalis, quam characterem appellamus. Sicut licèt amicitia inter homines non ponat aliquid intrinsecum in personis quæ amantur, amor tamen divinus formam aliquam, & qualitatem supernaturalem, nimirum gratiam sanctificantem, in anima producit. Unde D. Thomas 1. parte quæst. 20. art. 2. dicit quod *amor Dei est infundens & creans bonitatem in rebus*: cùm enim non sit amor affectivus, sed effectivus, non supponit, sed ponit bonitatem quam diligit.

50. Objicies secundò cum Scoto contra secundam partem primæ conclusionis: Signum non est ens absolutum, sed respectivum, dicit enim relationem ad significatum: Sed juxta Concilia & SS. Patres, character sacramentalis est signum, ait enim Dionysius lib. de Ecclesiastic. hierarchia cap. 2. quod character *est signum communionis divinorum, & sacræ ordinationis fidelium.* Et Tridentinum sess. 7. can. 9. dicit characterem esse *signum quoddam spirituale, & indelebile*: Ergo character non est ens absolutum, sed respectivum, subindeque non ponitur in prædicamento qualitatis, sed relationis.

51. Respondeo primò rationem constitutivam signi esse relationem transcendentalem, vel abstrahere à transcendentali & prædicamentali; nam quando habet omnes conditiones requisitas, est prædicamentalis, si verò aliquæ deficiant, est transcendentalis, ut docent Philosophi in Logica.

52. Respondeo secundò, datâ Majori, distinguendo Minorem: Character est signum fundamentaliter, sive materialiter, concedo Minorem. Formaliter, nego Minorem, & Consequentiam.

A Explicatur solutio: Vox signi dupliciter accipi potest, nimirum vel pro ipsa relatione signi, vel pro forma & figura quæ alicui imprimitur ut ex impositione significet: quomodo in circuncisione cicatrix illa quam imprimebat, dicitur signum; & sigillum, & aliæ similes figuræ, signa vocantur, licèt in se sint res absolutæ. Ad hunc ergo modum dicunt Concilia & SS. Patres, characterem esse signum, quia est forma realis animæ impressa, quâ consignatur intrinsecè, & ad aliquos actus divini cultûs intrinsecè deputatur. Quæ consignatio & sigillatio, neque imprimitur, neque remanet in anima, nisi præintelligatur qualitas absoluta illi impressa, &
B ideò negatur solam relationem sufficere ad omnia propter quæ ponitur character.

Objicies tertiò contra secundam conclusionem: Figura spiritualis est in quarta specie qualitatis: Sed character est figura spiritualis: Ergo ponitur in quarta specie qualitatis. Minor est certa, Major verò probatur. Habitus spiritualis est in prima specie qualitatis, & potentia spiritualis in secunda: Ergo pariter figura spiritualis est in quarta. 53.

Respondeo negando Majorem, figura enim spiritualis (ut in probatione secundæ conclusionis dicebamus) non est propriè talis, sed tantùm metaphoricè: res autem non ponitur in prædicamento ratione illius quod ei competit solùm per
C metaphoram. Ad probationem verò in contrarium dico, ideò in prima & secunda specie qualitatis collocari non solùm qualitates corporeas, sed etiam spirituales, quia definitiones harum specierum ab Aristotele assignatæ, & ab omnibus receptæ, univocè conveniunt qualitatibus spiritualibus & corporeis: at verò definitio figuræ à Philosopho tradita, convenire nequit rei spirituali, dicit enim figuram esse terminum quantitatis. 54.

Dices, Ratio imaginis propriè reperitur in corporalibus, & tamen etiam propriè reperiri potest in spiritualibus, nam verbum mentis est propriè imago rei intellectæ, unde in divinis
D Verbum dicitur imago Patris: Ergo licèt figura propriè dicatur de quantitate, & rebus corporeis, nihilominus potest etiam propriè dici de rebus spiritualibus. 55.

Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam, & paritatem; imago enim ex sua ratione formali importat similitudinem deductam seu expressam, quæ potest formaliter & propriè esse in corporalibus & spiritualibus; figura verò essentialiter in suo conceptu & ratione formali dicit rationem termini: non est autem intelligibile, quomodo accidens spirituale terminet animam, aut aliquod aliud accidens in anima existens: unde licèt ratio imaginis propriè dicatur de rebus corporalibus & spiritua-
E libus, ratio tamen figuræ, non propriè, sed metaphoricè tantùm, de rebus spiritualibus dici potest. 56.

Objicies quartò contra tertiam conclusionem: Si character haberet rationem potentiæ, sequeretur ad aliquam essentiam seu naturam, quia omnis potentia est principium proximum operationis, quæ sequitur ad principium aliquod radicale, quod est natura & essentia: Sed character non consequitur aliquam essentiam: Ergo non habet rationem potentiæ physicæ, sed solùm moralis. Minor patet, nam character non consequitur aliquam essentiam naturalem, cùm sit 57.

sit qualitas supernaturalis, nec naturam supernaturalem, scilicet gratiam, cùm ab illa separari possit, & in peccatoribus reperiri: Ergo non sequitur ad aliquam essentiam seu naturam.

58. Confirmatur: Idem character Ordinis in simplici sacerdote non potest validè conferre sacramentum Confirmationis, & tamen adjunctâ dispensatione Pontificis, id potest: Ergo non est potentia physica ad efficiendos effectus sacramentales; dispensatio enim Pontificis non confert potentiam physicam, sed duntaxat moralem. Et simile est in collatione Ordinum minorum, quæ potest à Pontifice committi simplici sacerdoti, qui tamen ex se non poterat validè illos conferre.

59. Ad objectionem dicendum quod potentiæ naturales, & quæ sunt simpliciter potentiæ, consequuntur aliquam naturam, ut sint illi principium operandi; potentiæ autem instrumentales, & quæ solùm reductivè sunt potentiæ, non oportet quòd consequantur aliquam naturam, sed derivantur à natura principalis agentis, in quo invenitur principaliter talis potestas, & sic character, cùm sit potentia incompleta, & instrumentalis, non debet consequi ex aliqua essentia, sed ab extrinseco nobis communicari, & à sacerdotio Christi, ac potestate excellentiæ, quam ex vi gratiæ capitis habet supra totam Ecclesiam, derivari.

60. Ad confirmationem respondeo non repugnare
C physicam potentiam sacramentalem pendere quoad validitatem actûs à conditione morali, putà commissione, sive collatione jurisdictionis: sicut sacerdos per characterem sacerdotalem habet potentiam physicam instrumentalem ad producendam gratiam in anima peccatoris, per verba absolutionis, quæ instrumentaliter physicè ad productionem gratiæ concurrunt, ut disputatione præcedenti ostendimus, & Suarez, aliique ex Adversariis docent nobiscum; tamen ut physicè instrumentaliter illam producat, dependet à conditione quadam morali, videlicet à collatione jurisdictionis. Si ergo hoc invenitur in ministro ordinario Pœnitentiæ, quid mirum quod inve-
D niatur in ministro extraordinario Confirmationis, aut minorum Ordinum; & quòd character sacerdotalis ad exercendos actus illos hierarchicos, à commissione Summi Pontificis, tanquam à conditione dependeat?

61. Addo quod, effectus omnium sacramentorum, licèt sint quid physicum (nimirum gratia, vel character) nihilominus ab aliquo morali pendent, quia sic instituit Christus, à cujus institutione sacramenta omnino pendent. Sic nisi oleum sit benedictum ab Episcopo, non potest confici sacramentum Extremæ-Unctionis, nec Confirmationis, & tamen benedictio illa nihil ponit in oleo; & similiter sacramentum Extre-
E mæ-Unctionis, licèt sit quid physicum, non tamen conferri potest, nisi homini extremè ægrotanti, quia conditio illa extremæ ægritudinis, ex Authoris sacramentorum institutione, necessaria est. Et multæ etiam conditiones requiruntur inter contrahentes Matrimonium, sine quibus inhabiles sunt ad recipiendum hoc sacramentum. Nihil ergo mirum, si pariter character sacerdotalis, ut sacramentum Confirmationis, & minores Ordines conferre valeat, à commissione Summi Pontificis, ut à morali conditione dependeat.

62. Objicies quintò: Potentia physica hominis
A constituit ipsum causam principalem suorum effectum: Sed character sacramentalis non constituit hominem causam principalem illorum effectuum ad quos datur: Ergo non est potentia physica.

Respondeo distinguendo Majorem: Potentia 63.
physica hominis, ipsum constituit causam principalem, si sit potentia completa, concedo. Si incompleta, nego. Character verò sacramentalis, licèt sit potentia physica, est tamen incompleta, quia indiget motione & applicatione Christi ut principalis agentis, unde non ponitur directè in specie qualitatis, sed solum reductivè, ut docet D. Thomas hìc art. 2. in calce corporis articuli, ubi sic concludit: *Et ideò sicut virtus*
B *quæ est in sacramentis, non est in genere per se, sed per reductionem, eò quod est quiddam fluens & incompletum: ita etiam character non propriè est in genere vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.*

Objicies sextò: Character est qualitas determinata ad bonum, non autem indifferens ad bonum & malum: Ergo non est cur rejiciatur à prima specie qualitatis. Consequentia patet, ratio enim cur D. Thomas rejicit characterem à prima specie qualitatis, est quia est indifferens ad bonum & malum. Antecedens verò probatur primò: Character determinatè inclinat ad bonum, scilicet ad verum Dei cultum, per vera sacramenta exhibendum: Ergo est determina-
C tus ad bonum, non verò indifferens ad bonum & malum. 64.

Secundò, Character est qualitas supernatu- 65.
ralis, à Deo ut authore gratiæ participata & derivata: Sed quidquid à Deo ut authore supernaturali procedit, semper inclinat ad bonum, subindeque non est indifferens ad bonum & malum: Ergo character est qualitas determinata ad bonum, non verò ad bonum & malum indifferens.

Tertiò, Character est participatio sacerdotij 66.
Christi, & potestatis ejus, ut docet D. Thomas hìc art. 3. Sed Christi sacerdotium & potestas est
D determinata ad bonum, non verò indifferens ad bonum & malum: Ergo & character.

Quartò, Character est potestas instrumenta- 67.
lis quæ agit ut mota à Christo, ut à causa principali: Ergo si indifferenter se habet ad bonum & malum, reducenda erit ista indifferentia in motionem Christi per quam agit, & si malum operatur, id reducetur ad Christum ut principaliter moventem, quod est absurdum.

Denique, Ut aliqua qualitas dicatur ex sua 68.
ratione principium boni actûs determinatè, sufficit quod sit determinata, ad benè operandum in propria materia, licèt in alio genere (videlicet in genere morali) non sit determinata ad bonum, sicut patet in habitibus intellectualibus, qui sunt determinati ad bonum in propria mate-
E ria (ut ars & scientia) licèt in genere moris benè vel malè se habere possint: Sed character in propria materia (scilicet in cultu vero Dei per sacramenta exhibendo) determinatus est; cùm enim in intellectu subjectetur, est ita determinatus ex sua ratione ad verum, ut ejus actus non sit alius, quam verè recipere vel tradere sacramenta, aut verè protestari fidem coram tyranno: Ergo, &c.

Respondeo negando Antecedens, & ad pri- 69.
mam ejus probationem, distinguo Antecedens: Character inclinat determinatè ad bonum, sci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

licet ad verum Dei cultum, quasi objectivè, seu ex parte objecti, concedo Antecedens. Subjectivè, sive ex parte subjecti, nego Antecedens, & Consequentiam. Non enim est differentia inter habitum & potentiam, quòd habitus inclinet ad bonum objectum, potentia verò respiciat objectum quod indifferenter se habet ad bonitatem & malitiam; omnis enim potentia debet habere pro objecto aliquod ens, & consequenter aliquod bonum, sicut visus est determinatus ad aliquod bonum, scilicet ad coloratum, quod est bonum quoddam: sed differunt, quia habitus respicit bonum aut malum determinatè, etiam ex parte subjecti, nam bonum facit habentem, & importat rationem convenientis aut disconvenientis ad ipsum subjectum; potentia verò dicit indifferentiam ex parte subjecti, quia illud non determinat secundùm rationem boni vel mali, convenientis aut disconvenientis: unde licèt character sit qualitas determinata ad bonum objectum, scilicet ad verum Dei cultum; quia tamen non determinat secundùm convenientiam vel disconvenientiam subjecti, sed relinquit illud indifferens, ut benè vel malè eo utatur, non est habitus, sed potentia.

70. Ad secundam, concessa Majori, distinguo Minorem: quidquid à Deo ut authore supernaturali procedit, inclinat ad bonum, objectivè, concedo: subjectivè semper, nego; licèt enim semper inclinet ad bonum objectum, non tamen semper determinat ad faciendum bonum subjectum, ut patet in dono prophetiæ: prophetia enim est donum Dei authoris supernaturalis, & ab ipso ut authore gratiæ promanat, & tamen datur alicui peccanti mortaliter, ut constat de Balaam, Caypha, & Sybillis.

71. Ad tertiam dicendum characterem esse imperfectam tantùm potestatis Christi participationem, ac proinde inclinare quidem, sed non determinare potentiam ad operandum benè moraliter. Addo quod, est participatio potestatis Christi per modum potentiæ, & non per modum habitûs, unde non datur ad hoc ut subjectum faciat bonum, sed ut verum Dei cultum exerceat.

72. Ad quartam, concesso Antecedente, nego consequentiam; licèt enim character sit potestas instrumentalis, quæ non agit nisi ut mota à Christo, ut à causa principali; quia tamen quantùm ad modum operandi subordinatur arbitrio operantis, si Sacerdos eo malè utatur, & consecret verbi gratiâ ad conficiendum sortilegium ex hostia consecrata, sacrilegium illud non reducitur in Christum ut principaliter operantem, sed in malitiam ministri, potestate illâ instrumentali sibi à Christo concessâ abutentis. Sicut licèt mens Prophetæ à Spiritu Sancto ut instrumentum ab artifice moveatur, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 173. art. 4. nihilominùs quando peccat prophetando (ut accidit in Caypha, qui gravissimè peccavit, dum dixit: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota Gens pereat*) tale peccatum in Spiritum Sanctum ut in causam principalem non reducitur, sed in ipsum Prophetam, dono Prophetiæ abutentem, & ex mala intentione verba à Spiritu Sancto inspirata proferentem.

73. Ad ultimam nego Minorem, character enim, etiam in propria materia, retinet indifferentiam, subindeque non est habitus, sed potentia. Ad probationem in contrarium dico, characterem non esse in intellectu speculativo, sed practico, ac proinde proprium ejus objectum non esse verum speculativum, sed verum practicum, & materiam ejus propriam esse practicè se habere ad cultum religiosum; unde cùm in materia religionis indifferenter se habeat, & indifferens sit ad religiosè vel irreligiosè suscipiendum aut ministrandum sacramentum, in propria materia indifferenter se habet.

Objicies septimò: Si character esset potentia 74.
dans simpliciter posse agere deberet reperiri in Christo, cùm ipsi data sit omnis potestas in cœlo & in terra, ut dicitur Matth. ultimo: Sed character non est in Christo, ut communiter docent Theologi: Ergo non est potentia.

Respondeo negando sequelam Majoris, licèt 75.
enim character sit spiritualis potestas, quia tamen est diminuta, & ab alio participata, non debet esse in Christo, sed aliquid excellentius, nimirum tota potestatis plenitudo, & sacerdotium sempiternum & supremum. Præterquam quod, notari charactere est proprium ovium, servorum, militum, ac membrorum: Christus autem etiam ut homo, est Pastor, Dominus, Dux, & Caput: Ergo charactere insigniri non debet, sed Christiani, utpotè ejus oves, servi, milites, ac membra, per characterem ipsi configurari debent.

Ex quo intelliges, quod quando S. Thomas 76.
hîc art. 3. docet characterem sacramentalem esse characterem Christi, non sic debet intelligi, quòd character sacramentalis qui est in nobis, sit ejusdem rationis cum aliquo charactere in Christo existente, sed quòd character sacramentalis consignat Christo, tanquam Summo Sacerdoti, quia cùm per characterem deputentur fideles ad cultum religionis divinæ, omnis autem religio penes Sacerdotem Summum resideat, character sacramentalis quo in Ecclesia militante ad Dei cultum homines deputantur à Christo tanquam Summo Sacerdote, debet fideles Christo tanquam Summo Sacerdoti specialiter consignare.

Ex quo rursus sequitur, characterem ad tria 77.
potissimùm dari. Primò ut nos reddat aptos in Religione Christiana ad cultum divinum, propter quod definiri potest: *Potentia spiritualis ad divina suscipienda, vel agenda.* Secundò, ad configurandum nos Christo, tanquam ministros Summo Sacerdoti, cujus potestatem excellentiæ per characterem participamus. Tertiò, ad discernendum fideles ab infidelibus, & membra Ecclesiæ ab his qui sunt extra illam, quod est proprium characteris Baptismalis; vel etiam fideles qui sunt milites Christi ex officio, ab aliis fidelibus, qui nondum sunt ad ejus militiam ex officio assumpti, quod est proprium characteris Confirmationis; vel etiam ordinatos à non ordinatis, tanquam Rectores in sublimiori statu existentes, à subditis & inferioribus, quod est proprium characteris Ordinis.

§. III.

Solvuntur argumenta Suaris.

PLura proponit argumenta Suarez, ut ostendat characterem sacramentalem non esse potentiam physicam, sed ea ad tria capita reduci possunt, juxta numerum sacramentorum quæ imprimunt characterem.

In primis ergo de charactere Baptismi sic ar- 78.
guit. Character baptismatis neque est potentia activa, neque passiva: Ergo non ponitur in specie potentiæ, sed habitûs. Consequentia patet, Antecedens etiam, quoad primam partem, evidens est, nam in Baptismo nullam acquirimus potestatem ad agendum. Probatur verò quantùm ad secundam. Potentia passiva dicitur talis per ordinem ad actum quem in se recipit: Sed nihil excogitari potest, quod in charactere Baptismi recipiatur: Ergo ille potentia passiva dici nequit. Major videtur manifesta, Minor verò probatur, discurrendo per singula quæ excogitari possunt. In primis enim character Baptismi non est potentia ad recipienda alia sacramenta, nam illa, cùm sint quid sensibile, & sensibili actione perficiantur, recipiuntur in corpore: character verò Baptismi, cùm sit quid spirituale, non recipitur in corpore, sed in anima, vel potiùs in aliqua ex ejus potentiis; nimirum in intellectu practico, ut infrà dicemus. Deinde character baptismalis non est potentia ad recipiendam gratiam, cùm Cathecumenus per contritionem possit recipere eandem entitatem gratiæ, quam recipit Baptizatus. Item character Baptismi non est potentia passiva ad recipiendos alios characteres: nam quòd characteres Confirmationis & Ordinis non imprimantur nisi habenti characterem Baptismi, oritur solùm ex ordinatione divina, non verò ex defectu alicujus potentiæ receptivæ; sicut enim anima est immediatè capax characteris baptismalis, ita & aliorum.

79. Respondeo primò negando Antecedens, ad cujus probationem, dico illud principium cui innititur tota Suaris ratiocinatio: de ratione potentiæ passivæ est quod in se recipiat formam vel actum ad quem ordinatur, non esse universaliter verum, sufficit enim ad rationem potentiæ passivæ, quòd reddat subjectum capax receptionis alicujus formæ vel actûs: gravitas enim in terra, est potentia passiva ad motum deorsum, ut docet D. Thomas 5. Metaphysicæ lect. 14. in principio, & tamen non recipit motum illum in seipsa, sed solùm terram capacem reddit ad illum recipiendum. Item mollities, quam ad secundam speciem qualitatis pertinere dicit Aristoteles in prædicamentis, capite de qualitate, in cera est potentia passiva ad recipiendam figuram sigilli, & tamen illam in seipsa non recipit, sed ceram capacem facit ad eam recipiendam. Similiter ergo character baptismalis, licèt in se propriè non recipiat illa sacramenta, aut alios characteres, eo ipso tamen, quòd hominem disponat ad illorum receptionem, habet sufficienter quod requiritur ad rationem potentiæ physicæ passivæ.

80. Dices cum Vazque, ex hac doctrina & solutione sequi quantitatem esse potentiam passivam respectu accidentium, cùm sit ratio cur illa recipiantur in toto composito.

Sed negatur sequela, quia ad rationem potentiæ, sive activæ, sive passivæ, requiritur quod pertineat ad prædicamentum qualitatis, cùm potentia sit secunda ejus species: unde licèt quantitas sit ratio cur accidentia corporea recipiantur in toto composito, & ad illorum receptionem disponat, potentia tamen passiva propriè dici nequit.

81. Respondeo secundò, dato & non concesso principio illo, cui Suaris discursus innititur, negando Minorem, & ad ejus probationem dico, characterem Baptismi esse potentiam passivam ad recipienda alia sacramenta. Ad probationem verò in contrarium dicendum est, quod licèt sacramenta recipiantur in corpore quasi naturaliter, seu ut entitates corporeæ; medio tamen charactere Baptismi, in illo recipiuntur sacramentaliter, seu ut actiones sacramentales sunt: nam sicut ad operandum sacramenta, non solùm inquantùm actiones naturales sunt, verbi gratiâ ablutionem, aut unctionem, sed etiam inquantùm sacramentales, & productivæ gratiæ, indiget homo potentiâ quadam activâ physicâ; ita & ut recipiat in se sacramenta, sacramentaliter, seu ut validæ actiones sacramentales sunt, requiritur character Baptismi; constat enim quod si detur Confirmatio, vel Ordo, homini non Baptizato, non fit sacramentum, nec sacramentaliter in eo recipitur, sed idem est, ac si lapidi vel bruto conferatur.

Ad id quod subditur de gratia, respondent ali- 82.
qui Recentiores, quod licèt Cathecumenus possit recipere eandem entitatem gratiæ quam recipit ille qui baptizatur, non tamen ut sacramentalem, sive ut conjunctam cum specialibus auxiliis ad quæ jus habet ille qui suscipit sacramentum Baptismi.

Sed hæc solutio displicet, quia ut disputatione præcedenti art. 6. versùs finem dicebamus, licèt extra sacramenta non conferatur character, potest tamen extra illa gratia sacramentalis dari, & credibile est multis fuisse collatam, per solum votum Baptismi, eandem gratiam sacramentalem, quam solet Baptismus ipse conferre. Unde

Melius respondetur, characterem baptisma- 83.
lem non esse quidem potentiam passivam in ordine ad gratiam sacramentalem, ob rationem insinuatam, benè tamen in ordine ad characteres Confirmationis & Ordinis; quia illi non recipiuntur in anima, vel in intellectu practico, nisi medio charactere Baptismi: licèt enim anima sit capax absolutè omnium characterum, secundùm ordinariam tamen & suavem Dei ordinationem, recipiuntur medio baptismali, cui ex natura sua proportionantur; sicut licèt de potentia absoluta possit albedo suscipi immediatè in substantia, hoc tamen non tollit quin quantitas sit immediatum ejus susceptivum. Unde patet disparitas inter characterem Baptismi, & alios characteres, & ratio cur anima sit ex se præcisè capax recipiendi characterem baptismalem, non verò alios; character enim baptismalis est ex natura sua dispositio ad receptionem aliorum: ad recipiendam autem dispositionem, non requiritur alia dispositio, alioquin daretur processus in infinitum.

Dices cum Suare, quòd character Baptismi 84.
præsupponi debeat ad characteres Confirmationis & Ordinis, provenit solùm ex institutione Christi: Ergo non est potentia physica, sed duntaxat moralis, ad recipiendum hujusmodi characteres.

Sed nego Consequentiam: Sacramenta enim 85.
novæ legis virtutem habent gratiæ productivam, solùm ex institutione Christi, & tamen sunt, etiam in doctrina Suaris, instrumenta physica gratiam efficientia: quidni ergo pariter character Baptismi poterit esse potentia physica ad recipiendum characteres Confirmationis & Ordinis, tametsi solùm ex institutione & ordinatione Christi, præsupponi debeat ad characteres Confirmationis & Ordinis?

Secundò

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secundò principaliter arguit Suarez : Character Confirmationis neque eſt potentia activa neque paſſiva : Ergo non ponitur in ſpecie potentiæ, ſed habitûs. Conſequentia patet, Antecedens probatur. Si character Confirmationis eſſet potentia paſſiva, maximè reſpectu characteris Ordinis, activa verò ad propugnandam publicè fidem : Sed hoc dici nequit : Ergo, &c. Minor probatur, quia character Confirmationis non eſt ſimpliciter neceſſarius ad recipiendum characterem Ordinis, ſed ſolùm ad congruentiùs recipiendum : ſimiliter non eſt ſimpliciter neceſſarius ad propugnandam fidem, ſed ſolùm ad faciliùs & fortiùs propugnandam : Ergo character Confirmationis non eſt potentia paſſiva & activa reſpectu illorum. Conſequentia probatur, quia potentia non datur tantùm ad faciliùs, ſed ad ſimpliciter operandum, vel recipiendum, in quo diſtinguitur ab habitu.

Reſpondeo primò, characterem Confirmationis poſſe dici potentiam paſſivam in ordine ad 86.
ſpecialia illa auxilia quæ ad fidem tuendam homini, medio characterе, à Deo conferuntur : activam verò, ut homo per characterem poſſit profiteri fidem ex officio, tanquam miles Chriſti, ad quod non ſufficit extrinſeca deputatio, ut in humanis, ob divinam ſcilicet inſtitutionem, & excellentiam ſtatûs ſupernaturalis, nec non ob differentiam quæ reperitur inter electionem, ſeu deputationem Dei, & hominum ad aliquod officium, quam §. præcedenti in ſolutione primæ objectionis declaravimus.

Reſpondeo ſecundò, negando Antecedens, ad 87.
probationem, nego Minorem, ad cujus impugnationem, dato Antecedente, nego Conſequentiam : differentia enim eſſentialis inter habitum & potentiam, non eſt illa quæ in argumento à Suare adducitur, ſed illa quam nos ſuprà aſſignavimus, nimirum quòd habitus datur ad operandum vel recipiendum determinatè benè vel malè, potentia verò ad operandum vel recipiendum abſtrahendo à benè vel malè : unde ſicut habitus ſupernaturales non dant faciliùs tantùm, ſed ſimpliciter poſſe ; ita non erit inconveniens, quòd potentia aliqua ſupernaturalis detur ad faciliùs tantùm operandum vel recipiendum, dummodo ordinetur ad operandum vel recipiendum, abſtrahendo à benè vel malè ; quod cùm characteri Confirmationis conveniat, vera potentia activa vel paſſiva dicendus eſt.

Addo quod, ad propugnandam fidem ſub ra- 88.
tione indifferentis, abſtrahendo à benè vel malè moraliter, character Confirmationis eſt ſimpliciter neceſſarius, cùm fides, religio, fortitudo, & aliæ virtutes morales reſpiciant actus ad propugnandam fidem neceſſarios, ut habent bonitatem moralem intra proprium objectum, atque adeò determinatè ſub ratione boni, nullus enim poteſt uti virtute ad malè operandum, juxta illud Auguſtini lib. 2. de libero arbitrio cap. 18. *Virtus eſt bona qualitas mentis, quâ nemo malè utitur.*

Tertiò objicit Suarez : Character Ordinis ne- 89.
que eſt potentia paſſiva, neque activa : Ergo nullo modo habet rationem potentiæ. Conſequentia patet, Antecedens verò quoad primam partem eſt D. Thomæ, & Diſcipulorum ejus, qui docent characterem Ordinis potentiam paſſivam non eſſe, cùm non detur ad recipiendum, ſed ad agendum. Probatur verò quantùm ad ſecundam. Si character Ordinis eſſet potentia activa, vel id ei conveniret reſpectu aliorum ſacramentorum, vel reſpectu gratiæ quæ per ſacramenta efficitur, vel reſpectu tranſubſtantiationis in Euchariſtia ? Sed reſpectu nullius ex his tribus eſt activa potentia : Ergo ratio potentiæ activæ ei non convenit. Major patet ex ſufficienti enumeratione, Minor verò quoad ſingulas partes ſuadetur. Et in primis quòd character Ordinis non ſit potentia activa reſpectu aliorum ſacramentorum, manifeſtum videtur, tum quia character Ordinis in ſex inferioribus Ordinibus uſque ad Diaconatum, nullum ſacramentum conficit. Tum etiam, quia ſacramenta materialiter ſumpta non efficiuntur à characterе ſpirituali, ſed à membris externis : quantùm verò ad eſſe formale ſolùm addunt ſupra actionem ſenſibilem, ſignificationem, ſeu rationem ſigni, quæ eſt relatio rationis, cùm ſacramenta ſint ſigna ad placitum. Quod verò non ſit potentia activa ad producendam gratiam, non minùs videtur certum, tum quia Sacerdos non cauſat gratiam, per characterem, ſed per ſacramentum quod miniſtrat, unde etiam non Sacerdos, imò non baptizatus poteſt cauſare gratiam per ſacramentum Baptiſmi. Tum etiam, quia eſto character ſacerdotalis poſſit elevari à Deo ad producendam gratiam, & ſit in potentia obedientiali ad talem elevationem, hoc tamen non ſufficit ut ſit potentia activa ad producendam gratiam ; alioquin cùm cuilibet enti creato inſit potentia obedientialis ad ſimilem elevationem, quælibet creatura poſſet dici habere potentiam activam, vel eſſe potentiam activam reſpectu gratiæ. Denique quòd character ſacerdotalis non ſit potentia activa reſpectu tranſubſtantiationis, probatur ex eo quod non videtur poſſibilis aliqua qualitas effectiva tranſubſtantiationis panis in corpus Chriſti, præſertim ſi qualitas illa ſit permanens, ut eſt character ; nam ut docet D. Thomas 2. 2. quæſt. 178. art. 1. ad 1. repugnat dari aliquam qualitatem permanentem, patrativam miraculorum, ut eſt converſio panis in corpus Chriſti, quæ non ſolùm miraculoſa eſt, ſed etiam *miraculorum miraculum*, appellatur.

Reſpondeo negando Antecedens, quoad 90.
utramque partem : ad probationem contra primam, dicendum eſt, D. Thomam non loqui de characterе Ordinis ut ſic, ſed tantùm de characterе Ordinis, qui eſt principale analogatum, ſcilicet de characterе ſacerdotali, qui ſolus poteſt eſſe potentia purè activa, alij verò ſunt potentiæ paſſivæ reſpectu characterum ſuperiorum Ordinũ, & activæ reſpectu propriorum actuum, nam actus miniſtrandi ſolemniter ex officio ad altare, ab eo procedunt ; ſicut actus profitendi fidem ex officio, tanquam miles Chriſti, à characterе Confirmationis, ſive illo mediante, elicitur, ut ſuprà dicebamus.

Ad illud quod dicitur de characterе ſacerdo- 91.
tali, reſpondeo illum eſſe potentiam activam reſpectu illorum trium quæ in argumento recenſentur, nimirum reſpectu ſacramentorum, reſpectu gratiæ, & reſpectu tranſubſtantiationis, unde nego Minorem, quantùm ad ſingulas partes. Ad probationem verò primæ partis dicendum eſt, quod licèt character ſacerdotalis ſit qualitas ſpiritualis, poteſt tamen tanquam inſtrumentum divinæ virtutis concurrere ad actiones illas ſenſibiles & corporeas in quibus ſacramenta de materiali conſiſtunt, non minùs quàm

res

res materiales, ut Dei inſtrumenta, poſſunt efficere res ſpirituales. Præterquam quod hujuſmodi actiones, licèt ſenſibiles & corporeæ ſint, non procedunt tamen à characterе formaliter ut tales, ſed ſecundùm quod ſacramentales ſunt, & productivæ gratiæ, vel characteris, quod eſt aliquid reale & excellentiſſimum in operationibus illis.

Ad probationem ſecundæ partis dicendum eſt, 92.
quod licèt Sacerdos per ſacramentum quod miniſtrat, gratiam cauſet, illam tamen cauſat per characterem, tanquam per virtutem & potentiam inſtrumentalem, quæ ab Authore gratiæ inſtituta eſt ad producendam gratiam ; unde characteri debita eſt elevatio inſtrumentalis ad talem effectum producendum ; per quod differt à cæteris rebus quæ obedientialiter elevari poſſunt ; cùm enim aliæ res inſtitutæ non ſint ad cauſandam gratiam, nulla creatura facit ſibi debitam talem elevationem, ita ut quis poſſit ad voluntatem habere illam ; per characterem autem ita facit quis ſibi debitam & quaſi connaturalem elevationem illam, ut quando voluerit poſſit illâ uti. Quare habens characterem ad producendam gratiam, habet ſe ſicut calamus præparatus, qui eſt inſtrumentum proportionatum & connaturale ſcribendi ; aliæ autem res quæ elevari poſſunt à Deo ad cauſandam gratiam, habent ſe ſicut calamus non præparatus ad ſcribendum, vel ſicut aliquid aliud ad id non proportionatum, ut rectè annotavit Joannes à S. Thoma hic art. 2. dub. 2. in ſolutione argumentorum.

Quod diximus de productione gratiæ ſacra- 93.
mentalis, de tranſubſtantiatione dicendum eſt, nullum enim eſt inconveniens, qualitatem aliquam ſupernaturalem, qualis eſt character, eſſe ex natura ſua virtutem inſtrumentalem in ordine ad illam mirabilem converſionem panis in corpus Chriſti, ſicut in ordine ad productionem gratiæ. Unde quando S. Thomas aſſerit nullam poſſe dari qualitatem permanentem, patrativam miraculorum, loquitur de virtute permanente completa, non verò de incompleta, qualis eſt character ſacerdotalis, qui idcirco ad convertendum panem in corpus Chriſti, & producendam gratiam in anima pœnitentis, per verba abſolutionis, indiget non ſolùm concurſu Dei communi & ordinario, ſed etiam ſpeciali & extraordinario, ſeu motione prævia Dei ut Authoris ſupernaturalis, quâ compleatur & reddatur proportionatus & potens ad effectus illos mirabiles producendos. Per quod patet ad probationem tertiæ partis Minoris principalis.

ARTICULUS III.

Quodnam ſit ſubjectum proximum & immediatum characteris ſacramentalis, an ipſa ſubſtantia animæ, vel aliqua ex ejus potentiis, & quæ ?

Certum eſt ipſam animæ ſubſtantiam eſſe 94.
ſubjectum ſaltem radicale, mediatum, remotum, & *quod* characteris ſacramentalis. Primò, quia in Concilio Florentino & Tridentino, characterem imprimi animæ definitum eſt. Secundò, quia character eſt ſignum ſpirituale, ut ſtatuit etiam Tridentinum, atque adeò ſubjectum petit ſpirituale. Tertiò, quia cùm poſt mortem perſeveret indelebiter, non in compoſito hominis corruptibili, ſed in anima immortali, tanquam in ſubjecto *quod* recipiatur neceſſe eſt. Solùm ergo difficultas eſt & controverſia inter Theologos, quodnam ſit ſubjectum immediatum, proximum, formale, & *quo* characteris, an ipſa animæ eſſentia, vel voluntas, aut intellectus ? Primum aſſerunt Suarez, Vazquez, Bellarminus, & alij, qui characterem eſſe in prima ſpecie qualitatis exiſtimant. Secundum affirmatur à Scoto, & ejus ſectatoribus. Tertium docetur à D. Thoma, & ejus Diſcipulis, quos ſequuntur Valentia, Henriquez, Granado, Sayrus, & plures alij, propter quod ait Meratius, D. Thomæ ſententiam in hac parte, eò ſaltem cæteris præſtare, quòd inſigniores habeat patronos, & ſectatores.

Mitto ſententiam Alenſis & Bonaventuræ, exiſtimantium characterem reſidere ſimul in intellectu & voluntate, licèt præcipuè ſit in intellectu : ſuppoſitâ enim diſtinctione reali utriuſque potentiæ, tum inter ſe, tum ab anima, opinio illa ex eo ſtatim rejicienda apparet, quòd uni numero accidenti diſtincta numero ſubjecta non poſſint abſque implicantia concedi ; quia, ut docetur in Metaphyſica, accidens à ſubjecto cui ineſt, ſuam individuationem & unitatem numericam deſumit. Unde D. Thomas in 4. diſt. 4. quæſt. 1. art. 3. *Nullum accidens poteſt eſſe in pluribus potentiis, quia accidens numeratur & diſtinguitur penes materiam & diſtinctionem ſubjecti.* Hoc præmiſſo, pro reſolutione difficultatis propoſitæ, ſit

§. I.

Duplici concluſione propoſita difficultas reſolvitur.

Dico primò, characterem non eſſe immediatè in eſſentia animæ, ſed in aliqua ex ejus potentiis. Ita D. Thomas hic art. 4. ubi ſic concludit : *Character non eſt ſicut in ſubjecto in eſſentia animæ, ſed in ejus potentia.*

Ratio etiam quam ibidem inſinuat, id ſuadet : 95.
Subjectum enim immediatum qualitatis quæ proximè ordinatur ad operationem, debet eſſe potentia immediatè operativa : Sed character ſacramentalis immediatè ordinatur ad operationem, nempe ad divinum cultum, qui actionibus conſiſtit, ipſa verò eſſentia animæ non eſt immediatè operativa : Ergo ſubjectum immediatum characteris, non eſt eſſentia animæ, ſed aliqua ex ejus potentiis.

Hæc ratio ſolùm probat characteres Confir- 96.
mationis, & Ordinis, qui ſunt potentiæ activæ, ut articulo præcedenti oſtendimus, non recipi immediatè in eſſentia animæ, utpotè immediatè non operativa. Verùm cùm character Baptiſmi ſit potentia paſſiva in ſe recipiens characteres Confirmationis & Ordinis, ſi iſti non ſubjectentur immediatè in eſſentia animæ, nec ille in ea immediatè recipi poterit.

Dico ſecundò, ſubjectum proximum & im- 97.
mediatum characteris, non eſt voluntas, ſed intellectus practicus. Ita D. Thomas hîc artic. 4. citato in ſolut. ad 3. ubi ſic ait : *Oportet quod character ſit in cognoſcitiva potentia animæ, in qua eſt fides.* Quibus verbis rationem fundamentalem noſtræ concluſionis inſinuat : Cùm enim character per ſe primò ordinetur ad actus divini cultûs quibus ſit proteſtatio fidei, debet habere pro ſubjecto immediato illam potentiam, in

qua

Universidad de Deusto
Biblioteca

qua immediatè subjectatur habitus fidei : Sed habitus fidei immediatè subjectatur in intellectu : Ergo & character.

Confirmatur : Sicut fides est radix totius ædificij spiritualis , ita etiam character est fundamentum omnium actionum & passionum hierarchicarum , quæ sunt tradere divina & recipere : Ergo debet constitui in eodem subjecto in quo est fides.

98. Probatur secundò conclusio ex D. Dionysio cap. 2. de Ecclesiastica hierarchia, ubi ait characterem esse *Lumen divinum illuminans nos , & configurans Christo :* At lumen & configuratio non pertinent , saltem immediatè , ad voluntatem , sed ad intellectum ; lumen quidem , quia B voluntas est potentia cæca ; configuratio verò , quia figura seu imago Dei , cui nos configurat character, est in intellectu, & non in voluntate, nisi ratione intellectûs , & ex consequenti ; propter quod Filius Dei , qui in divinis per intellectum procedit , vocatur figura substantiæ Patris : Ergo character est in intellectu, non verò in voluntate.

99. Probatur tertiò : Qualitates quarum subjectum immediatum est voluntas , per se determinant ad bonum vel malum morale , ita ut non possit voluntas eis uti indifferenter ad bonum vel malum morale : At character non determinat per se ad bonum vel malum morale , sed relinquit indifferentem voluntatem ad ipso utendum ad bonum vel malum morale , ut patet ex dictis articulo præcedenti : Ergo non subjectatur immediatè in voluntate , sed in intellectu.

100. Denique suaderi potest conclusio ratione fundamentali. Illa potentia in homine debet esse subjectum immediatum characteris sacramentalis , quæ suo actu , ut elevato per characterem, debet alias potentias movere & dirigere ad actiones vel passiones pertinentes ad cultum Dei : Sed intellectus practicus est talis potentia, utpotè qui per actum imperij sibi proprium debet movere & dirigere alias omnes facultates ad opus : Ergo intellectus practicus immediatum subjectum characteris sacramentalis esse debet. D Minor fusè probata fuit in Tractatu de actibus humanis , agendo de actu imperij , Major verò sic ostenditur. Illa potentia debet immediatè recipere characterem sacramentalem , quæ debet immediatè operari in ordine ad cultum divinum ; ad hoc enim præcipuè imprimitur character , ut per ipsum eleventur potentiæ hominis ad talem cultum : Sed potentia immediatè operativa circa cultum divinum , illa est quæ suo actu ut elevato per characterem alias omnes movet & applicat ad actiones & passiones pertinentes ad cultum divinum : Ergo potentia quæ actu suo ut elevato per characterem , alias omnes movet & applicat ad actiones & passiones ad cultum Dei E pertinentes , immediatum subjectum characteris esse debet. Itaque character Baptismi subjectatur immediatè in intellectu practico , quia ipsum debet elevare , dando efficaciam imperio ejus ad dirigendas & movendas cæteras potentias hominis , in ordine ad receptionem validam aliorum sacramentorum. Character Confirmationis debet similiter pro suo subjecto immediato habere eundem intellectum , quia elevat illum dando vigorem actui imperij ipsius , ad inferendam mediis aliis potentiis actionem ex officio protestativam fidei contra hostes Christi. Denique A character Ordinis ideò pariter in intellectu practico immediatè residet , quia tribuit actui imperij ipsius efficaciam ad conficiendum validè & ex officio , mediantibus aliis potentiis , alia sacramenta , & convertendum substantiam panis & vini in corpus & sanguinem Christi.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò cum Suare : Character cùm 101.
sit signum manifestans hominem esse deputatum ad aliquod munus , debet poni in parte notiori : Sed anima notior est intellectu & voluntate , cùm sit prior illis : Ergo character residet in anima, non verò in aliqua ex ejus potentiis.

Respondeo hoc argumentum undequaque nutare, & rimas agere, nam Major non est absolutè 102.
& universaliter vera , non enim signa distinctiva semper sunt in parte potentiori , ut signa Ducum , vel militum , non in capite, sed in pectore poni solent. Minor etiam æquivocationem patitur , nam licèt essentia animæ sit notior quoad se ejus potentiis , istæ tamen quoad nos notiores sunt , ratione suarum operationum : character autem , ex eo quod signum manifestativum est, debet poni in eo quod est nobis notius, ut nobis designet. Demum Consequentia nulla est , quia C character non solùm ponitur in homine ut signum designativum illius , sed etiam ut vera potentia instrumentalis, atque adeò subjectum ejus immediatum non potest esse essentia animæ, quæ non est immediatè operativa , sed solùm aliqua ex ejus potentiis , quæ immediatè activæ sunt. Sicut enim id quod habet rationem naturæ supernaturalis in homine, scilicet gratia, subjectatur immediatè in natura seu substantia animæ ; ita quod habet rationem potentiæ supernaturalis , debet subjectari immediatè in potentia naturali, ut observat S. Doctor in 4. dist. 4. qu. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ubi sic discurrit : *Natura proportionaliter spiritualitati substernitur , sicut perfectibile perfectioni. Unde sicut gratia quæ est spiritualis vitæ principium , est in essentia animæ, sicut in subjecto ; ita & character , qui est spiritualis potentia , est sicut in subjecto in naturali potentia animæ.*

Dices , Potentiæ naturales recipiuntur imme- 103.
diatè in anima : Ergo & supernaturales, quibus character annumeratur.

Respondeo cum D. Thoma hîc art. 4. ad 2. negando consequentiam , & paritatem : Tum quia potentiæ naturales non præsupponunt aliam potentiam , sed dimanant ab ipsa anima , tanquam propriæ ipsius virtutes. Tum etiam, quia potentiæ naturales non elevant suum subjectum ad operandum , subindeque non debent præsupponere ipsum esse proximè activum , cujus oppositum competit potentiæ supernaturali.

Objicies secundò : Idem est subjectum im- 104.
mediatum formæ , & dispositionis ad illam : Sed gratia est forma ad quam character se habet ut dispositio , sicut docet D. Thomas in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 1. ad 5. ubi ait , quod *character est dispositio ad gratiam , per quandam congruitatis dignitatem:* Ergo sicut substantia animæ est subjectum immediatum gratiæ , ita & characteris.

Respondeo primò negando Majorem uni- 105.
versaliter sumptam, nam ut ait D. Thomas 1. 2. quæst. 74 art. 4. ad 3. *Bonitas imaginationis est dispositio ad scientiam, quæ est in intellectu, & veniale peccatum quod est in sensualitate , potest esse dispositio ad peccatum mortale, quod est in ratione.* Item contritio quæ est in voluntate, est dispositio etiam ultima ad gratiam justificantem , quæ residet in essentia animæ. Quamvis ergo character physicè disponeret ad gratiam , non propterea deberet collocari in essentia animæ. Unde idem S. Doctor in 4. dist. 4. qu. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 1. *Dispositionem* (inquit) *esse in eodem subjecto cum eo ad quod disponit , non est necesse , nisi quando dispositio postea sit perfectio ; sicut scientia quæ prius fuit dispositio, postea sit habitus, & ideò scientia dispositio & scientia habitus sunt in eodem subjecto proximo. Non autem hoc oportet , quando dispositio & perfectio differunt per essentiam , sed possunt esse in diversis subjectis ; & præcipuè quando illa diversa habent ordinem ad invicem ; sicut operatio sensibilis est dispositio ad intelligibilem operationem, & similiter character est dispositio ad gratiam.*

106. Respondeo secundò negando Minorem , character enim non præcedit ut physica dispositio gratiam sanctificantem , nam physicè nullus est ordo causalitatis inter has duas qualitates , nec ex natura sua una ab alia pendet , manet enim character sine gratia, & gratia optimo & connaturali modo esse potest sine charactere , ut constat in illo qui per actum contritionis , sine reali susceptione Baptismi , ultimò disponitur ad gratiam. Unde quando S. Thomas ait , characterem esse dispositionem ad gratiam , non loquitur de dispositione physica & ex natura rei , sed de dispositione morali & congruitatis ; cùm enim usus characteris sit Deum colere , & hoc dignè & religiosè fieri non possit sine gratia , congruum est , ut Deus qui dat characterem , det ex consequenti etiam gratiam , ad hoc ut cultus divinus qui per characterem exercetur , fiat religiosè.

107. Objicies tertiò : Character non est principium alicujus operationis : Ergo non est in aliqua potentia animæ, sed in ejus essentia. Consequentia D patet ex suprà dictis , Antecedens etiam manifestum videtur : cantare enim Evangelium v. g. aut absolvere à peccatis , vel ministrare sacramenta , aut fidem coram tytanno profiteri , non sunt actus eliciti à charactere, sed à fide, vel religione, & potentiis exterioribus.

108. Respondeo negando Antecedens , ut enim in ultima probatione secundæ conclusionis ostensum est , character est principium actûs intellectûs , scilicet imperij , quo præcipit aliis potentiis , ut aliquos actus eliciant , putà character Diaconi, ut cantetur Evangelium, character Sacerdotalis, ut verba absolutionis & consecrationis proferantur , & eliciatur intentio necessaria E ad valorem sacramenti ; qui actus licèt ab aliis facultatibus ab intellectu distinctis elicitè procedant , imperativè tamen oriuntur ab intellectu, ut informato charactere, ut actiones illas dirigente : sicut quamvis actus alicujus artis , putà sutoriæ , à membris externis producantur , diriguntur tamen ab intellectu , ut informato tali habitu.

109. Objicies quartò contra secundam conclusionem : Cùm character sacramentalis per se ordinetur ad exhibendum cultum Deo , in ea potentia immediatè subjectari debet, ad quam pertinet exhibitio talis cultûs : Sed exhibitio cultûs divi-

A ni, pertinet ad voluntatem , in ea enim residet virtus religionis , quæ divinum cultum habet pro suo objecto : Ergo in voluntate, non verò in intellectu , character existit.

Respondeo distinguendo Majorem : in ea po- 110.
potentia subjectari debet immediatè character, ad quam pertinet exhibere cultum Deo , abstrahendo ab hoc quod exhibitio talis cultûs benè vel malè fiat, concedo Majorem. Ad quam pertinet exhibere cultum Deo benè & religiosè, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem : ad voluntatem pertinet exhibere cultum Deo , secundùm quod benè & religiosè debet fieri, concedo Minorem. Absolutè , & abstrahendo ab B hoc quod benè vel malè fiat, nego Minorem, & Consequentiam : sic enim sumptus divinus cultus , non pertinet ad virtutem religionis , sed ad virtutem fidei in intellectu residentem , & ad characterem , ut dirigentem habitum fidei & imperantem actiones illas quibus Dei cultus perficitur.

Ex dictis inferes primò , characterem sacramentalem idcirco à D. Dionysio suprà citato appellari lumen spirituale , quia intellectus practicus , mediante suo imperio , ut per characterem elevato , dirigit cæteras potentias ad exercitium cultûs divini. Dicitur etiam potestas , quia tribuit potestatem aliquid efficiendi vel recipiendi. Item vocatur signum , seu sigillum , quia sicut C Judex à Rege missus, non habet potestatem, nisi litteras habeat sigillo regio obsignatas : ita similiter nisi quis characterem habeat quo deputetur & ordinetur in legitimum collatorem vel susceptorem sacramentorum , vel defensorem fidei , nihil validè , vel saltem ex officio , præstabit in illis.

Intelliges etiam ex dictis , quomodo per cha- 111.
racterem dicamur configurari Trinitati , quia nempè sicut Trinitas operatur per actum imperij, formaliter immanentem , & virtualiter transeuntem , ut in Tractatu de Scientia Dei fusè *Disp. 3. art. 4.* declaravimus, ita & character.

Demum facilè colliges ex dictis , quomodo character distinguatur à religione : hæc enim respicit cultum divinum, sub ratione boni, ille verò D sub ratione veri practici , & non ut benè moraliter , sed solùm ut validè exerceatur intendit.

ARTICULUS IV.

Vtrum character insit animæ indelebiliter?

§. I.

Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuitur.

EXplicatâ existentiâ, essentiâ, & subjecto cha- 112.
racteris, superest ut præcipuam ejus proprietatem , nimirum illius incorruptibilitatem , exponamus, & utrum animæ insit indelebiliter, declaremus. Ut autem certa ab incertis separemus, duo ut certa & indubitata supponenda sunt. Primum est, characterem non esse indelebilem, per ordinem ad potentiam Dei absolutam , quia potest Deus quodlibet ens creatum destruere , suspendendo concursum conservativum illius. Secundum est, characterem esse indelebilem in hac vita , saltem ab extrinseco , inquantùm scilicet Deus statuit eum semper , saltem pro præsenti statu & vita, in anima conservare : hoc enim saltem definiunt Florentinum & Tridentinum, dum

Universidad de Deusto
Biblioteca

aiunt characterem esse indelebilem; & colligitur à posteriori ex eo quod tria sacramenta characterem imprimentia, semel susceptа, nunquam deinceps per totum vitæ tempus iterentur: si enim esset delebilis in præsenti vita, vel ille qui semel baptizatus est posset iterum baptizari, vel certè charactere deleto, esset Christianus sine charactere, atque adeò à principio talis esse potuisset sine illo. Solùm ergo difficultas est, an character sit ita indelebilis, ut remaneat post hanc vitam in beatis & in damnatis? Pro cujus resolutione.

113. Dico breviter, characterem post hanc vitam in beatis & damnatis remanere. Ita cum D. Thoma hic art. 5. communiter docent Theologi.

114. Probatur primò ratione quam habet in corp. B Res semel Deo consecrata, quandiu remanet integra, tandiu manet etiam consecrata, ut patet in templis, altaribus, calicibus, &c. Sed per characterem homo consecratur Deo, quantùm ad animam: Ergo quandiu remanet anima integra, tandiu etiam remanet character: Sed post hanc vitam anima integra remanet, cùm sit incorruptibilis: Ergo post hanc vitam remanet character.

115. Dices, ex hac ratione sequi, characterem non posse deleri, etiam de potentia Dei absoluta, quia res consecrata, quandiu remanet integra, manet necessariò consecrata, ita ut non possit amittere suam consecrationem, etiam de potentia Dei absoluta, ut patet in calice, & aliis.

Sed contra primò: Licèt daremus rem consecratam per denominationem extrinsecam ab actu præteritò, sicuti est calix, non posse amittere suam consecrationem, quia in Deo non est potentia faciendi ut actus qui semel fuit, non fuerit; hoc tamen negandum esset de re consecrata per aliquam formam sibi intrinsecè communicatam, quia potest Deus destruere formam illam realem per quam fit consecratio: in proposito autem anima consecratur per aliquid reale & sibi intrinsecum, scilicet per characterem: Ergo, &c.

Secundò: Deus potest execrare rem consecratam, statuendo ut ad sacros usus non sit deinceps D destinata, sicut factum est post cessationem legis veteris, cùm templa & vasa quæ antea erant aliqualiter consecrata, suam consecrationem amiserint.

116. Probatur secundò conclusio: Nullum accidens potest destrui, nisi vel physicè à suo contrario, vel demeritoriè & moraliter in pœnam peccati commissi, vel per accidens ad destructionem proprij subjecti, vel per negationem concursùs causæ conservantis: Sed nullo ex his modis contingit characterem destrui post hanc vitam: non quidem primo, quia character, cùm sit potentia, nullum habet contrarium: non etiam secundo, quia imprimitur existenti etiam in peccato mortali, ut patet in eo qui fictè accedit ad E Baptismum: non etiam tertio, quia anima & potentiæ spirituales in quibus subjectatur character, sunt incorruptibiles: non denique quarto, quia licèt possit Deus, qui solus est causa conservans characterem, absolutè subtrahere concursum quo liberè conservat res, nunquam tamen solet; nisi cùm causæ naturales vel morales id postulant, quod in proposito non reperitur, ut dictum est.

117. Ex qua ratione habes, characterem esse ex natura sua indelebilem & incorruptibilem, eo proportionali modo quo Angeli dicuntur incorruptibiles. In cujus rei signum docet D. Thomas ad Roman. 7. lect. 1. ad illa verba Apostoli, *soluta est à lege viri*, & ad Hebræos 11. lect. 7. in fine ad illa verba: *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos, &c.* quod si baptizatus, vel confirmatus, vel ordinatus moriatur, & miraculosè resurgat, non debet iterum eadem sacramenta suscipere, quod verum non esset, si character ex natura sua non esset incorruptibilis, & non posset absque speciali miraculo post hanc vitam conservari.

§. II.

Solvuntur objectiones.

118. OBjicies primò: Gratia est perfectior charactere, & tamen inest animæ mutabiliter, & potest, etiam in hac vita, amitti & corrumpi: Ergo multò magis character. Consequentia manifesta videtur, nam quantò accidens est imperfectius, tantò minùs fitmiter inhæret subjecto.

119. Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem, ob duplicem rationem discriminis. Prima est, quia gratia habet contrarium, scilicet peccatum, non verò character, ille enim (ut suprà dicebamus) imprimitur etiam existenti in peccato mortali, ut patet in eo qui fictè accedit ad Baptismum. Secunda est, C quia gratia quæ est forma completa, exigit in subjecto dispositionem, & ejus naturæ accommodatur, & quia anima est mutabilis secundùm liberum arbitrium, quandiu est in statu viæ, consequens est, quòd gratia insit animæ mutabiliter. Virtus autem instrumentalis (qualis est character) magis attenditur secundùm conditionem principalis agentis, sive principij à quo derivatur; quare cùm sacerdotium Christi, à quo derivatur character, & cujus est participatio, perpetuum sit, & incorruptibile, juxta illud Psal. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, character quoque indelebilis & incorruptibilis esse debet, non verò gratia sanctificans. Unde ad probationem in contrarium, distinguo D Antecedens: Quantò accidens est imperfectius tantò minùs firmiter inhæret subjecto, cæteris paribus, concedo. Si cætera non sint paria, ut contingit in proposito, nego.

120. Objicies secundò: Cessante fine, cessare debent ea quæ sunt ad finem: Sed finis characteris, scilicet administratio, vel receptio sacramentorum, cultusque exterior, cessabit post hanc vitam: Ergo & character.

121. Respondeo quod præter hunc finem characteris, est alius, scilicet distinctio fidelium ab infidelibus, quæ distinctio debet manere in alia vita, in bonis ad gloriam, & in malis ad ignominiam, *sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam; & in his qui vicerunt ad gloriam, & in his qui sunt victi, ad pœnam*, ut ait S. Doctor hic art. 5. ad 3.

122. Ad complementum hujus disputationis quæres, quinam ex duobus effectibus sacramentorum novæ legis, debeat dici primarius & principalis, an gratia, vel character?

Respondeo gratiam dici debere primarium & principalem effectum sacramentorum novæ legis, characterem verò secundarium & minùs principalem. Ratio est, quia effectus primarius sacramentorum ille est ad quem sacramenta per se primò ordinantur: Sed illa ordinantur per se primò ad gratiam: Ergo gratia est primarius & principalis effectus sacramentorum novæ legis. Major patet, Minor probatur. Sacramenta per se primò ordinantur ad nostram sanctificationem; in quo distinguuntur à sacrificio, quod per se primò respicit cultum divinum, & bonum ipsius Dei; sacramentum verò bonum hominis, seu sanctificationem ipsius: Sed sanctificatio hominis fit per gratiam, non verò per characterem: Ergo sacramenta per se primò ad gratiam, & non ad characterem ordinantur.

123. Confirmatur: Præcipuus effectus in sacramentis est ille qui ad ulteriorem non ordinatur, & ad quem cæteri omnes referuntur: Sed character, cùm sit res & sacramentum simul, ut docet D. Thomas hic art. 6. ad 3. & communiter B Theologi, ordinatur ad gratiam, gratia verò, cùm sit res tantùm, non ordinatur ad characterem: Ergo gratia est primarius & præcipuus sacramentorum effectus, non verò character. Unde idem S. Doctor in proœmio quæstionis 62. sic habet. *Deinde considerandum est de effectu sacramentorum, & primò de effectu eorum principali, qui est gratia, secundò de effectu eorum secundario, qui est character.*

124. Dices primò: Ille est primarius effectus sacramenti, qui est simpliciter necessarius ad finem illius, qui verò ad melius esse, secundarius tantùm: Sed character est simpliciter necessarius ad finem sacramenti à quo producitur, C gratia verò ad melius esse tantùm: Ergo character est primarius effectus sacramenti, non verò gratiâ. Major certa videtur, Minor probatur. Finis sacramenti Ordinis verbi gratiâ, est conficere Eucharistiam, vel ministrare in ordine ad illam: Sed ad hunc finem character est simpliciter necessarius, gratia verò ad melius esse tantùm, scilicet ad illa munia rectè & religiosè perficienda: Ergo, &c.

125. Respondeo negando Minorem, & ad probationem ejus, nego Majorem: quamvis enim finis characteris Ordinis sit conficere Eucharistiam, vel ministrare in ordine ad illam; & finis characteris Baptismalis, reddere hominem capacem suscipiendi alia sacramenta, finis tamen primarius ipsius sacramenti Ordinis, est reddere hominem gratum Deo, sicut & finis sacramenti Baptismi, est hominem spiritualiter regenerare, quod fit per gratiam, non verò per characterem.

126. Dices secundo: Ille est effectus primarius alicujus causæ, qui semper producitur: Sed gratia non semper producitur, benè tamen character: Ergo gratia non est effectus primarius sacramenti, sed character.

Respondeo Majorem esse veram, de effectibus qui nullam ex parte subjecti exigunt dispositionem, non autem de iis qui eam necessariò præsupponunt; unde cùm gratia per sacramenta producenda, aliquam postulet dispositionem, saltem in adultis, quam non exigit character, ex eo quod Christus ita instituit, non sequitur gratiam esse effectum secundarium sacramentorum.

DISPUTATIO V.

De Sacramentorum institutore.

Ad quæst. 64. D. Thomæ.

POstquam S. Doctor de essentia, & existentia, duplicique sacramentorum effectu, gratia nimirum & charactere, fusè disseruit, disputat de causa efficiente illorum, quæ duplex est, institutor scilicet, & minister sive executor sacramentorum. Nos de priori tantùm hic agemus, ea quæ de sacramentorum ministris disputari solent, in sequentem disputationem rejicientes.

ARTICULUS PRIMUS.

An Christus omnia legis novæ sacramenta immediatè instituerit?

OMnia sacramenta veteris legis fuisse à Deo immediatè instituta, docent communiter Theologi, & constat de circuncisione Genesis 17. de reliquis verò ex toto Exodo, & Levitico. C Neque obstat quòd per Moysem, & per Angelos data fuerint illa sacramenta, sicut etiam per eos data fuit ipsa lex; id enim intelligendum est solùm tanquam per legatos Dei, & promulgatores ipsorum, non verò tanquam per institutores, solùm enim Deum habuerunt proprium authorem. Idem dicendum est de sacramentis legis naturæ, non potest enim apparenti aliquo fundamento dici, hoc fuisse alicui homini à Deo commissum. Et certè, si hoc in lege scripta factum non est, neque in lege naturæ fieri debuit. Nec obstat, quòd non à Deo determinata essent signa sensibilia in quibus consistebant, sed voluntate humanâ determinarentur; inde enim solùm potest inferri, determinationem sacramentorum fuisse ex voluntate humana, non verò ipsam eorum institutionem: Deus enim voluit, & immediatè per seipsum instituit, quod homines, tempore illius legis, uterentur ad suam sanctificationem signis sensibilibus, quamvis per eos determinandis. Solùm ergo difficultas est, an omnia novæ legis sacramenta, immediatè à Christo instituta fuerint, vel aliquorum institutionem Apostolis aut Ecclesiæ commiserit? Plures enim graves & antiqui Theologi, ut Magister sententiarum, Hugo à sancto Victore, D. Bonaventura, & Alensis, existimarunt sacramenta Confirmationis, & Extremæ-Unctionis, non fuisse à Christo immediatè instituta, sed primum ab Apostolis immediatè fuisse institutum, vel post obitum Apostolorum in Concilio Meldensi, secundum verò à Beato Jacobo.

2. Dico tamen, omnia novæ legis sacramenta immediatè à Christo fuisse instituta. Conclusio est certa de fide, & definita in Tridentino sessione 7. canone 1. his verbis: *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit.* Quamvis autem particula *immediatè*, non expressè habeatur in illis verbis, illam tamen subintelligi à Concilio, colligitur primò ex eo quod aliàs differentia quam Tridentinum assignat inter cæremonias sacra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentales ; & ipsa sacramenta (quod nimirum illas potest Ecclesia mutare & instituere , salvâ substantiâ sacramentorum) nulla esset , si Ecclesia posset etiam instituere & mutare ipsa sacramenta. Secundò , idem Concilium sessione 14. canone 1. docet Extremam-Unctionem à Christo fuisse institutam , & à D. Jacobo promulgatam : ubi distinguit promulgationem ab institutione,& hanc soli Christo, illam verò D. Jacobo attribuit.

3. Colligitur etiam hæc veritas ex illo 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi , & dispensatores mysteriorum Dei :* id est sacramentorum. Ubi Apostoli non dicuntur institutores , sed dispensatores sacramentorum. Unde Ambrosius libro 4. de sacramentis cap. 4. *Author sacramentorum quis est , nisi Dominus Iesus ?*

4. Ratio demonstrativa hujus conclusionis nulla est, quia dependet ex mera voluntate Dei, tres tamen congruentias adducit D. Thomas hîc art. 4. in solutione argumentorum. In primis enim, ne fideles ponerent spem in homine , si ab ipso aliqua fuissent instituta sacramenta , congruum fuit , ut Christus omnia institueret. Secundò , ne divisio in Ecclesia oriretur , propter diversa sacramenta , sicut apud illos qui dicebant : *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo , ego verò Cephæ.* Item ne essent multa capita in Ecclesia , cùm enim ad caput Reipublicæ pertineat condere leges veluti fundamentales ipsius, & quæ habeant vim in tota Republica, cujusmodi sunt sacramentales , hoc ipso quod essent plures sacramentorum institutores, essent etiam plura capita in Ecclesia. Addo quod , cùm ad dignitatem & excellentiam sacramentorum pertineat dignitas & excellentia authoris , seu institutoris, si sacramenta novæ legis non essent immediatè instituta à Christo , essent inferiora sacramentis veteris legis, quæ (ut suprà ostendimus) à Deo immediatè instituta fuerunt.

5. Est etiam alia specialis ratio , cur omnia novæ legis sacramenta debuerint immediatè à Christo institui , quam tradit idem S. Doctor in supplem. quæst. 6. art. 6. in corp. & in 4. dist. 17. qu. 3. art. 1. quæstiunc. 5. ubi ait , quod sicut creatio universi præsupponitur operationi causarum secundarum , quæ sicut non potuerunt ipsum creare , ejusque ordinem instituere , ita nec illum mutare aut invertere possunt : ita fundatio Ecclesiæ præsupponitur operationi ministrorum , qui in ea jam fundata & constituta in suo statu instituuntur : Ecclesia autem fundatur per fidem & sacramenta : Ergo institutio fidei & sacramentorum non procedit ab operatione ministrorum Ecclesiæ , sed illi præsupponitur jam facta à Christo Ecclesiæ fundatore. Quæ ratio æquè concludit de Apostolis , nam ipsi quoque sunt ministri Ecclesiæ , juxta illud Pauli 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

6. Objicies primò : Cyprianus sermone de ablutione pedum, non longè à principio, sic ait : *Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor , & author : in cæteris homines Spiritum Sanctum habuere Doctorem :* Ergo sentit solam Eucharistiam esse immediatè à Christo institutam.

7. Respondeo Cypriamum per *sacramentum Christi* intelligere non solam Eucharistiam, sed etiam alia sacramenta ; per ly verò *in cæteris* , intelligere cæremonialia , quæ non à Christo immediatè, sed ab Ecclesia fuere instituta,ut explicant Bellarminus, Gravina, & alij. Addo , hunc sermonem non esse Cypriani, sed Authoris incerti, subindeque nos ejus authoritate non premi ; ipsosque hæreticos prædicta verba debere interpretari , cùm illi doceant , non solùm Eucharistiam , sed etiam Baptismum , à Christo immediatè fuisse institutum.

Objicies secundò : Christus communicavit Apostolis totam authoritatem quam à Patre accepit,ut colligitur ex verbis illis Christi ad Apostolos : *Sicut misit me Pater,& ego mitto vos :* Sed Christus habuit potestatem instituendi sacramenta : Ergo & Apostoli , subindeque credibile est eos tali authoritate utentes, aliqua sacramenta instituisse. Unde initio Ecclesiæ Apostoli conferebant sacramentum Baptismi , in nomine Christi , & non cum forma ordinaria ; & sacramentum Confirmationis sine Chrismate , per solam manuum impositionem ; sicut & sacramentum Ordinis, sine propria materia. 8.

Respondeo negando Majorem , licèt enim Christus potuerit communicare suis Apostolis potestatem instituendi sacramenta , ut dicemus articulo sequenti, eam tamen de facto non communicavit , sed per seipsum immediatè sacramenta novæ legis instituere voluit, ut illa in majori essent æstimatione , & ob alias rationes, seu congruentias suprà adductas. Ad locum verò Scripturæ , qui videtur militare in contrarium, dicendum est , quod ly *sicut* non importat omnimodam paritatem , sicut nec in alio loco , ubi Christus alloquens Patrem dicebat , *Rogo Pater ut unum sint , sicut & nos unum sumus ;* constat enim non posse dari tantam , seu tam perfectam unitatem inter fideles, quanta seu quàm perfecta est unitas inter Patrem & Filium. Unde non colligitur ex prædicto loco , quod Christus Dominus communicaverit suis Apostolis totam authoritatem quam acceperat à Patre. 9.

Ad illud verò quod subditur de sacramentis Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, dicendum est , illa sacramenta initio Ecclesiæ sub alia forma vel materia ab Apostolis fuisse collata , ex speciali dispensatione Christi , propter exigentiam illorum temporum , ipso Christo Domino peculiariter ad id concurrente , non autem conferente potestatem Apostolis , ut sacramenta illa sic instituerent, aut mutarent, ut magis patebit, cùm de illis in particulari agemus.

ARTICULUS II.

An potestas ministerialis instituendi sacramenta , & potestas excellentiæ quæ fuit in Christo , homini puro communicari potuerit ?

NOn procedit difficultas de potestate instituendi sacramenta per propriam authoritatem, supremam, & independentem , utpotè soli Deo propriam , ac proinde non convenientem Christo, ut homini ; sed de potestate ex commissione , & de potestate excellentiæ quam Theologi ponunt in humanitate Christi, & quæritur, an duplex illa potestas , puro homini communicari potuerit ? Pro resolutione

Notandum primò , quamcumque potestatem instrumentariam gratiæ productivam , non sufficere ut aliquis dicatur causa instituens sacramenta ministerialiter, aliàs quilibet administrans sacramentum , diceretur illud instituere, & nulla esset differentia inter causam instituentem , & utentem , seu applicantem : requiritur ergo potestas eligendi aliquam rem sensibilem , ad cujus applicationem gratia infallibiliter conferatur, & quæ proinde in certum & infallibile signum gratiæ instituatur. 10.

11. Notandum secundò , potestatem excellentiæ quam Theologi ponunt in humanitate Christi, præter hanc potestatem instituendi sacramenta , seu dandi alicui rei sensibili vim ad infallibiliter significandam & causandam gratiam , adhuc tria alia importare. Primum , quòd ille qui habet talem potestatem , suis actibus mereatur collationem gratiæ per sacramenta. Secundum, quòd in nomine ipsius sacramenta sanctificentur , seu administrentur. Tertium , quòd non sit ita astrictus sacramentis , ut sine illis non possit producere illorum effectum. His præmissis, sit

§. I.

Duplici conclusione difficultas proposita resolvitur.

12. DIco primò : Potestas ministerialis instituendi sacramenta potuit homini puro communicari. Ita communiter Thomistæ , Suarez , Valentia , Delugo, & alij, contra Scotum, Durandum , & Vazquem , qui negant talem potestatem posse puræ creaturæ communicari.

Probatur conclusio ratione fundamentali. Potuit Deus facere liberam facultatem puro homini , aliis eo modo quo vellet gratiam conferendi, vel per solum actum internum , vel per externum contactum , aut verbum , vel per quodlibet aliud sensibile signum ; sicut humanitati Christi dicitur communicata facultas patrandi miracula , & dandi gratiam : Sed ratione hujusmodi facultatis dicendus esset homo ille habere potestatem verè & propriè instituendi ex divina commissione sacramenta : Ergo potestas ministerialis instituendi sacramenta potuit homini puro communicari. Major est certa, nulla enim est per se loquendo major repugnantia in communicanda hac potestate supposito creato, quàm naturæ creatæ , qualis est natura humana Christi. Minor verò probatur. Instituere sacramenta nihil aliud est quàm designare externas cæremonias , & res sensibiles , per quas , vel ad quarum præsentiam , infallibiliter detur & significetur gratia : Sed facultas explicata esset potestas ad talem actum , qui enim illam haberet , verè posset instituere signum sensibile , ad hoc ut causaret , vel ut ad ejus præsentiam infallibiliter causaretur gratia , ut constat : Ergo, &c.

13. Confirmatur hæc ratio , & simul Adversariorum responsioni aditus præcluditur. Quamvis ut purus homo dicatur habere potestatem delegatam instituendi sacramenta , non sufficiat quod ex pluribus actionibus possit aliquas determinare , quibus non ipse , sed Deus imponat virtutem ad significandam gratiam , ut fiebat in lege naturæ ; si tamen haberet talem facultatem ratione cujus posset si vellet alicui signo sensibili imponere virtutem ad illam significationem, diceretur eo ipso præcisè posse verè & propriè sacramenta instituere : Sed Deus faciendo puro homini facultatem sanctificandi alios eo modo quo vellet , sicut humanitas Christi sanctificabat , tribueret ei talem potestatem : Ergo tribueret ipsi potestatem delegatam instituendi sacramenta.

Confirmatur ampliùs : Ut purus homo dicatur posse verè & propriè sacramenta instituere , non requiritur ut illa potestas sit independens ab alio, verè enim homines dicuntur authores & institutores legum tam Ecclesiasticarum quàm Civilium , quas tamen non condunt , nisi per potestatem à Deo dependentem , sed sufficit quod tota institutio & virtus ipsius sacramenti , ab eo dependeat ut à causa ex delegatione & commissione divina agente : Sed potest Deus velle, quod tota institutio & virtus sacramenti dependeat ab homine tanquam à causa secunda , ex delegatione & commissione divina agente , nulla enim in hoc apparet implicantia : Ergo potest Deus potestatem ministerialem instituendi sacramenta puro homini communicare. 14.

Dico secundò : Potestas excellentiæ quæ fuit in Christo ad instituenda sacramenta , potuit homini puro communicari. Ita Authores citati pro præcedenti conclusione. 15.

Probatur conclusio ratione fundamentali. Quatuor illa in quibus notabili secundo diximus potestatem excellentiæ consistere , possunt homini puro communicari : Ergo & talis potestas. Consequentia patet, Antecedens probatur, discurrendo per singula. In primis enim Deus potest tantam gratiæ plenitudinem conferre puro homini , ut aliis promereatur gratiam de congruo , imò & de condigno , si constitueretur à Deo caput cæterorum hominum , ut ostendimus in tractatu de justificatione & merito. Secundò, in nomine ejus possent sacramenta administrari , hoc ipso quod gratia ex merito ipsius cõferretur. Tertiò, posset instituere signa practica & infallibilia gratiæ,ex commissione divina,ut cõclusione præcedenti probatum est. Et tandem posset sine sacramentis producere gratiam, quia posset Deus ejus arbitrio relinquere potestatem ad conferendam gratiam actu interno, vel signo sensibili indifferenter : Ergo quatuor illa quæ ad potestatem excellentiæ requiruntur , homini puro communicari possunt. Hanc rationem insinuat S. Thomas hîc art. 4. in corp. ubi sic discurrit : *Christus in sacramentis habuit duplicem potestatem : unam authoritatis , quæ competit ei secundùm quod Deus & talis potestas nulli creaturæ potuit communicari , sicut nec divina essentia. Aliam potestatem habuit excellentiæ , quæ competit ei secundùm quod homo , & talem potestatem potuit ministris communicare , dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem , ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectum , ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur sacramenta, & ut ipsi possent sacramenta instituere, & sine ritu sacramentorum, effectum sacramentorum conferre solo imperio ; potest enim instrumentum conjunctum , quanto fuerit fortius , tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere , sicut manus baculo.* *Disp. 2. art. 7. concl. 3.*

Similia docet Augustinus Tractatu 5. in Joan. ubi inter alia ait : *Potuit Christus Iesus , si vellet , tradere potestatem alicui servo suo , ut daret baptismum tanquam vice suâ , & transferret à se baptizandi potestatem , & eam constitueret in servo ; & tantam vim daret baptismo translato in servum , quantam vim haberet baptismus datus à domino. Hoc noluit , ideò ut in illo spes esset baptizatorum , à quo se baptizatos agnoscerent.* Ubi S. Augustinus docet, de facto puros homines solùm baptizare per ministerium , de possibili verò potuisse

Universidad de Deusto
Biblioteca

potuisse baptizare per potestatem talem ac tantam, quantam Christus ut homo habuit, quæ est potestas excellentiæ.

16. Confirmatur: Potestas excellentiæ in Christo convenit ipsi, inquantùm capiti totius Ecclesiæ: Sed Deus de potentia absoluta potuit purum hominem constituere caput totius Ecclesiæ, ejusque gratiam & opera ad justificationem aliorum hominum ordinare: sicut de facto Adamus fuit constitutus caput non solùm naturale, sed etiam morale, totius humani generis, quantùm ad transmissionem justitiæ originalis, vel privationis illius in posteros, ut in Tractatu de peccatis ostensum est: Ergo potuit Deus potestatem excellentiæ quæ fuit in Christo ad instituenda sacramenta, puro homini communicare, non tamen cum ea eminentia & perfectione quâ fuit in Christo; nam Christus ut homo est instrumentum conjunctum divinitatis, alij verò ministri quibus Deus potestatem excellentiæ communicaret, essent illius instrumenta separata. Item potestas excellentiæ in Christo, infinitam dignitatem suæ personæ connotabat, ratione cujus erat principium meriti & satisfactionis infiniti valoris, quod puro homini competere nequit, ut in Tractatu de Incarnatione ostendimus.

Disp. 7. art. 1.

Disp. 4. art. 1.

§. II.

Solvuntur objectiones.

17. OBjicies primò: Instituere sacramenta est instituere certa & infallibilia signa gratiæ conferendæ: Sed solus Deus id potest: Ergo & illud. Major constat, Minorem verò probant Scotus & Gabriël. Primò quia ille solus potest certa & infallibilia signa gratiæ conferendæ instituere, qui potest gratiam ipsam conferre: Sed solus Deus (inquiunt) potest gratiam conferre: Ergo & infallibilia signa gratiæ conferendæ instituere. Secundò, cùm non possit dari signum certum & infallibile gratiæ conferendæ, nisi determinetur divina voluntas ad gratiam tali signo posito conferendam, si pura creatura tale signum posset instituere, posset etiam determinare voluntatem Dei ad gratiam conferendam, quod tamen implicat.

18. Respondeo negando Minorem, ad cujus primam probationem, distinguo Minorem. Solus Deus potest conferre gratiam, ut causa principalis, propriâ virtute & authoritate id præstans, concedo. Ut causa absolutè, nego. Pura enim creatura, ut causa instrumentalis & ministerialis, per virtutem & authoritatem à Deo acceptam, id potest.

Ad secundam probationem, nego sequelam: Cùm enim in illo casu Deus præsupponeretur determinatus à se ipso ad volendum conferre infallibiliter gratiam, in præsentia signi ab ipsa creatura instituendi, ipsamque creaturam ad talem institutionem faciendam prædeterminaret; jam non Deus à creatura, sed creatura à Deo, in institutione illa determinaretur.

19. Objicies secundò cum Vazque: Potestas instituendi proprie sacramenta, ei solùm convenit, à quo oritur primum sacramenti decretum: Sed primum sacramenti decretum, à solo Deo potest manare: Ergo illi soli potest convenire potestas instituendi sacramenta. Minor constat, Major verò probatur à Vazque, quia instituere (inquit) idem est quod rem aliquam incipere, & ab initio quasi statuere & decernere.

A Respondeo, concessa Majori, distinguendo Minorem. Primum sacramenti decretum in genere causæ principalis, propria & suprema authoritate instituentis sacramentum, est à solo Deo, concedo Minorem. Primum sacramenti decretum, in genere causæ ministerialis, ex commissione divina instituentis sacramentum, nego Minorem, & Consequentiam. Certè, si argumentum Vazquis valeret, probaret etiam homines non posse dici verè & propriè conditores legum Civilium aut Ecclesiasticarum, quandoquidem æquè dici potest, primum illarum decretum emanare à solo Deo, ac primum decretum sacramenti. 20.

B Objicies tertiò: Justificatio impij est quid majus, quàm creatio cœli & terræ, ut docet Augustinus Tractatu 72. in Joan. Sed Christus non potuit communicare Discipulis vim creandi cœlum & terram: Ergo neque vim justificandi impium, nec per consequens illis committi potuit institutio sacramentorum, cùm per illa peccatores justificentur. 21.

Respondeo ex D. Thoma 1. 2. qu. 113. art. 9. quod licèt ex parte facti sit quid majus justificatio quàm creatio, quia hæc terminatur ad esse naturale, illa ad formam supernaturalem; tamen ex parte modi, excedit creatio, & est maximum opus Dei, quia ex nihilo fit aliquid: ex quo sequitur, quòd licèt possint dari instrumenta physica ad infusionem gratiæ, & justificationem impij, nimirum sacramenta, repugnet tamen, juxta doctrinam D. Thomæ 1. p. qu. 45. art. 5. quod detur instrumentum physicum creationis. 22.

C Objicies quartò contra secundam conclusionem: Potestas excellentiæ convenit Christo, ratione unionis hypostaticæ: Ergo non potest communicari puræ creaturæ. 23.

Respondeo, concesso Antecedente, distinguendo Consequens. Non potest communicari creaturæ, cum ea eminentia & perfectione quâ fuit in Christo, concedo. Modo imperfectiori, nego. Solutio patet ex suprà dictis, licèt enim pura creatura non possit esse instrumentum conjunctum divinitatis, nec influere infinitum valorem meritorium & satisfactorium in suas operationes, sicut Christus: quia tamen puro homini potuit communicari tanta gratia, ut mereretur de condigno virtutem & effectum sacramentorum, & instituere caput morale cæterorum hominum, potuit ipsi communicari, modo tamen imperfectiori, ea potestas excellentiæ quæ fuit in Christo ad instituenda sacramenta, & justificandos alios homines. 24.

D

DISPUTATIO VI.

De Ministro Sacramentorum.

Ad sex ultimos articulos quæstionis 64.

CONSIDERATA causâ efficiente principali, quæ sacramenta instituit, scilicet Christo, superest ut de causa ministeriali, quæ ea confert, & dispensat, disseramus, & plures ac graves, quæ circa sacramentorum ministros occurrunt difficultates, articulis sequentibus resolvamus.

E

ARTICU

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam sint sacramentorum ministri?

1. SCotus in 4. dist. 6. quæst. 1. affirmat Angelos, etiam de lege ordinaria, posse esse sacramentorum ministros. E contra Augustinus Bernal disp. 17. sect. 1. num. 15. ait quod licèt Angeli de potentia extraordinaria possint sacramenta administrare, non tamen ea conficere. Alij verò Theologi communiter docent Angelos posse quidem de potentia absoluta sacramenta conficere & administrare, solos tamen homines esse ordinarios sacramentorum ministros. Verùm cùm homines in duplici statu considerari possint, nimirum in statu viæ, & termini, seu beatitudinis, adhuc est difficultas & controversia inter Theologos, utrum non solùm homines viatores, sed etiam beati & comprehensores, sint de potentia Dei ordinaria, sive ex vi institutionis Christi, idonei sacramentorum ministri, ita ut si in corpore assumpto apparerent, vel miraculosè resurgerent, absque novo miraculo, sacramenta ministrare possent? In cujus difficultatis resolutione, parem negativam tenent Alensis, Cabrera, Conink, Vazquez, Delugo, Becanus, & & alij, Affirmativam verò amplectuntur ex Thomistis Soto, Sylvester, Nuño, Martinus Ledesma, Philippus à Sancta Trinitate, Martinez à Prado, & ex extraneis Suarez, Henriquez, Diana, & plures alij.

A

B

C

§. I.

Triplici conclusione difficultas proposita resolvitur.

2. DIco primò: De lege ordinaria soli homines, & non Angeli, sunt sacramentorum ministri. Ita D. Thomas hic art. 7. ubi hanc conclusionem probat in argumento *sed contra*, ex illo ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum: Sed Angeli boni vel mali non sunt ex hominibus: Ergo ipsi non constituuntur ministri in his quæ sunt ad Deum, id est in sacramentis.* Unde Chrysostomus libro 3. de sacerdotio, cap. 5. *His qui terram incolunt, atque in ea versantur, commissum est ut ea quæ in cœlis sunt dispensent: iis datum est ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis neque Archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est: quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis.*

D

3. Ratio à priori hujus conclusionis nulla alia assignari potest, nisi voluntas Dei, & Christi, congruentiæ tamen non desunt. Nam in primis minister minùs principalis sacramentorum, non debet esse superior in natura ministro magis principali, hoc enim esset indecens: Christo autem ut homini, qui ut talis est minister principalis sacramentorum, Angelus est superior in natura. Secundò, Sacramentum constat ex re sensibili, & re spirituali: Ergo conveniens fuit, quod illius minister sensum & intellectum haberet; talis autem est solus homo. Tertiò, Recipiens sacramentum est solus homo: Ergo ut servaretur proportio, debuit solus homo in ministrum sacramentorum institui. Denique, Sicut in sacramentis requiritur pro materia aqua naturalis, oleum, balsamum, & vinum naturale; sic etiam congruum fuit, quod requireretur naturalis locutio, & verborum prolatio, quæ tamen est Angelis impossibilis, utpotè cùm sit actio vitalis procedens à principio intrinseco; locutio verò ab Angelis formata, mediis corporibus assumptis, sit ab ipsis Angelis solùm extrinsecùs assistentibus ejusmodi corporibus.

E

Dico secundò: De potentia & lege extraordinaria, Angeli possunt sacramenta conficere, & administrare. Ita D. Thomas articulo citato in corpore, ubi sic ait: *Sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre: ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in sacramentis.* Et in 4. sentent. dist. 5. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 2. *Sicut Deus potentiam suam sacramentis non alligavit, ita nec potestatem consecrandi sacramenta alligavit aliquibus ministris, unde qui dedit hanc potestatem hominibus, potest dare & Angelis.* Quibus verbis S. Doctor conclusionem nostram & docuit & probavit. 4.

Potestque confirmari ex variis historiis, quibus Angelos sacramenta administrasse & confecisse refertur. Sanctum enim Onuphrium Anachoretam, ab Angelo Eucharistiam accipere solitum dominico quoque die, ex Paphnutio Abbate, teste oculari, referunt Sabellicus lib. 2. cap. 2. Volaterranus lib. 17. & passim alij. Item Clemens VIII. in Bulla beatificationis beatæ Agnetis de monte Politiano, Ordinis Prædicatorum, datâ 23. Februarij anni 1601. testatur quod sæpiùs eidem Angelus Eucharistiam suâ manu porrexit. Ipsos etiam sacram synaxim sæpiùs B. Catharinæ Senensi administrasse refert D. Antoninus 3. p. Chron. titulo 23. cap. 14. §. 8. & alij passim. Narrat etiam Nicephorus libro 11. historiæ Ecclesiasticæ cap. 20. S. Amphilochium in deserto ab Angelis fuisse consecratum in Episcopum, ejusque consecrationem ratam à cæteris Episcopis habitam fuisse. Plura etiam templa dicuntur Angelorum, vel etiam ipsius Christi Domini ministerio consecrata, specialiter templum in honorem B. Michaëlis in monte Gargano constructum, & aliud in honorem S. Dionysij in Gallia prope Parisios erectum: de quo Gaguinus lib. 3. cap. 2. & 3. hæc scribit. *Episcopi B. Dionisij fanum à Dagoberto Rege structum dedicare 6. Calendas Martij statuerant. Pridie Calendarum quidam leprâ admodum deformis, ab adituis impetravit in æde pernoctare. Vbi dum vigil in oratione perseverat, videt perspicuè Christum, comitantibus eum Petro & Paulo, una cum Divis martyribus Dionysio, Rustico, & Eleutherio, per fenestram in basilicam adventare. Ergo candidâ veste amictus, dedicationis sacrum munus absolvit. Deinde ad leprâ contaminatum progressus Christus: Tu, inquit, homo dicito Pontificibus, cùm crastinâ luce ad hanc ædem se conferent, eam à me consecratam, Cujus rei fidem fecit infirmi hominis cura, nam contactâ hominis facie, lepram omnem Christus auferens, eam proximo lapidi agglutinavit: quæ ad hanc usque diem, per summam admirationem visitur. Quo miraculo attoniti Præsules, à dedicatione abstinuerunt.* 5.

Dico tertiò: Homo, etiam comprehensor, sive beatus, est de lege Dei ordinaria, sive ex vi institutionis Christi, absque ulla alia commissione nova, minister idoneus sacramentorum, licèt solùm extraordinarius. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hanc conclusionem apertè supponit D. Thomas eodem art. 7. citato: cùm enim in secundo argumento sibi objecisset, quod homines sancti assimilantur Angelis in cœlo, ut dicitur Matthæi 22. Sed aliqui sancti in cœlo existentes possunt ministrare in sacramentis, quia character sacramentalis est indelebilis, ut dixerat art. 5. Ergo etiam Angeli. Respondet ad secundum, quod *sancti qui sunt in cœlo, sunt similes Angelis quantum ad participationem gloriæ, non autem quantum ad conditionem naturæ, & per consequens neque quantùm ad sacramenta.* Ubi S. Thomas non negat, nec permittit transire Minorem, tanquam nihil facientem ad vim argumenti, sed eam absolutè concedit, utpotè conformem rationi præcipuæ articuli, & dictis art. 5. Ergo censet, sanctos in cœlo existentes, posse de lege Dei ordinaria, sive ex vi institutionis Christi, absque ulla alia nova commissione, ministrare sacramenta.

7. Ratio etiam id suadet: Homo enim, licèt comprehensor & beatus, habet characterem, cùm ille sit indelebilis, & post hanc vitam remaneat, ut disp. præcedenti ostendimus; & miraculosè resumendo corpus, potest adhibere omnia ad valorem sacramenti essentialiter requisita, nimirum debitam materiam & formam, & habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia: Sed hæ conditiones sufficiunt, ut de potentia ordinaria, sive ex vi institutionis Christi, possit administrare idoneè sacramenta: Ergo dato miraculo, quo beatus assumeret corpus, postea, potestate ordinariâ, & absque ullo novo miraculo, esset idoneus sacramentorum minister. Major patet, Minor verò suadetur. Licèt enim ut quis sit minister ordinarius, præter conditiones assignatas, requiratur insuper quod sit viator, utpotè cùm ob necessitatem sacramentorum, ejus conversatio debeat esse ordinaria nobiscum, hæc tamen conditio non videtur necessaria in ministro extraordinario, aliàs nulla esset differentia inter ordinarium & extraordinarium sacramentorum minis-trum: beatus autem si resumeret corpus, diceretur minister sacramentorum extraordinarius, non quòd tunc illis opus esset ad ministranda sacramenta potentiâ Dei extraordinariâ, sed quia soli viatores ordinariè conficiunt sacramenta: Ergo &c.

8. Confirmatur: Scriptura, Concilia, & Patres, loquentes de institutione hominum in ministros sacramentorum, facta à Christo, nullam prorsus mentionem faciunt conditionis statûs viæ: Ergo cùm aliunde non videatur necessaria, dicendum de facto non fuisse appositam à Christo, & consequenter beatos posse ex vi institutionis Christi validè administrare sacramenta.

§. II.

Solvuntur objectiones.

9. CONtra primam conclusionem nullum militat argumentum alicujus momenti, sed contra secundam objicitur. Sacramenta novæ legis essentialiter constant rebus & verbis, ut disputatione 1. ostensum est: Sed verba ab Angelis in corporibus assumptis prolata, non essent vera verba, cùm Angeli in corporibus assumptis non possint verè loqui, ut docet D. Thomas 1. parte quæst. 51. art. 3. ad 4. sed solùm formare sonos in aëre, similes vocibus humanis, qui tamen, cùm non sint à principio intrinseco, non sunt A veræ voces: Ergo Angeli, etiam de potentia & lege extraordinaria, non possunt sacramenta conficere.

10. Propter hoc argumentum Cabrera & Nuño existimant sacramentum quod de lege & potentia extraordinaria ab Angelo vel anima separata conficeretur, licèt foret verum sacramentum, non tamen ejusdem rationis substantialis cum nostris, utpotè cùm verba ab Angelo vel anima separata prolata, non sint vera verba. Sed existimo cum Soto & Martinez à Prado, quod tale sacramentum esset ejusdem speciei cum nostris, quia licèt verba prolata ab Angelo in corpore assumpto, sint specie diversa ab illis quæ homines proferunt, hæc tamen diversitas materialiter & per accidens se habet ad rationem signi sensibilis, subindeque ad rationem sacramenti; quia illi soni sensibiles, licèt non sint à principio intrinseco vitali, habent tamen eandem significationem, subindeque eandem virtutem gratiæ productivam, quam habent nostræ voces sacramentales. Unde in forma ad argumentum respondeo, distinguendo Majorem: Sacramenta novæ legis essentialiter constant rebus & verbis, ut vitaliter prolatis à ministro, nego Majorem. Ut significativis, seu ut habentibus rationem signi sensibilis gratiæ sanctificantis, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem: Verba ab Angelis in corporibus assumptis prolata, non sunt vera verba, si per ly *vera*, intelligantur verba verè vitalia, seu vitaliter prolata, concedo Minorem. Si per ly *vera verba*, intelligantur verba verè significativa, nego Minorem & Consequentiam: Hæc enim verba, *Ego te baptizo*, ab Angelo in corpore assumpto prolata, non minùs verè interiorem animæ ablutionem significant, subindeque non minùs habent rationem signi sensibilis gratiæ, & per consequens sacramenti, quàm cùm ab homine proferuntur.

11. Objicitur secundò contra tertiam conclusionem: Christus suâ institutione designans ministros sacramentorum, solos viatores alloquebatur: Ergo soli viatores sunt ex vi institutionis Christi, ministri idonei sacramentorum.

Secundò, Soli homines viatores sunt secundùm legem ordinariam capaces recipiendi sacramenta: Ergo & illa conficiendi & administrandi.

Tertiò, Cùm sacramenta pertineant ad Ecclesiam militantem, illi solùm sunt ministri idonei ipsorum, ex vi institutionis Christi, qui pertinent ad Ecclesiam militantem: At beati non pertinent ad Ecclesiam militantem, sed ad triumphantem: Ergo non sunt ministri idonei sacramentorum, ex vi institutionis Christi.

Quartò, si aliquis ex summis Pontificibus mortuis, & beatis, resurgeret, nullam haberet potestatem jurisdictionis in Ecclesiam, aliàs esset simul in ipsa plures Summi Pontifices: Ergo neque potestatem Ordinis, sive administrandi sacramenta.

Denique, ex nostra doctrina sequitur sacerdotem in inferno existentem cum anima & corpore, habere potestatem, si adessent ibi panis & vinum, illa transubstantiandi in corpus & sanguinem Christi, quod tamen non debet admitti; aliàs enim si id posset, præstaret utique, dæmone illi panem & vinum in derisionem Dei & sacramenti porrigente; imò eadem ratione possent in inferno ordinari sacerdotes, à damnatis Episcopis.

Ad

12. Ad primam objectionem respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam; licèt enim solos viatores alloqueretur Christus, quando dedit hominibus potestatem sacramenta administrandi, quia eos tantùm præsentes habebat, non est tamen unde dicamus, eorum institutionem non fuisse absolutam, sed appositam fuisse conditionem statûs viæ.

Ad secundam, nego etiam Consequentiam & paritatem: disparitas est, quòd recipere sacramenta est proprium illorum in quibus prima gratia debet recipi, vel augeri, quales tamen sunt soli viatores, beati enim habent gratiam in termino suæ consummationis existentem, ac proinde non exigentem ulteriùs aliquod augmentum.

Ad tertiam dico quod licèt beati sint omnino extra Ecclesiam militantem, quoad receptionem sacramentorum, non tamen quoad eorum administrationem.

Ad quartam nego paritatem, disparitas est, quòd plures supremæ potestates jurisdictionis obstarent paci & perfectioni regiminis Ecclesiastici, non verò plures potestates Ordinis.

Ad ultimam respondeo quod licèt sacerdos damnatus habeat potestatem consecrandi, Deus tamen non sinit quod eam exerceat.

13. Instant Adversarij: gratis omnino miraculosam illam divini concursûs denegationem asseri in illo casu, longé que probabilius dici, Deum non concedere sacerdoti damnato illam potestatem quâ vult eum nunquam uti, quàm miraculosè impedire, ne concessâ utatur.

Respondeo quod si ageretur de nova potestatis illius collatione, in statu damnationis à Deo facienda, valeret instantia. Verùm cùm hæc potestas sit illa eadem quàm habebat sacerdos ante mortem, sicut probabilius est dicere dæmonem, etiam in statu damnationis, habere potestatem ad multa, ad quæ tamen Deus ei denegat concursum, quàm asserere quod Deus ei auferat talem potestatem: ita & asserere Deum denegare sacerdoti in corpore & anima apud inferos existenti, concursum ad transubstantiationem panis in corpus Christi, quàm negare ei potentiam ad hunc effectum.

ARTICULUS II.

Vtrum ad valorem sacramenti requiratur intentio ministri, quâ intendat sacramentum perficere?

14. HÆresis est Lutheri, in libro de captivitate Babylonica absolutè negantis, ad valorem sacramentorum requiri intentionem ministri, & asserentis sacramentum perfici, si apponantur res, & verba proferantur, tametsi à ministro joco aut irrisione, vel fictè & mendaciter totum id exteriùs peragatur. Unde omnes Catholici Doctores fatentur ad valorem sacramenti exigi aliquam intentionem ministri, sed difficultas est, utrum ad valorem sacramenti sufficiat intentio faciendi solùm actum externum, vel requiratur necessariò intentio faciendi illum ut sacramentalem, id est ut Christus eum instituit, referendo illum ad finem institutionis, & volendo illum quia institutum, & prout institutum?

15. In cujus difficultatis resolutione, Catharinus, A Salmeronius, Scribonius, Pasqualigus, & alij quos refert & citat Martinez à Prado hic dubio 7. existimant ad valorem sacramentorum sufficere quod verba modo serio proferantur, prout solet fieri ab Ecclesia, absque alia intentione interna, quàm seriò proferendi verba, & adhibendi materiam sacramenti, Sententia tamen opposita, asserens ad valorem sacramenti necessariam esse intentionem faciendi sacramentum formaliter, seu ut est quædam cæremonia sacra à Christo instituta, communis est apud Theologos, tam domesticos, quàm extraneos, quorum alij Catharini sententiam ut hæreticam, alij ut erroneam, alij verò saltem ut temerariam proscribunt.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

DIco igitur: Ad valorem sacramenti non sufficit in ministro intentio faciendi solùm actum externum, sed requiritur insuper intentio faciendi illum ut sacramentalem.

Probatur primò: Concilium Florentinum in decreto unionis, & Tridentinum sess. 7. Can. 11. definiunt ad valorem sacramenti requiri in ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia: Sed quod facit Ecclesia non solùm est apponere materiam, & verba exteriùs proferre, hoc enim extra Ecclesiam fieri potest à pagano, sed his conficere cæremoniam sacram: Ergo ad valorem sacramenti necessaria est in ministro intentio faciendi sacramentum formaliter. 16.

Confirmatur: Concilia citata definiendo requiri ad valorem sacramenti materiam & formam, etiam definiunt requiri voluntatem applicandi materiam, & proferendi verba; actus enim exterior, & volitio illius, pro eodem reputantur: Sed ultra materiam & formam definiunt esse necessariam intentionem ministri: Ergo per talem intentionem, aliquam aliam intelligunt, præter eam quæ ad exteriorem verborum prolationem, & materiæ applicationem requiritur. 17.

Confirmatur ampliùs: Tridentinum sess. 14. cap. 6. & can. 9. definit pœnitentem non manere absolutum, nec perfici sacramentum, *si sacerdoti animus serio agendi, & verè absolvendi desit:* Ergo ultra exteriorem prolationem verborum, serio quoad exterius factam, requiritur interior animus absolvendi, & perficiendi sacramentum.

Probatur secundò ex ipsa institutione sacramentorum, in qua inclusa videtur intentio interior faciendi sacramentum: nam Joan. 20. instituitur pœnitentia, his verbis, *Quorum remiseritis peccata* &c. quibus sacerdotes instituuntur judices, & ipsis confertur potestas remittendi peccata; atque adeò sacerdos absolvendo profert sententiam ut judex, & peccata remittit: At sententia à judice prolata sine interiori intentione, valida non est, neque debitum remittitur sine intentione interiori remittendi, quamvis exteriùs seriò proferatur sententia, & debitum dicatur remitti: Ergo ad rationem sacramenti pœnitentiæ, præter seriam prolationem verborum, interior intentio requiritur. Similiter in Eucharistiæ institutione Christus Lucæ 22. dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, quod sine interiori intentione stare nequit. Et de Extrema-Unctione Jacobi 5. dicitur: *Inducat Presbyteros Ecclesia, & orent super eum*: oratio autem intentionem 18.

internam

Universidad de Deusto
Biblioteca

internam requirit. De matrimonio etiam constat, nam sine interiori consensu non conficitur, & idem de aliis sacramentis.

19. Tertiò probatur conclusio ratione D. Thomæ hîc art. 8. Minister potest operari vel nomine proprio, vel nomine Christi v.g. infantem abluere; similiter potest verba proferre, nomine Christi, aut proprio; nam tam ablutio, quàm verborum prolatio, indifferentia sunt, cùm utroque modo ponantur. Deinde, actiones exteriores indifferentes sunt ex se, ut sint aliquid merè naturale, & ut sint quid sacramentale: Ergo ut ponantur tanquam quid sacramentale, debent determinari ab intentione ministri, & consequenter ultra intentionem illas ponendi seriò

20. quoad exteriùs, debet adesse alia intentio, nimirum eas exercendi nomine Christi, ut quid sacramentale.

Demum eadem veritas suaderi potest hac ratione quam tradit D. Bonaventura in 6. parte Breviloquij cap. 5. de Sacramentorum dispensatione: *Dispensatio sacramentorum est opus hominis, ut rationalis, ut ministri Christi, & ut ministri salutis: hinc est quod necesse est quod fiat ex intentione quâ quis intendat facere quod Christus instituit ad humanam salutem, vel saltem facere quod facit Ecclesia.* Sed Christus ad salutem humanam instituit sacramenta, formaliter ut talia, seu ut causativa C gratiæ, animam sanantis, & sanctificantis, & Ecclesia ea ut talia ministrare intendit, non verò solùm apponere materiam, & verba exteriùs proferre: Ergo ad valorem sacramenti necessaria est in ministro intentio faciendi sacramentum formaliter, & non sufficit intentio faciendi solùm actum externum.

§. II.

Mens Divi Thomæ aperitur.

21. RAtioni dubitandi de mente D. Thomæ, fundamentum præbent verba quæ habet hîc art. 8. ad 2. ubi ait: *Quidam dicunt quod requiritur mentalis intentio in ministro quæ si desit, non perficitur sacramentum; sed hunc defectum in pueris* D *qui habent intentionem accedendi ad sacramentum, supplet Christus qui interiùs baptizat, in adultis autem qui intendunt sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides & devotio. Sed hoc satis posset dici quantum ad ultimum effectum qui est justificatio à peccatis, sed quantum ad effectum qui est res & sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non videtur quod per devotionem accedentis posset suppleri, quia character nunquam imprimitur nisi per sacramentum. Et ideò alij meliùs dicunt; quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ cujus est minister. In verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exteriùs exprimatur ex parte ministri vel recipientis sacramentum.* Quibus verbis S. Doctor manifestè videtur docere, ad valorem sacramenti non requiri in ministro intentionem faciendi sacramentum formaliter, sed sufficere solam applicationem materiæ, & verborum prolationem. Idem apertiùs adhuc tradere videtur in 4. dist. 6. quæst. 4. art. 2. quæstiunc. 1. ad 2. ubi sic ait: *Alij dicunt quod in Baptismo & in aliis sacramentis quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta, & ideò si forma servatur, nec aliud exteriùs dicitur quod sententiam contrariam exprimat, baptizatus est.*

Propter hæc testimonia Vazquez & Bernal S. Doctori attribuunt opinionem illam quæ docet ad valorem sacramenti intentionem ministri non requiri, quapropter huic sententiæ nullam audent infligere censuram.

22. Nihilominus dicendum est, D. Thomam manifestè stare pro nostra & communi sententia, & apertè docere, intentionem conficiendi sacramentum, ad illius valorem necessariò in ministro requiri.

Patet hoc primò, quia ratio quam habet hîc art. 8. in corp. & quam §. præcedenti expendimus, id apertè declarat.

B Secundò, In responsione ad 2. in ipsis verbis pro ratione dubitandi adductis, censet eandem esse rationem, quantùm ad necessitatem intentionis, de eo qui ministrat sacramentum, ac de eo qui illud recipit: Sed infrà quæst. 68. art. 7. ad 2. ait quod *si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus:* Ergo pariter censet, quod si in ministro deesset intentio conferendi sacramentum, denuò deberet conferri.

Tertiò, Idem S. doctor art. 10. hujus quæstionis apertè tradit nostram sententiam, ait enim, quod *intentio ministri potest perverti dupliciter,* C *uno modo respectu ipsius sacramenti, putà cùm aliquis non intendit sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere, & talis perversitas tollit veritatem sacramenti, præcipuè quando suam intentionem exteriùs manifestat.* Quibus verbis apertè docet, quod licèt sit clariùs & magis notum, quod non perficitur sacramentum, cùm minister exteriùs manifestat se non habere intentionem, vel exprimit se derisoriè agere, tamen si revera mentaliter interiùs non intendat sacramentum conferre, sed derisoriè agere, etiam non valet sacramentum: Ergo sentit sacramentum esse invalidum, si minister mentalem intentionem non habet.

Quartò, Idem Doctor Angelicus suprà quæst. 60. art. 7. ad 3. ait quod *ille qui corruptè profert* D *verba sacramentalia, si hoc ex industria facit, non videtur intendere facere quod facit Ecclesia, & ita non videtur perfici sacramentum:* Ergo censet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, ad perfectionem & valorem sacramenti requiri. Id etiam apertè docet libro 4. sententiarum, variis in locis quæ refert Martinez à Prado hîc dubio 7. §. 5. & quæ brevitatis causâ prætermitto.

23. Ad testimonia verò in ratione dubitandi adducta, in quibus Vazquez & Bernal maximam vim faciunt, duplex potest adhiberi solutio. Prima est, D. Thomam ibi non loqui de perfectione sacramenti, quoad rem, sed solùm quoad prudentem existimationem, seu quoad humanam E & moralem certitudinem; quoties enim per verba ministri seriò prolata, exprimitur intentio Ecclesiæ, sumus moraliter certi, ministro intentionem non deficere, subindeque de veritate sacramenti moralem habemus certitudinem, omnem auferentem anxietatem. Quod autem hæc interpretatio legitima sit, & menti S. Doctoris consona, patet ex eo quod ibi solvit argumentum quod probare intendebat, ex eo quod intentio esset requisita, sequi non posse esse notum accedenti, se verum recepisse sacramentum, & consequenter non posse habere certitudinem salutis, cùm sint quædam sacramenta ad eam obtinendam necessaria. Cui satisfacit asserendo intentionem Ecclesiæ, verbis ministri expressam, satis esse ad certificandum suscipientem de valore sacramenti, eâ certitudine quæ haberi potest, & quæ tantùm moralis est, sicut ea quam extra revelationem specialem habere potest homo se esse in gratia Dei.

A tentio expressa, potest esse vel formalis, vel solùm virtualis. Unde D. Thomas in testimoniis adductis affirmat expressam, sive formalem, sive virtualem, necessariam non esse: in solutione autem ad 3. requirit ad valorem sacramenti intentionem saltem virtualem, sive expressam, sive confusam.

Ad secundum nego Minorem, cujus nulla potest afferri probatio, si enim dantur Theologi nullam requirentes intentionem, quid mirum quod tempore D. Thomæ essent alij requirentes expressam?

§. III.

Solvitur argumentum ex historia Ecclesiastica desumptum.

ANtequam difficiliora proponamus argu- 27.
menta, placet hîc breviter illud diluere quod desumitur ex historia Ecclesiastica, quæ refert Baptismum datum à puero Athanasio ludente cum aliis pueris, fuisse declaratum validum ab Alexandro Patriarcha Alexandrino, ut habetur cap. *Spiritus sanctus* 1. quæst. 1. ubi sic dicitur: *In Ecclesiastica historia legitur, quod Alexander Episcopus Alexandriæ, cum Petri Martyris solemnia celebraret, post expleta Missarum solemnia, vidit super oram maris puerorum ludum,* C *imitantium (ut fieri solet) Episcopum, & gerentium ea quæ in Ecclesia geri mos est. Mox eos ad se perduci jubet, & quid egissent percontatur. Illi rei ordinem pandunt, baptizatos à se esse quosdam Catechumenos confitentur per Anastasium* (legendum est Athanasium, ut legunt emendati codices) *puerum, qui illis fuerat Episcopus similatus. Ubi ex responsis eorum vidit secundum religionis nostræ ritum cuncta constare, statuit illis quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea quæ sacerdotibus mos est.* Ex hac historia validum videtur posse confici argumentum, ad probandum intentionem conficiendi sacramentum, ad ejus valorem non requiri: Qui enim D non seriò sed joco opus externum sacramenti exequitur, non videtur habere intentionem faciendi sacramentum formaliter, sed tantùm materialiter, & nihilominus baptismum per jocum à puero Athanasio collatum, ratum & validum fuisse, declaravit Alexander Patriarcha Alexandrinus: Ergo ad valorem sacramenti non requiritur intentio faciendi sacramentum formaliter, sed sufficit intentio proferendi verba, & applicandi materiam.

Respondeo dupliciter aliquem posse opus ex- 28.
ternum sacramenti joco peragere, primò volendo solùm repræsentare & fingere quod fit in Ecclesia à sacerdote baptizante, & tunc nullum efficitur sacramentum; secundò intendendo revera facere quod ille facit, quamvis recreationis causâ, & in eo casu perficitur sacramentum, sicut in casu quo minister velit baptizare lucri causâ. Hoc autem secundo modo Athanasius Baptismum suis sodalibus administravit; ut colligitur ex tribus, Primo ex hoc quod interrogatus cur id fecisset, responderit se voluisse agere quod Episcopum Alexandrinum fecisse viderat. Secundò, quia solos Cathecumenos, atque adeò nondum baptizatos, baptizaverat. Tertiò ex eo quod licèt Historici narrantes hanc historiam, Athanasium pueris annumerent, certum tamen est quod erat grandiusculus, & ætatis plusquam annorum duodecim.

24. Dices primò: D. Thomas loquitur de perfectione sacramentali, de qua in titulo articuli quæsierat: At in titulo articuli loquitur & inquirit de perfectione essentiali sacramenti: Ergo in solutione ad 2. de hac loquitur, & non de perfectione quantùm ad humanam certitudinem.

Secundò, In loco ex libro 4. sententiarum adducto, expresè affirmat non requiri mentalem B intentionem ad valorem sacramenti, hac enim exclusâ, asserit dari verum baptismum: Ergo explicatio nulla.

Ad primum respondeo negando Majorem, nam cùm difficultas argumenti procederet de incertitudine salutis, in solutione illius loquitur de perfectione sufficiēti ad humanam certitudinem.

Ad secundum dicatur non requiri mentalem intentionem ut existat sacramentum, quantùm ad certitudinem moralem, omnem anxietatem excludentem, hæc enim de ejus existentia datur, si oppositum exteriùs non exprimatur.

25. Secunda solutio seu interpretatio D. Thomæ est, illum locis citatis loqui de intentione mentali expressa & explicita, quam non esse necessariam ad valorem sacramenti affirmat. Pro quo notandum est, duplicem posse dari intentionem, aliam expressam, quâ quis expresè, & quasi in actu signato, intendat conficere sacramenta; aliam implicitam & magis confusam, quâ quis eo ipso quod in actu exercito accedat ut minister Christi & Ecclesiæ, vult implicitè & in confuso sacramentum conficere, quod rectè à Magistro Soto explicatur hoc exemplo. Si quis v. g. suscipit sacros ordines, ut sit sacerdos & minister Ecclesiæ, & postea consuevit celebrare, & alia administrare sacramenta, neque unquam per actum contrarium cogitet aliter ministrare, quàm intendant Christus & Ecclesia, habet iste quidem in- D tentionem implicitam & in confuso ministrandi sacramenta, non tamen expressam. De prima ergo negat D. Thomas esse necessariam contra authores primæ solutionis, & secundam sufficere affirmat, quæ semper præsumitur in ministro, & de qua semper sumus moraliter certi, nisi aliter exteriùs exprimatur: si autem alia expressa esset necessaria, semper essemus dubij de valore sacramenti. Id & non ampliùs intendit D. Thomas locis pro ratione dubitandi adductis.

26. Dices primò: In utroque testimonio D. Thomas solvit secundum argumentum, quod non procedebat de actuali intentione, de hac enim loquitur in solutione ad 3. & longè aliter respondet, nempe sufficere intentionem habitualem, E hoc est virtualem: Ergo ineptè à nobis explicatur de intentione actuali. Secundò, ibidem D. Thomas refert opinionem Theologorum requirentium ad valorem sacramenti intentionem mentalem, & ipse oppositum ut probabilius docet: Sed nullus Theologorum requirit intentionem expressam: Ergo D. Thomas non rejicit solam intentionem mentalem explicitam, sed etiam implicitam.

Ad primum respondeo aliud esse intentionem actualem, aliud explicitam, actualis enim potest esse vel implicita vel expressa; & similiter in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

duodecim. Unde D. Thomas in 4. sent. dist. 6. in expositione litteræ, hæc scribit : *Dicitur quod puer Athanasius ludendo simulans se Episcopum, baptizavit quosdam, & judicatum est ab Alexandro Episcopo, ut non rebaptizarentur, quia inventum est, quod ipse intentionem baptizandi habuit : quod etiam patet, ex hoc quod non baptizabat non Catechumenos.*

29. Sed contra hanc solutionem objici potest difficilis instantia desumpta ex alia historia, nimirùm D. Genesij Martyris, qui (ut refertur in Martyrologio Romano 25. Augusti) cùm esset mimus, & vellet coram Diocletiano mysteriis Christianorum illudere, se ægrotum simulavit, & mimicè ab uno ex sodalibus suis baptizari postulavit, sed à Deo inspiratus, & repente ad fidem conversus, baptismum suscepit, & pro fide postea mortuus est. Ex hac, inquam, historia constare videtur, Baptismum mimicè & fictè collatum, fuisse validum, præsertim cùm Angelus ante absolutionem Genesio apparens, ei promiserit mediâ illâ aquâ remissionem omnium suorum delictorum, quæ in libro omnia & singula scripta legebantur.

30. Ut ab hac difficultate facilè se expediant Bellarminus, Vazquez, & alij ex Recentioribus, respondent S. Genesium baptizatum fuisse non ab aliquo ex sodalibus suis mimis, sed à vero sacerdote Christiano, qui proinde veram intentionem illi administrandi tale sacramentum habuit. Verùm ut ait Cardinalis Delugo, hoc videtur incredibile : Quomodo enim sacerdos Christianus veniret absque ingenti sacrilegio ad cooperandum ludicro spectaculo, quod totum ad derisionem religionis Christianæ ordinabatur ? Quomodo etiam ausus esset coram Imperatore, Christianorum persecutore accerrimo, se se sacerdotem Christianum manifestare ? Denique, quomodo impunè id fecisset, & pacificè, peracto baptismo, domum redire ipsi Diocletianus permisisset ? Quibus adde, quod historici probatæ fidei referunt S. Genesium baptizatum fuisse ab uno ex sodalibus irridente mysteria Christianorum in theatro, ut ex Surio referunt Baronius tomo 1. historiæ Ecclesiasticæ, anno 302. num. 27. & Ribadeneira in floribus Sanctorum, die 25. Augusti, in vita S. Genesij.

31. Respondet secundò P. Nicolai in additionibus ad Raynerium, verbo *Baptismus*, cap. 5. §. 7. credibile esse mimos exteriùs facere voluisse quod Christiani faciebant, licèt joco facerent, & sic verum baptismum contulisse. Sed hoc etiam difficile creditu esse putant aliqui Recentiores : Nam si nec Christiani ipsi (inquiunt) quando in scena agunt personam sacerdotis baptizantis, habent veram intentionem baptizandi, aut faciendi quod facit Ecclesia, sed solùm repræsentandi & fingendi illud : quantò minùs paganus qui Ecclesiam irridebat, existimandus est habuisse intentionem conficiendi verum sacramentum ?

32. Parùm tamen (ut rectè observavit Martinez à Prado) urget hæc replica, imò retorqueri potest in favorem P. Nicolai : Ideò enim Christiani mimi in scena, quando agunt personam sacerdotis baptizantis, non habent veram baptizandi intentionem, ne rebaptizent jam baptizatos, & sacramenta Christi irrideant. E contra verò Gentiles, ut magis irriderent nostra sacramenta, cùm ea mimicè in theatro repræsentabant, quæ Christiani præstare solent, facere intendebant; atque adeò mimus ille qui S. Genesium baptizavit, ut magis Christianorum baptisma irrideret, ipsum baptizare intendebat eo modo quo faciunt Christiani. Addo, valde probabile & credibile esse quod alicui dicunt, nimirum Angelum qui S. Genesium monuit, ut baptisma seriò reciperet, eique peccatorum remissionem pollicitus est, admonuisse etiam sodalem suum, ut seriò piéque illud ipsi administraret, subindeque tunc nec in administrante, nec in suscipiente defuisse intentionem. Non est etiam improbabile quod alij asserunt, ut ab hac difficultate faciliùs se expediant, nempe Deum tunc suppleviſſe miraculosè intentionem ministri, quæ licèt sit conditio necessaria & essentialis de lege ordinaria, non tamen de potentia absoluta.

§. IV.

Solvuntur aliæ objectiones.

33. OBjicies primò : Cùm Episcopus antequam Ordines conferat, protestetur se nolle ordinare excommunicatum, aut non habentem facultatem à suo Prælato, non habet intentionem talem ordinandi; & tamen si adsit inter alios quos Episcopus ordinat, verè ordinatur, ut jura supponunt, quandoquidem decernunt illum suspensum à suo ordine remanere : Ergo ad valorem sacramenti non requiritur in ministro intentio conferendi sacramentum.

34. Respondeo quod licèt hæc protestatio Episcopi fiat ad terrorem ; & ad significandum quod non vult talem ordinare, postquam tamen, factâ sufficienti diligentiâ, nullus talis apparet, intentionem habet, vel saltem habere tenetur, eos omnes ordinandi quos habet præsentes, sive aliqui ex ipsis sint aut non sint excommunicati, & sive habeant vel non habeant facultatem à suo superiore.

35. Objicies secundò : Sacramentum potest in recipiente habere effectum quem minister non intendat : Ergo & habere rationem sacramenti, licèt ipsum ut tale non velit administrare. Consequentia legitima est, Antecedens verò probatur. Hæretici nostri temporis baptizant absque intentione imprimendi characterem, quandoquidem ipsum non admittunt ; imò & absque intentione causandi gratiam, quæ sit forma intrinseca, cùm eam etiam negent, & tamen suo baptismate imprimunt characterem, & producunt gratiam : Ergo &c.

36. Respondeo distinguendo Antecedens : Sacramentum potest in suscipiente habere effectum quem minister non intendat formaliter & explicitè, benè tamen virtualiter & implicitè, concedo. Quem non intendat, neque formaliter, neque virtualiter, nego. Cùm enim impossibile sit quod aliquis velit causam, nisi virtualiter saltem & implicitè velit effectum, quia effectus implicitè & virtualiter continetur in causa : eo ipso quod hæretici velint causam characteris & gratiæ, scilicet sacramentum legitimè administratum, etiam si explicitè nolint ipsum characterem & gratiam intrinsecam, implicitè tamen & virtualiter ea intendunt.

37. Objicies tertiò : Certum est quod sicut Christus ita instituit sacramenta, ut eorum valor sit independens à fide & bonitate ministri, ita potuit ea instituere, ut ad eorum valorem & efficaciam non requireretur in ministro intentio illa formaliter faciendi : Sed hic modus institutionis est

convenientior : Ergo dicendum est quod Christus ita de facto illa instituit. Major constat, Minor verò probatur primò, quia Christus sic instituendo sacramenta, magis ostenderet suam virtutem, quæ pravâ intentione ministri non impediretur. Secundò, manifestius esset quod solus Deus est qui principaliter causat effectum sacramenti, juxta suam voluntatem, & quod homines sunt pura instrumenta illius. Tertiò, hic modus institutionis sacramentorum independenter ab intentione ministri quoad suum valorem, valde conducit ad pacandos animos illa suscipiëntium, sicut è contra oppositus multas anxietates & dubitationes circa salutem ingerit fidelibus : si enim ad valorem sacramenti requiratur in ministro intentio ipsum formaliter ut sacramentum conficiendi, sicut suscipiens sacramentum nunquam poterit esse certus de tali intentione, utpotè interna, atque adeò occulta, ita nec de valore sacramenti ab eo suscepti, & consequenter neque de sua salute.

38. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, conveniens enim fuit valorem sacramentorum dependere ab intentione ministri : Primò propter eorum dignitatem quæ requirit ut non fiant ab homine casu, temerè, & fortuitò, sed nobiliori modo, scilicet per actiones verè humanas & cum deliberatione factas. Secundò, propter dignitatem ministrorum, qui cùm sint causæ liberæ, debuerunt assumi à Deo tanquam instrumenta quæ simul moverentur & se liberè moverent ad productionem sacramenti formaliter ut talis. Tertiò, quia alioquin non esset ratio ob quam non assumpsisset Deus ad hoc ministerium quamcumque aliam creaturam, etiam irrationalem.

Ad primam autem probationem in contrarium, dicendum est, virtutem Dei & ejus sapientiam magis ostendi in operando fortiter, & disponendo suaviter, movendoque instrumentum animatum, secundùm modum suum.

Ad secundam similiter dico, dependentiam sacramentorum ab intentione ministri, illum non extrahere à ratione instrumenti animati; nec proinde rationem causæ principalis à Deo auferre.

Ad tertiam respondeo ad pacandos animos eorum qui sacramenta recipiunt, sufficere certitudinem moralem de intentione ministri, quæ cùm facilè ab eo haberi possit, quia non requirit in eo charitatem, vel fidem, nisi minister ipse exteriùs ostendat se illam non habere, vel ex aliquo alio signo probabili id possit colligi, non est cur suscipiens sacramentum sit quoad hoc anxius de sua salute, & valida sacramenti susceptione ; maximè cùm incertitudo de veritate & effectu ipsius, ex aliis oriri possit, de quibus tamen recipiens sacramentum non est anxius quoad salutem : quod enim validè conferatur sacramentum pœnitentiæ, pendet non solùm ex intentione ministri, sed etiam ex eo quod sit verè baptizatus & ordinatus, atque potestate jurisdictionis insignitus. Item qui in puericia fuit baptizatus, postquam ad ætatem adultam pervenit, non potest certò scire se esse baptizatum, sed tantùm credere parentibus id affirmantibus.

39. Objicies quartò : Implicat ponere materiam & formam sacramenti, nisi ponatur sacramentum ; sicut implicat poni materiam & formam artefacti, nisi ipsum artefactum ponatur : Ergo cùm minister applicat alicui materiam & formam Baptismi, verè ipsum baptizat, & sacramentum conficit, tametsi intentionem non habeat ipsum baptizandi & conficiendi sacramentum.

40. Respondeo distinguendo Majorem. Implicat ponere materiam & formam sacramenti, formaliter ut tales, seu quatenus sunt quædam cæremoniæ sacræ à Christo institutæ, nisi ponatur sacramentum, concedo Majorem. Implicat ponere materiam & formam sacramenti, materialiter & in esse entis, & abstrahendo ab hoc quod sint quædam cæremoniæ sacræ à Christo institutæ, nego Majorem. Nam res & verba in esse entis & materialiter non sunt sacramentum, sed ut instituta à Christo, ut sint signa practica gratiæ sanctificantis : unde ut minister sacramentum conficiat, requiritur necessariò quod materiam & formam sacramentorum, sub hac ratione, implicitè saltem & in confuso, ponere intendat : ad quod sufficit quod intendat facere illud quod facit Ecclesia. Ad exemplum verò de artefacto, quod in argumento adducitur, neganda est paritas. Ratio discriminis est, quia artefactum nihil aliud dicit, quam materiam & formam ; sacramentum autem, ultra ablutionem & verba, addit esse signum practicum gratiæ : rationem autem signi gratiæ in actione exteriori reperiri, dependet à duobus, nempè ab intentione ministri, & à Christi institutione & voluntate, qui noluit materiam & formam sacramenti gratiam significare, deficiente intentione ministri.

§. V.

Aliæ difficultates & casus conscientiæ breviter resolvuntur.

41. REstant adhuc resolvendæ quædam difficultates de intentione ministri, quas breviter hîc expedienius. Prima est, an deficiente intentione ministri ad valorem sacramenti requisitâ, Deus suppleat illius defectum, & conferat sine vero sacramento effectum sacramenti v.g. si minister ex malitia non intendat baptizare puerum, an Deus ex sua infinita misericordia, conferat illi gratiam, sine vero Baptismo ?

42. Respondeo negativè, contra Alensem, D. Bonaventuram, Sylvestrum, Paludanum, & alios. Probatur primo ex D. Thoma infrà quæst. 68. art. 1. & 73. art. 3. & quodlib. 6. art. 4. ubi distinguens triplex Baptisma, aquæ, spiritûs, & sanguinis, docet quod pueri non habentes usum rationis, cùm non possint dilectionem Dei habere, in qua Baptismus spiritûs seu flaminis consistit, salvari non possunt, nisi per Baptismum aquæ, vel sanguinis, si propter Christum occidantur, qualiter de innocentibus docet D. Augustinus : Ergo sentit quod quotiescumque non suscipitur verum Baptisma, gratia non confertur à Deo, nisi adsit Baptismus flaminis vel sanguinis.

43. Id etiam efficaciter probari potest ex lege illa generali Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ex illa enim evidenter infertur, quod puer ante usum rationis verum Baptisma non recipiens, ex defectu intentionis ministri, non consequetur vitam æternam. Unde Augustinus Epist. 28. ad Hieronymum : *Quisquis dixerit quod in Christo vivificabuntur parvuli qui sine sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profectò contra Apostolicam prædicationem venit, & totam damnat Ecclesiam.* At hoc esset falsum, si puer ille effectum Baptismi, scilicet gratiam, sine vero

Universidad de Deusto
Biblioteca

vero Baptismo reciperet: Ergo gratia non confertur à Deo, cùm ex defectu intentionis ministri verum Baptisma non conficitur.

44. Confirmatur: Puer sine debita materia vel forma baptizatus ex malitia vel ex ignorantia ministri, gratiam non recipit, ut omnes concedunt: Ergo nec ille qui sine debita intentione baptizatur. Consequentia manifesta est, nam tam benè deficit sacramentum ex defectu intentionis ministri, sicut ex defectu formæ, , vel materiæ, ut definit Florentinum in Decreto unionis, ubi dicitur, *omnia sacramenta tribus perfici, nimirum materiâ, formâ, & intentione ministri, quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.*

45. Dices, D. Thomas hîc art. 8. ad 2. oppositam sententiam docere videtur, cùm enim ibi retulisset opinionem aliquorum asserentium quod Christus in parvulis supplet defectum intentionis, & in adultis fides & devotio recipientium, sic de hac sententia loquitur: *Sed hoc satis posset dici quoad ultimum effectum, qui est justificatio à peccatis, sed quantum ad effectum qui est res & sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non videtur quod per devotionem accedentis possit suppleri, quia character nunquam imprimitur, nisi per sacramentum:* Ergo sentit defectum intentionis suppleri, quantùm ad effectum gratiæ, non quantùm ad characterem.

46. Respondeo quod licèt sententia relata à D. Thoma, de parvulis & adultis loquatur, & de utroque effectu Bapismi, gratia scilicet & charactere, ille tamen solùm eam approbat, quantùm ad effectum gratiæ, & solùm quantùm ad adultos, qui per dilectionem & fidem includentem Dei dilectionem: extra sacramentum justificari possunt: quantùm autem ad alia, refertur quidem sententia sed non approbatur.

47. Secunda difficultas est, quænam intentio sit necessaria ad valorem sacramenti, actualis, habitualis, aut virtualis?

Respondeo breviter, intentionem actualem non esse requisitam ad valorem sacramenti, habitualem verò non esse sufficientem, benè tamen virtualem.

D Prima pars habetur in Rituali Romano, & docetur à D. Thoma hic art. 8. ad 3. & rationem assignat, quia habere intentionem actualem, *non est totaliter positum in hominis potestate, quia præter intentionem cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illud Psalmi 39. Cor meum dereliquit me.* Addo quod actualis intentio non est necessaria ad actum humanum & deliberatum, sed sufficit virtualis, ut patet in oratione, ad quam, ut sit meritoria, sufficit virtualis attentio, ut docet S. Thomas 2.2. qu. 83. art. 13. Quamvis autem hæc intentio non sit necessaria ad valorem sacramenti, *studiosè tamen curare debet* (inquit S. Doctor) *sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat.* Quod E (ut rectè advertit Cajetanus) non debet intelligi de intentione quâ in actu signato minister dicat, *Ego intendo conficere sacramentum*, sed de intentione in actu exercito, ita ut postquam minister actum intentionis conficiendi sacramentum habuit, attendat ad ea quibus conficitur, nimirum ad distinctam prolationem formæ, ad reverentem contrectationem materiæ, & ad futuram tunc ineffabilem præsentiam divinæ gratiæ.

48. Secunda pars quæ asserit habitualem intentionem ad valorem sacramenti non sufficere, non A minùs est manifesta quàm præcedens; nam habitualis intentio ea est quâ quis aliquid facit ex habitu, absque advertentia & deliberatione, ut cùm quis habens habitum misericordiæ, nihil de eleemosyna cogitans, imò fortè dormiens, pecuniam ponit ubi eleemosynæ colliguntur: Sed hoc non sufficit ad valorem sacramenti, cùm illius administratio debeat esse actio humana & deliberata: Ergo ad valorem sacramenti intentio habitualis non sufficit.

Dices, Divus Thomas hîc art. 8. ad 3. manifestè docet oppositum: ait enim: *quod licèt ille* 49.
qui aliud cogitat non habeat actualem intentionem,
habet tamen intentionem habitualem, quæ sufficit
B *ad perfectionem sacramenti.* Quo nihil clarius & expressius contra nostram resolutionem dici posse videtur.

Duplex tamen huic instantiæ potest adhiberi 50.
solutio. In primis dici potest cum Cajetano, D. Thomam ibi loqui de intentione habituali, non ut distinguitur à virtuali, sed prout differt ab actuali; tum quia id apertè constat ex ipso textu; tum etiam quia tempore D. Thomæ, omnis intentio non actualis, etiam ea quæ virtualis dicitur, vocari solebat habitualis, ut patet ex D. Bonaventura in 2. sent. dist. 41. art. 1. quæst. 3. in solutione 6. argumenti, ubi *habitualem re-*
C *lationem ad Deum*, sufficere operi meritorio asserit, & subdit: *habitualem relationem dici, non quòd habeat charitatem per quam sit habilis ad referendum, sed quia in primordio illius operationis, vel alterius ad quam illa consequenter se habet, intentionem habet ad Deum directam.* Ubi Doctor Seraphicus apertè relationem habitualem ad Deũ, pro virtuali usurpat, quæ propterea dici habitualis potest, quia per modum alicujus habitûs perseverat, licèt actum præcedentem supponat.

Secundò respondet Pater Nicolai in scholiis ad 51.
art. 8. hujus quæstionis, & in additionibus ad Raynerium, titulo de Baptismo, cap. 1. §. 8. certum sibi videri, quod non intentionem *habitualem*, sed potius *virtualem*, ibi scripserit S. Thomas, sed propter abbreviatos characteres, qui ex
D veteri scribendi usu, similem formam præ se ferunt, aut maximam affinitatem inter se habent, imprudenter, vel per oscitantiam, vox illa *virtualis*, pro *habituali* mutata sit. Hujusque mutationis duo indicia manifesta adducit. Primum est, quia exemplaria quædam anni 1540. intentionem *virtualem* legunt, non verò *habitualem*. Secundum, quia S. Doctor non solet habituale cum virtuali confundere, sed unum ab alio accuratè distinguit, ut patet in quæstionibus disputatis, de charitate art. 11. ad 3. ubi sic habet: *Aliud est habitualiter referre in Deum, & aliud virtualiter: habitualiter enim refert in Deum & qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit,*
E *ut dormiens, sed virtualiter aliquid referre in Deũ, est agentis propter finem ordinantis in Deum.* Et in 4. sent. dist. 16. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. contritionem ait posse accipi tripliciter, *vel actu, vel habitu, vel medio modo*, scilicet *ex virtute actûs quem agit &c.* Et in hac ipsa parte qu. 87. art. 1. negat *habitualem displicentiam* ad peccatorum venialium remissionem sufficere, sed requiri vult saltem aliquam *virtualem*.

Tertia pars, quæ affirmat ad valorem sacra- 52.
menti intentionem virtualem sufficere, colligitur ex præcedentibus: nam si habitualis non sufficit, & actualis requisita non est, restat ut virtualis sufficiat. Intentio autem virtualis illa est, quæ licèt

licèt actu transierit, manet tamen in virtute, ratione primi propositi quo quis se ad agendum applicuit humano modo. *Putà cùm sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia: unde si postea in ipso exercitio actûs cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum*, ut ait S. Thomas hic art. 8. ad 3. Est etiam aliud vulgare exemplum ejusdem S. Doctoris 3. contra Gentes cap. 138. illius scilicet qui propter Deum iter arripuit, in quo ut ex illa intentione iter perficiat, necessarium non est quod in qualiber parte itineris de Deo actu cogitet.

53. Sed dubitari potest, an ebrius, vel dormiens, possit conficere sacramentum? Ratio autem du- B bitandi est, quia ante ebrietatem vel somnum, potuit velle conficere sacramentum, verbis in ebrietate vel somno proferendis, subindeque tunc virtualem intentionem conficiendi sacramentum habere, quæ cùm ad valorem sacramenti sufficiat, si ille in ebrietate vel somno supra debitam materiam verba proferat, nihil tunc ad valorem sacramenti deesse videtur. Potestque augeri difficultas, nam si quis ante somnum vel ebrietatem baptismum desideret, & postea dormiens aut ebrius baptizetur, recipit sacramentum: Ergo pariter si minister ante ebrietatem vel somnum, sacramentum velit conficere, revera illud conficiet, si in ipsa ebrietate vel somno, supra debi- C tam materiam verba proferat. Unde Can. baptismus de consecrat. dist. 4. hæc verba ex Augustino referuntur: *Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, hic est qui baptizat.*

54. Nihilominus dicendum est, verba à sacerdote ebrio vel dormiente prolata supra debitam materiam, non conficere verum sacramentum, etsi ante somnum aut ebrietatem, intentionem illud conficiendi habuerit. Ratio hujus resolutionis nulla alia assignari potest, quàm Christi voluntas, qui licèt prolationem verborum voluntariam solùm in causa, ad dignitatem sacramenti elevare potuerit, id tamen noluit, tum ob reverentiam debitam sacramentis, tum etiam quia oportuit D sacramenta confici à ministro, cum morali certitudine materiæ debitæ: in somno autem vel in ebrietate talis certitudo esse nequit, quamvis enim quis ante somnum vel ebrietatem, materiam debitam pro conficiendo sacramento propè se relinqueret, posteà tamen in somno existens, aliam posset substituere, & verba supra illam proferre: ob hæc ergo & similia inconvenientia, etsi in somno vel ebrietate possit quis virtualem intentionem conficiendi sacramentum habere, nihilominus sacramentum non conficeret, etsi supra debitam materiam tunc verba proferret. Præsertim quia sacramentum ex parte formæ consistit in verbis quæ formaliter verba sint: illa E verò quæ dormiens vel ebrius profert, non sunt verba formaliter defectu actualis significationis, sed duntaxat materialiter, sicut ea quæ à pica, vel à psittaco proferuntur, ideóque non possunt sacramenta conficere. Ex quo patet disparitas ad exemplum adductum, nam recipiens sacramentum nulla debet verba proferre, benè tamen qui illud conficit vel ministrat: præterquam quod recipiens se habet per modum patientis, ministrans verò vel conficiens sacramentum per modum agentis: major autem in agente quàm in patiente libertas & advertentia requiritur: unde licèt in somno vel ebrietate possit quis verum sacramentum v. g. baptismum quem antea desideravit, recipere, non tamen illud tunc conficere vel administrare. Ad verba autem Augustini supra relata, respondeo illum nihil aliud his declarare voluisse, quam sanctitatem ministri non esse necessariam ad validitatem sacramenti, cùm ad eam sufficiat sanctitas Christi, qui interius baptizat, cùm Ministri materiam & formam baptismi exteriùs exhibent. Cùm verò dicit *se non timere ebrium*, Glos. in can. *Dedit.* 1. qu. 1. verbo *ebrius:* addit: *Ita tamen quod sentiat quid faciat, quia intentio baptizantis exigitur.*

Tertia difficultas est, an sit verum sacramen- 55.
tum ubi error erga personam cui confertur nter- B venit? v. g. dum putat aliquis se baptizare puerum, & nomen Petri illi imponit, & baptizat puellam, quæritur an tunc verum sacramentum conficiat? Videtur enim quod non, ob defectum intentionis; non enim habuit intentionem baptizandi puellam, sed puerum.

Huic difficultati cum distinctione respondendum est, nam vel minister ita alligavit intentio- 56.
nem suam, ut non intendat conferre Baptismum, nisi tali individuo, puero v. g. & tunc si alius supponatur, non conficit sacramentum, ex defectu intentionis. Si autem habeat intentionem conferendi sacramentum præsenti, quicunque ille sit, quamvis per errorem putet esse alium qui C non est, revera sacramentum confert. Idem dicendum, si sacerdos putans se audire confessionem Petri, alterius audiat, & absolvat, & in aliis sacramentis similiter. Si autem quæras, qualis debeat esse intentio ministri? Respondeo debere esse talem, quod absolutè dirigatur ad præsentem materiam, sine limitatione aut implicita conditione non faciendi sacramentum, si persona non sit illa quam putat; quam intentionem semper adesse in ministro præsumendum est.

Contra hanc tamen doctrinam fieri potest hæc 57.
instantia. In matrimonio error personæ reddit sacramentum nullum: si enim quis contrahat cum Bertha, putans esse Tulliam, verum matrimonium non contrahit: Ergo idem in aliis sacra- D mentis dicendum.

Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est, quia matrimonium est quidam contractus consistens in traditione corporum in particulari & in individuo, unde error in persona est substantialis, & æqualitatem aufert, subindeque contractum nullum efficit. Nec sufficit quod detur alia uxor æquè bona, quia cùm hæc æqualitas non possit certò ab hominibus cognosci, maximè cum bonitas conjugis debeat esse respectiva in ordine ad alterum, meritò conjuges alligant suam voluntatem & intentionem ad talem determinatam personam, quod in aliis sacramentis non E contingit.

ARTICULUS III.

Vtrum per malos ministros validè possint sacramenta conferri?

§. I.

Varij circa hoc referuntur ac refelluntur errores.

TErtio post Christum natum sæculo, in Asia 58.
& Affrica cœpit error oboriri, asserens non esse vera sacramenta ab hæreticis & schismaticis

Universidad de Deusto
Biblioteca

collata. Primus illius author in Affrica fuit Agrippinus D. Cypriani prædecessor, ut referunt D. Augustinus lib. 2. de baptismo cap. 2. & Vincentius Lyrinensis in Commonitorio cap. 9. his verbis, *Venerabilis memoriæ Agrippinus, Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortalium contra universalis Ecclesiæ regulam, contra divinum Canonem, contra morem & instituta Majorum, rebaptizandum esse censebat*, eos scilicet qui ab hæreticis baptizati essent. Eum postea secutus est D. Cyprianus, cum multis Affricæ Episcopis, licèt non propterea ab Ecclesia se separaverit, *imò præsumendum sit* (ait Augustinus cap. 8. libri citati) *virum adeò sanctum, ante mortem sententiam mutasse. Cujus correctionem* (inquit cap. 5.) *si literæ taceant, merita clamant: si in epistolis non invenitur, corona martirij testatur.*

59. Donatistæ etiam olim senserunt, sacramenta à ministro existente in peccato mortali collata, esse invalida, quos postea secuti sunt Luciferiani & Albigenses. Vvicleffus autem ea tantùm sacramenta valida esse censuit, quæ à ministris prædestinatis conferrentur. Alij demum à malis ministris confici quidem sacramenta putarunt, sed non per ea gratiam conferri. Ut omnes isti errores confutentur, & veritas Catholica firmiùs stabiliatur.

60. Dico breviter, peccatores & infideles validè sacramenta conficere, si adhibeant omnia ad illorum valorem requisita.

Conclusio est certa de fide, utpotè definita in variis Conciliis, nempè in Concilio Nicæno generali, ut testatur Augustinus lib. 2. de baptismo cap. 3. 4. 5. & 6. in Carthaginensi primo Can. 1. in Constantiensi contra Joannem Hus, & denique in Tridentino sess. 7. Can. 12. de sacramentis in genere, his verbis: *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, anathema sit.* Sub peccato autem mortali, etiam peccatum hæresis comprehenditur. Et can. 4. hoc specialiter de baptismo definit, ait enim: *Si quis dixerit baptismum qui etiam datur ab hæreticis in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum, anathema sit.*

61. Favet etiam perpetua Ecclesiæ Traditio, quæ nunquam consuevit eos rebaptizare qui à ministris peccatoribus, hæreticis, schismaticis, & degradatis baptizati sunt. Unde S. Augustinus lib de baptismo cap. 9. inquit: *Consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem.*

62. Non desunt etiam ad eandem veritatem suadendam congruentiæ & probabiles rationes, quas adducit S. Thomas 4. contra Gentes cap. 77. & Ferrariensis ejus Commentator ibidem exponit. Prima est: Ministri Ecclesiæ in Ordinis susceptione accipiunt potentiam ad sacramenta ministranda: Sed hæc potentia per peccatum aut infidelitatem non amittitur: Ergo peccator & infidelis retinet potestatem sacramenta ministrandi, subindeque vera conficit & ministrat sacramenta, si omnia adhibeat ad eorum valorem necessaria. Major est certa, Minor probatur. Quod alicui per consecrationem acquiritur, perpetuò in ipso manet, cujus signum est, quod semel consecratum, iterum non consecratur, ut patet in altari, chrismate, & aliis: Sed potestatem ministrandi accipit minister in Ordinis susceptione, cum quadam consecratione: Ergo illam nunquam amittit.

Confirmatur: Deus non aufert Principibus 63. terræ potestatem jurisdictionis, propter ipsorum crimina, hæresim, infidelitatem, & apostasiam, ne scilicet Reipublicæ status aut œconomia deficiat, vel turbetur: propter quod D. Petrus cap. 2. suæ primæ Epistolæ, fideles monet, suis ut pareant dominis, non tantùm piis & modestis, sed etiam discolis: Ergo similiter rationi consentaneum est, ad gubernationis Ecclesiasticæ & fidelium utilitatem, quòd Deus suis ministris peccatoribus & hæreticis, potestatem validè administrandi sacramenta non auferat.

Secunda ratio D. Thomæ sic potest proponi. 64. Minister solum concurrit instrumentaliter ad hominem sanctificandum, sicut & ipsa sacramenta, atque adeò gratiam non conferunt propriâ virtute, sed virtute Dei, neque sibi assimilare intendunt effectum, sed causæ principali: Ergo ut per sacramenta minister conferat gratiam, non est necessarium, quod gratiam aut fidem habeat & contineat, sed sufficit quod sacramentum & illius effectus in causa principali contineatur. Unde Augustinus lib. 5. de baptismo cap. 29. sic ait: *Quoniam sive Iudæus, sive Paulus baptizet, Christus peccatum lavat, abluit, & delet.*

Confirmatur primò exemplo Divi Thomæ: 65. Ut medicus conferat sanitatem, non est necessarium illius corpus, quod est instrumentum animæ habentis artem medicinæ, esse sanum: Ergo ut Deus per ministrum qui est ejus instrumentum, gratiam conferat, & sacramenta conficiat, necessarium non est, quod minister gratiam habeat aut fidem.

Confirmatur secundò alio exemplo S. Augustini lib. 3. contra Cresconium cap. 8. Ut semen 66. fructificet, nihil refert quod lotis aut sordidis manibus seminetur, sed satis est si bonum sit, & ex se fructiferum, & terra ad fructificandum idonea; hoc enim posito, & Solis influxu non deficiente, terra dabit fructum suum: Ergo quidquid sit de sanctitate & munditia ministri, si adsint cætera requisita, verum conficietur sacramentum, gratiam conferens.

Alio exemplo utitur idem Augustinus Tractatu 5. in Joan. ubi sic ait: *Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus? Non contaminatur donum Christi, quia per illum purus fluvius transit, & venit ad fertilem terram.* Et paulò 67. post subdit: *Lapis ex aqua fructum ferre non potest, & si per lapideos canales transit ad areolas aqua, in canali lapideo nihil generatur, sed tamen hortis fructum plurimum affert: spiritualis enim virtus sacramenti, ut pura lux, ab illuminandis excipitur, sed per immundos transiens, non coinquinatur.* Aliud exemplum adducit Nazianzenus orat. 40. in sanctum Baptisma, comparat enim bonum vel malum ministrum, sigillo aureo vel ferreo, quod eundem habet effectum, sive aureum sit, sive ferreum.

Confirmatur tertiò: Potest artifex uti ad opera sua nedum instrumento vivo & sibi conjuncto, putà manu, sed etiam inanimato & separato, nempè malleo: Ergo similiter potest Deus homine carente vitâ gratiæ, nec sibi per charitatem aut fidem conjuncto, uti tanquam instrumento ad sacramenta & eorum effectus. 68.

Tertia ratio: Ut quis efficaciter utatur gratiâ 69. gratis sibi datâ, non requiritur quod habeat gratiam

gratiam gratum facientem, vel fidem, ut constat de Caipha, qui licèt pessimus, & scripturis de Christo, ejusque miraculis credere nollet, veritatem tamen de ipso prophetavit: Sed potestas conficiendi & ministrandi sacramenta, ad gratias gratis datas reducitur, quia per se ordinatur ad bonum alterius, non verò ad bonum ejus in quo est, nisi per accidens: Ergo illius usus gratiam gratum facientem vel fidem necessariò in ministro non requirit. Quare sicut cerea fax (comparatio est Nicolai Papæ ad consulta Bulgarorum) sibi quidem detrimentum, aliis verò gratissimum lucis commodum præstat accensa: sic malus minister pollutis manibus sacramenta porrigens, eo sibi opere nocumento est, quod aliis magno est emolumento.

70. Quarta ratio sumitur ex inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia: si enim ad valorem sacramenti requireretur sanctitas & fides ministri, vix ulla esset fidelibus securitas de sua salute; sicut enim semper essent incerti de bonitate ministri, ita & de valore sacramenti ab eo collati.

71. Si dicas, non minùs esse fideles incertos de intentione ministri, quàm de ejus sanctitate. Respondeo hoc esse falsum, cùm enim longè facilius sit ministro habere intentionem conficiendi sacramentum, quàm sanctitatem, potest non solùm ipse minister, sed etiam recipiens sacramentum ab eo, magis esse certus de intentione ejus, quàm de ipsius sanctitate; sæpè enim contingit, ut qui videntur boni, mali sint, cùm tamen ministrum non habere necessariam intentionem, rarò contingat, quia ille defectus non provenit, sicut defectus sanctitatis, ex difficultate illam habendi, sed ex pura malitia.

§. II.

Solvuntur objectiones.

72. OBjicies primò: Leo Papa Epistolâ 77. negat baptizatos ab hæreticis sanctificationem accipere, & Ambrosius libro de his qui initiantur cap. 4. ait quod *Baptisma perfidorum non sanat, sed polluit.* Similiter Athanasius sermone tertio contra Arianos, baptismum ab illis collatum appellat *vanum & invalidum.* Demum S. Thomas in supplemento quæst. 38. art. 2. docet hæreticum non posse absolvere à peccatis: Ergo hæretici non possunt vera sacramenta conficere, vel ministrare.

73. Respondeo hæc & alia similia Patrum testimonia intelligenda esse de sacramento in ordine ad effectum principalem, scilicet gratiam, ita ut velint solùm negare sacramentum ab hæreticis collatum, esse validum ad conferendam gratiam, cùm enim Ecclesia prohibeat ne suscipiantur sacramenta ab hæreticis, consequenter qui aliquod sacramentum ab ipsis recipit, hoc ipso ponit obicem effectui sacramenti, & ideò baptismus ab hæretico collatus, non est validus ad conferendam gratiam. In eodem sensu docet S. Thomas in supplemento, hæreticum à peccatis absolvere non posse, quia scilicet, cùm accipiens absolutionem ab hæretico, fictus ad sacramentum accedat, gratiam non recipit; & insuper quia ratione fictionis, deficit illi dolor de peccatis, qui est materia pœnitentiæ; & tandem quia ad absolvendum à peccatis, ultra potestatem characteris, requiritur jurisdictio quæ hæretico deficit.

A Objicies secundò: Immundus mundare non 74. potest, juxta illud Ecclesiastici 34. *Ab immundo quid mundabitur?* Sed peccator est immundus: Ergo alios mundare non potest, conferendo illis gratiam per sacramenta.

Respondeo ab immundo, ut à causa principali, neminem mundari, benè tamen ut ab in- 75. strumentali, quia ut producat gratiam non debet illam formaliter habere, sed sufficit quod illam contineat virtualiter, seu quod per virtutem causæ principalis illam possit producere, quare ad illam producendam non concurrit minister ut immundus, sed ut instrumentum Dei & Christi.

B Objicies tertiò: Christus influit in suos fide- 76. les gratiam per ministros tanquam per membra sui & Ecclesiæ: Sed infidelis membrum Ecclesiæ & Christi non est: Ergo medio ministro infideli gratiam non influit, nec sacramenta confert.

Confirmatur: Sacramenta habent efficaciam ex passione Christi: Sed infidelis non continuatur 77. cum passione Christi, per fidem propriam, neque per fidem Ecclesiæ, cùm sit ab Ecclesia separatus: Ergo non potest conficere sacramenta, neque ut instrumentum Christi gratiam conferre.

Confirmatur secundò: Soli Ecclesiæ sunt data 78. sacramenta, & consequenter solùm in illa reperiuntur: Sed inter hæreticos vera non est Ecclesia: Ergo neque vera sacramenta: non ergo ab ipsis validè conficiuntur.

C Confirmatur tertiò: In nulla communitate, ab 79. illa expulsus potest officia communitatis tradere seu distribuere: Sed per sacramenta imprimentia characterem, deputatur recipiens ad aliquod officium intra Ecclesiam: Ergo hæc saltem sacramenta ab hæretico, utpotè ab Ecclesia expulso, conferri non possunt.

Ad objectionem respondetur cum D. Thoma 80. hic art. 5. ad 2. Christum Dominum operari per bonos ministros, tanquam per membra viventia & sibi conjuncta, per malos autem tanquam per membra abscissa & separata: potest enim D vivens operari per instrumentum carens vitâ, & à se separatum, quantùm ad corporis unionem, dummodo sit sibi conjunctum per quandam motionem; aliter enim operatur artifex per manum, & aliter per securim, per manum enim operatur tanquam per instrumentum sibi unitum & vivens, per securim autem tanquam per instrumentum carens vitâ, & separatum, quamvis ipsi per motionem conjungatur. Sic igitur Christus operatur in sacramentis per bonos, tanquam per membra viventia, per malos verò, tanquam per instrumenta carentia vitâ, & separata.

Ad primam confirmationem respondetur ex 81. D. Thoma in supplemento quæst. 28. art. 2. negando Minorem, quoad secundam partem: in- E fideles enim continuantur cum passione Christi, per fidem Ecclesiæ; quia quamvis in fide Ecclesiæ non sint, sunt tamen in ea, quantum ad formam quam in sacramentis servant, quæ est forma Ecclesiæ: sunt etiam in fide Ecclesiæ, quantùm ad intentionem faciendi quod facit Ecclesia; ex quo ibi intulit Cajetanus, hæreticum non conferre sacramenta, ut præcisum ab Ecclesia, sed ut aliquo modo ipsi conjunctum & continuatum.

Ad secundam dicendum, soli Ecclesiæ esse data 82. sacramenta, sed sacramentis Ecclesiæ & Christi, etiam extra Ecclesiam existentes uti. Et ratio est,

Universidad de Deusto - Biblioteca

quia instituta sunt à Christo ad conferendam gratiam, tanquam illius instrumenta,& extra Ecclesiam existentes retinent characterem, qui est potestas ad illa conficienda, atque adeò si apponatur materia & forma à Christo Domino præscripta, cum debita intentione, conficiuntur vera sacramenta, & efficacia ad conferendam gratiam, si non obstet indispositio recipientis.

83. Ad ultimum dicatur, quod si per exclusionem à communitate amittatur potestas tradendi seu distribuendi officia communitatis, vera est major, falsa autem, si cum exclusione à communitate, retineatur talis potestas: hoc autem est speciale in expulsione ab Ecclesia, quòd per illam potestas suprà dicta non aufertur, hæc enim est indelebilis, quia consistit in charactere, qui nunquam amittitur. Tenet tamen paritas, quantùm ad hoc quod expulsi ab Ecclesia non possunt licitè illâ potestate uti, ac proinde hæretici illicitè quidem, sed non invalidè, sacramenta ministrant.

84. Objicies quartò: Actio sacramentalis sacerdotis existentis in peccato mortali, v. g. consecratio Eucharistiæ, est grave peccatum, & ingens sacrilegium: Ergo non potest esse à Deo ut speciali motore: Sed si per eam validè conficeretur sacramentum, necessarium esset quod à Deo ut speciali motore procederet, cùm omne instrumentum, ad attingendum effectum causæ principalis, ab ea specialiter moveri debeat: Ergo à malo ministro non potest confici sacramentum.

85. Respondeo primò, concesso Antecedente, negando consequentiam: cùm enim divina motio sit præcisiva, ita attingit ea quæ pertinent ad lineam entis & boni transcendentalis in actu ad quem movet, ut tamen ad ejus deformitatem & malitiam moralem nequaquam se extendat, ut *Disp. 8. art. 6.* fusè ostendimus, & variis exemplis declaravimus in Tractatu de voluntate Dei.

86. Respondeo secundò, actionem quâ minister in peccato mortali existens sacramentum conficit, posse dupliciter sumi, nimirum vel quatenus procedit à ministro ut tali, sive ut instrumento à Deo assumpto, vel inquantum procedit à ministro, non ut tali, sed ut causa principali morali. Secundo isto modo sumpta, est mala & sacrilega, de formali, ac proinde non est à Deo ut speciali motore; benè tamen primo modo considerata, utpotè bona secundùm illam rationem.

ARTICULUS IV.

Utrum ministri sacramenta in peccato mortali ministrantes, semper peccent mortaliter?

§. I.

Quibusdam præmissis difficultas resolvitur.

87. PRo resolutione hujus difficultatis sciendum est, ministrum sacramentorum esse duplicem, scilicet ministrum ex officio, sive solemnitatis, & ministrum necessitatis. Primus dicitur ille qui conficit sacramenta, speciali consecratione ad ea conficienda deputatus, qualis est sacerdos celebrans missam; absolvens à peccatis, & cum ritu & solemnitate baptizans. Secundus verò sine aliqua speciali consecratione & deputatione sacramenta ministrat. Est autem usus hujus ministri in Ecclesia, propter sacramentum Baptismi A tantùm, quod quia est necessarium necessitate medij, etiam in re, respectu parvulorum ad salutem, & non possunt in quocunque casu adhiberi ministri ex officio, ut cum omni solemnitate tale sacramentum conferatur, voluit Christus ut in illis casibus in quibus non posset adhiberi solemnitas illa à ministro consecrato, posset Baptismus à quolibet sive clerico, sive laïco, sive fideli, sive infideli, sine solemnitate conferri. Dixi propter sacramentum Baptismi, quia cùm alia sacramenta non sint ita ad salutem necessaria (quatenus vel eorum effectus non est simpliciter necessarius, vel si sit necessarius, potest haberi aliâ viâ, scilicet per contritionem, ut pa- B tet de effectu pœnitentiæ) nunquam possunt validè confici, nisi à ministro ex officio specialiter ad ministerium divinum consecrato excipe tamen matrimonium, quod quia est contractus civilis, non exigit ministrum consecratum, sed ipsi contrahentes sunt ministri ipsius. His positis.

Dico primò: minister solemnitatis sacramenta conficiens vel administrans in peccato mortali, peccat mortaliter. Ita communiter Theologi cum Divo Thoma hîc art. 6. exceptis quibusdam Recentioribus, oppositum ut probabile defendentibus, quos refert Martinez à Prado hîc dubio 4. §. 2. C

Hæc conclusio in primis probari posset multis Pontificij juris determinationibus, sed duæ sufficient. Prima habetur titulo de *temporibus ordinandorum*, capite *Quæsitum*, ubi decernitur Clericos iniquè viventes esse admonendos, & sub interminatione divini judicij obtestandos, *ne in susceptis Ordinibus ministrent*. Altera sumitur ex capite *Necesse est* 1. quæst. 1. ubi Gregorius dicit: *Necesse est ut munda sit manus quæ diuturnæ sordes curat*, & adducit illud Isaiæ. 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini*.

Favent etiam SS. Patres: Dionysius enim cap. 2. Eccl. hierarchiæ, ait quod *malis non est fas tangere symbola, id est sacramentalia signa*. Et Augustinus lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 10. D dicit quod *omnia sacramenta, cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus*. Eos autem dicit indignè sacramenta tractare, qui ficti, hoc est qui mali sunt, & in peccato, ut constat ex toto capite. Videri etiam potest Hieronymus super illud Sophoniæ 3. *Sacerdotes polluerunt sanctum*, relatus cap. *Sacerdotes* 1. quæst. 1. cujus sensum optimè explicat D. Thomas infra quæst. 82. art. 5. ad 1.

Potest etiam suaderi conclusio ratione D. Thomæ, quæ ex duobus sumitur, scilicet ex conditione ministri ex officio, qui debet in sanctitate conformari Deo & Christo, quorum est minister juxta illud Levitici 19. *Sancti eritis, quoniam* E *ego sanctus sum*; & ex sanctitate sacramentorum, sunt enim actiones quædam sanctificatione consecratæ, unde ut minister congruat ministerio, debet habere sanctitatem, alias quantùm est ex se contaminat & evacuat sanctitatem illarum actionum. Unde Chrysostomus homil. 60. ad populum Antiochenum: *Quo non oportet igitur esse puriorem tali fruentem sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem? Os quod igne spirituali repletur, linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit? &c.*

Confirmatur: Cùm sacramenta sint sancta sanctitate intrinsecâ & perfectâ, vasa verò sacra, sanctitate

sanctitate solùm extrinsecâ & imperfectâ, non A minorem requirunt sanctitatem intrinsecam in ministro ex officio, quàm vasa sacra extrinsecam: Sed tantam ex natura rei sanctitatem extrinsecam requirunt vasa sacra in ministro qui eis ex officio utitur, ut si illa sciens & volens manibus valde obscœnis tractet, peccet eo ipso mortaliter contra reverentiam eorum consecrationi & ministerio debitam: Ergo similiter tanta requiritur sanctitas & mundities intrinseca in ministro ex officio sacramentorum, ut si ea cum immunditia intrinseca quæ sit magna, qualis haud dubiè est immunditia peccati mortalis, admiscetur, peccet eo ipso graviter.

92. Confirmatur ampliùs: Recipere sacramentum in statu peccati mortalis, est peccatum mor- B tale sacrilegij: Ergo & à fortiori ipsum in eodem statu conficere: conficiens enim sacramentum altiori modo se habet ad ipsam gratiam, nimirum causando, quàm recipiens, ac proinde major requiritur in illo ornatus, & major sanctitas.

93. Dico secundò: Minister necessitatis, & non consecratus, ministrans in peccato mortali, non peccat mortaliter. Ita D. Thomas hîc artic. 6. ad 3. probaturque ejus ratione. Ministrans non ex officio sacramentum, sed ut minister necessitatis, quamvis rem sacram speciali benedictione consecratam attingat, hoc tamen non facit exhibendo se ministrum Christi & Ecclesiæ: C unde propterea non adhibet ritum & solemnitatem ab Ecclesia præscriptam, sed solùm subvenit necessitati patientis: Ergo obligatur ad se conformandum sanctitati Christi & Ecclesiæ, sicque non peccat ministrans sacramentum in peccato mortali.

94. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Ideò minister consecratus peccat ministrando sacramentum in peccato mortali, quia ipsi ex officio incumbit ministrare sacramenta, & per consecrationem accipit potestatem & specialem gratiam ad ea administranda: Sed nihil horum reperitur in ministro non consecrato: Ergo non pec- D cat ministrando sacramentum.

95. Ex quo infert S. Doctor loco citato, sacerdotem ministrantem Baptismum sine solemnitate, in casu necessitatis, non peccare mortaliter, etiam si existat in mortali; nam licèt sit consecratus, & illi sit collata specialis gratia ad ministrandum, se tamen tunc non exhibet ministrum Ecclesiæ sed subvenit necessitatem patienti, atque adeò consecratio se habet tunc materialiter & per accidens.

§. II.

Solvuntur objectiones.

96. OBjicies primò contra primam conclusionem: Bonitas ministri solùm exigitur & E debetur secundùm quandam decentiam ad sacramentum, ut ait D. Thomas hic art. 5. ad 3. Sed aliquid deficere actui, debitum solùm secundùm decentiam, non est peccatum, saltem mortale, nam actus misericordiæ vel charitatis valde remissus, à sanctissimo viro elicitus, non est peccatum, & tamen secundùm decentiam deberetur illi major intensio: Ergo ministrare sacramentum sine bonitate, & in peccato mortali, non est peccatum mortale.

97. Respondeo cum Cajetano hîc art. 6. §. *Ad hoc*, actionem sacramentalem posse dupliciter con- A siderari: primò secundùm rationem operis operati, sive ut præcise est confectio sacramenti: secundò in ratione operis operantis, hoc est ut procedit à ministro specialiter dicato, consecrato, & deputato ad sacramentorum ministerium. Licèt autem status gratiæ non requiratur in ministro ad esse simpliciter actionis sacramentalis, præcisè primo modo sumptæ, sed tantùm ut decenter fiat; bene tamen ad esse simpliciter ipsius consideratæ in ratione operis operantis, adeò ut quod ut talis procedat à ministro ex officio, existente in gratia, quia, ut suprà dicebamus, minister ut secundùm rectam rationem ministret, debet domino suo conformari, subindeque sanctus esse, sicut Christus, cujus est minister, sanctus est.

Dices, cùm gratia sacramentalis ex quo tota sacramentorum sanctitas desumitur, non in ministrante, sed in suscipiente recipiatur, non minor requiritur dispositio in isto, quàm in illo: Sed recipiens sacramentum pœnitentiæ v. g. cum sola attritione, atque adeò in statu peccati mortalis, si ipsum commisit, adhuc existens, non peccat mortaliter, imò neque venialiter: Ergo nec ex officio ministrans tale sacramentum. 98.

Respondeo negando paritatem Majoris, dis- 99.
paritas est, quia ministrans sacramentum habet C rationem agentis, respectu gratiæ, suscipiens verò rationem patientis: nobilius autem est agere quàm pati, & consequenter majorem dispositionem requirit.

Objicies secundò: Si ratio fundamentalis primæ conclusionis valeret, sequeretur Confirma- 100.
tum, publice & coram tyranno confitentem fidem in peccato mortali, mortaliter peccare, quia per Confirmationem datur ipsi potestas & specialis gratia ad sic profitendam fidem. Sequeretur insuper conjuges reddendo aut petendo debitum in peccato mortali, peccare mortaliter, quia abutuntur gratiâ sacramentali, quæ illis per sacramentum Matrimonij datur ad rectum usum illius: Sed hæc absurda sunt, & à veritate penitùs aliena: Ergo nostra conclusio falso nititur principio.

Respondeo negando utramque sequelam, nam 101.
ut rectè advertit Cajetanus hic art. 6. §. *Circa utrumque*, ut peccet mortaliter minister exercens potestatem sibi per consecrationem datam, seu eliciens actum ad quem benè exercendum illi est data specialis gratia, requiritur talem actionem esse factivam sacramenti, vel sacramentalem, quorum neutrum reperitur in Confirmato, publicè & coram tyranno profitente fidem, aut in conjugibus reddentibus aut petentibus debitum conjugale, nulla enim ex illis actionibus est factiva sacramenti, vel sacramentalis, Utrumque ergo requiritur ad hoc ut minister peccet mortaliter in exercitio sui ministerij, nimirum quod sit minister consecratus, seu ex officio, & quod actio sit factiva sacramenti, vel saltem sacramentalis, id est ad conficiendum sacramentum ordinata, vel distributiva sacramenti jam facti; ita ut si alterum horum defuerit, peccatum mortale in exercitio ministerij sacri non committatur. Ex quo.

Inferes primò, quod contrahens matrimo- 102.
nium in peccato mortali, licèt peccet mortaliter, quia sine debita dispositione recipit sacramentum, non tamen quia illud administrat: ad tale

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim sacramentum ministrandum, specialem consecrationem non habet. Neque obest, quod non sit alius propinquior minister illius sacramenti, ac proinde videatur minister ex officio: nam ad ministrum ex officio, hoc non sufficit, sed requiritur insuper quod ad hoc ex vi alicujus consecrationis deputatus sit.

103. Inferes secundò, sacerdotem celebrantem in peccato mortali, duplex peccatum committere, alterum quia conficit sacramentum, & alterum quia illud recipit. Imò probabile est, illum tertium peccatum committere, inquantùm sibi Eucharistiam in peccato mortali ministrat; ut enim infrà dicemus, probabilius est, quod ministrare Eucharistiam jam confectam in peccato mortali, peccatum mortale est. Sed quidquid sit de hoc, certum est apud omnes, duo illa vel tria peccata sufficienter in confessione explicari, si sacerdos dicat se celebrasse in peccato mortali. Potest tamen aliquando contingere, quod sacerdos peccet conficiendo sacramentum Eucharistiæ; non tamen illud recipiendo, & sibi administrando; si nimirùm consecrans in peccato mortali, peracto sacrificio, ante sumptionem habeat contritionem, tunc enim recipiendo, & sibi ministrando Eucharistiam, non peccat; unde si hoc contingat, debet in confessione explicari.

104. Inferes tertiò, ministrantem sacramentum pœnitentiæ, etiam moribundo, in peccato mortali, peccare mortaliter, tametsi periculum ægritudinis ita urgeat, ut tempus ad contritionem ipsi non suppetat.

Prima pars hujus corollarij certa est, & ab omnibus admittitur: pœnitentia enim conferri non potest, nisi à ministro consecrato, qui semper tenetur conformari Deo cujus est minister, & sanctitati sacramenti, ut suprà dicebamus. Addo, sacramentum pœnitentiæ tantæ necessitatis non esse, quòd per contritionem illius defectus suppleri non possit: quâ ratione non instituit Christus Dominus quòd in mortis articulo laïcus posset absolvere, sicut ipsi concessit potestatem baptizandi: Ergo sicut ad valorem sacramenti pœnitentiæ in omni eventu requiritur potestas per consecrationem collata, ita ad illius congruam administrationem, semper exigitur status gratiæ in ministro. Unde S. Thomas hîc artic. 6. ad 3. postquam excusavit à peccato baptizantem in mortali in extrema necessitate, subdit, *secùs autem est in aliis sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis sicut Baptismus.*

105. Secunda verò probatur contra Vazquem, qui ab hac generali regula excipit casum in quo ægritudinis periculum ita urgeat hominem, ut tempus ad contritionem ipsi non suppetat; tunc enim existimat sacerdotem in mortali existentem, posse absque peccato sacramentum pœnitentiæ ipsi administrare: quia (inquit) quamvis dignior sit virtus religionis erga Deum, quàm misericordiæ erga proximum, Deo tamen plus placet, ut proximo, in cujus utilitatem institutum est pœnitentiæ sacramentum, succurramus, quàm ut dispositionem aliàs debitam servemus.

106. Verùm hæc ratio frivola est, & facilè convelli potest: Sacerdos enim in casu posito potest utrumque præceptum adimplere, & misericordiæ, ministrando sacramentum egenti, & religionis, administrando illud in gratia; potest enim habere contritionem peccatorum, quia contritio, utpotè actus voluntatis, quæ est potentia spiritualis, fieri potest in instanti, aut saltem in brevissimo tempore: Ergo tunc administrando sacramentum pœnitentiæ in peccato mortali, sacrilegium committit.

Confirmatur: Moribundus cui ita imminet periculum mortis, tenetur (si non adsit copia Confessoris) suorum peccatorum contritionem habere, & si illam non habeat, peccat mortaliter, quamvis tempus brevissimum sit: Ergo etiam minister excusari non potest ab habenda contritione, propter brevissimam morulam temporis, hæc enim potentiam ad illam habendam non aufert, licèt difficilem illam reddat: difficultas autem adimpletionis præcepti, obligationem non aufert ab eo qui absolutè illud adimplere potest. 107.

Inferes quartò, esse peccatum mortale audire confessiones in peccato mortali, tametsi minister habeat animum confitendi, vel habendi actum contritionis, antequam pœnitentem absolvat à peccatis. Nam licèt audire confessiones, non sit conficere sacramentum, est tamen actio sacramentalis, utpotè ad conficiendum sacramentum proximè ordinata: ut autem minister consecratus mortaliter peccet in exercitio ministerij, sufficit quod actio quam elicit, sit factiva sacramenti, vel sacramentalis, id est ad conficiendum sacramentum proximè ordinata, vel distributiva, aut applicativa sacramenti jam facti, ut suprà dicebamus. Ex quo 108.

Inferes quintò, ministrare Eucharistiam in peccato mortali, esse peccatum mortale. Licèt enim hæc actio non sit confectiva sacramenti, est tamen distributiva illius, subindeque aliquo modo sacramentalis. 109.

Confirmatur ex D. Thoma in 4. distinct. 24. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 5. ad 4. ubi sic ait: *Quicunque exhibet se in aliquo actu ut ministrum Ecclesiæ, mortaliter peccat* (intellige si illum in statu peccati mortalis eliciat) *& toties mortaliter peccat, quoties hunc actum facit: quia ut dicit Dionysius 1. capite cœlestis hierarchiæ, Immundis nec symbola, id est sacra signa, tangere fas est: unde qui tangunt res sacras, quasi suo officio utentes, peccant mortaliter. Secùs autem esset si in aliqua necessitate aliquid sacrum contingeret vel exequeretur, in illo casu in quo etiam laïcis liceret, sicut si baptizaret in articulo necessitatis, vel si corpus Christi in terram projectum colligeret.* Quibus verbis S. Thomas asserit, corpus Christi ex officio tangere in peccato mortali, peccatum esse mortale: Sed tangere corpus Christi illud dispensando fidelibus, convenit ex officio sacerdoti, ut docet idem S. Doctor in hac parte qu. 81. art. 3. Ergo illud in peccato mortali dispensare, erit peccatum mortale. Ratio etiam quam insinuat, id vehementer suadet. Hominem enim exercere in peccato actionem in qua exhibet se ut ministrum Christi & Ecclesiæ, & ad quam exercendam est consecratus, peccatum mortale est, nisi fortè ex parvitate materiæ veniale fiat: Sed in dispensando Eucharistiam exhibet se ut ministrum Christi ad hoc consecratum, & materia parva non est: Ergo peccat mortaliter illam in peccato dispensando. Unde idem Doctor Angelicus hîc art. 6. sic ait: *Non est dubium quin mali exhibentes se ministros Dei & Ecclesiæ, in dispensatione sacramentorum peccent.*

Inferes sextò probabilius esse peccare mortaliter Diaconos & Subdiaconos solemniter sua officia exercentes in peccato mortali. Nam licèt 110.

actiones

actiones propriæ Diaconi & Subdiaconi, quæ sunt cantare Evangelium, & in vasis sacris præparare materiam Eucharistiæ, eamque tradere sacerdoti consecrandam, non sint sacramenta, sunt tamen actiones sacramentales, respicientes sacramentum Eucharistiæ, & ad ipsum propè accedentes, ac specialem consecrationem in ministro existentes. Unde capite ultimo de temporibus ordinandorum suprà citato, Gregorius X. sub interminatione divini judicij prohibet hujusmodi in susceptis Ordinibus ministrare. Excusantur tamen à peccato mortali minoribus Ordinibus initiati, si in peccato mortali sua officia exerceant, propter parvitatem materiæ, quia nimirum illorum ministerium est mediatum, & valdè remotum à sacramento Eucharistiæ.

111. Inferes septimò, Episcopos chrisma & oleum infirmorum in mortali consecrantes, peccare mortaliter, non tamen cùm in statu peccati mortalis benedicunt templa, vasa, sacras vestes, Virgines Deo dicatas, vel Abbatissas.

112. Prima pars hujus corollarij patet ex dictis: Conficere enim materiam sacramenti, ut est chrisma & oleum infirmorum, actio sacramentalis est, utpotè ad confectionem sacramenti proximè ordinata: Sed exercere actionem sacramentalem in statu peccati mortalis, peccatum mortale est, ut ex suprà dictis constat: Ergo & consecrare chrisma, vel oleum infirmorum. Addo quod actiones illæ pertinent ad potestatem Ordinis in summo gradu, scilicet Episcopalis, & insuper constituunt materiam sacramenti Confirmationis & Extremæ-Unctionis, unde fit ut sint gravissimæ in genere rei sacræ.

Ex quo probata manet secunda pars corollarij, cæteræ enim actiones suprà dictæ, nec sunt sacramenta, nec actiones sacramentales, nec pertinent de jure divino, sed solùm ex jure Ecclesiastico, ad potestatem Ordinis in summo gradu, scilicet Episcopalis, unde eas exercere in peccato mortali, non est peccatum mortale. Idem dicendum de prædicatione Evangelica: Prædicatio enim verbi Dei, non est actio specialiter consecratione sanctificata, neque ex natura rei, aut jure divino, annexa alicui Ordini sacro, cùm etiam non Clericis committi possit: unde ille qui in peccato mortali prædicat, non peccat mortaliter, maximè si ipsi ex officio incumbat, & cum timore & reverentia id faciat, & peccatum ejus non sit publicum, ob quod vituperetur ejus ministerium, & prædicatio contemnatur.

113. Objicies tertiò contra secundam conclusionem, in qua diximus, ministrum necessitatis & non consecratum, ministrantem in peccato mortali, non peccare mortaliter. In administratione sacramentorum, minister, etiam necessitatis, est minister Christi ad hoc institutus, utpotè cùm omnia quæ sunt de necessitate sacramenti, ex quibus unum est minister, oporteat esse à Christo instituta: Sed minister Christi in administratione sacramentorum, tenetur sub mortali conformari in sanctitate Christo, tanquam principali ministro, ut suprà dicebamus: Ergo minister, etiam necessitatis, debet esse in statu gratiæ, cùm sacramenta ministrat, subindeque si illa ministret in peccato mortali, peccabit mortaliter.

Confirmatur: Quod minister necessitatis non 114. teneatur sub mortali esse in statu gratiæ, quando aliquod sacramentum administrat, vel provenit ex necessitate suscipientis sacramentum, vel ex defectu solemnitatis Ecclesiæ, vel quia minister ille non est specialiter ad hoc munus consecratus, sicut minister solemnitatis, sive ex officio? Non ex primo capite, necessitas enim suscipientis sacramentum, non impedit quominus sancta sanctè tractari debeant. Neque ex secundo, quia solemnitas Ecclesiastica est accidentaria, obligatio autem sanctè administrandi sacramentum, per se & intrinsecè oritur ex substantiali ritu, & sanctitate ipsius sacramenti. Non denique ex tertio capite, nam obligatio sacramentum administrandi in statu gratiæ, non oritur ex consecratione ministri, sed ex sanctitate sacramenti, & Christi, debitaque ipsis reverentia, ad quam tenetur minister, tam consecratus, quàm non consecratus: Ergo, &c.

Ad objectionem respondeo distinguendo Antecedens. In administratione sacramenti minister 115. etiam necessitatis est minister Christi, per se institutus, nego. Institutus ex accidenti solùm, ob urgentem necessitatem, concedo antecedens, & nego Consequentiam: Soli enim ministro Christi per se instituto, incumbit specialis obligatio se conformandi in sanctitate suo principali agenti, cujus vicem gerit, non verò ministro necessitatis, utpotè cui non tantum onus debet imponi, quantum illi ad quem per se pertinet administratio sacramenti.

Ad confirmationem respondeo, neque præci- 116. sè propter necessitatem suscipientis sacramentum, neque ob defectum solemnitatis Ecclesiasticæ, ministrum necessitatis eximi ab obligatione existendi in statu gratiæ, quando conficit sacramentum, sed ob defectum deputationis per se ad hoc munus. Ad probationem in contrarium, dico quod licèt obligatio ministrandi sacramentū in statu gratiæ oriatur ex sanctitate sacramenti, & principalis ministri, reverentiaque ipsis debita, non tamen oritur respectu cujuscumque ministri, sed illius duntaxat qui per se ad hoc munus deputatus est; quamvis enim uterque teneatur exhibere reverentiam sacramento, & ejus Authori, non tamen exigitur tanta reverentia à ministro necessitatis, quanta ab alio, sed sufficit quod sine contemptu, cum debita fide, & exteriori reverentia, sacramentum administret.

Ad complementum hujus disputationis, quæ- 117. res primò, an licitum sit petere & accipere sacramenta à malo ministro?

Respondeo affirmativè, si ille sit toleratus ab Ecclesia, & paratus ad ministrandum, tunc enim petens & accipiens ab illo sacramentum, non cooperatur peccato ipsius, sicut nec ille qui mutuum accipit ab usurario jam parato mutuò dare ad usuram. Si verò minister non sit ab Ecclesia toleratus, putà quia est degradatus, excommunicatus, vel suspensus, non licèt ab eo sacramenta recipere vel petere, quia hoc esset communicare peccato illius. Unde D. Thomas hîc art. 6. ad 2. *Ille* (inquit) *qui ad sacramentum accedit, suscipit sacramenta à ministro Ecclesiæ, non inquantum est talis persona, sed inquantum est minister Ecclesiæ, & ideo quandiu ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato ejus, sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tanquam ministrum exhibet. Si verò ab Ecclesia non toleratur* (putà cùm degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur) *peccat qui ab eo accipit sacramentum, quia communicat peccato ejus.*

Observandum tamen, in casu extremæ necessitatis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cessitatis licitum esse petere & recipere sacramenta à quocumque ministro, etiam non tolerato, quantumvis infideli, hæretico, vel apostata: quia Ecclesia non abstulit ministris malis facultatem administrandi in casu extremæ necessitatis sacramenta necessaria ad salutem, ut sunt baptismus, & pœnitentia.

118. Quæres secundò, quam dispositionem teneatur habere malus minister in prædictis casibus sacramenta ministrando?

Respondeo juxta quosdam Authores sufficere attritionem, juxta alios, requiri sacramentalem confessionem; alios verò docere, attritionem non sufficere, neque necessariam esse confessionem, sed solam contritionem, saltem existimatam. Unde juxta horum Authorum sententiam, ut malus minister non peccet, sacramenta in prædictis casibus ministrando, debet facere quod in se est ad veram contritionem habendam, quamvis aliquando in re non sit contritus, sed in sua solùm probabili existimatione. Et hæc sententia est verior, aut saltem probabilior aliis. Ratio est contra primam opinionem, quia sola attritio non tollit malitiam peccati mortalis, etiam in existimatione peccantis, nec consequenter indignitatem ministri, benè tamen contritio. Contra secundam verò, quia nullum extat præceptum de præmittenda confessione sacramentali administrationi sacramentorum in prædictis casibus: neque enim habetur in sacra Scriptura, neque in jure, neque ex traditione, aut consuetudine colligitur, neque oritur naturaliter ex natura administrationis sacramentorum. Hinc tamen excipe sacramentum Eucharistiæ, ad ejus enim administrationem, si habeatur copia confessoris, necessariò debet præmitti confessio sacramentalis, ut dicemus in Tractatu de Eucharistia.

DISPUTATIO VII.

De numero & ordine Sacramentorum.

Ad quæst. 65. D. Thomæ.

AD complementum hujus Tractatûs, duo solùm hîc nobis restant explicanda, nimirum quot sint novæ legis sacramenta, & quem ordinem servent inter se, tam quoad naturam, quàm quoad perfectionem & necessitatem. Unde sit

ARTICULUS PRIMUS.

Quot sint novæ legis sacramenta?

CIrca numerum sacramentorum novæ legis varij sunt Hæreticorum errores, alij enim unum tantùm admittunt, alij duo, alij tria, ut refert Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 23. ubi eorum inconstantiam in numerandis sacramentis deridet ac refellit. Sed his brevitatis causâ prætermissis.

1. Dico, septem esse novæ legis sacramenta, nec plura, nec pauciora.

Conclusio est certa de fide, sic enim definitur à Florentino in Decreto Eugenij, & à Tridentino A sess. 7. can. 1. his verbis: *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura aut pauciora, quàm septem, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem: Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod eorum non esse verè ac propriè sacramentum, anathema sit.* Totidem numerarunt quotquot Theologi extiterunt, excepto Durando, qui negat matrimonium esse sacramentum: quare mentiuntur hæretici, qui numerum illum recens excogitatum, & à Concilio Florentino obtrusum Armenis esse dicunt.

Neque Theologi hunc numerum sacramentorum velut à se inventum tradiderunt, sed tanquam in Scripturis contentum, & ex Patrum traditione acceptum. Quamvis enim in Scriptura non dicatur in actu signato esse septem sacramenta, asseritur tamen in actu exercito, quatenus in ea habetur, res significatas nomine Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis, Ordinis, & Matrimonij, esse sacramenta, quod sic ostenditur. Sacramentum est ritus sacer, cui est annexa promissio gratiæ: Sed in Sacra Scriptura habetur illa septem esse ritus sacros, quibus est annexa promissio gratiæ: Ergo ex Scriptura habetur septem esse sacramenta. Major patet, Minor probatur, discurrendo per singula. In primis enim Baptismum esse ritum sacrum cui est annexa promissio gratiæ, fatentur hæretici, & apertè colligitur ex illo Matth. ultimo: *Baptizantes eos, &c. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Et ex illo Pauli ad Ephes. *Mundans eam lavacro aquæ, in verbo vitæ.* De Confirmatione habetur Actuum 8. & 19. per impositionem manuum Apostolorum fuisse datum constanter Spiritum Sanctum quibuscunque ipsi manus imponerent. Qui effectus non fuisset infallibilis, neque Apostoli ad eum finem constanter hunc ritum usurpassent, sine Christi institutione, & promissione gratiæ Spiritus Sancti. Ritus Eucharistiæ habetur Matth. 26. & 1. ad Corinth. 11. *Accepit panem, & gratias agens fregit, &c.* promissio verò gratiæ Joan. 6. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ritus Pœnitentiæ & promissio gratiæ simul habentur Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De Extrema-Unctione habetur institutio ritûs externi & promissio gratiæ Jacobi 5. *Infirmatur quis ex vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* De sacramento Ordinis institutio ritus externi per manûs impositionem, & promissio gratiæ habetur 1. ad Timoth. 4. his verbis: *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij.* Et 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Denique ritus matrimonij habetur Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Promissio verò gratiæ ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* His enim verbis docet Apostolus, matrimonium in eo quod est conjunctio viri & fœminæ, esse magnum sacramentum in Christo & in Ecclesia, quatenus significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, ac proinde gratiam quæ ad ejus præsentiam datur: nam conjunctio

junctio Christi cum Ecclesia est duplex, una secundùm naturam, quæ est facta per incarnationem, quâ Christus nedum Ecclesiæ, sed toti generi humano copulatur; alia est per gratiam & charitatem, & hac soli Ecclesiæ conjungitur, & ratione illius dicitur ejus sponsus: utramque verò conjunctionem significat matrimonium, primam scilicet, inquantùm est unio quædam naturalis & carnalis inter virum & mulierem: secundam verò, inquantùm est etiam unio spiritualis inter virum & mulierem, per gratiam & charitatem, quæ ad ejus præsentiam datur.

3. Favent etiam SS. Patres: unus pro omnibus sufficiet Augustinus, cujus etiam apud hæreticos, authoritas magna est. Ille ergo lib. 5. de Baptismo cap. 20. quatuor agnoscit sacramenta novæ legis, nempè Baptismum, Extremam-Unctionem, Eucharistiam, & Pœnitentiam, ait enim: *Si ad hoc valet quod dictum est in Evangelio, ut per peccatorem sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur?* nimirum per reconciliationem? Et lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. addit Confirmationem, his verbis: *In hoc unguento sacramentum Chrismatis vult Petilianus interpretari; quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Item lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13. eodem modo loquitur de Ordine ac de Baptismo: *Virumque* (inquit) *sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur: illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur.* Et paulò post: *Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non admittitur, & istud admittitur? Neutri sacramento facienda injuria est.* Denique libro de bono conjugali cap. 18. & 24. & libro 1. de Nuptiis cap. 10. manifestè docet matrimonium in nova lege esse sacramentum.

4. Non desunt etiam congruentiæ quibus eadem veritas suaderi potest, sed præcipua est illa quam adducit S. Doctor hic art. 1. & quæ potest sic breviter proponi. Finis omnium sacramentorum est vita supernaturalis animæ acquirenda, & ad perfectionem deducenda, eum aliqua similitudine & analogia ad vitam corporalem: in vita autem corporali primò generanda est proles, eique vita communicanda. Deinde perducenda est ad augmentum & debitam quantitatem per motum accretionis, & postea nutrienda per quotidianum cibum, sine quo temporalis vita consistere nequit: quæ tria per se homini conveniunt, & ad vivendum sunt omnino necessaria. Sed quia vita hominis multis miseriis & infirmitatibus obnoxia est, indiget duobus tanquam remediis: primò quidem medicinâ ad recuperandam sanitatem, & altero ad removendum languorem ex infirmitate contractum, quod fit per dietam & exercitium. In vita ergo spirituali proportionaliter reperiri debent hæc omnia quibus anima in esse gratiæ perficiatur in seipsa. Primò enim generari debet, & novum esse supernaturale primò recipere, quod fit per Baptismum, qui ad Titum 3. vocatur *Lavacrum regenerationis*, & de quo Christus Joan. 3. dicebat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, &c. Deinde augmentum & robur in hac vita spirituali debet per Confirmationem suscipere. Tertiò vices alimenti gerit in hac vita spirituali sacramentum Eucharistiæ, juxta illud Christi Joan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Denique quia ex quo Adam peccavit, sæpè contingit hominem in morbum spiritualem incidere, duobus aliis sacramentis indiget ad medelam: uno quidem tanquam spirituali medicinâ, scilicet pœnitentiâ, ad removendum peccatum, quod est ægritudo animæ, & altero ad reliquias morbi, ejusque languorem tollendum, scilicet Extremâ-Unctione. Et hæc sunt quinque sacramenta homini necessaria, ut perficiatur quantùm ad seipsum in ordine supernaturali. Cæterùm quia homo est animal sociabile & politicum, perfici adhuc debet in utraque vita spirituali & corporali, quatenus est membrum Reipublicæ, quod duobus modis fieri potest, primò suscipiendo potestatem administrandi aliqua officia in Republica, quod in ordine supernaturali fit per sacramentum Ordinis: deinde multiplicando Rempublicam, quod in utroque fit per Mattrimonium, est enim & officium naturæ ad propagationem naturalem ordinatum, & simul sacramentum gratiæ.

5. Hanc rationem seu congruentiam breviter attigit Eugenius IV. in Decreto unionis Armenorum, his verbis: *Novæ legis septem sunt Sacramenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso perfectionem; duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur, per Confirmationem augemur in gratia & roboramur in fide: renati autem & roborati, nutrimur divinæ Eucharistiæ alimoniâ. Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur; spiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per Extremam-Unctionem. Per Ordinem verò Ecclesia gubernatur, & multiplicatur spiritualiter, per matrimonium corporaliter augetur.*

6. Alij aliàs adducunt congruentias: sicut enim (inquiunt) Deus septem dierum curriculo mundum creavit, sic & Christus septem sacramentorum ordine, recreationis mysterium nobis impertitur, quæ illuminandis perficiendisque septem virtutibus principalibus, veluti septem splendidissimæ Planetarum stellæ, sub fidei firmamento nobis irradiant, nostrisque medendis sceleribus, quæ per septem plagas Ægypti designantur, salutifera medicamina præbent.

7. Addit Javellus 5. parte Philosophiæ Christianæ, Tract. 1. cap. 5. præstantiora Dei opera in Scriptura septenario numero designari & comprehendi. *Nam Deus* (inquit) *sex diebus mundum fabricavit, & in septimo quievit: Genes. 1. Septem diebus præcepit azyma comedi: Exodi 12. Septem agnos anniculos præcepit immolari: Levitici 13. Septem lucernas præcepit poni super candelabrum in Sanctuario: Num. 8. Solemnitatem Tabernaculorum præcepit celebrari septem diebus: Deuteron. 16. Septem instituit tubas Jubilæi: Josuë 6. In septem capillis locavit Sansonis fortitudinem: Judicum 16. Septem vicibus præcepit Helisæus Naaman Syrum lavari in Jordane, & sanatus est à lepra sua: 2. Regum 2. Sapientia excidit columnas septem: Proverb. 9. Septem panibus satiavit Christus quatuor millia hominum: Matth. 15. Septem Dæmonia ejecit à Maria Magdalena: Marci 16. Septem Spiritus in conspectu throni*

Universidad de Deusto
Biblioteca

throni ejus sunt : Apocal. 1. Septem candelabra aurea vidit Joannes : ibidem. Septem stellas in dextera filij hominis, id est Jesu Christi : ibidem Si ergo (subdit idem Author) *divina bonitas in effectibus suis, in observantiis, in caremoniis, in miraculis, septenarium numerum adeò magnificat, sapientissimè certè disposuit septem sacramenta in Ecclesia sua, ut septem rivulos ex fonte charitatis filij sui pro nobis passim effluentes.*

8. Objiciunt in primis Hæretici, numerum illum septennarium Sacramentorum, nusquam exprimi in Scriptura, nullumque ex antiquis Patribus septem enumerare : imò Ambrosium, Dionysium, & Irenæum, duo tantùm vel tria recensere sacramenta, nimirum Baptismum, Eucharistiam & Confirmationem, aut Pœnitentiam.

9. Sed ad hæc patet responsio ex suprà dictis, ostendimus enim ex Scriptura dari septem ritus, quibus annexa est promissio gratiæ, subindeque septem sacramenta, quamvis hoc nomine non appellentur. Monstravimus etiam Augustinum variis in locis septem novæ legis sacramenta manifestè agnoscere. Ratio autem cur alij SS. Patres non omnia illa simul enumerent, est quia non nisi ex occasione de his aut illis disputant. Exempli gratiâ D. Ambrosius in libro de sacramentis, de tribus solùm agit, Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia : quia (ut ipse proponit initio ejusdem operis) instituit solùm de illis tractare, quæ Cathecumenis simul cum Baptismo dabantur. Similiter Dionysius in libro de Eccles. hierarchia disserit tantùm de illis, quæ Hierarchæ, id est Episcopi, solemniter administrare solebant : nimirum de Baptismo, Eucharistia, Consecratione olei, & Ordinatione Clericorum. Et Irenæus lib. 1. cap. 9. ex occasione errorum Marci cujusdam circa Eucharistiam, de illa tractat. Tum de Baptismo cap. 18. ejusdem libri, refutans deliria circa illum hæreticorum illius temporis. Tum de Pœnitentia lib. 4. & sic de aliis, occasione aliorum errorum. Alij verò Patres ex septem novæ legis sacramentis, ea tantùm interdum exprimunt, & inculcant, quæ ratione absolutæ necessitatis vel dignitatis præstant, sicut Eucharistiam & Baptismum, sine præjudicio tamen aliorum, ut in singulis ex professo patebit.

10. Objiciunt secundò : Sacramenta fluxerunt ex latere Christi, sub figura sanguinis, & aquæ : Sed sanguis & aqua significant Baptismum & Eucharistiam, ut exponunt Chrysostomus, Cyrillus, Damascenus, & alij : Ergo sunt tantùm duo sacramenta novæ legis, scilicet Baptismus & Eucharistia.

11. Respondeo quod quamvis sanguis & aqua spiritualiter significent Baptismum & Eucharistiam, sub illis tamen, utpotè communioribus, cætera comprehenduntur, quatenus Baptismus est principium vitæ Christianæ, Eucharistia verò finis & consummatio omnium sacramentorum.

12. Ad complementum hujus quæstionis, & solutionem aliorum argumentorum, advertendum est, non esse definitum à Florentino & Tridentino, nec à Theologis assertum, quòd sint tantùm septem sacramenta specie infimâ, sed tantùm septem totalia, licèt ex his quædam sint quæ plures species subalternas aut partiales contineant. Nam Ordo verbi gratia continet Episcopatum, Sacerdotium, Diaconatum, & Subdiaconatum, & Minores Ordines. Eucharistia duas species partiales, videlicet cibum & potum sacramentalem, sub speciebus panis & vini, quæ duæ species partiales unum totale sacramentum per modum perfecti convivij constituunt; sicut & omnes Ordines, unum totalem componunt, tendentem ad consummationem perfecti ministri mysteriorum Dei, qui per varios gradus ad Episcopatûs culmen ascendit.

ARTICULUS II.

Quisnam inter sacramenta ordo reperiatur?

13. PRo resolutione hujus difficultatis advertendum est, quod triplex inter sacramenta ordo spectari potest. Primus est ordo naturæ, seu generationis, quando scilicet unum naturali ordine aliquo modo prærequiritur, aut præsupponitur ad aliud. Secundus est ordo perfectionis, quando unum est nobilius alio. Tertius est ordo necessitatis, quando unum est magis necessarium quàm aliud. Hoc supposito,

14. Dico primò : Quantum ad ordinem naturæ seu generationis, sacramenta convenienter sic ordinantur : Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium. Ita in Concilio Florentino & Tridentino suprà citatis definitur, & in Catechismo Romano, Jussu Pij V. edito, his verbis declaratur : *Primus numeratur Baptismus, veluti cæterorum janua, quo Christo renascimur. Deinde Confirmatio, cujus virtute fit ut divinâ gratiâ augeamur & roboremur. Tum Eucharistia, quâ tanquam cibo verè cœlesti spiritus noster alitur & sustinetur. Sequitur quarto loco Pœnitentia, cujus ope sanitas amissa restituitur, postquam peccati vulnera excipimus. Postea verò Extrema-Unctio, quâ peccatorum reliquiæ tolluntur, & animi vires recreantur. Sequitur Ordo, quo publica Sacramentorum ministeria perpetuò in Ecclesia exercendi, sacraque omnes functiones exequendi potestas tradatur. Matrimonium, ut ex maris & fœminæ legitima & sancta conjunctione, filij ad Dei cultum, & humani generis conservationem, procreentur, ac religiosè educentur.*

15. Ratio etiam suffragatur, nam ut discurrit D. Thomas hîc art. 2. Sicut unitas ordine naturæ seu generationis, prior est quàm multitudo, & privati homines sunt priores communitate, quippè quæ componitur ex privatis hominibus, sicut multitudo ex unitatibus : ita sacramenta quæ pertinent ad perfectionem unius personæ, sunt priora illis quæ pertinent ad perfectionem multitudinis : Sed Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, & Extrema-Unctio, ordinantur per se primò ad propriam & privatam uniuscujusque perfectionem ; Baptismus, ut generatio ; Confirmatio, ut corroboratio ; Eucharistia, ut nutritio ; Pœnitentia, ut curatio ; Extrema-Unctio, ut perfectio curationis : Ordo verò & Matrimonium spectant ad communitatem : Ergo ordine naturæ, seu generationis, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, & Extrema Unctio, sunt priora Ordine, & Matrimonio. Rursus cùm ea quæ conveniunt rei per se, sint priora iis quæ conveniunt illi per accidens, Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, quæ per se ordinantur ad perfectionem vitæ spiritualis, sunt priora Pœnitentiâ & Extremâ Unctione, quæ per accidens, ratione peccati & morbi, ad vitam

vitam spiritualem ordinantur. Et inter hæc Pœnitentia, cùm sanationem inchoet, est prior Extremâ-Unctione, quæ illam consummat, & reliquias ægritudinis tollit. Denique inter sacramenta quæ spectant ad perfectionem multitudinis, priùs ponitur Ordo, quàm Matrimonium, eò quòd ille ordinetur ad propagationem spiritalem, istud ad carnalem. Vel ut ait D. Thomas, eò quòd plus habeat spiritualitatis, quàm Matrimonium.

16. Dico secundò, ordine perfectionis Eucharistiam primum locum tenere inter omnia sacramenta. Ita D. Thomas art. 3.

Patet hæc conclusio, sacramentum enim Eucharistiæ est omnium nobilissimum & præstantissimum, tum quia consistit in esse permanenti, & non in fluxu vel usu, ut reliqua : tum etiam quia in illo Christus continetur substantialiter, in aliis verò aliqua tantùm virtus instrumentalis illius. Addit S. Doctor, Eucharistiam esse veluti finem cæterorum sacramentorum : Ordo enim ad ejus consecrationem refertur, Baptismus ad ejus receptionem, atque etiam Confirmatio, quatenus magnâ fide opus est ad dignè recipiendum & profitendum Eucharistiæ mysterium : Pœnitentia verò ad eandem refertur, ut præparatio necessaria ex occasione peccati ; Extrema-Unctio, ut utilis ad dignius communicandum, sublatis peccati reliquiis, etiam venialibus : Matrimonium denique, ratione significationis, quatenus significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quam Eucharistia perficit ; & quia moderando concupiscentiam carnalem, aliquo modo disponit ad communionem. Hinc Dionysius cap. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, Eucharistiam vocat τελέτων τελετὴ, *Sacramentum sacramentorum*, & unionem Dei nobiscum per hoc sacramentum affirmat esse κατάκρον, id est *ad summum verticem provectam*. Item Doctor mellifluus serm. in Cœna Domini, divini hujus sacramenti dulcedine illectus, ejusque magnitudinem & præstantiam describens, sic exclamat : *Potesne æstimare quale vel quantum sit hoc Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, Amor amorum, Dulcedo omnium dulcedinum*, De quo plura, cùm de hoc mirabili sacramento dicemus.

17. Dices, Matrimonium ordinatur ad bonum commune, Eucharistia verò ad bonum proprium sumentis : Ergo cùm bonum commune præstet simpliciter bono particulari, matrimonium erit perfectius Eucharistiâ.

Respondeo quod licèt Eucharistia ad bonum proprium sumentis ordinetur, & matrimonium ad bonum communitatis, tamen quia bonum istud est corporeum, illud verò spirituale, Eucharistiæ sacramentum perfectius & excellentius est sacramento matrimonij.

18. Instabis, Ordo respicit bonum commune spirituale : Ergo saltem Ordo erit perfectior Eucharistiâ.

Sed nego Consequentiam, quamvis enim Ordo respiciat bonum spirituale commune, Eucharistia verò bonum spirituale sumentis, illa tamen continet tam bonum particulare, quàm commune, cùm contineat ipsummet Christum, in quo est omnis bonitatis spiritualis plenitudo

19. Dico tertiò : Baptismum esse priorem, ordine necessitatis, tum Pœnitentiam, deinde Ordinem, & Matrimonium : Eucharistiam verò, Confirmationem, & Extremam-Unctionem, non esse simpliciter, sed tantùm secundùm quid necessaria. Ita D. Thomas art. 4.

Patet hæc conclusio, quantùm ad singulas partes : Baptismus enim, cùm sit omnium sacramentorum janua, est necessarius necessitate medij, respectu omnium & singulorum. Deinde Pœnitentia, respectu plurimorum, nempè omnium qui post Baptismum inciderunt in peccatum mortale. Ordo verò & Matrimonium, licèt non sint necessaria respectu singulorum, benè tamen respectu communitatis, ad ministrandum sacramenta, & ad convenientem propagationem Ecclesiæ ; Eucharistia autem, Confirmatio, & Extrema-Unctio, licèt sint valdè utilia fidelibus, non sunt tamen simpliciter necessaria ad salutem. Unde cùm dicitur Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, hoc est intelligendum de spirituali manducatione, & non de sola sacramentali, ut S. Thomas, post D. Augustinum, hîc artic. 4. ad 2. interpretatur.

Agunt hîc aliqui de sacramentalibus, sed de his commodiùs in tractatu de Pœnitentia dicemus, cùm agemus de remissione peccatorum venialium per sacramentalia.



Universidad de Deusto
Biblioteca

TRACTATUS TERTIUS.

DE BAPTISMO ET CONFIRMATIONE.

A Quæstione 66. Divi Thomæ, usque ad 73.

PRÆFATIO.

PRIMUM inter cætera novæ legis & Ecclesiæ sacramenta, tum necessitate, tum ordine, locum tenet Baptismus, cujus disputationem hîc instituimus, & difficultates in Scholis agitari solitas expedire aggredimur. Nullum aliud sacramentum est quod Baptismum ordine antecedat, cum ex Dionysio principium sit & janua sacramentorum. *Nullum quod Christianum hominem magis deceat, aut elegantiùs ornet impresso charactere, cùm ex Basilio sit* tessera militum Christi, & amictus splendens, *quem sanè nec Regum purpuræ, nec Imperatorum aquilæ digno pretio emant. Nullum demum est quo magis homo egeat, tum ad consequendam gratiam, tum ad promerendam salutem, cùm Baptismum Cyrillus absoluto nomine* Gratiam, *& Affricani Punici* Salutem *appellent. Sed has Baptismi laudes pluribus Nazianzenus cumulat:* Baptismus (*inquit*) omnium Dei beneficiorum præclarissimum est & præstantissimum: huic gratulantur cœli, hunc Angeli propter splendoris cognationem celebrant, hic futuræ beatitudinis imaginem gerit: hunc prædicare quidem, & laudibus ornare gestimus, verùm pro rei dignitate non possumus. *Altiùs attollit sacri fontis dignitatem D. Leo, atque adeò etiam ut non dubitaverit sacram undam, Divino Spiritu fœcundatam, cum Virginali Deiparæ utero conferre:* Omni (*ait*) homini renascenti, aqua Baptismatis, instar est uteri Virginalis, eodem spiritu replente fontem, qui replevit & Virginem, ut peccatum quod ibi evacuavit sacra conceptio, hîc solvat ablutio. *Quin etiam parùm abest ut Augustinus Baptismati primas non deferat, & fœcunditate, sanctificatione, aliisque pluribus superius non putet:* Penè (*inquit*) majori munere quàm Maria, unda ditata est. Illa enim sibi tantùm meruit castitatem, ista nobis contulit sanctificationem. Illa meruit ne peccaret, ista ut peccata purgaret. Illa propria delicta à se repudiat, ista in se per Dei gratiam aliena condonat. Illi est collata Virginitas, isti donata fœcunditas. Illa unum procreavit, & pura est: ista generavit plures, & Virgo est. Illa præter Christum nescit alium filium, ista cum Christo Mater est populorum. *Sed non prætermittam quæ Tertullianus scribit libro adversùs Quintillam: Ibi enim Baptismum vocat,* Felix aquæ sacramentum, quo ablutis delictis pristinæ cœcitatis, in vitam reformamur æternam, sacramentum sanctificationis, & lavacrum quo mors diluitur, & quo exempto reatu, eximitur & pœna, ac homo ad similitudinem Dei, non ad imaginem solùm in æternitate censetur. *Additque præterea quod ut à primordio mundi conditi, dum cætera rudia, & informia, luce, omnique ornatu carerent, sola lympha dignissimum erat Dei vectaculum, & Spiritus Domini ferebatur super aquas: ita sacro Fonti vitalibus undis* supervenit Spiritus de cœlis, & aquis supereſt, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ, vim sanctificandi combibunt.

Cap. 2. de Eccl. hierarc.

Orat. Exhortatoria ad baptizandos.

Catechesi 3.

Orat in sanctum Baptisma.

Serm. 4. de Nativit.

Serm. 36. de tempore.

combibunt. *Sed demum nolo hîc deesse quæ Ambrosius in hujus sacramenti laudes effusus scripsit, & huic præfatiunculæ finem impositurus, Sanctissimi Præsulis verba usurpo, quæ penè sapiunt hominem in extasim raptum, & qui sacramenta Ecclesiæ pro meritis æstimat:* O aqua quæ humano sanguine, ut præsentium lavacrorum figura præcederet, orbem terrarum lavisti, & conjungenda eras cum sanguine Christi! &c. O aqua quæ sacramentum Christi esse meruisti, quæ lavas omnia, nec lavaris? Tu incipis prima, tu comples Divina Mysteria; à te principium, in te finis, vel potiùs tu facis ut finem nesciamus! *De hoc ergo Sacramento, quod SS. Patres tot & tam præclaris encomiis celebrarunt, breviter nobis hîc agendum est. Primò de ejus institutione & natura. Secundò de illius ministro. Tertiò de susciptentibus. Quartò de ejus effectibus. Quintò de Circumcisione, quæ Baptismum præcessit, & quæ etiam in remedium peccati originalis instituta fuit. Demum de sacramento Confirmationis (quod Augustinus* sacramentum Chrismatis *appellat, & in genere visibilium signorum sacrosanctum esse, sicut ipsum Baptisma, affirmat) in ultima disputatione sermo erit.*

Lib. 10. in Lucam.

Libro 2. contra litteras Petiliani cap. 104.

DISPUTATIO PRIMA.

DE INSTITVTIONE ET NATVRA BAPTISMI.

Ad quæstionem 66. Divi Thomæ.

CUM existentia Baptismi ab ejus institutione dependeat, recto ordine ab ea inchoat S. Thomas, explicaturus postea quænam sit ejus materia & forma, quandoquidem cujuslibet sacramenti essentia, seu natura, resultat ex materia & forma, quæ ipsum constituunt. Unde Baptismus physicè sumptus definitur: *Exterior corporis ablutio, facta sub præscripta forma verborum*, ut ex Magistro sententiarum docet S. Doctor hîc art. 1. metaphysicè verò consideratus, sic potest describi: *Baptismus est sacramentum regenerationis spiritualis.* Vel *sacramentum novæ legis, ad spiritualem regenerationem à Christo institutum.* Unde egregiè Augustinus tract. 11. in Joan. docet quod duæ sunt nativitates, una de terra, alia de cœlo; una de carne, alia de spiritu; una de mortalitate, alia de æternitate, una de masculo & fœmina, alia de Deo & Ecclesia; illa facit filios carnis, hæc spiritûs; illa filios mortis, ista resurrectionis; illa filios sæculi, hæc filios Dei; illa filios iræ, hæc filios misericordiæ; ac per hoc illa peccato originali obligatos, ista omni vinculo peccati liberatos.

A

B

Porrò cùm hoc sacramentum plures & mirabiles in nobis operetur effectus, variis solet nominibus insigniri, quos breviter recenset Nazianzenus oratione in sanctum lavacrum, ubi sic ait: *Hoc sacramentum donum dicitur, quia iis qui nihil prius comulerunt, datur. Baptismus, quia peccatum in aqua sepelitur. Unctio, quia sacer & regius. Hujusmodi enim ea erant quæ ungebantur. Illuminatio porrò, quia splendor & charitas. Indumentum, quia ignominiæ nostræ velamen est. Lavacrum, quia abluit. Sigillum, quia conservatio est.*

C

ARTICULUS PRIMUS.

Quando cœperit institutio Baptismi, & illius præceptum?

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententiæ.

1. CErtum est quod Christus non instituit sacramentum Baptismi, antequam à Joanne baptizaretur, quandoquidem non ante cœpit Evangelium prædicare, & novam legem condere; sed difficultas est, an solùm post resurrectionem, vel cùm à Joanne Baptismum suscepit, vel aliquo alio tempore medio inter illa duo, ipsum instituerit?

Prima opinio rejicit institutionem Baptismi in illud tempus in quo Christus cœlum post resurrectionem ascensurus dixit Discipulis, *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos*, &c. Ita docuisse videntur Albertus Magnus in 4. dist. 3. & Alensis 4. parte quæst. 8. membro 2. art. 3.

Secunda asserit sacramentum Baptismi à Christo institutum fuisse, paulò postquam à Joanne baptizatus est: vel quando dixit Nicodemo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, ut censet Valentia, aut cùm Discipulos collegit, ut existimarunt Scotus, Gabriel, Coninkus, & alij Recentiores.

Tertia censet Baptismum fuisse institutum, quando Christus in Jordane fuit baptizatus. Ita Magister in 4. distinct. 2. & D. Thomas hîc art. 2. omnesque ejus Discipuli, quos sequuntur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vazquez, Sylvius, & alij quindecim Authores, quos refert & sequitur Leander Tractatu 2. disputatione 1. quæst. 4. & 5.

2. Quantùm verò ad tempus quo Baptismus fuit in præcepto, similiter est opinionum varietas: quidam enim quorum meminit D. Bernardus Epistolâ 77. asserebant olim, quod Baptismi præceptum ab eo tempore cœperit, quo Christus dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c.* Scotus verò, Suarez, & alij, docent è contra Baptismum non fuisse in præcepto usque ad sufficientem Evangelij promulgationem: quæ promulgatio (inquit Scotus) cœpit in die Pentecostes. Demum Sotus, Cabrera, Vazquez, & alij existimant, obligationem Baptismi incœpisse statim post passionem & resurrectionem Christi, quando nimirum Christus apparens Discipulis, legem Baptismi publicè promulgavit, dicendo Matthæi ultimo: *Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos, &c.*

§. II.

Resolvitur prima difficultas de institutione Baptismi.

DIco primò: Sacramentum Baptismi fuit à Christo institutum ante ejus passionem.

3. Probatur primò: Christus ab initio prædicationis suæ baptizabat, ut testatur Scriptura Joan. 3. his verbis: *Venit Jesus & Discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*, scilicet per Discipulos suos, ut ex ipso contexu satis intelligitur, & expressè docetur à Cyrillo libro 2. in Joan. cap. 57. Sed tunc Christus per Discipulos suos non baptizabat Baptismo Joannis: Ergo Baptismo suo, subindeque jam Baptismum suum instituerat, quandoquidem ejus usus necessariò supponit ipsius institutionem. Major patet, Minor verò probatur primò ex Glossa super hæc verba Joan. 3. nam post verba relata subdit: *Baptizabat suo Baptismo, non eo quo baptizatus est, illud enim subiit, ut esset via & præparatio.*

Secundò probatur ex Augustino Tractatu 13. in Joan. ubi sic ait. *Christus baptizatus baptizabat: non eo Baptismo baptizabat quo baptizatus est. Dat Baptismum Dominus baptizatus à servo, ostendens humilitatis viam, & perducens ad Baptismum Domini, hoc est ad Baptismum suum.*

Tertiò, Ipse Præcurs Baptista Joan. 1. & Matth. 3. differentiam assignat inter suum Baptisma, & illud quo Christus baptizabat, quòd ipse in aqua, Christus verò etiam in Spiritu Sancto baptizaret: Ergo baptizabat Christus Baptismate diverso à Baptismo Joannis.

Quartò, Discipuli Joannis æmulationem conceperunt, & conquesti sunt, quòd Jesus baptizaret, ut narratur Joan. 3. Ergo supponebant Christum non baptizare Baptismo Joannis; aliàs enim gaudij potiùs quàm æmulationis occasionem desumpsissent, videntes quod Christus Baptisma Joannis approbaret, & clarum faceret.

Denique, Christus Joan. 3. dicitur baptizasse, per Discipulos suos, ut suprà ex Cyrillo vidimus: Sed si Discipuli Christi baptizassent Joannis Baptismate, Christus dici non potuisset baptizare per suos Discipulos, sed potiùs ipse Joannes, utpotè author illius Baptismi: Ergo Christus ab initio prædicationis suæ non baptizabat Baptismo Joannis, sed Baptismo proprio, subindeque illud tunc erat institutum ab ipso.

Dices, Baptismum quem tunc dabat Christus non fuisse Baptismum Joannis, neque suum, sed aliquod veluti simulachrum, sive præambulum ipsius.

Sed contra primò: Gratis omnino id fingitur. Secundò, Baptismus quo Christus baptizabat, erat in aqua & Spiritu Sancto, juxta Joannis prædicationem, Matth. 3. Ergo erat idem quod nunc. Tertiò, Christus non venerat alias figuras adducere, sed potiùs veritatem stabilire figurarum, ex quibus multæ Baptismum Evangelicum præsignaverunt. Denique, nullus Baptismus alius à nostro, erat dignus tanto tamque excellenti authore, sicut erat Christus.

Probatur secundò conclusio: Baptismus secundùm legem à Christo Domino institutam præsupponitur aliis sacramentis, & medio ipsius charactere, effectus aliorum sacramentorum in anima recipiuntur: Sed Christus Dominus in nocte cœnæ ministravit Eucharistiam suis Apostolis, eosque initiavit ordine sacerdotali, ut declarat Tridentinum sess. 22. cap. 1. Ergo priùs Apostoli fuerant ab ipso baptizati, subindeque Baptismus ante passionem Christi fuerat institutus. 4.

Confirmatur: Circumcisio fuit instituta ante omnia alia legis scriptæ sacramenta, nec licebat nisi circumcisis Agnum Paschalem edere: Ergo similiter Baptismus correspondens circumcisioni, ante Eucharistiam, Agno Paschali succedentem, institutus est, subindeque ante passionem Christi. Et licèt Christus ejusmodi ordinem invertere potuerit dando alia sacramenta Apostolis nondum baptizatis, nullum tamen fundamentum est, neque in Scriptura, neque in Traditione, neque in congruentia, imò per se videtur incongruum, priùs Apostolos fuisse Sacerdotes & Episcopos, quàm baptizatos. 5.

Dices, Sacramentum Ordinis præsupponit sacramentum & characterem Confirmationis, & tamen in hoc ordine dispensavit Christus, ordinando Apostolos nondum confirmatos, si quidem fuerunt solùm confirmati in die Pentecostes, decimo die post Ascensionem Christi in cœlum, misso Spiritu Sancto visibiliter. 6.

Respondeo cum D. Thoma infrà quæst. 72. art. 1. ad 1. in sacramento Confirmationis dari plenitudinem Spiritus Sancti, quam non erat congruum communicari ante Ascensionem & glorificationem Christi, juxta illud Joan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus:* unde Christus habuit specialem rationem dispensandi in ordine quem sacerdotium dicit ad Confirmationem, ante suam passionem initiando Apostolos sacerdotio; non habuit autem specialem aliquam rationem invertendi ordinem, quem dicit ad Baptismum.

Denique suaderi potest conclusio ex SS. Patribus & Authoribus Ecclesiasticis, qui affirmant ipsum Christum suis manibus aliquos baptizasse: nam Enodius Episcopus Antiochenus, in Epistola quam *lumen* inscripsit apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. ait: *Christus manibus suis Petrum tantummodo baptizavit, Petrus verò Andream, & filios Zebedæi.* Clemens apud Sophronium in Prato spirituali cap. 76. inquit: *Christus ait Petrum solum baptizasse: Petrus Andream, Jacobum, & Joannem.* Addit Euthimius 7.

Joan. 3. *Scribunt Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum ac Virginem Matrem baptizaverit.* Item S. Vincentius Ferrerius serm. feriæ sextæ post Dominicam in passione ait: *Joannes Baptista & Virgo Maria voluerunt baptizari à Christo.* Denique D. Augustinus Tractatu 5. 15. & 16. in Joan. nec non Epistolâ 108. explicans verba illa Christi ad Petrum: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*, dicit Christum ideirco talia verba Petro dixisse, quia Petrus jam lotus erat per Baptismum: Ergo sacramentum Baptismi fuit à Christo institutum ante ejus passionem.

8. Dico secundò, Baptismum fuisse institutum, quando Christus in Jordane baptizatus est. Ita D. Thomas hîc art. 2. in corpore, ubi sic ait: *Sacramenta ex sui institutione habent quod conferant gratiam, unde tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum: hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus, unde tunc verè baptismus institutus fuit, quantum ad sacramentum.* Quibus verbis conclusionem nostram & docuit & probavit: Cùm enim sacramenta ex sui institutione habeant quod conferant gratiam, tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi gratiam: Sed hanc virtutem accepit Baptismus, quando Christus in Jordane baptizatus est: Ergo tunc fuit institutus à Christo. Major patet, Minor probatur primò ex D. Augustino serm. 36. de tempore, ubi sic habet: *Ex quo Salvator in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorumque fontium venas, mysterio baptismatis consecravit; & quisquis ibi in nomine Domini baptizari voluit, non tam illum mundi aqua diluit, quam Christi unda purificat. Salvator autem ideò baptizari voluit, non ut sibi munditiam acquireret, sed ut nobis fluenta mundaret.* Secundò ex D. Ambrosio lib. 2. in Lucam cap. ultimo, sic loquente: *Baptizatus est ergo Dominus; non mundari volens sed mundare aquas, ut ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognovit, Baptismatis jus haberent.*

9. Dices cum Adversariis: Ex his & aliis Patrum testimoniis solùm probari, quod Christus ex tunc aquis dederit in promissione vel destinatione, non verò in institutione, vim spiritualiter regenerandi: id est quòd promiserit quidem institutionem Baptismi, sive destinaverit Baptismum postea instituendum, sed non quod illud ex tunc instituerit.

10. Sed contra: Si Christus tunc solùm promisisset Baptismum, sive aquam in futurum Baptisma designasset tantùm, non verò ipsum Baptisma instituisset, falsò dixisset Augustinus sermone supra citato: *Ex quo Salvator in aqua se mersit, cunctorum fontium venas, mysterio baptismatis consecravit.* Non enim potuit aqua habere hunc effectum, antequam esset institutum Baptisma.

Deinde, Si ex vi præcisè promissionis Baptismi factæ à Christo, aqua posset dici accepisse jus Baptismatis, & virtutem omnium peccata abluendi; similiter cùm Matthæi 16. & 18. Christus promisit Apostolis potestatem clavium dicens: *Quæcunque alligaveritis super terram, &c.* dici possent Apostoli accepisse illam potestatem, sive jus & virtutem remittendi peccata, quod tamen est falsum, quia tunc solùm acceperunt eam de facto, quando Joannis 20. dixit eis Christus: *Quorum remiseritis peccata, &c.* Similiter sequeretur ex eadem Adversariorum responsione, ex tunc aquam jus Baptismi & vim sanctificandi accepisse, quando Joannes Baptista antequam baptizaret Christum, prænunciavit de eo Matthæi 3. *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto:* talis enim promissio fuit divina, quia nomine Dei facta.

11. Probatur secundò conclusio: Nullum habent fundamentum Adversarij, ad asserendum Christum potiùs post suum baptisma, quàm in ipso, sacramentum Baptismi instituisse, aliunde verò congruentiæ saltem non desunt, ad docendum è contra talem institutionem factam fuisse in Jordane, quando Christus à Joanne baptizatus est: Ergo ita potiùs dicendum. Consequentia patet, Antecedens verò probatur. In primis totum fundamentum Adversariorum sunt illa verba Christi ad Nicodemum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* & missio statim postea facta Discipulorum ad baptizandum: illa autem verba non magis probant, quando prolata sunt à Christo, institutum fuisse sacramentum baptismi, quàm ista Christi ad Discipulos & Judæos: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis*, &c. probent ex tunc institutam fuisse Eucharistiam; in quorum tamen prolatione certum est non fuisse institutum tale sacramentum. Quod verò Christus statim post eorum prolationem Discipulos miserit ad baptizandum, probat quidem Christum debuisse ante illam missionem instituisse sacramentum Baptismi, sed non probat, quod potiùs post suum Baptisma, quàm in ipso illud instituerit: Nullum ergo est fundamentum opinionis adversæ.

12. Quod verò saltem congruentiæ non desint, patet primò, quia mysterij Trinitatis confessio pro forma Baptismi tradita est: in Baptismo autem Christi, tale mysterium declaratum fuit; vox enim Patris audita est, Spiritus Sanctus in specie columbæ apparuit, & ipse Christus in propria persona adfuit. Secundò, quia tunc indicatus fuit Baptismi effectus, per apertionem cœlorum; significabat enim hæc apertio, Baptismum esse veluti clavem cœli, & de sacro fonte animas in cœlum immediatè evolare posse: Ergo congruè dici potest, sacramentum Baptismi tunc fuisse institutum.

13. Præterea, sicut non immediatè per mare rubrum, sed per Jordanem, in terram promissionis Judæi ingressi sunt: ita congruum fuit, Christum in Jordane Baptismum instituere, ut denotaret ex aquis Baptismatis dari transitum immediatum ad promissam cœli patriam. Itaque secundùm hanc probabiliorem opinionem, institutio Baptismi facta est anno 15. imperij Tiberij Cæsaris, ætatis Christi anno circiter trigesimo, & ut communiter existimatur, die sextâ Januarij, quâ Epiphaniam celebramus. Unde S. Maximus homil. 1. de Epiphania: *In hac* (inquit) *festivitate sicut relatu paternæ traditionis instruimur, multiplici est nobis festivitate lætandum. Ferunt enim hodie Christum Dominum nostrum, vel stellâ duce à Gentibus adoratum, vel invitatum ad nuptias, aquas in vina vertisse, vel susceptò à Joanne Baptismate, consecrasse fluenta Jordanis, suumque simul purificasse Baptistam.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. III.

Solvuntur objectiones.

14. CONtra primam conclusionem in primis objici possunt testimonia D. Leonis, Ruperti, & aliorum sanctorum Patrum, qui docere videntur, sacramentum Baptismi non fuisse à Christo institutum, nisi post ejus Resurrectionem.

Sed ad hæc facilè respondetur, vel illos sanctos Patres id solùm obiter & dum aliud agerent dixisse, ac proinde non mirum, si hac in re minùs probetur eorum sententia. Vel solùm voluisse Baptismum ante Resurrectionem Christi non fuisse institutum, quantùm ad obligationem illud suscipiendi, vel quantùm ad plenam ejus efficaciam, quia ante Christi Resurrectionem, Baptismus nec fuit in præcepto, nec habuit virtutem aperiendi januam cœli, cùm talem virtutem non nisi per passionem Christi habuerit.

15. Objicies secundò: Forma Baptismi non fuit data Apostolis nisi post Resurrectionem, cùm Christus dixit illis Matthæi ultimo, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Ergo Baptismus ante non fuit institutus.

Respondeo negando Antecedens: forma enim Baptismi ante passionem Christi jam erat instituta, & Apostolis tradita in privato, licèt nondum in publico.

16. Objicies tertiò: Baptismus suam virtutem habet à passione Christi: Ergo ante illam institutus non fuit.

Confirmatur: Augustinus Tractatu 15. in Joannem asserit quod de latere Christi sacramenta Ecclesiæ fluxerunt: Ergo ante passionem Christi non erant, subindeque nec Baptismus.

17. Ad objectionem respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam: nam quando baptizatus est Christus, passio illius jam erat inchoativè, tum quia omnis pœnalitas quam Christus toto vitæ suæ decursu pertulit, fuit quædam passio, & dispositio ad ultimam passionem, quæ morte ipsius consummata fuit. Tum etiam quia Christus à primo instanti suæ Incarnationis, liberâ voluntate præceptum patiendi & moriendi pro hominibus acceptavit, & acceptando meruit.

18. Ad confirmationem in primis dico, illam si quid probet, nimis probare; ex ea enim sequitur, etiam sacramentum Eucharistiæ non fuisse institutum ante mortem Christi. Deinde respondeo, omnia sacramenta legis novæ fluxisse de latere Christi, cum hac tamen differentia, quòd Confirmatio, Pœnitentia, Extrema-Unctio, & Matrimonium, non tantùm quoad suam perfectionem, sed etiam quoad suum initium; sacramenta verò Baptismi, Eucharistiæ, & Ordinis, præcisè quoad suam perfectionem, dici possint inde fluxisse: Licèt autem ista tria sacramenta, suam consummationem, & ultimam perfectionem, in morte actuali Christi acceperint, quatenus scilicet Baptismus per Christi mortem regni cœlorum januam aperuit, quam antea non aperiebat, & Eucharistia habuit rationem viatici, quam non habebat antea, ipsumque proinde sacramentum Ordinis, ad illam ut talem ordinem habere cœperit; tamen virtutem gratiæ productivam, jam à Christo in Jordane baptizato acceperat Baptismus; & Eucharistia, cum sacramento Ordinis, in cœna ultima, pridie quàm Christus patereturcelebrata.

A Objicies quartò contra secundam conclusionem: Cùm Christus baptizaretur à Joanne, non instituit suum Baptisma in actu exercito quemquam baptizando, neque in actu signato, ritum ejus præscribendo, utpotè cùm nihil præscripserit, neque Pater apparuerit, ut aliquid præscriberet: Ergo tunc Baptisma non fuit institutum. 19.

Confirmatur: Instituere sacramenta, est formaliter actus legislatoris: Sed Christus tunc non sustinuit personam legislatoris, sed potiùs pœnitentis: Ergo tunc sacramentum Baptismi non instituit, sed tantùm suscepit Baptismum Joannis. 20.

Ad objectionem respondeo, Christum in B Jordane suum Baptismum instituisse, non in actu exercito aliquem baptizando, aut ipsum suscipiendo, sed in actu signato, designando & consecrando materiam ad producendum gratiam, & statuendo formam, non quidem expressione ipsius, sed solùm quasi in figura, per præsentiam Trinitatis divinarum personarum in signo visibili, ut suprà diximus. 21.

Ad confirmationem nego Majorem, aliud enim est præcipere Baptismum, aliud ipsum instituere: primum non potest non esse actus legislatoris, benè tamen secundum; posset enim Deus tribuere uni facultatem instituendi sacramenta, aut ritus eorum, alteri potestatem præ- C cipiendi observantiam talium rituum. 22.

Respondeo secundò, datâ Majori, negando Minorem: Christus enim in sua passione sustinuit personam pœnitentis, sive peccatoris, quandoquidem in ea factus est pro nobis maledictum & peccatum, ut loquitur Paulus 2. ad Corinth. 5. & ad Galat. 3. & tamen simul fuit legislator, antiquam legem abrogans, dum dixit, *Consummatum est*, ut novam conderet. 23.

§. IV.

Expeditur alia difficultas de tempore quo cœpit obligatio Baptismi.

D DIco tertiò. Baptismum non fuisse in præcepto, nisi post Passionem & Resurrectionem Christi. Ita D. Thomas hic art. 2. sic dicens: *Necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem & Resurrectionem: tum quia in Passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta, quibus succedit Baptismus, & alia sacramenta novæ legis: tum etiam, quia per Baptismum configuratur homo passioni & Resurrectioni Christi, & inquantùm moritur peccato, incipit novam justitiæ vitam; & ideò oportuit Christum priùs pati, & resurgere, quàm hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti & Resurrectioni ejus.* Quibus verbis S. Doctor conclusionem nostram & docuit & probavit, duplicemque illius rationem insinuavit. 24.

E Prima est: Baptismus non fuit in præcepto toto illo tempore quo vigebat lex Circumcisionis: Sed lex Circumcisionis vigebat toto tempore antecedente mortem & resurrectionem Christi: Ergo toto illo tempore Baptismus non fuit in præcepto, sed solùm in consilio. Major patet, Minor probatur. Lex Circumcisionis tandiu duravit, quandiu lex Moysis: Sed lex Moysis, cui lex Evangelica successit, sicut lux umbræ, & veritas figuræ, usque ad Christi passionem & Resurrectionem duravit: Ergo & lex Circumcisionis. Major est evidens: Minor verò, in qua est difficultas, probatur multipliciter. 25.

Primò

Primò ex eo quod Christus Matth. 8. leproso curato præcipit adire sacerdotem, ut secundùm legem munus offerret quod Moyses mandaverat. Secundò, quia Christus Matth. 5. dixit, *Non veni legem solvere, sed adimplere:* Non fuit autem adæquatè impleta, antequam jam expiraturus diceret, *Consummatum est.* Tertiò, Obligatio fuit usque ad Christi passionem, ut Agnus paschalis immolaretur, & sic Christus fecit, ut patet ex historia cœnæ ultimæ: Ergo obligavit lex vetus usque ad Christi passionem. Quartò, Lex Moysis duravit quousque sacerdotium fuit translatum, juxta illud ad Hebr. 7. *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat:* Sed sacerdotium non fuit translatum usque ad passionem, in qua Christus tanquam summus Sacerdos obtulit semetipsum Patri in sacrificium: Ergo lex Moysis usque ad passionem Christi duravit. Denique eadem veritas patet ex doctrina Augustini Epist. 19. ad Hieronymum, ubi distinguit tria tempora respectu legalium, scilicet ante passionem, in quo legalia non erant mortifera, nec mortua; post Evangelij divulgationem, in quo legalia erant mortua, & mortifera; & medium à passione Christi usque ad Evangelij promulgationem, in quo legalia erant quidem mortua, quia neque habebant aliquam vim, neque aliquis ea servare tenebatur absolutè, non erant tamen mortifera, sed illi qui conversi fuerant ad Christum ex C Judæis, poterant ea observare licitè, dummodo non sic in eis spem ponerent, quòd ea reputarent sibi necessaria. Et quamvis S. Hieronymus in eo dissentiat à D. Augustino, quòd contendit legalia statim post mortem & resurrectionem fuisse nedum mortua, sed etiam mortifera, adeò ut quicunque ea servasset (seclusâ ignorantia, aut errore invincibili) peccasset: in eo tamen consentit, quòd existimat, toto tempore passionem antecedente, nec mortifera fuisse, nec mortua.

26. Secunda ratio D. Thomæ sic potest proponi. Tunc solùm Baptismus cœpit esse in præcepto, quando cœpit habere totam suam perfectionem, quandiu enim illâ caruit, tandiu præcipi non debuit: Sed ante Christi mortem & resurrectionem, Baptismus totam suam perfectionem non habuit: Ergo ante illud tempus in præcepto non fuit. Major patet, Minor probatur. Una ex perfectionibus Baptismi est ut nos configuret morti & resurrectioni Christi, ut docet Apostolus ad Roman. 6. his verbis: *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus; si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus:* Sed ante Christi mortem & resurrectionem, Baptismus non poterat configurare hominem morti & resurrectioni Christi: Ergo nec totam suam perfectionem, seu completam significationem habere.

27. Præter has duas rationes quas insinuat D. Thomas, potest suaderi conclusio hoc discursu. Si Baptismus fuisset præceptus ante passionem Christi, maximè cùm Christus Joan. 3. dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua! &c.* Sed tunc non fuit præceptus, siquidem Christus habebat tunc colloquium privatum cum Nicodemo: præceptum autem Baptismi non debuit dari in colloquio privato, sed publico: Ergo &c.

A Dico quartò: Probabilius est, obligationem Baptismi incœpisse post resurrectionem Christi, quando scilicet Christus apparens Discipulis, legem Baptismi publicè promulgavit, dicendo: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* 28.

Probatur primò, conclusio ratione fundamentali: Cùm Baptismus sit fundamentum totius legis Evangelicæ, ejus obligatio cœpit, statim atque lex Evangelica incœpit obligare: Sed lex Evangelica cœpit obligare statim post Christi Resurrectionem: Ergo & Baptismi præceptum. Major patet, Minor probatur. Lex Evangelica cœpit statim obligare, ubi Mosaïca fuit extin- B cta, illius enim generatio debuit esse ex corruptione istius: Sed lex Mosaïca non duravit usque ad promulgationem Evangelij, sed fuit penitùs extincta quoad omnem suam vim in morte & resurrectione Christi: Ergo lex Evangelica cœpit obligare statim post mortem & resurrectionem Christi. Major est evidens, Minor verò probatur primò ex communi consensu Hyeronymi & Augustini in Epistolis quas sibi mutuò de legalibus scripsere, quibus docent post mortem & resurrectionem Christi legales cæremonias mortuas fuisse, id est non habuisse amplius virtutem & obligationem; quamvis (ut suprà annotavimus) Hieronymus existimaverit, illas post mor- C tem & resurrectionem Christi, nedum mortuas, sed etiam mortiferas fuisse. De quo infrà. 29.

Secundò probatur eadem Minor ex illo Apostoli ad Hebræos 8. *Novum Testamentum veteravit priùs: quod autem antiquatur & senescit, propè interitum est.* Ex quo sic potest formari argumentum: Christus in cœna ultima novum condidit testamentum, quod morte deinde & resurrectione suâ confirmavit: Ergo vetus quasi senio jam confectum, accedente tunc novo, extinctum est. Unde Leo Magnus sermone 7. de passione: *Ut umbræ cederent corpori, antiqua observantia novo excluditur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguine sanguis aufertur, & legalis festivitas, dum mutatur, impletur.* 30.

Tertiò Minor principalis suadetur. Ubi primò D antiquum Sacerdotium Aaron perfectè translatum fuit in sacerdotium Christi, præfiguratum in sacerdotio Melchisedech, statim fuit abolita lex vetus, cum suis cæremoniis: unde Apostolus ad Hebræos 7. *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat:* Sed statim à resurrectione Christi, sacerdotium Aaron perfectè translatum fuit in Christi sacerdotium, ut colligitur ex illo ad Hebræos 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est non hujus creationis, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Tum etiam, quia E licèt usque ad Christi resurrectionem, sacerdotium Aaron, non fuerit evacuatum, tamen ex quo Christus resurgendo vitam immortalem atque indefectibilem reassumpsit, totaliter fuit evacuatum, & in sacerdotium Christi translatum: propter quod ad ejus interitum denotandum, Christo moriente, velum templi scissum est, & Leo Magnus serm. 6. de passione, Cayphan vestes proprias scindentem, quasi Christus blasphemasset, lepidè irridet, dicens, Pontificem legis mox interituræ, per hanc vestium suarum scissuram, ostendisse se jam sui sacerdotij honore spoliandum. 31.

Universidad de Deusto
Biblioteca

32. Respondet Suarez, quod licèt à die resurrectionis Christi lex Mosaïca evacuata fuerit, nondum tamen Baptismum fuisse in præcepto, sed usque ad sufficientem ejus promulgationem, totum mundum redactum fuisse ad statum legis naturæ, & remedia salutis quæ in illa erant, suam utilitatem non amisisse; quia non erant umbræ futurorum, sicut veteres cæremoniæ legis Mosaïcæ, sed quasi connaturalia & per se ordinata media ad salutem.

33. Sed contra: Christus non venit veterem legem solvere, sed adimplere, ut dicebat ipse Matt. 5. si autem legem Mosaïcam evacuasset, antequam cœpisset lex Evangelica, non eam adimplevisset, sed solvisset, quia impletio veteris legis, fuit introductio novæ. Unde Leo Papa serm. 7. de passione: *Antiqua observantia novo excluditur sacramento, hostia in hostiam transit, sanguine sanguis aufertur, & legalis festivitas, dum mutatur, impletur.* Addo quod, populus Judaïcus fuit specialiter populus Dei, quandoquidem plebs Gentilis pertinebat etiam ad statum legis naturæ. Præterea, sicut in naturalibus corruptio unius, est generatio alterius; ita lex antiqua non fuit abolita, nisi per obligationem novæ legis.

34. Potest etiam suaderi conclusio, destruendo fundamentum adversæ sententiæ: Si Baptismus non cœpisset esse in præcepto à die resurrectionis Christi, maximè quia, ut volunt Adversarij, lex C non obligat, nisi postquam venit in notitiam subditorum; legis autem Evangelicæ notitia cœpit tantùm à die Pentecostes in provincia Judææ: Sed falsum omnino est, quod lex non obliget, nisi postquam venit in notitiam subditorum: licèt enim excusentur ab ejus transgressione qui eam invincibiliter ignorant, tamen tunc per se obligare incipit, cùm primum publico edicto à Principe ponitur: imò si lex neminem obligaret, quoadusque veniret in ejus notitiam, impropriè ignorantia legis diceretur excusare, quandoquidem excusatio non est, nisi ab eo ad quod homo tenetur: cùm ergo in ipso die resurrectionis Christus apparens Discipulis legem Baptismi D publicè promulgaverit, dicendo Matthæi ultimo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* ab illa die cœpit Baptismus esse in præcepto, licèt illi qui invincibiliter adhuc ipsum ignorabant, excusarentur ab ejus transgressione.

§. V.

Corollarium præcedentis doctrinæ.

35. EX dictis inferes contra aliquos Thomistas, à Cabrera citatos, obligationem Baptismi non incœpisse in triduo mortis Christi, sed duntaxat post ejus resurrectionem. Tum quia solùm post resurrectionem Christus legem Baptismi publicè promulgavit. Tum etiam, quia cùm lex vetus non solùm passionis & mortis Christi, sed etiam ejus resurrectionis figura & umbra extiterit, ante resurrectionem Christi nondum fuit perfectè completa, nec proinde totaliter extincta.

36. Dices, Christus Joan. 19. jam moriturus protulit illa verba, *Consummatum est*, quibus significavit opus nostræ redemptionis esse omnino completum, subindeque veterem legem totaliter extinctam: Ergo tunc cœpit obligatio præceptorum legis novæ, ex quibus primum est de baptismo. Quare D. Thomas 1. 2. quæst. 103. art. 3. ad 2. ait: *Mysterium Redemptionis humani generis completum fuit in passione Christi, unde tunc Dominus dixit consummatum est, & ideo tunc totaliter debuere cessare legalia, quasi jam veritate eorum consummata.* A

37. Confirmatur: In morte Christi sacerdotium Aaron in sacerdotium Christi translatum est, quandoquidem Christus in ara crucis, ut verus & summus Sacerdos, seipsum in sacrificium Patri æterno obtulit, juxta illud ad Hebræos 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æternâ redemptione inventa.* Item in eadem Christi morte tabernaculum antiquum in quo legis Mosaïcæ sacrificia offerebantur, dissipatum fuit, & destructum, ut satis designavit velum templi in duas partes scissum: Ergo cùm lex vetus non potuerit remanere absque proprio sacerdotio & tabernaculo, in morte Christi abolita fuit, & statuta lex nova gratiæ, subindeque præceptum Baptismi. B

38. Ad instantiam dico, verba illa Christi, *Consummatum est*, referri quidem ad ejus mortem, at non ut præcisam à resurrectione ipsius, sed ut ipsam includit; sicut enim nostra justificatio est unicus motus, duos terminos includens, nempè terminum *à quo*, qui est recessus à peccato; & C terminum *ad quem*, qui est accessus ad gratiam: ita mors Christi & ejus resurrectio integrant unicum motum nostræ redemptionis & salutis, habentem duos terminos, videlicet Christi mortem, quâ destructum est peccatum, tanquam terminum *à quo*; & resurrectionem, quâ consummata est vita spiritualis animæ, tanquam terminum *ad quem*.

Addo quod, sicut ad consummationem nostræ redemptionis & salutis, spectat, secundariò saltem, futura corporum resurrectio, in qua consummabitur vita spiritualis animæ: ita & à fortiori, resurrectio Christi, utpotè cùm sit fundamentum & exemplar nostræ resurrectionis futuræ, & in ipso Christo tanquam in capite omnes resurrexerimus: unde Apostolus 1. ad Corinth. 15. dicit quod Christus resurgens fuit *primitiæ dormientium.* Quando ergo D. Thomas loco citato ait Mysterium Redemptionis humani generis completum fuisse in passione Christi &c. non loquitur de passione cum præcisione sumpta, sed ut completa & terminata per ipsam resurrectionem, ad quam fuit veluti via, utpotè quam meruit. D

39. Ad confirmationem dico, falsum esse quod sacerdotium antiquum fuerit in puncto mortis Christi translatum in sacerdotium Christi, sacerdotium enim Aaron, quod erat proprium legis E veteris, non debuit aboleri, donec sacerdotium Christi esset consummatum, & in perfectione atque indefectibilitate constitutum, quod non habuit usque ad ejus resurrectionem, in qua ipse Christus vitam immortalem & indefectibilem reassumpsit, unde tunc solùm adimpleta fuit prophetia illa Davidis de Christo: *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Quare illa oblatio quâ Christus seipsum Patri in ara crucis obtulit, non nisi ut conjuncta resurrectioni, evacuavit antiquum sacerdotium. Similiter quoad tabernaculum legis Mosaïcæ, licèt in morte Christi inchoata fuerit ejus dissipatio,

dissipatio, non tamen fuit consummata, nisi in resurrectione.

§. VI.

Solvuntur objectiones.

40. CONtra tertiam conclusionem, in qua diximus, Baptismum non fuisse in præcepto, usque ad passionem & resurrectionem Christi, objicitur primò. Judæus sufficienter de doctrina Christi instructus, ante ejus passionem tenebatur Christi legem suscipere, & Christianus effici: Sed hoc non poterat absque Baptismo, cùm ille sit primum talis legis sacramentum: Ergo Baptismus erat in præcepto, ante Christi passionem & resurrectionem.

41. Respondet Medina, negando Minorem, eo enim (inquit) temporis interstitio, ad suscipiendam Evangelij legem & Christianismum, non erat necessarium Baptismum suscipere, quia nondum erat præceptum de Baptismo.

Sed contra: Cùm lex Evangelij legem Baptismi contineat, impossibile erat Judæo, vivente Christo, legem Evangelij suscipere, nisi sacramentum Baptismi susciperet. Unde aliter respondeo, dicendo nimirùm, quod licèt Judæus in illa hypothesi teneretur credere in Christum, non tamen legem Evangelij suscipere, sicut nec C Baptismum, cùm ad neutrum Christus adhuc obligaret.

42. Dices, Gentilis qui ante passionem Christi convertebatur, tenebatur baptizari: Ergo & Judæus.

Respondet Soto negando consequentiam & paritatem, rationemque disparitatis dat, quòd cùm Gentilis circuncidi non posset, tenebatur Baptismum suscipere. Sed licèt hoc verum sit supponendo quod vellet legem Evangelij amplecti, quia tamen poterat aliter converti à Gentilismo, profitendo scilicet vel legem naturæ, vel legem scriptam, falsum est absolutè quod non posset circuncidi: quare aliter respondetur ad instantiam, negando scilicet Antecedens.

43. Objicies secundò contra quartam conclusionem, in qua diximus obligationem Baptismi incœpisse statim post Resurrectionem Christi. D Apostoli etiam diu post Resurrectionem Christi, circumcisionem & alias cæremonias legales observarunt, ut ex actis ipsorum liquet, imò ipse Paulus legis gratiæ magnificus prædicator, Timotheum circuncidit, ut Actorum 16. legitur: Ergo falsum est, quod statim post Resurrectionem virtus & obligatio Circuncisionis desierit, & obligatio Baptismi incœperit; aliàs enim peccassent Apostoli observantes vel observare facientes legalia, quandoquidem non poterant eorum abrogationem invincibiliter ignorare.

44. Respondet D. Hieronymus negando Antecedens, contendens contra D. Augustinum Epistolâ 15. legalia omnia statim à morte & resurrectione Christi, non solùm mortua fuisse (id est non habuisse ampliùs virtutem & obligationem) sed etiam mortifera, ita ut peccarent mortaliter qui illa observarent, propter quod dicit, nunquam Apostolos post resurrectionem Christi legalia observasse secundùm veritatem, sed solùm ex quadam pia simulatione, ne scandalizarent Judæos, & eorum conversionem impedirent; quæ simulatio non sic intelligenda est, quòd illos actus, in quibus consistebant legalia, secundùm A rei veritatem non exercuerint, sed ita quòd illos non operarentur tanquam legis cæremonias observantes.

45. Verùm quia indecens videtur (ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 103. art. 4. ad 2.) quod Apostoli simulatione uterentur in iis quæ pertinebant ad salutem fidelium: idcircò meliùs respondetur cum Augustino, concesso Antecedente, negando Consequentiam, & ejus probationem; nam ante Resurrectionem Christi, usque ad sufficientem divulgationem Evangelij, legalia erant quidem mortua, proindeque nullam virtutem & obligationem habebant, non tamen erant mortifera, quia illi qui ex Judæis erant B convertebantur ad Christum, poterant ea observare, dummodo non sic spem ponerent in ipsis, quòd ea reputarent necessaria ad salutem. Cujus rei optimam affert congruentiam D. Thomas post D. Augustinum, nempè quòd sicut homines mortuos servari aliquandiu ante sepulturam contingit, ita legalia, quæ ut viva post Christi mortem servari non poterant, rectè ut mortua usque ad Evangelij publicationem servata sunt, ut cum honore mortua mater Synagoga sepeliretur, & ne homines existimarent, si ea statim omnino rejecissent, veterem legem fuisse abominabilem, perinde ac idolorum Gentilium cultum, quem C nullâ unquam morâ sustinere Apostoli voluerunt: D. Petrus autem idcircò circa illam legalium observantiam, à D. Paulo reprehensibilis dictus est, quia nimis adhærebat parti Judæorum, & plusquam oportebat circa hoc sollicitum se exhibebat, unde peccabat venialiter.

46. Dices: Observantia quorundam legalium fuit ab Apostolis præcepta Actuum 15. ubi dicitur: *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere oneris vobis, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, à sanguine, & suffocato:* At si legalia per mortem & resurrectionem Christi fuissent extincta, Apostoli non præcepissent ea observari: Ergo tunc legalia non solùm non mortifera, sed nec etiam mortua fuerunt.

47. Respondeo, concessâ Majori, negando sequelam Minoris: nam ut ait D. Thomas loco citato in responsione ad 3. abstinentia à sanguine, suffocato, & ab immolatis simulachrorum, fuerunt præcepta ab Apostolis pro tempore, non ad observandum cæremonias legis, sed ut posset fieri unio Judæorum & Gentilium: Judæis enim propter antiquam consuetudinem, sanguis & suffocatum erant abominabilia, & comestio immolatorum simulachris poterat Judæis dare suspicionem ne Gentiles redirent ad idololatriam, & ideò hæc prohibita sunt pro illo tempore quo Judæos & Gentiles adunare oportebat: procedente autem tempore, cessante causâ, cessavit effectus, E manifestatâ Evangelicâ veritate, quâ Christus dicit quod nihil quod intrat per os coinquinat hominem, Matthæi 15.

48. Objicies tertiò: Præceptum Baptismi non potuit obligare ante sufficientem sui promulgationem: Sed non fuit sufficienter promulgatum ante Pentecosten: Ergo ante illud tempus non obligavit: Major est certa, lex enim ante sufficientem promulgationem non obligat, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 90. art. 2. ubi sic discurrit: *Ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui secundùm ea regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc, quod in-*

notitiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione, unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem. Minor verò in qua est difficultas probatur primò, quia usque ad tempus Pentecostes Apostoli non proposuerunt populo publicè Evangelium. Secundò non debuit promulgari lex Evangelij, nisi omnibus Mysteriis Christi completis: Mysteria autem Christi non sunt completa, nisi in ejus Ascensione. Tertiò, quemadmodum lex vetus non fuit promulgata, nisi quinquagesimo die à Paschate Judæorum, ita non debet lex nova promulgari, nisi post quinquaginta dies à Paschate, sive Resurrectione Christi; promulgationem enim legis Moysis, figuram fuisse promulgationis legis Evangelicæ, docuerunt Augustinus Epistolâ 119. & Leo 1. serm. 1. de Pentecoste.

49. Hoc argumentum tangit difficultatem pertinentem ad Tractatum de Legibus, ubi Theologi quærunt, quænam promulgatio requiratur & sufficiat ad hoc ut lex vim obligandi habeat? Aliqui enim contendunt ad sufficientem legis promulgationem, necessarium esse ut ita proponatur & publicetur, quòd ex tali propositione & publicatione possit moraliter in omnium notitiam devenire, unde propterea existimant non sufficere ut publicetur in aliqua civitate, sive curia supremi cujuslibet corporis politici, sed requiri ut fiat magis in particulari per singulas provincias, aut per omnes præcipuas civitates. Alij verò dicunt sufficere quòd publicetur in præcipua civitate cujuslibet regni, aut supremi corporis politici, quamvis enim factà hac publicatione non peccent ij quibus adhuc non innotuit, hoc tamen non provenit ex defectu ipsius legis, sed ex defectu notitiæ, ignorantia enim eos excusat à peccato. Quæ opinio est communior, & conformior consuetudini Curiæ Romanæ, cujus leges in ea solùm publicantur solemniter, & ex hoc, salvis particularibus juribus, creduntur per totum orbem obligare, quamvis per accidens multi non peccent, juxta eorum præscriptum non agendo, defectu notitiæ. Unde conformiter ad hanc doctrinam, ad objectionem respondeo, distinguendo Majorem: Præceptum Baptismi non potuit obligare ante sui promulgationem, sufficientem ad rationem legis, concedo. Ante sui promulgationem, sufficientem ad tollendam ignorantiam ejus, & ad reddendum inexcusabilem ab ejus transgressione, nego. Similiter distinguo Minorem: Ante Pentecosten non fuit sufficienter promulgatum præceptum Baptismi, sufficientiâ ad tollendam ejus ignorantiam, concedo. Sufficientiâ ad rationem legis, nego. Tunc enim præceptum superioris incipit habere vim legis, potentis obligare subditos, quando superior ipsum exteriùs per modum imperij proponit tanquam princeps, aut publica persona: Christus autem ipsâ die Resurrectionis præceptum Baptismi ita proposuit, dicendo Discipulis: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos &c.* Unde à die Resurrectionis cœpit habere vim legis ex se obligantis, quamvis hæc promulgatio non sufficeret ad tollendam ignorantiam illius, nec proinde ad reddendum homines inexcusabiles ab ejus transgressione. Et per hoc patet ad primam probationem Minoris: ex eo enim quod Apostoli usque ad Pentecosten non prædicaverint publicè Evangelium, solum habetur quod ante illud tempus præceptum Baptismi non innotuerit mundo, non verò quod nondum habuerit vim legis & præcepti.

Ad secundam dico, eam quidem veram esse de promulgatione necessaria ad tollendam ignorantiam legis Evangelicæ, falsam tamen de promulgatione necessaria & sufficienti ad rationem legis; tunc enim Baptismus debuit habere vim legis & præcepti, quando cœpit habere suam perfectionem & virtutem, quod fuit à die Resurrectionis Dominicæ.

Ad tertiam probationem dico legem Mosaïcam promulgatione sufficienti ad rationem legis fuisse promulgatam ab eo tempore quo Deus eam dedit Moysi in monte Sina, tunc enim locutus est Deus ut princeps & legislator, subindeque ex eo tempore præcepta illius legis lata à Deo vim legis habuerunt, adeò ut ipsius prædicatio facta deinde à Moyse toti populo, non habuerit vim promulgationis necessariæ ad essentiam legis, sed tantùm declarationis, ne homines ignorantiâ ab ejus obligatione excusari possent: quare licèt promulgatio illa legis antiquæ facta per Moysem, fuerit figura promulgationis legis Evangelicæ, faciendæ per Apostolos in die Pentecostes, hinc tamen non sit istam fuisse necessariam ad rationem legis Evangelicæ, sed tantùm ad tollendam ignorantiam ipsius.

Dices, Si statim post Christi Resurrectionem, & ante publicationem Evangelij, à die Pentecostes inchoatam, Baptismus fuit in præcepto, Judæi ipsum invincibiliter ignorantes caruerunt remedio peccati originalis pro suis parvulis; quandoquidem in illa hypothesi circumcisio non habuit ampliùs vim justificandi, seu delendi peccatum originale: Sed hoc non decebat divinam bonitatem: Ergo &c. 50.

Respondent aliqui quos sequitur Vazquez, concedendo sequelam, non enim majus inconveniens reputant admittere quod toto illo tempore medio à Christi resurrectione, usque ad divulgatum Evangelium, pueri Judæorum & Gentilium caruerint remedio peccati originalis, quàm infantes modò intra viscera matrum morientes, & illi qui nascuntur ex parentibus infidelibus, ad quos non pervenit prædicatio Evangelij. Verùm quia hæc doctrina nimis rigida & dura videtur, dicendum, tempore illo medio, parvulos recipientes circumcisionem, vel remedium legis naturæ, contra peccatum originale institutum, ab eo fuisse liberatos; divinam namque bonitatem decebat, ut toto illo tempore quo sustinuit legem Mosaïcam, non auferret, saltem pro parvulis tunc morientibus, ejus utilitatem. 51.

ARTICULUS II.

Quænam sit materia Baptismi?

DUplex solet distingui materia in sacramentis quæ consistunt in usu rei sensibilis, remota scilicet & proxima: prima est res illa sensibilis quæ in signum & causam gratiæ assumitur, secunda verò est usus seu applicatio ipsius. De utraque agendum est in præsenti, & breviter explicandum, quænam sit materia remota & proxima Baptismi?

§. I.

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

52. DIco primò: Materia remota Baptismi est aqua vera & naturalis.

Conclusio est certa de fide, & definita in Florentino in decreto unionis, ubi aquam veram & naturalem assignat pro Baptismi materia, & in Tridentino sess. 7. can. 2. de Baptismo, ubi sic habetur: *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideò verba illa Domini nostri Iesu Christi (Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto) ad metaphoras aliquam detorserit, anathema sit.* Quibus verbis Concilium errorem Calvini proscribit, qui sic verba illa Christi metaphoricè intelligi vult, ut per aquam gratia designetur, nec aliud intelligatur, quàm per gratiam à Spiritu sancto infusam, homines spiritualiter regenerari. Proscribitur etiam illis verbis error Seleucianorum & Jacobitarum, qui verba Joannis Baptistæ de Christo, *Ille vos baptizabit in spiritu Sancto & igne*, pessimè interpretantes, dicebant materiam Baptismi non esse aquam, sed ignem, unde ad baptizandos pueros, adustionem quandam in fronte vel in genis eorum imprimebant. Damnatur pariter his Conciliorum definitionibus error Flagellantium, qui dicebant Baptismum aquæ suo tempore cessasse, seque in mundum missos jussu Dei, ut se flagellarent, litteris ad hoc de cœlo Romam missis, & super altare Beati Apostoli Petri repertis.

53. Potest etiam probari nostra conclusio variis Scripturæ testimoniis, quibus manifestè aqua vera & elementaris, materia Baptismi designatur. Nam Actuum. 8. Philippus baptizavit Eunuchum Candacis Reginæ Æthyopum, aquâ elementari. Et cap. 10. Petrus jussit Cornelium & alios qui ipsum Dei jussu convenerant, baptizari in aqua elementari, his verbis: *Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos?* Et jussit eos baptizari. Idem significat Apostolus ad Ephes. 5. ubi ait Christum tradidisse seipsum pro Ecclesia, *ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Quasi per verbum vitæ significando formam Baptismi, quæ vivificis verbis constat, & per lavacrum aquæ, materiam ejus designando, quæ in hoc solo elemento consistit.

54. Non desunt etiam congruentiæ, quas D. Thomas hic art. 3. adducit, & desumit præcipuè ex quatuor vel quinque qualitatibus aquæ elementaris: nimirùm perspicuitate, munditiâ, frigiditate, fœcunditate, & communitate, seu abundantiâ. In primis ergo conveniens fuit Baptismum in aqua elementari fieri, quia illa propter transparentiam habet aliquid de lumine, seu de perspicuitate luminis, & propterea convenit sacramento Baptismi, quod habet vim illuminativam, secundùm quod in eo confertur gratia, quæ est illuminativa mentis, vel etiam quia Baptismus est *sacramentum fidei*, ut illum vocant Patres, quatenus *fide quam in Baptismo profitemur, illuminantur corda nostra*, ut ait Catechismus Romanus parte 2. cap. 2. num. 4. ex Augustino Epistolâ 23. & ex aliis.

55. Secundò congruum fuit aquam elementarem pro materia Baptismi designari, ratione munditiei & puritatis: sicut enim aqua carnis sordes emundat, ita Baptismus habet virtutem ab omnibus culpæ sordibus animam mundandi. Unde Hugo Victorinus libro 2. de sacramentis parte 6. cap. 14. *In solo elemento aqua sacramentum Baptismi consecrari institutum est, quia hæc sola plenam habet ac perfectam mundationem. Alij liquores omnes aquâ purificantur, & si quid alio quolibet liquore tactum fuerit, aquâ abluitur, ut emundetur; propterea in sola aqua sacramentum emundationis consistit.*

Tertiò, ratione frigiditatis: nam *quemadmodum aqua refrigerandis corporibus aptissima est, sic Baptismo cupiditatum ardor magna ex parte restinguitur*, inquit Catechismus Romanus ubi suprà num. 10. Hinc Baptismum, *abjectionem carnis*, quidam ex veteribus vocant, non quòd sordes corporis abjiciat, sed carnales appetitus & passiones aliquatenus mitiget ac reprimat.

Quartò, ratione fœcunditatis, nam aqua maximè competit generationi rerum viventium, unde in principio mundi ex aqua primitùs alia sunt producta, secundùm illud Genes. 1. *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volucres super terram sub firmamento cœli* &c. ad idemque referri solet quod *Spiritus Dei ferebatur super aquas*: vel (ut alij vertunt) *incubabat aquis*, quasi fœcunditatem illis tribuens & virtutem alia generandi, pisces nimirùm & volucres. Hinc Poëtæ Oceanum & Thetim omnium rerum principium finxerunt, & Thales apud Aristotelem 1. metaphys. cap. 3. aquam omnium rerum principium, & *primam animam* esse dixit. Congruum ergo fuit illam assumi pro materia Baptismi, qui est regeneratio in spiritualem vitam, ut sicut virtute aquæ confertur vita corporalis genito, ita virtute aquæ Baptismalis conferatur vita spiritualis baptizato, si dignè suscipiat Baptismum. Unde in Prosa de Spiritu Sancto, canit Ecclesia: *Tu super aquas, foturus eas, numen tuum expandisti, Spiritus. Tu animabus vivificandis aquas fœcundas.* Et in benedictione fontis baptismalis dicitur: *Deus cujus Spiritus in primordio mundi super faciem abyssi ferebatur, ut regenerandi virtutem aquarum natura conciperet.* Hinc etiam Tertullianus libro de Baptismo cap. 1. Christianos *pisciculos* appellat, quia nimirum sicut pisces in aquis elementaribus corporaliter generantur, ita Christiani in fonte baptismatis spiritualiter regenerantur: *Nos pisciculi* (inquit) *in aqua nascimur nec aliter quàm in aqua permanendo salvi sumus.* 56.

Denique, aqua ratione suæ communitatis & abundantiæ est conveniens materia sacramenti Baptismi, cùm enim illud omnibus ad salutem necessarium sit, congruum est ut in materia valde communi, & quæ de facili reperiri possit exhibeatur. Eoque alludere videtur D. Petrus Actor. 10. dum ait: *Nunquid aquam quis prohibere, potest, ut non baptizentur hi?* &c. 57.

Has congruentias breviter expressit Petrus de Tarantasia seu Innocentius V. in 4. dist. 3. circa 3. problema art. 3. in corp. ubi sic discurrit: *Aqua elementaris est materia sacramenti Baptismi, duplici ratione, scilicet ratione effectus, & ratione usus. Primò ratione effectus, quia ex ipsa conditione naturæ suæ repræsentat effectus in Baptismo collatos: quod patet, quia est elementum naturaliter diaphanum, humidum, & frigidum; ex quorum primo significatur illuminatio gratiæ; ex secundo, ablutio culpæ; ex tertio, mitigatio concupiscentiæ. Secundò aqua elementaris est materia Baptismi,* 58.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratione usûs : nam talis aqua in suo usu habet utilitatem, communitatem, facilitatem ; propter quæ tria convenit sacramento Baptismi, quod est maximè utile in effectu, & facile in observantia, & commune in necessitate. Id est omnibus communiter necessarium.

59. Hinc apud SS. Patres variæ aquarum laudes, quas in Pantheologia, titulo de Baptismo, cap. 2. §. 2. congessit Reynerius : Sed inter cæteros audiendus est Tertullianus libro citato de Baptismo cap. 3. ubi expendens verba illa Moysis Genes. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Dei ferebatur super aquas*, subdit : *Habes homo in primis ætatem venerari aquarum, quòd antiqua substantia, debinc dignationem, quod Divini Spiritus sedes, gratior scilicet cæteris tunc elementis : nam & tenebræ totæ adhuc sine cultu syderum informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cœlum rude : solus liquor semper materia perfecta, læta, simplex, de suo pura, dignum vectaculum Deo subjiciebat.* Et cap. 9. *Quot igitur patrocinia naturæ, quod privilegia gratiæ, quot solemnia disciplinæ, figuræ, præstructiones, precationes, religionem aquæ ordinaverunt ? Primò quidem cùm populus de Ægypto expeditus, vim Regis Ægypti per aquam transgressus evadit, ipsum Regem cum totis copiis aqua extinxit. Quæ figura manifestior in Baptismi sacramento? Liberantur de sæculo nationes, per aquam scilicet, & Diabolum dominatorem pristinum in aqua oppressum derelinquunt. Item aqua de amaritudinis vitio in usum commodum suavitatis Moysei ligno remediatur, Lignum illud erat Christus, venenatæ & amaræ retro naturæ venas, in salubrimas aquas* (Baptismi scilicet) *ex sese remedians. Hæc est aqua quæ de comite petra populo defluebat. Si enim petra Christus, sine dubio aqua in Christo Baptismum videmus benedici.* Et mox ad novi testamenti exempla pergens, ex Christo ipso repetita : *Quanta* (inquit) *aquæ gratia penes Deum & Christum ejus est, ad Baptismi confirmationem ? Nunquam sine aqua Christus, siquidem & ipse aquâ tinguitur* (seu tingitur.) *Prima rudimenta potestatis suæ vocatus ad nuptias aqua auspicatur. Cùm sermonem facit, sitientes ad aquam suam invitat sempiternam. Cùm de agape docet* (seu convivio charitatis) *aquæ calicem pauperi oblatum inter opera dilectionis probat. Apud puteum vires resumit, super aquam incedit, libenter transfretat, aquam discentibus* (id est Discipulis) *ministrat : perseverat testimonium Baptismi usque ad passionem : cùm deditur ad crucem, aqua intervenit, sciunt Pilati manus : cùm vulneratur, aqua de latere prorumpit scit lancea militis.*

60. Similia habet Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 3. ubi hæc scribit : *Si quis scire desiderat quare per aquam potiùs quàm per aliquod aliud elementum gratia detur, sacras Scripturas relegens inveniet. Magnum enim quiddam est aqua, & ex quatuor mundi elementis apparentibus pulcherrimum. Angelorum habitaculum est cœlum : atqui ex aquis sunt cœli. Terra est hominum locus : atqui ex aquis etiam terra ; & ante omnem rerum creatarum in sex illis diebus distinctionem, Spiritus Domini ferebatur super aquas. Principium mundi aqua, principium Evangelij Jordanis. Liberatio Israëlis à Pharaone per mare facta est, & liberatio à peccatis mundi, per lavacrum est aquæ in verbo Dei. Ubicumque fœdus aliquod inter Deum & homines, ibi & aqua. Post diluvium fœdus percussum est cum Noë, fœdus & cum Israël in monte Sina : verùm hæc non sine aqua, & lana rubea, & hyssopo. Helias assumptus est, sed non sine aqua, prius enim transivit Jordanem, deinde in cœlum raptus est. Prius ablutio Aaron, deinde summus Sacerdos effectus est ; quomodo enim suscipueretur pro aliis oraturus, qui nondum aquâ purificatus esset ?* &c. Videri etiam potest Hieronymus ad Oceanum Epistolâ 83. ubi etiam aquæ laudes & encomia eleganter describit.

Dico secundò : Materiam proximam Baptismi esse ablutionem. 61.

Patet hæc conclusio ex præcedenti, materia enim proxima (ut suprà annotavimus) nihil aliud est quàm usus seu applicatio materiæ remotæ : Sed ablutio est usus seu applicatio aquæ, quæ est materia remota Baptismi : Ergo ablutio est ejus materia proxima.

§. II.

Corollaria notatu digna, & resolutiones plurimorum casuum conscientiæ.

EX dictis inferes primò, quod si aliquis in articulo mortis baptizaretur in vino, vel oleo, vel lacte, aut aliquo alio liquore diversæ speciei ab aqua, non esset verè baptizatus : quia Christus instituit solam aquam esse materiam Baptismi. Unde rectè observat eruditus P. Nicolai in scholiis ad art. 3. hujus quæstionis, & in additionibus ad Raynerium, titulo de Baptismo, appendice ad cap. 2. §. 3. in fine : frivolum esse quod objicitur ex Stephano 11. ad Monachos Britanniaci Monasterij cap. 11. *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa : infantes sic permaneant in Baptismo.* Primò quia relationis hujus non satis authentica nec certa extant monumenta. Secundò, quia sic emendari constructio inepta debet : *Nulla ei adscribitur culpa, si sic infantes permaneant.* Unde subditur : *Nam si præsens adfuit aqua, ille Presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ submittatur,* quia contra Canonum sententiam agere præsumpsit. Quasi non sit quæstio de valore Baptismi, sed de culpa, vel pœna baptizantis, ut scilicet sit sensus, quod non ideò in causa sit cur non postea baptizentur infantes, cùm periculum evaserint, & legitimè baptizari poterunt aquâ, nec propterea tanquam reus puniri mereatur. Non igitur Baptismum talem quasi validum approbare Stephanus præsumitur (si ejus rescriptum est) quia de valore Baptismi non agitur, sed excusare Presbyterum à culpa, quia cùm aliud non posset in prædicto extremo periculo, id per simplicitatem fecit, quod postea potuit periculo elapso emendari. 62.

Inferes secundò, nullam aquam ex plantis, floribus, aut hujusmodi expressam, ut aquam rosaceam, esse sufficientem materiam Baptismi, quia non est aqua elementaris, sed mixtum quoddam. Utrum verò Baptismus possit validè conferri in aqua elementari transmutata, aut alteri corpori permixta, servanda est regula quam assignat D. Thomas art. 4. si enim alteratio aut commixtio non solvit speciem aquæ, poterit in ea validè conferri Baptismus, dummodo tamen aliud corpus admixtum non ita excedat aquam in quantitate, ut potiùs sit hujusmodi corpus, quàm aqua, eo modo quo lutum est magis terra quàm aqua, & vinum limphatum, magis est vinum quàm aqua, 73.

aqua, quamvis utrumque veram aquam habeat admixtam : unde uno verbo, ut aqua sit apta ad Baptismum, debet esse in eo statu in quo solet esse in usu ad abluendum. Ex quo

Inferes tertiò nec nivem, nec glaciem, nec 64. grandinem, nec alia hujusmodi, esse aptam Baptismi materiam, dum manent congelata, secùs si in præjacentem materiam calore resolvantur, quia licèt majori ex parte sint aqua, non est tamen in statu idoneo ad abluendum, quandiu est congelata.

Inferes quartò, quod si aqua vera & natura- 65. lis solùm transmutatione accidentariâ fuerit mutata, ita ut retineat naturam aquæ naturalis, & sit apta ad abluendum, sufficiet pro materia Baptismi : quare sive sit calida, sive frigida, sive salsa, sive per venas & meatus sulphureos fluat, aut per cineres transeat, & fiat lixivium, sufficiens materia ad hujus sacramenti valorem censeri debet, ut docet D. Thomas hîc art. 4. ad 4. Idem dixerat ad 1. de aqua maris, & ad 2. de aqua decoctionis carnium, quam jusculum vocamus, aut aliarum rerum, dummodo non si tanta resolutio corporum lixatorum, ut illa plus habeant de alia substantia, quàm de aqua, quod ex spissitudine discerni debet. Addit tamen si ex liquore sic inspissato exprimatur aqua subtilis, potest in ea fieri Baptismus, sicut ex aqua quæ exprimitur ex luto, licèt in luto Baptismus fieri non possit.

66. Inferes quintò, Baptismum posse fieri tripliciter, scilicet per immersionem baptizandi in aquam, per aspersionem, & per effusionem aquæ, quia Christus statuit materiam proximam hujus sacramenti esse ablutionem, non determinando an fieri debeat per modum aspersionis, effusionis, aut immersionis, ùt patet ex verbis Joan. 3. *Nisi quis renatus* &c. propterea in Concilio Toletano 4. cap. 3. habetur responsio Gregorij Papæ ad Leandrum, qui consultus super quorundam Hispanorum consuetudine baptizandi trinâ aliquando, & aliquando unâ solùm immersione, respondit utrumque baptizandi modum retineri posse. Quoad effusionem verò patet, quia Christus fuit baptizatus per effusionem aquæ super caput ipsius, ut depingitur communiter, honestas enim non patiebatur, ut baptizaretur per immersionem, nec pondus corporis, nisi dicamus per miraculum tunc non gravitasse, quod sine ullo fundamento affirmaretur. Quantùm verò ad aspersionem, colligitur ex capite 2. Actuum, ubi asseritur post prædicationem Petri probantis Christum esse verum Messiam, circiter tria millia Judæorum suscepisse Baptismum, quod per effusionem aquæ super caput singulorum, aut singulorum immersionem difficile fieri potuit ; facilè verò per aspersionem, quia unicâ aut paucis saltem aspersionibus omnes baptizari potuerunt.

67. Monet tamen D. Thomas art. 7. tutius esse baptizare per immersionem, quàm per aspersionem, aut effusionem, sicque esse baptizandum sub pœna peccati, nisi aliud postulet necessitas aut honestas. Verùm ita loquitur S. Doctor, quia adhuc temporibus ipsius non erat immutatus in Ecclesia ritus baptizandi per immersionem, unde peccasset tunc qui aliter, seclusâ necessitate, baptizasset, utpotè recedens in re gravi ab Ecclesiæ consuetudine. Sed modò consuetudo illa est ab Ecclesia rejecta, sicut authoritate Ecclesiæ fuerat introducta, & solet ubique Baptismus conferri per effusionem aquæ super caput baptizandi. Cœpit autem hæc consuetudo propter infantium teneritudinem, cùm modò rarissimus sit adultorum Baptismus, qui possent immersionem sufferre.

Ex his collige, quòd quamvis fuerit olim con- 68. suetudo baptizandi per trinam immersionem, nusquam tamen trina immersio fuit de necessitate Baptismi, sed unica fuit sufficiens, ut patet ex allata responsione Gregorij, quâ uterque baptizandi modus, in una scilicet vel trina immersione, probatur.

Dices ex Pelagio Papa in Epist. ad Gaudentium, ut refertur de consecratione dist. 4. Can. Multi : 69. *Evangelicum præceptum ipso Deo & Salvatore nostro Iesu Christo dicente & tradente nos admoneri, in nomine Trinitatis, trinâ etiam immersione, sanctum Baptisma unicuique tribuere.* Et ex Canonibus Apostolorum, ut habetur eadem dist. Can. Si quis : *Si quis Presbyter aut Episcopus non trinam immersionem unius mysterij celebret, sed semel mergat in Baptismate quod dari à quibusdam jubetur in morte Domini, deponatur.*

Respondeo ad primum cum D. Thoma hîc 70. art. 8. Summum illum Pontificem, per se & directè solùm definire, invocationem Trinitatis esse de substantia Baptismi ; quia tamen illo tempore invocatio illa fieri solebat trinâ immersione, ideò utrumque conjunxit, quamvis non sit æqualis utriusque necessitas.

Ad secundum dicendum antiquitùs fuisse præ- 71. ceptum Ecclesiasticum, seclusâ necessitate, baptizandi trinâ mersione, quod qui fuisset transgressus jubetur in citato canone deponi : modò verò præceptum illud abrogatum esse per contrariam consuetudinem.

Nec obstat quod quidam SS. Patres, ut Hie- 72. ronymus adversùs Luciferianos, Tertullianus libro de corona militis, & alij, ritum Baptismi trinâ immersione numerent inter traditiones non scriptas. Licèt enim traditiones divinæ sint invariabiles omnino ab authoritate humana, secùs verò traditiones humanæ, cùm non aliam vim habeant, quàm juris humani Ecclesiastici, quod pro temporum varietate sæpè mutari necesse est : ritus autem ille baptizandi trinâ mersione, vocatur à prædictis Patribus traditio, non divinâ, sed humanâ authoritate introducta.

Inferes sextò, quod quando ablutio fit per 73. immersionem, emersio non est necessaria ad valorem Baptismi : unde qui puerum projiceret in puteum, animo ipsum baptizandi & suffocandi, si veram formam Baptismi proferret, antequam puer suffocaretur, verè ipsum baptizaret : in illo enim casu esset vera ablutio, subindeque vera materia proxima Baptismi. Nec termini immersionis & emersionis sunt semper correlativi, nam quando piscis qui nascitur in aqua, exit foras dicitur emergere ex aqua, licèt non præcesserit immersio.

Dices, Baptismus est signum sepulturæ & re- 74. surrectionis Christi, juxta illud ad Colossenses 2. *Consepulti Baptismo ei in quo & resurrexistis, per fidem operationis Dei, qui eum suscitavit à mortuis :* Sed hæc significatio & repræsentatio non potest fieri nisi per immersionem, cui succedit emersio : Ergo Baptismus collatus per immersionem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mersionem, non est validus, nisi immersioni succedat emersio.

75. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem; Baptismus enim est figura mortis & resurrectionis Christi, inquantùm per illum morimur peccatis, & ad gratiam resurgimus; quod totum significari potest per solam immersionem, utpotè quæ est vera ablutio, atque adeò significat emundationem à peccato, & ex consequenti gratiam, sine qua nec fieri nec concipi potest.

76. Inferes septimò, ad Baptismum non esse necessarium totum corpus ablui, sed satis esse si abluatur pars aliqua principalis, & sufficiens, ut totus homo moraliter denominari possit baptizatus, quamvis caput sit semper abluendum, si commodè fieri possit, quia est pars potissima in qua vigent omnes sensus: quapropter qui extra necessitatis articulum, relicto capite, aliam partem ablueret, peccaret mortaliter, quia in re gravi contra communem Ecclesiæ consuetudinem ageret. In casu autem quod absque periculo gravis nocumenti caput ablui non posset, sufficeret ablutio in pectore, aut in scapulis; vel si istæ partes etiam commodè ablui non possent, in aliqua parte integrali, quæ sit tanta, ut sine ea anima in corpore conservari non possit. De aliis partibus jure dubitant Theologi, an in eis sufficiat ablutio, subindeque num puer ablutus solùm in pede extracto ex utero, vel in manu, aut brachio rebaptizandus sit sub conditione? quamvis in periculo mortis debeat quæcumque pars infantis emergens ex utero baptizari, quia cùm non sit omnino certum, quamlibet partem infantis ablutam non sufficere, satius est in tali dubio exponere sacramentum periculo nullitatis, quàm animam æternæ damnationi expositam, probabili remedio destitutam relinquere.

ARTICULUS III.

Quænam sit forma Baptismi?

77. DIco primò: Hæc est conveniens forma Baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ita definitur in Florentino in decreto unionis, & in Tridentino sess. 7. can. 4. & colligitur ex verbis Christi Matthæi 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

78. In hac Baptismi forma in primis particula *Ego* non est necessaria, quia Ecclesia approbat Baptisma Græcorum in hac forma, *Baptizetur servus Christi* &c. In qua formaliter non exprimitur persona ministri: hoc enim termino *Baptizetur*, non intendunt Græci explicare actionem baptizandi ut egreditur à ministro, sed tantùm prout est à causa principali, ad vitandum errorem eorum qui virtutem Baptismi attribuebant baptizantibus, dicentes, *Ego sum Pauli, ego Cephæ &c.*

79. Secundò, quo ad particulam *Te*, certum est ad valorem Baptismi personam baptizandam debere exprimi in forma: Tum quia id requirit natura talis sacramenti consistèntis in usu & applicatione materiæ ad subjectum. Tum etiam quia debet explicari in forma Baptismi distinctio necessaria inter baptizantem & baptizatum, tanquam inter generantem & genitum: non explicaretur autem sufficienter, si non exprimeretur ipse baptizatus, sed diceretur solùm, *Ego baptizo*, quia posset manere dubium, an hoc diceret baptizans de se ipso, vel de alio.

80. Tertiò, particula *in nomine*, ita est de essentia formæ Baptismi, ut si quis diceret *in nominibus*, nullum esset sacramentum, quia significaret falsum, nimirum non esse eandem essentiam & virtutem trium personarum; idem enim est in nomine, ac in virtute, potestate, & authoritate.

81. Denique, in forma Baptismi, cum unitate essentiæ, denotata per ly *in nomine*, necessariò exprimi debet Trinitas Personarum, sub propriis nominibus *Patris, Filij, & Spiritus Sancti.* Unde non valet Baptisma collatum in nomine Trinitatis, vel Dei Trini, non nominatis distinctè personis: neque in nomine unius aut duarum tantùm personarum; neque etiam si fiat mutatio in voces appropriatas & non proprias, ut si dicatur *In nomine omnipotentis, sapientis, & doni:* nec denique si dicatur in nomine primæ, secundæ, & tertiæ personæ: Christus enim instituit dari Baptismum sub propriis nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, unde si talis desit expressio, Baptismus nullius erit efficaciæ. Cur autem voluerit Christus expressionem Trinitatis Personarum essentialem esse Baptismo, non verò omnibus aliis sacramentis, alia assignari non potest ratio, quàm ejus voluntas; non desunt tamen congruentiæ, quarum præcipua est, quòd conveniens fuerit in sacramento regenerationis exprimi ejus principium: unde Fulgentius de fide ad Donatum cap. 9. *Baptizari Gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Salvator noster edocuit, ut sicut Trinitatis opere initium conditionis accepimus, sic in nomine Trinitatis, divinæ adoptionis gratiâ frui mereremur.* Item congruum fuit, in sacramento fidei exprimi præcipuum ejus objectum; cognosci expresè eum cui datur fides in Baptismo, & eum cum quo contrahitur tanta obligatio; ac denique proponi finem ultimum & objectum præcipuum nostræ beatitudinis, in sacramento quod per se est initium nostræ justificationis, & tendentiæ ad beatitudinem supernaturalem.

Hæc sunt certa & indubitata apud omnes Theologos, sed duplex est difficultas & controversia, breviter hìc resolvenda. Prima est, an Baptismus in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque collatus, validus sit? Secunda, an modò valeat Baptismus in solo nomine Christi collatus? Pro resolutione primæ difficultatis.

82. Dico secundò, Baptismum in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque, non esse validum. Est contra Cajetanum, Victoriam: Martinum Ledesmam, Vivaldum, & Martinonum, existimantes hæc omnia Genitor, Genitus, & Procedens ab utroque, esse planè synonima in divinis, cum nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, idemque formaliter significare. Oppositum docet D. Thomas hìc art. 5. ad 7. ubi sic ait: *Sicut aqua sumitur ad baptismum, quia ejus usus est communior ad abluendum: ita ad significandum tres personas, in forma Baptismi assumuntur illa nomina quibus communiùs consueverunt nominari personæ in illa lingua; nec in aliis nominibus perficitur sacramentum.* Sed nomina illa quibus communiùs consueverunt nominari personæ divinæ, sunt ista, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus:* Ergo in aliis nominibus non perficitur Baptismus, subindeque si conferatur in nomine *Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*, invalidus erit.

83. Respondet Cajetanus, D. Thomam non loqui de perfectione sacramenti, quantum ad essentiam, sed quantum ad præceptum, subindeque peccatorum quidem eum qui sub aliis nominibus, quam Patris, Filij, & Spiritus Sancti, Baptismum conferret, sacramentum tamen fore validum.

84. Sed contra primò: Hæc Glossa, ut ait Soto, manifestè adversatur textui, nam ubicumque D. Thomas & alij Doctores asserunt sacramentum non perfici, intelligunt sacramentum esse nullum.

Deinde, ut rectè ponderat Serra, cùm D. Thomas eodem articulo in resp. ad 1. dicit quod in forma Græcorum, verum perficitur sacramentum, ipse Cajetanus, & omnes id intelligunt de perfectione quantùm ad essentiam: Ergo ex adverso cùm in resp. ad 5. ait sub aliis nominibus, quàm Patris, Filij, & Spiritus Sancti, non perfici sacramentum, intendit sacramentum esse nullum, & carere eo quod requiritur ad ejus essentiam.

Præterea idem S. Doctor in 4. ad Annibaldum dist. 5. quæst. unicâ art. 2. ad 4. sic ait: *Dicendum Quod genitor, cùm sit nomen verbale, non significat personam ut hypostasim subsistentem, sed magis per modum actûs: unde si dicatur, in nomine Genitoris, & Geniti, non erit Baptismus.* Quibus verbis non solùm Glossam Cajetani penitùs destruit, sed etiam præcipuum ejus fundamentum omnino convellit rationemque istam insinuat, quâ potest secundò probari conclusio. Ad valorem sacramenti Baptismi necessarium est ut in forma exprimantur ea verba quæ Christus instituit, vel alia synonima, & idem significantia: Sed verba illa, *Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*, non significant idem quod *Patris, Filij, & Spiritus Sancti:* Ergo ad valorem Baptismi non sufficit exprimere nomina *Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque.* Major est certa, & illi maximè innititur Cajetanus: Minor verò quam negat sic ostenditur. Pater significat subsistentiam primæ personæ, seu relationem quâ constituitur in ratione talis personæ; Genitor autem non significat subsistentiam seu relationem, sed actum notionalem, qui est veluti fundamentum ipsius subsistentiæ, seu relationis, & quo Personæ Divinæ non constituuntur formaliter, ut in Tractatu de Trinitate disp. 11. ostensum est: Ergo nomina *Genitoris, Geniti, Procedentis ab utroque*, non significant idem formaliter, quod nomina *Patris, Filij, & Spiritus Sancti.*

85. Dices cum Cajetano: Concilium Florentinum definit, illam formam esse ad Baptismum sufficientem, in qua exprimitur actus baptizandi, cum Sanctæ Trinitatis invocatione: Sed utrumque fit in proposita forma: Ergo in illa validè potest conferri Baptismus.

86. Confirmatur: Hæc nomina *Genitor, & Genitus, & Procedens ab utroque*, significant idem quod *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*; unde potest quilibet indifferenter invocare & laudare Trinitatem sub ptimis aut secundis nominibus, ut patet ex hymno Ecclesiastico à Divo Thoma edito, in quo sic canit Ecclesia: *Genitori, Genitoque, laus & jubilatio: Procedenti ab utroque compar sit laudatio:* Ergo &c.

87. Ad objectionem dicendum, Florentinum cùm requirit ut exprimatur actus baptizandi cum sanctissimæ Trinitatis invocatione, nomine Trinitatis, intelligere ipsas personas divinas distinctè significatas, ut ex ipso textu manifestum est, nam paulò antea declaraverat, formam Baptismi contineri expressâ illa significatione Trinitatis: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

88. Ad confirmationem respondeo Antecedens esse falsum, ut patet ex nostra ratione: quamvis enim materialiter loquendo idem significent *Genitor, Genitus, & Procedens ab utroque*, ac *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, non tamen formaliter, neque secundùm communem & usitatum modum intelligendi; hæc enim nomina, *Pater, & Filius*, formaliter significant ipsas relationes Paternitatis, & Filiationis, quibus divinæ personæ constituuntur & distinguuntur; ista verò, *Genitor & Genitus*, exprimunt actus notionales, qui sunt fundamenta talium relationum: unde sicut ista nomina, *albedo & similitudo*, non sunt synonima, nec idem formaliter significant, cùm unum fundamentum relationis similitudinis; aliud verò ipsam relationem significet, ita nec illa.

89. Ad id quod subditur dicendum, quod licèt extra sacramentum possit quis invocare Trinitatem sub nominibus *Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*, & de facto Ecclesia sub nominibus illis eam sæpè invocet & laudet, non tamen in ipso sacramento Baptismi, tum propter Christi institutionem, tum etiam quia incertum est, an hæc nomina sint omnino synonima cum nominibus *Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, & probabilius est quod non: in rebus autem moralibus, præsertim verò in materia sacramentorum, non licèt sequi opinionem minùs tutam & minùs probabilem, relictâ tutiori & probabiliori: unde si aliquis sub forma illa Cajetani baptizatus esset, saltem sub conditione, rebaptizandus esset.

90. Dico tertiò: Baptismum in nomine Christi collatum invalidum esse. Est contra Magistrum sententiarum, Hugonem Victorinum, Alensem. Adrianum, Cajetanum, & alios: est tamen D. Thomæ hic art. 6. & Discipulorum ejus, & colligitur manifestè ex suprà dictis: Christus enim instituit Baptismum dari in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti: Sed nomen Christi cum nominibus Patris, Filij, & Spiritus Sancti, synonimum non est, cùm unam duntaxat personam, scilicet personam Filij, ut in humana natura subsistentem, significet: Ergo Baptismus in nomine Christi collatus, invalidus est. *Nec obstat,* (inquit S. Doctor) *quòd in nomine unius personæ intelligatur alia (sicut in nomine Patris intelligitur Filius) aut quod ille qui nominat unam solam personam, potest habere rectam fidem de tribus; quia sicut ad sacramentum requiritur materia sensibilis, ita & forma sensibilis: unde non sufficit intellectus vel fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitatis exprimatur; unde & in Baptismo Christi (ubi fuit origo sanctificationis nostri Baptismi) effuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicet Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in columba.* Et ita Zacharias Papa de consecratione dist. 4. cap. *In Synodo*, probans decretum cujusdam Concilij Anglicani super hac re editum, sic inquit: *Si quis unam de Trinitate personarum in Baptismo non nominaret, illud Baptisma*

Universidad de Deusto
Biblioteca

verum esse non posset. Et Pelagius Papa eadem dist. cap. *si re vera*, scribit Gaudentio Episcopo: *Si hi qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cujuscunque dubitationis ambiguo, eos ad fidem catholicam venientes, in sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.* Quibus verbis manifestè supponit, Baptismum collatum in nomine Domini esse invalidum: pro eodem autem accipit *In nomine Domini*, ac *In nomine Christi*: tum quia nullus unquam fuit usus baptizandi in nomine Domini præcisè, sed solùm in nomine Jesu Christi. Tum etiam, quia idem Pontifex in eodem decreto de illis loquitur de quibus dicit: *Multi sunt qui in nomine solummodo Christi se asserunt baptizare.*

91. Objicies: Actorum 8. dicitur: *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri & mulieres.* Et iterum: *Baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu.* Et cap. 2. Petrus dixit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi.* Et cap. 10. idem Apostolus jussit aliquos Gentiles *baptizari in nomine Domini Jesu Christi.* Denique cap. 19. dicitur aliquos qui baptizati tantùm erant Joannis baptismate, baptizatos fuisse *in nomine Domini Jesu.* Ergo baptisma in nomine Christi collatum validum est.

92. Respondet Pater Nicolaï in Scholiis ad art. 6. hujus quæst. & in additionibus ad Raynerium, verbo *Baptismus*, capite 1. *quod cùm in actibus Apostolorum quidam dicuntur baptizati in nomine Christi: per ly*, in nomine Christi, *intelligitur in fide Christi, vel in professione fidei Christianæ, quæ à Christo denominatur ut à proximo institutore, vel objecto; juxta illud Actorum 16.* Crede in Dominum Jesum. *Et Actorum 19. versu* 4. Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est in Jesum. *Ubi & adjungitur eos quibus hæc Paulus loquebatur, iis auditis baptizatos esse in nomine Domini Jesu: quasi diceretur in fide illa Jesu &c. Ita ut* in nomine Jesu *non sit intelligendum ex parte baptizantis, quantùm ad formam baptizandi, sed ex parte solius baptizati, quantùm ad professionem fidei, quam in baptismo emittebat: quia in ipsa fide Christi continebatur implicitè fides totius Trinitatis, omniumque salutis nostræ mysteriorum, quæ operatus erat Christus, & quæ suis proposuerat credenda, seu per ipsam sui nominis professionem confitenda.* Hæc solutio probabilitate non caret, eamque etiam tradit Soto in 4. distinct. 3. quæstione unicâ articulo 6.

93. Secundò respondet Cano lib. 6. de locis Theologicis cap. 8. ad 7. quod quando in actibus Apostolorum, in nomine Jesu Christi Apostoli baptizasse dicuntur, non putandum est, eos propterea Spiritus Sancti, Patrisque nomen omisisse; sed illorum nomina in forma quâ baptizabant, cum nomine Jesu-Christi expressisse.

94. Hæc etiam solutio valde probabilis est, & consona doctrinæ Sanctorum Patrum, præsertim Cypriani & Augustini. Primus enim Epist. 73. post medium, referens quod Actorum 2. dixit Petrus, *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*, sic explicat: *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quòd Pater omitteretur; sed ut Patri quoque Filius adjungeretur.* Alter verò libro 3. contra Maximinum cap. 17. *Qui Patre* (inquit) *& Spiritu Sancto non nominatis, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari, tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti:* ex quo & argumentum ducit, ut cùm alibi non exprimitur, subintelligi tamen debeat. Huic consonat quod Abdias Babylonicus & alij scribunt, nimirum in exordio nascentis Ecclesiæ Apostolos his verbis baptizare solitos: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij ejus Jesu Christi, & Spiritus Sancti.*

Respondet tertiò S. Thomas hìc art. 6. ad 1. 95.
Quòd ex speciali Christi revelatione, Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi quod erat odiosum Judæis & Gentilibus, honorabile redderetur, per hoc quòd ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo. Eandem solutionem & doctrinam tradunt Alensis, D. Bonaventura, Altisiodorensis, Richardus, Durandus, Paludanus, Gabriel, Major, Marsilius, Soto, Sylvester, Tabiena, Armilla, Valentia, Toletus, Bonacina, & alij, quos refert & citat Martinez à Prado hìc dubio 5. §. 5. eamque probabilem esse indicat Catechismus Romanus capite de Baptismo, ubi sic habet: *Si aliquando tempus fuisse dicendum est, quod Apostoli in nomine tantùm Domini Jesu Christi baptizarent, id quidem Spiritus Sancti afflatu eos fecisse, exploratum nobis esse debet, ut initio nascentis Ecclesiæ, Jesu Christi nomine prædicatio illustrior fieret, divinaque, & immensa ejus potestas magis celebraretur &c.*

Hanc tamen solutionem & Doctrinam D. Thomæ & antiquiorum, omnino improbabilem esse existimant Suarez, Vazquez, & alij Recentiores, contendentes nusquam, etiam Apostolorum tempore, validum fuisse Baptisma in nomine solius Christi collatum, idque suadere conantur primò ex Scriptura: nam Actor. 19. cùm Paulus aliquos qui se Christianos esse profitebantur, interrogasset, *An Spiritum Sanctum accepissent?* Illique respondissent: *Neque si Spiritus Sanctus est audivimus:* subjecit Paulus, *In quo ergo baptizati estis?* At hæc secunda interrogatio non fuisset congrua, si in Baptismo, Apostolorum tempore, & initio nascentis Ecclesiæ, non nominaretur Spiritus Sanctus, sed Baptismus in solo Christi nomine conferretur; neque enim admirabile fuisset eos baptizatos fuisse, nec tamen audivisse nomen Spiritus Sancti: Ergo etiam Apostolorum tempore, fideles in nomine trium Personarum Divinarum, non verò in solo Christi nomine baptizabantur. 96.

Secundò in canone 49. Apostolorum præscribitur, ut in nomine Patris & Filij Baptisma conferatur, nullâ ibi invocationis Christi nominis mentione appositâ. Item Can. 50. Baptismus in nomine Christi collatus rejicitur, & ratio assignatur: *Non enim docet nos Dominus in morte sua baptizare, sed in nomine Patris &c.* 97.

Tertiò, Unicum tantùm est specie Baptisma in Ecclesia, ut patet ex Symbolo fidei, & ad Ephes. 4. Si autem Apostoli in nomine Christi baptizassent, cùm illa forma fuisset diversa ab ea quâ nunc baptizamus, constituisset diversum specie Baptismum in Ecclesia: Ergo &c. 98.

Denique, Apostoli habebant Matth. ultimo recens mandatum de Trinitate distinctè nominanda in forma Baptismi: Ergo non est credibile, eos in solo Christi nomine baptizasse. 99.

Hæc tamen levia sunt, & facilè dilui possunt. Ad primum enim, quod valde tenue esse fatetur Vazquez, respondeo semper etiam temporibus Apostolorum 100.

Apostolorum moris fuisse, ut adultis Baptismus non administraretur, nisi præmitteretur doctrina fidei, in qua Mysterium Trinitatis præsertim, baptizando credendum proponebatur, & explicabatur Baptismum operari salutem in Spiritus Sancti virtute. Unde hic est verus interrogationis Pauli sensus: Coapostoli mei non baptizant, nisi priùs Spiritum Sanctum esse, Baptismumque in ejus virtute operari doceant: vos ergo qui an Spiritus Sanctus sit non audistis, in cujus virtute baptizati estis? Ex quo nihil contra doctrinam & solutionem D. Thomæ colligi potest, quandoquidem licèt in solo nomine Christi baptizati fuissent, tamen cognovissent ex catechismo præcedenti Spiritum Sanctum.

101. Ad secundum respondeo ideò solùm in Canone 49. mentionem fieri de forma Baptismi in nomine Patris & Filij &c. non verò de alia in nomine Christi, quia licèt ista etiam esset valida, non tamen perpetuò duratura in Ecclesia, sicut alia, sed solùm ad tempus: Canon autem non debet esse nisi de forma in Ecclesia perpetuò duratura. Quantùm verò ad Canonem quinquagesimum dico ibi reprobari Baptisma in morte Christi collatum, propter errorem quorumdam hæreticorum, qui existimantes Christum esse purum hominem, nec dici filium Dei, nisi propter merita, quæ præsertim morte suâ consummaverat, consequenter baptizabant in commemorationem mortis Christi: Sed nihil inde contra doctrinam D. Thomæ, quandoquidem nihil ibi de Baptismo in nomine Christi.

102. Ad tertium in primis dico Baptisma dici unum, quia iterari non potest, & nequit nisi semel suscipi, ut patebit ex dicendis articulo sequenti. Vel quia, ut alij exponunt, licèt sint plures ministri baptizantes exteriùs, unus est qui interiùs baptizat, scilicet Christus. Vel etiam unum quidem citra divinam dispensationem dari Baptisma in Ecclesia, ex speciali tamen Christi dispensatione, aliud interdum posse existere, & de facto extitisse in nascentis Ecclesiæ exordio, ob rationem à D. Thoma & Catechismo Romano insinuatam: cùm enim nomen Christi, inter prima nascentis Ecclesiæ incunabula, Judæis ac Gentibus odiosum esset & infame, ut amabile redderetur & augustum, decuit ex speciali ipsius dispensatione, ut Apostoli illo nomine, nedum ad miracula patranda, sed etiam ad baptismalem gratiam conferendam uterentur, & Baptismus non sub forma solita, sed tantùm sub istis verbis, *In nomine Christi*, conferretur. Nec valet quod ait Suarez, Christi nomen sat cohonestari, & reddi amabile, si ingrediatur formam Baptismi, unà cum nominibus Patris, & Spiritus Sancti. Nam perversi Judæi inde ansam accepissent calumniæ, & dixissent Apostolos gratis nomen Christi aliis adjungere, & Spiritum Sanctum, ac gratiam, non in Christi nomine, sed in aliis quibuscum miscebatur, communicari. Addo quod, multò magis amabile reddebatur nomen Christi, si solùm ponebatur in forma Baptismi, quia quando aliquod nomen est solum, multò magis ad ipsum, & ad ejus virtutem advertimus.

103. Ad ultimum respondeo solùm concludere, quod tempore Apostolorum debuit Baptismus administrari etiam interdum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quod non negamus: licèt enim dicamus quod sæpè Apostoli in solo Christi nomine baptizarint, ut locis suprà citatis legitur, fatemur tamen quod sæpè etiam in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizabant: imò postea cessante causâ dispensationis, & Christi nomine per totum orbem diffuso, & à Judæis ac Gentilibus agnito, eâ tantùm formâ usi sunt, & tunc Baptisma in solo Christi nomine collatum fuit invalidum.

Dices, Nicolaus Papa (ut habetur de Consecrat. dist. 4. capite *A quodam Judæo*) ad consulta Bulgarorum, qui ab eo petierant, quid esset agendum de multis à quodam Judæo baptizatis, respondet, quod si in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt, rebaptizari non debent, & rationem reddit, quia unum idemque est Baptisma in nomine Trinitatis, & in nomine Christi, ut S. Ambrosius exponit: Ergo Baptisma in solo Christi nomine collatum, etiam post Apostolorum tempora, fuit validum. 104.

Respondeo cum Soto, quod licèt Nicolaus revera arbitratus sit quod tempore suo valeret Baptisma in nomine Christi, hoc tamen non decrevit ut Summus Pontifex, sed ut Doctor particularis, tanquam opinionem, quam putavit esse Ambrosij; summi namque Pontifices quod extra Concilium decernunt, non semper constituunt tanquam articulum fidei, maximè quando Authorem citant; & ideò, non obstante tali decreto, sequi debemus contrariam doctrinam, quæ authoritatibus aliorum Pontificum, & SS. Patrum validiùs comprobatur. 105.

ARTICULUS IV.

An Baptismus possit iterari?

MArcionistæ olim (ut refert Ephiphanius hæresi 42.) tria Baptismata eidem homini concedebant, si post primum in alia peccata laberetur: unum in infantia, ad delendum peccatum originale; alia duo in adulta ætate, ad imitationem Christi, qui & Baptismo Joannis, & postea proprio sanguine baptizatus est. Quidam etiam ex Anabaptistis hujus temporis, rebaptizant eos qui post semel susceptum Baptismum fidem abnegarunt, ut refert Valentia hìc quæst. 1. puncto 4. Augustinus verò libro 2. contra Petilianum Donatistam cap. 27. innuit etiam Donatistas duo admisisse Baptismata, unum pro justis, & aliud pro iniquis: quare illi non erant totaliter immunes ab Hæresi rebaptizantium, quidquid in contrarium dicat Vazquez disp. 146. cap. 2. num. 4. Unde S. Thomas 4. contra Gentes cap. 59. in fine sic ait: *Cùm Baptismus sit quædam consecratio hominis baptizati, non est iterandum Baptisma: per quod excluditur error Donatistarum, vel Baptizantium.* His præmissis, ut fidei Catholicæ veritas stabiliatur. 106.

Dico brevitèr, Baptismum iterari non posse, id est eidem subjecto semel verè baptizato, iterum validè conferri. Patet ex Lateranensi cap. *firmiter*, Florentino in decreto Eugenij, & Tridentino sess. 7. can. 11.

Colligitur etiam ex illo ad Hebræos 6. *Impossibile est eos qui semel illuminati .... & prolapsi sunt, rursus revocari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Licèt enim aliqui hæretici, imò & Catholici quidam, hunc locum intelligant de pœnitentia; hæretici quidem, ut probent peccata 107.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cata post Baptismum commissa esse irremissibilia; Catholici verò, ut ostendant difficilè remitti: tamen D. Augustinus libro de vera & falsa pœnitentia, censet esse de Baptismo intelligendum, sicut & D. Chrysostomus homil. 9. in Epist. ad Hebræos, & multi alij; & meritò, ut enim infrà dicemus, in Baptismo commorimur Christo, & consepelimur, unde quia semel Christus mortuus est, iterare Baptismum, est agere contra ejus significationem, & falsò Christi mortem & sepulturam repræsentare. Quare sensus verborum Apostoli est: impossibile esse eos qui semel baptizati sunt (cùm enim Baptismus sit sacramentum fidei, congruè significatur nomine illuminationis) rursus renovari ad pœnitentiam, id est per Baptismum iterum habere remissionem peccatorum: cujus rationem assignat, quia hoc esset in semetipsis rursus crucifigere Christum.

108. Probat etiam D. Thomas hic art. 9. conclusionem nostram ex illo ad Ephesios 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma*: quo testimonio utitur etiam S. Leo relatus de consecratione dist. 4. cap. *Cùm itaque*, dicens: *Scimus quidem inexpiabile esse facinus, quoties juxta Hæreticorum dogmata, contra Sanctorum Patrum instituta, cogitur aliquis lavacrum quod regenerandis semel tribuum est, bis subire, Apostolicâ reclamante sententiâ quæ nobis unam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismate sacramentum.*

109. Eandem veritatem confirmat S. Thomas variis congruentiis, quarum prima est, quia Baptisma est quædam renascentia spiritualis, juxta illud Christi Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto &c.* Quare sicut nativitas carnalis unica est, ita unicum debuit esse Baptisma, & congruum est illud non posse iterari, sicut nec carnalis generatio. Unde Augustinus Tractatu 11. in Joann. exponens illud Joannis 3. *Nunquid potest homo in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci? Sic tu* (inquit) *intelligite nativitatem Spiritûs, quomodo intellexit Nicodemus nativitatem carnis, quomodo enim uterus non potest repeti, sic nec Baptismus.*

110. Secunda: Baptismus est figura mortis & resurrectionis Christi, quia per illum morimur pecto, & resurgimus in novitatem vitæ, juxta illud Apostoli ad Romanos 6. *Consepulti sumus cum illo per Baptismum, in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*: Ergo sicut Christus semel tantùm mortuus est, & resurrexit, ita conveniens est, ut homo semel tantùm baptizetur.

111. Dices, Eucharistia est repræsentatio mortis & passionis Christi, juxta illud Apostoli 1. ad Corinthios 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*; & tamen sacramentum Eucharistiæ quotidie iteratur: Ergo licèt Baptismus sit figura mortis & sepulturæ Christi, poterit nihilominus iterari.

112. Respondet S. Thomas hîc. art. 9. ad 5. *Quòd utrumque sacramentum, scilicet Baptismi & Eucharistiæ, est repræsentativum Dominicæ mortis & Passionis, aliter tamen, & aliter: nam in Baptismo commemoratur mors Christi, inquantum homo Christo commoritur, & in novam vitam regeneratur: sed in sacramento Eucharistiæ commemoratur mors Christi, inquantùm ipse Christus passus, exhibetur nobis quasi Paschale convivium, secundùm illud 1. ad Corinthios 5. Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur; & quia homo semel nascitur, multoties autem cibatur, semel tantum datur Baptismus, multoties autem Eucharistia.*

113. Tertia ratio D. Thomæ est, quia Baptismus imprimit characterem, qui est indelebilis, & cum quadam consecratione datur; unde sicut aliæ consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec Baptismus. Qua etiam ratione utitur Florentinum in decreto Eugenij, ubi sic ait: *Tria sunt sacramenta, Baptismus, Confirmatio, & ordo, quæ characterem, id est spirituale signum, imprimunt in anima, indelebile, unde in eadem persona non iterantur.* Hanc quoque insinuat Cyprianus, vel Author sermonis de ablutione pedum, his verbis: *Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ, & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere; quia contumelia esset Spiritus sancti, si evacuari posset quod ille sanctificat; vel alia sanctificatio emendaret quod semel ille statuit & confirmat.*

114. Quarta ratio est: Baptismus datur principaliter contra originale peccatum: Ergo sicut peccatum originale non iteratur, ita nec debet iterari Baptismus. E contra verò, quia pœnitentia est remedium contra peccata actualia, quæ sæpè committuntur, multoties iterari debet.

C Quæres primò, quid sit faciendum, quando dubitatur, an aliquis sit baptizatus?

115. Respondeo si dubium sit rationabile, illum esse rebaptizandum sub conditione. Tunc autem dubium est rationabile, cùm occurrunt conjecturæ impedientes ne animus certò judicet esse baptizatum; aut quando non sunt motiva sufficienter inducentia, moraliter loquendo, ad id credendum. Potest autem esse dubium, an aliquis sit baptizatus, vel quia illi applicatus est Baptismus in forma aut materia dubia, & tunc est dubium juris: vel quia nescitur, an de facto illi fuerit applicatus, & tunc est dubium facti. Ad hoc verò ut non censeatur esse dubium, moraliter loquendo, sufficit quod aliquis fidè dignus affirmet, Baptismum fuisse cum omnibus requisitis collatum; & si stante hac certitudine aliquis eum rebaptizaret, etiam sub conditione, peccaret mortaliter, quia injuriam faceret sacramento Baptismi, ejus materiam & formam subjecto incapaci scienter applicando: sicut esset peccatum mortale, denuò consecrare, etiam sub conditione, hostiam, quam constaret moraliter esse consecratam. Unde pueri expositi, si secum habeant scriptum testificans illos esse baptizatos, quamvis nomen testis non exprimatur, nullatenus sunt rebaptizandi, etiam sub conditione, benè tamen si nullum habeant scriptum, aut certam notam suscepti Baptismi.

Quæres secundò, quæ sint pœnæ contra rebaptizantes & rebaptizatos in jure statutæ? 116.

Respondeo eos damnari pœnâ mortis in jure civili, lege primâ, Codice *Ne sanctum Baptisma reiteretur*: jure autem Ecclesiastico incurrere irregularitatem: Can. *Qui in qualibet*, 1. quæst. 7. & cap. *Eos quos*, de Consecrat. dist. 4. & cap. *Ex litterarum*, de Apostatis.

Adverte tamen, esse valde probabile eos qui rebaptizant & rebaptizantur sub conditione, etsi sint certi de collato antea Baptismo, non incurrere irregularitatem, quia ut habetur in cap. *His qui* de sententia excommunic. in sexto, non incurritur irregularitas, nisi habeatur expressè in jure: non habetur autem expressè, nisi contra rebaptizantes & rebaptizatos absolutè. Adde quod, odia sunt restringenda, unde cùm lex ista contra rebaptizantes, & rebaptizatos sit pœnalis, non est extendenda ad rebaptizantes & rebaptizatos sub conditione. 117.

118. Quæres tertiò, quid significent verba illa Apostoli 1. ad Corinth. 15. *Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis?*

Respondeo, occasione horum verborum, nonnullos olim fuisse hæreticos, apud quos mos erat, ut vivi pro mortuis, id est qui sine baptismo decessissent, baptizarentur, ut referunt Tertullianus lib. de Resurrect. carnis & lib. 1. contra Marcionem, & D. Ambrosius in commentariis in illum locum Apostoli. Unde SS. Patres, ut errorem illum refellerent, variis modis hunc locum interpretati sunt. Chrysostomus enim & Theophilactus hæc verba referunt ad veterem consuetudinem baptizandi. Nam olim qui baptizabantur, antequam reciperent sacramentum, recitabant Symbolum: cùm autem pervenissent ad illa verba: *Credo in resurrectionem mortuorum*, continuò perfundebantur aquâ, & hoc volunt esse baptizari pro mortuis, in eis confitentes resurrectionem mortuorum. D. autem Hieronymus & Theodoretus putant esse allegoriam, ut baptizati dicantur pro mortuis, qui per baptismum, ut ait Apostolus, Christo consepeliuntur. Demum nonnulli sunt scripturæ interpretes, qui existimant proprium horum verborum sensum esse, ut baptismus non accipiatur pro baptismo aquæ, sed pro baptismo sanguinis; ita quod sensus Apostoli sit: si resurrectio mortuorum non est, frustrà in hac vita, tot pericula subimus, & tot afflictiones patimur; hoc enim est baptizari, juxta illud Christi: Marci 10. *Potestis bibere Calicem quem ego bibo, & baptismo quo ego baptizor baptizari?*

ARTICULUS V.

Præcipuæ baptismi cæremoniæ breviter exponuntur.

119. D. Thomas hîc art. 1. docet conveniens esse in solemni celebratione baptismi, aliquas cæremonias adhiberi. *Primò quidem ad excitandam devotionem fidelium, & reverentiam ad sacramentum: si enim simpliciter fieret ablutio in aqua, absque solemnitate, de facili ab aliquibus æstimaretur quasi quædam communis ablutio. Secundò, ad fidelium instructionem: simplices enim qui non litteris eruditur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa, &c. Tertiò, quia per orationes, & benedictiones, & alia hujusmodi, cohibetur vis Dæmonis ab impedimentis sacramentalis effectus.*

120. Porrò cæremoniæ in administratione baptismi adhiberi solitæ, triplicis generis sunt, aliæ baptismum antecedunt, aliæ concomitantur, aliæ subsequuntur. Prima cæremonia est aquæ consecratio, solet enim Ecclesia in vigilia Paschatis & Pentecostes, fontes baptismales solemniter benedicere, & magna religione ad baptizandum consecrare, ac Spiritum Sanctum invocare, ut aquas arcana numinis sui virtute fœcundet, eisque vim regenerandi baptizandos conferat. Hujus cæremoniæ meminerunt SS. Patres: Ambrosius enim lib. 1. de sacram. cap. 5. docet illam sumptam fuisse ex Christi facto, qui priùs consecravit tactu carnis suæ aquam Jordanis, deinde descendit Spiritus Sanctus. *Sic enim* (inquit) *disciplina & usus Ecclesiasticus obtinet, ut priùs fons baptismatis consecretur, deinde ut baptizandus descendat.* Et Cyprianus epist. 42. *Oportet mundari & sanctificari priùs aquam à Sacerdote, ut possit peccata hominis qui baptizatur abluere.* Item Augustinus tract. 80. in Joan. *Ad hunc* (inquit) *fontem baptismatis, Apostolico ritu consecratum, baptizandus vel accedit adultus, vel adducitur infans.* Et serm. 19. de baptismo loquens ait: *Aqua sacris invocationibus priùs consecratur.*

121. Secunda cæremonia est statio ad fores Ecclesiæ, non enim domum Dei ingredi debent, qui nondum sunt cives sanctorum & domestici Dei, sed tandiu ab ejus introïtu prohiberi, quandiu sub peccati jugo, & diaboli potestate tenentur, quibus per sacramentum depulsis, in Dei familiam excipientur.

122. Tertia est Catechismus, quo præcipua Christianæ religionis capita exponuntur; cùm enim baptismus sit sacramentum fidei, necesse est ut baptismate initiandus, de præcipuis nostræ fidei mysteriis erudiatur. Et licet pueri usu rationis carentes, doctrinæ & fidei capaces non sint, tamen ut ait Augustinus epist. 23. *Per alios credunt, sicut ex aliis quæ in baptismo remittuntur traxerunt peccata.* Et lib. de peccat. meritis & remiss. cap. 25. *Mater Ecclesia* (inquit) *os matrum parvulis præbet, ut sacris mysteriis imbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere ad justitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem.*

123. Quarta, ut baptizandus habeat susceptores, quod ipso tempore Apostolorum factum est, ut legimus apud Dionysium de Eccles. hierarchia cap. 2. Illi verò adhibentur tribus præsertim de causis. Primùm, ut tutiùs Ecclesia baptizet acceptis vadibus. Deinde, ut nullus Christianus sit, qui non habeat pædagogum à quo doceatur. Tertiò ut expressiùs repræsentetur generatio spiritualis quæ fit in baptismo, adhibitis parentibus spiritualibus. Sed de hoc fusiùs disput. sequenti art. 3.

124. Quinta cæremonia est exorcismus, seu adjuratio, quâ dæmon compellitur ut exeat, & expellitur ab anima baptizandi, quam per peccatum originale inhabitat. Unde Augustinus lib. 1. de symb. cap. 1. *Ideò parvuli exsufflantur & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decepit hominem, ut possideret homines.*

125. Sexta est exuflatio, de qua D. Ambrosius lib. de iis qui mysteriis initiantur cap. 1. ubi sic ait: *Odorem vitæ æternæ vobis insufflatum carpite.* Quibus verbis rationem innuit cur hujusmodi cæremonia adhibeatur, nimirum ut significetur largitio quædam divini Spiritus, quem Christum etiam ex suflatione dedisse legimus Apostolis.

Illius etiam meminit Augustinus lib. 2. de nuptiis & concup. cap. 29. ubi hunc ritum *antiquissimam traditionem* appellat, ex qua etiam probat peccatum originale in parvulis. Unde cap. 18. ait: *Accusat* (Pelagius) *Ecclesiam toto orbe diffusam, in qua ubique omnes baptizandi infantuli, non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab eis princeps mundi mittatur foras.* Tanquam ipse (addit lib. 6. contra Julian. cap. 5.) *à toto orbe exsufflandus esses, si huic insufflationi, quâ princeps*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mundi etiam à pærvulis ejicitur foras, contradicere voluisses.

126. Septima est signum crucis, quod fronti baptizandi imponitur. Quam cæremoniam Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. numerat inter eas traditiones, quæ non fuerunt introductæ in Ecclesiam successu temporis, sed acceptæ ab Apostolis. Illam à Christianis Gentiles usurpasse docet Tertullianus lib. de præscript. his verbis: *Et sic adhuc initiat Mitræ* (id est soli) *& signat illic in frontibus milites suos.* Id est Dæmon cæremonias Ecclesiasticas imitatus, cùm aliquem ordinat Sacerdotem Dei Mitræ, signat illum in fronte, sicut apud nos signantur Christiani. Hinc signum Domini generali nomine vocatum est, non quodcumque signum crucis, sed quod in B baptismo fuerat impressum; quia erat quasi character quidam, quo Christiani discernebantur ab aliis, ut testatur Cyprianus epist. 6. libro 4. & in sermone de lapsis. Hic ritus tanti fuit apud veteres, ut inde manarit vulgaris opinio, corripi à Dæmonibus eos qui sine hac cæremonia fuissent bapizati. Hanc enim causam in prædicto sermone reddit idem Cyprianus, cur quidam martyr non cesserit diabolo tentanti, & Cornelius in Epist. ad Fabianum, cur novatus hæreticus fuisset agitatus à Dæmone, apud Eusebium lib. 7. hystoriæ cap. 33.

127. Octava est salis appositio, quâ significatur baptizandum fidei Doctrinâ & sapientiæ discretione esse imbuendum, ut à peccatorum putredine liberetur, saporem bonorum operum percipiat, divinæ sapientiæ pabulo reficiatur ac delectetur, & sermo ejus semper sale conditus sit. C

128. Nona est tangere nares & aures, ac dicere *Epheta*, injecto sputo, quæ significat nos deinceps debere esse attentis auribus & aperto ore, ad excipiendum verbum Dei, & sumpta est ex Christi exemplo Marci 7. ubi hoc modo aperuit aures & os surdo & muto. Unde Ambrosius lib. 1. de sacramentis cap. 1. repetitâ Evangelicâ hystoriâ. ubi dicitur *Epheta*, quod est adaperire, ait: *Ideò tibi Sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad sermonem; nares, ut bonum odorem percipias pietatis æternæ, ut cum Apostolo dicas, Christi bonus odor sumus, & sit in te fidei, devotionisque plena fragantia.*

129. Decima est abrenuntiatio, de qua Dionysius cap. de baptismo: *Ter* (inquit) *qui baptizatur, jubetur insufflari, deinde recitare verba abrenuntiationis.* Et Tertullianus lib. de spectaculis cap. 4. sic ait: *Cùm aquam ingressi Christiani fidem in legis suæ verba profitemur, renuntiasse nos Diabolo & pompis, & Angelis ejus, ore nostro contestamur.* Et lib. de Idololatria: *Si Diaboli* (inquit) *pompam ejerasti, quidquid ex ea tetigeris, id scias esse idololatriam* Item Cyprianus in libro de duplici martyrio sic habet: *Simul Diabolo denunciasti perpetuas inimicitias, renunciasti omnibus illius pompis ac voluptatibus.* Demum Ambrosius lib. 2. de sacram. cap. 2. *Quando interrogavit te* (inquit) *Sacerdos, abrenuntias Sathanæ & operibus ejus? quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias voluptatibus sæculi? quid respondisti? Abrenuntio.*

130. Undecima est unctio, quæ duplex est: una ante baptismum, quæ fit in simplici oleo benedicto, in pectore, & inter scapulas, in signum pugnæ spiritualis contra inimicum, sicut athletæ inunguntur: altera in chrismate, quæ fit in vertice capitis, quam S. Sylvester instituit, & de qua A loquitur Ambrosius libro 3. de sacram. cap. 1. dicens: *Unguentum super caput effunditur, quia sensus sapientis in capite ejus, ut scilicet sit paratus omni petenti de fide reddere rationem.* Vel ut ait S. Thomas in 4. distinct. 6. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 3. ad 4. *Sicut per ablutionem aquæ significatur emundatio à peccatis, ita per chrismatis linitionem in vertice, significatur gratia collata in mente ad benè operandum, ut odor boni exempli ad alios diffundatur.* Inter hanc autem unctionem, & illam quæ fit in confirmatione, notabile intercedit discrimen; licet enim utraque fiat in chrismate, & in capite, unctio tamen baptismalis fit in summitate capitis, quasi ad ostendendam sanctificationem interiorem; unctio verò Confirmationis fit in frontead ostendendam perfectionem exteriorem sanctitatis absque ullo pudore, cujus index & nota est frons.

131. Duodecima est trina immersio, quam Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27. dicit esse traditionem Apostolorum, & quam idcircò diu usurpavit Ecclesia, ut per illam mysterium Trinitatis designaret. Quingentis autem sexaginta annis post Christum, cùm in Hispania Arriani regnarent, & illâ cæremoniâ abuterentur, dicentes significare tres personas & tres naturas, Hispani Sacerdotes cœperunt semel tantùm mergere, quod hodie fit. De qua re D. Gregorius consultus ab Alexandro Episcopo Hispalensi, libro 2. epist. 41. respondit, non esse absurdum, causâ Arrianorum, mutari illam cæremoniam.

Reprehensibile (inquit) *esse nullatenus potest, infantem in baptismo vel ter vel semel immergere, quando & in trinis mersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc hucusque ab hæreticis infans in Baptismate tertiò mergebatur, faciendum apud nos non censeo, ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant; dumque quod faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur.*

132. Decima tertia est vestis candida, quæ traditur baptizato, in signum gloriosæ Resurrectionis, ad quam homines per baptismum regenerantur, & D ad significandum puritatem vitæ, quam debent post baptismum observare, secundùm illud ad Roman. 6. *In novitate vitæ ambulemus.*

133. Decima quarta est cereus accensus, qui in manu baptizati traditur, ut aliis per bona opera prælucere debere ostendatur. Unde Rabanus lib. 2. de instit. Clericorum cap. 9. ait baptizatos *per septem dies* (id est per hebdomadam Paschæ) *non solùm in Angelico castitatis habitu* (id est candida veste) *sed etiam in luminibus cœlestis claritatis,* (id est cum cereis accensis) *assistere sacrificio Missæ solere.*

234. Decima quinta erat, ut recens baptizatis porrigeretur lac & mel, tum ad significandum infantiam in Christo, tum etiam ad declarandam E vitæ Christianæ suavitatem. Unde primo sacro quod audiebant qui nuper baptizati erant, recitabatur illa epistola Petri quâ dicitur: *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.* Hinc Tertullianus lib. 1. contra Marcionem: *Ille quidem neque aquam reprobat Creatoris, quâ suos abluit, neque solum oleum quo suos ungit, neque mellis & lactis societatem, quâ suos infantat.* Et D. Hieronymus dialog. contra Luciferianos: *Multa* (inquit) *quæ per traditionem in Ecclesia servantur, authoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, & inde egressos*

sos lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem.

135. His quindecim cæremoniis addi possunt duæ aliæ purè extrinsecæ, nimirum tempus & locus, quibus solet ministrari baptismus. Quantùm ad primum docet D. Thomas hìc art. 10. ad 1. quod solemnis Baptismus agitur in Ecclesia in vigilia Paschæ, quando fit commemoratio sepulturæ, & resurrectionis Christi, tum quia (ut suprà ostendimus) Baptismus est figura sepulturæ & resurrectionis Christi: tum etiam, quia Christus post resurrectionem præceptum de Baptismo discipulis dedit, ut habetur Matth. ultimo. Item in Ecclesia solet ministrari Baptismus cum solemnitate, in vigilia Pentecostes, B quia tunc incipit celebrari solemnitas adventûs Spiritus Sancti, à quo baptismus habet efficaciam, juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, &c.* Unde & Apostoli leguntur ipso die Pentecostes, quo Spiritum Sanctum receperunt, tria millia hominum baptizasse.

136. Hæc duo tempora Paschatis & Pentecostes, quibus olim conferri Baptismus solebat, eleganter describit Fortunatus lib. 3. metro 3. ubi de Baptismo Paschali habet hos versus:

Rex sacer, ecce tui radiat pars magna triumphi,
Cum puras animas sacra lavacra beant.
Candidus egreditur n tidis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et grege de niveo gaudia Pastor habet.

Baptismum verò Pentecostes celebrat his versibus libro 5. metro 4. ubi Judæos ab Episcopo Arvernensi sancto Avito baptizatos, ita describit.

Ecce dies aderat quo Spiritus almus ab alto
Missus Apostolicis fluxit in ora viris.
Res sacra ruricolas, urbanos excitat omnes,
Certatimque aditus ad pia festa ferunt.
Abluitur Judæus odor baptismate divo:
Et nova progenies reddita fertur aquis.

Nunc tamen usus ille desiit observari, & aliis etiam temporibus baptismata celebrari consueverunt in Ecclesia, quia ut ait Rupertus lib. 4. de divin. officiis cap. 18. *Postquam Christianitas crevit, & sagena illa verbi Dei piscibus impleta est, quia periculosum erat tantam multitudinem differri, propter occasiones mortis, quæ in multitudine hominum multæ sunt; maximè propter turbam infantium, quorum tenera vita persæpè levi occasione succiditur, visum est Sanctæ Ecclesiæ, passim indulgentiâ baptizandi concessâ, cuncta antevenire pericula.* Ob antiquitatis tamen reverentiam & memoriam, adhuc Romæ aliqua hujus consuetudinis vestigia servari solent: nam licet E aliis etiam temporibus anni, baptismata celebrari consueverint, tamen illis duabus festivitatibus (Paschæ scilicet & Pentecostes) speciali ut par est solemnitate fiunt.

137. Quantùm ad locum, jure divino nullus pro baptismo locus determinatus est, unde olim in fluviis, fontibus, & privatis domibus ministrabatur, ut ex Actis Apostolorum constat; usu tamen & lege Ecclesiasticâ, statuta sunt certa loca, extra quæ non est licitum baptismum solemniter ministrare, ideoque *Baptisteria* appellantur, in quibus asservari solet vas lapideum consecratum, quod *fons Baptismi* dici solet, & à A Dionysio cap. 2. de Eccles. Hierarchia, *Mater adoptionis* vocatur, de Cathecumeno enim ait: *Ad matrem adoptionis venit*: quia nimirum in fonte illo, veluti in matrice, & vulva quadam spirituali, Cathecumenus regeneratur, & in filium Dei adoptatur.

ARTICULUS VI.

Vtrum convenienter assignentur tria Baptismata?

DAmascenus lib. 4. fidei cap. 10. novem genera Baptismatum distinguit, quæ recensetRaynerius in Pantheologia, titulo de Baptismo cap. 9. & ibidem Pater Nicolaï. Verùm quia inter illa, plura solùm figuralia sunt, ut diluvium, transitus maris rubri, & diversæ ablutiones veteris legis, meritò hanc divisionem Damasceni omittunt Theologi, ut aliam explanent, quam tradunt Magister in 4. distinct. 4. & D. Thomas ibidem quæst. 3. art. 3. quodlib. 6. art. 4. & hìc art. 11. quæ breviter exponenda est.

Dico igitur, convenienter assignari tria Baptismata, scilicet fluminis, sive aquæ, sanguinis, 138. & flaminis.

Explicatur & probatur conclusio. Illud meritò potest appellari baptismus, quod supplet C principalem effectum baptismi simpliciter dicti, qui est baptismus fluminis: Sed martyrium quo homo conformatur passioni & morti Christi, & interior pœnitentia, possunt supplere effectum principalem Baptismi, si ipsum antecedant, aut si haberi non possit: Ergo meritò sortiuntur appellationem baptismi. Major patet, Minor probatur. Effectus principalis baptismi aquæ est gratia & remissio peccati: Sed Baptismus flaminis, qui est vera cordis contritio, includens votum baptismi, potest causare gratiam, & remittere omnem culpam, sive originalem, sive actualem: similiter martyrium pro Christo toleratum, habet vim remittendi omne peccatum, etiam D quoad culpam, ut dicemus articulo sequenti: Ergo baptismus flaminis, & sanguinis, possunt supplere effectum principalem baptismi; licèt minus principalem, nimirum characterem, causare non valeant, ut docet D. Thomas loco infrà referendo. De baptismo flaminis fit mentio Actorum primo: *Baptizabimini Spiritu Sancto.* Et de baptismo sanguinis dicitur Marci 10. *Potestis baptismo quo ego baptizor baptizari?* Et Lucæ 12. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur?*

Porrò inter illa Baptismata, plura reperiuntur 139. discrimina. In primis enim Baptismus fluminis est sacramentum, non verò Baptismus sanguinis, ut docet D. Thomas hìc art. 11. ad 2. & E nos infrà ostendemus. Ex quo sequitur aliud discrimen, nam Baptismus sanguinis non imprimit characterem, sicut Baptismus fluminis, ut idem S. Doctor observat in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 3. ubi sic ait: *Baptismus sanguinis passioni Christi conformat realiter, non sacramentali representatione, & ideò in his quæ sacramentalia sunt, Baptismus sanguinis non supplet vicem Baptismi aquæ, sicut est impressio characteris, & hujusmodi.* Deinde Baptismus fluminis est in præcepto, cùm sit medium necessarium ad salutem; Baptismus autem sanguinis non est in præcepto, nisi tantùm in casu necessitatis, ad defendendam

Universidad de Deusto
Biblioteca

fedendam fidem. Item Baptismus aquæ simpliciter & absolutè Baptismus dicitur, alia verò secundùm quid tantùm & analogicè, ac dependenter ab illo; quare ut verum sit martyrium, gratiam causans in subjecto non baptizato, veraque pœnitentia interior, necesse est ut includant votum Baptismi fluminis, vel formaliter, vel virtualiter, vel explicitè, vel implicitè. Unde Augustinus libro 4. de Baptismo cap. 21. *Tunc impletur invincibiliter confessio fidei, cùm mysterium Baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Et cap. 25. *Conversio cordis potest quidem inesse, non suscepto Baptismo, sed contempto non potest; neque enim ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cùm Dei sacramentum contemnitur.* Ex quo intelliges, hoc nomen *Baptismus* dici analogicè, analogiâ attributionis, de Baptismo fluminis, flaminis, & sanguinis, ita ut præcipuum analogatum sit Baptismus fluminis, alia verò minùs præcipua sint.

140. Objicies primò contra istam conclusionem: Apostolus ad Ephes. 4. ait: *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma*: Ergo non debent admitti tria Baptismata.

Respondeo cum D. Thoma hìc art. 11. ad 2. negando Consequentiam: *Nam alia duo Baptismata includuntur in Baptismo aquæ, qui efficaciam habet & ex passione Christi, & ex Spiritu Sancto, & ideò per hoc non tollitur unitas Baptismatis.*

141. Objicies secundò: In aliis sacramentis non assignantur aliqua quæ suppleant vicem illorum: Ergo nec in Baptismo assignari debent.

Sed negatur Consequentia & paritas: cùm enim alia sacramenta non sint tantæ necessitatis sicut Baptismus, non oportuit quod essent aliqua quæ supplerent illorum vicem, sicut martyrium, & interior pœnitentia, vices Baptismi supplere valent.

142. Præter hæc tria Baptismata, aliud est quod Baptismi nomen aliquo modo sibi vendicat, & *secundùm Baptisma* appellatur, nempè professio religiosa, ut eleganter expendit D. Bernardus Tractatu de præcepto & dispensat. cap. 23. his verbis. *Audire vultis à me, unde inter cætera pœnitentiæ instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prærogativam, ut secundùm Baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, quâ præeminens, universis vitæ humanæ generibus hujusmodi conversatio, professores & amatores suos, Angelis similes, dissimiles hominibus facit; imò divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo, instar Baptismi; & quasi denique secundò baptizanur, dum per id quod mortificamus membra nostra quæ sunt super terram, rursus Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis ejus. Sed & quomodo in Baptismo eruimur de potestate tenebrarum, & in regnum transferimur claritatis æternæ; ita & in sancti hujus secunda quadam regeneratione propositi, de tenebris æquè non unius originalis, sed multorum actualium delictorum, in lumen virtutum evadimus.* In hujus rei confirmationem in vitis Patrum lib. 6. cap. 1. dicitur quod quidam Patrum vidit eandem gratiam descendentem super eum qui habitum religionis assumit, ac super eum qui baptizatur. Unde Hieronymus Epistolâ 25. ad Paulam de obitu Blesillæ, professionem religiosam, *secundum quoddam Baptismi propositum*, appellat.

ARTICULUS VII.

An Baptismus sanguinis, sive martyrium, suppleat ita vicem Baptismi aquæ, ut justificet ex opere operato, non solum parvulos, sed etiam adultos?

COnstat ex dictis in Tractatu de sacramentis in communi, Baptismum fluminis, cùm sit verum sacramentum novæ legis, justificare & causare gratiam ex opere operato. Certum est etiam, Baptismum flaminis justificare tantùm ex opere operantis, cùm actus contritionis vel charitatis in quo consistit, non sit nisi ab homine justo. Quare tantùm difficultas superest de Baptismo sanguinis, sive martyrio, an ex opere operato, vel solùm ex opere operantis, justificet & conferat effectum Baptismi? In cujus resolutione quidam asserunt martyrium conferre prædictum effectum solùm ex opere operantis, ratione charitatis, aut contritionis, quam si non includat, nihil omnino prodest, etiam parvulis usu rationis carentibus. Ita Armacanus lib. 8. de quæstionibus Armenorum, & Adrianus in 4. quæst. ultimâ de Baptismo. Alij autem volunt, martyrium justificare parvulos ex opere operato à peccato originali, adultos verò non nisi ex opere operantis, ratione charitatis & contritionis. Ita Cano in relect. de pœnit. parte 3. Soto in 4. dist. 4. quæst. unicâ art. 11. Bannez 2. 2. quæst. 24. art. 6. Vazquez, Sylvius, Aravius. Alij demum existimant, Baptismum sanguinis, sive martyrium, ita supplere vicem Baptismi aquæ, ut justificet ex opere operato, non solùm parvulos, sed etiam adultos. Hæc est communior sententia inter Thomistas, eamque ex extraneis amplectuntur Suarez, Bellarminus, Valentia, Granado, Henriquez, & alij.

§. I.

Hæc sententia, ut probabilior eligitur, & duplici conclusione stabilitur.

143. DIco primò, Martyrium, sive mortem pro Christo toleratam, justificare parvulos ex opere operato. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 124. art. 1. ad 1. & quodlibeto 6. artic. 6. & in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 3. ubi sic habet: *Sicut in Baptismo aquæ liberatur homo ab omni culpa præcedente, & pœna, ita in Baptismo sanguinis.* Et in resp. ad 1. *Baptismus sanguinis non habet hoc tantùm ex opere operantis, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi, & ideò pueri, quamvis liberum arbitrium non habeant, si occidantur pro Christo, in suo sanguine baptizati salvantur.*

145. Patet etiam hæc veritas ex martyrio infantium, qui pro Christo occisi sunt ab Herode, quos Ecclesia ut Sanctos colit. Neque dici potest, eos omnes quos Ecclesia colit, fuisse circumcisos, & per Circumcisionem justificatos: Tum quia Herodes jussit parvulos non tantùm Judæorum, sed omnes omnino qui erant in Bethleem & finibus ejus occidi: inter eos autem verisimile est fuisse aliquos Gentiles. Tum etiam, quia dicuntur occisi ab Herode omnes infantes, à bimatu, & infrà, subindeque eos etiam qui nondum ad octavum diem pervenerant, quo solo

solo poterant circuncidi; & tamen Ecclesia omnes absque ullo discrimine, ut Sanctos colit. Addo quod, Ecclesia illos nedum ut sanctos, sed etiam ut martyres veneratur, subindeque censet, illos per martyrium pro Christo toleratum, consecutos esse sanctitatem. Unde Bernardus in serm. de sanctis Innocentibus, & eorum natali: *An de Innocentium coronis quis dubitet? Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptivos filios numerari: Alioqui quomodo cœvos sibi pueros puer ille qui natus est nobis, non contra nos, pateretur occidi? quod utique solo nutu poterat prohibere, nisi melius aliquid eis provideret, ut quemadmodum cæteris infantibus tunc quidem circumcisio, nunc verò baptismus, sine ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem, sic nihilominus pro eo susceptum martyrium illis proficeret ad sanctitatem.*

146. Dico secundò, Baptismum sanguinis, seu martyrium, conferre etiam adultis, gratiam ex opere operato.

Probatur primò ex D. Thoma in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 3. ad 1. ubi sic habet: *Baptismus sanguinis non habet hoc* (id est liberare ab omni præcedente culpa & pœna) *tantùm ex opere operantis: neque quantùm ad pœnam quâ aliquis martyrium explet, quam contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro peccato: neque quantùm ad devotionem justæ voluntatis, quia contingit quod voluntate majori charitate informata, aliquis sine martyrio non potest ab omni pœna liberari, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi, unde de Martyribus dicitur Apocal. 5. Lavérunt stolas suas in sanguine agni,* Ergo ex D. Thoma, Baptismus sanguinis, seu martyrium, ex vi sua, inquantùm est realis imitatio passionis Christi, potest adultos ab omni præcedente culpa & pœna liberare, subindeque illos ex opere operato justificare. Unde in 4. ad Annibaldum dist. 4. quæst. unicâ art. 4. ad 3. *Baptismus sanguinis* (inquit) *non habet supplere effectum Baptismi fluminis ex opere operante, sicut objiciebatur, sed ex imitatione passionis Christi.*

147. Confirmatur: Idem S. Doctor hìc art. 12. in corp. & ad 1. dicit baptismata sanguinis & flaminis, efficere effectum Baptismi aquæ, inquantùm Baptismus aquæ suam habet efficaciam ex passione Christi, & ex virtute Spiritus Sancti, quæ duæ causæ operantur in Baptismatibus flaminis & sanguinis. Et addit, quod passio Christi operatur in Baptismo sanguinis, per imitationem: Atqui si Baptisma sanguinis non conferret gratiam adultis, nisi ex vi operis operantis, id est ex vi dilectionis & contritionis, non aliter in eo operaretur virtus passionis Christi, quam per affectionem, sicut in Baptismo flaminis: Ergo ex D. Thoma Baptismus sanguinis confert gratiam adultis ex opere operato.

148. Confirmatur ampliùs: Idem Doctor Angelicus ibidem asserit, virtutem passionis Christi operari excellentiùs in Baptismo sanguinis, quàm in Baptismo fluminis, aut flaminis; quia in Baptismo sanguinis operatur per imitationem operis, in Baptismo verò fluminis, per figuralem quandam repræsentationem; & in Baptismo flaminis, per quandam affectionem: At si Baptismus sanguinis non causaret gratiam in adultis ex opere operato, virtus passionis Christi non operaretur in eo excellentiùs, quàm in Baptismo aquæ, utpotè in quo gratia datur præcisè & immediatè ex merito passionis Christi, quod non contingeret in Baptismo sanguinis: Ergo ex mente D. Thomæ, Baptisma sanguinis causat, etiam in adultis, gratiam ex opere operato.

Probatur secundò: SS. Patres loquendo de adultis tribuunt martyrio vim ad remittendum peccatum mortale, etiam quoad culpam: Sed non posset hoc verificari, si solùm ex opere operantis justificaret adultos: Ergo etiam ex opere operato illos justificat. Minor est certa, si enim solùm ex opere operantis justificaret adultos, remissio culpæ non esset tribuenda martyrio, sed tantùm contritioni vel dilectioni perfectæ ante martyrium, vel in ipso martyrio habitæ. Major verò probatur primò ex Tertulliano in Apologetico ad finem, ubi sic ait: *Quis non pati exoptet, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat? Omnia enim delicta huic operi donantur.* Secundò ex D. Augustino 13. de civit. cap. 8. ubi hæc scribit: *Quicunque non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittenda peccata, quantùm si abluerentur sacro fonte Baptismatis.* Certè si martyrium non remitteret ex se peccata quoad culpam, sed tantùm quoad pœnam, ut dicit Vazquez, falsa esset illa propositio Augustini, quandoquidem Baptisma valet, non tantùm ad remissionem pœnæ, sed etiam, imò principaliùs, ad remissionem culpæ. Tertiò ex D. Cypriano in libro de oratione Dominica, ubi loquens de eo qui retinet affectum ad peccatum fraternæ dissensionis, ut ostendat ejus gravitatem: *Quale* (inquit) *delictum est, quod nec Baptismo sanguinis potest ablui: quale crimen est, quod martyrio non potest expiari.* Ubi supponit martyrium habere vim ad remittendum culpam peccatorum ad quæ non habet quis affectum, aliàs enim ex ejus verbis nullo modo colligi posset gravitas peccati, consistentis in eo quod quis moriens pro fide, retineat affectum ad fraternam discordiam, aut ad quodlibet aliud crimen.

149.

150. Confirmatur ex D. Cyrillo Jerosolymitano catechesi 3. ubi sic habet: *Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos Martyres.* Certè si martyrium non justificaret ex opere operato, falsa esset illa propositio, quandoquidem, præter martyres, Cathecumeni contriti, morientes antequam baptizentur, salvantur ex opere operantis. Item Cyprianus Epistolâ 73. dicit *vim Baptismi non esse majorem martyrio*, & in exhortatione ad Martyres, loquens de Baptismo sanguinis, ait: *Hoc Baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius:* Sed hæc falsa essent, si martyrium non justificaret adultos ex opere operato, sicut Baptismus: Ergo, &c.

151. Probatur tertiò: Martyrium justificat parvulos ex opere operato: Ergo & adultos. Antecedens patet ex dictis conclusione præcedenti, Consequentia verò probatur, quia nulla est major ratio de parvulis, quam de adultis, dummodo isti non habeant affectum ad peccata, sed sint de illis quæ commiserunt attriti: martyrium enim in adultis non minùs est martyrium, nec minùs potens & efficax, quàm in infantibus, quin potiùs in adultis nobilius atque adeò efficacius est. Addo quod, privilegium martyrij ad justificandum ex opere operato parvulos pro Christo morientes, non potest aliunde colligi, quàm ex

Sacræ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacræ Scripturæ locis, in quibus gratia, aut vita æterna, morientibus pro Christo promittitur: At in his locis non promittitur gratia, aut vita æterna, solis parvulis, sed universaliter omnibus pro Christo morientibus, ut patet ex illo Matthæi 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.... Et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*: Ergo, &c.

152. Denique suaderi potest conclusio hoc discursu: Baptisma sanguinis, seu martyrium, remittit Martyri omnem pœnam, idque ex opere operato: Ergo & culpam. Consequentia est evidens, non enim est assignabilis ratio, quare primum potiùs quàm secundum ex opere operato tribuatur martyrio, ut fatetur Vazquez. Antecedens verò quod negat, probatur. Si tota pœna non remitteretur ex opere operato per martyrium, sed solùm ex opere operantis, non remitteretur tota infallibiliter: Atqui tota infallibiliter remittitur: Ergo remittitur ex opere operato. Minor est certa Ecclesiæ fides, quæ tenet Martyres à cruce ad cœlum rectà evolare: unde Innocentius III. cap. *cùm Marthæ*, de celebratione Missarum: *Injuriam* (inquit) *facit Martyri, qui orat pro Martyre*. Quod desumptum est ex D. Augustino serm. 27. de verbis Apostoli, serm. 5. de Martyribus, Tractatu 84. in Joan. ubi ait: *Injuria est pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare*. Major verò probatur: Non est infallibile, quemcumque mortem propter Christum tolerantem, habere formalem actum dilectionis Dei & contritionis; & quamvis daretur, quod semper eum habeat, potest contingere ut non sit in ea intensione, & fervore qui requiritur ad totius pœnæ remissionem: imò ut notat D. Thomas loco in prima probatione adducto, contingit sæpè in aliis viris justis reperiri intensiorem & ferventiorem charitatem & contritionem, quàm in Martyribus, quæ tamen non est sufficiens ad tollendam omnem omnino pœnam: Ergo nisi dicatur, remissionem pœnæ fieri in martyrio ex opere operato, non erit infallibile, totam in eo pœnam remitti.

Nec valet si dicas, quod quamvis non remittatur infallibiliter ex vi fervoris charitatis & contritionis tota pœna, benè tamen vi passionis & doloris, quem causat martyrium. Nam in contrarium est quod D. Thomas loco citato observat, scilicet posse contingere, ut peccata sint gravissima in malitia, & plura numero, dolores verò martyrij valde leves, & tam remissa voluntas patientis, ut non sufficiat ad condignam satisfactionem pro tota pœna hujusmodi peccatis debita.

§. II.

Duo corollaria notatu digna.

153. EX dictis intelliges primò, martyrium posse dupliciter considerari, scilicet inquantùm est effectus virtutis fortitudinis, & inquantùm est imitatio realis passionis Christi, & non repræsentativa solùm, sicut Baptismus fluminis. Primo modo confert gratiam ex opere operantis, secundo verò ex opere operato, non physicè, sicut sacramenta novæ legis, sed moraliter solùm, quatenus ex speciali quodam privilegio, ad positionem ipsius, ex virtute passionis Christi, quam realiter repræsentat, Deus causat gratiam in anima. Valde autem congruum est, tale privilegium martyrio concedere: Primò quia est actus secundùm se excellentissimæ dilectionis, juxta illud Christi: *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Secundò, quia est opus maximè arduum & difficile, & multò excellentius Baptismo fluminis, nam, ut ait Gennadius lib. de Ecclesiast. dogmatibus (qui habetur in Appendice tomi 3. operum D. Augustini) cap. 74. *Baptizatus confiteatur fidem suam coram Sacerdote, Martyr coram persecutore: ille post confessionem aspergitur aquâ, hic sanguine: ille per impositionem manûs Pontificis, recipit Spiritum Sanctum, hic templum efficitur Spiritus Sancti*. Tertiò, quia martyrium est perfecta imitatio passionis Christi, decet enim Christum, virtutem suæ passionis specialiter applicare ei qui pro ipso moriendo, ejus passionem imitatur. Addo, tale privilegium, magnum habere in Scriptura fundamentum, nam ut rectè arguit Augustinus lib. 13. de civit. cap. 8. loquens de Martyribus: *Qui dixit, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum, aliâ sententiâ ipsos facit exceptos, ubi non minus generaliter dixit, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est; & alio loco, Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

154. Inferes secundò, quod sicut Baptismus causat gratiam præsuppositâ solùm attritione, & facit ex attrito contritum, ita & martyrium: unde si quis nondum baptizatus raperetur ad martyrium, nec posset ante baptizari, sufficeret quod cum voto Baptismi, sua peccata recogitando, in actum attritionis ex aliquo motivo supernaturali prorumperet, ad hoc ut gratiam consequeretur, & rectà à cruce ad cœlum evolaret. Imò aliqui non improbabiliter sentiunt, quod ille qui subitò raperetur ad crucem, cum sola efficaci voluntate sanguinem pro Christo fundendi, ex vi talis actus, sufficienter disponeretur ad gratiam; licèt enim non haberet actum dilectionis, aut dolorem de suis peccatis, tamen interpretativè ex vi operis illius extrinseci, censeretur Deum præferre omni diligibili, sive super omnia ipsum diligere, subindeque virtualiter & interpretativè tolleret affectum ad peccatum.

§. III.

Solvuntur objectiones.

155. OBjicies primò contra primam conclusionem: Est generalis regula in Scriptura: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: Sed talis regula nullam habet in Scriptura, aut traditione exceptionem: Ergo sine fundamento asseritur, mortem pro Christo toleratam justificare parvulos sine Baptismo morientes.

156. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem; licèt enim sit generalis regula, neminem posse salvari sine Baptismo aquæ, falsum tamen est, quod non sit speciale privilegium, seu exceptio martyrij: colligitur enim tale privilegium, tum ex communi consensu Ecclesiæ, universaliter & indiscriminatim celebrantis festum omnium Innocentium; tum ex verbis Christi Matthæi 10. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: hæc enim confessio non tantùm fit verbo, sed etiam facto & opere, unde de Innocentibus dicit Ecclesia: *Deus cujus præconium Innocentes martyres non loquendo sed moriendo confessi sunt.*

157. Dices, Infantes non sunt capaces martyrij: Ergo licet privilegium illud ei concedatur, parvuli tamen sine Baptismo morientes, per martyrium justificari non poterunt. Consequentia patet, Antecedens probatur. Martyrium est actus virtutis fortitudinis: Sed in parvulis, utpotè usu rationis carentibus, non potest esse aliquis actus virtutis: Ergo nec martyrium.

Respondeo martyrium posse dupliciter considerari: Primò ut est actus virtutis fortitudinis, & sic non habet locum in infantibus; secundò ut est actualis mors pro Christo perpessa, atque ad ò imitatio passionis Christi, & sic convenit etiam infantibus, eosque ex opere operato justificat, & vices Baptismi aquæ supplet, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 124. art. 1. ad 1. ubi de Innocentibus martyribus loquens sic ait: *Martyrij gloriam quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occisi, per Dei gratiam sunt assecuti: nam effusio sanguinis propter Christum, vicem gerit baptismatis; unde sicut in pueris baptizatis, per gratiam baptismalem, meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam; ita & in occisis propter Christum, meritum martyrij Christi operatur ad palmam martyrij consequendam. Unde Augustinus dicit in quodam sermone de Epiphania, quasi eos alloquens: Ille de vestra corona dubitabit in passione pro Christo, qui etiam parvulis Baptismum prodesse non æstimat Christi. Non habebatis ætatem, quâ in passum Christum crederetis, sed habebatis carnem, in qua pro Christo passuro pateretis.*

158. Objicies secundò: Si martyrium justificaret parvulos ex opere operato, esset sacramentum novæ legis: Sed hoc dici nequit, ut docet D. Thomas hic art. 11. ad 2. & art. 12. in corp. & patet; quia aliàs essent plusquam septem novæ legis sacramenta, quod est contra Tridentinum sess. 7. can. 1. de sacramentis in genere: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur: Signum sensibile & practicum gratiæ, in actuali usu ipsius conferendæ, verum sacramentum est: At si martyrium justificaret parvulos ex opere operato, esset signum sensibile & practicum gratiæ in actuali usu ipsius conferendæ: Ergo esset verum sacramentum.

159. Respondet Major in 4. dist. 4. quæst. 3. negando Minorem, existimat enim martyrium seu Baptismum sanguinis, verè esse sacramentum, quia confert gratiam ex opere operato. Ad probationem verò in contrarium dicit martyrium reduci ad Baptismum, sicque non esse plura quàm septem novæ legis sacramenta; sicut nec plura sunt, quamvis plures sint Ordines, quia similiter omnes sub uno sacramento, ut diversæ ejus species continentur.

160. Verùm hæc solutio & doctrina aliis Theologis displicet, & ab illis rejicitur, Primò quia martyrium ejusdem rationis erat, & eodem modo conferebat gratiam in lege veteri, ac modò in lege nova: Sed tunc non erat sacramentum: Ergo nec modò.

Secundò, Septem sacramenta legis gratiæ, constant rebus & verbis: Sed martyrium non constat verbis: Ergo non est novæ legis sacramentum.

Tertiò, Sacramentum debet esse remedium à Deo institutum, quo homo viâ ordinariâ uti possit in suam utilitatem: Sed martyrium non est hujusmodi, ut de se patet: Ergo non est verum sacramentum.

Denique, licèt Baptismus sanguinis aliquo modo includatur in Baptismo aquæ, ut docet S. Thomas hic art. 11. ad 1. tamen ut idem S. Doctor ait in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 1. propriè loquendo unum est tantùm Baptisma quod in aqua celebratur; alia autem duo Baptismata flaminis & sanguinis, non verè & formaliter sunt Baptismata, sed solùm secundùm proportionem ad eundem effectum, & consequenter non possunt esse unum sacramentum cum Baptismo aquæ: omnes autem Ordines, verè sunt Ordines, atque adeò sub unico sacramento, ut diversæ ejus species, continentur. Unde nulla est paritas quam in defensionem suæ singularis opinionis adducit Major.

161. Aliter ergo ad objectionem respondeo, negando scilicet sequelam Majoris, propter rationes allatas. Ad ejus verò probationem, concessa Majori, nego Minorem: licèt enim in martyrio conferatur gratia ex opere operato, non tamen martyrium est signum talis gratiæ ex divina institutione, ut docet D. Thomas hic art. 11. ad 2. ubi sic ait: *Sacramenta habent rationem signi: alia verò duo* (Baptismata scilicet flaminis & sanguinis) *conveniunt cum Baptismo aquæ, non quidem quantum ad rationem signi, sed quantùm ad effectum Baptismatis, & ideò non sunt sacramenta.* Quia ergo martyrium non est signum gratiæ, aut rei sacræ sanctificantis nos, nec est à Deo institutum, ut homo viâ ordinariâ eo uti possit in suam utilitatem & sanctificationem, non est verum sacramentum, nec se habet ut instrumentum divinæ virtutis, à Deo institutum ad causandam gratiam, sed solùm ut conditio quædam, quâ positâ Deus infallibiliter causat gratiam, ratione suæ promissionis, & quia martyrium est quædam imitatio passionis Christi, ut suprà declaravimus.

162. Objicies tertiò contra secundam conclusionem locum Apostoli 1. ad Corinthios 13. dicentis: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: quorum verborum sensus est (ut explicat D. Thomas hic art. 12. ad 2. & 2. 2. quæst. 124. art. 8.) martyrium nihil prorsus valere sine charitate: At si justificaret adultos ex opere operato, valeret sine charitate, ei nempe qui tantùm haberet attritionem, quandoquidem ipsum justificaret: Ergo martyrium non justificat adultos ex opere operato.

163. Respondeo duobus modis intelligi posse aliquem tradere corpus suum absque charitate, uno modo absque charitate antecedente, quæ sit aliquo modo causa operis, vel simpliciter, vel in esse meriti: alio modo absque charitate etiam consequente, quæ sit effectus ipsius operis, si nimirum ex tali opere, sive traditione corporis, non sequatur charitas in operante. Sensus ergo doctrinæ Apostoli est, tradere corpus suum absque charitate tam consequente quàm antecedente, nihil prodesse, ex quo nihil contra nos. Licèt enim martyrium charitatem non supponat necessariò, si nimirum toleretur ab eo qui solùm est attritus de suis peccatis; illam tamen semper secum trahit, adeò ut martyr ipse sine charitate nunquam decedat; quia ipsius vi, & ex privilegio Dei, infunditur ei gratia & charitas, conjuncta cum ipsa sanguinis effusione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

effusione, in quo sensu etiam intelligendus est D. Thomas.

164. Objicies quartò: Præceptum charitatis obligat sub mortali in articulo mortis: Ergo si aliquis rapiatur ad martyrium, & non eliciat actum charitatis, peccabit mortaliter, subindeque nullus poterit recipere gratiam, vi martyrij, cum sola attritione.

Propter hoc argumentum plures existimant, attritionem cognitam non esse sufficientem dispositionem ad martyrium, sed requiri ad minus attritionem existimatam contritionem. Verùm quamvis hæc opinio sit securior, & in praxi tenenda, nihil tamen est quod eam efficaciter suadeat; etsi enim præceptum dilectionis obliget B quemlibet in articulo mortis per se, per accidens tamen ab hac obligatione liberatur, qui pro Christo, sive fidei defensione, vitam suam libenter profundit, maximè quia ex vi talis operis, summam Dei exhibet dilectionem. Unde in casu quo aliquis non posset recipere Baptismum, antequam pro Christo occideretur, sufficeret, si haberet memoriam peccatorum, quod in se motum attritionis supernaturalis excitaret; nam sicut martyrium suppleret in illo casu defectum Baptismi aquæ, ita suppleret defectum dilectionis Dei super omnia, & contritionis ex ea procedentis.

165. Objicies ultimò: Non potest designari tempus quo martyrium gratiam conferat ex opere operato: Ergo illam ita non tribuit. Consequentia patet, probatur Antecedens. Vel illam confert in instanti mortis, vel ante illud instans? Non in instanti mortis, quia jam homo non est in illo instanti. Neque ante illud instans, quia ante instans mortis nondum est martyrium, utpotè consistens in morte propter Christum tolerata.

166. Respondeo negando Antecedens, & ad ejus probationem dico, martyrium conferre gratiam ex opere operato, brevissimo tempore ante mortis instans; licèt autem nondum sit actu subsecuta mors, eo ipso tamen quod tempus illud parùm distet à mortis instanti, cursus vitæ, ac certaminis, seu agonis, jam moraliter consummatus in- D telligitur.

167. Instabis primò: In illo brevissimo tempore vitæ quod martyri restat ante instans mortis, habet ipse adhuc libertatem, atque adeò potest adhuc peccare in sensu composito: Ergo nondum est martyr, sed tantùm in ipsa mortis executione, aliàs enim posset martyr damnari. Secundò, Potest Deus miraculosè illi prolongare vitam: Ergo ut sit martyrium, requiritur quod sit mors in executione.

168. Ad primam instantiam respondeo quod regulariter loquendo, in brevissimo tempore ante mortem, martyr non habet ampliùs libertatem & si eam fortè habeat, Deus speciali privilegio E ipsum in gratia confirmat, atque adeò impotentem reddit ad peccandum, in sensu composito.

169. Ad secundam similiter dico, in casu quo martyr qui recipit vulnus de se lethale, per miraculum tamen mortem evadat, sicut Joannes Evangelista, Deum ipsum confirmaturum in gratia, pro reliquo vitæ tempore, usque ad mortem. Ratio est, quia licèt in illo casu mortem miraculosè evadat, verè tamen, absque novo martyrio, dici debet martyr, ut constat de ipso Joanne Evangelista, quem Eccle- A sia ut martyrem colit, licèt absque novo martyrio, post multos annos, animam efflaverit: gratia autem martyrij postulat, ob suam excellentiam, confirmationem martyris in gratia.

§. IV.

Corollarium notatu dignum.

EX dictis inferes, mortem ex peste in obse- 170.
quium languentium oppetitam, non esse verum & propriè dictum genus martyrij, ut contendit Theophilus Raynaudus in libro quem edidit de martyrio per pestem: Verum enim & propriè dictum martyrium quatuor habet præcipua privilegia, nimirum, justificationem ex opere operato, remissionem omnis culpæ & pœnæ, exemptionem à precibus Ecclesiæ, & aureolam ultra auream victori donandam: Sed hæc privilegia Ecclesia nusquam concessit iis qui moriuntur inter ministrandum ægris, ut patet præcipuè de tertio & quarto; Ecclesia enim pro illis orat, & missæ sacrificium offert, & nusquam illos cum martyrij Aureola depingit: Ergo mors ex peste in obsequium languentium oppetita, non est verum & propriè dictum martyrium.

Deinde, Aliud privilegium martyrij est, quod 171.
si mater propter Christum occidatur, filius quem gestat in utero à peccato originali mundetur: C At nemo Catholicorum id unquam dixit de filio quem utero gestat mulier quæ immoritur ministerio peste laborantium: Ergo nullus Catholicorum unquam existimavit, mortem illam æquari martyrio, & omnibus ejus privilegiis gaudere.

Item, Verus & legitimus martyr, non debet 172.
sponte prodire ad ultroneam mortem, sed ad id cogendus aut vocandus est, ut est communis doctrina Patrum, à Christo accepta, qui prohibet ne ultrò ad certamen accedamus, sed ab una civitate ad aliam fugiamus; tum ut nostræ infirmitati, tum etiam ut persecutorum bono consulamus, ne nos in periculum temerè, & illos ad sævitiam propellamus: Sed hæc proprietas martyrij deest morienti peste, dum ex charitate inservit proximo: Ergo ille veri martyrij gloriam non habet.

Demum, Si accenseamus numero martyrum 173.
eos qui moriuntur inter ministrandum ægris, etiam in eorum album referendus erit S. Casimirus, qui maluit mori, quàm castitatis jacturam facere, & illi omnes qui nolunt servare vitam remedio quodam illicito, ut Cartusianus esu carnium, religiosus transgressione regulæ, &c. Nam sicut primi moriuntur in exercitio charitatis, ita & isti in exercitio alterius virtutis; subindeque nec pro illis nec pro istis orandum erit, quia ut suprà ex Augustino vidimus, *injuriam facit martyri qui orat pro martyre*: At hæc plusquam falsa & absurda sunt: Ergo & opinio Theophili, quæ idcirco justissimè à sacra Inquisitione Romana anno 1647. die 11. Martij damnata fuit, ut multis ostendit Thomas Hurtado in libro quem pro defensione hujus decreti, contra libellos duos Theophili Raynaudi edidit.

DISPUTATIO II.

De Ministro Baptismi.

Ad quæstionem 67. Divi Thomæ.

NON agimus hìc de institutore Baptismi (constat enim ex dictis art. 1. disputationis præcedentis, solum Christum esse ejus institutorem) sed solùm de ipsius ministro, de quo S. Thomas quæst. 67. & quia susceptor seu patrinus, ad causam ministerialem Baptismi reducitur, eò quòd aliquod ministerium in solemni Baptismo exhibeat, aliquid etiam de illo dicendum erit. B

ARTICULUS PRIMUS.

Quis sit idoneus minister Baptismi?

DUplex distingui solet Baptismi minister, unus solemnitatis, alter necessitatis, unde ut clarè pateat, quisnam sit idoneus minister Baptismi, breviter hìc declarandum est, quinam possint ministrare Baptismum cum solemnitate, quinam verò in casu necessitatis sine solemnitate C illum conferre possint?

1. Dico ergo primò, ad solum Sacerdotem, non verò ad Diaconum, pertinere cum solemnitate & ex officio Baptismum ministrare. Ita definitur in Florentino in decreto Eugenij, ubi sic dicitur: *Minister hujus sacramenti ordinarius est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Idem docet Clemens libro 3. Constit. cap. 11. & lib. 8. cap. 52. dicens: *Nec Diacono fas est offerre sacrificium, vel baptizare.* Idem constat ex Gelasio Papa, cujus verba refert S. Thomas hìc art. 1. in argum. *sed contra.*

2. Ratio etiam id suadet: Ad illos enim pertinet baptizare ex officio, ad quos pertinet admittere fideles in Christianam rempublicam: Sed ad per- D tinet solùm ad Sacerdotes, non verò ad Diaconos: Ergo ad solos Sacerdotes, non verò ad Diaconos pertinet cum solemnitate & ex officio baptizare. Major patet, Baptismus enim est janua Ecclesiæ, & per illum homines fiunt Christianæ reipublicæ cives. Minor verò suadetur. Admittere in aliquam rempublicam ex officio convenit illis qui in rempublicam habent juridicam potestatem: Sed soli Sacerdotes illam habent in republica Christiana, non verò Diaconi: Ergo, &c. Minor probatur: Potestas in corpus Christi mysticum, dimanat ex potestate in corpus ejus naturale: Sed soli Sacerdotes, non verò Diaconi, habent potestatem in corpus Christi E naturale: Ergo & in ejus corpus mysticum, quod est respublica Christiana. Eadem ratione probant Theologi in Tractatu de Pœnitentia, ad solum Sacerdotem pertinere absolvere à peccatis.

3. Adverte tamen, quod licèt stando in jure divino, omnes Sacerdotes possint baptizare ex officio, & cum solemnitate, justis tamen de causis, Ecclesia statuit officium illud à solis Parrochis exerceri debere, ut constat ex capite *Interdicimus* 16. quæst. 1. unde peccaret mortaliter qui non habens curam animarum, vellet A hoc sacramentum cum solemnitate conferre, non reperitur tamen aliqua pœna contra eum in jure taxata.

Adverte etiam cum D. Thoma hìc art. 1. quòd 4.
licèt Diaconus non sit minister ordinarius sacramenti Baptismi, ad ipsum tamen pertinet ex vi propriæ ordinationis, ministrare Sacerdoti vel Episcopo baptizanti. Ita statuitur in decreto dist. 25. cap. *Perlectis* ubi dicitur, *Ad Diaconum pertinere assistere & ministrare Sacerdotibus in omnibus quæ aguntur in sacramentis; Baptismo scilicet, & Chrismate, in Patena, & Calice.*

Addo, Diaconum posse cum solemnitate ba- 5.
ptizare, ex speciali commissione Sacerdotis, vel Episcopi: unde differentia inter Diaconum & B Sacerdotem est, quòd Sacerdos vi suæ ordinationis est ordinarius hujus sacramenti Minister. Diaconus verò accipit potestatem de jure ordinario inserviendi baptizantibus, & ex speciali Sacerdotis vel Episcopi commissione, baptismum solemniter conferendi. Tum quia id expressè asserit Glossa super Canonem *Diaconus* dist. 25. Tum etiam, quia in Pontificali Romano in ordinatione Diaconi dicitur. Diaconum debere baptizare & prædicare: unde sicut ex vi suæ ordinationis accipit facultatem prædicandi solemniter ex commissione Episcopi, ita etiam & baptizandi. Non potest tamen commissio ei dari, nisi ob magnam necessitatem, aut Ecclesiæ utilitatem: putà si non essent Sacerdotes qui possent solemniter baptizare; quæ necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, vix potest nunc reperiri, ob multitudinem Sacerdotum.

Si quæras, an Diaconus incurreret aliquam 6.
pœnam, si sine prædicta commissione solemniter baptizaret? Respondeo in capite primo de Clerico non ordinato, pœnam irregularitatis statui contra omnes qui cùm non sint ordinati (id est sacerdotio initiati) baptizant solemniter, intellige seclusâ commissione, quæ dari potest Diacono.

Dico secundò: Ministrum necessitatis sacra- 7.
menti Baptismi esse quemcumque, sive ordinatus sit, sive non, baptizatus aut non baptizatus, D sive vir, sive mulier, dummodo sit capax abluendi, cum intentione faciendi quod Christus instituit, aut vera facit Ecclesia.

Conclusio est certa de fide, definita in Florentino in decreto Eugenij, ubi sic habetur: *In casu necessitatis, non solùm Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imò etiam paganus, & hæreticus, baptizare possunt.* Unde in Capite *A quodam Judæo*, de consecrat. dist. 4. definitur verum esse Baptismum, datum à Judæo, sub debita forma, & Tridentinum sess. 7. cap. 4. definit Baptismum Hæreticorum esse simpliciter validum.

Ratio à priori nostræ conclusionis nulla alia 8.
assignari potest, præter Christi institutionem, & beneplacitum, sed optima congruentia datur in capite *Constat* de consecratione dist. 4. nimirum maxima necessitas sacramenti Baptismi, cùm non nisi per illud, citra martyrium, saluti parvulorum subveniri possit, neque etiam perfectè adultis, qui licèt per proprios actus possint justificari, non tamen recipere characterem, & jus ad bona Ecclesiæ. Quam ob causam voluit Christus, ut quisque licitè possit subvenire proximo, in necessitate Baptismi constituto. Unde D. Thomas hìc articulo 5. ait quod *sicut ex parte materiæ, quantum ad necessitatem sacramenti, sufficit*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sufficit quæcunque vera & naturalis aqua, ita etiam sufficit ex parte ministri quicunque homo.

9. Dices primò, D. Augustinum libro 2. contra Epistolam Parmeniani, noluisse determinare an Baptismus à non baptizato collatus sit validus, & Gregorium II. scribentem Bonifacio, dicere baptizatos à paganis quibusdam esse rebaptizandos: Ergo Baptismus à non baptizato vel pagano collatus, non est validus.

Ad Augustinum respondeo cum D. Thoma hîc art. 5. quod quamvis ille hoc reliquerit loco citato indecisum, fuit tamen ab Ecclesia determinatum, præcipuè Canone *A quodam Judæo*, suprà citato, imò ab ipsomet D. Augustino aliis in locis, & in ipsomet libro citato, ubi sic de Baptismo loquitur: *Etsi nullâ necessitate usurpetur, & à quolibet cuilibet detur, non potest dici non datum, quamvis rectè dici possit illicitè datum.* Ad Gregorium verò dicendum, ipsum loqui de paganis, qui non baptizaverant in nomine Trinitatis, qui proinde verum Baptisma non contulerant.

10. Dices secundò, Tertullianum in libro de baptismo docere fœminas non posse baptizare: *Petulantia* (inquit) *mulieris quæ usurpavit docere, utique & tingendi jus sibi pariet.* Et Epiphanium hæresi 42. Marcionistis objicere tanquam maximum probrum, quod apud illos mulieres baptizarent.

Respondeo illos Auctores locutos fuisse de consuetudine Ecclesiæ, & Tertullianum eodem modo dixisse mulierem non posse baptizare, quo dixit non posse docere: Epiphanium autem hoc solùm exprobrasse Marcionistis, quod non servarent ordinem Ecclesiasticum, sed quam potestatem habent in Ecclesia Catholica soli Presbyteri, illi concederent etiam mulieribus; ac propterea dixit apud illos omnia esse plena probri & perturbationis.

Observandum tamen, quod quamvis possit quilibet, in casu necessitatis, validè & licitè baptizare, hic tamen ordo servari debet, ut mulier non baptizet in præsentia viri, nisi ipse vir nollet baptizare, nec laïcus in præsentia Clerici, nec hic in præsentia Sacerdotis: Sacerdos tamen potest baptizare in præsentia Episcopi, quia baptizare pertinet ad officium Sacerdotis. Unde Catechismus Pij V. de Baptismo sit ait: *Neque verò hoc munus ita omnibus promiscuè permissum esse fideles arbitrentur, quin ordinem aliquem ministrorum statuere maximè deceat: mulier enim, si mares adsint, Laïcus item, præsente Clerico, tum Clericus coram Sacerdote, Baptismi administrationem sibi sumere non debent, quanquam obstetrices quæ baptizare consueverunt, improbandæ non sint, si interdum præsente aliquo viro, qui hujus sacramenti conficiendi minimè peritus sit, quod aliàs viri magis proprium videretur, ipsæ exequantur.*

11. Sed quæres primò, an peccet mortaliter fœmina, in præsentia viri, vel vir laïcus, in præsentia Clerici, aut Clericus in minoribus, in præsentia Subdiaconi, in periculo mortis baptizans?

Respondeo negativè contra Vazquem disp. 147. cap. 5. in hoc enim quod fœmina præferatur viro, & laïcus Clerico, & Clericus in minoribus Subdiacono, licèt aliqua indecentia reperiatur, est tamen levis, & ideò solùm venialis.

12. Quæres secundò, an peccet mortaliter non Diaconus, qui in necessitate, in præsentia Diaconi baptizat?

Respondeo affirmativè, quia Diaconus potest ex commissione conficere Baptismum cum solemnitate, quod multùm accedit ad ministrum ex officio, & idcircò videtur res gravis, quod in præsentia illius conficiatur ab alio. Idem à fortiori dicendum est de Diacono baptizante in præsentia Sacerdotis, non tamen de Sacerdote baptizante in præsentia Episcopi, quia (ut suprà ostendimus) hoc inter Diaconum & Sacerdotem discrimen reperitur, quòd Diaconus ex vi suæ ordinationis non est minister Baptismi ex officio, sed solùm ex commissione: At verò Sacerdos ex vi suæ consecrationis, cùm habeat potestatem ordinis ad consecrandum Christi corpus, habet etiam facultatem ad baptizandum cum solemnitate, & absolvendum à peccatis; potestas enim in corpus Christi mysticum, ex potestate in corpus ejus naturale dimanat, ut suprà dicebamus.

13. Dices, Hi solùm rectè & jure admittere possunt ad corpus Ecclesiæ, qui ipsi præsunt, & sunt veluti principes illius: Sed soli Episcopi in Ecclesia principatum tenent, ut dicit Glossa ordinaria ex Beda super caput 10. Lucæ: Ergo soli Episcopi possunt de jure admittere ad corpus Ecclesiæ, subindeque ipsis tantùm competit ex officio baptizare, atque ita si simplex Sacerdos in præsentia Episcopi baptizet, peccabit mortaliter.

14. Respondeo cum D. Thoma hîc art. 2. ad 2. *quod in qualibet republica, ea quæ sunt minora, pertinent ad minora officia, majora verò majoribus reservantur, secundum illud Exodi 18. Quidquid majus fuerit, referant ad te, & ipsi tantummodo minora judicent; & ideò ad minores civitatis Principes pertinet disponere de infimo populo, ad summos autem Principes pertinet disponere ea quæ pertinent ad Majores civitatis. Per Baptismum autem non adipiscitur aliquis nisi infimum gradum in populo Christiano, & ideo baptizare pertinet ad minores Principes Ecclesiæ, id est ad Presbyteros, qui tenent locum septuaginta Discipulorum Christi, ut dicit Glossa ex Beda Lucæ 10. ad illa verba, Designavit Septuaginta duos.*

ARTICULUS II.

An idem possit à seipso baptizari, vel plures ab uno, aut unus à pluribus?

15. DIco primò, neminem posse seipsum baptizare. Ita D. Thomas quæst. præcedenti art. 5. ad 4. ubi ait quod *mutaretur forma Baptismi, si diceretur, Ego baptizo me; & ideò nullus potest baptizare seipsum, propter quod & Christus à Joanne voluit baptizari, ut dicitur extra de Baptismo & ejus effectu.* Unde ibidem Innocentius III. consultus de Judæo quodam qui seipsum baptizaverat, respondet esse rebaptizandum. Nec obest quod addit, *talem nihilominus salvandum fuisse, si tunc obiisset:* intelligit enim non vi Baptismi fluminis, sed flaminis, propter fidem vivam erga Deum, cui volebat uniri per sacramentum.

16. Potest etiam probari conclusio, ex forma Baptismi, tam Græca, quàm Latina, & ex verbis Christi Matthæi ultimo, *Baptizantes eos*, nec non

non ex natura ipsius Baptismi: Baptismus enim est sacramentum regenerationis, juxta illud Christi Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c.* Ergo sicut nemo seipsum generare potest, ita nec seipsum baptizare.

17. Dico secundò, plures simul ab uno baptizari posse. Ita D. Thomas hîc art. 6. ad 2. ubi sic ait: *In casu necessitatis unus posset simul plures baptizare, sub hac forma, Ego vos baptizo, putà si imminueret ruina aut gladius, aut aliquid hujusmodi quod omnino moram non pateretur, ut sigillatim omnes baptizarentur. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale non est nisi singulare geminatum, præsertim cum pluraliter dicatur Matthæi ultimo Baptizantes eos, &c.* Quibus verbis S. Doctor conclusionem nostram & docuit & probavit. Potestque confirmari ex eo quod credibile est D. Petrum ita seciss Actorum 2. quando unâ die multa hominum millia baptizavit, non enim poterat singulos seorsim baptizare.

18. Dico tertiò: Baptismum collatum alicui à pluribus simul abluentibus, & dicentibus, *Nos te baptizamus*, nullum esse. Est contra Durandum & Paludanum, est tamen D. Thomæ hîc art. 6. sic dicentis: *Ex tali forma, Nos baptizamus, exprimitur talis intentio quòd plures conveniant ad Baptismum conferendum: quod quidem videtur esse contra rationem ministerij, homo enim non baptizat, nisi ut minister Christi & vicem ejus gerens; unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repræsentet: propter quod signanter Apostolus dicit Ephes. 4. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma, & ideò contraria intentio videtur excludere Baptismi sacramentum.* Quibus verbis S. Doctor rationem fundamentalem nostræ conclusionis insinuat, quam Serra sub hac forma proponit. Ut Baptismus sit validus, debet apponi forma legitima, & non exprimi intentio contraria intentioni Christi & Ecclesiæ: Sed quando plures simul abluunt, & dicunt, *Nos te baptizamus*, non apponitur legitima forma, & exprimitur intentio contraria intentioni Christi & Ecclesiæ: Ergo non est validus Baptismus, sed nullus. Major patet, Minor probatur. Forma legitima, & intentio Christi & Ecclesiæ, excludit pluralitatem ministrorum convenientium ad Baptismum conferendum; sicut enim unus est Christus, tam ipse quàm Ecclesia vult ac intendit, ut minister vicem gerens Christi, & ipsum repræsentans, sit unus; forma etiam legitima, nullum exprimit ministrum, ut patet in forma Græcorum, aut unum solùm exprimit, ut constat in forma nostra: Sed per hanc formam, *Nos te baptizamus*, & vi verborum illius, exprimitur pluralitas ministrorum convenientium ad Baptismum conferendum, & intentio talis pluralitatis: Ergo qui illâ utuntur, intentionem contrariam intentioni Christi & Ecclesiæ exprimunt, & formam legitimam sacramento Baptismi non apponunt.

19. Dico quartò: Si plures aliquem baptizando seu abluendo, quilibet eorum diceret, *Ego te baptizo*, qui priùs verba proferret, Baptismi sacramentum conficeret: si verò omnino simul abluerent, & verba proferrent, omnes verè baptizarent. Ita D. Thomas hîc art. 6. ubi post verba conclusione præcedenti relata, subdit: *Si verò utrique diceret, Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, tunc manifestum est quod ille qui priùs verba proferret, daret Baptismi sacramentum .... Si autem omnino simul ambo verba proferrent, & hominem immergerent, vel aspergerent.... uterque quantum in se est, baptizaret; nec traderent aliud & aliud sacramentum; sed Christus, qui est unus, interius baptizans, unum sacramentum per utrumque conferret.*

Ratio etiam suffragatur. Et in primis, quòd si plures aliquem abluendo dicerent, *Ego te baptizo*, ille qui priùs verba proferret, sacramentum conficeret, manifestùm est; ille etenim priùs legitimam formam & materiam Baptismi apponeret; Ergo si intentionem baptizandi haberet, verum Baptismi sacramentum priùs conficeret; & alter qui postea verba pronuntiare præsumeret, nihil omnino efficeret, sed tanquam rebaptizator puniendus esset. 20.

Quod verò si omnes simul abluerent & verba proferrent, omnes verè baptizarent, non minùs evidens est, nam omnes sufficienter omnia ad Baptismum requisita ponerent: Ergo sicut recenter ordinati Sacerdotes, omnes simul cũ Episcopo verè cõsecrant, si simul verba consecrationis proferant; ita & in nostro casu, si omnes simul abluerent, & verba proferrent, omnes verè baptizarent. 21.

Dices primò: Idem numero effectus à pluribus causis totalibus ejusdem ordinis, simul procedere nequit, ut docent nostri Thomistæ in secundo physicorum: Ergo nec idem Baptismus esse à pluribus ministris ad illum conficiendum simul concurrentibus. 22.

Respondeo quod idem numero effectus non potest esse à pluribus causis totalibus ejusdem generis & ordinis, si sint principales, secùs autem si sint instrumentales. Ratio differentiæ est, quia si idem effectus esset à duabus causis totalibus principalibus, penderet per se à qualibet & non penderet per se, quia sine qualibet esse potuisset; & insuper esset ab iis productus per duas actiones numero distinctas, cuilibet enim conveniret sua propria actio, & nihilominus non esset productus per duas actiones, quia in eodem passo non possunt simul esse duæ actiones solo numero distinctæ: hæc autem repugnantia non reperiretur, si causæ essent instrumentales; primò quia effectus non pendet per se à causa instrumentali, sed ipsâ mediante, à sola causa principali: secundò, quia non essent etiam duæ actiones, sed una tantùm; non enim multiplicarentur, propter multiplicationem virtutum instrumentalium, in pluribus instrumentis receptarum, sed propter unitatem subjecti, & virtutis principalis agentis, esset unica solùm actio; quia sicut virtus principalis agentis uteretur pluribus instrumentis ad eundem effectum producendum, ita etiam ad eandem numero eliciendam actionem.

Dices secundò: Non potest una & eadem persona duobus distinctis numero baptismatibus baptizari: Sed in casu posito essent diversa numero baptismata, quia esset multiplex ablutio & multiplex prolatio formæ: Ergo, &c. 23.

Respondeo negando Minorem: nam in casu posito esset unum tantùm Baptisma formaliter, ut docet S. Thomas hîc art. 6. quia licèt essent ibi plures actiones abluentes, & plures formæ, dicerent tamen habitudinem ad idem subjectum formaliter, ut subesset eidem differentiæ temporis: unde sicut variæ superficies in eadem distantia ad polos & centrum mundi, sunt idem locus formaliter, quamvis continuò fluant materialiter, & varientur; ita diversæ illæ actiones abluentes, & diversæ formæ, prædicto modo sumptæ, essent formaliter unus Baptismus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

24. Dico quintò : Si plures ita eundem baptizarent, ut unus ablueret, & alius verba proferret, Baptismus esset nullus. Est contra Marsilium & Cajetanum, est tamen D. Thomæ suprà quæst. 66. art. 5. ad 4. ubi sic ait : *Si convenirent duo, quorum unus esset mutus, qui non posset proferre verba, & alius carens manibus, qui non posset exercere actum, non possent ambo simul baptizare, uno dicente verba, & alio exercente actum.* Quo nihil clarius & expressius in favorem nostræ conclusionis dici potest.

25. Ratio etiam suffragatur : Nam quando forma sacramenti est falsa, non perficitur sacramentum, sit enim mutatio substantialis : At si plures ita eundem baptizarent, quòd unus ablueret, & alter verba proferret, forma esset falsa : Ergo in illo casu non perficeretur sacramentum. Major patet, Minor etiam videtur manifesta, nam ille qui solùm proferret verba, non baptizaret, qui verò solùm ablueret, non adhiberet formam, quâ materia consecratur : Ergo, &c.

26. Dices primò, hoc inconveniens evitari, si diceretur, *Nos te baptizamus*, accipiendo propositionem illam complexivè ; in hoc enim casu forma non esset falsa, quia sensus esset, Ego & ille te baptizamus, per modum unius conjuncti totaliter Baptismatis, quod verum esset sicut etsi nullus seorsim possit trahere navim dici tamen potest, nos trahimus, si plures simul eam trahant.

Sed contra : Ex hoc magis confirmatur nostra conclusio, ideò enim hæc secunda propositio est vera, quia verè quilibet trahit navim, saltem partialiter : At verò qui tantùm profert verba, non potest dici abluere partialiter : Ergo dicendo, *Nos te baptizamus*, falsum assereret.

27. Dices secundò, Ego te baptizo, non est idem, ac ego te lavo, sed idem quod ego tibi sacramentum confero : uterque autem in casu posito verè conferret sacramentum partialiter, quamvis unus tantùm ablueret, & alter verba proferret.

Sed contra primò : Sacramentum Baptismi non confertur, nisi per ablutionem : Ergo ille non potest dici conferre sacramentum Baptismi, qui non potest dici abluere.

Secundò, Verba formæ primò & per se significant actionem sensibilem abluendi, & de illa debent in primis verificari : Ergo nulla responsio. Antecedens constat, nam illa verba, *Ego te baptizo*, significant usum materiæ primò & per se : Sed ille est ablutio sensibilis : Ergo primò & per se actionem abluendi significant.

28. Dices tertiò, Illi duo ministri baptizantes possent validè uti formâ Græcorum : hæc autem non esset falsa, quamvis unus tantùm ablueret, & alter verba proferret : Ergo, &c.

Sed contra primò : Verus sensus formæ Baptismi non est petendus ex forma Græcorum, sed potiùs ex forma quâ utitur Romana Ecclesia ; neque censenda est illa forma sufficiens, quæ prolata illis verbis quibus Ecclesia Romana utitur, vera esse non potest.

Deinde, quando in forma Græcorum dicitur, *Baptizetur servus Christi*, subintelligitur *A me*, licèt non exprimatur, ut patet ex alia eorum forma relata à Florentino in Decreto unionis, in qua sic dicitur : *Baptizatur manibus meis N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* : Sed hoc esset falsum, si alter ex ministris non abluret : Ergo etiam forma Græcorum non verificaretur, si plures ita eundem baptizarent, ut unus ablueret, & alter verba proferret.

Contra istam conclusionem objicitur primò : 29. Potest contingere quod parvulo moribundo adsint tantùm duo, quorum unus sit mancus, & alter mutus : Ergo tunc erit licitum muto abluere, & manco proferre verba, ne salus pueri periclitetur.

Respondeo in tali casu mutum illum posse alligare capiti alterius vasculum aquæ, quod ille submittendo caput verset supra puerum, proferendo formam. Quod si nullus esset aspergendi modus, nisi manibus, idem sentiendum esset, ac si nullus foret minister legitimus, ut ex verbis D. Thomæ suprà relatis manifestè colligitur.

Objicitur secundò : In sacramento Pœnitentiæ & Matrimonij materia adhibetur ab uno, & forma ab alio : Ergo idem poterit fieri in sacramento Baptismi. 30.

Sed nego consequentiam & paritatem : nam sacramentum Pœnitentiæ est institutum per modum judicij, in quo oportet reum & judicem distingui, & confessionem fieri à reo, absolutionem verò à judice. Matrimonium verò se habet per modum contractûs mutuæ traditionis & acceptationis, quæ non possunt inter unam & eandem personam reperiri.

ARTICULUS III.

An requiratur aliquis qui baptizatum levet de sacro fonte ?

REspondeo affirmativè cum S. Thoma hîc art. 7. ubi id probat primò ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, & traditione Apostolica, cujus testis est Dionysius cap. 2. de Eccles. hierarchia dicens, quod *sacerdotes assumentes baptizatum, tradunt eum ad educationem susceptori & duci* : Et cap. 7. sic ait : *Id placuit divinis nostris ducibus* (id est Apostolis) *ut traderent puerum cuidam docto in divinis pædagogo, & salvationis sanctæ susceptore.* Idem testantur alij SS. Patres, qui susceptores variis nominibus appellant : Justinus quæst. 56. ad Orthodoxos, vocat eos προσφέροντας, id est offerentes : Tertullianus de Baptismo cap. 18. *Sponsores* : Augustinus serm. 215. de tempore *Fidejussores* : Hyginus Papa Can. *in Catechismo* de consecrat. dist. 4. *Patrinos*, & Synodus Moguntina can. 47. *Compatres*, jubetque illos filios suos spirituales catholicè instruere. 31.

Ratio etiam suffragatur, nam ut discurrit S. Doctor in eodem articulo : Spiritualis regeneratio quæ fit per Baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali, juxta illud 1. Petri 2. *Sicut modo geniti infantes, rationabiles & sine dolo, lac concupiscite* : Sed in generatione carnali parvulus nuper natus eget nutrice & pædagogo : Ergo similiter in spirituali regeneratione quæ fit per Baptismum, baptizatus indiget susceptore, per quem in fide & vita Christiana instituatur, & informetur. 32.

Admonet tamen S. Thomas in resp. ad 2. hoc non esse de necessitate sacramenti, sed ad ejus solemnitatem pertinere : sicut enim (inquit) in generatione carnali non requiritur ex necessitate nisi pater & mater ; sed ad facilem partum, & 33.

educationem

educationem pueri convenientem, requiritur obstetrix, & nutrix, & pædadogus : ita in regeneratione spirituali quæ fit per Baptismum, susceptor seu patrinus non est de necessitate sacramenti : unde licèt esset peccatum mortale in Baptismo solemni illum omittere, ob præceptum & consuetudinem Ecclesiæ, non tamen quando datur in casu necessitatis sine solemnitate.

34. Si autem quæras, quinam possint esse patrini in Baptismo ?

Respondet D. Thomas hîc art. 8. ad 1. & in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 3. quod non baptizatus non potest levare aliquem de sacro fonte, cùm non sit membrum Ecclesiæ, cujus typum gerit in Baptismo susципiens, quamvis possit baptizare, quia est creatura Dei, cujus typum gerit baptizans. Unde Cathecumenus, quamvis fidelis sit, non potest esse susceptor, quia non est baptizatus. Non debent etiam admitti hæretici ad munus susceptoris è sacro fonte quia hæc cæremonia instituta est ab Ecclesia, ut baptizatus in fide Catholica instruatur ; hæreticus autem à via veritatis aberrans, non ritè instrueret infantem ; quare est contra Ecclesiæ consuetudinem, susceptorem designare hæreticum, non instructorem, sed corruptorem. Unde si commodè patrinus Catholicus in terris hæreticorum haberi nequeat, tenetur Parrochus baptizare infantem absque ullo patrino, quia cæremoniæ Baptismi sunt omittendæ, quando nequeunt debito modo & ritè adhiberi. Item parentes pueri baptizandi, non possunt esse ejus susceptores seu patrini, ut dicitur cap. *Pervenit*, & cap. *Dictum est*, 30. quæst. 1. & docet S. Thomas hîc art. 8. ad 2. optimamque congruentiam affert, cùm enim generatio spiritualis, alia sit à carnali, alios debet habere parentes seu authores. Demum Abbates, & Monachi, non possunt esse patrini in Baptismo, ut patet ex cap. *Non licet*, de consecrat. dist. 4. ubi sic dicitur : *Non licet Abbati vel Monacho, de Baptismo suscipere filios, nec commatres habere.* Et in cap. *Placuit* 16. quæst. 1. inter alia prohibetur Monachis, *ne filios de Baptismo suscipiant.* Item S. Gregorius Papa libro 4. Epist. 40. prohibet sub præcepto, *Monachos sibi commatres facere.* Quam prohibitionem extendi ad Religiosos omnes etiam mendicantes, constat ex communi Doctorum sententia, & ex Rituali Pauli V. titulo de *Patrino*, ubi dicitur : *Ad hoc munus admitti non debent Monachi, vel sanctimoniales, vel alij cujusvis Ordinis Regulares, à sæculo segregati.* D

35. Quoad numerum verò susceptorum, variæ fuerunt diversorum temporum consuetudines, nam olim unus solùm admittebatur ad quemlibet baptizatum susciendum, sic enim statutum fuerat ab Hygino Papa, ut habetur Can. *In Catechismo* de consecrat. dist. 4. postea verò admissi sunt plures, ut colligitur ex cap. *Quis*, de cognatione spirituali, in sexto. Concilium verò Tridentinum sess. 24. de reformat. Matrimonij cap. 2. statuit *ut unus tantùm sive vir sive mulier, vel ad summum unus & una, baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, nec non baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantùm, spiritualis cognatio contrahatur.* Ex quo rectè colligunt aliqui, duos viros, etiam solos, aut duas mulieres, etiam solas, non posse esse susceptores. Alij inferunt, quod si pater suscipiat proprium filium, contrahit cognationem spiritualem cum propria uxore, unde non potest ab ea petere debitum, nisi obtentâ dispensatione. Hoc tamen negat Suarez, existimans de facto peccare quidem parentes, si proprios filios de sacro fonte suscipiant, non contrahere tamen impedimentum petendi & reddendi debitum : quia licèt per jus antiquum hæc pœna fuisset taxata, huic tamen juri derogatur formaliter per contrariam constitutionem Alexandri III. quæ habetur cap. *Si vir* de cognatione spirituali, his verbis : *Ideo nobis videtur, quod sive ex ignorantia sive ex malitia id fecerint* (id est proprium filium de sacro fonte susceperint) *non sunt adulterium separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam prius induci : quia si ex ignorantia id factum est, ex ignorantia excusare videtur ; si ex malitia, eis fraus non debet patrocinari, nec adhiberi.* A B C E

DISPUTATIO III.

De susципientibus Baptismum.

Ad quæstionem 68. Divi Thomæ.

CUm agens & patiens sint correlativa, recto doctrinæ ordine, postquam D. Thomas egit de ministris Baptismi, disserit de susципientibus Baptismum, ac de ejus necessitate & obligatione, de quibus etiam in hac disputatione dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

An Baptismus sit omnibus ad salutem necessarius ?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

NOtandum primò, ad finem supernaturalem consequendum duobus modis solere aliquid dici necessarium, nimirum necessitate medij, & necessitate præcepti : necessarium necessitate medij est illud sine quo finis nullo modo potest obtineri, sive culpabiliter, sive inculpabiliter omittatur : quo pacto auxilium divinum potest dici necessarium necessitate medij ad actum amoris eliciendum, quia si homo, etiam sine sua culpa, illo privetur, actum illum non eliciet. Illud verò dicitur necessarium necessitate præcepti, de quo extat præceptum, sine eo tamen potest finis obtineri, si nimirum inculpabiliter & ex legitima causa omittatur : hoc modo auditio missæ dicitur necessaria tantùm necessitate præcepti, ad obtinendam gratiam & salutem, quia licet omittens missam culpabiliter, non consequatur gratiam, illâ tamen non privaretur, si legitimum adesset impedimentum ad illam non audiendam. 1.

Notandum secundò, quod quando inquirimus, an baptismus sit omnibus ad salutem necessarius ; hoc intelligi debet, secluso privilegio, & martyrio, quia certum est, Deum posse speciali privilegio aliquem in utero matris sanctificare, & à peccato originali mundare, sine sacramento 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

baptismi, ut constat de Jeremia, & Joanne Baptista. Patet etiam ex dictis disp. 1. art. 7. martyrium posse supplere vicem baptismi, tam in parvulis, quàm in adultis; & ex opere operato illos justificare. His positis.

3. Circa propositam difficultatem, seu baptismi necessitatem, in primis est antiquus error Pelagianorum, qui cùm existimarent nullum esse peccatum originale, consequenter etiam asserebant baptismum ad salutem obtinendam nullatenùs esse necessarium, & parvulos omnes tam fidelium quàm infidelium habituros sine baptismo vitam æternam, citra quodvis privilegium. Sed hic error jampridem ab Ecclesia damnatus est fuséque à nobis confutatus in Tractatu de peccatis disp. 7. art. 1. ubi peccati originalis existentiam ostendimus, & præcipua Pelagij & Juliani argumenta diluimus.

Deinde est alius error Calvinistarum, qui eò quòd legant apud Apostolum 1. ad Corinth. 7. filios fidelium vocari sanctos, docent nulli eorum imputari à Deo peccatum originale, licèt illud vere contrahant, idque in gratiam parentum, ac proinde baptismum non esse illis necessarium, ad salutem.

4. Ex Catholicis verò Cajetanus ad art. 2. hujus quæstionis docet, deficiente opportunitate baptizandi parvulos, votum baptismi à parentibus aut ab aliis conceptum, eis sufficienter prodesse ad salutem, præcipuè cum aliquo exteriori signo. C Quod ibidem sic explicat, dicens: *Debet autem in tali casu parens signo Crucis infantem cum invocatione Trinitatis munire, sicque Deo offerre morientem, in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti.* Item super art. 11. hujus quæstionis hæc scribit: *In articulo undecimo occurrit scribendum & consequenter dicendum (sub correctione tamen) parvulos in maternis uteris periclitantes, posse salvari per sacramentum Baptismi, non in re, sed in voto parentum susceptum, cum aliqua benedictione prolis, seu oblatione ipsius ad Deum, cum invocatione Trinitatis.* In eandem sententiam propendere videntur Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, tomo 3. serm. de nativitate Beatæ D Virginis, habito in Concilio Constantiensi, considerat. 2. & Gabriel in 4. dist. 4. quæst. 2. art. 3. dubio 2. & nonnullos Recentiores eam probabilem existimare, testatur Serra hic art. 2. Demum Joannes Caramuel in Theologia fundamentali cap. 7. fundament. 64. num. 1289. §. 2. hæc scribit: *Progredior & inquiro, an omnes infantes non baptizati excludantur à cœlo? Christianorum filios nonnulli a filiis infidelium distinguunt, & ducuntur ratione quæ bona solutione indigeret. Sic arguunt: privileg a neminem gravant, nam gravamina privilegia non sunt: atqui baptismus est privilegium: ergo neminem gravat: ergo Christiani filius qui à parente suo est Deo oblatus,* E *juvari poterit baptismo: at eo non indiget. Probatur consequentia: quia stando legi naturali, infans parentis oratione, aut oblatione ab originali liberaretur, nec indigeret baptismo: ergo si modo fide parentum & baptismo etiam indiget, pejoris conditionis est, quam erat: ergo baptismus gravamen est, privilegium non est. Hac ratione Campanella traductus, hanc propositionem: [Infantes filij Catholicorum, qui mo iuntur sine baptismo, in fide parentum salvantur] multis viris doctis proposuit, At nonnulli, quorum exhibet nomina, illam temerariam, erroneam, contra torrentem Theologorum, in re maximi momenti, esse dicunt; sed* A *non hæreticam. An ne subscripsit huic censuræ etiam Lugo. Non habeo ad manum illum librum: at puto inter alias Lugonis me subscriptionem legisse.* Hæc Caramuel, qui & argumentum insolutum relinquit, & nullâ hanc sententiam censurâ notat, unde illi ut probabili adhærere videtur.

§. II.

Error Calvini proscribitur.

DIco primò: Pueros à parentibus fidelibus natos, non esse sanctos ab utero materno, subindeque indigere baptismate, ut à peccato originali mundentur.

B Probatur primò conclusio ex Scriptura, ex 5. qua constat originale peccatum imputari etiam filiis fidelium, ait enim Apostolus ad Ephes. 2. *Eramus & nos naturâ filij iræ, sicut & cæteri:* nos inquit, Judæi, licèt ex fidelibus, & Judæis, atque ex Dei populo nati, æquè ac cæteri nati ex infidelibus, eramus naturâ, id est ab origine, & ex naturali generatione, filij iræ & damnationis æternæ: *Si enim filij iræ, filij vindictæ, filij pœnæ, si ij gehennæ,* inquit D. Augustinus Tractatu 44. in Joan. Item Jacob & Esaü erant filij parentum fidelium, & tamen Esaü non est natus sanctus, & liber à reatu peccati originalis, ut patet ex illo ad Roman. 9. *Antequam quidquam boni vel mali egissent, Jacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Similiter David natus erat de parente fideli, & tamen Psalm. 50. deplorat suam immundam conceptionem, dicens: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Denique loca Pauli ad Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt.* Et 2. ad Corinth. 5. *Christus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt,* adeò sunt universalia, ut filij Sanctorum & fidelium, ab hac lege minimè eximantur: non igitur filij fidelium nascuntur sancti, quapropter D. Hieronymus Epist. 7. ad Letham, Tertullianus in Apologetico cap. 17. & alij docent Christianos, non nasci, sed fieri. Ergo pueri à parentibus fidelibus nati indigent baptismate, ut à peccato originali mundentur.

Probatur secundò conclusio: Si filiis fidelium 6. non esset ad salutem necessarius baptismus, propositio illa generalis Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c.* esset falsa, ut de se patet. Neque valet evasio Calvini, dicentis nomen aquæ non sumi ibi propriè pro vera aqua, sed metaphoricè pro Spiritu Sancto mundante instar aquæ, sicut (inquit) quando dicitur, *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, per ignem intelligitur Spiritus Sanctus, qui peccata ad instar ignis consumit, & animam mundat ac purgat. Non valet, inquam, hæc elusio, nam ut suprà disp. 1. art. 2. ostensum est, hæc verba Christi ad Nicodemum, non possunt ad sensum metaphoricum detorqueri, sed debent de vera & naturali aqua intelligi: ideóque meritò Tridentinum sess. 7. can. 2. de Baptismo, anathematizat eum qui verba illa ad metaphoram aliquam detorserit. Nec verba illa Matth. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, Calvini responsionem juvant, nam cùm certum sit, non dari baptismum in igne, sicut in aqua, necessitas expositionis cogit recurrere ad metaphoram in illo loco, non verò in illo quem ex Joan. 3. adduximus.

Dices

7. Dices tamen, Joan. 6. dicitur universaliter, A *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, & tamen sub hac generali sententia parvulos non comprehendimus: Ergo similiter, esto locus citatus Joan. 3. sit intelligendus de baptismate aquæ, tamen ab illa generali sententia poterunt pueri fidelium excipi.

Sed negatur consequentia & paritas, ratio discriminis est, quia pueri sunt capaces regenerationis spiritualis, ad quam ordinatur sacramentum Baptismi, non verò nutritionis spiritualis, ad quam ordinata est Eucharistia: nutritio enim spiritualis est ad restaurationem ejus quod de spiritualibus viribus per quotidiana peccata deperditum est; quæ deperditio cùm locum non habeat B in parvulis, etiam spiritualis nutritio in ipsis locum habere nequit.

8. Contra istam conclusionem objiciunt primò hæretici, Deus Genesis 17. promisit Abrahæ se fore Deum ipsius, & seminis ejus, peculiari quadam ratione, nempè per gratiam: Sed injuriam facit divinæ huic promissioni, qui dicit eam non sufficere ad salutem sine baptismo: Ergo cùm fideles omnes, & eorum filij, sint semen Abrahæ, qui est pater omnium credentium, non potest absque injuria divinæ promissionis ei factæ, asseri quod infantibus fidelium necessarius sit baptismus ad salutem.

9. Respondeo promissionem illam à Deo factam C Abrahæ, posse dupliciter explicari, vel secundùm sensum litteralem, vel secundùm spiritualem & mysticum: si secundùm litteralem explicetur, nihil facit ad propositum, quia Deus non promisit Abrahæ secundùm litteram, & semini ejus, gratiam peccatorum remissivam, & vitam æternam, sed peculiarem protectionem, gubernationem, & terrenam felicitatem: si verò explicetur illa promissio secundùm sensum mysticum, tunc quidem poterit intelligi de gratia & vita æterna, at non per carnalem generationem ex parentibus (ut existimavit Calvinus) sed per spiritualem regenerationem in Christo, quæ fit in baptismo, ut colligitur ex doctrina Apostoli ad Roman. 4. nec non ad Galatas 3. & 4. asse- D rentis eos esse filios Abrahæ secundùm promissionem, non qui filij carnis, sed qui sunt filij fidei, id est fideles, sicut Abraham: parvuli autem non incipiunt esse fideles, nisi cùm baptizantur. Certè, si omnes filij fidelium nascantur sancti, ex vi illius promissionis, vel omnes remanent fideles, vel aliqui postea deficiunt? Si aliqui deficiant: Ergo malè docet Calvinus, fidem aut sanctitatem semel habitam amitti non posse. Si verò omnes remanent fideles & sancti: Ergo neque Judæi potuerunt deficere à fide, cùm sint omnes posteri Abrahæ, neque Ecclesia Romana, quam tamen Calvinus ait defeciisse; neque filij Calvinistarum possunt deficere à fide Calvinistica, quod tamen est contra experientiam.

10. Objiciunt secundò hæretici: Apostolus 1. ad E Corinth. 7. filios fidelium vocat sanctos: Ergo illi non indigent baptismo ad sanctificationem.

Respondeo Paulum ibi loqui de filiis natis ex uno conjuge fideli, & altero infideli, qui aliquando sanctificantur, baptizati & conversi curâ & operâ parentis fidelis; sicut etiam conjux infidelis, non rarò à fideli convertitur: eoque sensu dicitur ibi sanctificari vir infidelis per mulierem fidelem. Neque enim existimandum est, virum infidelem, manentem infidelem, sanctificari per uxorem fidelem, cùm idem Apostolus ad Hebræos 11. absolutè pronuntiet, *sine fide impossibile est placere Deo*, & Marci ultimo Christus dixerit, *Qui non crediderit condemnabitur.* Hujus ergo tanti boni spe hortatur ibi Apostolus conjuges fideles, ad habitandum cum conjugibus infidelibus, pacificè cohabitare volentibus: *Sanctificatus est enim* (inquit) *vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata mulier infidelis per virum fidelem: alioqui filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt:* vel de facto, quia jam studio & curâ conjugis fidelis baptizati sunt; vel in spe non permanendi in immunditia & infidelitate, sed aliquando emergendi ex illa, ope parentis fidelis, ut interpretantur Tertullianus, B Hieronymus, Augustinus, & alij, qui ea de causa, filios parentum fidelium, ante susceptum baptismum, vocant *Candidatos fidei & sanctitatis*, id est destinatos ad illam à parentibus fidelibus.

§. III.

Cajetani sententia rejicitur.

DIco secundò, temerarium & errori pro- 11. ximum est, asserere quod deficiente opportunitate baptizandi parvulos, ad eorum salutem sufficit votum baptismi à parentibus aut ab aliis conceptum, cum aliquo signo exteriori, vel cum C aliqua benedictione prolis seu oblatione ipsius ad Deum, cum invocatione sanctissimæ Trinitatis. Est contra Cajetanum suprà citatum, cujus opinio è commentariis ejus in D. Thomam, jussu Pij V. expuncta fuit, licèt adhuc in quibusdam exemplaribus vetustioribus, aut Romæ non cusis reperiatur.

Probatur primò ex D. Ambrosio lib. 2. de 12. Abraham cap. ultimo, ubi explicans illa verba Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. *Utique* (inquit) *nullum excipit, non infantem, non aliquâ præventum necessitate.* Et ex Augustino lib. 3. de anima cap. 9. sic dicente: *Noli credere, noli docere, infantes antequam baptizentur, morte præventos, pervenire posse ad originalem indulgentiam* D *peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et epist. 28. ubi sic habet: *Quicunque dixerit in Christo vivificari posse parvulos qui sine ejus participatione, id est sine baptismo de hac vita exeunt, hic & contra Apostolorum prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam.* Subdit ibidem: *Non aliâ causâ festinatur & curritur, nisi quia procul dubio creditur, aliàs eos vivificari non posse.* Demum lib. 1. de peccatorum meritis cap. 27. de parvulis ait: *Quoniam de ovibus ejus esse non incipiunt parvuli, nisi per baptismum; profectò si hunc non accipiunt, peribunt.*

Dices, SS. Patres loqui de baptismo suscepto 13. vel in re vel in voto proprio in his qui ipsum habere possunt, quales sunt adulti, vel in voto pa- E rentum in his qui proprium votum habere nequeunt. Sed contra hanc responsionem stat apertissimè S. Doctor, nam in libro de bono persever. cap. 12. postquam negavit damnationem illorum parvulorum fortuito alicui casui, vel parentum negligentiæ posse tribui, subdit: *Quid dicam quod parvulus aliquando antequam illi per ministerium baptismi succurri possit, expiratus: plerumque enim festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum parvulum in vita non tenuit ut daretur.* Et epist. 107. ad Vitalem clarè dicit, *salvos non fieri parvulos istos, non quia*

ipse

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsi nolunt, sed quia Deus non vult; aliquando cupientibus, festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis, baptismum Deo nolente non dari, cùm repente pro quo currebatur expiret. Idem habet epist. 105. ad Sixtum, libro de corrept. & gratia cap. 8. libro de gratia & libero arbitrio cap. 22. Concinitque Magistro suo S. Prosper in carmine de ingratis, ubi habet hos versus:

Nec meritis istud poteris aptare parentum,
Cum videas multos sanctis genitoribus ortos,
Nullo salvari studio potuisse suorum.

Ex quo manifestè deducitur, votum parentum pro baptismo suorum parvulorum, non sufficere eis ad salutem. Quare Divus Thomas quodlib. 6. articul. 4. asserit nusquam apud Augustinum & SS. Patres reperiri, quod Baptismi vicem suppleat, nisi baptismus sanguinis, aut flaminis.

14. Probatur secundò conclusio: Vel illa cæremonia consignationis crucis, cum protestatione fidei, sufficere potest ad salutem omnibus omnino parvulis qui baptizari non possunt, vel aliquibus tantùm ex illis? Non aliquibus tantùm, nulla enim est assignabilis ratio discriminis. Neque omnibus, alias enim perinde erit ac ponere, quantùm ad effectum gratiæ peccati originalis remissivæ, præter baptismum, aliud sacramenti genus: Ergo &c.

15. Confirmatur: Cùm lex generalis sit de baptismo, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* non potest asseri, votum baptismi, cum aliquo signo exteriori, vel cum aliqua benedictione prolis, sufficere ad parvulorum salutem, quando non adest opportunitas eos baptizandi, nisi dicatur, esse privilegium, seu exemptionem à tali jure, seu lege generali, à Christo condita, & verbis relatis declarata: At hoc dici nequit: Ergo nec illud. Major patet, Minor probatur. Quando constat de ipsa lege, nisi constet etiam de privilegio derogante legi, nullum censetur hujusmodi privilegium: Ergo cùm non constet nobis de privilegio illo Cajetani, derogante legi generali Baptismi, quia neque ex Scriptura, neque ex Traditione colligitur, nullum planè & fictitium censeri debet. Unde contra hunc Authorem meritò adduci potest illud Augustini de natura & gratia cap. 8. contra Pelagium, de parvulo nato, ac mortuo in loco in quo non potuit baptizari: *Absolvat eum Pelagius, & aperiat ei contra sententiam Domini regnum cœlorum, sed non absolvit eum Apostolus dicens, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.*

16. Probatur tertiò: Eadem omnino ratione, quâ asserit Cajetanus, defectum Baptismi suppleri posse in necessitate quoad infantes ex parentibus Catholicis natos, per fidem parentum ipsis applicatam, mediante signo crucis, cum invocatione Trinitatis; eadem, inquam, ratione poterit dici, Deum per seipsum supplere etiam defectum talis cæremoniæ in infantibus propè innumeris qui moriuntur quotidie apud Turcas & infideles, ne scilicet omni præsidio salutis destituti, miserè pereant, ut loquitur Cajetanus, & sic omnes infantes, quibus non potest applicari baptisma, salvabuntur, quod sine ingenti temeritate affirmari nequit; nam ut ait Prosper lib. de vocatione Gentium cap. 8. *Non est fas credere eos parvulos qui regenerationis non sunt adepti*

A *sacramentum, ad ullum pertinere beatorum consortium, cùm Dominus dixerit Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Similia docet Augustinus lib. 3. de peccat. meritis cap. 23. ubi sic ait: *Nulla ex arbitrio nostro salus æterna, præter baptismum Christi, promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura Divina, humanis omnibus rationibus præferenda.* Item Fulgentius de fide ad Petrum cap. 26. alias 27. *Firmissimè tene* (inquit) *non solùm homines ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur; sive jam de matribus nati, sine sacramento baptismi quod datur in nomine Patris,*
B *& Filij, & Spiritus Sancti, de hoc sæculo transeunt, sempiterno igne puniendos.* Quare licèt fateri necesse sit, parvulos extra baptismum & martyrium, ex speciali Dei privilegio & dispensatione salvari posse, quia virtus divina nullis legibus est alligata; & sicut parvulum salvat per baptismum, ita sine baptismo eum potest salvare; de nullo tamen, citra revelationem specialem, potest sine temeritate asseri, ita fuisse salutem consecutum: illa enim assertio est temeraria, quæ à generali Dei lege, qualis est lex de baptismo: exceptionem facit, quam Ecclesia Catholica, & Sancti ejus Doctores non fecerunt.

Hinc colliges contra Gersonem suprà citatum; 17.
C non debere parentes orare Deum, ut infantes nondum natos, si in utero matris sint morituri, salvos faciat, sed potiùs, ut quia sine baptismo non est salus, dignetur eos in vita servare, donec in lucem editi, aquâ salutis abluantur: quomodo S. Augustinus serm. 37. de diversis refert orasse mulierem quandam pro parvulo ante baptismum defuncto, non ut salvaretur sine baptismo; sed ut ad momentum revivisceret, quo baptizari posset, quod & factum fuit.

§. IV.

Solvuntur argumenta Cajetani.

D OBjicit in primis Cajetanus: Non obstante 18.
præcepto circumcisionis in lege antiqua, dum necessitas urgebat, ante octavum diem nativitatis pueri, sufficiebat illi ad salutem fides parentum applicata per aliquod signum sensibile: Ergo similiter, imò à fortiori, modò in lege gratiæ, non obstante præcepto baptismi, sufficiet parvulo qui non potest baptizari, applicatio ejusdem fidei, cum signo & invocatione sanctissimæ Trinitatis. Antecedens est certum, & communiter docetur à Theologis. Consequentia verò probatur, Tùm quia fides non fuit majoris virtutis & efficaciæ apud veteres, quàm apud nos. Tum etiam, quia si in lege veteri ante octavum diem sufficiebat ad salutem parvuli remeE dium legis naturæ, non verò in lege Evangelica, quando parvulo non potest applicari baptisma, sequitur parvulos in nova lege esse deterioris conditionis, quàm in lege scripta, & in lege naturæ; ac per Evangelium viam salutis esse arctatam, & difficiliorem redditam.

Respondeo, concesso Antecedente, negando 19.
consequentiam, & paritatem: Ratio discriminis est, quia cùm in lege Moysis prohibuisset Deus puerum circuncidi ante octavum diem, consequens erat, ut aliud remedium pericli tantibus ante octavum diem relinqueret applicandum, scilicet sacramentum legis naturæ: nunc verò

quia sic baptismum instituit, ut non prohibeat ipsum applicari pueris statim ac in lucem eduntur, non est mirum, si nullum aliud remedium pro ipsis reliquerit. Ad primam probationem in contrarium dico, quod licet fides in ratione fidei non esset majoris virtutis apud veteres, quàm apud nos, imò majoris efficaciæ sit fides nostra, utpotè explicita circa mysteria Incarnationis & Trinitatis, quàm illa, quæ erat tantum implicita in lege veteri, quoad ista mysteria: in ratione tamen sacramenti, fides antiquorum, signo sensibili expressa, habebat aliquid supra fidem nostram, nempe quòd valeret ad salutem parvulo, per modum sacramenti ipsi applicata, quod tamen non habet modò.

Ad secundam probationem nego sequelam: multi enim erant tam in lege naturæ quàm in lege Mosaïca, quibus parentes applicare non poterant remedium aliquod contra peccatum originale; & quamvis facilior esset applicatio remedij legis naturæ, quàm legis gratiæ, quia illud non erat ita determinatum, ex eo tamen non sequitur parvulos in lege Evangelica esse deterioris conditionis, quàm in lege naturæ, vel in lege Mosaïca; tum quia nunc plures salvantur in lege Evangelica, toto orbe diffusa, quàm tunc in fide parentum; tum etiam quia baptismus uberiorem gratiam præstat, & citiùs ad gloriam perducit.

Addo quod, aqua quæ est materia baptismi, est valde communis, & facilius est abluere, & quædam verba proferre, quàm signo sensibili adjungere actum fidei supernaturalis, qui requirebatur ad remedium legis naturæ; unde tunc non poterat à tam multis subveniri parvulis, sicut modò: quia tunc non nisi à fidelibus sacramentum pro parvulis institutum adhiberi poterat, nunc verò etiam à paganis, hæreticis, & infidelibus, baptisma administrari potest, ut Tractatu præcedenti disp. 6. art. 3. ostensum est. Ex quo patet, per institutionem baptismi, viam salutis non esse arctatam, aut difficiliorem redditam, sed potiùs magis dilatatam, cùm plures sint fideles, qui ejus procurent applicationem, quàm essent in lege naturæ, vel in lege scripta, qui sacramentum pro parvulis tunc institutum applicarent.

20. Objicit secundò Cajetanus: Deus habet voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, per quam omnibus dat auxilia sufficientia ad salu- *Disp. 4. art. 2.*
tem, ut in Tractatu de voluntate Dei ostendimus: At hoc falsum esset, si non esset aliquod remedium, quo deleretur in parvulis originale peccatum, dum baptizari non possunt; Deus enim ipsis nullum daret auxilium seu medium sufficiens ad salutem; subindeque voluntas antecedens quam habet salvandi omnes homines, ad parvulos non se extenderet, nec Christus omnium parvulorum Redemptor dici posset, cùm illius redemptio non excedat objectivè volunE tatem generalem quam habet de salute omnium hominum, utpotè ab illa imperata: Ergo &c.

21. Prius quam huic objectioni respondeam, dico hanc difficultatem militare etiam contra sententiam Cajetani: sunt enim aliqui quibus nedum baptismus, sed neque etiam aliquod aliud remedium adhiberi potest; putà qui vel in uteris matrum præfocantur, vi influxûs causarum naturalium, vel qui improvisâ omnino morte rapiuntur statim post nativitatem. Unde si argumentum Cajetani valeat, sequitur Deum non habere voluntatem antecedentem de salute illorum parvu-

A lorum, nec Christum dici posse illorum Redemptorem.

Nec valet si quis in favorem Cajetani respon- 22.
deat, parentes posse & teneri adhibere parvulis, etiam in uteris matrernis, medium aliquod sensibile, quo à peccato originali mundentur, statim ubi constat de animatione fœtûs, sicque prædictos parvulos non destitui mediis & auxiliis sufficientibus ad salutem, saltem mediatè, & in suis parentibus. Non valet, inquam, Primò quia sæpe contingit non statim percipi quando fœtus incipit animari, & mori priusquam constet aut constare possit de ejus animatione. Secundò, quia hæc responsio est contra communem Eccle-
C siæ fidem, & praxim; illa enim solet universaliter negare sepulturam in loco sacro parvulis in utero matris suffocatis. Tertiò, hac admissâ responsione, unum è duobus esset necessariò admittendum, scilicet aut quòd baptismus non esset per se necessarius ad gratiam conferendam, sed per accidens, in casu quo remedium illud non esset priùs à parentibus in utero matris fœtui applicatum; aut quòd tale remedium non esset per se causativum gratiæ, sed per accidens tantùm, quando fœtus infallibiliter esset moriturus, antequam baptizari posset. Primum est fidei contra-
B rium, juxta quam baptismus per se & essentialiter est unum è sacramentis mortuorum, ac proinde per se ad primam gratiam conferendam ordinatum. Secundum verò est omnino fictitium, nullibi enim habetur, Deum aut Christum ita disposuisse, imò lex contraria statuta est, nullum scilicet intraturum in regnum cœlorum, nisi priùs ex aqua & Spiritu Sancto renatus fuerit.

Dices, Pueris adhuc in utero materno existen- 23.
tibus communicatur culpa originalis: Ergo est aliquod remedium pro eis antequam nascantur morientibus institutum, quo applicetur ipsis meritum Christi, cùm id efficacius sit (ut docet Apostolus) quàm demeritum Adami, quod est causa contractionis originalis peccati.

Respondeo, concesso Antecedente, negando
D consequentiam & paritatem: ratio discriminis est, quia licèt meritum Christi sit efficacius peccato Adæ, quia delet ipsum, & alia peccata, non eodem tamen modo applicatur; peccatum enim originale transfunditur per generationem carnalem, subindeque contrahitur in utero ubi fit illa generatio; meritum verò Christi applicatur per generationem spiritualem, quæ non fit nisi extra uterum, quia non fit nisi per sacramentum regenerationis, quod est baptismus, inapplicabilis pueris nondum in lucem editis. His præmissis.

Ad objectionem respondeo, concessa Majori, 24.
negando sequelam Minoris, ut enim voluntas antecedens quâ Deus omnium hominum salutem
E desiderat, & generalis Christi redemptio, ad parvulos omnes, etiam ad illos qui in utero matris moriuntur, & ad illos quibus post nativitatem nullâ humanâ diligentiâ potest applicari baptismus, se extendat, non requiritur quod Deus ipsis de facto contulerit medium seu remedium, quo peccatum originale in ipsis deleri possit, sed sufficit, quod universaliter pro omnibus parvulis baptismus institutus fuerit, & omnibus oblatus, & præparatus, & per merita Christi quoad sufficientiam obtentus. Unde quando dicitur, quod Deus per voluntatem antecedentem quâ desiderat omnium hominum salutem, dat

omnibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnibus auxilia seu media ad salutem sufficientia, distinguendum est: si ly *dare* accipiatur, prout significat idem quod præparare seu offerre in communi concedendum est. Si ly *dare* accipiatur, prout est correlativum ad recipere, & prout significat ipsam intrinsecam receptionem auxiliorum, negandum. De quo fusè in Tractatu de prædestinatione. *Disp. 5. art. 5.*

§. V.

Quid de adultis dicendum?

25. DIco tertiò, baptismum in re vel in voto esse omnibus adultis necessarium necessitate medij ad salutem.

Conclusio patet ex suprà dictis, omnia enim testimonia pro præcedenti conclusione adducta, procedunt tam de adultis quàm de parvulis: Ergo baptismus est etiam istis necessarius necessitate medij. Deinde ut discurrit D. Thomas hic art. 1. sine eo non potest aliquis salvari, per quod homo incorporatur Christo, sitque ipsius membrum; nullus enim potest salutem consequi, nisi per Christum, ac proinde nisi Christo incorporetur, quia sicut per unius hominis delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem, ut ait Apostolus ad Roman. 5. Sed homo per solum baptismum incorporatur Christo: Ergo sine Baptismo nullus potest salutem consequi.

26. Quod verò adultis interdum sufficiat baptismus in voto, probatur contra aliquos veteres, qui adeò severè exigebant baptismum ipsum, ut perire putarent omnes adultos, qui vel non baptizati, vel non obitu martyrij morerentur. In qua sententia fuit author libri Ecclesiast. dogmatum cap. 74. ubi ait: *Cathecumenum, licet in bonis operibus defunctum, vitam habere non credimus.* Idem videtur sentire Nazianzenus orat. in Sanctum Lavacrum. Oppositum docet Ambrosius orat. in obitum Theodosij, qui cathecumenus antequam baptizaretur, mortuus fuerat: *Quem* (inquit) *regeneraturus eram amisi, id est autem gratiam, quam speraverat, non amisit.* Item D. Augustinus, postquam multùm in hac quæstione laborasset, lib. 4. contra Donatistas cap. 22. sic respondet: *Diu multúmque considerans invenio, etiam sine regenerationis lavacro, ipsam fidem conversionemque cordis satis esse. Nam ille latro non pro nomine Christi fuerat crucifixus, sed pro meritis facinorum suorum; neque quia credidit passus est, sed dum pateretur, credidit. Quantum itaque valeat, etiam sine visibili sacramento, quod ait Apostolus: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, illo latrone declaratum est, sed tunc impletur invisibiliter, cùm mysterium baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Ex quo constat librum de Ecclesiasticis dogmatibus, non esse D. Augustini. Ita quoque respondit D. Bernardus hac de re consultus epist. 67. Cùm autem aliqui nollent acquiescere ejus sententiæ, causa delata est ad Innocentium II. qui respondit, satis esse votum baptismi, quando baptismus ipse haberi non potest, ut constat cap. *ad Apostolicam*, de presbitero non baptizato. Ratio etiam id suadet, nam ut docent Theologi in Tractatu de justificatione, vel de pœnitentia, adultus eliciens actum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia (in qua includitur votum seu desiderium servandi omnia præcepta, & consequenter votum suscipiendi baptismum) statim consequitur gratiam, quia ponit ultimam dispositionem ad justificationem.

Verùm controversia est inter Authores, quodnam votum baptismi sit necessarium ad justificationem & salutem, quando baptismus non potest in re haberi? Pro cujus intelligentia & resolutione, sciendum est, duplex esse votum baptismi, implicitum scilicet & explicitum. Implicitum nihil aliud est, quàm vel voluntas servandi totam legem Christi, vel ingrediendi Ecclesiam, vel vitam æternam acquirendi per media à Deo vel Christo definita: quamvis enim habens talem voluntatem, nihil audierit de baptismo, dicitur tamen habere virtualiter & implicitè propositum suscipiendi baptismum, ex eo quod baptismus est medium necessarium ex institutione Christi, ad ingrediendum Ecclesiam, & veram beatitudinem inquirendam. Votum verò explicitum, est formale propositum sive desiderium suscipiendi baptismum in particulari, unde istud terminatur ad baptismum in particulari, illud verò ad aliquid commune, in quo baptismus continetur, aut cum quo connectitur. His præmissis. 27.

Quidam existimant, votum explicitum baptismi nec ad salutem nec ad justificationem necessarium esse, sed ad utramque votum illius implicitum & virtuale sufficere. Alij verò docent, ad salutem quidem votum explicitum baptismi requiri, non tamen ad justificationem. Sed probabilior est sententia quæ asserit post legis Evangelicæ promulgationem, votum explicitum Baptismi, tam ad justificationem, quàm ad salutem esse necessarium. Eadem enim est ratio de voto baptismi, ac de fide Trinitatis & Incarnationis: Sed probabilior, & menti S. Doctoris conformior est sententia quæ asserit, post Christi adventum, & legis Evangelicæ promulgationem, fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis, esse necessariam ad justificationem & salutem, necessitate medij, ut in Tractatu de fide ostensum est: Ergo & quæ docet votum explicitum baptismi, ad utramque necessitate medij adultis esse necessarium. 28. *Disp. 6. art. 5.*

§. VI.

Corollaria notatu digna.

29. EX dictis inferes primò, baptismum esse etiam necessarium necessitate præcepti divini ad salutem. Est enim regula generalis, quòd omne medium per se necessarium ad salutem, si subest arbitrio nostro, est etiam necessarium necessitate præcepti divini; siquidem nihil magis debuit cadere sub præcepto divino, quàm illud sine quo vita æterna haberi non potest, si tamen sit in arbitrij nostri facultate: etenim non satis Christus legislator providisset bono & perfectioni suæ reipublicæ, quæ est Ecclesia Christiana, si non imposuisset specialia præcepta circa illa quæ ad finis ipsius consecutionem instituit tanquam media necessaria: Sed, ut jam ostendimus, baptismus est medium ad salutem necessarium: Ergo etiam est necessarius necessitate præcepti.

30. Hoc verò præceptum obligat omnes adultos habentes baptismi copiam, quamvis sint per gratiam spiritualiter regenerati, seu per baptismum flaminis justificati: Nicodemus enim (ut notat S. Augustinus Tractatu 11. in Joan.) erat in gratia, tamen Christus dixit illi, *Nisi quis renatus fuerit &c.* Imò etiam si aliqui nunc sanctificarentur, in utero, nihilominus tenerentur baptizari, ut docet S. Thomas hic art. 1. ad 3. his verbis: *Illi qui sunt sanctificati in utero, consequuntur quidem gratiam emundantem à peccato originali, non tamen ex hoc ipso consequuntur characterem quo Christo configurentur; & propter hoc, si aliqui nunc sanctificarentur in utero, necesse esset eos baptizari, ut per susceptionem characteris, aliis membris Christi conformarentur.* Et in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ait, quod *sanctificatus in utero debet baptizari propter tres rationes. Primò propter acquirendum characterem, quo annumeretur in populo Dei, & quasi deputetur ad percipienda divina sacramenta. Secundò, ut per baptismi perceptionem Passioni Christi etiam corporaliter conformetur. Tertiò, propter bonum obedientiæ, quia præceptum de Baptismo omnibus datum est, & ab omnibus impleri debet, nisi articulus necessitatis sacramentum excludat.*

31. Dices, formam baptismi non posse de tali subjecto verificari, illa enim significat ablutionem non tantùm materialem, sed etiam spiritualem à peccato: At puer qui esset sanctificatus in utero matris, non posset spiritualiter mundari per baptismum à peccato originali, cùm per sanctificationem in utero, ab illo jam esset mundatus: Ergo illi non posset applicari baptismus.

32. Respondeo primò, hoc argumentum nimis probare, probat enim non posse verè applicari formam baptismi adulto, qui jam ante per actum dilectionis supernaturalis, vel contritionis perfectæ, a peccatis mundatus fuerit.

33. Respondeo secundò, negando primâ propositionem; nam sicut hæc verba, *Ego absolvo te à peccatis tuis*, quæ sunt forma sacramenti Pœnitentiæ, nihil aliud significant, nisi ego impertior tibi gratiam remissivam peccatorum, seu quæ de se potens est ad solvenda peccatorum vincula, si subjectum illis inveniatur ligatum. Ita pariter hæc verba, *Ego te baptizo*, quæ sunt forma sacramenti baptismi, nihil aliud significant essentialiter, nisi infusionem gratiæ sanctificantis, quæ de se valet ad peccatum originale & actuale delendum, si ea in subjecto inveniat. Unde sicut in sacramento Pœnitentiæ, prædicta verba, *Ego absolvo te à peccatis tuis*, verificantur, quamvis pœnitens solùm peccata jam confessa & remissa, quibus proinde non ligatur, confiteatur: ita pariter in sacramento Baptismi, hæc verba, *Ego te baptizo*, vera sunt, quamvis ille qui baptizatur, per gratiam sanctificantem, à peccato originali & actuali jam mundatus sit. Addo, lavari & mundari spiritualiter posse non solùm eos qui sunt infecti peccato, sed & alios ab illo mundos; possunt enim magis magisque mundari, id est per augmentum gratiæ sanctificantis magis removeri a statu peccati: sicut illi qui jam peccato aliquo sunt infecti, possunt aliis magis, magisque infici, juxta illud Apocal. 22. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc, & qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus, sanctificetur adhuc.*

34. Inferes etiam ex dictis, baptismum non debere differri usque ad finem vitæ, vel ad longum tempus, sed post sufficientem instructionem de rebus fidei, suscipi. Per baptismum enim homo adscribitur militiæ Christianæ: est autem irrationabile ut tunc aliquis adscribatur militiæ, quando cessat bellum. Deinde baptismus est institutus ad hominem in Christo regenerandum, & eum constituendum Ecclesiæ membrum, ut sit capax aliorum sacramentorum, fructûs sacrificij, & obedientiæ ac subjectionis, respectu jurisdictionis Ecclesiasticæ; quo fine magna ex parte frustraretur, si usque ad finem vitæ, vel ad longum tempus, differretur. Addit D. Thomas in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2. quod *in baptismo confertur gratia ad bene vivendum, & peccata tolluntur præterita, & impediuntur futura; & ideò quamvis baptismus in fine vitæ susceptus, plura peccata præterita tolleret, tamen panciora impediret, & ad pauciora bona promoveret, & ideò minùs esset utilis. Præterea multis casibus subjacet humana vita, & posset contingere, ut qui baptismum in fine vitæ accipere expectaret, morte subitâ præventus, expectatione suâ fraudaretur.* Unde Chrysostomus homil. 13. ad Hebræos: *Multos novi qui hoc passi sunt, qui ipse baptismatis multa peccabant: circa diem autem mortis discesserunt vacui.*

Dices, præcepta affirmativa non obligant, nisi tempore necessitatis: Sed præceptum de baptismo est affirmativum: Ergo non obligat nisi tempore necessitatis, subindeque usque ad finem vitæ, vel saltem ad longum tempus, sine peccato differri potest. Unde D. Martinus per octo annos mansit Cathecumenus, & S. Ambrosius non erat baptizatus, quando electus fuit Episcopus. 35.

Respondeo quidquid sit de aliis præceptis affirmativis, esse specialem rationem de præcepto baptismi, quia baptismus est necessarius ad inchoandam vitam spiritualem, & sine illo non possumus recipere alia sacramenta, quibus Christiana religio colitur, & ideò ne beneficio aliorum sacramentorum frustremur, debemus quantociùs convenienter & commodè fieri potest, charactere baptismali insigniri. Prædicti verò sancti ex magna reverentia & humilitate distulerunt baptismum, quia existimabant se ad illius susceptionem non esse sufficienter dispositos, & ideò illorum exempla non sunt trahenda in consequentiam. Unde ut annotavit Baronius tomo 4. anno Christi 377. num. 14. *Ipsemet Ambrosius, factus Episcopus, in eo multus fuit, ut pravam illam consuetudinem, quæ tam in Occidente quàm etiam in Oriente usu temporis coaluerat, quâ fideles quamplurimi usque ad provectiorem ætatem Baptismum differrent, penitus ut malum germen ex agro dominico evelleret; & quod se feciſſe doluit, ab aliis ne imposterum fieret, vehementer admonuit. Præstiterunt que hoc ipsum apud Orientales Basilius atque Gregorius Nazianzenus, nec non Gregorius Nissenus, ut ipsorum de baptismo editæ orationes significant.* Demum Ecclesia ut hunc abusum tolleret, prohibuit ne Cathecumeni, si essent plenè instructi & idonei, susceptionem baptismatis, ultra vigiliam Paschæ aut Pentecostes differrent, ut constat ex Canone *Duo tempora*, & ex Canone *Catechismus*, de consecrat. dist. 4. 36.

Dices, Hæc Ecclesiæ determinatio non potest obligare Cathecumenos, illos saltem qui sunt nati ex infidelibus, quia non subduntur Ecclesiæ: Ergo illi non peccabunt, si ultra illud tempus ab Ecclesia præscriptum differant baptismum. 37.

Universidad de Deusto
Biblioteca

38. Respondeo quod quamvis Ecclesia non habeat jurisdictionem directam supra Cathecumenos, nec possit eos cogere ad suscipiendum baptismum, quia tamen præceptum divinum Baptismi eos obligat, & Ecclesia habet potestatem determinandi præceptum illud, consequenter etiam & indirectè, potest obligare Cathecumenos ad sumendum baptismum tali tempore, si velint Ecclesiam intrare, & eos punire pœnâ ejectionis, si ejus determinationi non pareant: quomodo Religio obligat Novitios, quamvis ad se non pertinentes, ad profitendum tali tempore, & tali ritu, si ipsam velint ingredi, & si non obtemperent, punit eos pœnâ expulsionis.

ARTICULUS II.

An quando baptizatur adultus, requiratur ex parte ejus aliqua intentio suscipiendi Baptismum?

CUm parvuli non sint capaces propriæ intentionis & consensûs voluntatis, evidens est ad valorem baptismi eorum, nullam requiri talem intentionem, sed sufficere voluntatem Christi & Ecclesiæ, quæ tanquam mater præbet ipsis uterum, ut spiritualiter regenerentur, cor ut possint credere, & os ut confiteantur fidem. Quare solum difficultas est de adulto, pro cujus resolutione.

39. Advertendum est, adultum baptizandum quatuor diversis modis in receptione baptismi se habere posse: Primò ut expresè repugnet & contradicat receptioni illius. Secundò, ut solùm coactè, & metu cadente in constantem virum, permittat se baptizari. Tertiò, ut interpretativè solùm baptizari velit, quando scilicet in vigilia existens, habuit intentionem suscipiendi baptismum, & postea non mutatâ tali intentione, dormiens baptizatur. Quartò potest adultus ita suscipere baptismum, ut ad illum merè negativè seu indifferenter se habeat, illi nec consentiens nec dissentiens. His præmissis.

40. Dico primò: Quando adultus expresè repugnat & contradicit receptioni Baptismi, ille invalidus est. Conclusio est certa, & definita ab Innocentio III. in cap. *Majores* de baptismo, probaturque ratione fundamentali: Cùm enim baptismus sit quædam fidei professio, propter quod dicitur sacramentum fidei, sicut nullus repugnans & contradicens susceptioni fidei, recipit fidem, utpotè quæ cum rationibus naturalibus non convincat intellectum, sine voluntatis consensu, & obsequio, ac pia ejus motione, non recipitur, ita nec sacramentum Baptismi. Unde D. Thomas quæst. sequenti art. 9. *Deus* (inquit) *non cogit hominem ad justitiam, sicut Damascenus dicit, & ideò ad hoc ut aliquis justificetur per baptismum, requiritur quod voluntas hominis amplectatur baptismum, & baptismi effectum.* Addit Soto, quod cùm Deus omnia suaviter disponat, id maximè de fide & lege Evangelica constituit, ut nemo nisi consentiens Christianus fiat, & Baptismi sacramentum suscipiat.

41. Dices, Baptizatus se habet sicut patiens in sacramento: At intentio non requiritur ex parte patientis, sed ex parte agentis: Ergo ad recipiendum validè baptismum, nulla ex parte baptizandi requiritur intentio, subindeque baptismus erit validus, tametsi ipse repugnet receptioni illius.

Respondeo cum D. Thoma hìc art. 7. ad 1. quod *in justificatione quæ fit in baptismo, non est passio coacta, sed voluntaria, & ideò requiritur intentio recipiendi id quod ei datur.* Baptizatus enim non est quasi passum merè naturale, veluti stupa dum incenditur, sed est passum rationale & liberum, & ideò requiritur in eo intentio, non quidem agendi, sed liberè recipiendi, quia recipiendo se obligat ad ea quæ sunt vitæ Christianæ propria, & ideò modo humano & libero debet suscipere & sibi imponere statum cui annexa est talis obligatio.

B 42. Dico secundò: Qui ex metu cadente in constantem virum permittit se baptizari, verum suscipit sacramentum. Ita D. Thomas in 4. dist. 6. qu. 1. art. 2. quæstiunc. 3. in fine corporis, ubi sic ait: *Sciendum quod non requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi quod Ecclesia confert, sed sufficit voluntas conditionata, sicut est in voluntariis mixtis, ut dicitur 3. Ethic. cap. 2. Et ideò si sit coactio sufficiens, ita quod principium sit ex toto extra, nihil conferente vim passo, ut cum aliquis reclamans immergitur violenter, tunc talis nec sacramentum recipit, nec rem sacramenti. Si autem sit coactio inducens, sicut minis vel flagellis, ita quod baptizatus potius eligat baptismum suscipere,*

C *quàm talia pati, tunc suscipit sacramentum, sed non rem sacramenti.* Idem determinavit Innocentius III. capite citato, approbans definitionem de hoc factam in Concilio Toletano 4. capite 55.

43. Ratio etiam suffragatur: Licèt enim qui terrore compulsus permittit se baptizari, nolit conditionaliter baptizari, nempe sub conditione quod posset vitare illa quæ metuit, vult tamen absolutè baptizari: sicut qui metu tempestatis projicit merces in mare, vult absolutè illas projicere, quamvis secundùm quid & sub conditione vellet illas retinere: Ergo verum suscipit sacramentum.

Nec obstat quod consensus ex gravi metu elicitus non sufficiat ad matrimonium, est enim disparitas in hoc, quod cùm requiratur contractus validus ad sacramentum matrimonij, valor autem contractûs subjiciatur juri civili, postquam tali jure determinatum fuit, contractum ex metu in virum constantem cadente factum, non esse validum, sacramentum matrimonij non habet quod requiritur ad sui valorem, videlicet contractum validum, si ex metu gravi aliquis contrahentium consensum dederit.

44. Dico tertiò: Ad hoc ut aliquis validè sacramentum baptismi recipiat sufficit intentio seu volitio interpretativa: unde si quis in vigilia existens habuit intentionem suscipiendi baptismum, & postea, non mutatâ tali intentione, dormiens baptizetur, verè baptizatus erit. Ita quoque determinavit Innocentius citatus. Et ratio est, quia ad valorem baptismi minor requiritur voluntas in suscipiente (utpotè qui passivè solùm ad ipsum cõcurrit) quàm in conferente, qui suâ intentione activè sacramentum producit; subindeque licet minister qui habito proposito alium baptizandi, ipsum postea dormiens baptizaret, non conferret validum sacramentum, validum tamen susciperet, qui inter dormiendum baptizaretur, si priùs in vigilia voluisset baptizari, eò quòd talis voluntas, secundùm prudentem interpretationem, influeret in illam receptionem. Unde

D. Thomas

D. Thomas hìc art. 12. ad 3. docet quod dormientes, periculo mortis imminente, *baptizari debent, si prius in eis voluntas apparuit suscipiendi baptismum.*

45. Dico quartò: Ad valorem baptismi in adulto, non sufficit quod ad illum merè negativè seu indifferenter se habeat, illi nec consentiens nec dissentiens, sed requiritur necessariò positiva aliqua intentio illud suscipiendi, præsens, vel præterita. Est contra Cajetanum hìc art. 7. Martinum Ledesma, & quosdam alios recentiores Thomistas, existimantes intentionem in baptizato non esse per se necessariam, sed solùm per accidens in adulto, ad tollendam contrariam voluntatem renitentem sacramento: unde si fortè contingeret, ut homo neuter ad baptismum accederet, hoc est nec consentiens, nec dissentiens, sed negativè se habens, ille verè recideret sacramentum. Quam sententiam ut probabilem defendit Serra hìc art. 7. dubio unico.

46. Probatur tamen conclusio primò ex D. Augustino, dicente (ut refertur de consecrat. dist. 4. Can. *Cùm à multis*) *neminem renasci ex aqua & Spiritu Sancto, nisi volentem:* At ille qui ad baptismum merè negativè seu indifferenter se habet, non est volens, ut patet: Ergo ex aqua & Spiritu Sancto non renascitur, subindeque validum sacramentum non suscipit.

47. Probatur secundò ex D. Thoma hìc art. 7. ad 2. dicente, quod *si adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus.*

Nec valet responsio Cajetani dicentis hoc intelligendum esse de adulto cui deesset intentio suscipiendi sacramentum, per contrariam intentionem, non verò de eo cui deesset talis intentio, per statum neutrum, & indifferentem ad suscipiendum vel non suscipiendum baptismum. Non valet, inquam, hæc responsio, seu interpretatio: Tùm quia deesse intentionem, non est habere contrariam intentionem, ut de se patet. Tum etiam, quia idem S. Doctor hìc art. 12. loquendo de amentibus & furiosis dicit, quod *si nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi*, quod falsum esset, si status neuter sufficeret. Et ad 1. docet quod dormientes, periculo mortis imminente, *baptizari debent, si priùs in eis voluntas apparuit suscipiendi baptismum, sicut & de amentibus dictum est;* quod etiam falsum esset, si sufficeret quod illi non contradicerent, seu ad consensum vel dissensum negativè & indifferenter se haberent.

48. Probatur tertiò: Si absque intentione positiva, præsenti, vel præterita, posset adultus validè baptizari, posset etiam cum intentione non suscipiendi sacramentum baptismi, ipsum validè suscipere: Consequens est falsum, ut patet ex dictis in prima conclusione: Ergo &c. Sequela probatur: In iis in quibus non requiritur voluntas, sive consensus, voluntas contraria nihil obstat, sed impertinenter omnino se habet, ut constat in venditione captivi, ad cujus valorem, sicut captivi ipsius consensus non requiritur, ita neque contraria ejus voluntas, illum impedit.

49. Probatur quartò: Non potest adultus contrahere obligationem ad novam religionem & fidem, nisi positivè id velit: Sed in susceptione baptismi valida, contrahitur obligatio ad novam religionem & fidem, adeò ut possit consequenter cogi ab Ecclesia ad suam fidem servandam: Ergo nisi positivè velit baptizari, non baptizatur validè.

50. Respondet Cajetanus, adultum qui nec assentiens neque dissentiens baptizaretur, non esse cogendum ad fidem Christianam servandam. Serra verò ait, posse dici non esse inconveniens quod cogi possit ab Ecclesia ad fidem servandam, quia licet ad hoc cogi non possit qui contrariam voluntatem habens baptizatur; benè tamen qui baptizatur, non habens contrariam voluntatem; ut patet in his qui baptizati sunt in pueritia, qui licèt tunc non habuerint contrariam voluntatem, tamen cogi possunt ad servandam fidem, cùm perveniunt ad adultam ætatem.

B 51. Sed contra responsionem Cajetani est, quod valida Baptismi susceptio constituit baptizatum, membrum & civem Reipublicæ Christianæ: absque fide autem, atque adeò obligatione ad eam, nullus potest esse de numero membrorum & civium talis Reipublicæ. Contra responsionem verò Serræ est, quòd parvuli quando baptizati sunt non potuerunt habere voluntatem Baptismi, neque voluntatem Baptismo contrariam, ac proinde non est mirum quod independenter ab eorum voluntate baptizari potuerint validè, & consequenter pervenientes ad ætatem adultam, possint cogi ad nostram fidem. At verò adultus

C quando baptizatur, vel saltem antequam baptizaretur, fuit capax propriæ voluntatis circa baptismum vel suscipiendum vel respuendum, ac proinde debet valor ipsius Baptismi ab ea dependere, nec poterit cogi ab Ecclesia ad suam fidem servandam, nisi positivè baptizari voluerit. Quam differentiam insinuavit D. Augustinus libro 4. de Baptismo cap. 24. his verbis: *Cùm pro parvulis alij respondent, ut impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi pro se respondere non possunt. At si pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Evangelio dictum est, quod omnes, cùm legitur, naturaliter movet: ætatem habet, ipse pro se loquatur.* Joan. 9.

D 52. Contra istam conclusionem objicit primò Cajetanus: Innocens III. in cap. *Majores* suprà citato, sic concludit: *Tunc ergo characterem sacramenti imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem:* Sed in homine cujus voluntas ad suscipiendum Baptismum est indifferens, contrariam voluntatem non invenit: Ergo absque positivo consensu, sive intentione præsenti & præterita, potest illi character Baptismi imprimi, proindeque validus Baptismus conferri.

53. Respondeo sensum illorum verborum quæ favere videntur Cajetano, ex præcedentibus colligi debere, præmiserat enim Pontifex, dormientes & amentes, quando baptizantur, characte-

E rem suscipere, *Si priùs habuissent propositum baptizandi*, unde cùm subdit verba prædicta, *Tunc ergo characterem sacramentalem imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*, nota illationis *Ergo*, indicat sensum esse sacramentalem operationem imprimere characterem, cùm non invenit obsistentem obicem voluntatis contrariæ, ratione propositi præcedentis, quo virtualiter permanente, talis obex, aufertur, idemque proinde est, ac si diceret, cùm invenit obicem remotum per propositum recipiendi Baptismum, quod saltem in virtute remanet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

54. Objicit secundò : Quod non requiritur ad valorem sacramenti in uno, non requiritur in alio ad eundem valorem : Sed in parvulis intentio positiva recipiendi Baptismum, non requiritur ad ejus valorem : Ergo neque in adultis.

Respondeo primò, negando Majorem, nam in his quæ, ut sacramenta, à voluntate instituentis dependent, ab uno in aliud non arguitur efficaciter.

Secundò distinguo Majorem : Quod non requiritur in uno incapaci illius, non requiritur in alio similiter incapaci, concedo. Non requiritur in alio ad hoc apto, nego. Licèt autem infantes sint incapaces propriæ intentionis, non tamen adulti.

55. Objicies tertiò : Concilium Florentinum enumerans ea quæ necessaria sunt ad perfectionem sacramenti dicit ipsum tribus perfici, materiâ, formâ, & intentione ministri, nullam faciendo mentionem de intentione suscipientis : Ergo illa ad valorem Baptismi non requiritur.

Respondeo idcircò Concilium enumerando quæ requiruntur ad perfectionem sacramenti, nullam de intentione suscipientis feciſſe mentionem, primò quia non in omnibus sacramentis requiritur, nam ad conficiendum sacramentum Eucharistiæ, non opus est suscipiente, neque ejus intentione : secundò, quia etiam in susceptione Baptismi, non requiritur intentio suscipientis, si sit parvulus, sed solùm si sit adultus.

56. Quæres, utrum ad hoc ut adultus per baptismi gratiam justificetur, ad illam debeat disponi per contritionem, vel charitatem, vel sufficiat sola attritio ? Respondeo solam attritionem sufficere. Ita expresè docet S. Thomas in 4. dist. 6. qu. 1. art. 3. ad 5. his verbis : *Ad hoc ut homo se præparet ad gratiam in baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non charitas ; quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio.* Ratio etiam id suadet, nam si ad baptismum semper requireretur in adultis actus contritionis, vel charitatis, ille nunquam eis conferret primam gratiam, subindeque non esset sacramentum mortuorum, sed vivorum, & nunquam esset in adultis regeneratio ; supponeret enim semper vitam gratiæ, & regenerationem factam per actum contritionis, vel charitatis, qui per se & extra usum sacramenti habet vim justificandi, ut de contritione docet Tridentinum sess. 14. cap. 4. & de charitate evidens est, quia illa cum peccato mortali incompossibilis est ; alioquin homo simul haberet duos ultimos fines, nempe Deum per charitatem, quæ est inclinatio & tendentia in Deum ut ultimum finem ; & creaturam, in qua peccans mortaliter rationem ultimi finis constituit, ut in tractatu de peccatis ostendimus. Sed de hoc fusiùs in tractatu de sacramento pœnitentiæ, quando de dispositionibus ad illud requisitis agemus, cùm enim baptismus & pœnitentia sint sacramenta mortuorum, eadem est utriusque ratio quantùm ad hoc, ut omnes fatentur.

57. Nec obest quod Tridentinum sess. 6. cap. 6. inter dispositiones quibus peccatores paulatim disponuntur ad justificationem per baptismum recipiendam, recenseat amorem quo Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt. Ibi enim non loquitur Concilium de amore charitatis, tendente in Deum summè diligendum, ratione suæ bonitatis absolutè spectatæ, sed de amore spei seu concupiscentiæ, quo peccatores A Deum ut sibi bonum & placabilem diligere incipiunt, ut ex ipso textu liquet, in quo sic habetur : *Peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Duas alias horum verborum interpretationes vide in Manuali Thomistarum, tract. de pœnitentia cap. 4. §. 4.

ARTICULUS III.

B *An licitum sit pueros infidelium, nondum habentes usum liberi arbitrij, invitis parentibus baptizare ?*

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

58. COnstat ex dictis articulo præcedenti, nullum adultum, habentem usum rationis & liberi arbitrij, posse invitum baptizari, & cogi ad fidem : Tum propter jus divinum quod docet, neminem vi trahendum ad fidem, sed prædicatione : Tum etiam propter naturam ipsius fidei, C quæ in hoc differt à cæteris persuasionibus mentis, quod cùm cæteræ tantùm pendeant ex antecedenti cognitione, fides dependeat ex consensu voluntatis, & sit persuasio quædam voluntaria. Quapropter qui hominem invitum trahere vult ad fidem, contra naturam fidei facit. Unde solùm difficultas & controversia est de pueris infidelium, nondum habentibus usum liberi arbitrij, an invitis parentibus baptizari possint ? Pro resolutione.

Notandum primò, non esse hîc quæstionem, an Baptismus parvulis illis collatus, ratus & validus sit ; id enim omnes ferè Theologi ut certum supponunt, contra Durandum, ratioque D id evidenter demonstrat : Tum quia nihil tali Baptismo deest, quod ad essentiam Baptismi requiratur ; est enim materia & forma debita, intentio ministri, & subjectum capax, ex cujus parte, cùm sit infans, nullus actus voluntatis requiritur. Tum etiam, quia si pueri infidelium, nondum habentes usum rationis, occidantur propter Christum, invitis parentibus, sunt verè martyres : Ergo cùm martyrium suppleat vicem Baptismi (dicitur enim propterea Baptismus sanguinis) si baptizentur invitis parentibus, talis Baptismus erit validus. Solùm ergo difficultas est & controversia inter Theologos, an licitum sit id præstare, & pueros infidelium, nondum habentes usum liberi arbitrij, invitis parentibus E baptizare ? Pro cujus resolutione

59. Notandum secundò, hîc non agi de filiis Hæreticorum, Schismaticorum, vel aliorum baptizatorum, qui ab Ecclesia recesserunt, quia certum est illorum filios, etiam invitis parentibus, licitè posse baptizari : nam cùm parentes eorum, ratione Baptismi, cogi possint ab Ecclesia ad servandam fidem veram, & præcepta omnia, cogi etiam possunt ad baptizandos filios suos, eo tempore quo de more baptizari consueverunt.

60. Notandum tertiò, infideles non baptizatos esse adhuc in duplici differentia, quoad propositum

tum : quidam enim minimè subjecti sunt Principibus Christianis, alij verò eis subjecti sunt : quæ subjectio potest esse, vel solùm civilis & politica (qualem habent omnes vassalli ad suum Regem, cujus non sunt servi, vel mancipia) vel despotica & servilis, qualis est eorum qui jure belli, vel emptionis, vel alio titulo justo, in potestatem Christianorum devenerunt. Si quæstio sit de filiis infidelium, qui nullo modo subditi sunt Ecclesiæ, certum est, & ab omnibus Theologis admissum, illicitum esse, & contra jus naturale, eos invitis parentibus baptizare : etenim si infideles isti ad ea quæ sunt de jure naturæ compelli non possunt ab Ecclesia, vel à Principibus Christianis, defectu jurisdictionis in ipsos, multò minus ad professionem fidei supernaturalem, subindeque ad recipiendum Baptismum, vel ad consentiendum ut ipsorum filiis conferatur, cogi possunt. Tota ergo difficultas est de filiis infidelium qui subditi sunt Christianis Principibus, primo aut secundo genere servitutis. Scotus enim in 4. dist. 4. quæst. 9. Gabriel ibidem quæst. 2. dubio 5. Dionysius Carthusianus in 4. dist. 4. qu. 7. Angelus verbo *Baptismus* 6. num. 11. & Villalobos tomo 1. Tract. 5. difficult. 15. num. 7. fatentur quidem non esse licitum privatis personis, eorum infidelium infantes, ipsis invitis, baptizare ; docent tamen id esse licitum Principi, qui eos etiam civiliter tantùm sive politicè subditos habet, imò teneri curam habere ut baptizentur omnes illi parvuli, cautelâ tamen adhibitâ ut à parentibus separati, ad adultam ætatem pervenientes, ad eos non redeant, & periculo apostasiæ non exponantur. Capreolus verò, Marsilius, Catharinus, & Serra, è contra docent Principem, sive dominum Christianum, non posse parvulos infidelium, etiam serviliter ipsi subditorum, à parentibus invitis separare, & ita separatos baptizare. Cui opinioni favere videtur Cajetanus : imò Diana dicit esse sententiam D. Thomæ, & omnium Discipulorum ejus, in quo ipsum falli & hallucinari, patebit ex infrà dicendis.

§. II.

Duplici conclusione vera sententia statuitur.

61. DIco primò : Non licet, publicâ etiam authoritate Principis, vel Communitatis, baptizare, invitis parentibus, pueros infidelium, qui politicè tantùm & civiliter subsunt Ecclesiæ, seu Principibus Christianis. Ita Divus Thomas hîc art. 10.

Probatur primò : nunc enim & olim Christiani Principes, atque ipsi Summi Pontifices, quibus Judæi multi jam à pluribus sæculis subjiciuntur politicè, tale quid nunquam attentarunt : quod tamen non prætermisissent Principes multi E & Pontifices sanctissimi, si id licitum existimassent. Præsertim, quia cum res ista sit gravissima, & in maximam cedat commoditatem parvuli, si esset licita, ad eam teneretur Ecclesia ex charitate ; sicut teneor audire confessionem hominis morti proximi, quando possum eam audire.

62. Probatur secundò : Si pueri infidelium qui politicè tantùm & civiliter Principibus Christianis subduntur, invitis parentibus baptizarentur, vel consequenter eripiendi essent à potestate & cura parentum, ut inter fideles educarentur, A vel apud ipsos relinquendi ? Sed neutrum licet : Ergo nec eos invitis parentibus, sive privatâ, sive publicâ authoritate baptizare. Major constat, Minor verò probatur : quia prius continet manifestam injuriam, est enim spoliare parentes jure naturæ quod habent in filios, qui sunt aliquid ipsorum, & in quos potestatem habent, quandiu rationis usu sunt destituti, non minùs quàm in boves & agnos quos possident : non sunt autem facienda mala, ut eveniant bona. Posterius verò includit apertum fide & profanationis Baptismi periculum, quandoquidem valde periculosum esset, ne parentes infideles illorum puerorum eos contrariis ritibus coinquinaB rent, & Baptismo renuntiare cogerent, ubi primò ad adultam pervenissent ætatem : Ergo &c.

65. Confirmatur primò : Jurisdictio civilis non tollit subditis dominium reale aut quasi reale quod singuli habent in res suas, in liberos, domos, & agros : Ergo non potest Ecclesia absque injuria infantes illorum infidelium, ab ipsis parentibus invitis separare, & baptizare.

64. Confirmatur secundò : Vel potestas baptizandi illos parvulos, invitis parentibus, manet penes Principes Christianos, ex ipsa natura politicæ authoritatis quam habent in sibi subditos civiliter, vel ex speciali Christi concessione ? C Non secundum, utpotè quod non potest colligi neque ex Scriptura neque ex traditione. Nec primum, quia authoritas civilis dominorum temporalium, dimanans ab hominibus, non se extendit ad supernaturalia, inter quæ continetur Baptismus, sed intra bonum commune naturale pacis, ac reipublicæ commodum temporale sistit : Ergo &c.

65. Ab hac communi & generali regula tres casus excipiendos esse existimo. Primus est, si ex parentibus infidelibus vir ad fidem convertatur, & uxor in infidelitate permaneat, filius, patre consentiente, baptizari potest, etiam si mater infidelis renuat, ut decrevit Gregorius IX. in capite. *Ex litteris* de conversione infidelium. D Similiter si è contra uxor ad fidem convertatur, viro in infidelitate manente, baptizandus erit filius, matre consentiente, etiam si pater renuat, ut statuit Concilium Toletanum 4. relatum in cap. *Judæi* 28. quæst. 1.

66. Secundus casus est, quando pueri aliqui infidelium, sive per fas, sive per nefas, à parentum custodia & præsentia intantùm sunt abstracti, ut nulla spes reditus illorum ad ipsos moraliter supersit, sicut plerisque accidit quos mercatores ex remotissimis regionibus transferunt, tunc eos consuevit Ecclesia baptizare : licèt enim in illo casu baptizentur, nulla fit eorum parentibus injuria, quia quoad ipsos velut mortui supponuntur, sed ex facta E fortè aliàs, boni illorum infantium captatur occasio.

67. Tertius casus est, cùm puer infidelium prævidetur statim absque ulla spe vitæ moriturus : tunc enim si baptizari possit occultè, aut sine magno parentum tumultu, unde timeantur gravia scandala, baptizandus est : quia in eo casu neque fit injuria parentibus, quandoquidem eis non eripitur infans per Baptismum, sed per mortem, cùm nulla (ut suppono) sit spes vitæ longioris ipsius, neque infans ille periculo apostasiæ exponitur.

Dico secundò : filios servorum seu mancipio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum infidelium, invitis parentibus, baptizare licet. Ita docent communiter Thomistæ, Cajetanus, Soto, Ledesma, Nuño, Cabrera, Candidus, & alij, quos citat & sequitur Martinez à Prado hîc dubio 7. §. 6.

68. Probatur primò ex D. Thoma hîc art. 10. ad 2. ubi ait filios Judæorum, non obstante servitute parentum, non posse illis invitis licitè baptizari, quia eorum servitus est tantùm civilis: Ergo supponit quod si Judæi essent servi servitute mancipiorum & captivorum, possent licitè eorum filij ipsis invitis baptizari.

69. Probatur secundò ratione: Servi seu mancipia subsunt dominio reali, unà cum filiis, ita ut possit dominus pro suo libito, vel apud se retinere, vel aliis vendere, vel etiam à se invicem, separare, retinendo filios, & distrahendo parentes, vel è contra: factâ autem illâ separatione, cessat periculum apostasiæ respectu parvulorum, cessat etiam injuria, ratione dominij: Ergo filios vernarum seu mancipiorum infidelium, invitis parentibus baptizare licet.

70. Confirmatur: Quamvis parentes jure naturali sint liberi, tamen jure gentium privantur libertate: Ergo similiter licèt jure naturali habeant potestatem supra parvulos suos, jure tamen gentium eâ privantur: Ergo potest dominus filium sui mancipij, per venditionem, aut donationem, à parentibus separare, eo fine ut baptizetur: si enim ob quemcumque finem honestum, vel pro sola utilitate sua, id potest, cur etiam id non poterit propter Baptismum tali parvulo conferendum.

Neque verò tantùm potest dominus, sed etiam tenetur, per se loquendò, sua hujusmodi mancipia, sive domi nata, sive bello justo capta, sive empta, baptizare in infantia; & christianè educare: quia parentes Christiani hoc debent suis liberis: dominus autem succedit in jus & curam parentum. Et confirmatur ex illo Apostoli ad Timoth. 5. *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & infideli deterior est.* Dixi *per se*, quia ratione circunstantiarum potest excusari, ut si id nequit sine magnis incommodis aut difficultatibus: cùm enim illi non sint in extrema necessitate salutis, non tenetur eis ita subvenire, neque cum pari obligatione in jus & curam parentum succedit. Hinc excusantur milites, qui filios infidelium redimi sinunt, quia non possunt eos alere sine magnis difficultatibus & incommodis.

§. III.

Solvuntur objectiones.

71. OBjicies primò contra primam conclusionem: Mathatias lib. 1. Machab. cap. 2. capto Antiocho jussit circumcidi omnes infantes qui erant in finibus Israël, inter quos erant plurimi, filii alienigenarum: Ergo cùm baptismus successerit circumcisioni, pariter licebit principibus Catholicis, invitis parentibus qui eis civiliter & politicè subsunt, eorum filios baptizare.

Respondeo, aut illud præceptum Mathatiæ de circumcidendis pueris, non esse generaliter intelligendum, sed quoad patiebatur ipsum præceptum circumcisionis à Deo traditum: id autem erat, ut soli Judæi circumciderentur, & servi emptitij, & ex alienigenis, quicumque vellent comedere phasc: aut non esse probandum & imitandum factum Matathiæ, quia jus naturale repugnat.

72. Objicies secundò: Potest, imò debet præceptum superioris servari, non obstante voluntate contrariâ inferioris: Sed hoc quod est pueros baptizari, est præceptum Dei, hoc verò quod est parentem infidelem non consentire tali Baptismo, est voluntas inferioris Deo: Ergo non obstante tali voluntate in infidelibus, possunt eorum infantes licitè baptizari.

73. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Quando plurium dominorum invicem subordinatorum voluntates contrariæ sunt, voluntati supremi obtemperari debet, tametsi repugnet voluntati inferioris, ut docet Augustinus lib. 2. de natura boni dicens: *Si illud jubet potestas quod non debes facere, hîc sanè contemne potestatem, timendo potestatem majorem:* Sed dominium parentum in filios est inferius, & subordinatum supremo Dei dominio: Ergo cùm Deus jubeat ut omnes baptizentur, debent pueri infidelium, invitis etiam ipsorum parentibus, baptizari.

74. Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Debet præceptum superioris servari, non obstante voluntate contrariâ inferioris, si superior velit ut suum præceptum observetur, non obstante voluntate & quocunque jure inferioris, concedo Majorem. Si superior velit ut præceptum à se impositum servetur, sine violatione juris inferioris, nego. Ita autem contingit in proposito, Deus enim præcipiendo, ut omnes etiam parvuli baptizentur, vult hoc præceptum observari, sine violatione juris naturalis quod pater habet in prolem, quia gratia non destruit sed perficit naturam.

75. Similiter ad confirmationem distinguo Majorem: quando plurium dominorum invicem subordinatorum voluntates contrariæ sunt, voluntati supremi obtemperari oportet, licèt repugnet voluntati inferioris, si supremus jubeat obediri sibi, etiam repugnante inferiori contra violationem juris naturæ in sua persona, concedo Majorem. Si instituat ita sibi obediendum, ut nihil contra jus naturale, & oppositionem inferioris agatur, nego Majorem. Licèt autem Deus qui juris tam naturæ quàm gratiæ author est, statuere potuerit, ut ad jus gratiæ servandum ac magnificandum tanquam superius, naturæ jus si opus esset violaretur, hoc tamen noluit; imò potiùs, cùm disponat omnia suaviter, & gratia non destruat sed perficiat naturam, voluit ut per ea quæ spectant ad fidem, & ad ordinem gratiæ pertinent, nulla in jus naturæ fieret irruptio. Hinc Christus conferens Ecclesiæ potestatem prædicandi Evangelium ubique Gentium, non ei authoritatem dedit, quâ minis, armis, & vi, ad Baptismum suscipiendum infideles cogeret; neque misit Apostolos ut milites armatos, cum seculari potentia, sed inopes absque armis, & virga, qui suasionibus, mansuetudine, beneficiis, miraculis, & exemplis homines allicerent, & ad Christum Redemptorem ducerent, ut docuit Concilium Toletanum 4. Et hoc quidem rationabiliter: Primò quia cùm ad fidem internam nemo cogi possit, lex Evangelica quæ non nisi per fidem corde suscipitur, vi, injuriâ, metu, aliisque ejusmodi violentiis non propagaretur. Secundò, quia cùm intentio Christi esset persuadere universo orbi fidem, non qualemcumque, sed eam quæ per solam dilectionem

lectionem operatur: charitati autem sive dilectioni, nihil magis sit adversum, quàm vis, injuria, & metus, congruum fuit ut ad eam nemo ejusmodi violentiis cogeretur. Tertiò, ne fides quæ naturalis rationis vires excedit, per violentiam Gentibus prædicata, exosa fieret, & quasi tyrannis existimaretur, ac diaboli figmentum rationi repugnans. Quartò, ut hac excellentiâ lex nostra, cum Mahumeti perfidia comparata, resplenderet; ista enim tanquam quæ nullâ ratione persuaderi poterat, vi & armis in mundum obtrusa est: nostra verò fides per homines inermes, & mites, solâ veritatis vi ac energiâ, mundum vicit, & Philosophos ac Imperatores debellavit. Unde egregiè Chrysostomus serm. 3. Pentecostes: *Peragrarunt Piscatores orbem terrarum, & infirmum eum invenientes, ad sanitatem reduxerunt, & in ruina positum, ad stabilitatem revocaverunt; non scuta moventes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam largientes, non in eloquentia confidentes, sed regnum cœlorum possidentes, non habentes humana solatia, habentes autem Dominum secum. Peragrarunt universum orbem oves simul cum lupis, & vulneratæ à bestiis non sunt oves, sed magis lupi ad ovium mansuetudinem sunt conversi.*

76. Objicies tertiò: Licèt parentes infideles habeant dominium in suos filios, potest tamen princeps subditos, subjectione etiam duntaxat civili, privare tali dominio, quando eo abutuntur: Sed infideles nolentes suos filios baptizari, abutuntur dominio quod habent in ipsos, contra honorem Dei, & parvulorum salutem: Ergo poterunt privari tali jure, & consequenter eorum infantes licitè baptizari.

77. Confirmatur primò: Si parens vellet interficere filium, posset infans justè, non obstante jure naturæ quod habet in eum, vi eripi: Ergo multò magis si nolit eum baptizari, salus enim animæ præferri debet vitæ corporis.

78. Confirmatur secundò: Potestas defendendi innocentes, jure naturæ competit Principi, imò & cuilibet particulari: Sed pueri sunt innocentes, & patiuntur maximum damnum, si non baptizentur: Ergo jure naturæ licitum est Principi eos baptizare, & si opus fuerit, de potestate parentum eripere.

79. Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Potest princeps privare subditos dominio quod habent in filios, quando illo abutuntur contra jus naturæ, vel civile, concedo. Quando eo abutuntur contra legem supernaturalem, qualis est quæ obligat ad baptismum, si sint infideles, nego. Cùm enim potestas civilis sit merè naturalis, & ab hominibus dimanans, non potest extra jus naturæ se extendere ad legem supernaturalem, ejusque observantiam, sed hoc pertinet ad aliam potestatem superiorem, quæ est immediatè à Deo, nimirùm ad potestatem jurisdictionis spiritualis, primò & per se & cum tota plenitudine residentis in Summo Pontifice, cui cùm infideles non baptizati non subdantur, consequens est eos à nullo Principe posse privari jure & dominio naturali quod habent supra filios, quando eo contra legem supernaturalem, & parvulorum salutem abutuntur. Ex quo facilè solvitur prima confirmatio, & intelligitur ratio quare si contingeret quod pater infidelis vellet occidere filium, posset privari jure quod habet supra illum, & ab ejus potestate eripi, & tamen non possit tali jure privari, ex eo quod non vult permittere ut baptizetur: volendo enim eum occidere, peccaret contra jus naturale, cujus cura per se pertinet ad Principem temporalem, at verò ex eo quòd nolit permittere ut baptizetur, peccat contra jus supernaturale, ad cujus defensionem potestas secularis non se extendit. Unde

80. Ad secundam confirmationem, distinguo Majorem: Potestas defendendi innocentes contra damnum in rebus quæ jure naturæ sunt ipsis debitæ, convenit Principi, imò & cuilibet particulari, jure naturæ, concedo Majorem. Potestas defendendi innocentes contra damnum in rebus supernaturalibus, nego Majorem. Damnum enim supernaturale, non est contra justitiam naturalem, neque contra finem politicum, proindeque vindicari non potest ab eo qui solum habet potestatem politicam. Similiter distinguo secundam partem Minoris: Pueri, si non baptizentur, patiuntur maximum damnum in rebus naturalibus; nego Minorem: in rebus supernaturalibus, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

81. Objicies quartò contra secundam conclusionem: Dominium quod quis habet in captivum, vel in mancipium, non dat illi jus ad supernaturalia: Sed baptizare parvulum est aliquid pertinens ad ordinem supernaturalem: Ergo dominium quod quis habet in captivum, vel in mancipium, non dat illi jus ad baptizandum ejus filium, ipso invito & renuente.

82. Respondeo hoc argumentum solùm probare dominium quod quis habet in captivum non importare immediatè & per se authoritatem ad baptizandos ejus filios, ipso invito, sed tantùm quasi per accidens & secundariò: licèt enim illud jus gentium quo captivi mancipantur, per se & directè ad supernaturalia non pertingat, indirectè tamen & quasi per accidens ad ea se extendit, dando facultatem separandi per donationem aut venditionem filios à parentibus, eo fine ut baptizentur.

83. Dices, Per donationem aut venditionem non aufertur à patre servo jus paternum: Ergo fit injuria patriæ potestati, cùm ipso invito, filij ejus baptizantur.

Respondeo quod jus radicale non aufertur à patre per venditionem aut donationem, sed aufertur jus proximum & expeditum; & si aliquo fine temporali licitè potest hoc jus impediri, multò magis fine spirituali & supernaturali, cui temporalia & transitoria subvenire debent.

DISPUTATIO IV.

De Effectibus Baptismi.

Ad quæstionem 69. Divi Thomæ.

CONSIDERATA causâ Baptismi effectivâ, & subjectivâ, consequens est ut de variis ejus effectibus disseramus, & quæ docet S. Thomas quæst. 69. breviter exponamus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Articulus Primus.

Quinam sint effectus Baptismi?

1. Divus Chrysostomus in homilia de baptizatis (ut refert D. Augustinus lib. 1. contra Julian. cap. 2.) numerat decem effectus insignes baptismi. Primus est remittere peccata omnia præterita. Secundus, ut adoptet nos in filios Dei. Tertius, ut sanctificet nos. Quartus, ut efficiat nos justos coram Deo. Quintus, ut faciat nos hæredes regni cœlorum. Sextus, ut faciat fratres Christi esse. Septimus, ut faciat nos consortes ejusdem naturæ, & cohæredes. Octavus, ut faciat nos esse membra Christi & Ecclesiæ. Nonus, ut vocemur templum Spiritus Sancti. Decimus, ut simus organa, quibus Spiritus Sanctus operatur. Ut hi & similes effectus explicentur.

Dico primo, omnia peccata tolli per baptismum.

Conclusio est certa de fide, ac definita in Florentino in decreto unionis, ubi de baptismo dicitur: *Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis.* Id etiam apertè tradunt SS. Patres: Augustinus enim lib. 3. de symbolo cap. 10. hæc habet: *Innovat hominem, qui fecit hominem; donat delicta, qui non quærit merita; prævenit gratia etiam ipsam infantiam, ut sint liberi per Christum liberati, qui à Diabolo in Adam tenebantur ante captivi.* Et lib. 1. de peccatorum meritis cap. 15. hæc scribit: *Generante carne tantummodo trahitur peccatum originale: regenerante autem Spiritu, non solum originalis sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.* Similia habet Cyprianus, vel Author sermonis de ablutione pedum, ubi de Baptismo ait: *De abdito & secretissimo Spiritus Sancti munere, hujus gratiæ liquor emundat, sic lavans quos parentalis labes infecerat, ut neque actualis nec originalis culpæ vestigia relinquat.*

2. Idem docet S. Thomas hîc art. 1. ubi nostram conclusionem probat in argumento *sed contra*, ex illo Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Quem locum S. Hieronymus ibi & D. Cyprianus libro 4. Epistolâ 7. & S. Athanasius Epistolâ ad Serapionem, Theodoretus, & alij, de aqua Baptismi exponunt.

In corpore verò articuli sic discurrit: Per Baptismum moritur homo vetustati peccati, & incipit vivere vitâ gratiæ, ut docet Apostolus ad Romanos 6. Sed omne peccatum ad pristinam vetustatem pertinet: Ergo per Baptimum tollitur omne peccatum. Hinc SS. Patres, & Scripturæ Interpretes, docent transitum filiorum Israël per mare rubrum, quandam fuisse Baptismi figuram: nam sicut in mari rubro hostes à tergo filios Israël persequentes, submersi sunt in aquis maris: ita in aquis Baptismi suffocantur & dimittuntur omnia peccata ante Baptismum commissa. Unde Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 29. *Nubes & mare rubrum, Baptismus utique est, Christi sanguine consecratus, hostes sequentes a tergo moriuntur, cum peccata præterita remittuntur.* Addit Bernardus serm. 39. in Cantica, eandem figuram magis explicans: *Ibi populus eductus de Ægypto, hic homo de sæculo: ibi prosternitur Pharao, hic Diabolus: ibi subvertuntur currus Pharaonis, hîc carnalia & sæcularia desideria, quæ militant adversus animam, subruuntur: illi in fluctibus, isti in fletibus: marini illi, amari isti.* 3.

Dico secundò: Per Baptismum liberatur homo ab omni reatu pœnæ quæ pro culpa debetur; per illum tamen pœnalitates vitæ præsentis non auferuntur.

Prima pars hujus conclusionis est de fide, definita in Florentino suprà citato, ait enim quod *hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ quæ pro ipsa culpa debetur.* Et Tridentinum sessione 6. cap. 14. constituit discrimen inter Baptismum & Pœnitentiam, quòd in ista, dimissâ culpâ, remanet satisfactio pro pœna temporali, *quæ ut sacræ litteræ docent, non tota semper (ut in Baptismo fit) dimittitur illis.*

Eadem veritas patet ex perpetuo Ecclesiæ usu & consuetudine, baptizatis enim nulla unquam imposita sunt opera satisfactoria, sicut fit in sacramento Pœnitentiæ. Unde Ambrosius ad Romanos 11. *Gratia Dei in Baptismate, non quærit gemitum aut planctum, aut opus aliquod, nisi solam ex corde professionem. Donum enim Dei gratis donat peccata in Baptismo.* 4.

Ratio verò primaria hujus est voluntas Dei & institutio Christi, qui tantam voluit conferre virtutem Baptismo, ut omnem culpam & pœnam auferret, quod colligitur ex eo quod instituit hoc sacramentum per modum generationis spiritualis; atque adeò sicut in generatione corporali (juxta D. Thomæ sententiam) fit resolutio usque ad materiam primam, ita ut nullum accidens quod erat in corrupto, maneat in genito: ita & nullum accidens ad generationem spiritualem pertinens, debet remanere in homine per Baptismum regenerato, sive quoad culpam, sive quoad pœnam. Unde Chrysostomus homil. 24. in Joan. *In aqua Baptismi tanquam in sepulchro caput immergentibus, vetus homo sepelitur, emergentibus inde, novus resurgit.*

Secunda pars quæ asserit pœnalitates hujus vitæ non auferri per Baptismum, non minùs est certa quàm præcedens, experientiâ enim constat in baptizatis remanere concupiscentiam, & fomitem peccati, eosque esse obnoxios fami, siti, morbis, & morti: licèt enim Baptismus, quantùm est de se, has vitæ hujus pœnalitates auferendi virtutem habeat, conveniens tamen fuit, ut eas non tolleret ante resurrectionem: Primò, quia cùm per Baptismum homo fiat membrum Christi, debet ipsi assimilari: Christus autem usque ad resurrectionem, passus est famem, labores, dolores, mortem, & similes pœnalitates. Secundò, ut major esset corona, ex majoris pugnæ victoria. Unde Augustinus libro de peccatorum meritis cap. 21. *Per baptismum* (inquit) *id agitur, ut evacuetur caro peccati: evacuatur autem, non ut concupiscentia innata repentè absumatur, & non sit, sed ne obsit renato, quæ inerat nato. Nam si post baptismum vixerit, atque ad ætatem capacem peccati pervenerit, ibi habet cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit.* Tertiò, ne homines potiùs susciperent Baptismum, propter impassibilitatem temporalem, quam propter gloriam æternam. Ita D. Thomas hîc art. 3. in corpore. 5.

Dico tertiò: Per Baptismum conferuntur gratia & virtutes. Ita S. Doctor art. 4. & 6. & definitur 6.

finitur in Clementina 1. de summa Trinitate, colligiturque ex Tridentino sess. 3. cap. 5. ubi generaliter dicitur, baptizatis conferri gratiam, & consequenter virtutes ab ea dimanantes.

6. Ratio etiam id suadet, Primò quia Baptismus est institutus ad tollendum peccatum originale, & actuale, si adsit: Sed hæc non remittuntur sine infusione gratiæ: Ergo per baptismum confertur gratia. Secundò, Baptizati Christo incorporantur, tanquam ejus membra: Sed à Christo capite derivatur plenitudo gratiæ & virtutis ad omnia ejus membra, juxta illud Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus:* Ergo per Baptismum conferuntur gratia & virtutes. Tertiò, Baptismus efficit quod significat: Sed sicut aqua per suam ablutionem significat emundationem à culpa, & per refrigerium, liberationem à pœna; ita & per naturalem claritatem significat splendorem gratiæ & virtutum: Ergo in Baptismo gratia & virtutes infunduntur.

7. Hæ rationes probant, non solùm adultis, sed etiam parvulis, gratiam & virtutes per Baptismum conferri. Unde Cyprianus Epistolâ 59. *Una est divini muneris æqualitas apud omnes sive infantes sive majores natu; nam gratia quæ baptizatis datur, non pro ætate accipientium major vel minor tribuitur, sed de pietate atque indulgentia paterna, æqualis omnibus præbetur: nam Deus ut personam non accipit, sic neque ætatem, cùm se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem, æqualitate librata, præbeat patrem.*

8. Dico quartò: Baptismo convenienter attribuuntur tres actus, scilicet incorporatio ad Christum, illuminatio, & fœcundatio.

Probatur breviter: Per Baptismum homo fit membrum Christi, & ipsi incorporatur; & cùm sit sacramentum fidei, per illum spiritualiter illuminatur. Item per gratiæ & virtutum infusionem, bonorum operum fœcunditate donatur: Ergo illi convenienter attribuuntur tres actus prædicti, nimirum incorporatio ad Christum, illuminatio, & fœcundatio. Ita Sanctus Doctor art. 5.

9. Dico quintò: Apertio januæ regni cœlestis est effectus Baptismi. Est etiam D. Thomæ art. 5. ubi illam probat in argumento *sed contra*, ex illo Lucæ 3. *Jesu baptizato apertum est cœlum.* Quæ verba Venerabilis Beda expendens, subdit: *Virtus hîc Baptismatis ostenditur, de quo quisque cùm egreditur, regni cœlestis ei janua aperitur.* In corpore verò articuli sic discurrit: Aperire januam regni cœlestis, est amovere impedimentum quo quis impeditur regnum cœleste introïre: Sed tale impedimentum, nimirum culpa & reatus pœnæ, per Baptismum tollitur, ut ex suprà dictis patet: Ergo per illum janua regni cœlestis aperitur. Quod autem ante passionem Christi, Baptismus hunc effectum non haberet, id erat per accidens, quia tunc non habebat suam significationem perfectam, cùm significet mortem & sepulturam Christi, cui in Baptismo commorimur, ut docet Apostolus ad Roman. 6. nec erat tunc in suo statu veluti connaturali, quia nondum erat perfecta & consummata novæ legis institutio.

10. Præter hos effectus Baptismi, alij duo assignari possunt, nimirum character, de quo fusè Tractatu præcedenti disputatione 5. & jus ad auxilia specialia, fini suo proportionata, nempè ad sanctè & christianè vivendum, ut decet filios Dei adoptivos, Christique fratres, & regni cœlestis heredes, juxta illud D. Leonis serm. 1. de Nativitate: *Agnosce ô homo dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.*

Porro admiratione & observatione dignissimum est, tot & tam mirabiles effectus, virtutem divinam in sacramento baptismi producere, paucis aquæ guttis, & nonnullis verbulis ab homine prolatis; quod licet fidem non superet, omnem tamen profectò rapit admirationem. Unde præclarè Tertullianus libro de baptismo dixit: *Qualia decet esse opera Domini, nisi super omnem admirationem? Mirandum sanè quod sine pompa, sine apparatu, sine sumptu in aqua demissus, inter panca verba tinctus, inde exilit innocentior. Ne mireris propterea hæc simplicia, quasi vana; hæc magnifica, quasi impossibilia: quia alias denegas Deo proprietates suas, simplicitatem, & potestatem.*

11. Alios effectus falsò baptismati tribuunt hæretici, nempè quod baptizatus non possit damnari, etiam si velit, nisi nolit credere. Quòd Baptismus liberet ab obedientia divinæ legis, itemque ab humanarum legum observatione, & ab omnibus votis. Quòd denique sola memoria Baptismi justificet à peccatis post Baptismum commissis. Qui omnes errores damnantur à Tridentino sess. 6. can. 6. 7. 9. & 10. de Baptismo, ac fusè refutantur à Bellarmino lib. 1. de Baptismo cap. 14. & sequentibus.

Articulus II.

An Baptismus fictè susceptus, recedente fictione, ex opere operato, producat suum effectum?

§. I.

Quibusdam præmissis difficultas resolvitur.

12. Suppono primò, fictionem posse esse dupliccem: Prima est, quando quis exteriùs simulat se velle Baptismum recipere, nullam tamen interiùs intentionem habet illud recipiendi, & de hac fictione hîc non loquimur, certum enim est, illam nedum effectum, sed etiam valorem sacramenti tollere. Secunda est, quando quis habet quidem intentionem recipiendi sacramentum, & simulat se cum fide & debita dispositione ad illud accedere, revera tamen non credit, vel non est dispositus ad recipiendum effectum sacramenti, vel quia habet complacentiam in aliquo peccato mortali, vel quia accedit ad Baptismum sine sufficienti dispositione ad gratiam consequendam, existimans se esse sufficienter dispotum, putà si habeat attritionem solùm naturalem, quam bonâ fide existimat esse supernaturalem, & de hoc genere fictionis agimus in præsenti, non verò de altero.

13. Suppono secundò, fictionem hoc modo sumptam, licèt valorem Baptismi non tollat, impedire tamen præcipuum ejus effectum, scilicet gratiam, & remissionem peccatorum; quia complacentia in peccato præterito opponitur infusioni gratiæ, & ad eam recipiendam homo per actum supernaturalem disponi debet.

14. His præmissis, quærimus, an dum quis Baptismum fictè suscipit, & postea pœnitet de fictione, eamque per actum contritionis, vel saltem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem attritionis supernaturalis tollit, Baptismus fictè susceptus, gratiam per fictionem impeditam, ex opere operato producat?

Partem negativam tenent Scotus in 4. dist. 4. quæst. 5. Gabriël ibidem quæst. 1. art. 3. dubio 2. Joannes Andreas in cap. *Tunc valere*, de consecratione dist. 4. Joannes Medina codice de confessione, Tractatu 2. quæst. de confessione ficta iteranda, ubi ait: *Non esse omnino certum, quod Baptismus valeat ad gratiam baptismalem, quando recedit fictio, quia aliquibus visum est, quod tunc homo ille per solam contritionem assequetur gratiam.* Idem sentire videntur Vazquez hîc disputatione 159. cap. 4. & Augustinus Bernal disputatione 13. de sacramentis in genere sect. 2.

Dico tamen, Baptismum fictè susceptum, recedente fictione, ex opere operato, suum effectum producere. Ita communiter Thomistæ post D. Thomam hîc art. 10. Suarez, Granado, Delugo, Coninck, & alij.

15. Probatur primò ex Augustino libro 1. de Baptismate contra Donatistas cap. 12. ubi Baptismum fictè susceptum dicit quod *tunc valere incipit ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit.* Et lib. 3. cap. 13. de Baptismo in schismate susceptо ait: *Tunc incipit valere ad dimittenda peccata, cùm ad Ecclesiæ pacem venerit.* Item Author sermonis de Passione apud S. Cyprianum, de his qui fictè Baptismum susceperunt: *Vbi* (inquit) *redierint ad cor, constat ablutionis donum, & redit effectus munerum, nec aliàs quæri aut repeti necesse est salutiferum sacramentum.* Eandem doctrinam tradit Hugo à S. Victore in Epistolam ad Romanos quæst. 157.

16. Probatur secundò conclusio ratione D. Thomæ: Causa ex se productiva effectûs, si impediatur, eum postea producit, remoto impedimento; sicut quia in generatione corporis gravis, resultare debet motus deorsum, si motus ille impediatur, resultat postea, sublato impedimento: Atqui Baptismus validus ex se postulat producere gratiam: Ergo remotâ fictione, statim eam producit ex opere operato.

17. Probatur tertiò: Baptismus est initerabilis: Ergo cùm peccatum originale remitti non possit per aliud sacramentum, quàm per Baptismum, necesse est præcedentem Baptismum fictè susceptum, recedente fictione, producere gratiam remissivam peccati originalis.

18. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Si quis fictè susciperet Baptismum, & postea cum vera attritione confiteretur, & susciperet pœnitentiam, sine dubio justificaretur, & à peccato originali mundaretur: Sed peccatum originale per sacramentum Pœnitentiæ tolli nequit, sed duntaxat per sacramentum Baptismi, quod pro ejus remedio institutum est: Ergo tolletur tunc per Baptismum, subindeque Baptismus, recedente fictione, producit suum effectum.

§. II.

Solvuntur objectiones.

19. Objicies primò: Opus mortuum, id est in peccato factum, non potest revivisсere: Sed susceptio Baptismi in peccato mortali est opus mortuum: Ergo non potest revivisсere, nec consequi suum effectum.

20. Respondeo ex D. Thoma hîc art. 10. ad 1. effectum Baptismi qui erat conferendus ex opere operantis, non revivisсere, quia opus operantis fuit mortuum, redire tamen effectum Baptismi, ipsi ex opere operato correspondentem, quia sub illa ratione est opus Dei, quod non est mortuum in susсipiente fictè sacramentum.

Objicies secundò: Sacramenta novæ legis sunt causæ physicæ gratiæ, ut Tractatu præcedenti ostensum est: Sed sacramentum Baptismi fictè susceptum, recedente fictione, non potest physicè causare gratiam, cùm eo tempore non existat, & jam transierit: Ergo Baptismus fictè susceptus, recedente fictione, suum effectum producere nequit. 21. *Disp. 3. art. 2.*

Respondeo primò, quod quando Thomistæ docent, sacramenta novæ legis physicè causare gratiam, hoc debet intelligi de sacramento physicè existente, cùm existentia physica sit una ex conditionibus requisitis ad physicam operationem; unde cùm Baptismus fictè susceptus, recedente fictione, non existat physicè, sed solùm moraliter, nimirum in divina acceptatione, in tali casu per accidens gratiam physicè non causat, sed duntaxat moraliter. 22.

Respondeo secundò, non esse improbabilem sententiam plurium Thomistarum, qui asserunt Baptismum fictè susceptum, recedente fictione, physicè gratiam causare, licèt enim quando recedit fictio, Baptismus non sit in se, remanet tamen in sua virtute, nimirum in charactere, qui tunc elevatur ad causandam gratiam, quam Baptismus in puncto suæ receptionis debebat producere, si non fuisset positum impedimentum. Unde D. Thomas in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 3. *In Baptismo* (inquit) *imprimitur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam, & ideò cùm fictio non auferat characterem, recedente fictione, quæ effectum characteris impediebat, character qui est præsens in anima, incipit habere effectum suum; & ita Baptismus, recedente fictione, effectum suum consequitur.* 23.

Ex dictis inferes, sublatâ fictione, conferri per Baptismum majorem vel minorem gratiam, juxta intensionem actûs vel dispositionem tollentis fictionem: non verò (ut existimat Suarez) minimam gratiam quæ ex opere operato per Baptismum dari potest, qualis est illa quæ confertur infantibus. 24.

Patet hoc corollarium ex dictis: Sacramenta enim conferunt gratiam majorem vel minorem, juxta intensionem dispositionis quâ subjectum se disponit ad illam recipiendam: Sed per actum quo tollitur obex, subjectum se disponit ad effectum Baptismi recipiendum: Ergo juxta intensionem talis actûs, Baptismus majorem vel minorem confert gratiam Baptismalem. Unde si aliquis removeret fictionem, per actum intensum ut quatuor, majorem reciperet gratiam, quàm ille qui devotè susciperet Baptismum, cum actu intenso ut duo. Nec propterea primus ex peccato fictionis aliquod commodum reportaret, sed tantùm ex perfectiori dispositione quâ se ad gratiam baptismalem præpararet. Nec secundus esset deterioris conditionis, sed melioris, nam qui initio fructuosè recipit Baptismum, potuit plura virtutis opera, augmenti gratiæ meritoria elicere: quod non potuit alter qui fictè ad illum accessit.

ARTICU

ARTICULUS III.

Quæ peccata remittantur per Baptismum, recedente fictione?

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententiæ.

25. CErtum est, per Baptismum fictè susceptum, recedente fictione, peccatum originale dimitti, cùm nullum aliud sacramentum, præter Baptismum, ad peccati originalis remissionem institutum sit; unde solùm difficultas est de peccatis actualibus, ante vel post Baptismum fictè susceptum, vel in actuali ejus susceptione commissis, an scilicet talia peccata, ex vi ipsius Baptismi, recedente fictione, vel per sacramentum Pœnitentiæ dimittantur? In cujus difficultatis resolutione quatuor reperio Doctorum sententias. Prima est Scoti, Gabrielis, & Vazquis, asserentium peccata, etiam ante Baptismum commissa, de quibus accedens ad Baptismum attritionem non habuit, remiti postea recedente fictione, per sacramentum Pœnitentiæ.

Secunda quæ est Magistri Soto, concedit quidem quod recedente fictione remittuntur per Baptismum omnia peccata quæ ipsum præcesserunt, sed non illa quæ in ipsa ejus susceptione commissa sunt.

Tertia quam defendit Paludanus, asserit Baptismum fictè susceptum, vim habere remittendi peccata non solùm quæ ipsum præcesserunt, aut quæ in actuali ejus susceptione commissa sunt, sed etiam quæ ante ablationem fictionis, post ejus susceptionem patrata sunt. Addit tamen, Baptismum talia peccata directè non remittere, sed indirectè tantùm, & cum obligatione illa subjiciendi clavibus Ecclesiæ.

Quarta quæ est communis in schola D. Thomæ, & quam plures ex Recentioribus sequuntur, existimat omnia peccata, sive Baptismum præcedentia, sive cum eo simul commissa, per ipsum Baptisma ex opere operato remitti: peccata verò post ejus susceptionem commissa, deleri per Pœnitentiam.

§. II.

Rejiciuntur tres primæ sententiæ, & quarta statuitur.

26. DIco primò: Omnia peccata Baptismum fictè susceptum præcedentia, recedente fictione, per ipsum Baptisma remitti, non verò per sacramentum Pœnitentiæ.

Probatur conclusio ratione fundamentali. Illa peccata non remittuntur per sacramentum Pœnitentiæ, quæ non cadunt sub jurisdictione Ecclesiæ: Sed peccata ante Baptismum commissa, non cadunt sub jurisdictione Ecclesiæ: Ergo non remittuntur per Pœnitentiam, sed per Baptismum. Major patet, sacramentum enim Pœnitentiæ requirit Ecclesiæ jurisdictionem. Minor etiam non minùs est manifesta, sicut enim Ecclesia non habet potestatem sive jurisdictionem super hominem nondum baptizatum, ita neque super peccata quæ ante suum Baptismum commisit.

Confirmatur: Peccata quæ per Pœnitentiam remittuntur, satisfactione aliquâ in hoc sæculo expianda sunt: Sed nulla solet imponi satisfactio pro peccatis ante Baptismum commissis, etiam si quis de illis dum baptizaretur attritionem non habuerit, vel cum affectu ad peccatum mortale ad Baptismum accesserit, ut constat ex praxi Ecclesiæ: Ergo peccata ante Baptismum fictè susceptum commissa, non remittuntur per Pœnitentiam, sed per Baptismum, recedente fictione. 27.

Dico secundò, etiam peccata quæ simul cum Baptismo fictè susсepto existunt, non remittuntur per Pœnitentiam, sed per Baptismum, recedente fictione.

Probatur primò ex D. Thoma hîc artic. 10. ad 2. ubi sic ait: *Fictio non removetur per Baptismum, sed per Pœnitentiam subsequentem, qua remotâ, Baptismus aufert culpam & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptismum, & etiam simul existentium cum ipso.* 28.

Probatur secundò ratione præcedenti conclusione insinuatâ: Peccata quæ nullo modo præsupponunt Baptismum, non possunt deleri per sacramentum Pœnitentiæ: Sed peccata quæ simul cum actuali Baptismi susceptione committuntur, nullo modo præsupponunt Baptismum: Ergo non possunt deleri per sacramentum Pœnitentiæ, sed tantùm per sacramentum Baptismi, recedente fictione. Major est certa, peccata enim quæ nullo modo præsupponunt Baptismum, non sunt peccata hominis baptizati: sola autem peccata hominis baptizati possunt remitti per sacramentum Pœnitentiæ, quia ea sola subduntur clavibus sive jurisdictioni Ecclesiæ. Minor verò probatur: Peccata quæ merè concomitanter se habent ad ipsum Baptisma, non præsupponunt Baptisma: Sed peccata quæ in ipsa actuali susceptione Baptismi committuntur, merè concomitanter se habent ad ipsum, nullo enim modo ipsum præsupponunt: Ergo peccata quæ simul cum actuali susceptione Baptismi committuntur, ipsum non præsupponunt. 29.

Dico tertiò, peccata post Baptismum fictè susceptum commissa, recedente fictione, non remitti per Baptismum, sed per Pœnitentiam.

Probatur primò ex D. Thoma hîc artic. 10. ad 3. ubi sic discurrit: *Effectus Baptismi non est tollere peccata futura, sed præsentia, vel præterita; & ideò recedente fictione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per Pœnitentiam non per Baptismum; unde non remittuntur quantum ad totum reatum, sicut peccata præcedentia Baptismum.* 30.

Probatur secundò ratione ex fundamentis suprà statutis desumptâ: Peccata enim quæ subsequuntur Baptismum fictè susceptum, subjiciuntur Ecclesiæ clavibus, atque adeò Pœnitentiæ: Ergo per Pœnitentiam, non verò per Baptismum remittuntur. 31.

Dices cum Paludano, hoc argumentum probare quidem talia peccata non remitti per se & directè per Baptismum, sed non ostendere ea non deleri per Baptismum per accidens & indirectè, & cum obligatione subjiciendi illa clavibus Ecclesiæ. 32.

Sed contra: Nullum sacramentum habet virtutem ad remittendum peccatum post susceptionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem ipsius sacramenti commissum, neque directè, neque indirectè, nec ullo modo; non enim ad hoc sunt ullâ ratione instituta sacramenta, neque ad hujusmodi effectum à Deo acceptantur: sunt enim sacramenta medicinæ curativæ præcedentium peccatorum, & præservativæ sequentium; non tamen fuit conveniens ut haberent etiam vim ad delenda peccata postea committenda, nam hujusmodi medicinæ non adhibentur, donec ægritudo insit.

§. III.

Solvuntur objectiones.

33. OBjicies primò contra primam conclusionem: Si Baptismus fictè susceptus, remitteret suâ virtute peccata ante ejus susceptionem commissa, id præstaret remotione obicis, sive fictionis præsuppositâ; evidens enim est, quod non possit habere hunc effectum, quandiu obex sive fictio perseverat: Sed neque etiam remotione obicis præsuppositâ, potest remittere peccata illa: Ergo falsum est quod illa remittat. Major constat, Minor verò probatur. Non potest Baptismus fictè susceptus præsupponere remotionem obicis sive fictionis, nisi præsupponat gratiam justificantem, utpotè sine qua fictio sacrilega & mortalis non destruitur: Sed præsuppositâ gratiâ sanctificante, eo ipso præsupponuntur peccata quæ ante Baptismum commissa sunt, omninò, quoad culpam saltem, remissa, utpotè quæ simul esse non possunt cum gratia sanctificante: Ergo remotione obicis præsuppositâ, non remittit Baptismus, sed remissa supponit peccata illa.

34. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem; ad cujus probationem, distinguo Majorem. Non potest Baptismus fictè susceptus præsupponere remotionem obicis sive fictionis, nisi præsupponat gratiam, secundùm virtutem quam ipsa habet præcisè ut est effectus sacramenti Pœnitentiæ, concedo Majorem. Nisi præsupponat gratiam secundùm omnem virtutem quam habet ut est in illo casu effectus Baptismi & Pœnitentiæ, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Præsuppositâ gratiâ justificante, præcisè secundùm quod est effectus sacramenti Pœnitentiæ, præsupponuntur peccata quæ ante Baptismum commissa sunt, omnino remissa, nego Minorem. Præsuppositâ gratiâ sanctificante, secundùm omnem virtutem quam habet ut est effectus in illo casu tam Baptismi, quàm Pœnitentiæ, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

35. Explicatur solutio: Cùm gratia sanctificans quæ in ipsa remotione obicis Baptismi fictè susscepti tribuitur, sit effectus Baptismi, & Pœnitentiæ; Baptismi inquantùm est gratia regenerativa, & remissiva omnium peccatorum, susceptionem fictam Baptismi præcedentium; Pœnitentiæ verò, inquantùm est remissiva peccati fictionis: licèt Baptismus fictè susceptus, eam præsupponat ut removentem obicem fictionis, atque adeò ut effectum Pœnitentiæ, non tamen ut remissivam peccatorum ante Baptismum commissorum, quandoquidem sicut ad ea non se extendit sacramentum Pœnitentiæ, ita nec ipsa gratia sanctificans, præcisè in ratione effectûs talis sacramenti considerata.

36. Instabis: Peccata ante Baptismum commissa, non possunt esse simul cum gratia, ut removente obicem Baptismi, sive ut effectu Pœnitentiæ, aliàs enim posset remitti unum peccatum sine alio, quandoquidem remotio fictionis est remissio peccati sacrilegij: Ergo Baptismus non potest præsupponere remotionem obicis, ut causatam à gratia quæ sit effectus Pœnitentiæ, nisi eo ipso supponat etiam remissionem omnium peccatorum, ante fictam ejus susceptionem commissorum.

37. Respondeo distinguendo Antecedens: Peccata ante Baptismum commissa, non possunt esse simul simultate temporis cum gratia ut removente obicem Baptismi, concedo Antecedens. Simul simultate naturæ, & priùs prioritate à quo, in genere causæ veluti materialis, quàm sit effectus Baptismi, & gratia ut regenerativa, nego Antecedens. Sicut enim nulla est implicantia quòd concipiatur prior prioritate naturæ & in genere causæ materialis, remotio obicis ad effectum Baptismi, quàm talis effectus: ita neque quod gratia ut removens obicem remissioni peccatorum ante Baptismum commissorum, & ut effectus Pœnitentiæ, concipiatur prior ad seipsam, ut remissivam talium peccatorum, & ut effectum Baptismi, quia cum hoc stat peccatum fictionis non remitti in aliquo instanti in quo non remittantur alia ante Baptismum commissa.

38. Objicies secundò contra secundam conclusionem: Illa peccata remittuntur per pœnitentiam & non per baptismum, quæ baptizatus tenetur confiteri: Sed fictè baptizatus tenetur confiteri omnia peccata quæ in ipsa susceptione baptismi commisit: Ergo illa peccata non remittuntur per baptismum, sed per pœnitentiam. Major constat, Minor verò probatur. Quando quis tenetur confiteri aliquod peccatum, tenetur confiteri gravitatem totam illius: Sed ex una parte tenetur baptizatus fictè, confiteri fictionem, ex alia verò eò gravius est peccatum fictionis, quò quis habet plura peccata in ipsa susceptione baptismi, fictio enim formalis est irreverentia in susceptione sacramenti, quæ haud dubiè major est, quò plura sunt peccata: Ergo fictè baptizatus tenetur confiteri omnia peccata, quæ in ipsa susceptione baptismi commisit.

39. Respondeo, concessa Majori negando Minorem: sufficit enim quòd fictè baptizatus confiteatur fictionem formalem, asserendo dumtaxat se susscepisse baptismum in peccato mortali. Ad probationem in contrarium dico, majorem esse veram quando non conjunguntur duo sacramenta, sed in casu præsenti, cùm hæc conjunctio fiat, sola fictio remittitur per sacramentum pœnitentiæ, gravitas verò illius major, quia provenit ex magnitudine & multitudine aliorum peccatorum quæ remittuntur per baptismum remittitur etiam per ipsum.

40. Objicies tertiò contra tertiam conclusionem: Licèt sacramentum pœnitentiæ non sit institutum ad delenda peccata non confessa, tamen per concomitantiam remittit etiam illa quæ ex oblivione non sunt confessa. Similiter licèt Eucharistia non sit per se instituta ad delendum peccatum cum sola attritione, illud tamen interdum remittit per accidens in eo qui existimans se esse contritum, accedit ad illud sacramentum: Ergo similiter licèt baptismus non sit per se institutus ad remittenda peccata quæ post ejus susceptionem committuntur, interdum tamen per accidens ea remittere poterit.

41. Respondeo: concesso Antecedente, negando Consequentiam, quia nullum sacramentum habet vim ad remittenda peccata post susceptionem ipsius sacramenti commissa, neque directè, neque indirectè: sunt enim sacramenta medicinæ curativæ præcedentium peccatorum, & præservativæ tantùm respectu subsequentium. Unde nego paritatem, peccatum enim oblitum in confessione, supponitur commissum ante susceptionem sacramenti pœnitentiæ; & similiter Eucharistia non facit de attrito contritum, nisi respectu peccati ante susceptionem talis sacramenti commissi.

42. Quæres, utrum non solùm peccata mortalia, sed etiam venialia, baptismum fictè susceptum antecedentia, aut ipsum concomitantia, per ipsum, recedente fictione, remittantur?

Respondeo affirmativè: Quamvis enim non sit æquè certum, recedente fictione, redire effectum baptismi, quoad remissionem venialium, quia baptismus non est medium necessarium ad hujusmodi remissionem, nihilominus probabilius est, etiam hunc effectum redire, quia si baptismus ita institutus est, ut possit operari, sublato obice, & recedente fictione, etiam si ipse non existat, non est verisimile hoc esse limitatum ad unum effectum ejus, potiùs quàm ad alium, nullum enim fundamentum est ad id asserendum; præcipuè quia gratia illa quæ datur recedente fictione, tam verè est regenerativa, ac si esset data in præsentia baptismi, & ideò quantùm est de se, omnino transmutat hominem, & delet omnem maculam vitæ præteritæ.

ARTICULUS IV.

Quæ dispositio sufficiat ad tollendam fictionem, ut baptismus habeat effectum?

43. NOtandum primò, duobus modis posse hominem esse fictum in susceptione baptismi: Primò inculpabiliter, quia sine sua culpa caruit dispositione necessariâ ad fructum sacramenti recipiendum, ex eo scilicet quod habuit tantùm attritionem naturalem, quam bonâ fide existimavit esse supernaturalem. Secundò culpabiliter, & hoc adhuc dupliciter, primò quia sciens & prudens, vel ex ignorantia vincibili, non adhibet attritionem naturalem: secundò, quia in susceptione baptismi committit aliquod aliud peccatum, putà quia habet intentionem furandi facultates Ecclesiæ

44. Notandum secundò, in fictione illa culpabili duo reperiri, unum tanquam formale, & aliud tanquam materiale, sive fundamentum formalis. Materiale sunt peccata illa ratione quorum susceptio baptismi est indigna: formale verò est ipsa indigna susceptio, quæ est speciale peccatum in aliis fundatum. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ

45. Dico primò: ad tollendam fictionem ex ignorantia inculpabili provenientem, sufficit attritio supernaturalis. Hæc conclusio intelligi debet ex suppositione quod post baptismum susceptum, nullum peccatum fuerit commissum: tunc enim ad illud tollendum necessaria esset contritio, vel sacramentum pœnitentiæ, ut postea dicemus.

A Conclusio sic explicata facilè suadetur: Nam tota fictio ex ignorantia inculpabili proveniens, posita fuit in carentia dispositionis necessariæ ut baptismus suum consequatur effectum, nimirum attritionis supernaturalis, & non in novo peccato: Ergo posità attritione verâ & supernaturali, tolletur obex & fictio, & baptismus suum sortietur effectum.

Dico secundò: Fictio peccaminosa formaliter sumpta, debet tolli per contritionem, vel per attritionem, cum sacramento pœnitentiæ. 46.
Ita communiter Theologi contra Paludanum in 4. dist. 4. quæst. 5. docentem solam attritionem sufficere.

B Probatur conclusio ratione fundamentali: Fictio peccaminosa formaliter sumpta, seu peccatum indignæ sumptionis baptismi, non potest 47.
tolli in vi ipsius baptismi: Ergo ad ipsum tollendum sola attritio non sufficit, sed necessariò requiritur contritio, vel attritio, cum sacramento pœnitentiæ. Consequentia patet, Antecedens probatur. Baptismus non potest ea peccata remittere quæ ipsum consequuntur: Sed fictio formalis consequitur baptismum: Ergo per ipsum non remittitur. Major patet ex dictis conclusione 3. articuli præcedentis, Minor verò suadetur. Ut detur fictio formaliter, debet esse in eo instanti in quo consummatur sacramentum, siquidem si esset ante illud instans, non tolleret effectum sacramenti, cùm in illo instanti talis effectus conferatur, & possit baptizatus habere attritionem aut contritionem, ut patet in eo qui toto tempore quo illi conferretur baptismus, complaceret sibi in peccato mortali, & in instanti terminativo illius, subitò mutaretur, prorumpens in actum contritionis vel attritionis, quod non repugnat: Sed in illo instanti verum est baptismum præcessisse: Ergo fictio formalis est peccatum consequens ipsum baptismum.

Confirmatur: Quia fictio formalis debet esse in eo instanti in quo sacramentum consummatur, habet ex se, & ex sua formali ratione, specialem repugnantiam cum effectu ipsius, quatenus formaliter tollit dispositionem ad ipsum necessariam: Ergo nequit per baptismum remitti, sed necessariò debet esse materia pœnitentiæ. 48.

Dico tertiò: Fictio materialiter sumpta, si continuetur etiam in illo instanti in quo baptismus deberet habere suum effectum, non potest tolli nisi per contritionem, vel attritionem, cum sacramento pœnitentiæ: si verò desinat esse ante illud instans, vel etiam in illo instanti, remittitur ex vi baptismi.

Prima pars patet, si enim fictio materialiter 49.
sumpta continuetur etiam in illo instanti in quo baptismus deberet habere suum effectum, subsequitur ipsum baptismum: Sed peccata baptismum subsequentia, cùm sint subjecta clavibus Ecclesiæ, non remittuntur nisi per contritionem, ut includentem votum sacramenti pœnitentiæ, vel per attritionem, cum sacramento: Ergo si fictio materialiter sumpta continuetur in illo instanti in quo baptismus deberet habere suum effectum, non tollitur nisi per contritionem, vel attritionem, cum sacramento pœnitentiæ.

Secunda etiam pars non minùs est manifesta: Nam si fictio materialiter sumpta desinat ante 50.
illud instans, vel in illo instanti in quo baptismus deberet habere suum effectum, non subse-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quitur baptismum, sed illum antecedit, vel comitatur: At peccata antecedentia vel concomitantia baptismum, cùm non sint subjecta clavibus Ecclesiæ, non remittuntur per pœnitentiam, sed per baptismum: Ergo nec fictio materialiter sumpta, si desinat ante illud instans, vel in illo instanti in quo baptismus deberet habere suum effectum.

51. Ex his inferes, quod si aliquis susciperet baptismum cum intentione furandi bona Ecclesiæ, & talem intentionem continuaret etiam in illo instanti in quo baptismus deberet habere suum effectum, tale peccatum esset in confessione aperiendum, nec sufficeret dicere se cum fictione susc episse baptismum. Si verò talem intentionem in illo instanti non continuaret, teneretur tantùm dicere in confessione, se fictè accessisse ad baptismum, non verò se habuisse intentionem furandi facultates Ecclesiæ; & si hoc in confessione declararet, non esset illi injungenda aliqua satisfactio pro illo peccato, quia hæc non est injungenda pro peccatis quæ delentur ex vi baptismi, cùm baptismus totam pœnam temporalem remittat, ut articulo primo ostensum est.

52. Intelliges etiam ex suprà dictis, quod quando sacramentum baptismi, recedente fictione per contritionem, vel per sacramentum pœnitentiæ, incipit habere effectum suum, talis ordo reperitur. Priùs naturâ pœnitentia tollit fictionem, quæ prioritas reducitur ad genus causæ materialis & dispositivæ, tum quia recessus impedimenti priùs naturâ intelligitur, quàm introductio formæ impeditæ, tum etiam, quia recessus fictionis est quasi dispositio ut baptismus habeat suum effectum. In secundo instanti naturæ, baptismus remittit peccata quæ fuerunt ante ipsum commissa, nam infusio gratiæ regenerantis, vel sanantis, intelligi nequit ante recessum originalis culpæ, & lethalium culparum actualium. In tertio instanti naturæ baptismus justificat animam per gratiam regenerantem, quia gratia regenerans quæ confertur per baptismum, prioritate naturæ præcedit gratiam sanantem, quæ per pœnitentiam infunditur. In quarto demum pœnitentia justificat hominem per gratiam sanantem, nam priùs naturâ est generatio in vita spirituali per baptismum, quàm sanatio per pœnitentiam.

ARTICULUS V.

Utrum sit proprium baptismi quòd conferat suum effectum, recedente fictione, an verò id etiam competat aliis novæ legis sacramentis?

53. IN hujus difficultatis resolutione variè opinantur Authores. Nam Sotus in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 8. docet hoc esse singulare in baptismo, ut recedente fictione suum consequatur effectum, tum quia Augustinus id solùm attribuit baptismati, tum propter ejus necessitatem, quia est medium simpliciter necessarium ad salutem. Hunc sequuntur Vazquez disput. 161. cap. 2. Meratius de baptismo disp. 12. sect. 1. & ultimâ, & Augustinus Bernal de sacram. in genere disp. 13. sect. 2. Alii omnibus & solis sacramentis characterem imprimentibus, hunc effectum tribuunt. Ita Richardus, Major, Covarruvias, Granado, & Sylvius. Alii his addunt sacramentum Pœnitentiæ, ut Paludanus, & Sylvester. Alij id extendunt ad omnia sacramenta, ut Cajetanus, Nuño, Serra, Candidus, Philippus à Sancta Trinitate, Henriquez, & Diana. Alij demum id tribuunt omnibus sacramentis novæ legis, excepto sacramento Eucharistiæ. Ita Suarez, Lugo, Filliutius, Bonacina, & ex Thomistis Martinez à Prado, cui hæc sententia probabilior, & menti D. Thomæ conformior videtur. Pro resolutione.

54. Dico primò, certum videri, non solùm Baptismum, sed etiam alia duo sacramenta characterem imprimentia, nimirum Confirmationem, & Ordinem, conferre suum effectum, recedente fictione. Ita D. Thomas in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 3.

Probatur ratione fundamentali: Cùm enim sacramenta quæ imprimunt characterem sint initerabilia, est in illis specialis necessitas, quòd sortiantur suum effectum, recedente fictione; aliàs enim qui fictè illa susciperent, manerent in perpetuum privati effectu proprio illorum, & tamen deberent obire munia ad quæ obligantur ex vi characteris, v. g. constanter profiteri fidem, & actus hierarchicos rectè exercere: At hoc videtur inconveniens, & suavitati divinæ providentiæ repugnans: Ergo omnia sacramenta characterem imprimentia, recedente fictione, suos conferunt effectus. Unde hoc baptismo singulare non est, licèt D. Augustinus suprà art. 2. citatus, illius tantùm mentionem fecerit, tum quia de illo solùm disputabat, tum etiam quia est specialis in illo necessitas, cùm ille sit janua omnium sacramentorum.

55. Dico secundò: idem privilegium Extremæ-Unctioni & Matrimonio tribuendum esse.

Probatur breviter: Licèt hæc duo sacramenta non sint simpliciter initerabilia, sunt tamen initerabilia secundùm quid, matrimonium enim iterari non potest, vivente altero conjuge, neque extrema-unctio in eodem statu infirmitatis: Ergo sicut illa sacramenta quæ sunt initerabilia simpliciter, ideò possunt & debent recedente fictione effectum suum producere, quia homo non debet privari in perpetuum gratiâ sacramentali, idem etiam dicendum est de istis sacramentis, ne scilicet homo, durante toto tempore matrimonij, teneatur manere in eo statu, ad quem necessaria est gratia sacramentalis, ad debitè vivendum in vinculo conjugali, quâ tamen caret; & ne similiter infirmus in illa ultima lucta careat gratiâ sacramentali, seu auxiliis specialibus, ad vincendas vehementiores dæmonum tentationes quæ tunc occurrunt, maximè necessariis.

Dico tertiò: probabile est etiam sacramentum pœnitentiæ fictè susceptum, recedente fictione, producere suum effectum.

56. Probatur primò ex D. Thoma in 4. distinct. 17. quæst. 3. artic. 4. in corpore, ubi sic ait: *Confessio etiam potest esse in eo qui non est contritus, quia potest peccata sua sacerdoti innotescere* (id est nota facere) *& clavibus Ecclesiæ se subjicere; & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam est & in aliis sacramentis: unde non tenetur iterare confessionem qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.*

Probatur

57. Probatur secundò ratione petitâ ex necessitate sacramenti pœnitentiæ: Pœnitentia enim non est minùs necessaria ad remissionem peccati mortalis commissi post Baptismum, quàm sit Baptismus necessarius ad remissionem originalis & actualium quæ præcedunt Baptismum: unde si propter necessitatem Baptismi, tribuitur illi vis & efficacia conferendi gratiam, & remittendi peccata, recedente fictione, debet etiam concedi sacramento pœnitentiæ, cùm tale sacramentum possit interdum esse validum & informe, ut in Tractatu de pœnitentia ostendemus.

Dico quartò: probabilius videtur, sacramentum Eucharistiæ fictè susceptum, non producere suum effectum, recedente fictione.

Probatur primò ex D. Thoma in 4. dist. 3. quæst. 3. artic. 2. quæstiunc. 3. ad 3. ubi expresse docet quod Baptismus, recedente fictione, producit suum effectum, non verò Eucharistia.

58. Probatur secundò assignando rationem disparitatis inter Eucharistiam, & inter pœnitentiam, aliaque sacramenta: alia enim sacramenta, vel simpliciter, vel secundùm quid, sunt initerabilia, ut suprà diximus, aut saltem sunt necessaria, necessitate nedum præcepti, sed etiam medij, ut patet de pœnitentia, quæ in re vel in voto est necessaria necessitate medij omnibus qui post baptismum mortaliter peccaverunt, quia nullum peccatum post baptismum potest remitti, sine ordine ad sacramentum pœnitentiæ: non est autem simile de Eucharistia, quæ etiam propter suam excellentiam exigit, ut homines cum maxima cautela & reverentia ad illam accedant.

59. Potest etiam suaderi conclusio ex inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia: si enim sacramentum Eucharistiæ fictè seu in statu peccati mortalis susceptum, recedente fictione, produceret suum effectum, sequeretur sacerdotem scienter toto vitæ curriculo in mortali peccato celebrantem, si in mortis articulo conteratur, vel cum attritione confiteatur, recipere ingentem gratiæ cumulum, correspondentem omnibus missis præteritis, in quibus celebrandis ingentia sacrilegia commisit; unde fieret repentè sanctissimus, & eò sanctior, quò plura fuissent sacrilegia; & adhuc multò sanctior, si singulis diebus contra leges Ecclesiæ celebrasset decies, quod ex se incredibile appareret. Addo quod Apostolus docet, indigne Eucharistiam sumentes, judicium sibi manducare, quod ex parte verum non esset, si recedente fictione, ad vitam prodesset.

60. Dices primò: D. Thomas loco præcedenti conclusione citato, ubi docuit pœnitentiam, recedente fictione, producere suum effectum, subdit: *Sicut etiam est in aliis sacramentis*: Ergo censet universaliter omnia sacramenta (nullo excepto) recedente fictione producere suum effectum.

Respondeo cum Melchiore Cano, D. Thomam non dixisse, *in omnibus sacramentis*, sed *in aliis sacramentis*, unde solùm velle, quod pœnitentiam, alia quædam sunt sacramenta, quæ recedente fictione producunt suum effectum, non tamen omnia, quare loco suprà citato, expresè excipit Eucharistiam, & nullibi eam includit.

61. Dices secundò cum Philippo à S. Trinitate: Eucharistia est omnium sacramentorum

perfectissimum & excellentissimum, à quo omnia alia dependent in sua causalitate: Ergo non debet illi denegari hoc privilegium, quod conceditur aliis sacramentis, nimirùm posse producere suum effectum, recedente fictione.

Sed nego consequentiam, hoc enim privilegium non denegatur Eucharistiæ, ob defectum activitatis, perfectionis, vel excellentiæ, sed potiùs ob summam ejus perfectionem & excellentiam, quæ exigit ut homines cum maxima cautela & reverentia ad illam accedant, ut suprà diximus; & quia Eucharistia nec est initerabilis simpliciter, sicut sacramenta quæ imprimunt characterem, nec secundùm quid, sicut extrema unctio, & matrimonium, nec ita necessaria, sicut pœnitentia. Addo quod, ex eo quod aliis sacramentis hoc privilegium concedatur, non sequuntur illa inconvenientia quæ sequi ostendimus ex sententia quæ docet sacramentum Eucharistiæ, fictè susceptum, recedente fictione sortiri suum effectum.

DISPUTATIO V.

De Circumcisione.

Ad quæstionem 70. Divi Thomæ.

CUM Circumcisio fuerit præparatoria ad Baptismum, & præfigurativa illius, postquam D. Thomas fusè de Baptismo disseruit, ejusque institutionem, essentiam, causam ministerialem, subjectum, variosque illius effectus declaravit, breviter agit de circumcisione de qua etiam pauca hìc subjiciemus, ne quid huic Tractatui desit.

ARTICULUS PRIMUS.

An Circumcisio primariò & per se instituta fuerit in remedium peccati originalis?

1. PArtem negantem tenent Suarez, Delugo, & alij ex Recentioribus, existimantes circumcisionem primariò fuisse datam populo Judaïco, ad congregationem ejus, & segregationem ab aliis; secundariò verò & ex consequenti, ad remissionem peccati originalis. Affirmativæ verò adhærent Soto, Cabrera, & alij Thomistæ, cum quibus.

Dico breviter, Sacramentum circumcisionis per se primò institutum fuit ad remissionem peccati originalis, & solùm secundariò, seu ex consequenti, ad consignandum Dei populum, illumque à cæteris distinguendum.

2. Probatur primò conclusio ex D. Thoma in 4. distinct. 1. quæst. 2. artic. 1. quæstiunc. 1. in corpore, ubi illam docet expresè dicens quod *primò & principaliter necessaria fuit circumcisio, ad expressiorem significationem ablationis peccati originalis, sed ex consequenti aliam fuisse ipsius utilitatem, scilicet distinctionem fidelis populi ab infideli.*

3. Probatur secundò: Circumcisio fuit in lege

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mosaïca verè & propriè sacramentum : Sed de ratione veri & proprij sacramenti est quod per se primò ordinetur ad gratiam sanctificantem, quàm ad quodcumque aliud : Ergo circumcisio per se primò instituta fuit ad conferendam gratiam sanctificantem, & remittentem peccatum originale, non verò ad consignandum Dei populum, illumque à cæteris distinguendum. Majorem concedunt Adversarij, Minor verò probatur. De ratione veri sacramenti est quod per se primò ordinetur ad finem ejus præcipuum : Sed finis præcipuus sacramenti & institutionis ejus est nostra sanctificatio per gratiam, propterea siquidem definitio ejus essentialis est, quòd sit signum rei sacræ sanctificantis nos : Ergo de ratione sacramenti est quòd per se primò ordinetur ad gratiam sanctificantem.

4. Confirmatur : Ad id priùs & principaliùs instituitur sacramentum, quo sublato, destruitur ratio sacramenti, quàm ad illud quo non posito, ponitur tamen & salvatur ratio sacramenti : Sed sublatâ sanctificatione fidelium, non potest salvari ratio sacramenti ; è contra verò sublatâ ratione consignationis, & distinctionis populi fidelis ab infideli, salvari potest in signo sensibili ratio sacramenti : Ergo sacramentum circumcisionis priùs & principaliùs institutum fuit ad conferendam gratiam sanctificantem, & delentem peccatum originale, quàm ad consignandum Dei populum, illumque à cæteris distinguendum.

5. Confirmatur ampliùs : Sacramentum baptismi per se primò institutum est in lege gratiæ, ad delendum peccatum originale, & solùm secundariò ad distinguendum fideles ab infidelibus, ratione characteris Christi quem imprimit : Ergo idem dicendum est de circumcisione respectu populi Judaïci.

6. Contra istam conclusionem objicitur primò : Scriptura Genes. 17. refert institutionem circumcisionis, & tamen nullam facit mentionem remissionis peccati originalis, sed solùm consignationis populi Dei, ait enim : *Hoc est pactum meum quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te : circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos.* Item Apostolus ad Roman. 3. inquirit quæ esset utilitas circumcisionis ? & respondet : *Quia illi sunt credita eloquia Dei*, nullamque aliam affert causam : Ergo censet circumcisionem non datam esse, per se primò saltem, nisi ut populus Judaïcus separatus à reliquis, specialem Dei legem acciperet.

Ad locum Geneseos citatum respondeo quod licèt in eo fiat solùm mentio consignationis populi Dei, tamen ex aliis verbis quæ leguntur ibidem, colligitur apertè circumcisionem etiam fuisse institutam ad remittendum peccatum originale, sic enim habetur : *Anima cujus præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur* (vel ut legit D. Augustinus lib. 3. contra Julianum cap. 18.) *peribit de populo meo.* Quæ verba idem S. Doctor ibidem docet intelligenda esse non tantùm de adultis, sed etiam de parvulis. Quoad locum Apostoli dico, idcircò nullam ibi Apostolum fecisse mentionem remissionis peccati, quia ejus intentum erat docere ex operibus legis, tanquam ex causis efficientibus justificationem, neminem justificari : si autem inter utilitates circumcisionis numerasset remissionem peccati, arbitrati fuissent Judæi, quod illam circumcisio activè efficeret, & consequenter quod ex operibus legis efficientibus justitiam, esset eorum justificatio.

7. Objicitur secundò : D. Thomas 1. 2. qu. 102. art. 5. ad 1. dicit litteralem, principalemque rationem instituendi circumcisionem, fuisse protestationem fidei unius Dei, figuralem verò ad significandum ablationem corruptionis per Christum faciendam, quæ corruptio provenit in nos per carnalem originem ex peccato primi parentis : Ergo censet sacramentum circumcisionis non fuisse principaliter institutum, ad tollendum peccatum originale, sed ad consignandum Dei populum, illumque à cæteris distinguendum.

8. Sed nego Consequentiam, cùm enim sacramentum sit signum & figura rei spiritualis sanctificantis hominem, significatio figuralis in circumcisione, & in quolibet alio sacramento, est magis principalis, quàm sit quæcumque litteralis ; unde ex eo quòd D. Thomas loco citato doceat ablationem corruptionis ex peccato originali provenientem, seu ipsius peccati originalis remissionem, fuisse rationem figuralem instituendæ circumcisionis, tantùm abest quod conclusionem nostram infirmet, quin potiùs eam confirmet & statuat. Neque obstat quod significationem illam quæ in circumcisione est litteralis, vocet principalem, non enim eam hoc nomine appellat, per comparationem ad figuralem, sed ad alias litterales minùs principales, quas ibidem refert, videlicet ad debilitationem concupiscentiæ in membro quod circumcidebatur, & ad sugillationem sacrorum Veneris & Priapi, in quibus illa pars corporis honorabatur, quas vocat secundam & tertiam rationem litteralem institutionis circumcisionis.

9. Objicitur tertiò : Si circumcisio fuisset per se primò & principaliter instituta ad remissionem peccati originalis, cùm tale peccatum masculis & fœminis commune sit, non debuisset pro solis masculis institui, nec differri usque ad octavum diem. Item populus Israëliticus usus fuisset hoc remedio quadraginta annorum spatio, quo moratus est in deserto, remedium enim peccati non esset tanto tempore dilatum.

10. Respondeo negando omnes illas sequelas : ad probationem primæ, dico quod licèt peccatum originale sit commune masculis & fœminis, quia tamen masculus est causa traductionis illius, non verò fœmina, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 81. art. 4. & hìc art. 2. ad 4. ubi ait : *Peccatum originale contra quod specialiter circumcisio ordinabatur, à patre trahitur, non à matre*, congruum fuit quod Deus in lege veteri remedium aliquod speciale, nimirum circumcisionem, pro solis masculis institueret.

Ad probationem secundæ respondeo, remedium peccati originalis non debuisse quidem differri usque ad octavum diem, factâ suppositione quod nullum aliud extitisset pro illis infantibus qui ante octavum diem erant in periculo mortis constituti : verùm cùm pro istis reliquisset Deus, sicut pro fœminis, applicandum remedium legis naturæ, nullum erat inconveniens, quod circumcisio usque ad octavum diem differretur.

Ad id quod additur de populo Israëlitico dicendum, cum populo illo in deserto per annos quadraginta

quadraginta commorante, divinitùs dispensatum fuisse, ut sine circumcisione salvari posset, utendo remedio legis naturæ contra peccatum originale ; idque propterea quod Judæi tunc essent veluti in continuo motu, ignorantes quando castra movenda essent, vel contra hostes præliandum, proindeque sine gravi & evidenti periculo circumcidi non possent. Ita D. Thomas hìc art. 4. ad 3. ubi addit, quod videtur, nullum eorum qui in deserto nati sunt, & non circumcisi, fuisse mortuum, priusquam jubente postea Josue circumcideretur, quia ut Psal. 104. dicitur : *Non erat in tribubus eorum infirmus*, & Josue 5. solùm dicitur, mortuos fuisse in deserto eos qui exierant de Ægypto, qui omnes circumcisi erant.

Articulus II.

An & quomodo in circumcisione gratia conferretur ?

11. Dico primò : in circumcisione gratia conferebatur. Ita D. Thomas hìc art. 4.

Probatur primò : Circumcisio erat verum antiquæ legis sacramentum ut communiter docent Theologi : Sed de ratione veri sacramenti est, quod sit signum practicum gratiæ, subindeque quod eam causet, vel saltem quod ad ejus præsentiam à Deo causetur, ut patet ex dictis in Tract. de sacramentis in communi disp. 1. art. 1. Ergo in circumcisione dabatur gratia sanctificans.

12. Probatur secundò : In circumcisione peccatum originale remittebatur, unde Bernardus serm. 2. de Assumptione B. Mariæ ait, *Cùm nunc in baptismate sola hanc maculam* (peccati originalis) *lavet gratia, & sola eam raserit petra Circumcisionis, &c.* Et Beda in homilia circumcisionis : *Idem salutifera curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere revelatæ tempore gratia consuevit :* Sed remissio peccati (saltem de lege Dei ordinaria) sine infusione gratiæ fieri nequit : Ergo in circumcisione conferebatur gratia sanctificans. Quare S. Thomas hìc art. 4. & suprà quæst. 62. art. 6. ad 3. rejicit opinionem Magistri sententiarum, & aliorum antiquorum, dicentium quod in circumcisione non conferebatur gratia, sed solùm auferebatur peccatum : *Hoc enim* (inquit) *non potest esse, quia culpa non remittitur nisi per gratiam, secundùm illud ad Roman. 3. Justificati gratis per gratiam ipsius.*

13. Dico secundò : Circumcisio & alia veteris legis sacramenta habebant vim quandam moraliter excitantem Deum ad dandam gratiam ritè ea suscipientibus, carebant tamen virtute gratiæ productivâ, quæ reperitur in sacramentis novæ legis subindeque non causabant gratiam ex opere operato activè, sicut sacramenta novæ legis, sed tantùm passivè.

14. Probatur prima pars : Circumcisio & alia veteris legis sacramenta, erant signa & figuræ passionis Christi futuræ, cujus intuitu Deus gratiam in antiqua lege conferebat : Sed à ratione signi vis excitativa moraliter inseparabilis est : Ergo circumcisio, & alia veteris legis sacramenta, habebant vim moraliter excitativam, quâ Deum movebant ad conferendam gratiam, ad ipsorum præsentiam, intuitu passionis Christi futuræ, quam significabant.

15. Confirmatur : Promissio habet moralem vim ad movendum eum qui promisit ut impleat promissa : Sed circumcisio, & alia sacramenta antiqua, fuerunt promissiones seu signa quibus Deus quasi in figuris promittebat Christum, & gratiam ex meritis ipsius dandam, unde Apostolus ad Hebræos 11. ea vocat *repromissiones*, quia per illa sacramenta id quod Deus promisserat, continuò renovabat, repromittendo quotidie : Ergo circumcisioni, & aliis veteris legis sacramentis, competebat vis quædam moraliter excitativa, quâ Deum ad conferendum gratiam ad ipsorum præsentiam moraliter excitabant.

16. Secunda pars quæ asserit circumcisionem, & alia veteris legis sacramenta, caruisse virtute gratiæ productivâ, quæ in sacramentis novæ legis reperitur, patet tum ex Apostolo ad Galat. 4. omnia vetera sacramenta, *elementa infirma & egena*, appellante. Tum ex Florentino in Decreto Eugenij, ubi dicitur quod sacramenta nostra, *multùm à sacramentis differunt antiquæ legis, illa enim non causabant gratiam, sed solùm per passionem Christi dandam figurabant : hæc verò nostra, & continent gratiam, & eam dignè suscipientibus conferunt.*

17. Idem docet D. Thomas 1. 2. quæst. 103. art. 2. in corpore ubi sic ait : *Veteris legis cæremoniæ non poterant in se continere realiter virtutem profluentem à Christo incarnato & passo, sicut continent sacramenta novæ legis, & propter hoc ad Galat 4. Apostolus vocat ea egena & infirma elementa : infirma quidem, quia non possunt à peccato mundare ; sed hæc infirmitas provenit ex eo quod sunt egena, id est eò quòd non continent in se gratiam.* Et hìc art. 4. agens specialiter de circumcisione, sic concludit : *Dicendum est quod in circumcisione conferebatur gratia, quantum ad omnes gratiæ effectus, aliter tamen quàm in Baptismo ; nam in Baptismo confertur gratia ex virtute ipsius Baptismi quam habet inquantùm est instrumentum passionis Christi jam perfectæ : in circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio ; ita scilicet quod homo qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis, unde Apostolus dicit Roman. 4. quod Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quia scilicet justitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante.*

18. Ex his probata manet tertia pars conclusionis, quæ asserit, circumcisionem non causasse gratiam ex opere operato activè, sicut sacramenta novæ legis : si enim circumcisio, & alia veteris legis sacramenta, carebant virtute gratiæ productivâ, nullam poterant habere activitatem in ordine ad productionem gratiæ, nec activè in eam influere, seu illam conferre, sicut modò baptismus, & alia novæ legis sacramenta.

19. Quod verò circumcisio dederit parvulis gratiam ex opere operato passivè, manifestum est, nam ad hoc ut aliquod sacramentum dicatur conferre gratiam ex opere operato passivè, sufficit quod ad positionem ejus Deus gratiam conferat, absque ullo merito vel dispositione suscipientis : Sed Deus parvulis sacramentum circumcisionis suscipientibus, conferebat gratiam, cùm per tale sacramentum eos à peccato originali mundaret,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret, ut suprà ostensum est; idque fiebat absque A
ullo merito aut dispositione illorum, cùm ob defectum libertatis & usûs rationis, ad gratiam non possent se disponere, vel illam promereri: Ergo circumcisio conferebat gratiam parvulis ex opere operato passivè. Adultis verò nullo planè modo gratiam ex opere operato conferebat, quia ut ad susceptionem & præsentiam illius sacramenti justificarentur, debebant habere dispositionem proportionatam ad gratiam quam recipiebant, unde illud non habebat vim faciendi ex attrito contritum, sicut baptismus & pœnitentia in nova lege, nec gratiam ultra dispositionem suscipientis conferebat. Nec propterea tale sacramentum adultis erat inutile, illos enim B
excitabat ad eliciendum actum fidei in Christum venturum, quo justificabantur, atque ita illis utilis erat ad gratiam consequendam.

20. Ex dictis facilè intelliguntur & conciliantur quædam Patrum testimonia, quæ specie tenùs videntur inter se pugnantia: aliqui enim videntur asserere parvulos Hebræorum circumcisione fuisse justificatos. Ita Augustinus, seu Author libri Hypognosticon cap. 5. ubi ait: *Circumcisio octavæ diei, Baptismi gratiam dabat, & parvulus circumcisione fraudatus, delicto originali non caruit.* Idem sentire videtur Gregorius Magnus lib. 4. Moral. cap. 1. ut habetur de consecrat. distinct. 4. cap. 5. Can. *Quod autem*; ubi dicit: C
Quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit pro illis qui de Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis. Item Innocentius III. in cap. *Majores*, de Baptismo, asserit *Baptismum circumcisioni successisse; per illam enim originale remittebatur peccatum, licèt ad regnum cœlorum non perveniretur.* Alij oppositùm videntur docere: Tertullianus enim libro contra Judæos, paulò post principium: *Circumcisio* (inquit) *in signum non in salutem dederat Deus populo Israel*: Cyprianus verò lib. 1. contra Judæos cap. 8. *Nonne Melchisedech, & alij qui non erant ex semine Abrahæ, fuerunt justi sine circumcisione? nam circisio erat tantùm signaculum seminis Abrahæ, sed non justificabat.* Similia docent Justinus, Ire- D
næus, Epiphanius, Chrysostomus, & alij. Verùm hæc (ut dixi) ex principiis jam statutis facilè conciliari possunt: primi enim solùm volunt, quod circumcisio dederit parvulis gratiam ex opere operato passivè, seu quod Deus ad præsentiam illius sacramenti, gratiam contulerit parvulis Hebræorum, quâ à peccato originali mundarentur. Alij verò solùm denegare intendunt circumcisioni, & aliis antiquæ legis sacramentis, virtutem gratiæ productivam, qualis reperitur in Baptismo, & aliis Sacramentis novæ legis, unde dicunt quod sacramenta antiqua erant tantùm umbræ & figuræ, ac veluti specula quæ vulnus ostenderent, sed nullo modo sanarent: E
non negant tamen quod Deus ad illorum præsentiam, intuitu passionis Christi futuræ, quam figurabant, & significabant, gratiam conferret, cùm de ratione sacramenti, seu signi practici gratiæ, sit quod vel gratiam instrumentaliter producat, vel saltem quod ad ipsius præsentiam à Deo producatur.

ARTICULUS III.

Utrum liceat se circumcidere, mortificationis gratiâ, vel ad Christi imitationem?

RAtio dubitandi est, quia Christiani Æthio- 21.
pes, qui vulgò Abassini dicuntur, circumcisionem observant, non tanquam cæremoniam legis Judaïcæ, sed ob Christi imitationem, seu ut corporalem ejus similitudinem gerant; id B
etiam facere dicuntur in memoriam stirpis suæ, asserentes se oriundos esse ex Abraham, & Regem suum ex familia David: Sed hic ritus Abassinorum nondum ab Ecclesia damnatus est: Ergo videtur licitum, simul cum Baptismo suscipere circumcisionem, non tanquam cæremoniam legalem, sed ex fine cultûs religiosi, & ob Christi imitationem.

Confirmatur: Quando cæremonia legalis ha- 22.
bet in se aliquam moralitatem, potest ob eam moralitatem usurpari in Ecclesia: Sed circumcisio, quatenus fuit suscepta à Christo Domino, continet aliquam moralitatem, nempe corporalem similitudinem, & memoriam Christi C
Domini: Ergo præcisè ob eam moralitatem, non est inconveniens usurpari in nova lege.

In hujus difficultatis resolutione partem af- 23.
firmativam tenent Cajetanus in hac parte quæst. 37. art. 1. Nazarius ibidem, Medina 1. 2. quæst. 103. art. 4. ad 5. Lorca 2. 2. sect. 1. disp. 23. membro 1. Vericelli Tract. de Apostolicis missionibus quæst. 23. numero 10. & Guillelmus Reginaldus in suo Calvino Turcismo libro 2. cap. 9. ubi hæc scribit: *Abassini christianè quidem, & cum vera Christianorum fide, infantes baptizant & circumcidunt, in signum nobilitatis antiquissimæ, nullo meriti, aut Judaicæ perfidiæ respectu; quo posito, nollem eos propter circumcisionem magis damnare, quàm si propter medicinæ causam abstinerent à carne porcina, quam tamen lex Mosaica prohibebat.* D

Oppositam sententiam defendunt S. Anto- 24.
ninus, Sylvester, Armilla, Soto, Raynerius, Navarrus, Suarez, Vazquez, Delugo, & alij, quos citat & sequitur Martinez à Prado in scholiis ad hanc quæstionem, contendentes, talem circumcisionem Abassinorum esse illicitam, nec posse ex bono fine honestari. Cui sententiæ ut veriori aut probabiliori subscribens,

Dico breviter, non licere Æthiopibus, seu Abassinis, se circumcidere, mortificationis gratiâ, vel ad gerendam corporalem cum Christo similitudinem.

Probatur: In circumcisione duo considerari 25.
possunt, nimirum cæremonia legalis, quam dicit de formali; & læsio corporalis, quam de materiali importat: Sed illicitum est velle se conformari Christo in aliquo ex illis: Ergo velle circumcidi ad imitationem Christi, illicitum est. Minor quantùm ad primam partem patet, illicitum enim est modò legalia observare, etiam ob bonam intentionem, ut enim ait Divus Thomas in 4. distinctione 1. quæst. 2. artic. 5. quæstiunc. 3. ad 3. *Legalia suo tempore facta, fuerunt bona; tempore autem non suo observata, sunt facta mala, & ideò bonâ intentione*

tione fieri non possunt benè. Probatur verò quoad A
secundam: nam conformitas ad Christum in illa corporali læsione, nullius virtutis honestatem habet, neque in aliquem Christi honorem cedit, sed est cultus omnino superstitiosus & vanus; alioquin etiam liceret perforare manus & pedes, ad imitationem Christi: insipiens etiam modus mortificandi carnem est se circumcidere, cùm illicitum sit, ob mortificationem graviter lædere corpus: Ergo stultum est, ob imitationem Christi, aut carnis mortificationem, velle pati & sibi infligi læsionem illam corporalem, quam circumcisio de materiali importat.

Addo quod, hæc circumcisio scandalum præ- 26.
bet fidelibus, nam speciem habet mali, cùm illi B
qui eam exercent, judaïzare videantur. Unde Medina qui 1. 2. loco suprà citato, in priorem sententiam inclinaverat, in hac parte quæst. 37. art. 1. nostram amplectitur; & similiter Vericelli tomo 2. tract. 15. quæst. 218. retractat sententiam quam tomo 1. docuerat, ait enim: *His tamen non obstantibus, nunc re maturius considerata, dico non esse ullo modo tolerandam, quia quidquid sit de fine circumcisionis hujus, tamen præbet scandalum toti Ecclesiæ Catholicæ, quia non est manifestum motivum nobilitatis.* Denique proposito hoc dubio à Patriarcha Æthiopiæ Sacræ Congregationi Inquisitionis, an scilicet Abassinis liceat se circumcidere? habita est Con- C
gregatio Patrum Qualificatorum Sancti Officij die 30. Julij anno 1637. qui responderunt: *Non esse quocumque prætextu tolerandam circumcisionem, & Pastores debere corrigere subditos, quantùm possunt, contumaceque arcendos esse à communione.* Ex quo patet Ecclesiam Romanam ritum illum Abassinorum nequaquam tolerare.

De aliis præparatoriis ad baptismum, de quibus agit S. Doctor qu. 71. ut de catechismo, exorcismo & aliis, nulla est difficultas, quæ ex sola lectione textûs D. Thomæ, facilè non evacuetur. Unde, his omissis, sit

DISPUTATIO VI.

De Sacramento Confirmationis.

Ad quæstionem 72. D. Thomæ.

1. QUm in Ecclesia Christi sacramentum Confirmationis secundum locum ordine administrationis habere soleat, ut nimirum ad id quod perfectissimum est, scilicet ad sacramentum Eucharistiæ, Baptismate & Confirmatione, veluti gradibus quibusdam, & congruâ præparatione ascendamus, recta etiam doctrinæ metho- E
dus exigit, ut Tractatum de Baptismo immediatè sequatur disputatio de Confirmatione, in qua de hujus sacramenti existentia, essentia, effectibus, subjecto, & ministro dicemus.

Porrò sacramentum istud variis solet nominibus insigniri. A Græcis enim vocatur τελείωσις, id est perfectio, ut ab Areopagita in capite de baptismo, vel σφραγὶς, id est obsignatio, à Latinis verò *signaculum*, ut est sæpè apud Cyprianum: *Chrisma*, vel *sacramentum Chrismatis*, ut videri potest apud Augustinum lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. *Manuum impositio*, D
quod vocabulum frequenter legitur in Actibus Apostolorum. Unde Eusebius Pontifex epist. 3. *sacramentum* (inquit) *manûs impositionis magnâ veneratione tenendum est.* Demum ab Ambrosio hoc sacramentum vocatum est *Confirmatio*. Quod nomen postea apud Leonem, & Gregorium, & & alios Catholicos, cœpit esse frequens. Imò ante illos Clemens epist. 4. hoc vocabulum usurpavit *Postquam* (inquit de infante baptizato) *regeneratus fuerit per aquam, septiformi Spiritûs gratiâ, post baptismum ab Episcopo confirmatur; quia aliter perfectus Christianus esse non potest, neque haberi.*

ARTICULUS PRIMUS.

An Confirmatio sit verum & proprium novæ legis sacramentum, & quandonam à Christo fuerit institutum?

§. I.

Prima pars quæstionis resolvitur.

DIco primò: Ritus ille qui in Ecclesia Ca- 2.
tholica Confirmatio appellatur, est verum novæ legis sacramentum.

Conclusio est certa de fide, ac definita in Flo- C
rentino, in Decreto unionis, & in Tridentino sess. 7. can. 1. de Confirmatione, contra Lutheranos & Calvinistas asserentes ejus cæremoniæ quam Confirmationem appellamus, nullam fieri in Scriptura mentionem, imò nec in Patribus trium primorum sæculorum, sed eam fuisse inventam & introductam à Melchiade Papa anno Christi 311. Addunt quod, si aliqui Patres quarti & quinti sæculi eam vocarunt sacramentum, locuti sunt de sacramento impropriè dicto, qualiter omnes cæremoniæ Ecclesiæ possunt vocari sacramenta. Ut hic error confutetur.

Probatur primò conclusio ex Scriptura: 3.
Actuum 8. Petrus & Joannes missi ad Samari- D
tanos jam baptizatos, ut Spiritum Sanctum illis conferrent dicuntur super eos manus imposuisse, & additur ex tali impositione manuum continuò Spiritum Sanctum illis fuisse collatum. Item cap. 19. dicitur quod cùm Paulus eos qui baptizati erant baptismo Joannis, jussisset iterum baptizari, manus eis imposuit, & Spiritus Sanctus in eos descendit. Ex quibus sic possumus argue- re: Cæremonia illa in manuum impositione consistens, per quam dicuntur Apostoli Spiritum Sanctum baptizatis contulisse, erat verum sacramentum: Sed aliud esse non poterat, quàm illud quod in Ecclesia Catholica Confirmatio appellatur: Ergo ritus ille qui in Ecclesia Catholica Confirmatio appellatur, est verum novæ legis sacramentum. Major probatur: Signum sensibile gratiæ sanctificantis, in actuali exercitio ipsius conferendæ, & à Deo, sive Christo institutum, est verum sacramentum in nova lege: Sed cæremonia illa quatuor ista habebat: Constat enim in primis quòd esset signum sensibile. Secundò in actuali ejus exercitio conferebatur infallibiliter gratia, quia dabatur infallibiliter Spiritus Sanctus. Tertiò illud signum erat ad hoc à Deo, sive Christo institutum, tum quia incredibile est Apostolos hac cæremoniâ tam communiter fuisse usos ad conferendum Spiri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum Sanctum, nisi fuisset à Christo instituta: tum etiam quia Apostoli conferre non potuissent propriâ authoritate Spiritum Sanctum, tam certò & in fallibiliter, in usu taliś cæremoniæ. Minor etiam contra hæreticos evidenter demonstratur: Illi enim duo tantùm sacramenta agnoscunt, Baptismum scilicet & Eucharistiam: At illa impositio manuum Apostolorum manifestè non erat Eucharistia, sed nec poterat esse Baptismus, quandoquidem fiebat post Baptismum, & jam baptizatis dabatur: Ergo si erat verum sacramentum (ut jam ostensum est) non poterat esse aliud, quàm illud quod in Ecclesia Catholica Confirmatio appellatur.

4. Respondent primò Hæretici, illam manuum B impositionem, fuisse tantùm cæremoniam quandam baptismi, quâ Apostoli baptizatos Deo commendabant, & offerebant, atque pro illis orabant.

Sed contra primò: Si illa manuum impositio fuisset aliqua tantùm cæremonia baptismi, potuisset adhiberi à quocumque à quo poterat baptismus conferri: Sed hoc repugnat Scripturæ, nam Actuum 8. Philippus Diaconus baptizabat, nec tamen manus super baptizatos imponebat, sed Petrus & Joannes ad hoc faciendum venisse dicuntur: Ergo &c.

Secundò, Si illa manuum impositio fuisset so- C lùm quædam oblatio & commendatio, seu oratio pro iis qui susceperant sacramentum Baptismi, quid opus erat Apostolos ab Jerosolymis vocare, ut venirent usque in Samariam, ab Jerosolymis triginta duobus milliaribus distantem: quasi non possent orare pro absentibus, eosque Deo commendare & offerre?

Tertiò, Apertè constat ex Actor. 8. & 19. Apostolos per manûs impositionem dedisse Spiritum Sanctum: Ergo illa non erat solùm nuda cæremonia & oblatio baptizatorum, sed verum sacramentum confe-rens gratiam.

Nec valet quod dicunt hæretici, per illam manuum impositionem non datam fuisse gratiam gratis facientem, sed tantùm gratias aliquas gratis datas, putà donum linguarum, vel donum D prophetiæ, quod probant ex eo quòd Scriptura dicat Actor. 19. eos quibus Paulus manus imposuerat, locutos fuisse linguis, & prophetasse. Non valet, inquam, tum quia Spiritus Sanctus non datur per collationem gratiæ gratis datæ, sed tantùm per infusionem gratiæ sanctificantis. Tum etiam, quia gratiæ gratis datæ in primitiva Ecclesia non conferebantur omnibus, sed aliquibus tantùm, prout Ecclesiæ expediebat, unde Apostolus 1. ad Corinth. 12. *Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes loquuntur linguis?* Sed donum Spiritus Sancti, de quo locis citatis Scriptura loquitur, dabatur omnibus per manuum impositionem: Ergo tale donum erat gratia sanctificans, non verò aliqua gratia gratis data, licèt interdum etiam quædam gratiæ gratis datæ, per talem manuum impositionem, unà cum gratia sanctificante conferrentur.

5. Respondent secundò hæretici, illam manuum impositionem fuisse quidem cæremoniam ad dandum Spiritum Sanctum institutam à Christo, sed solùm ex speciali privilegio, quod non duravit nisi tempore Apostolorum, subindeque ritum illum qui nunc ab Ecclesia Romana fit, & Confirmatio dicitur, non esse verum novæ legis sacramentum. Idque probat Kemnitius ex eventu, ad impositionem enim manuum Apostolorum, descendebant (inquit) visibiliter linguæ igneæ, quod tamen modò non contingit. A

Sed contra primò: Cyprianus Epist. 73. ad 6.
Jubajanum, postquàm retulit factum Apostolorum Petri & Joannis Actor. 8. subjicit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manûs impositionem, Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur.* Item Augustinus 15. de Trinit. cap. 16. *Orabant* (inquit) *Apostoli Actor. 8. ut Spiritus Sanctus in eos veniret quibus manus imponebant, quem morem in suis Præpositis, seu Episcopis, etiam nunc servat Ecclesia:* Ergo falsum B est, quod solùm tempore Apostolorum cæremonia illa impositionis manuum, ex speciali privilegio, à Christo ad dandum Spiritum Sanctum instituta fuerit.

Secundò, cùm eadem causa propter quam 7.
Deus in impositione manuum Apostolorum Spiritum Sanctum tribuebat, locum adhuc habeat in Ecclesia, omni enim tempore egent fideles virtute Spiritus Sancti, ad resistendum in persecutione, & confitendam fidem, non est cur negetur privilegium illud adhuc in Ecclesia perseverare. Quod autem Spiritus Sanctus in linguis igneis non descendat modò visibiliter, sicut tunc, C causa rationabilis est quam affert Augustinus lib. 3. de baptismo cap. 16. quòd scilicet initio Ecclesiæ, ad fidem plantandum & nutriendum, ejusmodi miracula sensibilia necessaria essent: modò autem hæc non requirantur, sed sufficiat quòd Spiritus Sancti invisibilis gratia nobis conferatur.

Probatur secundò conclusio ex SS. Patribus 8.
qui Melchiadem præcesserunt, & tribus primis sæculis floruerunt. Primo loco se offert Dionysius, qui in libro de Eccles. hierarchia expressam facit mentionem sacramenti Confirmationis, nam capite 2. sic ait: *Baptizatum indutum albâ veste ad Pontificem ducunt: ille divino ac deifico prorsus unguento virum signat.* Et cap. 4. *Ei* (scilicet synaxi) *finitimum est aliud sacramentum, quod præceptores nostri unguenti mysterium nominant.* Ejus etiam meminit Clemens Romanus Epist. 4. dicens: *Omnibus festinandum est sine mora renasci, & demum consignari ab Episcopo.* quibus verbis apertè declarat, infantibus simul atque baptizati essent, dari solere confirmationem. Unde in vetusto libello Romani ordinis legimus, Pontificem in die Paschæ egredi à fonte in sacrarium, ibique sedere & expectare, ut infantes qui baptizati fuerant, essent vestiti, ut eos confirmaret. Item Tertullianus de resurrect. carnis cap. 8. insinuans etiam antiquæ Ecclesiæ consuetudinem, quæ adultis Cathecumenis titè præparatis, tria sacramenta eodem die conferebat, primò Baptismum, secundò Confirma- E tionem, tertiò Eucharistiam: de Baptismo ait, *Caro abluitur, ut anima emaculetur:* de Confirmatione: *Caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manûs impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur.* De tertiò, seu de Eucharistia: *Caro corpore Christi vescitur, ut mens de Deo saginetur.* Quibus verbis tria quæ in sacramento Confirmationis (inter baptismum & Eucharistiam medio) reperiuntur, luculenter descripsit: nam in Confirmatione primò ungimur Chrismate, deinde signamur, quia forma hujus sacramenti est, *signo te signo crucis, ungo te chrismate salutis.*

Demum

Demum in ea, manuum impositione adumbramur. Addit idem Author in libro de præscriptionibus, Gentiles etiam consuevisse confirmare jam baptizatos: *Tingit & ipse Dæmon quosdam utique credentes & fideles suos, & sic adhuc initiat Mithræ, signat illic in frontibus milites suos.* Et in libro de baptismo: *Dehinc* (id est statim post baptismum) inquit *manus imponitur per benedictionem provocans & invitans Spiritum Sanctum.* Tandem Cyprianus epist. 2. docet eos qui apud hæreticos baptizati & confirmati fuerunt, cùm redeunt ad Ecclesiam, non esse iterum baptizandos, sed esse confirmandos.

9. His Patrum testimoniis adjungi possunt plurima antiquorum Conciliorum decreta: nam in Concilio Laodiceno antiquissimo can. 7. jubentur Novatiani sacro chrismate inungi. Et in Aurelianensi apud Gratianum de consecrat. dist. 5. Can. *ut jejuni*, præcipitur ut adulti jejuni ad Confirmationem veniant, & priùs confessionem facere moneantur. Et in Concilio Meldensi apud eundem Gratianum, eadem dist. Can. *Ut Episcopi*, sic legitur: *Non nisi jejuni, per impositionem manuum, Spiritum Sanctum tradant.*

10. Ex his refutata manent duo priora mendacia hæreticorum, dicentium nec in Scriptura, nec in Traditione primorum sæculorum, reperiri sacramentum Confirmationis, unde superest refellendum tertium quod asserunt, nimirum Patres quarti & quinti sæculi, dum Confirmationem C sacramentum appellarunt largè & impropriè nomen sacramenti usurpasse. Sic ergo argumentor: Sancti Patres in ea proprietate asserunt Confirmationem esse sacramentum, quâ est Baptismus: At Baptismus est propriissimè sacramentum: Ergo SS. Patres censent etiam Confirmationem esse strictè & propriè sacramentum. Minor est certa, & ab hæreticis conceditur: Major verò probatur primò ex Cypriano Epistolâ 72. ad Stephanum Papam, ubi de Baptismo & Confirmatione loquens, sic ait: *Tum demum plenè sanctificari & esse filij Dei possunt, si* SACRAMENTO UTROQUE *nascantur.* Probatur secundò ex Ambrosio libro 3. de sacramentis cap. 2. ubi hæc scribit: D *Post baptismum sequitur Spirituale signaculum* (id est Confirmatio) *quia post fontem* (supple baptismalem in quo sanctitas inchoatur) *sequitur ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis infunditur Spiritus Sanctus.* Item Augustinus libro 2. contra litteras Petiliani cap. 104. sacramentum Chrismatis (id est Confirmationem) æquiparat Baptismo, in ratione sacramenti: *In hoc unguento* (inquit) *sacramentum Chrismatis vult Petilianus intelligi. Quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus*, Et concludit: *Discerne ergo visibile sanctum Sacramentum, quod esse & in bonis, & in malis potest; illis ad præmium, illis ad Iudicium, ab invisibili unctione, quæ propria bonorum est.* Denique Melchiades in Epistola ad Episcopos Hispaniæ rogatus, quodnam majus esset sacramentum, Baptismus, an Confirmatio? respondet: *Scitote utrumque magnum esse sacramentum:* Ergo juxta SS. Patres quarti & quinti sæculi, Confirmatio est sacramentum in eadem proprietate quâ Baptismus.

11. Denique suaderi potest conclusio ratione congruenti quâ utitur S. Thomas hìc art. 1. & quæ in eo posita est, quod sicut post vitæ naturalis adeptionem, aliud insuper ad corporale robur & augmentum requiritur: ita conveniens fuit, præ- A ter sacramentum Baptismi, quo fit spiritualis regeneratio hominis, aliud à Christo institui, ad spirituale robur & augmentum acquirendum. Nec obstat quod Christus hoc totum unico Baptismi sacramento præstare potuerit, licèt enim hoc ita sit, congruum tamen fuit, & magis expediens, quod nonnisi duobus sacramentis illa duo tribueret: Primò ut in ipsa sacramentorum diversitate, varietas & multitudo effectuum gratiæ cognosceretur. Secundò, ut homines difficultatem spiritualis militiæ, suæque naturæ imbecillitatem, agnoscerent, videndo post copiosam Baptismi gratiam, se adhuc egere speciali robore & protectione Spiritus Sancti. Tertiò, ut hac sacramentorum mirabili & sapientissimâ B varietate, magis ab hominibus coleretur Deus, & professio fidei facta in Baptismo, rata haberetur in Confirmatione.

§. II.

Respondetur instantiis Hæreticorum.

OBjiciunt primò Hæretici: Non est idem quod 12.
nunc fit ab Episcopis in confirmatione, & quod ab Apostolis factum narratur Actor. 8. & 19. Ergo licèt daretur, quod cæremonia illa Apostolorum fuerit verum sacramentum, non sequitur tamen Confirmationem nostram veram sacramenti rationem habere. Consequentia patet, Antecedens probatur. In primis enim ab Apostolis dabatur Spiritus Sanctus cum dono linguarum, aliisque donis, quæ jam non dantur ab Episcopis. Secundò, Apostoli tantùm manus imponebant: Confirmatio verò nostra fit unctione Chrismatis. Tertiò, Confirmatio nostra non potest iterari, secùs illa manuum impositio, teste Augustino libro 3. de Baptismo cap. 16. ubi sic habet: *Manûs autem impositio non sicut Baptisma repeti non potest: quid enim est aliud quàm oratio super hominem?* Ergo non est idem quod nunc fit ab Episcopis, & quod ab Apostolis factum narratur.

Respondeo negando Antecedens: idem enim 13.
nunc fit à nostris Episcopis, quod fiebat ab D Episcopis quinque priorum sæculorum Ecclesiæ, ut apertè constat ex locis Patrum & Conciliorum suprà citatis: iidem autem Patres testantur, Ecclesiam tunc fecisse per Episcopos id quod fecerant Apostoli, eorumque exemplum esse secutam, ut patet ex verbis Cypriani & Augustini suprà relatis. Ad primam probationem in contrarium, dicendum est quod licèt exordio nascentis Ecclesiæ sæpè daretur per impositionem manuum Apostolorum Spiritus Sanctus, cum dono linguarum, aliisque gratiis gratis datis, hoc tamen beneficium accidentariò erat illi conjunctum, effectus enim principalis & veluti substantialis illius erat infusio gra- E tiæ habitualis, quæ nunc etiam datur fidelibus, quando Confirmationis sacramentum recipiunt.

Ad secundam respondeo, unctionem Chrismaticam communiter fuisse adhibitam ab Apostolis in Confirmatione: licèt enim Lucas compendiosiùs scribens loquatur solùm de manûs impositione, Dionysius tamen suprà citatus, qui tempore Apostolorum vixit, testatur Apostolos usos fuisse unctione Chrismatis, & Fabianus Papa Epistolâ 2. ad Orientales ait, Christum docuisse Apostolos conficere Chrisma. Interdum tamen Apostoli, ex speciali Christi dispensatione, non

usi

Universidad de Deusto
Biblioteca

usi sunt Chrismate, sed per nudam manuum impositionem hoc sacramentum contulerunt, ut plures docent post D. Thomam hîc art. 2. ad 1. & post Cõcilium Moguntinum can. 18. & Colonienſe in doctrina hujus ſacramenti: Cùm enim tunc Spiritus Sanctus ſuper baptizatos viſibiliter deſcenderet, & interior unctio evidenti illo Spiritus Sancti illapſu ſatis innoteſceret, non erat quare ad eam deſignandam, ſenſibilis illius materiæ quâ modo utimur, ſcilicet Chriſmatis, applicatio requireretur. Aliunde verò cùm interdum plura hominum millia uno die baptizarentur moſque tunc eſſet, ut ſtatim baptizati confirmarentur, congruum erat, ut dum Apoſtolis in talia incumbentibus, non vacabat ſingulos inungere, illos ab hac cura liberaret Chriſtus, Spiritu Sancto ad ſolam manuum impoſitionem patenter veniente.

Ad tertiam dicendum, Auguſtinum loco citato non loqui de impoſitione manuum confirmativa, de qua nunc agimus, ſed de reconciliativa, quæ in ſacramento Pœnitentiæ fit ad reconciliandum pœnitentem cum Deo & Eccleſia; hæc enim manuum impoſitio iterari poteſt, ſicut & ipſum ſacramentum Pœnitentiæ, & in ea oratio quædam ab Eccleſia adhibetur. Unde obſervandum eſt, manûs impoſitionem fuiſſe quadruplicem in primitiva Eccleſia, nempè confirmativam, de qua Act. 8. & 19. curativam de qua Marci ultimo, *Super ægros manus imponent, & benè habebunt*: ordinativam de qua 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Et reconciliativam, de qua Concilium Carthaginenſe 4. can. 80. Arauſicanum 1. can. 3. & Agathenſe can. 11.

14. Objiciunt ſecundò Hæretici: Robur & firmitas ſpiritualis debet acquiri cibo & potu ſpirituali, ſicut firmitas corporis acquiritur cibo corporeo: Ergo poſt Baptiſmum quo ſpiritualiter renaſcimur, non eſt opus niſi ſacramento Euchariſtiæ, quod per modum cibi ſpiritualis inſtitutum eſt.

15. Reſpondeo in primis falſum eſſe, quod per ſolam nutritionem acquiratur robur & firmitas, nam etiam unctione & exercitatione, aliiſque modis acquiritur. Secundò dico, firmitatem & corroborationem quæ datur per Confirmationem, non eſſe quamlibet, ſed veluti militarem & athleticam, ad fidem fortiter profitendam, & defendendam. Addo quod, corroboratio & firmitas per nutritionem, non niſi ſenſim & longo tempore habetur: Deo autem placuit firmitatem ſpiritualem citiùs perficere, ut etiam fecit in Apoſtolis infuſione illâ mirabili Spiritus Sancti in die Pentecoſtes, cui reſpondet quoad effectum Confirmatio ſacramentalis. Unde Hieronymus in dialogo contra Luciferanos: *Diſce hanc obſervationem* (confirmandi baptizatos) *ex ea authoritate deſcendere, quòd poſt aſcenſum Domini Spiritus Sanctus ad Apoſtolos deſcendit.*

16. Objiciunt tertiò: Auguſtinus non cognovit niſi duo ſacramenta in Eccleſia, nempe baptiſmum & Euchariſtiam, ut conſtat ex Epiſtola 118. ubi hæc ſcribit: *Primò tenere te volo quod eſt hujus diſputationis caput, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum leni jugo nos ſubdidiſſe & ſarcinæ levi. Unde & ſacramenta numero pauciſſimis, intellectu auguſtiſſimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi colligavit; ſicut eſt baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus, & communicatio corporis & ſanguinis Domini, & ſi quod aliud in ſcripturis Canonicis commendatur.* Similia habet libro de doctrina Chriſtiana cap. 9. Ergo ex Auguſtino Confirmatio non eſt verum novæ legis ſacramentum.

Reſpondeo Auguſtinum eo loco comparare voluiſſe ſacramenta nova cùm veteribus, his præſertim duabus rebus, facilitate & præſtantia. Quod ut oſtenderet, propoſuit exemplum in illis duobus ſacramentis, quæ omnium facillima & & præſtantiſſima erant, nempè Baptiſmo, & Euchariſtia; non excluſit tamen alia quæ ſint etiam vera ſacramenta, ſed potiùs ea inſinuavit, cùm dixit: *Et ſi quod aliud in Scripturis Canonicis commendatur*: ſi enim alia excludere voluiſſet, non ſic locutus fuiſſet, ſed dixiſſet, nullum aliud in Scripturis Canonicis commendari. Unde, ut ſupra oſtendimus, ſacramentum chriſmatis, id eſt confirmationem, æquiparat baptiſmo in ratione ſacramenti, & dicit illud ſacroſanctum eſſe, ſicut ipſum baptiſma.

§. III.

Alia difficultas expeditur, & quandonam ſacramentum Confirmationis à Chriſto fuerit inſtitutum, breviter declaratur.

17. LIcèt certum ſit, & ab omnibus Catholicis conceſſum, ſacramentum Confirmationis immediatè à Chriſto fuiſſe inſtitutum, ſicut & alia novæ legis ſacramenta, nam ut ait D. Thomas hîc art. 1. ad 1. *Inſtituere novum ſacramentum pertinet ad poteſtatem excellentiæ, quæ competit ſoli Chriſto.* Attamen quandonam tale ſacramentum ab ipſo inſtitutum fuerit, valde incertum eſt, & varia circa hoc circumferuntur Authorum placita. Aliqui enim volunt, Chriſtum inſtituiſſe ſacramentum Confirmationis Matthæi 19. cùm pueris manus impoſuit. Ita Bachonius in 4. diſt. 7. quæſt. 1. art. 1. Caniſius titulo de Confirmatione in principio, imò & Concilium Senonenſe in Decretis fidei cap. 10.

Sed hæc ſententia communiter rejicitur, Tum quia inter illos pueros plurimi non erant baptizati, quibus ſubinde non poterat applicari Confirmatio; unde Hieronymus & Anſelmus dicunt parvulos illos oblatos fuiſſe Chriſto, ut benedicerentur, & curarentur ab infirmitatibus. Tum etiam, quia ut ait D. Thomas hîc art. 1. ad 1. non debuit ante Aſcenſionem Chriſti adminiſtrari hoc ſacramentum, in quo datur plenitudo Spiritus Sancti, qui ut dicitur Joan. 7. non fuit datus, niſi Jeſus eſſet glorificatus. Nec obſtat authoritas Concilij Senonenſis, quia tantùm eſt Provinciale, & à Summo Pontifice confirmatum non fuit.

18. Alij docent inſtitutum fuiſſe hoc ſacramentum, quando Joan. 20. Chriſtus dixit Diſcipulis, *Accipite Spiritum Sanctum*, quia tunc data fuit illis poteſtas illud adminiſtrandi, cùm tunc ſolùm ſint ordinati Epiſcopi. Ita Coninx art. 1. dubio 2. & Layman libro 5. ſummæ Tractatu 3. cap. 1.

Verùm hæc opinio non videtur probabilior, quàm præcedens. Tunc enim datus eſt Spiritus Sanctus Apoſtolis ad remittenda peccata: Atqui hoc ſacramentum non eſt inſtitutum ad remittenda peccata, ſed ad augmentum gratiæ: Ergo tunc inſtitutum non fuit. Nec obſtat, quod tunc Apoſtolis data fuerit facultas hoc ſacramentum miniſtrandi, cùm enim miniſter ſit cauſa tantùm

tantùm efficiens ſacramenti, ſubindeque ad intrinſecam ejus conſtitutionem non pertineat, ſicut materia & forma, tunc ſacramentum aliquod non cenſetur inſtitui, cùm miniſter ejus deſignatur, ſed ſolùm cùm ejus materia & forma exhibetur, Unde Baptiſmus (ut ſuprà oſtenſum eſt) non fuit inſtitutus, quando Apoſtolis data fuit poteſtas baptizandi, ſed quando Chriſtus in Jordane baptizatus eſt, quia tunc ejus materia fuit deſignata, & contactu mundiſſimæ carnis Chriſti conſecrata. Quare his opinionibus rejectis.

19. Dico ſecundò, longè probabilius eſſe, ſacramentum Confirmationis fuiſſe inſtitutum in nocte cœnæ.

Probatur ex Fabiano Papa Epiſtolâ 2. cap. 1. ubi hæc ſcribit: *In illa die Dominus Ieſus, poſquam cœnavit cum Diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes, ſicut à Sanctis Apoſtolis Prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit.* Idem docent Clemens lib. 3. Conſtit. cap. 16. & 17. & Cyprianus ſerm. de unctione Chriſmatis. Atque hæc eſt ratio, cur Eccleſia Catholica quot annis: veteri combuſto, novum Chriſma conſecret in die Cœnæ.

20. Dices, D. Thomas hîc art. 1. ad 1. ait quod *Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum, non exhibendo; ſed promittendo*: At promittere ſacramentum præciſè, non eſt ipſum inſtituere: Ergo Chriſtus ſacramentum Confirmationis in nocte cœnæ non inſtituit, ſed duntaxat promiſit.

Reſpondeo aliud eſſe quòd Chriſtus in nocte cœnæ promiſerit effectum ſacramenti Confirmationis, & aliud quòd ipſum ſacramentum promiſerit: ſecundum quidem non eſt inſtituere ſacramentum, ſed non aſſeritur à D. Thoma: primum verò & intenditur à D. Thoma tantùm, ut ex verbis ſequentibus patet, & ſufficit ut ſacramentum dicatur inſtitutum.

ARTICULUS II.

Quæ ſit materia & forma ſacramenti Confirmationis.

21. DIcò primò, materiam remotam ſacramenti Confirmationis eſſe Chriſma, confectum ex oleo per Epiſcopum benedicto, & balſamo. Conſtat ex Florentino in decreto Eugenij, & ex Tridentino ſeſſione 7. can. 2. nec non ex Patribus infrà referendis.

Congruentiam affert D. Thomas hîc art. 2. oleum enim quod pingue eſt, & naturâ ſuâ manat ac diffluit, gratiæ plenitudinem deſignat, quæ in hoc ſacramento tribuitur, & per Spiritum Sanctum à Chriſto capite in alios redundat: balſamum verò propter fragrantiam odoris, ſignificat fideles virtute hujus ſacramenti, eam virtutis ſuavitatem effundere, quæ in alios redundat, ita ut illud Apoſtoli 2. ad Corinthios 2. *Chriſti bonus odor ſumus*, dicere poſſint.

22. Circa hanc concluſionem, & hujus ſacramenti materiam, quatuor occurrunt difficultates, breviter hîc diſcutiendæ, & reſolvendæ.

§. I.

Reſolutio primæ difficultatis.

23. PRima difficultas eſt, an unctio chriſmatica ſit ita determinatè neceſſaria ad eſſentiam hujus ſacramenti, ut ſine illa per nudam manuum impoſitionem conferri nequeat? Ratio dubitandi eſt, quia Apoſtoli in primitiva Eccleſia, per ſacramentum, & idem in uſu fuiſſe tempore Concilij Arauſicani ſub Leone I. docet Sirmundus in Antirrhetico num. 10. motus verbis canonis primi hujus Concilij à ſe correcti & explicati, ubi (inquit) præcipitur, ut ſi quis in Baptiſmo chriſmatus fuerit, non chriſmetur iterum in Confirmatione, ſed manus tantùm ab Epiſcopo ipſi imponantur. Ex quo ille Author ibidem infert, chriſmaticam unctionem non eſſe de eſſentia hujus ſacramenti, ſed duntaxat cæremoniam quandam accidentalem, ad illius ornatum ab Eccleſia inventam, & nudæ manuum impoſitioni ſuperadditam, ſubindeque illud ex diſpenſatione Summi Pontificis poſſe per ſolam manuum impoſitionem conferri. Id confirmat verbis quibuſdam Hieronymi, Gennadij, Hilarij Arelatenſis, & D. Auguſtini, qui Confirmationem vocant, *Manûs impoſitionem.*

Hæc tamen ſententia pluſquam falſa videtur: 24.
Fuit enim perpetuus mos Eccleſiæ, ſive in Oriente, ſive in occidente, ab initio uti Chriſmate, neque in hoc aliqua varietas fuit, quemadmodum in materia ordinationis, ut patet ex Dionyſio, Clemente, Tertulliano, & aliis Patribus articulo præcedenti citatis: At non fuiſſet ille uſus inviolabilis ſemper adeò in Eccleſia, niſi fuiſſet neceſſarius, & à Chriſto determinatè inſtitutus; nam cùm materia Chriſmatis ſit rara, pretioſa, & inventu difficilis, non ſemper fuiſſet adhibita, ſi non fuiſſet exiſtimata neceſſaria: Ergo &c.

Confirmatur: Concilium Florentinum in de- 25.
creto Eugenij ſuprà citato, inſinuat ex diſpenſatione Summi Pontificis poſſe ſimplicem Sacerdotem eſſe hujus ſacramenti miniſtrum, in aliquo caſu; & tamen agens de materia illius, ita requirit Chriſma, ut nullo modo inſinuet poſſe aliquando ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ ſufficere manûs impoſitionem: Ergo ſignum eſt, Concilium exiſtimaſſe, unctionem chriſmaticam eſſe de neceſſitate omnimoda hujus ſacramenti, & non ſolùm cæremoniam quandam accidentalem, ad illius ornatum ab Eccleſia inventam, & nudæ manuum impoſitioni ſuperadditam. Unde

Ad primum Sirmundi fundamentum, dicen- 26.
dum eſt cum D. Thoma hîc art. 2. ad 1. Apoſtolos diſpenſatione divinâ confirmaſſe per impoſitionem manuum, ſine Chriſmate, privilegio illis ſolis proprio, & ipſis, ob rationes articulo præcedenti §. 2. adductas, ſpecialiter conceſſo.

Dices, ex hac ſolutione & doctrina D. Tho- 27.
mæ ſequi, non eſſe idem ſacramentum Confirmationis quod nunc celebrat Eccleſia, ac illud quod Apoſtoli in primitiva Eccleſia conferebant, cùm diverſa ſit illorum materia.

Sed nego ſequelam: licèt enim materia quâ Apoſtoli ex ſpeciali Chriſti diſpenſatione utebantur ad conferendum Confirmationis ſacramentum, eſſet materialiter & entitativè diverſa, ab

ea

Universidad de Deusto
Biblioteca

ea quâ nunc utitur Ecclesia, erat tamen eadem formaliter, quia subsistabat eidem significationi, & Christi institutioni, eandemque habebat vim productivam gratiæ, seu efficaciam ejusdem gratiæ sacramentalis, unde sicut ordinatio Sacerdotum, Græca & Latina, sunt unum & idem specie sacramentum ordinationis, quia licèt actiones quibus constat, & quibus character sacerdotalis imprimitur, sint entitate materiali diversæ, eandem tamen habent significationem, & efficaciam ejusdem gratiæ sacramentalis, eandemque Christi institutionem: ità & sacramentum Confirmationis quod nunc celebrat Ecclesia, & illud quod Apostoli per solam manuum impositionem ex speciali Christi privilegio in
28. primitiva Ecclesia conferebant.

Ad secundum nego quod Confirmationis administratio, per solam manuum impositionem fuerit in usu tempore Concilij Arausicani, & quod canone 1. præcipiatur, ut in Baptismo chrismatus, non chrismetur iterum in Confirmatione; sed solùm ibi duo alia jubentur, primò Chrismatio baptismalis, secundò, ut si aliquo casu omissa fuerit, de hoc moneatur Episcopus ante Confirmationem, ut scilicet, antequam eum qui non fuit Chrismatus in Baptismate, confirmet, chrismandum priùs chrismatione baptismali, ad Sacerdotem remittat, eò quòd ipse non C
possit duplicem præbere Chrismationem; propterea siquidem, dum Episcopus episcopali ritu baptizat, nullam adhibet unctionem verticalem, sed mox ab affusa baptizato aqua, ad frontis unctionem, atque adeò Confirmationis administrationem, procedit.

29. Quantùm verò ad Patres quos citat Sirmundus, licèt interdum Confirmationem vocent *manûs impositionem*, non tamen dicunt, eam esse solam manûs vel manuum impositionem, quin potiùs vel iisdem vel aliis locis eam etiam appellant *Chrismationem:* ideò autem vocatur interdum à Patribus Confirmatio, manûs, vel manuum impositio, quia ut loquitur Innocentius III. cap. *Cum venisset*, de sacra unctione: *Per frontis Chrismationem, manûs impositio designatur*, D
id est significatur. Vel etiam, quia ipsa unctio in fronte confirmandi, manûs quædam impositio est.

§. II.

Resolutio secundæ difficultatis.

30. SEcunda difficultas est, an essentiale sit huic sacramento, quòd oleum ex quo unà cum balsamo Chrisma conficitur, sit ex olivis expressum, vel sufficiat oleum nucum, vel amygdalarum, aut quid simile?

Respondeo, oleum ex quo Chrisma conficitur, esse duntaxat oleum olivarum, illud enim E
solum propriè dicitur oleum, & maximè habetur in usu communi hominum, ubi haberi potest, aliud autem non nisi in supplementum, ut rectè ait S. Thomas hîc art. 2. ad 3. Nomen ergo olei, simpliciter & sine addito positum, tam verè & propriè significat oleum olivarum, quàm nomina aquæ, panis, & vini significant aquam naturalem, panem triticeum, & vinum vitigineum. Quare sicut ex eo quod Christus asseruit, aquam esse materiam Baptismi; & panem ac vinum, Eucharistiæ; Ecclesia intellexit, & Concilia definiverunt, aquam naturalem, panem triticeum, & vinum vitigineum, esse materias horum sacramentorum, Baptismi scilicet & Eucharistiæ: sic per oleum, quod secundùm institutionem à Christo per Apostolos, eorumque successores acceptam, dicitur à SS. Patribus materia sacramenti Confirmationis, oleum propriè dictum, id est olivarum, intelligendum est.

§. III.

Tertia difficultas resolvitur.

TErtia difficultas est, an admixtio balsami 31.
cum oleo olivarum, sit de necessitate & essentia materiæ Confirmationis, ita ut vero balsamo non appositio, non fiat sacramentum? Negat Cajetanus hîc art. 2. dicens, *Sacramentum Confirmationis quoad substantialia esse completum sine balsamo, quamvis sit necessarium necessitate præcepti, non necessitate sacramenti, quòd mixtum ex oleo & balsamo sit materia Confirmationis.* Idem docent Soto in 4. dist. 7. quæst. unicâ art. 2. Estius ibidem §. 8. Valentia tomo 4. disputatione 5. quæst. 1. puncto 2. Caramuël in Theologia fundamentali cap. 7. fundam. 65. n. 1272. Vericelli de apost. missionibus tit. 7. quæst. 127. num. 8. & 9. Gabriël à S. Vincentio, Carmelita discalceatus, disputatione 2. quæst. 1. de Confirmatione, & plures alij.

Nihilominus mixtionem illam balsami cum 32.
oleo, esse non solùm de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate sacramenti, manifestè colligitur ex D. Thoma hîc art. 2. ubi absolutè affirmat, materiam hujus sacramenti esse chrisma ex oleo & balsamo confectum, & reddit rationem, quare utrumque in illo debeat reperiri. Et 4. cont. Gentes cap. 60. inter ea quæ ad essentiam Confirmationis pertinent, numerat balsamum. Item in 4. dist. 7. qu. 1. art. 2. qu. 2. ait quod *materia Confirmationis est oleum balsamatum.* Demum in 4. ad Annibaldum dist. 7. art. 2. hæc scribit: *Materia Confirmationis componitur ex oleo olivarum & balsamo.*

Idem constat ex Florentino in decreto Eugenij, ubi sic legitur: *Secundum sacramentum est Confirmatio, cujus materia est Chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ.* Ubi docere videtur, oleum & balsamum æquè pertinere ad materiam sacramenti Confirmationis: unde cùm constet oleum esse materiam essentialem ipsius, idem de balsamo dicendum est.

Dices tamen, Idem Concilium docuisse ma- 33.
teriam calicis esse vinum aquâ mixtum, & tamen certissimum esse, quod aqua non sit de necessitate sacramenti in Eucharistia, sed tantùm de necessitate præcepti: Ergo idem dicendum de balsamo in Confirmatione, non obstantibus verbis Concilij.

Sed nego consequentiam & paritatem: Concilium enim loquens de materia calicis, non dicit esse vinum aquâ mixtum, vel esse compositum ex vino & aqua, sed esse vinum, cui aqua debet admisceri: At verò de chrismate docet esse confectum ex oleo & balsamo, unde patet manifesta differentia.

Ratio etiam suffragatur: Materia enim Con- 3
firmationis necessaria necessitate sacramenti, est Chrisma, ut ostendimus contra Sirmundum: Sed nomen Chrismatis, quamvis apud Scriptores prophanos quodlibet unguenti genus significet, tamen

tamen apud SS. Patres & Scriptores Ecclesiasti- A
cos, non solùm oleum, sed oleum balsamo mixtum designat: Ergo materia sacramenti Confirmationis essentialiter constat ex oleo & balsamo. Major patet, Minor probatur primò ex D. Dionysio qui in libro de Eccles. hierarchia cap. 4. loquens de chrismate, asserit illud componi ex re odorifera, quod de simplici oleo intelligi nequit, benè tamen de oleo cum balsamo, quod suavissimum odorem habet. Secundò ex D. Gregorio, qui explicans illud Cantic. 1. *Botrus Cypri in vineis Engaddi*, sic ait: *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, pontificali benedictione Chrisma efficitur.* Tertiò ex Innocentio III. cap. *Pastoralis*, de sacramentis non iterandis, ubi referens quendam in sacramento Confirma- B
tionis per errorem unctum fuisse simplici oleo benedicto, non autem unguento ex oleo & balsamo, dicit eum fuisse unctum simplici oleo, & non Chrismate, distinguens oleum à Chrismate, propter alterius liquoris admixtionem. Denique eadem Minor suaderi potest contra Cajetanum, argumento ad hominem: nam si quæ esset ratio ob quam nomen Chrismatis solum oleum significaret, maximè quia, ut dicit Cajetanus, unctionem significat, cui oleum sufficit: Sed hæc ratio nulla est, unctioni enim non minùs sufficit balsamum, cùm sit unguentum, quàm oleum, & tamen fatetur Cajetanus, balsamum non sufficere ad rationem Chrismatis: Ergo nutat præcipuum ejus fundamentum.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

35. OBjicies primò: SS. Patres interdum appellant Confirmationem, *sacramentum olei*, nullâ factâ mentione balsami: Ergo signum est mixtionem balsami non esse de necessitate sacramenti.

36. Secundò, Balsamum magni æstimatur, fuitque olim usque adeò rarum, ut teste Plinio libro 12. & 25. solùm in Judæa, & in duobus duntaxat hortis regiis oriretur: unde Titus captâ Jerosolyma, arbustulam balsami in triumphum detulit: Ergo Apostolis, primisque Ecclesiæ Rectoribus, qui valde inopes erant mundi facultatum, balsamum non suppetebat, & consequenter non est materia necessaria in Confirmatione. D

37. Tertiò, Innocentius III. cap. *Pastoralis*, de sacramentis non iterandis, rogatus an Confirmatio iteranda esset in eo qui per errorem, non Chrismate, sed oleo simplici fuerat delinitus: Respondet non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum quod incautè fuerat prætermissum: Ergo supponit illud quod omissum fuerat, nimirum unctionem Chrismaticam, E
non esse essentialem, aliàs enim sacramentum fuisset nullum, & consequenter denuo conferendum.

38. Denique Chrisma apud Græcos est oleum & balsamum, quibus duodecim alia aromata immiscentur, ut videre est in Euchologio, & apud Arcudium in concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis libro 2. cap. 5. videturque ille usus habere fundamentum in Dionysio, qui in libro de Eccles. Hierarchia cap. 4. hæc scribit: *Dicimus igitur unguenti confectionem esse collectionem quandam suaviter spirantium materiarum, quæ in*

se magnam vim & copiam fragrantium qualitatum contineat: Sed alia aromata non sunt de necessitate sacramenti Confirmationis: Ergo neque balsamum. A

Ad primum respondeo, quod cùm præcipua 39.
pars materiæ hujus sacramenti sit oleum, eique modicum tantùm balsami admiscri necessarium sit, mirum non est, quod interdum dicatur *sacramentum olei*, à parte ejus magis præcipua in quantitate, licèt præter oleum requiratur etiam balsamum.

Ad secundum respondeo cum D. Thoma hîc 40.
art. 2. ad 4. non opus esse materiam Confirmationis tam facilè inveniri & haberi posse, quàm materiam Baptismi, quia non est tantæ necessitatis Confirmatio, quàm Baptismus, & sufficere quòd è remotis regionibus ad omnia loca terrarum deferri possit. Et quamvis magni pretij sit, tamen ad conficiendum Chrisma, non requiritur tanta quantitas ejus, ut emi non potuerit ab Episcopis primitivæ Ecclesiæ, licèt pauperrimis, saltem ex eleemosynis fielium. B

Addo, fuisse etiam ab ortu Ecclesiæ Chri- 41.
stianæ magnam balsami copiam, nam quod dicit Plinius de penuria balsami, ad priora sæcula referendum est, ipse enim loco citato subjungit, suo tempore balsamum montes & colles vitium instar impleviisse, & Josephus libro 8. cap. 2. dicit Reginam Saba Salomoni plantam attulisse balsami, cujus (inquit) ferax est nostra regio. Propter quod Fabianus Papa, qui anno à Chri- C
sto nato 238. Ecclesiam rexit, non recipiens excusationem Orientalium Episcoporum, qui balsamum ægrè reperiri causabantur, statuit quot annis, combusto veteri Chrismate, novum confici oportere. Et Concilium Bracharense secundum, sub Honorio, cap. 4. inhibuit Episcopis aliquid pretij accipere pro balsamo. Nunc autem ex America balsamum in varias regiones asportatur, quod licèt à Judaïco differat colore, est tamen verum balsamum, quia in fragrantia boni odoris, & in effectibus, aliisque proprietatibus, habet sufficientem convenientiam cum balsamo Syriaco, sive aliunde differat specie infima ab ipso, sive non; subindeque validè ex illo Chrisma conficitur, ut Paulus III. D
& Pius IV. declaraverunt: sicut quamvis vinum album colore, & fortè specie, differat à rubro, tamen utrumque est materia Eucharistiæ, quia utrumque est verè & propriè vinum.

Ad tertium dicendum Innocentium III. ver- 42.
bis citatis solùm voluisse, quod quia prior unctio fuerat publicè facta, propter scandalum, publicè iterari non debuit, sed privatim occultè absque solemnitate defectum substantialem supplendum esse, utendo omnibus quæ sunt de necessitate sacramenti in Confirmatione, & accidentalia duntaxat omittendo, subindeque in occulto & privatim, denuo adhibendam esse unctionem olei & balsami, cum debita forma, illi qui per errorem, non Chrismate, sed simplici oleo fuerat delinitus. E

Ad quartum dicendum quod licèt duodecim 43.
illa aromata, quæ oleo & balsamo, ex usu Ecclesiæ Græcæ, ad conficiendum Chrisma admiscentur, non sint de necessitate sacramenti, sed ad ritum quendam accidentalem hujus Ecclesiæ pertineant, oleum tamen & balsamum sunt de necessitate & essentia materiæ Confirmationis. Unde cùm in sacra Congregatione dubitaretur, an

Universidad de Deusto
Biblioteca

talis usus Græcorum tolerandus esset, decretum fuit, investigandum esse talis usûs initium; & si illud antiquissimum esset, tolerandum; sed monendos Græcos, ut ea aromata pauca sint, & in tali quantitate, ut balsami odor prævaleat, & oleum ita sub ratione olei perseveret, ut effectus olei semper retineat. Quod si talis usus non sit ita antiquus, sed post schisma incœptus, omnino eum esse tollendum. Unde sacra Congregatio sensit, balsamum esse de necessitate sacramenti. Idem expresè docet Concilium Colonense, in doctrina de sacramento Confirmationis, nam ibi asserit balsamum esse de essentia, & negat solum oleum sufficere ad sacramenti veritatem; licèt quia Concilium illud fuit tantùm provinciale, & à Summo Pontifice confirmatum non est, ejus definitiones, ad dogmata fidei non pertineant.

§. V.

Alia difficultas expeditur.

44. QUarta difficultas est, utrum de necessitate sacramenti Confirmationis sit quod Chrisma sit consecratum ab Episcopo, ita ut simplex Sacerdos non possit, etiam ex commissione Summi Pontificis, Chrisma consecrare?

Ratio dubitandi est, quia potest Summus Pontifex (ut infrà dicemus) simplici Sacerdoti committere administrationem sacramenti Confirmationis, quod est aliquid majus, quàm materiam ipsius consecrare: Ergo à fortiori poterit simplex Sacerdos, ex commissione Papæ, conficere & consecrare Chrisma, sicque non erit de essentia & necessitate hujus sacramenti, quod Chrisma sit consecratum ab Episcopo.

45. Oppositа tamen sententia magis placet, & satis apertè ex Florentino colligitur: cùm enim loco suprà citato, absque differentia dicat, materiam hujus sacramenti esse Chrisma, confectum ex oleo & balsamo, & ab Episcopo benedictum, videtur sentire, quod sicut oleum est necessarium necessitate sacramenti, ita & & benedictio sive consecratio ejus, facta per Episcopum.

46. Id etiam constat ex perenni usu Ecclesiæ, cùm enim nunquàm legatur, potestatem Chrismа conficiendi, simplici Sacerdoti ex dispensatione speciali contulisse, quin potiùs cùm Concilium Florentinum dicens, legi aliquando esse dispensatum, ut simplex Sacerdos confirmaret, addat eum hoc debuisse facere, Chrismate per Episcopum benedicto, signum probabilissimum est, supposuisse Concilium, hoc esse necessarium necessitate sacramenti, proindeque non posse Summum Pontificem, vel Ecclesiam, in hoc validè dispensare.

47. Ex quo facilè solvi potest fundamentum adversæ sententiæ, & afferri ratio cur Papa ex Christi voluntate possit conferre potestatem simplici Sacerdoti administrandi sacramentum Confirmationis, non tamen conficiendi Chrismа. Chrisma enim facilè potest ad quævis loca transferri, Episcopus verò non potest ita facilè haberi, unde primum legitur aliquando ob necessitatem fuisse concessum, ut infrà patebit; secundum verò nunquam, sed semper prohibitum, ut constat ex Concilio Vvormatiensi cap. 2. ubi sic habetur: *Chrisma conficere nullus præter Episcopum præsumat*; & ex Canone *Presbyter* 26. qu. 6. ubi dicitur: *Presbyter Chrismа nunquam conficiat*. Congruentia verò hujus institutionis, fuit major dignitas materiæ hujus sacramenti, in qua consecranda, decens erat ut omnes à primis Ecclesiæ Pastoribus dependerent. Et sicut in naturalibus producere materiam, aliquid excellentius est, quàm compositum, eò quòd materia non sit producibilis nisi per creationem: sic etiam in Confirmatione excellentius est consecrare materiam, quàm sacramentum ipsum ministrare; nam qui materiam conficit, ad modum creantis se habet, & ideò hoc reservatur magnis Ecclesiæ Principibus, scilicet Episcopis. Addo quod quamvis daretur, quod majus esset conferre sacramentum Confirmationis, quàm ejus materiam consecrare, argumentum non valeret, non enim omnis qui potest majus, potest quidlibet minus: ut homo potest generare hominem, non aquilam: Sacerdos potest conficere corpus & sanguinem Christi, sed non altaria consecrare, vel alios Sacerdotes ordinare, quod est minus, & veluti quædam præparatio ad Eucharistiam conficiendam.

§. VI.

Confirmationis materia proxima, & forma hujus sacramenti explicantur.

48. DIco secundò, materiam proximam Confirmationis esse unctionem Chrismatis in fronte, per manum Episcopi, in formam crucis factam.

Constat ex communi usu & praxi Ecclesiæ, variisque Conciliorum decretis, præcipuè Florentini, in decreto Eugenij. Et quidem primò quòd materia proxima Confirmationis sit unctio Chrismatis, liquet ex generali regula sacramentum quæ in usu consistunt, nam in his proxima materia est usus materiæ remotæ, quia est id quod immediatè per formam significatur.

Secundò, quòd facienda sit unctio in fronte confirmandi, constat ex eodem decreto Eugenij ubi sic habetur: *Ideò in fronte ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat.*

Tertiò hæc unctio chrismatica in modum crucis fieri debet, tum ut verificentur verba illa formæ: *signo te signo crucis*: tum etiam ut per hoc declaretur Christianum non debere erubescere crucem Christi, quæ secundùm Apostolum Judæis fuit scandalum, Gentibus autem stultitia, ut subdit Eugenius loco citato. Tum denique, ut per hoc significetur, totam hujus sacramenti virtutem & efficaciam, à cruce & passione Christi derivari. Unde Cyprianus in libro de baptismo Christi: *In ejus cruce* (inquit) *gloriamur, cujus virtus omnia peragit sacramenta, sine quo signo nihil est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum. Hinc omnium sanctificationum exurgit sublimitas, & profundum, & longè latéque diffunditur pleniudo gratiarum.* Aliam insinuat rationem D. Thomas hic artic. 4. ad 3. ubi ait: *Hoc sacramentum non solum ordinatur ad hoc quod homo sanctificetur in seipso, sed exponitur cuidam pugnæ exteriori. Et ideò non solum fit mentio de interiori sanctificatione, cùm dicitur: Confirmo te Chrismate salutis, sed etiam consignatur homo exterius quasi vexillo crucis ad pugnam spiritualem, quod significatur, cùm dicitur, Consigno te signo crucis.*

Quartò

Quartò hæc unctio debet fieri immediatè manu ipsius Episcopi, & non medio aliquo instrumento, quia hoc sacramentum debet fieri per aliquam manûs impositionem, ut constat ex suprà dictis. Quod verò unctio fiat pollice manûs dexteræ, solùm ex ritu præscripto ab Ecclesia, & & ex consuetudine habetur: unde validum esset sacramentum, si fieret alio digito, vel manu sinistrâ, quia verè fieret per impositionem manûs; peccaret tamen Episcopus, quia in hoc discederet à consuetudine Ecclesiæ, & à ritu præscripto in Pontificali Romano.

Dico tertiò? hanc formam sacramenti Confirmationis, quâ utitur Romana Ecclesia: *Consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*, esse convenientissimam, posse tamen hoc sacramentum validè ministrari, sub aliis formis, ab ista subst antialiter diversis.

49. Prima pars patet, nam ut observat D. Thomas in forma illa quâ utitur Romana Ecclesia, tria designantur, quæ in sacramento Confirmationis reperiuntur, nimirum signum quo notatur is qui in certamen Christianæ militiæ descensurus est, robur spirituale quod homini per hoc sacramentum confertur, & causa conferens tale robur, scilicet sanctissima Trinitatis, quæ convenientissimè in hoc sacramento exprimitur, tum quia illud est perfectio Baptismi, qui fit expresâ invocatione Trinitas; tum etiam quia in Confirmatione armatur Christi miles, ut inter alia mysteria, Trinitatem profiteri non erubescat.

50. Secunda verò pars suadetur: nam in edicto: Constantini magni (si tamen verè illius est) quod habetur tomo 1. Conciliorum, ante Concilium Nicænum primum, Constantinus Magnus refert se à Sylvestro Papa, post Baptismum, in fronte signatum, & Chrismate unctum fuisse in hæc verba: *Signet te Deus sigillo fidei, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, in consignatione fidei.* Et apud Ambrosium libro 2. de sacramentis cap. 7. in fine, hæc forma traditur: *Deus Pater omnipotens qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam.* Item in quodam Rituali Romano ante annos 800. scripto, hæc forma (ut refert Alcuinus) habetur: *Signa eos Domine signo crucis: ego te confirmo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Demum forma sacramenti Confirmationis in Ecclesia Græca, hæc est: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, supple *est istud*: ut patet ex omnibus Græcorum Euchologiis, ubi hæc forma refertur, & ex secundo Concilio œcumenico can. 7. ubi expresè traditur, ut testatur Græcorum rituum peritissimus & doctissimus Cardinalis Bessarion, libro de sacramento Eucharistiæ, tomo 6. Bibliothecæ Sacræ, folio 482. Hanc etiam esse Græcorum formam asserunt Arcudius Græcus Author, de concordia occidentalis & orientalis Ecclesiæ in sacramentorum administratione libro 2. cap. 6. & 7. Basilius Pontius de sacramento Confirmationis paginâ secundâ cap. 7. Vericelli de missionibus Apostolicis titulo 11. sect. 2.

51. Nec obstat quod ait Catumsyritus in concordia utriusque Ecclesiæ, Tractatu 1. accus. 7. nimirum Severum Patriarcham Alexandrinum libro de ritibus Baptismi, tomo 6. Bibliothecæ Sacræ, referre formam Confirmationis omnino similem Romanæ. Nam sicut in Ecclesia Latina in diversis Ritualibus & Pontificalibus est invenire diversas formas Confirmationis, quas jam retulimus: ita mirum non est si in diversis Græcis Euchologiis diversæ inveniantur formæ Confirmationis, sed quæ frequentior est in Euchologiis Græcis, est illa quam recensuimus, ut Authores citati testantur.

Non valet etiam quod idem Author secundò dicit, nempè hæc verba: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, non esse formam sacramenti Confirmationis, sed cujusdam chrismationis reconciliatoriæ cæremonialis, quæ ab Ecclesia Græca olim in Baptismo adhibebatur. Nam præterquam quod Cardinalis Bessarion, & Arcudius Authores Græci, & in Græcorum ritibus peritissimi, expresè testantur, verba illa esse formam quâ communiter Græci utuntur, dum sacramentum Confirmationis administrant: Clemens VIII. in bulla de institutione Græcorum, quæ habetur tomo 3. Bullarij fol. 47. cùm prohibuisset Presbyteris Græcis, ne Confirmationis sacramentum conferrent, prohibuit quoque ne ista verba, *Signaculum doni Spiritus Sancti*, proferrent, sed ante illa absolverent Baptismum: At si illa verba non essent vera forma Confirmationis, sed quandam solùm Baptismi cæremoniam continerent, ea certè non prohibuisset, nam Baptismus plures habet cæremonias in Latina & Græca Ecclesia, quæ nullâ ratione negligi debent, ut benè scribit Arcudius libro 2. cap. 7. Ergo &c. 52.

Ex his probata manet secunda pars conclusionis, quæ asserit sacramentum Confirmationis posse validè ministrari sub aliis formis substantialiter distinctis ab ea quâ Ecclesia Romana jam utitur: quis enim negare audeat aliquas ex formis relatis, substantialiter differre ab ea quâ hodie Ecclesia utitur, cùm in forma Græcorum, & in Ambrosiana, nulla fiat invocatio Trinitatis, nec expressio actionis ministri? Unde dicendum est, Christum non determinasse formam sacramenti Confirmationis, quoad speciem, sed solùm quoad genus, & instituisse solùm quod hoc sacramentum celebraretur per aliqua verba quæ ejus effectum significarent, ac reliquisse potestati Ecclesiæ verba illa determinare, unde orta est diversitas illa formarum, diversique ritus sacramentum illud ministrandi in Latina & Græca Ecclesia. Sicut in sacramento Ordinis Christus non determinavit materiam in specie, sed solùm in genere, & voluit quidem quòd non conferretur Ordo nisi per aliquod signum sensibile, significativum potestatis quæ traditur, non tamen in particulari tale signum designavit: unde in Ecclesia Latina Sacerdotes initiantur per contactum calicis & patenæ, & in hac actione character sacerdotalis imprimitur: in Ecclesia verò Græca, per solam manuum impositionem super caput ordinandi sacerdotium confertur. De quo Tractatu præcedenti disputatione 1. art. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICULUS III.

Quodnam sit subjectum capax Confirmationis, & utrum ad ejus susceptionem adulti aliquando obligentur?

54. Dico primò: subjectum capax Confirmationis est quilibet baptizatus. Ita definitum est ab Urbano Papa de consecratione dist. 5. can. *Omnes*, ubi sic dicitur: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, debent Spiritum Sanctum post Baptismum accipere.*

Id etiam probat D. Thomas hîc art. 8. in corp. quia sicut de intentione naturæ est, ut omnis qui corporaliter nascitur, ad perfectam perveniat ætatem; ita & multò magis de intentione Dei hominem spiritualiter renatum per Baptismum, perficere per Confirmationem.

Idem confirmat in argumento *Sed contra*, ex eo quod Spiritus Sanctus adveniens in die Pentecostes, Actorum 2. replevit totam domum, per quam Ecclesia designabatur, & quicumque erant in eadem domo quâ Apostoli, fuerunt omnes repleti Spiritu Sancto: Ergo sacramentum Confirmationis, quod datur ad illam plenitudinem consequendam, debet omnibus qui sunt in Ecclesia exhiberi.

55. Observandum tamen est ex Catechismo Pij V. C parte 2. cap. 3. omnibus quidem post Baptismum, Confirmationis sacramentum posse administrari, minùs tamen communiter expedire hoc fieri ante rationis usum. Primò, quia major est reverentia sacramenti, ut cum propria fide & dispositione hominis suscipiatur. Secundò, est etiam major utilitas ipsius suscipientis, quia majorem gratiam ex opere operato accipiet, si cum propria dispositione accedat. Tertiò, ut magis meminerit quod ei dicitur, cùm ab Episcopo alapâ ceditur, se deinceps pro nomine Jesu contumelias libenter pati debere. Quartò, ut magis vitetur periculum iterationis, ob ignorantiam vel oblivionem Confirmationis jam acceptæ. Denique cùm sacramentum Confirmationis sit veluti secunda fidei professio solemnis, pe se videtur expediens, ut quando prima in Baptismo facta est per alios, secunda in hoc sacramento fiat per ipsummet suscipientem. Sufficit autem communiter ætas septem annorum, atque etiam licitè præveniri potest justa de causa, ut si imminerent persecutiones, sicut tempore nascentis Ecclesiæ, vel si puer hac occasione prætermissâ, non posset diu post, ob Episcoporum penuriam, vel aliam similem causam, hoc sacramentum suscipere.

56. Dico secundò: ad recipiendum sacramentum Confirmationis in nullo casu tenentur adulti, sub E præcepto, per se & directè eos obligante. Est contra Scotum, Bellarminum, Turrianum, Martinonum, & alios. Est tamen D. Thomæ in 4. dist. 7. quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 1. in corp. ubi dicit quod sacramentum Confirmationis non est necessitatis, sed utilitatis; quod tamen esset falsum, si in aliquo casu per se tenerentur adulti sub præcepto ipsum recipere, tunc enim esset sacramentum necessitatis præcepti. Item in hac parte suprà quæst. 65. art. 4. postquam dixit dupliciter aliquid necessarium dici, uno modo simpliciter, sine quo videlicet haberi non potest finis; alio modo secundùm quid, sine quo scilicet A finis non habetur ita convenienter, sicut equus necessarius est ad iter; subdit secundo isto modo necessariam esse Confirmationem, quod tamen patet fore falsum, si Confirmatio esset per se de præcepto, in aliquo casu.

Ratio etiam suffragatur: Nullum enim est præ- 57.
ceptum, neque divinum, neque Ecclesiasticum, per se obligans fideles in aliquo casu, ad susceptionem sacramenti Confirmationis: Ergo sub nullo præcepto, per se & directè unquam tenentur illud suscipere. Consequentia patet, Antecedens verò probatur primò de præcepto divino, quia in nullo Scripturæ loco habetur, sicut habentur præcepta de Baptismo, Eucharistia, & Pœnitentia; neque ex traditione, cùm nulla B sufficiens traditio habeatur in Conciliis, Patribus, aut Ecclesia, quæ præceptum hoc divinum persuadeat; neque colligitur ex ipsa natura sacramenti, quia sacramentum Confirmationis solùm datur ad melius esse: homines autem in vita spirituali non tenentur ad id quod melius est.

Probatur etiam Antecedens quoad secundam 58.
partem, & ostenditur nullum esse præceptum Ecclesiasticum obligans fideles ad susceptionem Confirmationis: Ecclesia enim non imponit præceptum de aliquo sacramento suscipiendo, nisi præsupposito divino præcepto, determinando scilicet tempus quo illud debet impleri, ut patet in aliis sacramentis necessariis, nempè Baptismo, & Pœnitentia; unde cùm nullum sit divinum præceptum de Confirmatione suscipienda, ut jam ostensum est, nullum etiam erit de illa præceptum Ecclesiasticum. Addo quod, si esset aliquod præceptum Ecclesiasticum, maximè obligaret in articulo mortis: quod tamen esse falsum patet, tum ex usu Ecclesiæ, tum ex Melchiade Papa in cap. *Spiritus Sanctus*, de consecratione dist. 5. ubi dicit hoc sacramentum non esse necessarium hominibus jam morituris.

Dixi autem in conclusione, adultos per se & 59.
directè non teneri ad suscipiendum sacramentum D Confirmationis, quia interdum per accidens & indirectè ad illud recipiendum obligari possunt, putà ratione scandali, ut si putaretur aliquis omittere Confirmationem, eò quòd eam contemneret, aut non crederet esse sacramentum: vel ratione propriæ conscientiæ, quando nimirum aliquis sibi persuadet quod absque tali medio tentationes contra fidem non superabit, & credit sibi imminere periculum deficiendi à fide, nisi hoc sacramento roboretur.

Contra istam conclusionem objicitur primò: 60.
Omnes fideles tenentur ex præcepto divino esse plenè sive perfectè Christiani: Sed ad hoc necessaria est sacramenti Confirmationis susceptio, cùm per tale sacramentum homo fiat plenè & perfectè Christianus: Ergo homo tenetur ad recipiendum sacramentum Confirmationis. Unde in Can. *Omnes* suprà citato dicitur: *Omnes fideles per manûs impositionem Episcoporum, Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.*

Secundò, Tenetur ex præcepto divino quili- 61.
bet fidelis adultus, non inermis aggredi periculum maximum fidei, & spiritualis militiæ: Sed velle absque sacramento Confirmationis coram tyranno fidem profiteri, est velle inermis aggredi periculum maximum fidei & spiritualis militiæ;

militiæ; proprium enim est sacramenti Confirmationis armare Christianum in hunc finem: Ergo tenetur fidelis adultus, saltem in illo casu, recipere, si possit, sacramentum Confirmationis.

62. Tertiò, Magis obligat bonum vitæ spiritualis, quàm bonum vitæ corporalis: Sed ita obligat bonum vitæ corporalis, ut in vita naturali habeat homo præceptum adhibendi medium necessarium ut augeatur: Ergo etiam in vita spirituali habet præceptum suscipiendi medium ordinatum ad augmentum talis vitæ, quale est sacramentum Confirmationis.

63. Pro resolutione primæ objectionis observandum est ex doctrina D. Thomæ in 4. dist. 7. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 1. plenitudinem B gratiæ Christianæ duplicem distingui, alia enim est quoad sufficientiam, quæ datur in Baptismo, & quæ constituit hominem subsantialiter Christianum; & alia quoad abundantiam, quæ datur in Confirmatione, & constituit hominem jam Christianum, militem Christi. Hoc posito.

64. Ad primum respondeo distinguendo Majorem: Omnes fideles tenentur esse plenè Christiani, plenitudine sive perfectione quoad sufficientiam, concedo Majorem. Plenitudine sive perfectione quoad abundantiam, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Unde quando in Canone *Omnes* dicitur quod omnes fideles per impositionem manûs Episcoporum, Spiritum Sanctum accipere debent, verbum illud *debent*, non significat præceptum, sed consilium, hujusque sacramenti utilitatem, non verò illius necessitatem, declarat.

65. Ad secundum nego Minorem, licèt enim qui in occasione profitendi suam fidem coram tyranno, negligit confirmari armis illis specialibus quibus milites Christi sacramento Confirmationis induuntur, nolit corroborari; quia tamen aliunde, scilicet gratiâ baptismali, cum virtutibus & auxiliis ipsi correspondentibus, sufficienter ad resistendum præmunitur, non est dicendus periculum fidei inermis aggredi.

66. Ad tertium, concesso Antecedente, nego Consequentiam & paritatem; Ratio discriminis est, quia medium ordinatum ad augmentum vitæ corporalis, unicum est, scilicet nutritio: è contra verò illud quod ordinatur ad augmentum vitæ spiritualis, est multiplex, adeò ut aliis mediis, quàm sacramento Confirmationis possit quis augere in se gratiam.

ARTICULUS IV.

Quinam sit proprius sacramenti Confirmationis effectus?

67. FAcilis est resolutio hujus difficultatis ex dictis articulis præcedentibus. Unde

Dico breviter, proprium ac specialem sacramenti Confirmationis effectum, esse augmentum gratiæ, quo homo roboratur ad profitendam fidem, & acquirit jus ad specialia auxilia pro illo actu constanter eliciendo.

Patet ex Florentino in decreto Eugenij, ubi dicitur, in hoc sacramento dari Spiritum Sanctum ad robur, ut Christianus Christi nomen audacter confiteatur. Idem testantur antiquissimi Patres, Dionysius, Clemens, Tertullianus, Au- A gustinus, Cyprianus, & Melchiades Papa in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, ubi hæc scribit: *Spiritus Sanctus qui super aquas Baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum Confirmamur ad pugnam. In Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur.* Et Paulò post: *Confirmatio armat & instruit ad agones mundi hujus superandos.*

Idipsum docet D. Thomas hîc art. 7. ubi ait 68.
quod *in Confirmatione datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur, sicut Apostolis datus est in die Pentecostes.* Unde virtutem Confirmationis ex his B quæ Apostolis evenerunt, declarandam docet Catechismus Romanus, parte 2. de sacramento Confirmationis num. 21. his verbis: *Si Pastores voluerint divinam hujus sacramenti efficaciam ostendere, satis erit, quid ipsis Apostolis evenerit explicare: illi enim ante passionem, vel sub ipsam passionis horam, adeò infirmi & remissi fuerunt, ut cùm Dominus comprehensus est, statim se in fugam conjecerint; Petrus verò unius mulierculæ voce perterritus, se Jesu Christi Discipulum esse, non semel, aut iterum, sed tertiò negaverit, ac post Resurrectionem omnes propter metum Judæorum inclusi, domi se continuerint. At verò in die Pentecostes, tantâ Spiritus Sancti virtute omnes repleti sunt, ut dum Evangelium quod eis commissum erat, non solùm Judæorum regione, sed universo orbe, audacter & liberè dispergerent, nihil sibi felicius accidere posse existimaverint, quàm quod digni haberentur, qui pro Christi nomine contumeliam, vincula, tormenta, cruces perferrent* C

Demum eadem veritas ex materia & forma 69.
hujus sacramenti manifestè ostenditur: Etenim unctio & consignatio, & hæc verba formæ, *Confirmo te*, significant gratiam quæ confertur vi hujus sacramenti, dari in ordine ad certamen & luctam, roburque spirituale ad fidem constanter profitendam, conferre. Hoc autem robur, præter gratiam habitualem, dicit jus speciale ad auxilia opportunè conferenda, & certissimè, si non ponatur obex, ad fidem fortiter D profitendam, & superandas difficultates, ut perfectos decet. Quo pacto ipsi Apostoli resistebant persecutionibus, non per gratiam solùm habitualem, sed per auxilia specialia quæ Deus tempore opportuno illis abundè suppeditabat, sine quibus neminem quamvis justificatum posse diu perseverare, docet Tridentinum sessione 6. can. 22. & experientiâ satis constat.

Ex his colligitur primò, sacramentum Con- 70.
firmationis per se & ex primaria intentione Christi instituentis, non conferre gratiam primam, sed secundam: Nam gratiam confert in modum augmenti, & corroborationis, & ætatis adultæ Christiani: Sed augmentum gratiæ, E supponit gratiam esse, & priùs est fieri Christianum, quàm corroborari & perfici; priúsque est nasci, quàm adolescere, & in virum perfectum evadere: Ergo &c. Dixi *per se*, nam per accidens interdum potest hoc sacramentum primam gratiam conferre, & peccata remittere, ut docet D. Thomas hîc art. 7. ad 2. his verbis: *Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento, consequetur remissionem peccatorum.* De quo plura diximus Tractatu præcedenti, disp. 3. art. 5. §. 4. ubi ostendimus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnia ſacramenta vivorum, per accidens aliquando conferre primam gratiam, & prodeſſe mortuis, dummodo non ita mortui ſint, quin actum ailquem vitalem imperfectum, & pium aliquem motum fidei & attritionis exerceant.

71. Colligitur ſecundò, potiorem & præſtantiorem eſſe effectum Confirmationis, quàm Baptiſmi; ſicut in naturalibus plus eſt id quo conſtituimur in ſtatu ætatis perfectæ, & corroboratæ, quàm id quod ab initio noſtræ nativitatis habemus; & ſicut Apoſtoli plus acceperunt die Pentecoſtes, quàm in baptiſmo: Unde Urbanus Epiſt. 1. cap. 7. docet homines per ſacramentum Confirmationis ex infantibus fieri *plenè Chriſtianos*, & viros perfectos; & Rabanus lib. 1. de inſtit. Clericorum cap. 31. ut refertur de conſecrat. diſt. 5. cap. 5. hæc ſcribit: *Signatur baptizatus chriſmate in ſummitate capitis per Sacerdotem, per Pontificem verò in fronte, ut in priori unctione, ſignificetur ſuper ipſum Spiritus Sancti deſcenſio, ad habitationem Deo conſecrandam: in ſecunda quoque, ut ejuſdem Spiritus Sancti ſeptiformis gratia, cum omni plenitudine ſanctitatis & ſcientiæ & virtutis, venire in hominem declaretur.*

ARTICULUS V.

Vtrum ſolus Epiſcopus ſit ordinarius hujus ſacramenti miniſter?

72. PHotius Patriarcha Conſtantinopolitanus exiſtimavit non ſolum Epiſcopum, ſed etiam quemvis alium Preſbyterum eſſe miniſtrum ordinarium Confirmationis, ut colligitur ex Epiſtola Nicolai I. ad Hincmarum, relata à Baronio anno 867. Idem aſſeruit Vviclef, ut conſtat ex Conſtantienſi ſeſſ. 8. & Armacanus de quæſtionibus Armenorum lib. 11. cap. 4. id extendens etiam ad Diaconos, & aſſerens id ex ſacra Scriptura elici, quamvis decretis Eccleſiæ oppoſitum ſit definitum. Ut hic error impugnetur, & veritas Catholica ſtabiliatur.

73. Dico breviter: miniſtri ordinarij Confirmationis ſunt ſoli Epiſcopi.

D Concluſio eſt certa de fide, & definita in Florentino in Decreto Eugenij, & in Tridentino ſeſſione 7. can. 3. de Confirmatione, & ſeſſ. 23. can. 7. ubi anathematizat eos qui dixerint, poteſtatem confirmandi & ordinandi, quam Epiſcopi habent, illis eſſe cum Preſbyteris communem.

Deſumitur etiam ex Scriptura, nam Act. 8. dicitur quod Chriſtiani ab aliis baptizati, expectabant adventum Apoſtolorum, ut ipſis manus imponerent, & acciperent Spiritum Sanctum: At Epiſcopi ſucceſſere Apoſtolis, ut ait Florentinum: Ergo ipſorum eſt hoc ſacramentum con- E ferre. Unde Euſebius Papa Epiſt. 3. ad Epiſcopos Thuſciæ, ut refertur de conſecrat. diſt. 5. cap. 4. *Manûs impoſitionis ſacramentum magnâ veneratione tenendum eſt, quod ab aliis perfici non poteſt, niſi à Summis Sacerdotibus: nec tempore Apoſtolorum, ab aliis quàm ab ipſis Apoſtolis, legitur aut ſcitur peractum eſſe.* Item Innocentius IV. in Epiſt. ad Epiſcopum Tuſculanum, Apoſtolicæ Sedis Legatum in regno Cypri: *Soli* (inquit) *Epiſcopi conſignent Chriſmate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet niſi per Epiſcopum fieri; quoniam ſoli Apoſtoli, quorum vices* A *gerunt Epiſcopi, per manûs impoſitionem, quam Confirmatio, vel frontis Chriſmatio repræſentat, Spiritum Sanctum tribuiſſe leguntur.*

Triplex etiam inſtitutionis hujus congruentia 74.
adduci poteſt. Prima quam habet D. Thomas hîc art. 11. deſumitur ex ſimilitudine tum artis, tum humanorum contractuum, in ædificiis namque conſtruendis inferiores miniſtri formam non imponunt, ſed ſolùm materiam præparant architecto qui formam imponit; item epiſtola per notarium pro Principe ſcripta, ordinariè loquendo, ſolâ manu Principis validè ſubſcribitur: fidelium autem Eccleſia ædificium quoddam divinum eſt, ſecundùm illud 1. ad Corinth. 3. *Dei ædificatio eſtis*; item eſt epiſtola quædam ſpiritu Dei in cordibus ſcripta, ut habetur 2. ad Corinth. 3. B Licèt ergo hoc ædificium, hæc epiſtola, per baptiſmum ſacerdotum miniſterio ædificetur & ſcribatur; quia tamen per ſacramentum Confirmationis, domus quaſi jam ædificata perficitur, dedicaturque in templum Spiritus Sancti, & epiſtola jam ſcripta, ſigno crucis conſignatur, munus hoc ſolis ſuperioribus artificibus & Pontificibus, ſeu Principibus Eccleſiæ, ex officio incumbit.

Secunda congruentia eſt, quòd ſolus Epiſco- 75.
pus in Eccleſia, eſt veluti dux in exercitu, ad quem pertinet milites recipere, & conſignare.

Tertia, quòd cùm Epiſcopus ſit in ſtatu perfectionis, Confirmatio verò ſit perfectio & C conſummatio Baptiſmi, proprium ejus munus eſt, inferiores, mediante hoc ſacramento, perficere, ſeu perfectos Chriſtianos conſtituere.

Contra iſtam concluſionem objicit primò Ar- 76.
macanus factum Ananiæ Act. 9. Paulo manus imponentis. Verùm ibi non eſt ſermo de impoſitione manuum confirmativa, ſed curativa ſeu medicinali. Nec obeſt quod ibidem dicitur, *Ut videas, & implearis Spiritu Sancto*; primum enim ad illam curativam & medicinalem manûs impoſitionem pertinet, ut proximus & proprius illius effectus; ſecundum verò ad baptiſmum, de quo mox ibidem, & ad alia deinde ſecuta, referendum eſt.

Secundò objici poteſt illud 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt* D *tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Preſbyteri.* Quaſi munus Preſbyteri ſit manûs impoſitio, quæ dicitur Confirmatio.

Sed reſpondetur primò, quòd ut notat D. Tho- 77.
mas ibi lect. 3. alia littera habet: *Manuum Preſbyterij*, & hæc lectio ſola nunc habetur in Bibliis correctis juſſu Clementis VIII. Unde illa particula non deſignat miniſtrum, ſed modum, ſeu ſpeciem illius manûs impoſitionis, quæ non fuit ſacramentum Confirmationis, ſed Ordinis.

Reſpondetur ſecundò, ſtando in alia lectione, 78.
quod in Scriptura, nomine Preſbyteri, ſæpè intelligitur Epiſcopus, quia Preſbyter idem eſt quod ſenior, ut ibidem notavit S. Thomas. Similiter nomen ſacerdotis, olim ſpecialiter accommodatum erat Epiſcopis, ut videre eſt in multis Conciliis Toletanis, & in Sidonio Apollinari lib. 9. Ep. 3. ad Fauſtum. Unde quando S. Ignatius Epiſt. 13. & S. Ambroſius lib. 3. de ſacram. cap. 2. dicunt, *Spirituale ſignaculum, & ſeptiformem Spiritum Sanctum, dari ad invocationem Sacerdotis*, nomine Sacerdotis, intelligunt Epiſcopum.

Objicitur tertiò, quòd apud Armenos & Grę- 79.
cos,

cos, ex veteri conſuetudine, Preſbyteri paſſim confirmant. A

Sed reſpondeo primò, ex moribus ſchiſmaticorum non poſſe ſumi validum argumentum. Secundò dico, Preſbyteros Græcos ſacramentum conferre ex conceſſione Summi Pontificis, ut patebit ex dicendis articulo ſequenti.

80. Objicitur quartò: Concilium Toletanum 1. cap. 20. Arauſicanum 1. can. 2. & Innocentius I. Epiſt. 1. cap. 6. dicunt Preſbyterum, abſente Epiſcopo, præſente verò, non niſi fuerit ab ipſo præceptum, poſſe alios ungere chriſmate: Ergo miniſtri ordinarij Confirmationis non ſunt ſoli Epiſcopi.

81. Reſpondeo, conceſſo Antecedente, negando conſequentiam, Concilium enim Toletanum B non loquitur de unctione chriſmatis in fronte, in qua conſiſtit Confirmatio, ſed de cæremoniali unctione, quæ ſit in vertice baptizati: Arauſicanum verò loquitur de reconciliatione ſolemni, quâ olim ad Eccleſiæ gremium recipiebantur hæretici, qui ab hæreſi convertebantur; ungebantur enim fortè ut ſupplerentur cæremoniæ ab Eccleſia in baptiſmo adhiberi ſolitæ, quas hæretici omiſerant. Denique Innocentius apertè loquitur de cæremonia quâ ungebantur energumeni, ut dæmon expelleretur. Ratio autem horum omnium eſt, quia non licebat olim ſimplici Sacerdoti ullâ ratione aliquem ungere chriſmate, imò nec baptizare, niſi jubente aut procul abſente Epiſcopo, & neceſſitate aliquâ urgente, ut patet ex Epiſtola 88. Leonis in fine, ubi ſic habetur: *Sed neque coram Epiſcopo licet Preſbyteris in baptiſterium introire, nec præſente Antiſtite, infantem tingere, aut ſignare.* C

ARTICULUS VI.

An poſſit Sacerdos confirmare ex commiſſione Papæ, vel Epiſcopi?

§. I.

Referuntur ſententiæ, & tertia ut verior & probabilior eligitur.

82. IN hujus difficultatis reſolutione tres ſunt Authorum ſententiæ, duæ extremæ, & tertia media. Prima docet ſolum Epiſcopum ita de jure divino eſſe ſacramenti Confirmationis miniſtrum, ut neque Epiſcopus, neque Summus Pontifex, poſſint committere ſimplici Sacerdoti, quod Confirmationem validè adminiſtret. Ita Durandus, Adrianus, Eſtius, Petrus Aurelius, & Catumſyritus, qui oppoſitam ſententiam vocat hæreticam, *more ſuo delirans*, ut ait Vericelli, infrà citandus. E

Secunda aſſerit ſimplicem Sacerdotem poſſe eſſe miniſtrum extraordinarium hujus ſacramenti, non tantùm ex diſpenſatione Summi Pontificis, ſed etiam ex commiſſione Epiſcopi, ſtando in ſolo jure divino, & ſeclusâ prohibitione factâ à Summo Pontifice. Hanc tenent Salmeronius tomo 12. in Acta Apoſtolorum Tractatu 26. Baſilius Pontius in relect. de Confirmat. & Martinus Ledeſma.

Tertia ſententia, quæ eſt media, & pro qua Vericelli Tractatu de miſſionibus Apoſtolicis tit. 7. quæſt. 129. refert Authores quinqua- A ginta ſex, cenſet quod ſimplex ſacerdos ex commiſſione & diſpenſatione Papæ, non verò Epiſcopi, ſacramentum Confirmationis conferre poteſt.

Dico primò: Ex diſpenſatione & commiſſione Papæ, ſimplices Sacerdotes validè & licitè confirmare poſſunt.

Probatur primò ex Florentino in decreto Eu- 83.
genij, ubi poſtquam definiiſſet miniſtrum ſacramenti Confirmationis eſſe Epiſcopum, ſubdit: *Legitur tamen aliquando, per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili & urgente admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem, chriſmate per Epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſſe Confirmationis ſacramentum.* Quibus verbis licèt Eu- B genius expreſsè non definiat noſtram ſententiam, implicitè tamen eam approbat, & graviſſimum, ut aiunt Valentia, Candidus, Caſtropalaus, & alij, ipſi affert authoritatis pondus.

Nec valet quod reſpondent aliqui ex Adverſa- 84.
riis, nimirum Concilium ibi quidem retuliſſe diſpenſationem factam eſſe aliquando à Sede Apoſtolica, eam tamen non approbaſſe. Hoc enim eſt manifeſtè contra verba Concilij, quia Concilium dicit ex rationabili cauſa diſpenſaſſe Sedem Apoſtolicam, ut ſimplex Sacerdos confirmaret: Sed non poteſt eſſe rationabilis cauſa ad conferendum ſacramentum invalidum & nullum, hoc enim ſacramentum non eſt, ſed C ſacrilegium, & fallax imitatio ſacramenti: Ergo, &c.

Probatur ſecundò concluſio ex duobus aliis 85.
Conciliis, Tridentino nimirum & Senonenſi: Tridentinum enim ſeſſ. 7. can. 3. de Confirmatione cùm ait ſolum Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium hujus ſacramenti, ſatis apertè inſinuare videtur, alium eſſe poſſe extraordinarium, ſcilicet Sacerdotem, ex diſpenſatione & conceſſione Summi Pontificis. Senonenſe verò videtur omnino ſupponere ſacerdotem ſimplicem ex privilegio poſſe confirmare, cùm ait in decretis morum cap. 38. *Si qui ſint* (loquitur de Abbatibus) *qui contendant ſibi competere facultatem* D *confirmandi ex privilegio, volumus quod cùm primùm fuerint requiſiti de privilegio, fidem facere teneantur.*

Probatur tertiò ex facto S. Gregorij I. qui 86.
lib. 3. Epiſt. 9. prohibuit Preſbyteris Sardiniæ, ne confirmarent: at cùm intellexiſſet ſcandalum inde ortum, conceſſit iis confirmandi licentiam, ut refertur in cap. *Pervenit* diſt. 95. & teſtatur Baronius anno 594. Sic autem ait S. Gregorius: *Pervenit ad nos, quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod Preſbyteros chriſmate ungere eos qui baptizati ſunt, prohibuimus. Et nos quidem ſecundùm uſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus, ſed ſi omnino hac de cauſa aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Preſbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere valeant, concedimus.*

Reſpondent Eſtius & Aurelius, D. Gregorium 87.
ſolùm cum illis ſacerdotibus diſpenſaſſe, ut quando baptizarent, ungerent in fronte, unctione quadam cæremoniali, non verò ſacramentali; ſive ut unctionem quæ ſit in pectore vel in humeris eorum qui baptizantur, eandem in fronte facerent.

Sed contra eſt Concilium Florentinum citatum, quod conceſſionem illam intellexit de ſacramento Confirmationis. Eodem modo eam intellexit D. Thomas hîc art. 11. nam cùm ſibi primo loco objeciſſet: Videtur quod non ſolùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

Episcopus hoc sacramentum conferre possit, Gregorius enim scribens Januario Episcopo dicit, *Pervenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse, &c.* sic respondet: *Ad primum dicendum, quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam quæ sunt superiorum ordinum committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem; & ex hac plenitudine potestatis concessit Beatus Gregorius Papa, quod simplices Sacerdotes hoc sacramentum conferrent, quandiu scandalum tolleretur.*

88. Respondent alij, quod tempore D. Gregorij omnes Sacerdotes erant Episcopi, quamvis non omnes haberent jurisdictionem Episcopalem, sed unus duntaxat in singulis civitatibus, qui per antonomasiam nomen Episcopi retinebat, & solus regulariter sacramentum Confirmationis administrabat.

89. Sed in primis hæc responsio est contra Florentinum, & D. Thomam, qui loquentes de illa dispensatione, eam de simplici sacerdote exposuerunt. Deinde impugnatur ex eo quod licèt probabile sit quod initio Ecclesiæ omnes sacerdotes erant Episcopi, tamen incredibile omnino est, quod illa consuetudo simul cum dignitate sacerdotis consecrationem Episcopalem conferendi, adhuc duraret tempore D. Gregorij, cùm jam multi essent Presbyteri, & ante D. Gregorium dixerit Eusebius Papa articulo præcedenti citatus, confirmationem datam à sacerdote, esse irritam.

90. Tertiò alij dicunt, sacerdotes illos quibus facultatem confirmandi concessit D. Gregorius, fuisse per ipsum constitutos, quantùm ad istum actum, Episcopos.

Sed contra: Cùm ordo Episcopalis consistat in indivisibili, si Sacerdotes illi Episcopalem ordinem receperunt, verè fuerunt Episcopi, & consequenter nulla fuit cum eis dispensatio: quod si non receperunt illum ordinem, nullo modo constituti sunt Episcopi. Adde quod absentes, quales erant illi Sacerdotes, nullo modo possunt ordinari.

91. Probatur quartò conclusio variis Authorum testimoniis, qui asserunt facultatem confirmandi sæpè simplici sacerdoti fuisse commissam. In primis enim hanc consuetudinem ut Presbyteri confirmarent, viguisse in Ægypto, tradit Author coævus Ambrosio, & qui citatur nomine Ambrosij, in cap. 4. Epistolæ ad Ephesios, & Author librorum veteris testamenti, qui sub nomine Augustini communiter citatur; nam qu. 101. sic ait: *In Alexandria, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter.* Item in Ecclesia Græca, jampridem, & diu ante schisma, inductum morem fuisse, ut Presbyteri Græci dent communiter Confirmationem, ex concessione videlicet Summi Pontificis, tacita, vel expressa, eaque de re non fuisse reprehensos in Concilio Florentino, scribit Arcudius lib. 2. de Sacramentis cap. 10. Imò consuetudinem illam Ecclesiæ Græcæ tacitè approbasse videntur Eugenius & Concilium: nam sess. 25. cùm Eugenius undecim quæstiones Græcis proposuisset, inter quas sexta erat, *Cur non Episcopi, sed Sacerdotes, inungant sacro Chrismate, cum hoc Pontificibus sit datum?* addit in fine Concilium: *Hæc à Latinis objecta, Mitylenensis Præsul, legitimè, & secundum Canones, omnia dissolvit, præterquam duo, videlicet separationem matrimonij quoad vinculum, & creationem Patriarchæ extra Constantinopolim.*

92. Demum plura extant diplomata, quibus non ita pridem permissum est à Summis Pontificibus, aliquibus sacerdotibus, ut sacramentum Confirmationis conferrent: nam pro Indis hanc facultatem concesserunt fratribus Minoribus Joannes XXII. & Leo X. ut patet ex Roderico in suo Bullario Regularium, in Bulla 3. Leonis X. Idem concessit aliquibus Patribus Societatis Jesu Gregorius XIII. ut testantur Arcudius, Suarez, Candidus, & alij. Item idem Gregorius concessit ut Abbates, qui asserunt se habere privilegium confirmandi à Sede Apostolica, id agant cum consensu ordinarij, ut testatur ex Armendariz Barbosa, de potestate Episcopi, Allegat. 30. num. 5. Unde Concilium Senonense supponit Abbates posse confirmare ex privilegio Sedis Apostolicæ, ut suprà ostendimus, idque etiam Sacra Congregatio Cardinalium interpretum Concilij, circa sess. 7. declaravit. Imò Aversa quæst. 72. sect. 5. concl. 3. asserit quod in Italia Abbas Sanctæ Barbaræ Mantuanus, facultatem à Sede Apostolica habere dicitur hoc sacramentum administrandi.

Dico secundò, Episcopos non posse committere Presbyteris ut confirment, sed jure divino, id soli Romano Pontifici reservatum esse.

93. Probatur primò ex Florentino, nam in Decreto Eugenij, ut specialis prærogativa Sedis Apostolicæ refertur, quod per ejus dispensationem aliquando simplices Sacerdotes confirmaverint, clarè insinuans, id nec concessum fuisse ab aliis Episcopis, nec valere, si concederetur. Item si Patres Concilij Florentini non supposuissent tanquam certum, Presbyteros non posse ex sola commissione Episcopi confirmare, non proposuissent sess. 25. Græcis istam quæstionem: *Cur non Episcopi sed Sacerdotes inungant sacro Chrismate?* Ergo, &c.

94. Probatur secundò ex D. Thoma suprà citato: Ut enim probet summum Pontificem posse concedere simplici Sacerdoti facultatem confirmandi, recurrit ad plenitudinem & eminentiam potestatis, quæ est in solo Romano Pontifice, Christi Vicario: Ergo censet Episcopos non posse concedere Presbyteris ut confirment, idque esse reservatum de jure divino solo Romano Pontifici.

95. Probatur tertiò conclusio ratione fundamentali: Quæ spectant ad regimen totius Ecclesiæ, de jure divino soli Romano Pontifici competunt, cùm illi soli à Christo universalis Ecclesia commissa sit: unde solus Summus Pontifex, non autem Episcopus, potest infallibiliter determinare dogmata fidei: item quoad ea sacramenta in quibus non est determinata certa forma, vel materia solus Summus Pontifex potest eam determinare, non autem Episcopus. Sic solus Summus Pontifex potuit determinare formam Confirmationis, quia hæc non fuit determinata à Christo, prout fuit determinata forma Baptismi. Sic etiam Concilium secundum œcumenicum, à Sede Apostolica approbatum, determinavit formam quâ Græci in Confirmatione utuntur, nempè *Signaculum doni Spiritus Sancti.* Sic denique solus Summus Pontifex potuit determinare, & nunc etiam potest variare formam benedicendi sacrum chrisma, non autem Episcopus, quia ista omnia spectant ad regimen totius Ecclesiæ: At providere de idoneo ministro

nistro Confirmationis in aliquibus casibus extraordinariis, in quibus Episcopus adesse non potest ad illud sacramentum ministrandum, etiam spectat ad regimen totius Ecclesiæ, nam ritus sacramentorum ad universæ Ecclesiæ regimen pertinent: Ergo committere Presbyteris ut confirment in aliquibus casibus extraordinariis, de jure divino Summo Pontifici reservatum est.

96. Confirmatur: Cùm nullum esset decretum Summi Pontificis, prohibens Episcopis ne conferant simplici Sacerdoti hoc privilegium, si jure divino illud concedere possent Episcopi, non esset cur illâ potestate aliquando non usi essent: Ergo cùm nunquam legatur, Presbyteros ex Episcopi jussione confirmasse, sed tantùm ex Sedis Apostolicæ privilegio, signum est, quod ex Christi institutione descendit, quod solus Summus Pontifex, ob suæ plenitudinem potestatis, possit constituere simplicem Sacerdotem, ministrum extraordinarium Confirmationis: sicut solus Summus Pontifex, non autem Episcopus, potest committere Presbytero, ut conferat minores ordines.

§. II.

Solvuntur objectiones.

97. OBjicies primò contra primam conclusionem: Eusebius, & Innocentius IV. articulo præcedenti relati, docent sacramentum Confirmationis non posse unquam ab aliis confici, nisi à Summis Sacerdotibus, seu Episcopis; idemque habet Melchiades in Epistola decretali ad Episcopos Hispaniæ. Item Innocentius III. cap. 4. *de consuetudine*, constituit ut fideles potiùs carerent sacramento Confirmationis, quàm ut à Presbyteris illud acciperent: At si potuissent Presbyteri ex commissione Summi Pontificis confirmare, id debuisset potiùs Summus Pontifex ipsis concedere, quàm privare fideles illo sacramento: Ergo non possunt Presbyteri ex commissione Summi Pontificis Sacramentum Confirmationis conferre.

98. Respondeo quod quando tres primi Summi Pontifices asserunt solos Episcopos posse sacramentum Confirmationis conferre loquuntur de potestate ordinaria; non negant tamen id posse Presbyteros de potestate extraordinaria, & ex commissione Summi Pontificis. Addo quod, cùm Presbyteri Chrismate duntaxat ab Episcopo confecto confirmare possint, Episcopi etiam tunc manu Presbyterorum confirmare videntur.

Ad decretum verò Innocentij IV. dicendum est, Pontificem loco citato solùm declarasse, satius esse carere Confirmatione, etiam in necessitate, quàm illam petere à Sacerdotibus nonnullis, qui licèt non haberent ad hoc specialem commissionem Sedis Apostolicæ, suâ tamen temeritate confirmabant, prætendentes consuetudinem.

99. Objicies secundò: Si Summus Pontifex posset facultatem confirmandi concedere simplici Sacerdoti, vel id posset ratione potestatis ordinis, vel ratione potestatis jurisdictionis? Non ratione potestatis ordinis, omnes enim Episcopi æqualem potestatem ordinis habent cum Summo Pontifice, & tamen non possunt hanc facultatem concedere simplici Sacerdoti. Neque ratione potestatis jurisdictionis: Tum quia confirmare non dependet à potestate jurisdictionis, sed ordinis, proindeque nec potestatem concedere ad confirmandum: Tum etiam quia aliàs posset Summus Pontifex, antequam esset consecratus in Episcopum, & quando solùm electus est, facultatem illam concedere, quod tamen videtur falsum, quandoquidem ipse non potest tunc confirmare: Ergo, &c.

100. Confirmatur: Si possit summus Pontifex facultatem confirmandi concedere simplici Sacerdoti, etiam illam poterit conferre Diacono, cùm neuter habeat ipsum ordinem Episcopalem: Sed hoc secundum non potest, ut communiter docent Theologi: Ergo nec primum.

101. Ad objectionem respondeo, Summum Pontificem posse concedere simplici Sacerdoti facultatem confirmandi, ex plenaria potestate jurisdictionis quam habet in totam Ecclesiam. Ad primam probationem in contrarium, dico quod licèt confirmare non dependeat à potestate jurisdictionis, quando potestas ordinis ad confirmandum est completa & perfecta, qualis est potestas Episcopalis; dependet tamen à suprema jurisdictionis potestate in Summo Pontifice existente, quando est, sicut potestas simplicis Sacerdotis, incompleta ad illum effectum. Ad secundam probationem, concedo sequelam, licèt enim Summus Pontifex ritè electus, nondum tamen Sacerdos, non possit confirmare, quia confirmatio est actus ordinis, potest tamen simplici sacerdoti potestatem confirmandi committere, quia ista commissio est solùm actus jurisdictionis. Sicut Episcopus electus, & confirmatus à Papa, nondum tamen ordinatus sacerdos, potest sacerdoti dare facultatem audiendi confessiones, quas ipse audire nequit.

102. Ad confirmationem nego sequelam Majoris: operatio enim sacramentalis in corpus Christi mysticum, procedere debet ab habente potestatem in Corpus Christi verum, quam tamen non habet Diaconus, quandoquidem nequit consecrare. Unde D. Thomas in 4. dist. 7. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 3. *Promovere ad illas perfectiones quæ non respiciunt corpus Domini verum, sed solum corpus mysticum, potest à Papa qui habet plenitudinem Pontificalis potestatis committi Sacerdoti, qui habet actum summum super corpus Domini verum, non autem Diacono, vel alicui inferiori, qui non habet perficere corpus Domini verum, sicut nec absolvere in foro pœnitentiali.*

103. Objicies tertiò: Sine ministro instituto à Christo non potest perfici sacramentum, minister enim non minùs est de integritate, vel saltem de necessitate sacramenti, quàm materia & forma: Sed minister Confirmationis à Christo institutus, non est simplex Sacerdos, sed Episcopus: Ergo non nisi ab ipso, & non à simplici Sacerdote, potest aliquando hoc sacramentum conferri.

104. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, licèt enim solus Episcopus habeat ex ordinatione Christi esse minister ordinarius Confirmationis, habet tamen ex eadem institutione simplex Sacerdos, ut minister extraordinarius illius effici possit, per commissionem Summi Pontificis.

105. Dices, Collatâ hac commissione simplici Sacerdoti, vel per potestatem ordinis habet quod possit confirmare, vel per potestatem jurisdictionis? Non per potestatem ordinis, aliàs cùm per commissionem hanc nullum ordinem recipiat, idem posset absque commissione. Neque

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per potestatem jurisdictionis, alioquin idem posset laïcus, utpotè qui cujuscunque jurisdictionis est capax : Ergo, &c.

106. Respondeo, simplicem Sacerdotem, commissione confirmandi à Sede Apostolica obtenta, posse consequenter confirmare, per potestatem ordinis, ut connotantem tamen talem commissionem, subindeque & potestatem jurisdictionis supremæ in Summo Pontifice : ex quo fit, quod licèt laïcus sit capax cujuscunque potestatis jurisdictionis, non tamen potestatis confirmandi, etiam ex commissione Sedis Apostolicæ.

107. Objicies quartò contra secundam conclusionem : Quidquid potest Papa in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua diœcesi : Ergo sicut Summus Pontifex potest dispensare cum simplici Sacerdote, ut sacramentum Confirmationis conferre possit in tota Ecclesia, ita & Episcopus, ut illud conferre valeat in sua diœcesi.

108. Respondeo distinguendo Antecedens : Quidquid potest Papa in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua diœcesi, quoad ea quæ potest Pontifex ratione ordinis, seu consecrationis Episcopalis, transeat Antecedens. Quoad ea quæ potest ratione jurisdictionis, nego Antecedens. Committere autem simplici Sacerdoti officium confirmandi, non ordinis sed jurisdictionis est, quam in Ecclesia habet supremam Pontifex Romanus. Dixi transeat Antecedens, quia non improbabiliter aliqui dicunt, in consecratione summi Pontificis magis extendi characterem ordinis, quàm in consecratione Episcopi, subindeque in summo Pontifice characterem ordinis esse altioris gradûs & excellentiæ ad characterem Episcopalem.

109. Objicies ultimò : Presbyteri Græci sacramentum Confirmationis administrare solent, quæ consuetudo quarto sæculo incœpit, ut probat Vericelli de Apostolicis missionibus tit. 7. q. 130. Sed id tunc temporis non præstabant Sacerdotes Græci ex commissione Romani Pontificis, cùm tale privilegium non appareat : Ergo id ex commissione solius Episcopi faciebant.

110. Respondeo negando Minorem, nam ut ait Vericelli loco citato, Romani Pontifices, vel expresso privilegio, quod temporum injuriâ non apparet, vel approbativâ tolerantia, consenserunt Græcos Presbyteros baptizare & confirmare infantes. Quod autem Sedes Apostolica consenserit expresè vel tacitè, probat, quia Sedes Apostolica, antequam ab ea deficeret Oriens, annuatim chrisma mittere solita erat Constantinopolitanis, ut testatur Arcudius in concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis, lib. 2. cap. 9. Ergo non est verisimile, Romanum Pontificem à suis Apocrisariis non fuisse certioratum ejus moris Græcorum Presbyterorum confirmandi infantes; quare vel expresè consensit, vel tacitè, nam facillimo negotio potuisset tunc prohibere ; cùm enim Constantinopolitani tantam reverentiam tunc deferrent Romanæ Ecclesiæ, ut ab ipsa peterent sacrum chrisma, quod poterant ex ordinis potestate ipsimet consecrare ; quantò magis obsequentes fuissent, & abstinuissent Presbyteri à conferendo sacramento Confirmationis, quod sine licentia Romani Pontificis invalidè ministrassent : at solitâ benignitate Romana Sedes id indulsit Græcis, ut ita faciliùs à pernicioſa illa consuetudine baptizandi in adulta ætate recederent, prout recesserunt. Eandem Ecclesiæ Græcæ consuetudinem, tacitè approbasse videntur Eugenius IV. & Concilium Florentinum sess. 25. ubi cùm Eugenius (ut suprà retulimus) undecim quæstiones Græcis proposuisset, inter quas sexta erat, *Cur non Episcopi, sed Sacerdotes inungant sacro chrismate, cùm hoc Pontificibus sit datum ?* addit in fine Concilium, *Hæc à Latinis objecta, Mitylenensis Præsul, legitimè, & secundùm Canones, omnia dissolvit, præterquam duo, videlicet separationem matrimonij quoad vinculum, & creationem Patriarchæ extra Constantinopolim* : Ergo tacitè Eugenius cum Concilio approbavit ritum Græcum confirmandi per Presbyteros.

111. Dices, Innocent. III. in cap. *Quanto* de consuetudine, prohibuit ne Presbyteri Constantinopoli commorantes confirmarent infantes. Idem prohibuisse omnibus Presbyteris Græcis Innocentium IV. fatetur Arcudius lib. 2. cap. 15. Ergo Ecclesia Romana, nec expresè, nec tacitè approbat ritum Ecclesiæ Græcæ confirmandi per Presbyteros.

Respondet Arcudius, Innocentium III. prohibuisse solùm Latinis Presbyteris Constantinopoli commorantibus, ne confirmarent infantes, bullam autem Innocentij IV. non fuisse publicatam à Pontificis Legato.

112. Sed quidquid sit de hoc, meliùs respondetur cum Vericelli citato, quod esto aliqui Pontifices id prohibuissent Græcis, tamen, cùm Eugenius IV. in Concilio Florentino approbaverit hunc ritum Græcorum, revocavit quoad hoc constitutiones Innocentij III. & IV. qui per ducentos ferè annos Eugenium IV. præcesserunt.



TRACTA

TRACTATUS QUARTUS.
DE SACRAMENTO
EUCHARISTIÆ.

Ad quæstionem 73. Divi Thomæ, usque ad 84.

PRÆFATIO.

ETSI nullum Religionis mysterium sit, quod non meritò ingens amoris miraculum nuncupare liceat ; adeò tamen cætera superat unum Eucharistiæ sacramentum, adeóque insolita, & stupenda complectitur, ut potiori jure inter amoris miracula summum, ultimus amoris conatus, quo vires suas experiri voluit, ultimaque meta dici possit, & quo Salvator (*ut Tridentinum inquit*) amoris sui divitias omnes effudit. *Non miror quæ à Sanctis Patribus in hujus sacramenti commendationem plurima congesta sunt, neque supra verum est quod jam inter prima nascentis Ecclesiæ initia Martyr Ignatius scripsit* ; esse antidotum mortis, pharmacum immortalitatis : *quod posteà Hieronymus*, omnium novitatum novitatem esse : *quod Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, esse* arcam luminum : *quod Damascenus, esse* officinam miraculorum : *quod Græci Patres* θαῦμα θαυμάτων : *quod suaviùs, ut solet, Bernardus*, Sanctum Sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, amorem amorum, dulcedinem dulcedinum ; *& iterum cùm ita Sponsam compellat*, Gratulare Sponsa, gaude incomparabiliter gloriosa, & amabilis sponsa. In terra sponsum habes in sacramento, in cœlis habitura es sine velamento. Et hîc, & ibi veritas, sed hîc palliata, ibi manifesta. *Multò plura excogitavit Matthæus Vvormatiensis, dum ita præclarè Sacram Eucharistiam his nominibus nuncupat :* Redemptionis memoriale, pignus hæreditatis æternæ, futuræ jucunditatis amabile præludium, arrha Sponsæ, jocale divinum cœlitùs ei donatum, Ecclesiæ militantis cum triumphante suave glutinum, & unio fraterna, dum eam dulcedinem quâ illa fruitur sine velamento, ista habet sub sacramento ; & si illa cœlestis Hierusalem habet Deum suum jucundiùs, ista in terra militans habet eum mirabiliùs. *Unde piè cum Cardinali Turrecremata in opusculo de divinissimo Eucharistiæ Sacramento, non ita pridem reperto exclamare licet :* O Charitas Christi omni admiratione major ! Siliquis porcorum vix digni sumus, & Angelis commensales & convivæ facti sumus : panem enim cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo. Nec solùm nobis panem omne delectamentum in se habentem porrigit, sed quod nos stupore defigat oportet, suas in hominum convictu delicias divinus

Sess. 13. cap. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nus amor constituit. Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. Quid tibi ô anima potuit de cœlorum vertice stillari suavius, vel porrigi delectabilius, quam quod universorum Dominus, totius boni fons & plenitudo, delicias arbitretur suas esse cum filiis hominum? O dura & obdurata corda filiorum Adam, ô gelida prorsus eorum pectora, quæ tanto amoris incendio non incenduntur, & liquescunt!

Sed eam omnem commendationem, & si quæ cæteris excogitanda relicta sit, mihi videtur Tridentinum hoc uno verbo complexum fuisse, amoris sui divitias omnes in hoc Sacramento Salvatorem effudisse. *Unde festivè quidam dixit:* hîc Herculeas divinus amor posuit, fixitque columnas, & dixit, non plus ultrà. *Scilicet excurrit quantùm potuit divinus amor, & cùm ultimam metam, extremumque limitem in Eucharistiæ sacramento attigisset, spatij magnitudinem & cursûs velocitatem miratus ac penè stupens stetit, positisque columnis dixit*, non plus ultrà.

Sanè non est quòd post hujus sacramenti institutionem & usum aliud Ecclesia desideret: habet in uno cibo integram hæreditatem, ut illud Isaiæ vaticinium impletum sit: Cibabo te hæreditate Iacob. *Hic enim divinæ Eucharistiæ cibus, una hæreditas est, à morituro jam jam, & testamentum condente Christo, Ecclesiæ constituta, cujus vacuam, nudamque imaginem, cumulaturum felicitate Iacobum, Isaac parens existimabat. Ita enim senex Isaac precabatur, cùm jam suis votis, & Iacobi filij felicitati, nullam mensuram adhiberet, sed divitias omnes & cœli, & soli effundendas & congerendas peroptaret:* Det tibi Dominus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini. *Sed quid roris è cœlo, è visceribus terræ pinguedinis abundantia significet, si ad Ecclesiam referatur? Non est adeò difficilis hujus figuræ explicatio, ut divinatione opus sit, ubi vini & frumenti mentio incidit. Sed ut hujus vaticinij mysterium omne detegam, Isaïas olim Divini Verbi personam, non alio quàm roris nomine, mittendam postulabat:* Rorate cœli desuper: *nec alia terræ fœcunditas est, quàm Beatæ Virginis, quam idem Vates aperiri, & instar germinis parturire Salvatorem peroptabat:* Aperiatur terra, & germinet Salvatorem. *Cùm igitur Eucharistiæ sacramentum, Angelorum, fortiumque panis, animarum cibus, divinitatem omnem, quanta quanta est, Divini Verbi personam, & humanitatem Christi habeat; integra est, & quâ nec major esse unquam possit, in uno cibo Ecclesiæ hæreditas, cujus solâ imagine felicem sese Iacob olim existimabat, seque solabatur, & quam omnino cum nostra commutasset. Sed hic cibus reficiendis animis debebatur, hoc potu recreandus erat homo, nec alio remedio expellendum erat infusum visceribus antiquum virus: unde meritò Sedulius lib. 1. operis Paschalis, hoc carmine Christum compellat.*

Qui pereuntem hominem, vetiti dulcedine pomi,
Instauras meliore cibo, potuque sacrati
Sanguinis, infusum depellis ab angue venenum.

Longum esset plura hic prosequi, & me diutiùs in limine distinerent, si colligerentur quæ hinc inde, ut occasio feret, sæpiùs spargam. Sed hæc pauca præterire non potui, ne illotis manibus Divinissimam Eucharistiam attingerem, & in divina mysteria temerè irruere viderer; sed ut demisso animo, & post salutatum & adoratum in limine numen, me accedere, eâ Præfatione testarer.

Sed antequam hinc abeam, unum mihi addendum est, ut ubique soleo, quod ad Angelici mei Præceptoris commendationem spectet. Non fefelli te (Amice Lector*) cùm in Præfatione Tractatûs de attributis, Ecclesiam cum paradiso terrestri contuli, cujus universam faciem, instar fontis, in quatuor capita divisi, D. Thomæ Summa veluti effusis aquis irrigat. Sed alterum est quod eam collationem illustret;*

illustret; Eucharistiæ sacramentum esse arborem vitæ in medio Paradisi constitam, & D. Thomam Cherubinum, cui hujus arboris custodia demandata est. Id Tolosani Patres in eo Mausolæo, quo D. Thomæ Sacræ Reliquiæ reconduntur, egregiè expressêrunt, ubi infrà deauratam imaginem, adeò exactè elaboratam, adeò ad vivum expressam, ut in ea sese ars mirari possit, & nihil præter vocem deesse putes, quâ Angelicus Doctor ita repræsentatur, ut alterâ manu sacram Eucharistiam, altera gladium versatilem, & flammeum habeat, hi versus adpicti sunt.

Ex Evangelij solio Cherubinus Aquinas,
Vitalem ignito protegit ense cibum.

Et sanè uni D. Thomæ, è cæteris omnium scholarum Doctoribus, Sacræ Eucharistiæ curam & custodiam veluti demandatam, & ab eo luculentiùs, & validiùs hoc sacramentum & explicatum & defensum fuisse, adeò nemini dubium est, ut extraneos etiam testes in hujus rei fidem producere liceat. Ita enim Iacobus Granados, Societatis Iesu, Controversiâ sextâ de Eucharistia, in Præfatione cap. 4. scripsit: Inter omnes Theologos Scholasticos principem locum obtinet sanctus Thomas, Angelicus Doctor, huic Angelorum pani devinctissimus; ita ad sacramentum hoc cognoscendum, explicandumque, divino lumine perfusus, ut propterea, quæ de Eucharistia dictavit, illam Servatoris nostri laudem bis meruerint; *Benè scripta hæc sunt.* Et Ecclesia universa volens in hujus almi Sacramenti honorem, solemnissimum festum instituere, non alio officio, quàm eo quòd S. Thomas ordinavit, celebrare decrevit. *Hæc ibi citatus Author: quibus subjungit.* Quare si in aliis omnibus disputationibus Theologicis, in hac certè, peculiari studio, mentem S. Thomæ & attingere, & declarare, illiusque sacris vestigiis insistere, Deo juvante conabimur.

Hæc omnino à me dicta esse velim intelligas (Amice Lector*) Quid enim, si extranei ita sese Divo Thomæ addictos esse profitentur, nec ab ejus doctrina vel latum unguem recessuros, de Discipulis tibi statuendum putas? Sanè verissimè statues, si ita dixeris; id quidem extranei omnes pollicentur, sed id soli Discipuli implent.*

Cæterùm cùm hæc infelicitas Christianissimi & florentissimi regni habeat, ut medios inter Ecclesiæ, fideique hostes, Calvinistas, versemur (quamvis plures inter præcipuos & Antesignanos, in sinum Ecclesiæ quotidie redeant, & spes sit, hæresim, quæ penè vires nullas habet, brevi omnino extinguendam) quibuscum necesse sit sæpiùs in controversiam venire, & Eucharistiæ veritatem, realemque Christi præsentiam sub speciebus Eucharisticis, quam negant, propugnare, operæ pretium me facturum existimavi, & rem Theologis perutilem si in ipso hujus Tractatûs limine, Disputationem præmitterem, quâ veritatem hujus sacramenti validè defenderem, ut inde veluti ex Panoplia refertissima, Lector argumenta omnia depromat, quæ ex Scriptura, Conciliis, Patribus, & Theologicis principiis deduci solent, ad Sectariorum errores refellendos, & Ecclesiæ Catholicæ fidem propugnandam; & cùm præterea potissima sit hujus Tractatûs assertio de vera & reali Christi præsentia in Eucharistiæ Sacramento, quæque cæteras longè superat, imò quàm semper inter præcipua fidei Christianæ mysteria, tota antiquitas reposuit, æquissimum visum est, ut primum locum quem dignitate sibi vendicat, etiam ordine obineret.

Laudetur Venerabile Sacramentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPUTATIO PROOEMIALIS
DE VERITATE EUCHARISTIÆ.
Contra Hæreticos.

CUM ex fide Eucharistiæ mirum in modum cultus Dei promoveatur, spes erigatur fidelium, & charitas incendatur, aliique innumeri fructus oriantur in Ecclesia, nihil mirum quòd serpens invidus, hæreticos adversùs illam tam vehementer concitarit, tantasque adversùs illam, his præsertim temporibus, procellas excitarit, ut vix ullum Doctrinæ Christianæ dogma, tot machinis, tamque pertinaciter fuerit appetitum, ut piè ac eleganter expendit Soto in 4. sent. dist. 9. quæst. 2. art. 1. ubi hæc scribit: *Hostis ille antiquus, qui ab initio mendax fuit, & pater mendacij, inter omnia orthodoxæ fideī Sacramenta, inaccessa hujus Sacramenti Majestati & veritati infensissimus est, quare nunquam non illam labefactare contendit. Etenim quoniam superbia ejus ascendit semper, sit ut Deo cùm primis invideat, quòd tantâ veneratione in hoc Sacramento colatur, & adoretur; & Sacerdotibus, quòd eâ donati sint facultate quam Angeli non meruerunt, ut creatas substantias in corpus & sanguinem Dei transformare valeant; & cunctis sumentibus, quòd illas vires hîc identidem resumant, quibus ejus nequissimos impulsus propulsent; & Ecclesiæ, quòd eo pacis vinculo per hoc sacrum mysterium conglutinetur, quam ipse in cœlo & in terra perturbare conatus fuit; & quòd per hoc demum viaticum, ad illam gloriam capessendam provehamur, de qua ille fuit suo merito deturbatus.*

Cùm ergo præcipuum Catholici Doctoris munus sit, fidei Christianæ dogmata contra impugnantes defendere, & hæreticorum tela Catholicæ doctrinæ clypeo propulsare, eorumque sophismata diluere: priùsquam cum Catholicis Doctoribus, de essentia, unitate, & necessitate Eucharistiæ, aliisque ad ipsam spectantibus disputemus, & varias quæ in Scholis agitari solent controversias aggrediamur; necessarium esse duxi, veritatem Sacramenti Eucharistiæ, seu veram ac realem Christi in eo præsentiam, contra hujus temporis hæreticos propugnare, & disputationem integram de veritate Eucharistiæ, seu vera & reali Christi præsentia in hoc Sacramento, in hujus Tractatûs limine instituere; quemadmodum initio Tractatuum de Trinitate, & de Incarnatione, disputationem procemialem, & cæteris præambulam præfiximus, in qua hæreticorum errores, quibus illorum mysteriorum veritas impetitur, confutavimus.

A

ARTICULUS PRIMUS.

Duo præcipui Hæreticorum errores contra Sacramentum Eucharistiæ, breviter recensentur.

SImon Magus primus nostrorum Sacramentariorum Patriarcha fuit. Ille enim cum suis Discipulis (ut ait Ignatius Epist. ad Smirnenses, cujus verba Theodoretus Dialogo 3. refert) Eucharistiam & oblationes non admittebat, quia veram Christi carnem rejiciebat. Hunc errorem jamdiu sopitum, & ferè extinctum, in Gallia suscitavit an. 1051. (teste Sigeberto in Chronico) Berengarius Andegavensis Archidiaconus, quem idcircò D. Thomas hîc qu. 75. ar. 1. primum hujus hæresis authorem appellat. Adelmannus etiam Episcopus Brixiensis, & Hugo Episcopus Lingonensis, qui temporibus illis floruerunt, in Epistolis ad Berengarium, ad eum scribunt tanquam ad primum assertorē hujus hæresis, & seriò monent ne Ecclesiam perturbet, & ut meminerit, quem exitū habuerint Hæresiarchæ qui ante eum fuerunt. 1.

Porrò duplex fuit hujus hæretici error insignis. In primis enim dicere cœpit, panem & vinum Eucharistiæ esse tantummodo sacramentum, seu corporis Christi signum, subindeque Eucharistiam non verè & realiter, sed figurativè tantùm, Christi carnem & sanguinem continere. Qui error primò damnatus est sub Leone IX. in Concilio Vercellensi, deinde in Turonensi sub Victore II. ejus successore, in quo Berengarius primò suum errorem abjuravit. Sed cùm paulò post in illum relapsus esset, ipsum iterum reprobavit in Concilio generali Romano sub Nicolao II. his verbis quæ referuntur de consecratione dist. 2. *Ego Berengarius, indignus Sancti Mauritij Andegavensis Ecclesiæ Diaconus, cognoscens veram, Catholicam, & Apostolicam Fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem, solummodo sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Iesu Christi esse.* 2.

Verùm levis ille protheus, post abjuratam bis illam hæresim, incidit in alium errorem, quo asserebat, integram naturam substantiæ panis & vini remanere post consecrationem in Eucharistia, accidentaliter conjunctam corpori Christi, eo modo quo unum suppositum potest localiter conjungi alteri, unde transubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi hac secunda hæresi negavit, quam etiam in alio Concilio Romæ sub Gregorio VII. habito, solemniter abjuravit, his verbis: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram ac propriam & vivificam carnem & sanguinem Iesu Christi Domini nostri, & post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est ex Virgine, & quod pro salute mundi in cruce pependit.* 3.

Licèt autem post tertiam illam abjurationem, Berengarius constans in fide permanserit, & in communione Ecclesiæ Catholicæ objerit, erroris tamen sui pestifera semina reliquit, ut notavit Guillelmus Malmesberiensis lib. 3. de gestis Anglorum, ubi hæc scribit: *Berengarius planè quamvis ipse sententiam correxerit, omnes tamen quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit. Adeò pessimum est alios exemplo aut verbo à bono infirmare, quia fortassis peccatum te gravabit alienum, cùm deletum fuerit tuum.* 4.

Et sanè cum Berengarij retractatione & obitu, ejus errores extincti non sunt, sed infeliciùs repullularunt diversis sæculis apud diversas sectas hæreticorum. Illos quidam attribuunt Albigensibus, contra quos septem annorum spatio generosè & feliciter pugnavit Sanctus Dominicus. Alij eos etiam tribuunt Flagellantibus. Postea Vvaldenses, Vviclef, Oecolampadius, Zuinglius, Petrus Martyr, Calvinus, & alij, veram & realem corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentiam negarunt, ideóque *Sacramentarij* dicti sunt. Lutherus verò talem quidem præsentiam admisit, imò & mordicùs propugnavit, ac pro ea apologiam edidit, ut constabit ex dicendis infrà art. 9. sed alium Berengarij errorem, quo integram substantiam panis & vini remanere post consecrationem asserebat, amplexus est, subindeque transubstantiationem negavit, quem plures ejus discipuli in Germania secuti sunt, ideóque *impanatores* seu *panistæ* vocantur. Negat etiam Lutherus, Eucharistiam, seu Missam, veram rationem sacrificij habere, ut patet ex libro quem edidit de abroganda Missa ubi se hunc errorem è Diabolo didicisse fatetur. Unde, ut illi objicit Petrus Faber, clarissimus Jurisconsultus, alio modo quam Paulus loqui debet: nam cùm Apostolus dicat: *Quod accepi à Domino, hoc tradidi vobis*, Lutherus dicere debet: *Quod accepi à Dæmone, hoc tradidi vobis.* Hos Lutheri errores confutabimus infrà, cùm agemus de transubstantiatione, & sacrificio Missæ: hîc verò Sacramentariorum hæresim, apertissimis Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum testimoniis, nec non variis rationibus Theologicis refellemus, & postea quæ ex Scriptura, SS. Patribus, & ratione, Catholicis objiciunt, breviter ac perspicuè diluemus.

ARTICULUS II.

Duplici Scripturæ testimonio Calvinistarum error refellitur.

PLura adduci solent Scripturæ testimonia ad refellendum Calvinistarum errorem & probandam veram & realem Christi præsentiam in Eucharistia, sed duo præcipua sunt in quibus hæc veritas manifestiùs exprimitur. Primus sumitur ex capite sexto Joannis, ubi Christus occasione captâ ex illo miraculo quo quinque panibus multa hominum millia satiavit primùm eos ad fidem suam adhortatur; tum à fide transitum facit ad corpus suum in hoc Sacramento dandum, his verbis: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis, &c.* Quòd enim ibi Christus non loquatur de manducatione spirituali per fidem, ut contendunt hæretici, constat primò, quia loquitur in futuro: *Panis quem ego dabo, caro mea est*, utpotè quia nondum hoc Sacramentum instituerat: cùm autem de fide loquitur, non in futuro, sed in præsenti, vel præterito loquitur, quia objectum fidei semper est præsens; cùm fides, ut ait Bernardus, sit exemplar quoddam æternitatis, quæ præterita, præsentia, futura, sinu suo vastissimo comprehendit.

Secundò, Christus ibi expressè distinguit carnem & sanguinem per modum cibi & potûs, dicens: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: At si loquebatur de sola manducatione per fidem, illa distinctio erat inanis & superflua; nam comestio & potio per fidem, sunt unum & idem, nempè credere in Christum: Ergo ibi Christus non loquebatur de sola manducatione per fidem. 6.

Tertiò, Christus ibidem comparat & præfert Eucharistiam Mannæ, quod typus fuit hujus Sacramenti, ait enim: *Hic est panis qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: At si Eucharistia esset tantùm figura Corporis Christi, vel de sola fide loqueretur, non debuisset præferre Eucharistiam mannæ; etenim manna etiam fuit Corporis Christi figura, ut infrà ostendemus, & Patres qui manna in deserto manducaverunt, in Christum crediderunt, subindeque spirituali manducatione per fidem corpus ejus comederunt: Ergo &c. 7.

Quartò, Christus ibidem ait: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: At si ejus caro solâ fide ederetur, ut volunt Calvinistæ, illa non esset verè cibus, sed tropicè tantùm & metaphoricè: nam sicut os & guttur animæ, metaphoricum tantùm est, neque est magis os & guttur, quàm imago Regis sit verè Rex; ita & ejus cibus & potus, est tantùm cibus & potus metaphoricè, non autem verè & propriè: Ergo caro Christi in Eucharistia non editur solùm manducatione spirituali per fidem, sed sub speciebus panis, verè & substantialiter à fidelibus sumitur. Unde Hilarius lib. 8. de Trinit. *De veritate carnis & sanguinis, non relictus est ambigendi locus, nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra, verè caro est, & verè sanguis est.* Et Augustinus initio sermonis 2. de verbis Apostoli: *Audiamus* (inquit) *veracem Magistrum, divinum Redemptorem, humanum Salvatorem, commendantem nobis pretium nostrum, sanguinem suum.... Cùm ergo commendans nobis carnem suam, talem cibum, & sanguinem suum, talem potum, diceret: Nisi manducaveritis carnem meam; & biberitis sanguinem meum non habebitis vitam in vobis.... erit illi homini mors & non vita qui mendacem putaverit vitam.* Item Chrysostomus homil. 83. in Matth. *Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui nostro & cogitationi absurdum esse videatur quod dicit. Nam verbis ejus defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facilis est: illa falsa esse non possunt, hic sæpius ac sæpiùs fallitur.* 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Et homil. 60. ad populum Antiochenum : *Ipsius sermo infallibilis est, sensus autem noster seduci facilis ; ille nunquam decidit, hic autem plurimùm errat. Quoniam igitur Verbum dicit, Hoc est corpus meum, & pareamus & credamus, & oculis intellectualibus ipsum intueamur.*

10. Quintò, Judæi audientes Christum dicentem, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, litigabant adinvicem dicentes, *Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum ?* Aliqui etiam ex Discipulis Christi, ex illis verbis scandalizati sunt, & dixerunt : *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire ?* At si Christus de spirituali manducatione per fidem loquutus fuisset, facilè hoc scandalum sedare potuisset, & unico verbo figuræ aut manducationis per fidem, difficultatem omnem non modò elevare, sed penitùs adimere : quod tamen Christus non fecit, quin potiùs acriùs instans, iterumque repetitis affirmationibus dictũ suum confirmans, subjunxit : *Amen Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* ; & ad faciendam fidem hujus mysterij, mentionem fecit miraculi futuræ ascensionis suæ, dicens : *Hoc vos scandalizat ? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius ?* Quasi volens rem unam mirabilem, aliâ æquè mirabili confirmare : Ergo Christus ibi non loquebatur de spirituali corporis sui manducatione per fidem, sed de vera & reali, facienda ore corporis, mediantibus speciebus panis.

11. Adde quod solebat Christus, si quid obscurius turbis proposuisset, explicare Discipulis ab ipso exigentibus, ut patet Matth. 13. de parabolis seminantis & zizaniorum : quæ autem fuit unquam vel major occasio vel necessitas explicandi sensum suum Discipulis ; & corrigendi eorum existimationem, si falsa erat, quàm tunc temporis, cùm usque ad defectionem penè omnes scandalizati sunt ? Et tamen Christus illos ob eam existimationem abire passus est, & ad duodecim Discipulos dixit : *Nunquid & vos vultis abire ?* Quasi diceret : Non habeo aliud quod faciam, mysterium proposui, ad quod credendum fide opus est : qui non vult credere, abeat.

Secundum testimonium sumitur ex capite 26. Matthæi, ubi Christus adimplens quod promiserat Joan. 6. & Sacramentum Eucharistiæ instituens, sic ait Discipulis suis, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Quibus verbis nulla alia suppetunt quæ breviùs, & distinctiùs, & expressiùs, significare possint, Christi corpus in Eucharistia verè & realiter contineri. Unde Lutherus, infrà citandus, cùm maximè propensus esset ad hoc Sacramentum negandum, ingenuè fassus est, se non posse tam manifesto Scripturæ testimonio repugnare.

12. Illud tamen variis explicationibus eludere conantur Calvinistæ. Aliqui pronomen *Hoc*, explicant adverbialiter pro *hic*, ut sensus sit, *hic sedet corpus meum* : expositio ridenda magis quàm impugnanda ; quis enim rem oculis præsentem, cujusmodi erat Christi corpus Apostolorum prospectui, digito videndam commonstret ? Alij explicant verbum *est*, pro significat, ita ut sensus sit, panis iste significat & repræsentat corpus meum, sive est signum vel figura corporis mei. Alij non in verbo *est*, sed in nomine, *corpus*, tropum fingunt, ut nimirùm hac voce non significetur corpus Christi naturale, sed aut Mysticum Discipulorum, aut signum & figura veri corporis Christi. Alij demum pronomen *Meum*, exponunt possessivè, ut sensus sit, *Hoc*, ostenso pane, *est corpus meum*, id est à me creatum. Sed hæc duo postrema commenta apertè refellunt verba subsequentia, *quod pro vobis tradetur : qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Non enim corpus, & sanguis Apostolorum, nec panis à Christo creatus, sed ipsum Christi corpus, pro nobis traditum est, ejusque sanguis in remissionem peccatorum effusus.

13. Alia verò explicatio, verba Christi esse figuratè accipienda affirmans, quæ apud Calvinistas præcipua est, multipliciter confutari potest. Primò ex septima Synodo generali actione 6. ubi sacra Synodus damnat hæreticos qui Eucharistiam vocabant figuram aut imaginem corporis Christi, & rationem dat sui anathematis, quia *Christus non dixit, sumite imaginem corporis mei, sed sumite corpus meum.*

14. Secundò ex Damasceno libro 4. fidei cap. 14. dicente : *Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi : absit enim hoc, sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente, hoc est meum, non figura corporis, sed corpus ; non figura sanguinis, sed sanguis.* Similia habet Theophilactus in cap. 26. Matthæi, & in cap. 14. Marci, ubi eadem Christi verba, *Hoc est corpus meum*, exponens, subdit : *Ostendit quòd ipsum corpus Domini est panis qui sanctificatur in altari, & non respondens figura : non enim dixit, hoc est figura, sed hoc est corpus meum.*

15. Tertiò, Christus verbis relatis Eucharistiam instituens, testamentum condebat suum, juxta illud Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Unde SS. Patres, Eucharistiam, *Hæreditarium munus novi testamenti* appellant. Et Augustinus in Psal. 21. *Quare litigas ?* (inquit) *Fratres sumus. Non intestatus mortuus est Pater. Fecit testamentum, & sic mortuus est.....ubi inventa fuerit ipsa hæreditas, ipsam teneamus. Aperi testamentum &c.* Sed testamenta à viris bonis & prudentibus, nonnisi verbis propriis & perspicuis condi solent. Unde Lege *Non aliter* ff. de Legatis 3. statuitur, ut in significatione verborum alicujus testamenti, non liceat recedere à proprietate verborum, nisi ubi manifestum est aliter sensisse testatorem : Ergo prædicta Christi verba, non figurativè & metaphoricè, sed propriè accipienda sunt.

16. Confirmatur : Testamentum vetus Exodi 24. disertis verbis & perspicuis, antiquis Patribus datum est : Sed non decuit vetus testamentum, quod novi umbra & figura erat, propriis vocibus ac perspicuis proponi, novum autem figuratis & obscuris locutionibus tradi : Ergo prædicta verba, quibus Christus Eucharistiæ sacramentum instituit, & suum testamentum condidit, non debent in sensu figurativo intelligi. Unde egregiè Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 40. *In Calicis mentione* (Christus) *testamentum constituens, sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit.*

17. Confirmatur ampliùs : Christus verbis illis præstantissimum omnium Sacramentorum instituit, ut fatentur Calvinistæ : At Sacramenta cum

cùm sint Ecclesiæ bases & fundamenta, minimè debent tropicis & obscuris verbis implicari, ne gravissimi erroris circa eorum usum detur occasio. Unde Circumcisio clarissimè instituitur Genes. 17. & comestio agni Paschalis Exod. 12. & in toto Levitico, ubi tot sacrificia & expiationes, aliæque sacræ cæremoniæ instituuntur, vix reperire est vocem ullam metaphoricam. Matthæi quoque ultimo, Christus Baptismi usum & præceptum, propriis ac perspicuis verbis declaravit : Quis ergo sibi persuadeat, ipsum in instituendo & tradendo primario legis Evangelicæ sacramento, obscurè & tropicè loquutum esse, & verba illa, *Hoc est corpus meum*, non in sensu proprio, sed figurativo usurpasse ? *Fortè* (inquit Hilarius) *qui verbum est, & qui veritas est, loqui vera nescivit ? & qui sapientia est, in stultiloquio erravit ? & qui virtus est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui quæ vellet intelligi.*

8. De Trinit.

Addo quod quando Christus verba illa protulit, tunc morti erat propinquus, & ultimum vale dicebat Discipulis : Solent autem homines jam morti proximi, & ultimum vale dicentes amicis suis, perspicuis verbis uti, & non mentiri : Ergo idem de Christo sentiendum est.

De unitate Ecclesiæ, cap. 11.

Unde egregiè Augustinus : *Cùm verba novissima hominis morientis audiuntur iturí ad inferos, nemo eum dicit esse mentitum, & impius judicatur hæres qui fortè illa contempserit. Quomodo ergo effugiemus iram Dei, si vel non credentes, vel contemnentes, repulerimus verba novissima & unici filij Dei, & Domini nostri ac Salvatoris, & ituri ad cœlum, & inde prospecturi, quis ea negligat, quis observet ; & inde venturi, ut de omnibus judicet ?*

18. Quartò, Tropi & figuratæ locutiones non sunt nec debent esse usui, nisi vel ad ornatum, aut amplificationem sermonis, ut in concionibus fieri consuevit, vel ad occultandum sensum : Sed tropus in illis quatuor Christi vocibus, *Hoc est corpus meum*, nec esset ornamento, nec amplificationi, ut patet, sed confusioni ; neque debuit apponi ad occultationem sensûs, quia tunc Christus erat cum solis Apostolis, quibuscum privatim, ut amicus amicis, ut magister discipulis, familiari colloquio, absque ambagibus, distinctè mysteria pandebat ; unde & dicebat Lucæ 8. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis* ; & Joan 15. *Iam non dicam vos servos, sed amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Propter quod cap. 16. dicebant ei Discipuli : *Nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.* Adde quod, ubi Apostoli non intelligebant figuratum sermonem, interrogabant Dominum, ut patet Matt. 15. *Edissere nobis parabolam istam* ; & tamen quoad præsens mysterium, nullus eum interrogavit, quia scilicet perspicuè locutus erat.

19. Quintò, Consueverunt Evangelistæ mutuas sibi operas tradere, ut quod ab uno obscuriùs est traditum, id alius clariùs enarret : hinc Joannes Baptista, Elias à Matthæo nuncupatur, sed ut quis sensus sit dignoscatur, subjungit Lucas : *Venit Ioannes in virtute & Spiritu Eliæ.* Quod verò à Luca dictum est, ejectum fuisse dæmonium in digito Dei, à Matthæo in Dei spiritu exponitur. Joseph, Christi Pater non semel scribitur, sed ne falleremur dictionis ambiguitate, Lucas addidit, *ut putabatur.* Matthæus & Marcus accusatum Chri-

stum memorant, quia dixisset, *Solvite templum hoc, & in triduo readificabo illud* ; sed quia de quo templo locutus esset, reliquerant incertum, id minimè reticendum Divus Joannes putavit, & de templo corporis sui id debere intelligi significavit. Et tamen loquentes de institutione Eucharistiæ, ejusque historiam narrantes, nullus eorum interpretatus est dictum alterius, utendo verbo *significat*, aut nomine *figuræ*, vel *signi*, sed unanimi consensu usi sunt ubique verbo *est*, & vocibus corporis & sanguinis : Ergo verba illa non debent in sensu tropico & figurativo exponi.

Denique testimonia Scripturæ quibus aliorum mysteriorum quæ Sacramentarij nobiscum admittunt, veritas ostenditur, non apertiùs eam declarant, quàm verba illa, *Hoc est corpus meum*, realem corporis Christi sub speciebus panis existentiam ostendunt : Ergo sicut Sectarij alia testimonia in sensu typico & figurativo non audent exponere, ita nec istud in illo sensu debent interpretari. Consequentia patet, Antecedens verò probatur primò de mysterio Trinitatis. Ex eo colligunt Sectarij nobiscum, Personas Divinas eandem numero habere naturam, quod Filius loquens de Patre, & de seipso, dicat : *Ego & Pater unum sumus*, Joannes loquens de tribus personis, hæc scribat : *Hi tres unum sunt.* Illa autem duo testimonia non magis aperta sunt pro unitate in natura, quàm hæc verba, *Hoc est corpus meum*, pro reali præsentia corporis Christi in Eucharistia : unde Arriani ea interpretabantur de unitate præcisè quoad affectum, & varia loca Scripturæ arripiebant ad confirmationem suæ interpretationis, multo opportuniora, quàm ea quibus Calvinistæ abutuntur, ad eludendam veritatem horum verborum, *Hoc est Corpus meum* : dicebant enim loca illa de unitate naturæ debere intelligi, sicut intelligitur iste Actorum 4. *Credentium erat anima una, & cor unum*, & illud Joan. 17. *Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut nos unum sumus.* Quoad mysterium verò Incarnationis idem probatur : nam ex illo loco, *Verbum caro factum est*, unde colligitur, non magis constat verbum nostram naturam verè, realiter, & non tantùm quoad speciem sive apparentiam sumpsisse, quàm ex isto, *Hoc est Corpus meum*, constet, corpus Christi realiter esse præsens in Eucharistia ; imò prior locus de Incarnatione, magis patet figuris quibus Marcionistæ & alij antiqui hæretici abutebantur ; dicebant enim locum illum explicandum esse de assumptione non veræ carnis, sed phantasticæ, sive secundùm apparentiam, juxta illud ad Philippenses 2. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Triumpharent certè Sacramentarij, si similem locum possent nobis objicere pro suis tropis in mysterio Eucharistiæ. Denique quoad mysterium resurrectionis idem suadetur, ex eo quòd ideò Calvinistæ colligunt nobiscum ex Scriptura, futuram corporum nostrorum resurrectionem, quia Apostolus dicit quòd *mortui resurgent incorrupti* : ille autem locus magis patet figuris quibus utebantur Origenistæ, quàm iste, *Hoc est Corpus meum*, pateat tropis quibus Calvinistæ conantur eum explicare. Nullus item est Scripturæ locus, qui istorũ explicationi ita faveat, sicut in specie favere videbatur Origenistis locus iste alius Apostoli :

Universidad de Deusto
Biblioteca

seminatur corpus animale, resurget spirituale: quemadmodum enim ly *seminatur*, figuraliter explicandum est, ita etiam sumendum videtur, ly *resurget*.

21. Hoc argumento ex verbis illis Christi, *Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus*, desumpto, passim utuntur SS. Patres, ut ex eorum proprietate & vi probent, corpus & sanguinem Christi esse verè & propriè in Eucharistia. Quod profectò nunquam fecissent, si existimassent Eucharistiam tantùm esse Symbolum Corporis Christi: quis enim de hoc potuit unquam dubitare? In primis ergo Ambrosius lib. 4. de sacram. cap. 5. postquam multis argumentis ostendit esse verum Christi Corpus in Eucharistia, adjunxit hoc tanquam robustissimum. *Deinde* (inquit) *ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quod suum corpus accipiamus, numquid debemus de ejus fide & testificatione dubitare?* Cyrillus Hierosolymitanus 4. Catech. Mystag. hæc habet: *Cum igitur Christus sic affirmet atque dicat de pane, Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque affirmante & dicente, hic est sanguis meus, quis inquam dubitet & dicat non esse illius sanguinem?* Item Cyrillus Alexandrinus in epist. ad Colloridium: *Ne dubites* (inquit) *an hoc verum sit, eo manifestè dicente, Hoc est corpus meum, sed potius suscipe verba Salvatoris in fide, nec dubites.* Item lib. 10. in Joan. cap. 13. cùm multis argumentis id egisset, ut veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia demonstraret, adjecit: *Non credis mihi hæc dicenti, Christo obsecro tu fidem præbe: ipse enim dixit, Hoc est corpus meum.* Gaudentius tract. 2. in Exodum: *Quod annuntiatum est credas, quia quod accipis, corpus est panis illius cœlestis, & sanguis est illius sacræ vitis. Nam cùm panem consecratum & vinum Discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est corpus meum. Hic sanguis meus. Credamus quæso cui credidimus. Nescit mendacium veritas.* Eusebius Emissenus homil. 5. de Paschate: *Recedat omne infidelitatis ambiguum. Quandoquidem qui author est muneris, ipse etiam testis est veritatis.* Similia habet Fulbertus Carnotensis Episcopus epist. 1. *Hoc sacramentum* (inquit) *non est inanis mysterij Symbolum, sed Corpus Christi verum. Nullus locus dubietati relinquitur, quando ille ipse qui author est muneris, testis est veritatis.* Demum idem docent Hilarius, Augustinus, & Chrysostomus, quorum verba & testimonia articulo præcedenti numero 8. retulimus.

ARTICULUS III.

Veritas Catholica probatur ex traditione.

22. SEcunda probatio Catholicæ veritatis de reali præsentia Christi in Eucharistia, sumitur ex perpetua & nunquam interrupta traditione, ab Apostolis ad nos usque, continuâ successione, per manus Majorum delatâ, quæ in omni ætate & sæculo viguit.

Primus oculatus hujus traditionis testis sit Beatus Andreas Apostolus, qui (ut in ejus vita ab ejus Discipulis conscripta refertur) Ægeæ Proconsuli, ut diis suis immolaret hortanti, respondit: *Ego omnipotenti Deo, qui vivus & verus est, quotidie immolo, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari, cujus carnes, postea cùm omnis populus credentium manducaverit, agnus qui sacrificatus est, integer perseverat, & vivus.* Hujusmodi verò narrationem indubitatæ esse fidei, testatus est ante sexcentos annos Petrus Damianus serm. 2. de S. Andrea, ubi de hac historia sic loquitur: *Non immeritò in singularem authoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt, & ministri fuerunt sermonis.* Eandemque refert Metaphrastes, qui floruit ante annum Domini 859.

Secundus hujus traditionis testis est B. Jacobus frater Domini, qui in sua Liturgia expressè fatetur, per verba consecrationis verum Corpus & sanguinem Christi confici. Idem in sua S. Marcus Evangelista affirmat.

Tertius sit S. Ignatius, qui vixit Apostolorum tempore, & Joannis Apostoli discipulus fuit, tertiusque à Petro Antiochenus Episcopus: Ille enim in Epistola ad Romanos hæc scribit: *Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus hujus vitæ: panem Dei volo, panem cœlestem Filij, qui est caro Christi Dei.* Et in Epistola ad Smirnenses (ut refertur à Theodoreto dial. 3.) de Saturnianis & Simoniacis hæreticis loquens, sic ait: *Eucharistias & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris Domini nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est.*

Quartus sit Clemens Romanus, tertius à Petro Pontifex, & ab ipso in successorem nominatus, qui lib. 8. Apostolicarum constitutionum, sic Deum alloquitur: *Rogamus te ut mittas Spiritum Sanctum tuum super hoc sacrificium, testem Passionum Domini Iesu, ut ostendat hunc panem, Corpus Christi tui, & hunc calicem, sanguinem Christi tui.* Et cap. 21. *Percepto corpore & pretioso sanguine Christi.* Quæ verba leguntur etiam in Liturgia Jacobi Apostoli.

Quintus sit S. Martialis, qui fuit etiam B. Petri Discipulus: ille enim in Epistola ad Burdigalenses cap. 3. hæc scribit: *Quod Iudæi per invidiam immolaverunt* (id est corpus & sanguinem Christi) *nos in ara sanctificata, salutis nostræ causâ proponimus.*

Sextus sit Dionysius Areopagita, Pauli Apostoli Discipulus, qui in libro de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. Eucharistiam sic alloquitur: *O divinissimum & sanctum sacramentum, obducta tibi symbolicè operimenta enigmatum revelans, dilucidè nobis demonstrare, ac spirituales nostros oculos, singulari, apertoque lumine imple.* Ubi notanda sunt hæc verba, *Obducta tibi symbolicè operimenta*, quæ apertè declarant, Eucharistiam aliud esse præter symbolum, seu figuram, Christum scilicet, quem sub signorum operimentis latentem invocat.

Septimus sit S. Irenæus, qui secundo sæculo vixit: ille enim lib. 4. adversùs hæreses cap. 34. disputans contra resurrectionis corporum adversarios, hæc scribit: *Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ Corpore Domini & Sanguine alitur.* Ubi docet, corpora nostra fieri incorruptibilia, quia aluntur Corpore Christi: Ergo censet Corpus Christi non solùm mente & ore fidei, sed & corpore ipso percipi.

Octavus sit Justinus Martyr, qui apol. 2. ad Antoninum in fine, hæc habet: *Non communem usitatumque panem, usitatamque potionem capimus: sed quemadmodum Dei Verbum, homo factus, Iesus Christus, & carnem & sanguinem habuit, sic etiam ci bum, qui per preces sermonis quem ab eo accepimus, consecratus est, & quo sanguis, carnesque nostræ communione aluntur, Iesu Christi ejus, qui homo factus est, & carnem & sanguinem esse accepimus: Apostoli enim ita tradiderunt.* Quibus verbis non solùm panem & vinum, per verba consecrationis in carnem & sanguinem Christi converti, disertè profitetur, sed etiam id esse Apostolicam traditionem asserit.

Nonus sit Tertullianus, qui lib. de resurr. carnis cap. 8. hæc scribit: *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Quæ verba intelligi nequeunt de comestione mentis per fidem, tum quia illam comestionem carni tribuit, affirmatque, cùm caro corpore & sanguine Christi vescitur, mentem de Deo saginari. Tum etiam, quia comestionem illam comparat cum ablutione & unctione, quæ in Baptismo & Confirmatione fiunt, quibus verè, & realiter corpus afficitur.

23. Alij ejusdem traditionis testes, qui per singulas ætates veram realem Christi in Eucharistia præsentiam docuerunt, apud Bellarminum lib. 2. de Eucharistia, vel apud Ioannem Garetium, Ordinis S. Augustini Canonicum, videri possunt. Potestque hæc traditio confirmari ex praxi & disciplina primitivæ Ecclesiæ, ex qua plura argumenta, seu conjecturæ evidentes, realis præsentiæ Christi in Eucharistia desumi possunt. Primum sumitur ex eo quod in primitiva Ecclesia, cùm celebrabatur sacrificium Missæ, sacerdos dicebat *Christi corpus*, aut *Hoc est corpus meum*; & totus populus respondebat *Amen*, id est, *verum est*. Hoc testantur Abdias Babilonius lib. 7. Justinus in secunda Apologia, Tertullianus in libro de spectaculis, & D. Hieronymus Comment. in epist. ad Galatas, ubi ait: *Ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat.* Demum in omnibus liturgiis antiquis ita videmus responderi. Ex qua cæremonia, seu Ecclesiæ consuetudine liquet Ecclesiam antequam Eucharistiam fidelibus porrigeret certam & indubitatam fidem ab illis exegisse veræ & realis præsentiæ corporis Christi in ea. Argumentum non meum est, sed Ambrosij lib. 4. de sacram. cap. 5. ubi sic ait: *Non otiosè tu dicis Amen, jam in spiritu confitens, quod accipias corpus Christi, & tu dicis Amen, hoc est verum: quod confitetur lingua, teneat affectus.* Id est quandoquidem lingua confiteris esse corpus Christi, ne dubites intus in animo tuo. Eodem argumento usus est Leo Papa serm. 6. de jejunio septimi mensis: *Hoc* (inquit) *ore sumitur quod fide creditur, & frustrà ab illis Amen respondetur, à quibus contra id quod sumitur disputatur.*

Secundum petitur ex summa diligentia quâ in primitiva Ecclesia cavebatur, ne Catechumenis aperiretur mysterium Eucharistiæ, cujus rei certa sunt monumenta apud antiquos Patres, referentes hanc disciplinam Ecclesiæ; ut apud Ambrosium de iis qui initiantur mysteriis cap. 1. Theodoretum dial. 1. ubi jubentur loqui submissâ voce, & mysticè, id est obscurè, qui coram Catechumenis disputabant de Eucharistia. Unde Augustinus tract. 11. in Joan. *Si interrogaveris Catechumenum, credis in Christum? Respondet, credo, & signat se cruce Domini. Si interrogemus eum, manducas ne carnem Christi, & bibis ejus sanguinem? nescit quid loquamur.* Quia scilicet non licebat hoc mysterium Catechumenis declarare. Ex quo manifestè colligitur, fideles primitivæ Ecclesiæ, non existimasse Eucharistiam esse solam manducationem Christi mentalem, per fidem, repræsentatam in symbolis externis; nam Catechumenis non fuisset celandum tale mysterium, cùm illi jam crederent in Christum, ac scirent Patres veteris testamenti manducasse agnum paschalem, figuratiebat, mysterium Eucharistiæ aliud esse quam solam manducationem mentalem corporis Christi.

Aliud ejusdem veritatis signum & argumentum est, alia antiqua cæremonia, cujus meminit Augustinus lib. 2. de peccat. meritis cap. 26. quâ benedicebatur panis, ut daretur Catechumenis, quem *sanctum, sacramentumque* appellat Augustinus, *quamvis* (inquit) *non sit corpus Christi.* Nam si Eucharistia nihil aliud esset quàm purus panis, solâ Sacerdotis benedictione sacratus, quid opus erat alium panem benedicere, ut daretur Catechumenis? aut cur hic etiam non appellatur corpus Christi?

Idem colligitur ex eo quòd summa semper fuit religio in sumenda & tractanda Eucharistia, tanquam re omnium sacratissima: hinc enim constitutum fuit, ut non nisi à jejunis perciperetur, sicut asserit Augustinus Epist. 118. cap. 6. his verbis: *Hoc placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi.* Unde summum peccatum censebatur dare illam non jejunis, sicut ex Chrysostomo colligi potest Epist. 3. ad Cyriacum: nam cùm quidam finxisset, Chrysostomum non jejunis administrasse Eucharistiam, respondit ille: *Hoc si feci, expungatur corpus meum ex albo Episcoporum, & abjiciat me etiam Christus à regno suo.*

Ob summam etiam reverentiam quâ fideles hoc sacramentum in primitiva Ecclesia colebant, vasa ad Eucharistiæ celebrationem non nisi ex rebus valde pretiosis, ut ex auro & argento fieri solebant. Unde in Ecclesia Rhemensi, ante mille annos, à D. Remigio calix aureus relictus est, cum hac inscriptione:

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro.

Et in multis Germaniæ Monasteriis vetustioribus, extant adhuc antiquæ fistulæ aureæ, vel argenteæ, quarum erat olim usus ad sanguinem ex calice tutiùs hauriendum. Quin etiam apud Prudentium in libro περὶ στεφάνων, Præfectus Gentilis, D. Laurentio Martyri inter alia dicit:

Hunc esse vestris orgiis,
Moremque & artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Bibant ut aureo Antistites:
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Astare fixos cereos.

Legimus etiam in hystoria Ecclesiastica veteres tantùm honoris, tantúmque venerationis tribuisse Eucharistiæ, ut graviſſimè animadverteretur in eos qui eam negligenter tractarent. Quæ de re est antiquissimum hoc decretum Pij I. quod recitatur à Gratiano de consecrat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

secrat. dist. 2. *Si per negligentiam sacerdotis de sanguine deciderit in terram, linguâ lambatur, tabula radatur: Si tabula non fuerit, locus corrodatur, igni consumatur, cinis intra altare recondatur, sacerdos quadraginta dies pœniteat.* Quam disciplinam confirmat testimonium Tertulliani in libro de corona militis, ubi sic ait: *Calicis aut panis etiam nostri, si aliquid decidit in terram, anxie patimur.* Et Origenis homil. 13. in Exodum sic dicentis: *Nostis qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & rectè creditis, si quid inde per negligentiam decidat.*

Præterea scimus neminem ausum fuisse olim ad excipiendam Eucharistiam accedere, si quid turpis aut pravæ cogitationis animo versasset, aut si somniasset turpiter. Sunt multa exempla de hac re apud Palladium in vita Eulogij Presbyteri cap. 75. & apud D. Hieronymum qui cùm reprehensus fuisset, quòd in libris contra Jovinianum dixisset: *Quale bonum est matrimonium, quod impedit sumptionem corporis Christi?* Respondet in Apologia pro libris suis: *Quid majus est orare, an accipere Christi corpus? Utique corpus Christi accipere: si per coitum impeditur quod minus est, quantò magis quod majus est.*

26. Demum fideles non figurativè tantùm, sed verè & realiter, carnem & sanguinem Christi, C sub speciebus panis & vini, in Eucharistia sumere, argumentum est, quòd Christiani inter alia olim accusabantur ab Ethnicis, quòd in suis sacris, carnem humanam ederent, ut patet ex Tertulliano in Apologetico cap. 7. ubi sic ait: *Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidij, & pabulo.* Et ex Felice in Octavio, ubi ait quod Gentiles Christianis exprobrare solebant, quòd infantem farinâ tectum, secretis vulneribus confoderent, ejusque membra inter se partirentur. Eximium etiam cultum, quo fideles in primitiva Ecclesia Christum sub speciebus panis & vini in Eucharistia latentem D colebant, occasionem fuisse Gentilibus suspicandi, Christianos colere Cererem & Bachum, testatur D. Augustinus libro 20. contra Faustum cap. 13. Certè si fideles in Eucharistia carnem & sanguinem Christi figurativè tantùm & non realiter sumerent, debebant eximij illi Catholicæ fidei defensores, id omnino apertè declarare in suis Apologiis, ut hoc immane crimen infanticidij, quo Christiani olim gravabantur, omnino amoverent; & ut Gentilibus, qui nos impios appellant, ex eò quòd Deum nostrum manducemus, penitùs os occluderent: hæc enim defensio facillima erat, si vera fuisset. Hoc verò illi nequaquam in suis Apologiis præstant, non enim ad Sectariorum tropos, sed omnipotentiam Dei recurrunt, ut mysterium Eucharistiæ explicent, ut patet de Justino Martyre, qui in sua Apologia, ad calumniam allatam Paganorum respondens, sic ait: *Non enim ut communem panem hæc sumimus, sed quemadmodum per Verbum Dei incarnatum, Jesus habet carnem & sanguinem; sic etiam per preces verbi Dei ab ipso Eucharistiam factum cibum ex quo carnes nostræ aluntur, ipsius incarnati Jesus carnem, & sanguinem esse edocti sumus.*

A

Articulus IV.

Catholica veritas definitionibus Conciliorum stabilitur.

27. NOn solùm Scriptura & Traditio, sed etiam plura Concilia generalia, veritatem Catholicam, de reali & corporea manducatione corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, apertè docent. In primis enim Concilium Nicænum primum, anno 330. celebratum, & ab ipso Calvino, cum tribus aliis proximis generalibus, libro 4. Instit. cap. 9. §. 8. receptum, B & approbatum, hanc veritatem docuit: sic enim habet libro 3. (editionis Pisani) cap. de sacra mensa: *In hac sacra mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & calicem, sed attollentes mentem fide, intelligamus situm in illa sacra mensa agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à Sacerdotibus immolatum; & pretiosum ejus corpus, & sanguinem, verè nos sumentes, credamus hæc esse nostræ redemptionis symbola.* Quibus verbis Concilium perspicue asserit Christum residere in sacra illa mensa, in qua symbola panis & vini proponuntur, ac in ea incruente immolari à Sacerdotibus, & à fidelibus verè recipi.

28. Secundò eadem veritas definita fuit in Con- C cilio Ephesino in Epistola Cyrilli ad Nestorium, à Concilio approbata, in qua sic dicitur: *Ad mysticas benedictiones accedimus, eaque ratione sanctificamur, utpotè sacræ carnis, & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum Salvatoris, participes effecti.* Et paulò post: *Neque enim illam ut carnem communem suscipimus, sed tanquam verè vivificam, ipsiusque Verbi propriam.*

29. Tertiò Concilium Nicænum secundum, seu septima Synodus Oecumenica, actione 6. tam clarè & perspicuè eandem veritatem tradit, ut quilibet non oculis orbatus, eam perspicuè intueri possit: sic enim in ea habetur: *Nullus aliquando tubarum Spiritus, Sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri, ac omnis dispensationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt à Domino sic dicere vel confiteri, sed audiunt, evangelicè dicente eo: Nisi manducaveritis carnem Filij hominis & biberitis ejus sanguinem, non intrabitis in regnum cœlorum. Et qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Et accepto pane gratias agens, fregit, & dedit Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et acci-* E *piens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et non dixit: Accipite & comedite imaginem corporis mei. Sed & Paulus divinus Apostolus, ex divinis Domini vocibus hauriens, ait: Ego accepi à Domino quod & tradidi vobis, quoniam in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cænavit dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite in meam commemorationem. Ergo liquidò demonstratum est, quod nusquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres, imaginem*

nem dixerunt sacrificium sine sanguine quod per sacerdotem offertur, sed ipsum corpus, ipsum sanguinem. Quo nihil clarius aut expressius, ad refellendum Calvinistarum errorem dici potest. Nec commentario, vel ponderatione egent hæc verba, Sole ipso splendidiora. Pergit Sacra Synodus: *Ante sanctificationis quidem celebrationem, typos* (seu ut alij legunt antitypa) *quibusdam sanctorum Patrum, hæc piè visum est nominare, quorum est Eusthatius propugnator sanctæ fidei, & Arianæ destructor vesaniæ; & Basilius ejusdem infelicis superstitionis depositor, qui omne quod sub sole est planum rectorum dogmatum edocuit.* Recensitis autem utriusque Patris testimoniis, sic concludit: *Quod deinceps infertur, certiorem Patris hujus* (Basilij) *perfecit intellectum, qualiter antequam sanctificata fuerint, vocata sint typi, post sanctificationem autem, corpus propriè ac sanguis Christi dicuntur, sunt, & creduntur.* Nec obest, quod nonnulli ex Patribus Græcis, sanctificata interdum *Antitypa* appellent, id enim nunquam dixerunt hæreticorum sensu, quasi illa excludant corporis Christi veram ac realem præsentiam, sed in aliquo bono & Catholico sensu, quia nimirum sunt signa corporis Christi, non vacua, sed plena re significata, sicut pastillus significat carnes quas continet. De quo fusiùs infra articulo 12. solvendo objectiones Calvinistarum ex Patribus.

30. Quartò, exortâ hæresi Berengarij, qui ut C suprà art. 1. diximus, circa annum 1050. præsentiam Christi in Eucharistiæ sacramento negavit, in pluribus Conciliis quæ ibidem retulimus, ejus error proscriptus est, & Catholica veritas sancita & confirmata, nimirum in Concilio Vercellensi sub Leone IX. in Turonensi sub Victore II. & in duobus aliis Conciliis, sub Nicolao II. & Gregorio VII. Romæ habitis, in quibus Berengarius publicè suum errorem retractavit.

31. Quintò, in Concilio amplissimo totius orbis sub Innocentio III. Romæ celebrato, iterum eadem hæresis damnata est, & Catholica veritas de reali præsentia corporis Christi, D can. 1. his verbis declarata: *Verum Christi corpus & sanguis in sacramento altaris, sub speciebus panis & vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate divinâ.*

32. Sextò, eadem veritas explicata est in Concilio generali Viennensi, sub Clemente V. in Constantiensi, sub Martino V. in Florentino, sub Eugenio IV. & tandem in Tridentino, sessione 13. cap. 1. ubi sic dicitur: *Docet Sancta Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur, in almo Sanctæ Eucharistiæ sacramento, post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum atque hominem, verè, realiter, ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* Quibus verbis hæreses E quatuor confutantur. Primò Ubiquistarum, asserentium Christum adesse in hoc sacramento, non virtute consecrationis, sed ubiquitatis corporis Christi. Secundò Sacramentariorum, negantium Christum verè esse in hoc sacramento, sed tantùm, ut in signo. Tertiò Calvini, affirmantis Christum non esse in hoc sacramento realiter, sed solâ fide apprehensum. Quartò Calvinistarum, dicentium Christum non esse in hoc sacramento substantialiter, sed A per quandam virtutem accidentalem, quâ nobis conjungitur.

Articulus V.

Catholica veritas testimoniis Sanctorum Patrum confirmatur,

PLura SS. Patrum testimonia, pro ejusdem veritatis confirmatione, adducunt Bellarminus, Valentia, Perronius, Coëffereus, Gamegus.

In primis ergo plures ex SS. Patribus do- 33. B cent, fideles sumere corpus & sanguinem Christi, non solùm ore mentis per fidem, sed etiam ore ipso corporis, & per veram & propriam comestionem. Ita D. Augustinus libro 2. contra Adversarium legis & Prophetarum cap. 9. ubi ait: *Christum Jesum carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde & ore suscipimus.* Et Leo sermone 6. de jejunio septimi mensis, ubi hæc scribit: *Sic Sanctæ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis, hoc enim ore sumitur, quod fide creditur.* Item S. Gregorius Papa homil. 23. in Evang explicans verba illa Exodi 12. *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & utrumque postem*, subdit: *Sanguis Christi super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.*

Secundò SS. Patres docent, quòd per Eu- 34. charistiæ perceptionem, Christus verè nobis commiscetur, & non per fidem tantùm, sed etiam reipsa nobis unitur. Sic enim loquitur Chrysostomus homil. 3. in Matth. *Semetipsum nobis commiscet, & non fide tantùm, verùm & ipsa re, nos suum efficit corpus.* Item Cyrillus Alexandrinus libro 10. in Joan. cap. 13. dicit, Non tantùm rectâ nos fide & charitate syncerâ Christo spiritualiter conjungi, sed etiam corporaliter, communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare. Ibique unionem illam corporalem Christi cum fidelibus, quæ fit per usum Eucharistiæ, hoc exemplo declarat: *Quemadmodum* (inquit) *si quis igne liquefactam ceram, aliæ ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utriusque factum videatur, sic communicatione corporis & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso: non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei conjungeretur.* Alio exemplo utitur Nyssenus in oratione Catech. cap. 37. ubi sic ait: *Quemadmodum parvum fermenti, teste Apostolo 1. Corinth. 11. totam massam sibi similem reddit, sic corpus illud vivificum, in corpus nostrum ingrediens, totum in se transfert atque commutat, sibique simile & immortale* (futurum suo tempore) *reddit. Necessarium enim est, quoad fieri potest, ut natura nostra vim salutarem intra corpus admittat.* Ibi etiam docet, oportere, ut sicut vetitus cibus corporaliter ab Adamo comestus est, ita Christi corpus à nobis corporaliter & intra viscera ipsa sumatur, adeóque non tantùm mente per fidem, *ut cum intra nos fuerit hoc salutare medicamentum, veneni damnum quod corpore fuerat inditum, per contrariam repellat actionem.* Legatur totum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum illud caput, quo nihil clarius dici potest contra errorem Calvinistarum, contendentium spiritu tantùm & non etiam corpore, à nobis percipi corpus & sanguinem Christi.

35. Tertiò, docent SS. Patres, sacramentum Eucharistiæ propter Christum in eo existentem, esse adorandum: Sed non deberet adorari, imò talis cultus esset idololatria, nisi Christus in eo verè & realiter contineretur: Ergo SS. Patres censent Christum in sacramento Eucharistiæ verè & realiter contineri. Unde rectè Theodoretus dixit, *hæc mysteria adorari, non quia significant, sed quia ea sunt quæ creduntur.* Minor patet, nam cultus adorationis soli Deo exhibendus est. Major verò passim docetur à SS. Patribus, præsertim ab Augustino Epistolâ 120. cap. 27. ubi ait, quòd *fideles veniunt ad mensam, manducant, & adorant.* Idem asserit in Psalmum 21. Expos. 1. super illud, *Manducaverunt, & adoraverunt*, sed expressiùs & plenius in Psal. 98. super illud, *Adorate scabellum pedum ejus*: ubi scabellum terram, & ipsam terram explicat carnem Christi: *Quia in ipsa carne hîc ambulavit* (inquit) *& ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam manducat, nisi prius adoraverit, inventum est quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini, ut non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.* Et Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12. super eadem verba sic ait: *Per scabellum, terra intelligitur, per terram autem, caro Christi, quam & hodie in mysteriis adoramus.* Similia tradit Chrysostomus homil. 24. in 1. ad Corinthios: *Hoc corpus* (inquit) *jacens in præsepi reveriti sunt Magi, & cum multo metu & tremore adorarunt. Nos ergo illos imitemur. Non in præsepi illum vides, sed in altari, non fœminam eum tenentem, sed sacerdotem adstantem.* Demùm Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 5. mystag. hæc scribit: *Accede ad calicem sanguinis illius, adorationis in modum.* Unde Concilium Tridentinum sessione 13. cap. 5. latriæ cultum pro more semper in Ecclesia recepto ei exhiberi docet.

36. Nec solùm homines, sed & Angeli Christum in hoc sacramento adorant, & ad conspectum ipsius contremiscunt, ut distertè docet Chrysostomus variis in locis, præsertim libro 7. de Sacerdotio, ubi hæc scribit: *Per id tempus* (quo nimirum Sacerdos Missæ sactificium offert) *& Angeli Sacerdoti assident, & cœlestium potestatum universus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus est: id quod credere abunde licet, vel ex tanto illo sacrificio, quod tunc peragitur. Ego verò & commemorantem quendam audivi, cùm diceret senem quendam, virum admirabilem, ac cui revelationum mysteria multa divinitùs fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo fuisse: at per illud quidem tempus repente Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circundantium: denique sic capite inclinatorum, ut si quis milites præsente Rege stantes videat.* Et homil. 3. contra Anomæos, versùs finem: *Tempore illo* (inquit) *non solùm homines clamorem illum tremendum reddunt, sed etiam Angeli Domino genu flectunt, & Archangeli rogant: habent sibi tempus ad id idoneum, habent sacram illam oblationem in favore. Itaque ut homines ramos olearum gerentes, A movere Reges consueverunt, eoque arboris genere, misericordiam commemorant & humanitatem: sic Angeli tunc pro ramis oleaginis, corpus Domini ipsum protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexisti, ut pro eorum salute mortem obires, animam in cruce efflares: pro his supplicamus pro quibus ipse tuum elargitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti.* Similia docet D. Gregorius libro 4. dial. cap. 58. his verbis: *Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio, Angelorum choros adesse, summa imis sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri?*

B Nec solùm Angelos sponte adorare Christum positum in altari, sed etiam Dæmones cogi illum adorare, tradit Chrysostomus homil. citatâ contra Anomæos: *Agitatos* (inquit) *Diaconus tempore illo adducit, & jubet caput tantùm inclinare, atque illo corporis gestu supplicare.*

Quartò, Sancti Patres æquiparant præsentiam Christi sub speciebus, illi quam habuit in locis in quibus non dubitatur fuisse substantialiter: putà Christus fuit substantialiter in præsepio: At SS. Patres æquiparant præsentiam quam Christus habet in altari, ei quam habuit in præsepio: Chrysostomus enim in C oratione de S. Philogono hæc scribit: *Si cum fide accesserimus, procul dubio videbimus eum in præsepi jacentem: nam hæc mensa vicem explet præsepis: siquidem & hîc ponitur corpus Dominicum, non quidem fasciis involutum, sicut tunc, sed undequaque Spiritu Sancto convestitum. At Magi quidem nihil aliud quàm adorarunt: tibi verò si cum pura acceſſeris conscientia, permittemus ut sumas, & sumpto, domum abeas.* Similia docet Theodoretus Ancyranus in oratione de Nativitate, recitata in Ephesino Concilio. 37.

Item, Christus est verè & substantialiter in throno cœli: At idem Chrysostomus homil. 24. in 1. ad Corinthios versùs finem, æquat præsentiam quam Christus habet in altari, ei D quam habet in cœlo, docetque per consecrationem sacrorum mysteriorum Eucharistiæ, terram fieri quodammodo cœlum, & hoc ipsum quod pretiosissimum est in cœlo, in terra collocari. Verba ejus sunt: *Hic terram tibi cœlum facit hoc mysterium. Aperi ergo cœli portas, & perspice, & tunc videbis quod dictum est. Nam quod illic est omnium pretiosissimum & maximè honorandum, hoc ostendam tibi situm in terra. Sicut enim in regia id quod est omnium magnificentissimum, non parietes, non tectum aureum, sed corpus Regis sedens in solio. Sed hoc tibi nunc licet videre in terra. Non enim Angelos, nec Archangelos, neque cœlos, & cœlos cœlorum, sed ipsum eorum ostendo Dominum.* E *Vidisti quemadmodum quod est omnium præstantissimum & maximè honorandum vides in terra: neque solùm vides, sed etiam tangis, sed etiam comedis, & eo accepto, domum reverteris.*

Quintò, SS. Patres docent in mysterio Eucharistiæ reperiri plura divinæ omnipotentiæ miracula, ex quibus realis & substantialis corporis Christi præsentia sub speciebus sacris, manifestè colligitur. In primis enim dicunt esse miraculum omnipotentiæ Dei, quòd Christi corpus jam toties & à tot hominibus manducatum, non sit consumptum. Ita Nyssenus in oratione catechetica cap. 37. suprà citato, ubi 38.

considerandum esse ait, quomodo possit unum illud corpus quod tam multis fidelium toto orbe semper distribuitur, totum esse in unoquoque, & ipsum in se totum manere. Et respondet id fieri *virtute benedictionis, in illud transelementatâ eorum quæ apparent naturâ.* Idem miraculum disertè commendavit Beatus Andreas Apostolus, qui (ut suprà articulo secundo retulimus) Proconsuli Romano hortanti ut diis suis immolaret, respondit: *Ego omnipotenti Deo, qui verus & vivus est, quotidie immolo, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari, cujus carnes postquam omnis populus manducaverit, agnus qui sacrificatus est, integer perseverat, & vivus.* At non esset miraculum, quod fide perceptum corpus Christi, non B sit consumptum, nam fidei manducatio non potest destruere suum objectum: Ergo SS. Patres censent, corpus Christi, non solùm spiritualiter, & per fidem, sed etiam verè & substantialiter, à fidelibus in Eucharistiæ usu manducari.

39. Deinde SS. Patres dicunt esse miraculum omnipotentiæ Dei, quòd corpus Christi quod est in cœlo, sit simul in terra, atque in ea variis in locis existat. Ita Concilium Nicænum primum, cap. *de sacra mensa*, Chrysostomus libro 3. de sacerdotio, ubi sic exclamat: *O miraculum! O Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, eodem articulo temporis, omnium manibus pertractatur.* Et homiliâ 2. ad populum Antiochenum, in fine: *Elias melotem Discipulo reliquit: Filius autem Dei ascendens, carnem suam dimisit: sed Elias quidem exuius: Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.* Basilius in Liturgia: *Veni ad sanctificandum nos, qui sursum Patri consides, & hîc nobis invisibiliter coexistis.* Demum Gregorius Nyssenus orat. de Paschate: *Sicut divinitas replet mundum, & tamen una est, ita innumerabilibus locis corpus Domini consecratur, & tamen unum Corpus est.* At non est miraculum omnipotentiæ Dei, Corpus Christi esse in cœlo realiter & corporaliter, & in terra per figuram & repræsentationem: Ergo SS. Patres censent corpus Christi non mysticè, & figurativè, sed verè, realiter, & substantialiter in Eucharistia residere. D

40. Item SS. Patres dicunt fuisse miraculum, quòd Christus ferebat se manibus suis, quando dicebat*, *Hoc est corpus meum*: At nullum esset miraculum ferre manibus suis symbolum sui repræsentativum, hoc enim homines facere possunt: Ergo idem quod priùs. Minor patet. Major verò probatur ex Augustino in Psal. 33. ubi tractans locum, ubi juxta Septuaginta legimus de Davide 1. Regum 21. *ferebatur in manibus suis*, subdit: *Hoc fratres, quomodo fieri possit in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus alienis potest portari homo; manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligitur, in ipso Davide secundùm litteram non invenimus, in Christo autem invenimus: ferebatur enim in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait, hoc est corpus meum, ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Certè quemadmodum nihil hac oratione Augustini luculentius nec elegantius dici potuit, si Christus reipsa & substantialiter in Eucharistia præsens sit; ita nihil absurdius, aut ineptius proferri potuit, si sacramentum Eucharistiæ sit tantùm figura & symbolum corpotis Christi, nullus enim est, A qui suis manibus sui symbolum aut effigiem gestare non possit.

Præterea SS. Patres dicunt, esse miraculum soli divinæ omnipotentiæ, non minùs quàm 41. creationem cœli & terræ possibile, quòd panis efficiatur corpus Christi: Sed ut panis efficeretur corpus Christi, metaphoricè tantùm & symbolicè, non esset opus actione divinæ omnipotentiæ propriâ, sufficeret enim sola relatio rationis, & institutio; quemadmodum non actione divinæ omnipotentiæ, sed solâ relatione rationis, & institutione, Agnus Paschalis, Manna, Panes propositionis, & similia, repræsentabant corpus Christi: Ergo SS. Patres censent, panem per verba consecratio- B nis, verè & substantialiter converti in corpus Christi. Minor patet, Major verò variis SS. Patrum testimoniis ostenditur: Cyprianus enim serm. de cœna sic ait: *Panis iste non effigie sed naturâ mutatus, omnipotentiâ Verbi factus est caro, &c.* Nissenus orat. Catech. cap. 37. *Deus hæc dat virtute benedictionis, in illud* (corpus nempè Christi) *transelementatâ eorum quæ apparent naturâ.* Ambrosius lib. 4. de sacram. cap. 4. quærit, quomodo fideli persuaderi possit quòd accipiat corpus Christi? Et respondet id fieri, quia omnipotenti Verbo Dei, panis incipit esse corpus Christi, qui ante consecrationem erat panis, quemadmodum Verbo Dei factum C est cœlum, facta est terra &c. *Non erat* (inquit) *cœlum, non erat terra, ipse dixit & facta sunt. Et ego tibi dico, ante consecrationem qua peragitur verbis ipsius Christi, non erat corpus Christi, sed ipse dixit & factum est, ipse mandavit & creatum est.* Similia habet in libro de initiandis cap. 9. ubi ait: *Fortè dicis, aliud video, & quomodo tu mihi asseris quòd corpus Christi accipiam: hoc ergo nobis superest ut probemus, id quod accipis non esse id quod natura formavit, nempè panem, sed majorem esse vim benedictionis quàm naturæ, quia ejus benedictione natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens &c. De totius mundi creatione legisti, ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt. Sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, potest ea quæ sunt in id mutare quod non erat.* His adde Gaudentium Brixianum tract. 2. in Exodum, cujus hæc sunt verba: *Creator omnium qui omnipotentiâ suâ de terra panem creat, de pane rursum efficit corpus suum; & qui olim aquam convertit in vinum, vinum jam in sanguinem convertit.* Idem fusiùs explicat Damascenus lib. 4. cap. 14. his verbis: *Quæsivit Virgo, quomodo fiet mihi istud? Respondit Gabriel Archangelus: Spiritus Sanctus superveniet in te. Tu quoque nunc quæris, quomodo panis nunc fiat corpus Christi, & vinum* E *aquâ mixtum, fiat sanguis Christi? Tibi quoque respondeo: Spiritus Sanctus supervenit, eaque efficit quæ orationis facultatem & mentis intelligentiam excedunt.* Et post pauca: *Quod si quæras quo pacto id fiat, satis tibi sit audire, quòd per Spiritum Sanctum id fiat. Quemadmodum ex sancta Dei Matre, per Spiritum Sanctum Dominus sibi ipsi carnem condidit, nec quidquam ampliùs nobis perspectum & exploratum est, quàm quòd Verbum Dei est verum, & efficax, atque omnipotens, ut ea efficiat quæ nulla ratio humana queat indagare. Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quòd quemadmodum naturaliter panis per manducationem, & vinum & aqua, in bibentis ac comedentis corpus & sanguinem immutantur: Sic panis & vi-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

num quæ proponuntur in altari, per Sancti Spiritus invocationem & adventum, mirabili modo in Christi corpus & sanguinem verturtur.

42. Ultimum argumentum ex SS. Patrum authoritate desumptum, petitur ex eo quod SS. Patres ex veritate præsentiæ realis corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, tanquam ex certissimo fundamento, & notissimo fidei articulo, argumentantur contra varios hæreticos, ad illorum errores confutandos. Sic Hilarius 8. de Trinit. probat contra Arrianos, Patrem & Filium esse unum, non tantùm unitate voluntatis & affectûs, sed etiam unitate reali & naturali; quia nos cum Filio unum efficimur, reali & naturali conjunctione corporum, in Eucharistiæ sacramento: *Verè* (inquit) *cibo dominico Verbum carnem sumimus, naturamque carnis suæ, sub sacramento nobis admiscuit.* Et paulò post: *Hæc idcircò à nobis commemorata sunt, quia voluntatis tantùm inter patrem & filium unitatem Hæretici mentientes; unitatis nostræ, ad Deum utebantur exemplo, tanquam nobis ad Filium & per Filium ad Patrem obsequio tantùm ac voluntate religionis unitis, nullam per sacramentum carnis & sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur.* Irenæus Similiter lib. 3. contra hæreses cap. 2. probat contra Gnosticos Christum venisse in vera carne, *quia* (inquit) *alioqui neque calix Eucharistiæ, communicatio sanguinis ejus esset, neque panis quem frangimus, communicatio corporis ejus. Sanguis enim non est, nisi à venis, & carnibus, & à reliqua, quæ est secundum hominem, substantia.* Item idem Irenæus, Cyrillus Alexandrinus, Gregorius Nyssenus, aliique Patres, simili argumento utuntur ad probandam carnis resurrectionem, cujus semen accipimus, & jus ad illam speciale, per coniunctionem realem corporis nostri cum corpore Christi, quæ fit in sacramento Eucharistiæ, quod idcircò resurrectionis semen, & immortalitatis antidotum, à SS. Patribus appellatur.

ARTICULUS VI.

Ratio divi Thomæ exponitur.

43. TRes rationes seu congruentias, ad ejusdem veritatis Catholicæ confirmationem, affert D. Thomas hîc quæst. 75. art. 1. quarum prima, & præcipua, desumpta ex figuris Eucharistiæ quæ fuerunt in antiqua lege, potest sic proponi. Si Euchatistia sit tantùm signum seu figura corporis Christi, nec ipsum contineat, non erit præstantior, in ratione sacramenti, quàm manna, vel agnus paschalis, aliaque veteris legis sacramenta: Sed hoc dici nequit: Ergo &c. Minor patet, umbræ enim & figuræ sunt quid ignobilius & inferius corpore figurato: manna autem, & agnus paschalis, erant umbræ & figuræ Eucharistiæ, ut passim docent SS. Patres, ait enim Origenes homil. 7. in lib. Numer. *Tunc in ænigmate erat manna cibus: nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus.* Et Hieronymus in cap. 1. Epistolæ ad Titum: *Tantùm interest inter panes propositionis & corpus Christi, quantùm inter umbras & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria verorum, & ea ipsa quæ exemplaria præfigurabantur.* Item Leo papa sermone 7. de passione Domini sic ait: *Ut ergo umbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua observantia novo excluditur sacramento; hostiæ in hostiam transit, sanguine sanguis aufertur, & legalis festivitas, dum mutatur, impletur:* Christi scilicet carne & sanguine substitutis agno paschali, & sanguini ejus. Major verò in qua est difficultas, & quam negant Hæretici, facilè suadetur. Manna enim quod de cœlo cadebat, & Angelorum artificio mirabili fiebat, præstantius erat pane communi, qui de clibano prodit, & manu pistorum fit; perfectiùs etiam corpus Christi repræsentabat, quàm panis, tum quia de cœlo erat, Psal. 77. tum etiam quia saporem mirabilem continebat, Sapient. 16. & æquali mensurâ sumebatur ab omnibus, licèt inæqualiter colligeretur, Exodi 16. tum denique, quia incorruptibile erat die sabbati, per quod repræsentabat corpus Christi non corrumpendum in sepulchro die sabbati. Idem à fortiori dicendum de agno paschali, nam meliùs caro Christi, per veram carnem Agni exprimebatur, mors per veram ejus mortem, & sanguis per sanguinem, quàm per solum panem, vel panis fractionem: Ergo si Eucharistia sit tantùm signum vel figura corporis Christi, nec ipsum contineat, non erit præstantior, sed inferior, & minùs perfecta in ratione signi, & sacramenti, quàm Manna, & Agnus paschalis, aliaque veteris legis sacramenta.

44. Respondent Hæretici, quòd licèt Eucharistia sit tantùm signum & figura corporis Christi, nec ipsum contineat, perfectior tamen est, in ratione sacramenti, Mannâ & Agno Paschali, aliisque veteris legis sacramentis: tum quia significat Christum, ut jam actu existentem, cùm tamen veteris legis sacramenta, ipsum ut futurum designarent; tum etiam, quia Eucharistia, & alia novæ legis sacramenta, sunt diuturniora, & usque ad consummationem sæculi duratura.

45. Sed contra primam responsionem sic argumentor: Si Eucharistia non sit præstantior veteribus sacramentis, nisi quia est Symbolum Christi actu jam existentis, sequitur totam illam excellentiam esse communem statuis & imaginibus Christi modò depictis, utpotè quæ etiam repræsentant Christum jam in cœlo existentem; & consequenter imagines illas esse præstantiores omnibus sacramentis legis Mosaicæ.

Deinde, Si Eucharistia ideò solùm sit præstantior sacramentis veteribus, quia significat Christum jam natum, passum, mortuum, & in cœlis regnantem, non erit nobilior Baptismo, utpotè quod est signum passionis, sepulturæ, & resurrectionis Christi: Sed hoc falsum est, etiam apud Sectarios: Ergo & illud.

46. Secunda quoque responsio futilis est, duratio enim ac diuturnitas pertinet solùm ad dignitatem accidentariam, nos verò de substantiali hîc agimus, ad quam impertinenter omnino se habet diuturnitas major vel minor: homo enim v. g. quamvis non habeat ita durabilem & diuturnam existentiam, sicut lapides, absolutè tamen & simpliciter, est longè nobilior quibuscumque lapidibus.

ARTICULUS VII.

Aliud argumentum desumptum ex disparitate fidelium novi testamenti ab antiquis, in manducatione corporis Christi, ut panis cœlestis.

47. HOc argumentum sumitur ex verbis Christi, promittentis Joan. 6. se daturum fidelibus novi testamenti carnem suam manducandam, modo aliquo, quo fideles veteris testamenti illam non manducaverunt, ait enim: *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur,* &c. Ex quibus verbis constat, fideles novi testamenti, post descensum Christi de cœlo, esse quoad manducationem corporis Christi, ut panis cœlestis, in conditione diversa, ac multò meliori, quàm fuerint Patres antiquæ legis: Sed talis diversitas salvari nequit, nisi dicatur fideles novi testamenti, realiter & substantialiter manducare carnem Christi adorandam, sub signis sensibilibus panis, & sub speciebus Eucharisticis contentam, sicut Ecclesia Catholica docet: Ergo ita sentiendum est. Major patet, Minor verò subsumpta probatur: quia nisi ita corpus Christi manducemus, fuerunt nobis pares fideles veteris testamenti, quoad illam manducationem, tum quia manducaverunt Manna, & Agnum paschalem, quæ, ut ostendimus articulo præcedenti, fuerunt excellentiores figuræ corporis Christi, quàm panis communis, hominum arte confectus: tum etiam, quia Patres qui Manna in deserto manducaverunt, in Christum crediderunt, subindeque spirituali manducatione per fidem, corpus ejus comederunt: Sed præter manducationem oralem signorum, & manducationem mentalem corporis Christi per fidem, in quo Patres veteris testamenti, nobis pares fuerunt, nihil aliud restat in quo simus dispares & dissimiles, nisi realis manducatio corporis Christi: Ergo ut salvetur disparitas inter Patres antiquæ legis, & fideles novi testamenti, quoad manducationem corporis Christi, ut panis cœlestis, & verba Christi suprà relata verificentur, dicendum & fatendum est, nos verè, realiter, & substantialiter manducare corpus Christi in Eucharistia, & fideles veteris testamenti illud solùm figuraliter aut mentaliter per fidem manducasse, juxta illud Apostoli 1. ad Corinthios 10. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt.* Unde egregiè Ambrosius libro de iis qui initiantur cap. 9. *Considera uter præstantior sit, panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique est corpus vitæ. Manna illud è cœlo, hoc supra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur, hoc alienum ab omni corruptione, quod quicunque religiosè gustaverit, corruptionem sentire non poterit.* Et ibidem suprà dictum discrimen quod inter fideles novæ legis, & Patres veteris testamenti reperitur, expendens, sic ait: *Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis è Christo. Illos ad horam aqua satiavit, te sanguis diluit in æternum. Judæus bibit & sitit, tu cùm biberis, sitire non poteris; illud in umbra, hoc in veritate.* Et libro 4. de sacramentis capite 4. *Magnum quidem* (inquit) *& venerabile, quòd Manna Judæis pluit de cœlo, sed intellige quid est amplius, Manna de cœlo, an corpus Christi, utique qui est author cœli? Deinde Manna qui manducavit, mortuus est; qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non morietur in æternum.* Similia docet Salvianus libro 2. ad Ecclesiam, his verbis: *Judæi quippe habebant quondam umbram, nos veritatem: Judæi Manna manducaverunt, nos Christum: Judæi carnes avium, nos corpus Dei: Judæi pruinam cœli, nos Deum cœli.*

48. Respondent primò Hæretici, apud Bellarminum libro 1. de Eucharistia cap. 4. discrimen fidelium novi testamenti ab antiquis esse in eo situm, quòd fidèlibus novæ legis detur signum sensibile repræsentans clariùs corpus Christi, putà cum verbis, quibus non constabant sacramenta veteris testamenti.

Sed hæc solutio facilè refellitur, tum quia Manna & Agnus paschalis longè meliùs & clariùs repræsentabant corpus Christi, ut articulo præcedenti ostensum est: tum etiam, quia cùm Christus panem à se dandum præfert mannæ, non in eo præfert, quòd panis à se dandus, repræsentat clariùs corpus suum, quàm manna; sed in eo præfert, quòd manna erat tantùm manna, at panis quem daturus erat, est ejus caro.

Respondent secundò, Christum loco citato solùm velle, quòd fideles veteris testamenti non manducaverunt carnem suam, ut panem cœlestem, vi legis, & ministerio Moysis; at non negare, quin eam manducaverint dono Patris cœlestis, & suo.

Sed hoc etiam effugium facilè potest confutari: Nam si Christus nihil aliud voluisset dicere, quàm viventes sub veteri testamento non manducasse panem Cœlestem, vi legis præcisè, Christus esset locutus tantùm de illis qui non habuerunt tunc fidem vivam, per quam participarent promissionibus Christi, & ejus benedictionibus, sed hæserunt tantùm in signis exterioribus, & in vi materiali legis, illi enim soli non manducaverunt per fidem Christum, ut panem cœlestem: At Christus loquitur de omnibus fidelibus veteris testamenti, ait enim, universaliter: *Patres vestri manducaverunt manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, vivet in æternum:* Ergo Christus asserit Patres veteris testamenti, etiam fide vivâ præditos, non manducasse corpus suum, quemadmodum nos illud in lege nova manducamus: Ergo illud manducamus aliter quàm fide, vel quàm in signo, cùm Patres veteris testamenti illud per fidem & in signo spiritualiter manducaverint, ut disertè docet Augustinus Tractatu 26. in Joan. his verbis: *Manducavit manna & Moyses, manducavit manna & Aaron, manducavit manna & Phinees, manducaverunt ibi multi, qui Domini placuerunt, & mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritaliter intellexerunt, spiritaliter esurierunt, spiritaliter gustaverunt, ut spiritaliter satiarentur.* Quare obstupuit Princeps Vvittembergensis, cùm audivit à Beza in colloquio Monpelgartensi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

gartensi, non alio modo nos uniri carni Christi per Eucharistiam, quàm Patres antiquos per manna, id est spiritualiter, & per solam fidem.

49. Simile argumentum sumi potest ex eo quod cùm lex vetus prohibuerit sanguinem, Christiani tamen sanguinem bibant in Eucharistia. Fusè & eleganter prosequitur illud Cyprianus in sermone de cœna Domini, his verbis: *Nova est hujus sacramenti doctrina, & Scholæ Evangelicæ hoc primum magisterium protulerunt, & Doctore Christo primum hæc mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cujus esum legis antiquæ authoritas districtissimè interdicit. Lex quippe esum sanguinis prohibet. Evangelium præcipit ut bibatur. In quibus mandatis hoc maximè discernere debet Christiana religio, quod sanguis animalium, à sanguine Christi per omnia differens, temporalis tantùm habeat vivificationis effectum, & vita eorum finem habeat, & sine ulla revocatione terminum constitutum. Ideoque ad obtinendam æternitatem non potest proficere, quod semel obrutum non surgit ulterius, nec aliqua ei superest virtus.* Hæc verba Cypriani manifestum est non posse intelligi nisi de vero Christi sanguine: nam si de figura intelligerentur, non esset vera differentia quam constituit inter legem Evangelicam & veterem. Nam in veteri lege non erat prohibitum figurâ bibere sanguinem, imò multæ erant figuræ sanguinis Christi. Deinde ex ratione hujus differentiæ quam reddit: In veteri lege (inquit) non poterat bibi nisi sanguis animalium, qui non habebat vim nos reddendi immortales, sicut habet sanguis Christi; ideò in veteri lege meritò sanguis prohibitus erat, in nova præceptus est bibi.

Articulus VIII.

Tres aliæ rationes breviter expenduntur.

50. PRima sumitur ex aliis mysteriis nostræ fidei, quæ admittuntur ab Hæreticis, nimirum ex mysterio Trinitatis, Incarnationis & Resurrectionis: ex his enim tribus mysteriis breviter ostendendum est, in Eucharistiæ mysterio, ut creditur ab Orthodoxis, nullam prorsus involvi repugnantiam, ut causantur hæretici, subindeque immeritò ejus existentiam negari, cùm, suppositâ illius possibilitate, illud Dei bonitati, & summo quo prosequitur homines amori, sit convenientissimum, nec sit indecens ejus majestati, ut ex solutione argumentorum patebit. Sic ergo potest argumentum proponi: Si esset impossibile Christum, verè, realiter, & substantialiter sub speciebus Eucharisticis existere, vel hoc repugnaret ex eo quòd mutatâ totâ substantiâ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, accidentia panis & vini remanerent sine subjecto; vel ex eo quòd totum corpus Christi contineretur sub minima quantitate, non occupans locum, sed modo indivisibili sub speciebus existens; vel denique ex eo quòd corpus Christi remanens in cœlo, esset tamen simul in pluribus aliis & distantibus locis: Sed in nullo istorum trium est repugnantia, vel implicantia: Ergo Christum verè, realiter, & substantialiter sub speciebus Eucharisticis existere, nulla ex parte repugnat. Major patet, hæc enim tria duntaxat in isto sacramento videntur repugnantiam involvere. Minor verò probatur, quantùm ad singulas partes. Et in primis quòd non repugnet ex primo capite, ostenditur ex mysterio Incarnationis. Non minùs enim est de ratione substantiæ, & naturæ completæ, per se subsistere, & propriâ subsistentiâ terminari, quàm de ratione accidentis, alicui subjecto inhærere: Ergo sicut non obstante quòd substantia ex natura sua postulet per se subsistere, nihilominus virtute divinâ humanitas Christi sustentatur in alieno supposito, scilicet in supposito Verbi Divini: ita vice versâ, licèt natura accidentis sit substantiæ inhærere, illudque ex sua natura exigat ab aliquo subjecto fulciri & sustentari, poterit tamen supernaturaliter, & de potentia Dei extraordinaria, per se subsistere, sive existere, absque eo quòd sustentetur ab ulla substantia.

Quod verò ex secundo capite (ex eo nimirum quòd corpus Christi sub minima quantitate, & modo indivisibili sub speciebus Eucharisticis contineatur) nullam mysterium Eucharistiæ involvat repugnantiam, colligitur ex eodem Incarnationis mysterio, in quo Verbum Divinum immensitatem suam parvulo corpusculo quasi inclusit, sicut Elisæus corpus suum corpori parvuli aptavit, ut vivificaret illud: cur ergo non poterit similiter corpus Christi, cum suis dimensionibus, virtute divinâ redigi ad punctum, & carere extensione locali, præsertim cùm occupatio loci sit effectus tantùm secundarius quantitatis, atque adeò extra ejus essentiam: unde Christus, illæso claustro Virginis, ex ejus utero prodiit, & clauso lapide egressus est de sepulchro, & clausis januis cœnaculum ingressus est.

Demum quod ex tertio capite non repugnet, ex eo nempè quòd idem corpus sit in pluribus locis, & sacramentaliter in pluribus hostiis producatur, ex mysteriis Trinitatis & Resurrectionis colligitur, cum fide certâ credamus, eandem numero naturam subsistere in tribus personis realiter inter se distinctis, & unum & idem individuum in resurrectione generali fore reproducendum.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: 51.
Magis difficilia sunt, & sensibus repugnantia, tria illa mysteria, quàm præsentia realis corporis Christi in Eucharistia: Ergo cùm aliunde æquè expressè habeatur in Scriptura istud, ac habeantur illa, æquè admitti debet. Consequentia patet, Antecedens verò probatur primò de mysterio Trinitatis, quia quòd una natura in tribus personis realiter distinctis existat, mirabilius est, quam quòd unum corpus existat in pluribus locis, in uno circumscriptivè, & in aliis sacramentaliter, sive substantialiter; nam hoc corpus cum illis locis nullo modo identificatur, benè tamen natura divina cum tribus personis, realiter inter se distinctis: minùs autem repugnat servare suam unitatem in pluribus locis à se realiter distinctis, quàm eandem numero naturam subsistere in tribus personis ei identificatis, & inter se realiter distinctis. Secundò, quoad mysterium Incarnationis: cùm enim major sit unio inter subsistentiam Verbi, & naturam divinam, quàm inter locatum & locum, magis incomprehensibile est, quòd in Incarnatione per assumptionem humanæ naturæ ad personalitatem Verbi, non confundantur natura divina & natura humana, vel non dividatur hypostasis, quàm quòd idem corpus Christi sit modo dicto in pluribus locis. Tertiò quantùm ad mysterium Resurrectionis, quia magis difficilè apparet, quòd unum & idem individuum bis fiat, quàm quòd idem numero corpus sacramentaliter in pluribus hostiis vel producatur vel existat; si enim per creationem & resurrectionem bis fit homo, fit duplici actione: si autem fit duplici actione, quomodo est idem homo?

52. Secunda ratio sumitur ex usu Eucharistiæ, & fundatur in verbis Apostoli 1. ad Corinthios 11. *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ex quibus sic formatur argumentum: Apostolus gravat sacrilegio & Deicidio omnes illos qui cum peccati mortalis conscientia recipiunt Eucharistiam, & dicit eos sibi judicium sumere, quia non discernunt corpus Christi. Vel ergo sunt rei illorum criminum, quia rever corpus Christi sumunt indignè; vel quia tractant indignè Eucharistiam, secundùm quod est signum & figura corporis Christi? Si primum dicatur, habemus intentum, nempè corpus Christi verè & realiter, & non figurativè tantùm contineri in Eucharistia. Secundum verò dici nequit: Primò, quia Manna & Agnus Paschalis in lege veteri erant signum & figura corporis Christi, & tamen nunquam auditum est, eos qui indignè hujusmodi sacramenta recipiebant, fuisse reos Corporis & Sanguinis Christi. Secundò, quia si reverentia erga Eucharistiam secundùm quod est figura corporis Christi, reum facit peccati mortalis, sequitur contra doctrinam Adversariorum, quòd imaginibus Christi debetur aliquis cultus. Et certè mira est inconstantia Calvinistarum, qui putant se obsequium & honorem Christo & ejus Sanctis præstare, cùm eorum imagines demoliuntur, & tamen summum sacrilegium putant indignè sumere figuram corporis Christi, eò quòd injuria tali imagini illata, redundet in eum quem repræsentat.

53. Hæc ratio illustrari & confirmari potest ex testimoniis SS. Patrum, qui prædicta Apostoli verba ponderantes, apertè docent iis significari, illos qui indignè ad sacram mensam accedunt, gravem ipsi corpori & sanguini Christi irrogare injuriam. Ambrosius in cap. 10. ad Hebræos ait quod *hoc peccato conculcatur corpus Domini.* Cyprianus serm. de lapsis, quòd *vis infertur corpori Domini, & ore ac manibus in Dominum delinquitur.* Theodoretus in caput 11. Epistolæ ad Corinth. hæc scribit: *Illud autem, reus erit corporis & sanguinis, hoc significat, quod quemadmodum tradidit illum Judas, ipsi autem insultarunt Judæi, ita eum ignominiâ & dedecore afficiunt, qui sanctissimum ejus corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum os immittunt.* Demum Chrysostomus homil. 27. in 1. ad Corinth. hæc habet: *Per hoc autem quòd frequenter ait, Corporis & sanguinis Domini, manifestat quòd non sit nudus homo qui immolatur, sed ipse Dominus & factor omnium, ut videlicet per hæc ipsos exterreat.*

54. Tertium argumentum est ad hominem, & sumitur ex doctrina ipsius Calvini: ille enim libro 4. instit. cap. 17. §. 10. & 32. docet Eucharistiæ sacramentum esse *maximum arcanum Spiritus Sancti, incomprehensibile, ac tantum, ut ejus magnitudine animus obruatur.* Item in libro de optima ineundæ concordiæ ratione folio 863. sic ait: *In sacra cœna miraculum agnoscimus, quod & naturæ fines, & sensûs nostri modum exuperat.* At hæc ineptè dicuntur, si Eucharistia sit tantùm figura vel signum corporis Christi; siquidem hoc facillimè capi potest, nec est adeò stupendum, neque in eo ullum apparet miraculum, quod naturæ fines transcendat, & intellectûs nostri modum & intelligentiam superet: Ergo sacramentum Eucharistiæ (juxta doctrinæ Calvini principia) non solùm debet esse signum vel figura corporis Christi, sed illud realiter & substantialiter continere; hoc enim est maximum arcanum Spiritus Sancti, incomprehensibile, ac tantum, ut ejus magnitudine animus obruatur, & miraculum quod & naturæ fines, & sensus nostri modum exuperat.

Articulus IX.

Præcluditur aditus solitæ evasioni & fraudi Hæreticorum.

55. CAlviniste ut vim argumentorum quæ proposuimus declinent, & testimonia Conciliorum & SS. Patrum, quæ suprà retulimus, eludant: plerúmque asserunt, se omnino credere quòd corpus Christi verè & realiter sumatur in Eucharistia. Ita loquitur Calvin. 4. instit. cap. 17. §. 32. ubi habet hæc verba: *In sacra sua cœna jubet me Christus sub symbolis panis & vini corpus ac sanguinem suum sumere: non dubito quin & Christus verè porrigat, & ego recipiam.* Et §. 33. *Falsò* (inquit) *jactant, quia docemus spiritualem esse manducationem non esse veram & realem.* Similia habentur art. 17. Calvinianæ confessionis, ubi sic dicitur: *Præsentiam veram realem Christi Domini confitemur: At illam quam fides nobis offert, non autem quam excogitata docet transubstantiatio.*

56. Verùm hæc responsio, seu potiùs elusio & fraus hæreticorum, multipliciter confutari potest. Primò quidem ex doctrina ipsorum Calvinistarum: Illi enim asserunt fideles veteris testamenti manducasse corpus Christi, eodem specificè modo, quo volunt nos illud in Eucharistia manducare. Sic interpretantur Apostolum 1. ad Corinth. 10. asserentem fideles veteris testamenti eandem escam manducasse, & eundem potum bibisse; id est (inquiunt) eandem quam nos nunc manducamus ac bibimus: Atqui certum est fideles veteris testamenti, non potuisse realiter uniri corpori Christi, cùm illud nondum existeret, & omnis unio realis inter duo extrema, utraque realiter existere postulet: Ergo manducatio, & unio cum Christi corpore, quam Calvinistæ in Eucharistia habere dicunt, non potest dici realis.

57. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Res futuras & nondum existentes non possumus attingere, nisi apprehensione mentis intentionali: Ergo fideles veteris testamenti, nonnisi apprehensione mentis attingere poterant corpus Christi nondum existens: Ergo illa unio cum Christi corpore quæ erat in veteri testamento, realis non erat: At ex Hæreticis nostra unio cum Christi corpore in Eucharistia, & nostra manducatio, est eadem specificè ac ea quæ fuit

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuit fidelium in veteri testamento : Ergo realis dici nequit.

58. Secundò, Hæretici asserunt manducationem Christi in Eucharistia, seu unionem cum Christi corpore quæ fit in Eucharistia, non in ea sola fieri, sed factam esse etiam in Baptismo & confirmari in acceptatione per fidem Evangelij, Christum nobis annuntiantis. Ita habetur in Catechismo Calvinistarum Dominica 51. ubi Minister interrogat : *Hæc communio sit-ne tantùm in cœna ?* Et puer respondet : *Nequaquam, habetur enim per Evangelij prædicationem.* Subjungit Minister : *Quid ergo amplius habemus in cœna ?* Respondet puer : *Communio nostra cum Christo, amplius in ea confirmatur.* Eadem docet Calvinus. 4. institut. cap. 17. ubi apertè profitetur, unionem cum Christi corpore quæ fit in Eucharistia, non differre specificè & substantialiter, ab ea quæ fit in Baptismo, vel in Evangelij acceptatione per fidem : At unio cum Christo quæ fit in Evangelij acceptatione, non potest dici realis ; est enim unio fidei, quæ est quidem realis operatio animæ, sed non unio talis cum Christi corpore ; siquidem unio mentalis cogitationis vel effectûs, fertur in objecta toto cœlo à nobis remota, sæpè nondum existentia, & fortè nunquam futura ; unio verò cum re non existente, non est realis ; unio quippe realis & actualis utriusque extremi existentiam præsupponit : unde in Christum nondum existentem credebant Patriarchæ antiquæ legis, ei tamen actu & realiter non uniebantur ; & nos credimus futura, ut resurrectionem mortuorum, & vitam æternam, & tamen illis objectis realiter non unimur, nec ea realiter possidemus : Ergo unio Calvinistarum per fidem cum Christi corpore in Eucharistia, realis unio cum Christo dici nequit ; per unionem enim fidei, objecto fidei realiter non unimur.

59. Tertiò, SS. Patres suprà art. 4. relati, asserunt quòd per Eucharistiæ perceptionem Christus verè nobis commiscetur, & non per fidem tantùm, sed etiam reipsa nobis unitur ; talemque unionem similem esse asserunt illi, quâ una cera liquefacta, alteri similiter liquefactæ unitur, & quâ fermentum farinæ cui injicitur commiscetur : Ergo censent unionem quam habemus cum Christo in Eucharistia, non dici realè ex eo quòd fiat per fidem, ut docent Calvinistæ, sed ex eo quòd verè & substantialiter corpus Christi, mediantibus speciebus Eucharisticis, in stomachum & viscera nostra, per veram & realem manducationem descendat. Unde Cyrillus Jerosolymitanus Catech. 4. *Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis, &c. sic Christophori sumus, id est Christum ferentes, cùm ejus corpus & sanguinem in membra nostra recipimus.* Similiter etiam Nyssenus orat. Catech. cap. 37. *Cùm nihil* (inquit) *possit esse intra corpus nostrum, nisi per escam & potionem misceatur visceribus nostris, Christum carnem suam manducandam nobis dedit, ut sit in visceribus.*

60. Demum SS. Patres apertè docent, fieri transubstantiationem panis & vini, in corpus & sanguinem Christi, per verba consecrationis : Ergo falsum est quod dicunt Calvinistæ in suo Catechismo, nimirum præsentiam veram & realem Christi Domini in Eucharistia, *eam esse quam fides offert, non autem quam excogitata docet transubstantiatio.* Consequentia patet, Antecedens verò testimoniis SS. Patrum suadetur. In primis enim Ambrosius libro 4. de sacramentis capite 4. sic ait : *Tu fortè dicis meus panis est usitatus, sed panis iste panis est ante verba sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Et rursus cap. 5. *Antequam consecretur panis est, ubi autem verba Christi accesserunt, corpus est Christi. Denique audi dicentem : Accipite & edite ex eo omnes, Hoc est corpus meum. Et ante verba Christi, calix est vini & aqua plenus : ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit.* Et libro de mysteriis initiandis cap. 9. *Quantis* (inquit) *utimur exemplis ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit ; majoremque esse vim benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur ? Virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens.* Postea narrat multa alia miracula Moysis, Eliæ, & Elizæi, tandemque sic concludit : *Quòd si tantùm valuit humana benedictio ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur ? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantùm valuit sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum ? De totius mundi operibus legitis : Quia ipse dixit, & facta sunt ; ipse mandavit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant ? Non enim minus est novas rebus dare, quàm mutare naturas.* Ubi tam apertè loquitur de transubstantiatione, seu mutatione panis in corpus Christi, ut summa impudentia sit id negare, vel revocare in dubium.

Non minùs clarè docet illam Cyprianus, vel Author sermonis de cœna Domini, quem antiquum aliquem & doctissimum Patrem fuisse fatentur Hæretici : sic enim sermone illo dicitur : *Panis iste quem Dominus Discipulis porrigebat, non effigie sed naturâ mutatus, omnipotentiâ Verbi factus est caro.* Item Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 4. mystagogicâ apertè ponit transmutationem panis in corpus Christi, & solas species panis remanere post eam transmutationem asserit. Ejus verba sunt : *Christus aquam aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ, solâ voluntate ; & non erit dignus cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutavit ? Quare omni cum certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus : nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis.*

Et in fine ejusdem Catechesis : *Hoc* (inquit) *sciens pro certissimo habe, hunc panem qui à nobis videtur, non esse panem, quamvis gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi ; & vinum quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustûs vinum esse videatur, non esse vinum, sed sanguinem Christi.* Quibus tam apertè & expressè docet transubstantiationem, ut nullus scholasticus clariùs eam docere potuerit. Similia tradit Nyssenus in magna catechesi cap. 36. ubi sic ait : *Rectè ergo nunc quoque Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari.* Et paulò post : *Hæc autem dat virtute benedictionis, in illud transelementatâ eorum quæ apparent naturâ.* Damascenus etiam 4. lib. de fide cap. 14. transubstantionem clarissimè docet, his verbis : *Corpus Christi non descendit de cœlo, sed panis & vinum transmutantur in ipsum corpus & sanguinem Christi.* Euthimius in

in cap. 26. Matth. *Quemadmodum supernaturaliter assumptam carnem deificavit, si ita loqui liceat : ita hæc* (id est panem & vinum) *ineffabiliter transmutat in corpus & sanguinem suum.* Similiter Theophilactus in idem caput Matthæi, panem & vinum dicit transmutari & converti in corpus & sanguinem Christi. Et capite 14. in Marcum, *transelementari*, id est substantialiter converti. Et in caput 6. Joan. *Transformatur* (inquit) *arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem Sancti Spiritus, in carnem Domini.* Demum Eusebius Emissenus, vel potiùs Eucherius Lugdunensis, homil. 5. de Paschate, aliquantò post initium, hæc habet : *Invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo, secretâ potestate, convertit.* Et in fine : *Ut tibi novum & impossibile non debeat videri, quòd in Christi substantiam ; terrena & mortalia commutentur.* Addit ibidem : *Quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi Numinis consecrentur substantia illis est panis & vini : post verba autem Christi, corpus & sanguis est Christi. Quid mirum autem, si ea quæ verbo creare potuit, possit creata convertere ? Imò jam minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, jam conditum in melius valeat transmutare. Require quid ei possit esse difficile, cui facile fuit visibilia & invisibilia voluntatis imperio fusciture.* Quo nihil clariùs & expressius pro transubstantiatione dici potest. Unde patet mentiri Calvinum, cùm libro 4. instit. cap. 17. §. 14. asserit illam non ita pridem excogitatam esse, & primis illis sæculis quibus prior adhuc vigebat religionis doctrina, fuisse ignoratam. Nam Patres quos citavimus, antiquissimi sunt, & plures ex illis tertio & quarto sæculo floruere. Turpiùs adhuc erravit Lutherus, cùm in libro de captivitate Babylonis cap. 1. dixit transubstantiationem esse inventum S. Thomæ, & opinionem Thomistarum, eamque fuisse approbatam à Papa in cap. *Firmiter*. Siquidem S. Thomas nondum natus erat, cùm editum fuit caput illud, & Concilium Lateranense celebratum. Constat enim illud Concilium anno 1215. fuisse celebratum, Sanctum verò Thomam natum postea anno 1224.

Quod si hæretici velint certare de nomine, & contendere nomen illud *transubstantiationis*, utpotè novum, non debere à Catholicis usurpari, dico majori jure illud usurpari posse à Catholicis, quam nomen *consubstantialitatis* ; nam istum authoritate tantùm trecentorum & decem Episcoporum, in Concilio Nicæno introductum est, ad vitandam molestiam hæreticorum, cùm antea in Ecclesia fuisset inauditum. Nomen autem transubstantiationis comprobatum est à mille ducentis octoginta quinquè Prælatis, qui aderant in Concilio Lateranensi. Præterquam quod Authores supra relati, qui vetustissimi sunt, conversionem panis in corpus Christi, & vini in sanguinem, multis aliis vocabulis, idem penitùs significantibus, appellarunt ; nempè transmutationem, translationem, transelementationem, &c.

ARTICULUS X.

Hæreticorum testimoniis, Calvini hæresis refellitur.

CUm Novatianus cap. 18. de Trinitate rectè dixerit, *Firmum esse genus probationis quod ab Adversariis sumitur, ut veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur* : placet hic referre quæ-
dam hæreticorum testimonia, quibus Catholica veritas de reali Christi præsentia in Eucharistia confirmari potest. 61.

In primis ergo Lutherus, quem ipsi etiam Calvinistæ, virum Sanctum, & à Deo ad reformandam Ecclesiam electum, agnoscunt, tam clarè & apertè realem corporis & sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis præsentiam docet, ut de hoc nullus dubitationi locus supersit. Nam in Epistola ad Argentinenses hæc scribit : *Vellem quod posset mihi aliquis persuadere, nihil esse in Eucharistia, præter panem & vinum, magno ille beneficio me devinciret ; jam sæpè gravibus curis in hac materia desudavi : verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta est, textus Evangely nimis est apertus.* Et in sermone de Eucharistia tomo 7. acriter in Sacramentarios invehitur, eò quòd realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam negent : *Satanas* (inquit) *haud dubiò author est eis hujus sacramenti Eucharistiæ labefactandi ac evertendi ; contendens planè, epoto ovo, nobis tantùm relinquere putamina : hoc est, Christi corpus & sanguinem è pane & vino tollere, ut præter simplicem panem à pistore confectum, nihil reliquum remaneat.* Item in Apologia de cœna Domini hæc habet : *Rogamus Sacramentarios ne petant à nobis ut illum textum probemus* (Hoc est corpus meum) *possunt enim ea de re consulere pueros vix septem annos natos, qui istorum verborum syllabas colligere discunt ; siquidem Biblia Græca, Hebraica, Latina, & Germanica extant, aut hoc ipsi agant ; ostendant Biblias in quibus scriptum est*, Hoc est corporis mei signum. *Quod si non possint præstare, imponant aliquantisper suo ori silentium, & imperent stylo suo quietem, donec ejusmodi Biblias in medium afferant.* Et rursus ibidem in eos stylum acuens, subdit : *Doctor Carlostadius, ex his sacrosanctis vocabulis*, Hoc est corpus meum, *miserè distorquet pronomen*, Hoc. *Zuinglius autem verbum substantivum*, Est, *macerat. Oecolampadius nomen*, Corpus, *torturæ subjicit. Alij totum textum excarnificant, & invertunt vocabulum*, Hoc, *ex primo in posteriorem locum deturbantes, & dicunt :* Accipite, comedite, corpus meum quod pro vobis datur, est Hoc. *Alij dimidiam partem textûs crucifigunt, & vocem*, Hoc, *in medium collocant, & inquiunt :* Accipite, comedite, quod pro vobis datur, Hoc est corpus meum. *Alij sic obtruncant*, Hoc est corpus meum ad mei commemorationem : *id est, corpus meum hic non debet adesse reipsa, sed tantùm commemoratio mei corporis, ut textus sonet Accipite, comedite, hoc est corporis mei commemoratio quod pro vobis datur.* Demum in libro de abroganda missa, longam ait se habuisse disputationem cum Dæmone, qui sophysticis argumentis contendebat, Christum non adesse sub sacris speciebus, à quo tamen, ut ipse ibidem testatur, convinci non potuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

62. Potest etiam in confirmationem Catholicæ veritatis adduci quod ex Zuinglio refert Bellarminus libro 3. de Eucharistia capite 8. ubi ait quòd tantus de reali Christi in Eucharistia præsentia erat in orbe terrarum consensus, antequam Carlostadius & Zuinglius apparere cœpissent, ut Zuinglius scribat in commentariis de vera & falsa religione, cap. de Eucharistia, se valdè occultè initio egisse, & cum paucis amicis contulisse negotium istud novi dogmatis proponendi: metuebat enim ne omnes offenderet, cùm nullum omninò sciret esse ejus sententiæ, quam ipse invehere in Ecclesiam cogitabat. Unde idem Zuinglius ibidem pag. 214. edit. Tigur. ait Augustinum non ausum fuisse palàm profiteri corpus Christi esse tantùm figurativè in Eucharistia, quia tunc temporis invaluerat opinio de reali corporis & sanguinis ejus præsentia in hoc sacramento: *Facilè* (inquit) *adducimur, Augustinum præ aliis acuto perspicacique ingenio virum, sua tempestate non fuisse ausum disertè veritatem proloqui, quæ jam casum magnà parte dederat. Vidit omnino pius homo quid hoc sacramentum esset, & in quem usum esset institutum. Verùm invaluerat opinio de corporea carne.*

63. Demùm Erasmus in Epistola ad Conradum Pellicanum, Catholicæ veritati, de reali corporis Christi in Eucharistia præsentia, apertissimè favet, & ab ea se nullatenus unquam dimoveri potuisse testatur. *Ad id* (inquit) *negavi semper me posse animum inducere, præsertim cùm Evangelicæ atque Apostolicæ litteræ tam evidenter nominent corpus quod datur; & sanguinem qui effunditur.* Et infrà: *Si tibi persuasum est in synaxi nihil esse præter panem & vinum, ego membratim discerpi malim, quàm profiteri idem quod tu profiteris, & omnia perpeti malim, quàm tali flagitio contra meam conscientiam admisso, ex hac vita demigrare.*

64. Porrò Erasmus dubiæ fidei author creditur, & quem Catholicæ religionis amor non admodùm urgebat, ut in ejus defensionem vellet suam sententiam, suosque sensus tegere. Unde quidam acutè & lepidè, ad nomen Desiderij, quo Erasmus nuncupabatur, alludens, scripsit hos versus:

Quæritur, Erasmus dum sese vertit ad omnes:
Sit ne Roma tuus, sit ne Luthere tuus?
Cujus sit generis meritò dubitatur Erasmus.
Sed desiderium nullius esse puto.

Nihil ergo gratiæ tribuisse existimandus est: imò nimiùm hæreticis favit, quibus prolusisse videtur, ut verè quidam dixerit: *Ubi innuit Erasmus, irruit Lutherus*; alter verò, *Erasmum ova fovisse, Lutherum exclusisse*, affirmarit.

ARTICULUS XI.

Solvuntur argumenta Hæreticorum, desumpta ex sacra Scriptura.

65. OBjiciunt primò hæretici verba illa Christi Joan. 6. ubi murmurantibus Capharnaïtis quòd Christus dixisset, *Caro mea verè est cibus:* Respondet Christus: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam: verba quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.* Quibus verbis corrigere videtur errorem Capharnaïtarum, qui sicut Papistæ existimabant carnem Christi realiter esse manducandam, monendo ipsos, spiritualiter tantùm, & solâ fide, ab eis esse sumendam. Hoc est potissimum Zuinglij fundamentum, in libro de vera & falsa religione cap. de Eucharistia, hoc argumentum, *murum aheneum, & adamantem infractum appellat.*

66. Verùm murus ille, non æneus, sed luteus, facilè potest everti: respondetur enim, ideò verba illa protulisse Christum, ut falsam imaginationem Capharnaïtarum corrigeret: cùm enim illi existimarent, carnem Christi in propria specie, & more communi edendam, mortuam scilicet, & divisam in frusta, ut bubulæ carnes, & vervecinæ edi solent; opus fuit ut Christus explicaret modum quo ipsum edi oporteret, nimirum realiter quidem, non tamen in propria specie carnis, sed aliena; propter quod dixit, *Caro non prodest quidquam*, id est caro carnaliter accepta, sub forma carnis, eò pacto quo carnem animalium sumitis: sed *verba quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt*, continent enim spiritualem hunc, vivificum, & reconditum sensum, quòd caro Filij hominis manducanda vobis erit, sumendo eam sub aliena specie, & tamen credendo eam veram Christi carnem esse. Vel ut explicat Cyril. Alexand. lib. 4. in Joan. à cap. 14. ad 22. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam:* id est, caro mea, si esset purè caro humana, non prodesset, sed quia conjuncta est spiritui, id est, Verbo unita hypostaticè, prodest vobis. Eodem modo verba illa explicat Augustinus tract. 27. in Joan. ubi sic ait: *Caro non prodest quidquam, sed quo modo illi* (scilicet Capharnaïtæ) *intellexerunt, carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo Spiritu vegetatur. Accedat Spiritus ad carnem, & prodest plurimùm, nam si caro non prodesset, Verbum caro non fieret.* Et paulò post: *Sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem meam.* Non ergo adamantinum, sed vitreum est, illud hæreticorum fundamentum, ut enim ejusdem Augustini verbis utar serm. 11. de verbis Apostoli: *Lucet quidem vanitate, sed frangitur veritate.*

67. Objiciunt secundò hæretici: Apostolus 1. ad Corinth. 10. & 11. appellat Eucharistiam panem: Ergo non est corpus Christi. Item hæc verba Marci 14. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno Dei*, dicta sunt à Christo, post consecrationem calicis: Ergo est adhuc vinum post consecrationem.

68. Respondeo Eucharistiam, licèt sit corpus & sanguis Christi, panem & vinum interdum in Scriptura appellari. Primò quia facta est conversio panis in Corpus Christi, & vini in sanguinem: Scriptura verò solet eum terminum qui per conversionem existit, appellare nomine termini seu rei ex qua facta est conversio. Sic Genes. 2. Eva vocatur os, quia ex osse per conversionem facta erat. Et Exodi 7. serpens factus ex conversione virgæ Moysis, vocatur virga. Item Joan. 2. vinum factum ex conversione aquæ, vocatur aqua. Secundò, quia Eucharistia retinet similitudinem & accidentia panis & vini, vocati potest panis & vinum; ut in Scriptura Genes. 18. & Actuum 1. Angeli qui habebant exteriùs speciem hominis, vocantur viri. Tertiò, cibus in Scriptura vocatur panis, unde cùm caro Christi in Eucharistia, sit verus animæ cibus, ipso attestante

attestante Joan. 6. *Caro mea verè est cibus*, non mirum quòd illa interdum nomine panis designetur, sicut & sanguis nomine vini. Per quod patet ad locum Marci: maximè quia verè species vini sub quibus continebatur sanguis Christi, erant ex vitis genimine. Addo ex Luca manifestissimum esse, hæc verba à Christo dicta fuisse, non de eo vino, quod consecraverat in sanguinem suum, sed de alio quod illis dederat in cœna typica agni. Narrat enim prædictus Evangelista cap. 22. Christum dixisse: *Desiderio desideravi hoc pascha*, id est, agnum, *manducare vobiscum. Dico enim vobis ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Ubi Lucas idem scribit de agno quod alij Evangelistæ scribunt de vino: hoc autem quod Lucas de agno scribit, non potest intelligi de corpore Christi: Ergo quod alij scribunt de vino, non intelligitur de vino conversò in sanguinem Christi; quia non est dubium, quin eodem tempore utrumque Christus dixerit de cibo & potu.

69. Objicit tertiò Molineus in Clypeo fidei parte 2. sect. 25. & sequentibus, primæ editionis: Ex Evangelio constat, Christum accepisse panem, & benedixisse, fregisse, ac dedisse Discipulis suis, dicendo, *Hoc est Corpus meum*: Ergo id quod Christus dabat Discipulis, erat panis simul & Corpus Christi; panis quidem realiter, & Corpus Christi significativè: alioquin enim (inquit) falsa erit illa pars narrationis, quâ dicit Evangelista, Christum panem accepisse, fregisse, & dedisse.

70. Confirmat hoc argumentum primò, quia cùm Christus dicens, *Hoc est corpus meum*, addiderit, teste Paulo 1. ad Corinth. 11. *quod pro vobis frangitur*, corpus Christi non est in Eucharistia, nisi eo modo quo frangitur: Sed frangitur in Eucharistia tantùm significativè, non verò realiter: Ergo non est in Eucharistia realiter, sed tantùm significativè.

71. Confirmat secundò: Verba illa Christi, *Hoc est corpus meum*, sunt sacramentalia, quandoquidem Christus ea proferendo, sacramentum instituit: Sed sacramentum est in genere signi: Ergo (inquit Molineus) non nisi de signo sui corporis locutus est Christus, signoque tribuit nomen rei significatæ.

72. Ad objectionem respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam: veritas enim narrationis Evangelistæ, requirit ut id quod Christus dedit Discipulis, fuerit verè panis & corpus Christi, non quidem simul, sed successivè: panis ante consecrationem, & corpus Christi post consecrationem, juxta illud Ambrosij lib. 4. de Sacrament. cap. 5. *Antequam consecretur, panis est: ubi autem Christi verba accesserint, Corpus est Christi. Denique audi dicentem, Accipite & edite ex eo omnes: Hoc est corpus meum.* Sicut ergo Christus in Cana Galilææ, aquam in vinum vertens, poterat, amphoram aquæ plenam manibus tenens, dicere, *Hoc est vinum*, & eodem instanti quo hæc verba absolvebat, aquam in vinum vertere, eò quòd significatio nominis demonstrativi *Hoc*, & veritas propositionis practicæ & factivæ sui objecti, metienda sit ex instanti quo absolvitur: ita similiter, ob eandem rationem, hæc propositio Christi panem, præ manibus tenentis, ac dicentis, *Hoc est corpus meum*, verissima fuit, quia cùm esset practica, & factiva ejus rei quam significabat, ad ejus veritatem sufficiebat, quòd in fine illius, hoc quod Christus demonstrabat, scilicet panis, in corpus Christi per transubstantiationem transiisset.

73. Ad confirmationem dicendum, illud ab Apostolo additum, *Quod pro vobis frangitur*: intelligendum esse de Christi passione, quæ significatur per verbum de præsenti, quia quando Christus illa verba consecrationis protulit, erat proximè futura, & moraliter præsens, ut Beza ipse in eundem locum Apostoli exponit. Quapropter vulgata nostra vertit præsens κλώμενον, per futurum, *tradetur*. Et ita falsum est assumptum Molinæi, nempè Christi corpus non esse in sacramento, nisi eo modo quo in eo frangitur, cùm sermo ibi non sit de fractione quæ erat in sacramento, sed quæ brevi futura erat in crucæ & passione: in qua licèt ossibus parcitum sit, juxta illud: *Os non comminuetis ex eo*; caro tamen Christi concissa, fracta, & dilacerata fuit. Addo quod, corpus Christi, ut est panis Eucharisticus, aliquo modo frangitur, non quidem secundùm se, seu ratione sui, ita ut pars à parte divellatur, sed ratione specierum, quæ cùm sint illius involucrum, ut accidentia sunt involucrum substantiarum; quod speciebus contingit, dicitur corpori Christi contingere: unde sicut substantia dicitur visibilis per accidens, ratione suorum accidentium; ita quando franguntur species, dicitur corpus ipsum frangi, denominativè à speciebus fractis.

74. Ad secundam confirmationem, concesso Antecedente, nego Consequentiam: ex eo enim quod verba illa Christi, *Hoc est corpus meum*, sint sacramentalia, non rectè colligitur illa duntaxat corpus Christi significare, quin potiùs oppositum inferendum est: verba enim sacramentalia, cùm sint practica, sive effectiva illius quod significant; sicut verba Baptismi, *Ego te baptizo*, verè abluunt; ita verba Eucharistiæ, *Hoc est corpus meum*, efficiunt corpus Christi verè & realiter esse sub speciebus.

75. Objiciunt quartò hæretici: Apostolus 1. ad Corinth. 10. sic ait: *Patres nostri omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & eundem potum spiritualem biberunt*: Atqui non manducaverunt carnem Christi, nisi solâ fide, aut in figura: Ergo neque nos aliter eam quàm in figura vel per fidem manducamus.

76. Respondeo Apostolum non dicere, quòd Judæi manducaverint eandem escam nobiscum, sed quòd omnes eandem inter se escam manducaverunt, quia omnes tam boni quàm mali Manna manducaverunt, mare transierunt &c. Quòd si D. Augustinus interdum dicat, Patres antiquos eandem nobiscum escam manducasse, id debet intelligi de eadem esca, non quoad rem ipsam, sed quoad significationem, quatenus scilicet corpus quod re ipsa suscipimus in hoc sacramento, figurabatur per Manna & Agnum paschalem, ideóque unum quid dici poterant, eo modo quo figura & figuratum, imago & res repræsentata per illam; ad modum unius se habent. Quod verò hæc sit Augustini mens, apertè colligitur ex his quæ scribit lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 37. ubi sic habet: *Aliud est pascha quod illi* (scilicet Judæi) *in ove celebrarunt, aliud autem quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.* Ubi Agno paschali opponit corpus Domini quod sumimus in Eucharistia; quod non faceret, si per corpus Domini, intelligeret tantùm figuram corporis Christi; cùm etiam Agnus

Universidad de Deusto
Biblioteca

paschalis hoc haberet, imò expresiùs quàm panis materialis corpus Domini significaret, ut suprà art. 5. exponendo rationem D. Thomæ ostensum est.

77. Objiciunt quintò: Memoria est tantùm rerum absentium & præteritarum, non verò præsentium: Sed Eucharistia est commemoratio Christi, juxta illud Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* Ergo Christus non est in ea realiter præsens.

78. Respondeo primò, negando Majorem: memoria enim potest esse rei præsentis, si illa sit occulta; nam licèt Deus secundùm essentiam ubique realiter præsens sit, quia tamen talis præsentia est occulta, Scriptura jubet nos ubique Dei memores esse: unde quòd Eucharistia sumatur in Christi commemorationem, non excludit realem ejus præsentiam in hoc sacramento, sed tantùm innuit eam esse occultam.

79. Respondeo secundò, Eucharistiam non esse commemorationem Christi simpliciter & præcisè, sed Christi patientis & morientis, juxta illud 1. ad Corinth. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat:* passio autem & mors Christi jam præterierunt, unde potest earum memoria fieri in Eucharistia, licèt Christus ibi realiter & substantialiter existat.

80. Objiciunt sextò: In multis Scripturæ locis verbum *Est*, sumitur pro significat, ut cùm 1. ad Cor. 10. dicitur: *Petra erat Christus*, & cùm in Evangelio Christus de se dicebat, *Ego sum vitis vera, Ego sum ostium.* Item Exodi 12. agnus qui à Judæis immolabatur, vocatur *Phase*, id est transitus, & ad Galatas 4. duo filij Abrahæ, esse duo testamenta dicuntur. Quidni ergo hæc verba Christi, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, in eodem sensu metaphorico, non licebit usurpare, eaque de figura & repræsentatione corporis & sanguinis Christi interpretari?

81. Respondeo primò, quòd si hic discursus valeret, probaret non solùm licere hæc verba Christi, *Hoc est corpus meum*, in sensu metaphorico & impropriò usurpare sed etiam ista: *Ego & Pater unum sumus. Hi tres unum sunt. Verbum caro factum est.* Hæc enim verba non magis expresè significant consubstantialitatem Filij cum Patre, & unitatem naturæ divinæ in tribus personis, quàm ista, *Hoc est corpus meum*, realem existentiam Corporis Christi, sub speciebus panis: unde si hæc verba tropis & figuris exposita sunt, cur non & alia? Vel si in aliis proprietas retinenda est, cur non etiam & in istis? Unde egregiè Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 10. *Si animum occupaverit alicujus erroris opinio, quidquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur.* Rectè etiam Sacramentarijs verba ista Irenæi lib. 4. adversùs hæreses cap. 35. adaptari possunt: *Coguntur hi tales semper typos typorum, & imagines imaginum adinvenire, & nunquam figere animum suum in uno & vero Deo.* Sive ut loquitur Feüardentius ejus Commentator, in cap. 12. lib. 2. *Umbris & metonymiis inhiantes, veri Corporis Christi usu excidunt. Similes Æsopi cani, qui panem quidem reliquit, in umbram autem ejus impetum fecit, & perdidit escam*, ut eodem cap. 12. S. Irenæus ait. Hoc eodem apologo utitur Epiphanius contra Cerdonianos: *Contigit* (inquit) *his canis proverbiū, qui umbræ intentus non continuit quod habebat in ore, & in aquam intuens, & majorem umbram aquæ esse putans, quàm cibum quem in ore ferebat, aperto ore etiam eum quem habebat amisit. Sic & hi, cùm viam repererint, & umbram assequi velint in suspicione eorum obortam, non solum cibum, qui in ore ipsorum, ut ita dicam, erat ex Deo donatus, amiserunt, sed etiam perniciem sibi ipsis attraxerunt.*

82. Respondeo secundò, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem: nam in aliis locis Scripturæ, in quibus signum nomen rei significatæ gerit, additur aliquod subjectum, vel prædicatum, ex quo allegoricus sensus manifestè deprehenditur: immediatè enim antequam Paulus diceret, *Petra autem erat Christus*, dixerat loquens de Hebræis, *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra*, proindeque sermo erat de petra spirituali, & de ejus signo. Similiter quando Christus dixit se esse vitem, vel ostium, determinavit ibi se loqui de vite & ostio spiritualibus, ut ex antecedentibus & consequentibus apertè colligitur. Item Exodi 12. non absolutè enuntiatur de ipso agno, quòd sit phase, sed de ipsa cæremonia esùs agni, quòd sit religio transitùs, id est cæremonia quâ repræsentatur; sic enim legitur, *Hæc est religio phase.* Denique apertè Apostolus duorum filiorum Abrahæ nativitates, allegoricè duo testamenta interpretatur, subdit enim: *Quæ sunt per allegoriam dicta.* At verò in nostro casu, planè oppositum contingit, verba enim quæ Christus adjunxit prædicato sui corporis & sanguinis, dicens *quod pro vobis traditur, vel tradetur: Quod pro vobis effunditur, vel effundetur*, repugnant metaphoræ, vel allegoriæ; quandoquidem quod traditum fuit, vel effusum, non erat solùm figura corporis & sanguinis Christi.

83. Instant Calvinistæ: Christus Lucæ 22. & 1. ad Corinth. 12. refertur dixisse: *Hic calix est novum testamentum*, seu fœdus in sanguine meo: At quod est in calice, non est testamentum & fœdus, nisi metaphoricè: Ergo verba quæ Christus adjunxit prædicato sui sanguinis, non repugnant metaphoræ vel allegoriæ, sed potiùs eam innuunt.

84. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem: vox enim testamenti secundùm communem & usitatum modum loquendi, dupliciter sumitur. Primò pro voluntate testatoris & hoc modo usurpatur à Matthæo, cùm dicit, *Hic est sanguis novi testamenti.* Secundò, pro instrumento authentico quo declaratur voluntas testatoris, & hoc modo sumitur à Luca & Paulo dicentibus: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, ita ut sensum faciat hæc propositio: Hic calix est instrumentum authenticum meæ voluntatis, consistens in meo sanguine. Vel sanguis meus contentus in hoc calice, est instrumentum vi cujus ex voluntate mea fideles habent jus ad percipiendam cœlestem hereditatem: unde falsum est sanguinem Christi qui est in calice, non posse dici testamentum & fœdus in propria acceptione testamenti.

85. Addo quod, testamentum & fœdus in Scriptura, & lingua Hebraïca, quâ Christus utebatur, dicuntur esse hostia, seu victima cæsa in confirmationem reconciliationis & concordiæ: Sed Christi sanguis in calice, est victima cæsa, seu pars victimæ cæsæ pro reconciliatione generis humani: Ergo propriè testamentum seu fœdus dici potest. De quo videri potest Maldonatus in versum 28. capitis 26. Matthæi.

Dici

86. Dici etiam potest cum Cardinali Perronio lib. 1. de Euchar. cap. 36. quòd phrasi usitatâ Hebræis, sacrificium pro fœdere vocatur fœdus, sicut sacrificium pro peccato, appellatur fœdus, unde Oseæ 4. Sacerdotes comedere peccata populi dicuntur, id est victimas oblatas pro peccatis populi; unde cùm Christi sanguis positus in calice, sit victima pro peccatis nostris, phrasi usitatâ Scripturæ, & propriâ, fœdus & testamentum novum dici potest.

87. Objiciunt septimò Calvinistæ: Christus variis locis Evangelij significat se non futurum in terra, post gloriosam Ascensionem suam; ut cùm Joan. 6. Discipulis murmurantibus, quòd pretium unguenti in caput ejus effusi à Magdalena, non esset potiùs datum pauperibus, dixit: *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis:* At si Christus esset realiter & substantialiter præsens in Eucharistia, post gloriosam Ascensionem suam, adhuc remaneret in terra: Ergo non est realiter, & substantialiter præsens in Eucharistia.

88. Addit Calvinus lib. 4. instit. cap. 17. §. 27. *Scriptura testatur Christum, quod attinet ad naturam humanam, ascendisse in cœlum, ibique manserum usque ad diem judicij, & tunc demum & non ante, ad inferiora hæc loca rediturum: non igitur verum est, eum sæpè descendere, ut Papistæ volunt.*

89. Hoc argumentum videtur Adversariis insolubile, unde perpetuò clamant nos destruere unum articulum Symboli, nempè ascensionem Christi in cœlum, ejusque in cœlo permanentiam usque ad diem judicij. Verùm hæc facilè dissipantur, Christus enim verbis quæ dixit ad Discipulos de effusione unguenti murmurantes, significare tantùm voluit, quòd non erat futurus in terra, post gloriosam ascensionem suam, præsentiâ ordinariâ & familiari, in qua ei convenirent obsequia effusionis unguenti, aut similia: hoc verò non excludit, quin præsens sit in terra, aliâ præsentiâ, sed miraculosâ & supernaturali. Sicut cum Lucæ 24. apparuit in cœnaculo Discipulis, verè tunc cum illis erat, & nihilominus dixit illis: *Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum;* quia nimirum tunc erat quidem realiter cum illis, sed præsentiâ miraculosâ & supernaturali, antea verò fuerat cum illis præsentiâ ordinariâ & familiari. Quòd autem de præsentia ista, verba suprà dicta Christi ad Discipulos intelligenda sint, ex eo patet, quòd Christus ibi loquatur de præsentia quâ habemus nobiscum pauperes; id enim requirit antithesis; *Pauperes semper habebitis, me autem non semper habebitis:* id est eo modo quo habetis pauperes, hoc est, visibiliter & humano modò conversantem.

90. Ad illud quod subdit Calvinus, respondeo realem Christi in Eucharistia præsentiam, cum mysterio ascensionis ejus in cœlum, & perpetuam ejus usque ad diem judicij in cœlo permanentiam, nequaquam pugnare; non enim debet cœlum deserere, aut descendere motu locali, ut fiat præsens in Eucharistia; nec repugnat illum simul esse circumscriptivè & modo connaturali in cœlo, & sacramentaliter, ac modo supernaturali & miraculoso in Eucharistia, ut fusiùs infrà declarabitur.

ARTICULUS XII.

Solvuntur objectiones Calvinistarum ex Patribus.

PLurima objiciunt Calvinistæ Patrum testimonia, ad probandum Eucharistiam esse tantùm figuram corporis Christi, illudque solùm per fidem spiritualiter à fidelibus manducaducemus, & exponemus; alia verò apud Cardinalem Perronium lib. 2. de Eucharistia videri poterunt.

91. Objiciunt ergo primò Hæretici: SS. Patres nonnunquam vocant Eucharistiam, signum corporis, antitypum, figuram, & repræsentationem Christi: ut patet ex Tertulliano lib. 1. contra Marcionem, paulò ante medium, ubi hæc scribit: *Sed ille usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, quâ suos abluit, nec oleum quo suos ungit, nec mellis & lactis societatem, quâ suos infantat, nec panem in quo corpus suum repræsentat.* Et libro 4. cap. 40. explicans illa verba Christi, *Hoc est corpus meum*, sic ait: *Acceptum panem, & distributum Discipulis, corpus suum fecit dicendo, Hoc est corpus meum, id est figura corporis mei.* Similiter Maximus in annotationibus libri Dionysij de Ecclesiastica hierarchia in cap. 3. dicit: Dona in altari perfecta, id est Eucharistiæ, symbola sunt, at non veritas, αὐτοβυσία τὰ τοῦτα ἢ ἐν ἀληθείᾳ. Item S. Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 48. asserit Christum hic offerri in imagine, in cœlo in veritate. Demùm S. Augustinus in enarratione Psalmi 3. in principio dicit: *Christus adhibuit Iudam ad convivium, in quo corporis & sanguinis sui figuram commendavit, & tradidit Discipulis*, Et libro contra Adimantum cap. 12. *Non dubitavit* (inquit) *Dominus dicere, hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui.*

92. Ad hæc omnia testimonia responderi potest primò generali solutione, Patres quidem vocare interdum Eucharistiam, figuram, signum, & antitypum Corporis Christi, vel secundum species solas, & symbola externa, quæ sunt signa corporis Christi, non vacua, sed plena re significatâ, sicut pastillus significat carnes quas continet: vel etiam secundùm totum constitutum ex corpore & speciebus, quod est signum corporis Christi, non simpliciter sumpti, sed ut patientis in cruce, cujus passionis & mortis Eucharistia est commemoratio & repræsentatio; quemadmodum enim Rex aliquis posset ludo publico victoriam olim à se reportatam ita exprimere, ut ipse suimet personam gereret, & repræsentaret: ita Christus in Eucharistia realiter existens, seipsum olim passum repræsentat. Item Eucharistia à SS. Patribus figura appellatur, quia symbolum est Corporis mystici, quod est Ecclesia, cujus unitas per panem ex multis granis confectum repræsentatur, ut explicat Augustinus tract. 26. in Joan. Vel quia est repræsentatio gloriæ nostræ futuræ, & fruitionis divinæ essentiæ, cujus est veluti pignus. Unde Prosper. de corp. Domini: *Qui corpus Christi sumit, escam salutis accipit, & æternitatis poculum bibit.*

93. Quòd verò interpretationes istæ legitimæ sint, patet ex ipsis SS. Patribus, qui eas apertè tradunt nam S. Augustinus citatus à Gratiano can.

Utrum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Utrum sub figura, de consecrat. dist. 2. sic ait : A *Corpus Christi & veritas & figura est. Est veritas, dum corpus Christi & sanguis, ex panis & vini substantia efficitur. Figura vero est id quod exteriùs sentitur.* Item eadem distinctione, can. *Corpus Christi*, desumpto ex Hilario Papa, Leonis primi successore, sic dicitur : *Corpus Christi quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinum videtur extra : veritas autem, dum Corpus & Sanguis Christi in veritate interius creditur.* Refert etiam Claudius de Sainctes, Repetit. 3. cap. 4. fol. 76. initio istud ex Anselmo : *Christi benedictione panis fit corpus ejus, non significativè tantùm, sed etiam substantivè. Neque enim ab hoc sacramento figuram omninò excludimus, neque eam solùm admittimus. Veritas est, quia Christi* B *corpus est. Figura est, quia immolatur quod incorruptibile habetur.* Similiter Damascenus lib. 4. de fide cap. 14. in fine sic ait : *Figuræ porro rerum futurarum idcirco dicuntur, non quod non verè corpus & sanguis Christi sint; sed quòd nunc quidem divinitatis Christi per ea participes efficiamur, tunc autem intellectuali modo, ac per solum aspectum.* Denique D. Ambrosius lib. 1. de officiis hæc scribit : *Hic umbra, hic imago, illic veritas. Umbra in lege, imago in Evangelio, veritas in cœlestibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur & vitulus. Nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert seipsum quasi Sacerdos, ut peccata dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit. Hic ergo in imagine ambu-* C *lamus, in imagine videmus. Illic facie ad faciem, ubi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est.*

94. Ex his ergo facilè constat solutio ad omnia testimoia adducta : majoris tamen claritatis gratiâ, per singula discurrendum est. Unde ad Tertullianum respondeo ipsum in primo loco usurpare verbum illud, *repræsentare*, pro demonstrare, seu præsentem exhibere : sicut in communi modo loquendi accipi solet, & ipse Tertullianus frequenter usurpat ; sic enim lib. 4. contra Marcionem capite 22. dicit, *Patrem repræsentantem Filium dixisse, hic est filius meus dilectus.*

95. Ad secundum verò testimonium respondeo primò solutione generali adductâ, quòd cùm Tertullianus expresè dicat in illo loco, Christum panem corpus suum fecisse, id est in corpus suum convertisse, quando deinde subdit, *Hoc est corpus meum, id est figura corporis*, non intendit excludere realitatem, sed cum realitate etiam admittit significationem, & vult quòd species illæ externæ, sint modo explicato, figura corporis Christi realiter contenti.

96. Respondeo secundò, Tertullianum eo loco solùm declarare voluisse, quòd Christus, id quod in veteri testamento fuerat figura corporis Christi, scilicet panem, effecit, instituendo Euchari- E stiam, per conversionem, corpus suum. Unde particula *id est*, non explicat prædicatum propositionis, seu *corpus meum*, sed subjectum, nempè particulam *hoc*. Qui sensus ex antecedentibus facilè intelligitur, nam ibi docere intendit, Christum non venisse improvisò, sed longè antea fuisse prophetatum, omnesque figuras legis impleviisse, substituendo scilicet pro figura veritatem. Inter exempla autem harum mutationum figuræ in veritatem, quas implevit Christus, hanc affert, quòd panis in veteri lege erat figura corporis Christi, juxta illud Jeremiæ 11. *Mittamus lignum in panem ejus*, id est crucem in corpus ejus, & in nova lege Christus figuram illam implevit, seu in veritatem mutavit, convertendo panem in corpus suum. Unde statim subjicit : *figura autem non fuisset, nisi veritatis corpus esset.* Quæ ultima verba apertè declarant, ipsum loqui de pane, qui in veteri testamento erat figura corporis Christi, non verò de pane Eucharistico ; si enim de Eucharistia loqueretur, non diceret, *non fuisset figura*, sed *non esset.*

Nec mirari quisquam debet, quòd particula *id est*, loco citato, non ad prædicatum propositionis, sed ad subjectum referatur ; hæc enim metathesis, seu transpositio, stylo Tertulliani, conciso, & involuto, familiaris est, sicut alia illa libro contra Praxeam cap. 29. *Christus mortuus est, id est unctus* ; ubi planum est vocem *unctus*, non ad mortuum, sed ad Christum (ex græco χριστὸν, ab unctione dictum) referendam.

Ad locum Maximi respondeo ejus sensum non 97.
esse, quod dona quæ sunt in altari, non sint in veritate corpus Christi, sed tantùm quòd non sint æterna ipsa beatitudo, & futura sanctorum gloria : seu quòd participatio Eucharistiæ non sit reipsa, sed repræsentatione tantùm, gloria nostra futura, & fruitio divinæ essentiæ. Hæc intentio Maximi manifesta est legenti antecedentia & consequentia in ejus textu : nam hic Author, cum Dionysio capite illo 3. cœlestis hierarchiæ, quod interpretatur ; imò & cum D. Paulo ad Hebræos 10. tria distinguit ; umbram, C imaginem, & veritatem, umbramque ait fuisse in lege veteri, imaginem esse in Evangelio, veritatem autem futuram in cœlo, unde annot. 5. post verba citata in objectione, ait : *Dona perfecta in altari, sunt imago, umbra fuit in sacrificiis legalibus, veritas erit in cœlo.* Ex quo etiam facilè intelligitur locus Ambrosij, dicentis *Christum hîc offerri in imagine, in cœlo in veritate* : non enim ibi opponit imaginem substantiæ & veritati, sed tantùm claræ notitiæ ; quia hic Christum velatum per fidem adoramus, in cœlo facie ad faciem contemplabimur : unde vult tantùm Christum offerri hîc in imagine, hoc est in specie aliena panis & vini, cùm tamen in cœlo appareat in propria specie. Id patet ex verbis ejus quibus explicat quod dixerat, ait enim : *Hîc ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus; illic facie ad faciem ubi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est.* Unde etiam paulò ante distinguens umbram ab imagine : *Ante* (inquit) *agnus offerebatur, offerebatur vitulus ; nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo recipiens passionem.*

In eodem sensu intelligenda sunt hæc verba 98.
D. Bernardi ex serm. 33. in Cantica, quæ etiam objiciuntur ab hæreticis : *Habeo & ego Verbum, sed in carne ; & mihi apponitur veritas, sed in sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo satiatur grano. Me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, litteræ paleâ, velamine fidei.* Significat enim Angelos frui ipsâ adipe, quia facie ad faciem intuentur Verbum, nos autem in conspectu non habere, nisi corticem sacramenti ; nec enim videmus aliud quàm species panis & vini, sed tamen intra eum corticem latere etiam granum, suprà dixerat Bernardus.

Denique ad Augustinum respondeo, quòd li- 99.
cèt loquendo de Eucharistia, eam signum & figuram corporis Christi appellet, propterea tamen

tamen non excludit quin sub figura externa realiter includatur corpus Christi ; neque dicit totam Eucharistiam esse figuram tantùm corporis Christi, aut esse figuram vacuam, sed intendit Eucharistiam esse exteriùs figuram, & interiùs plenam veritatem corporis Christi ; quemadmodum columba quæ sedit super caput Christi, Marci 1. & Lucæ 3. erat figura Spiritus Sancti, per speciem externam, & intus Spiritus Sanctus, juxta illud, Vidit Spiritum tanquam columbam, aut in specie columbæ descendentem. Unde, ut suprà vidimus, idem S. Doctor, apud Gratianum de consecrat. dist. 2. can. *Utrum sub figura*, ait : *Corpus Christi & veritas & figura est. Veritas, dum in virtute Spiritus Sancti ex panis & vini* B *substantia efficitur : figura verò est id quod exteriùs sentitur.*

100. Ex his intelliges quanta sit Religionis nostræ perfectio, cui datum est id reipsa habere quod signis tantùm & figuris, tempore legis Mosaïcæ adumbratum fuerat, & expectare claram hujus mysterij visionem, quâ beati perfruuntur in patria. Unde Dionysius de Eccles. hierarchia cap. 5. ait Ecclesiam nostram mediam esse inter synagogam & cœlestem Hierusalem, & propterea utriusque participem. Et Eucherius : *Tria* (inquit) *sibi Deus tabernacula fecit : Synagogam, quæ umbram habuit sine veritate : Ecclesiam, quæ veritatem & umbras habet : cœlum, ubi nullæ sunt umbræ, sed nuda veritas.* Quod & Catechismus Romanus parte 2. titulo de Eucharistia num. 3. eleganter expressit, his verbis : *Satis mirari fideles numquam poterunt sanctæ Ecclesiæ perfectionem : ejusque gloriæ altitudinem : cùm inter eam & cœlestem beatitudinem unus tantùm gradus interesse videatur. Hoc enim cum cœlestibus commune est, ut utrique Christum Deum & hominem præsentem habeamus, sed quo uno gradu ab eis distamus : illi præsentes beata visione perfruuntur ; nos præsentem, & tamen ab oculorum sensu remotum, sacrorum mysteriorum admirabili integumento se occultantem, firma & constanti fide veneramur.*

101. Objiciunt insuper Calvinistæ celebrem locum ex Augustino in Psal. 98. ubi Christum sic lo- D quentem ad Capharnaïtas inducit : *Spiritaliter intelligite quod loquutus sum : non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis : spiritaliter intellectum vivificabit vos, caro autem non prodest quidquam.*

Verùm hic locus rectè explicatur à D. Thoma hîc quæst. 75. art. 1. ad 1. de corpore visibili & passibili ut tali, quale tunc erat : nam corpus Christi comedendum erat in aliena specie, & impassibiliter ac invisibiliter se habens. Nec obstat quòd utitur ibi D. Augustinus pronomine demonstrativo *Hoc*, & relativo *Quod* : nam familiare est ut his vocibus demonstrentur & referantur res etiam secundùm statum aliquem & modum accidentarium, ut cùm ille dicebat : *Non sum qui fueram &c.* Et Ambrosius lib. 2. de Pœnit. cap. 10. refert quendam rectè dixisse, *Ego non sum ego*, quia mutaverat vitam & mores. Atque ita seipsum explicat Augustinus in Epist. ad Irenæum, verbis relatis de consecrat. dist. 2. cap. 45. *Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Ipsum quidem, & non ipsum. Ipsum invisibiliter, & non ipsum visibiliter.*

Objiciunt etiam aliud Augustini testimonium, A 102.
desumptum ex libro 2. de peccatorum meritis cap. 26. ubi sic ait : *Quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum tamen est, quoniam sacramentum.*

At ibi manifestè loquitur Augustinus de pane Catechumenorum, quem vocat sacramentum, latâ & impropriâ significatione, id est sacrum signum, vel unitatis inter fideles, vel ipsius Eucharistiæ & corporis Christi.

Denique objiciunt illud Augustini tract. 25. in 103.
Joan. *Quid paras dentem aut ventrem ? Crede, & manducasti.* Et istud ex tract. 26. *Credere in eum, hoc est manducare panem vivum.*

Sed ad hæc facilè respondetur, Augustinum B
ibi loqui de manducatione Christi spirituali, per fidem Incarnationis, non autem de Eucharistia; nondum enim pervenerat ad locum Evangelij ubi agitur de hoc sacramento, ut rectè observavit Bellarminus.

ARTICULUS XIII.

Solvuntur argumenta ex rationibus humanis.

ARgumenta desumpta ex rationibus humanis, quæ contra realem Christi in Eucha- 104.
ristia præsentiam objiciuntur ab hæreticis, ad quinque præcipua reduci possunt. Objiciunt enim in primis, repugnare quòd accidentia in Eucharistia sine subjecto existant, cùm inhærentia sit de ratione accidentis, sicut præsentias est de ratione substantiæ. Secundò dicunt repugnare corpus humanum esse inextensum localiter, cùm extensio localis sit effectus formalis quantitatis, subindeque corpus Christi non posse intra parvam hostiam contineri, & multò minus poni in indivisibili, ut docent Catholici. Tertiò, asserunt repugnare quantitatem corporis Christi penetrare quantitatem panis & vini, & intra ipsam collocari ; cùm impenetrabilitas sit de ratione corporis, & proprius effectus quantitatis. Quartò, contendunt implicare contradictionem, idem corpus indivisum manens, simul existere in pluribus locis, subindeque corpus Christi non posse esse in cœlo empyreo ad dexteram Patris, & in terra in sacramento Eucharistiæ, & multò minùs simul poni in pluribus altaribus per consecrationem diversarum specierum. Demum dicunt, hac præsentiâ reali concessâ, multa Christi majestate prorsus indigna admittenda esse, nempè Christum aliquando in terram cadere, dentibus atteri, in ventrem & secessum ire, à muribus devorari, vel corrodi, putrescere, ejus sanguinem accessere, & tandem cremari. E *Ecce quibus argumentis omnipotentia Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas !* inquit D. Augustinus in simili lib. 22. de civit. cap. 11. ferè initio.

Respondeo primò, non esse judicandum de 105.
Eucharistia, secundùm principia philosophiæ & sensus communis, cùm hoc mysterium sit supra rationem humanam, & philosophiam Aristotelicam, & Deus plura possit præstare, quam ratio nostra ut possibilia apprehendere. Unde Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joan. cap. 13. comparans Christianos qui ex sensu volunt judicare de Eucharistia, Capharnaïtis, qui dixerunt : *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ducandum? Docet multis verbis, hanc vocem esse Judaïcam, & Christiano indignam, & ad extremum concludit his verbis: *Si verò tu etiam nunc è Iudæa, quomodo clamas, libenter hanc tuam imperitiam ego secutus, quomodo de Ægypto exivisti interrogabo, quomodo in serpentem Mosaica virga versa fuit, quomodo lepra manus affecta, uno momento temporis in pristinum statum restituta iterum fuit, quomodo in naturam sanguinis aquæ transierunt, quomodo patres tui per media maria, ut per aridam effugerunt, quomodo per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit, quomodo è lapide fontes aquarum fluebant, quomodo steterit Jordanis, quomodo solo clamore inexpugnabilis Hierico cecidit?* lib. 4. in Ioan. cap. 2.

106. Respondeo secundò sigillatim ad ea quæ objiciuntur. Ad primum quidem quod licet accidentia non possint naturaliter existere sine subjecto cui inhæreant, benè tamen supernaturaliter & de potentia Dei extraordinaria: non magis enim est de ratione accidentis alteri inhærere, quàm de ratione substantiæ per se subsistere; quod enim inhærentia est in accidentibus, hoc hypostasis seu subsistentia est in substantiis: cur ergo, sicut in mysterio incarnationis humanitas Christi privatur propriâ hypostasi & subsistentiâ, ut in altero, scilicet in Verbo, subsistat; non poterit divinitùs quantitas panis & vini in Eucharistia, carere inhærentiâ sibi debitâ, & sine subjecto existere? Potestque id confirmari & illustrari ex doctrina D. Basilij, qui homil. 6. in Hexameron tradit primâ die creatam esse lucem per se subsistentem, & ab omni subjecto separatam. Verba ejus sunt: *Primo die ipsa natura lucis producta est, quarto autem die, Solis corpus, ut esset illi primogenitæ luci vehiculum, est conditum.* Et infrà subdit: *Itaque ne mihi dixeris fieri hæc non posse, ut lux à corpore Solis separetur. Neque enim ego lucis à Solis corpore separationem mihi ac tibi possibilem esse dico, sed asserendum esse censeo, quæ mentis solâ agitatione, cogitationeque disparari à se possunt, ea reipsa sejungi facultate Creatoris utrinsque naturæ posse.* Idem docet Nazianzenus in oratione de novo die Dominico, & Theodoretus in quæstionibus super Genesim, quæst. 14. & 16.

107. Ad secundum dicendum, nullam implicare contradictionem, quòd corpus aliquod liberetur ab extensione locali sibi connaturaliter debita: nam de essentia corporis non est extensio illa actualis, & dispositio partium in loco, secundùm quandam correspondentiam ad illum, sed extensio tantùm in ordine ad se, quæ consistit in ipsa multitudine partium ex quibus constat ipsius entitas, apta coextendi loco, & spatio divisibili. Unde licèt corpus Christi in Eucharistia careat extensione locali & ponatur in indivisibili, non propterea desinit habere duas aures, duo brachia, duos pedes, & quotquot partes habebat antea; neque propterea desinit caput esse unitum immediatè collo & non pectori; collum autem humeris & non pedibus, quamvis hæc omnia secundùm locum simul sint, & unico spatij puncto claudantur.

108. Porrò quòd corpus aliquod possit divinitùs ab extensione locali liberari, tum authoritate Scripturæ, tum ratione probari potest. Christus enim Matth. 19. Marci 10. Lucæ 18. testatur, Deum posse efficere ut camelus transeat per foramen acus: At non potest camelus transire per foramen acus, nisi locum non occupando, alioquin majus esset minus suo minori: Ergo divinitùs potest corpus liberari ab extensione locali sibi connaturaliter debita. Ratio etiam id suadet: Nam ut magnitudo suâ mole replet locum, & aliud corpus extrudit, ita corpus grave, suâ gravitate ponderat, & alia corpora deprimit: At fieri potest divinitùs, ut corpus grave, suâ gravitate non ponderet, & alia corpora sibi subjecta non deprimat, ut patet cùm Christus super aquas ambulavit: Ergo etiam supernaturaliter & de potentia Dei absoluta fieri potest, quòd corpus aliquod privetur extensione locali sibi connaturaliter debitâ, & quamvis habeat extensionem partium in ordine ad se, non tamen in ordine ad locum. Addo quod difficilius est, corpus quodcumque è nihilo creare, aut in nihilum redigere, quam in punctum spatij illud contrahere; & tamen certâ fide credimus, duo prima à Deo effici posse: cur ergo tertium quoque divinitùs esse possibile non credemus?

109. Iisdem rationibus patet, possibilem esse penetrationem dimensionum supernaturaliter: tria enim corpori conveniunt, quorum unum ex altero connaturaliter sequitur. Primum est habere partes extra partes. Secundum, coextendi & commensurari loco. Tertium expellere seu extrudere aliud corpus ex loco, seu non pati secum aliquam magnitudinem in loco sibi adæquato; & hoc tertium sequitur ex secundo, sicut secundum ex primo; ideò enim unum corpus non patitur aliud secum, quia replet totum locum: unde sicut potest supernaturaliter aliquod corpus ab extensione locali liberari, & esse extensum in ordine ad se, absque eo quòd sit extensum in ordine ad locum, quia priùs per Dei potentiam potest separari à suo posteriori, cùm ab illo non dependeat essentialiter; ita & potest unum corpus occupare locum, & tamen non expellere aliud, quod dicitur propriè penetratio corporum. Unde SS. Patres communiter docent, Christum de utero matris clauso, integritate videlicet manente integritate carnis, exiisse; idque prædictum fuisse Ezechiel 44. ubi describitur porta quædam clausa, per quam solus Dominus intrat, hanc enim portam uterum semper clausum Virginis Deiparæ esse docent Hieronymus in commentario hujus loci, & Ambrosius lib. de instit. Virg. cap. 7. *Quæ est porta* (inquit) *nisi Maria, ideo clausa, quia virgo? Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, & genitalia virginitatis claustra non solvit. Mansit integerratum septum pudoris, & inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine.* Et cap. 8. *Hæc porta clausa erit, & non aperietur: bona porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur: transivit per eam Christus, sed non aperuit.* Asserunt etiam SS. Patres, Christum post resurrectionem suam, intrasse cœnaculum januis clausis, sicut in nativitate sua, ex utero clauso Matris exierat, *Moli corporis* (inquit) Augustinus) *ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt: ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas Matris inviolata permansit. Integra sunt omnia & obserata* (subdit Hilarius) *sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam universa sunt pervia. Nihil cedit ex solido, neque per naturam suam aliquid tanquam lapsu insensibili ligna & lapides amittunt. Corpus Domini à sese non deficit, ut sese resumat ex nihilo; & unde qui assistit in medio est?* Idem penetrationis

Ser. 159. de tempore.

lib. 3. de Trinit.

tionis miraculum eleganter declarat Cyrillus lib. 12. in Joan. exponens enim verba illa Joannis: *Cùm ergo sero esset die illo una sabbatorum, & fores essent clausæ &c.* hæc scribit: *Observatis foribus in medio stetit Christus, inæstimabili quadam virtute, Deoque convenienti supra rerum ordinem, omnemque rationem humanam. Nemo enim dicat, quomodo quæso in crasso corpore cùm esset Dominus, nullo tamen negotio, tametsi januæ clausæ essent, penetravit; sed apud se cogitet potius divinum Evangelistam haud quaquam hæc de aliquo nostri simili dicere, sed de eo potius qui Deo ac Patri assidet, atque omnia quæcumque vult facit. Oportebat enim cum Deus secundum naturam suam sit ac verus, nequaquam subjacere rerum ordini, sicuti res ab ipso creatæ, sed necessitati ipsi, & omnium quæ aguntur rationi dominari. Alioqui enim quo pacto mare pedibus suis subjiceret, fluctusque sicco pede tranaret, neque enim nostris corporibus aquæ substernuntur; aut quomodo alia miracula virtute Deo convenienti ederet?* Et rursus exponens versum 26. ejusdem capitis 20. Joannis, ait: *Apparuit iterum suis Discipulis mirabili ratione, ut Deus: non enim sicuti nos aperiri sibi fores ingredienti jussit, sed eo neglecto januam penetravit & in media domo repentè apparet &c.*

Docent etiam SS. Patres, quòd post resurrectionem generalem, corpora gloriosa sanctorum, ratione doni subtilitatis, quo erunt prædita, alia corpora penetrabunt. Ita Author de cognitione veræ vitæ apud Augustinum cap. 45. ubi hæc scribit: *Corpus sanctorum resurget spirituale, quia velocitate, levitate, perspicuitate spiritibus erit æquale, & omne solidum erit ei penetrabile; sicut & corpus Domini, lapide clauso surrexit, & januis clausis intravit.* Idem docet Damascenus lib. 4. de fide cap. 28. his verbis: *Resurget corpus spirituale, immutabile, subtile; hoc enim significat spirituale, quale post resurrectionem corpus Domini erat, cùm per januas clausas transiret.* Item Anselmus lib. de similitudinibus cap. 53. *Quicunque Angelis assimilabuntur, eorum quoque libertatem necessariò assequentur. Itaque sicut Angelis nihil obsistit, nec aliud eos impedi e potest, vel constringere, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrimè; ita non erit aliquod obstaculum quod nos retardet, nulla clausula quæ nobis ullatenus obstet &c.* Demum Laurentius Justinianus lib. de disciplina & perfectione Monachorum cap. 23. sic habet: *Caro cùm in hac vita degit & peregrinatur à Domino, animalis naturæ est; post verò resurrectionis gloriam, tota spiritualis efficietur, ita ut omne solidum ei sit pervium; non claustris teneri poterit inclusa, non vinculis religata, non restricta custodibus, sed liberam ingrediendi & egrediendi ubique recipiet facultatem.* Ex quo patet solutio ad tertiũ.

110. Ad quartum verò dicendum quòd quamvis repugnet idem numero corpus esse simul in pluribus locis circumscriptivè, non tamen implicat quod sit in uno circumscriptivè, & in pluribus aliis sacramentaliter: unde corpus Christi potest esse præsens in cœlo circumscriptivè, & ad dexteram Patris in propria specie sedere, & simul in terra sacramentaliter poni in Eucharistia, & in pluribus altaribus simul existere, ut disertè docet Tridentinum sess. 13. cap. 1. his verbis: *Docet Sancta Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur, in almo Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, Christum realiter ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri: nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, & in multis nihilominus aliis locis sacramentaliter præsens suâ substantiâ nobis adsit.* Idem tradunt SS. Patres: Basilius enim in sua Liturgia, sic Christum deprecatur: *Veni ad sanctificandum nos, qui sursum Patri consides, & hìc nobis invisibiliter coexistis.* Et Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, sub initium: *O miracutre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur!* Item Gregorius Nyssenus in orat. de Paschate, sic ait: *Sicut divinitas replet mundum, & tamen una est: ita Christus innumerabilibus locis consecratur, & tamen unum corpus est.*

Ratio verò à priori, cur licèt repugnet idem numero corpus circumscriptivè poni in pluribus locis, non implicet tamen illud fieri præsens sacramentaliter in pluribus altaribus, est quia præsentia localis & circumscriptiva sumitur à quantitate, & est effectus formalis illius, saltem secundarius: unde cùm effectus formalis secundarius multiplicari nequeat, immultiplicato primario, à quo essentialiter dependet; nec effectus formalis primarius multiplicari possit, nisi ipsa forma multiplicetur; quia effectus formalis primarius nihil aliud est quàm ipsa forma, ut communicata subjecto, hinc fit quòd non possint multiplicari præsentiæ locales & circumscriptivæ, immultiplicatâ quantitate: cùm autem unitas numerica corporis à quantitate sumatur, implicat eam in uno & eodem corpore multiplicari. At verò præsentia sacramentalis non à quantitate, sed à conversione substantiæ panis in corpus Christi desumitur; unde tot possunt dari præsentiæ sacramentales, quot possunt poni conversiones: illæ verò, cùm non tribuant unitatem numericam corpori Christi, sicut quantitas, possunt in infinitum multiplicari, ipso Christi corpore immultiplicato, & eodem numero permanente. 111.

Quid ergo juvat (inquit P. Nicolai in notis ad art. 1. quæst. 75.) *altercari, an in pluribus locis unum corpus extendi possit? quod ad Eucharistiæ veritatem impertinens est, & plus nocet quàm prodest, ad illius oppugnatores refellendos. Nam si propositio ista,* Nullum corpus pluribus locis extensivè adesse simul potest, *negetur simpliciter, jam deflectitur tota disceptatio ad incommoda quædam sensibilia quæ hujusmodi extensionem corporalem consequi possunt, nec de corpore Christi quidquam ampliùs disceptatur, ac in opinione quam ut absurdam Catholici plerique rejiciunt, momentum tantæ veritatis & tam necessariæ defensionis reponitur: si autem concedatur, sicut concedi debet, quod extensivè quidem nullum corpus adesse simul pluribus locis potest, sed inextenso modo, qui supradictis incommodis non afficitur, potest; intra cancellos constringitur disceptatio, nec evagatur extra propriam rationem corporis Christi, cui singularis est ille modus.* Et rursus in Scholiis ad art. 5. quæst. 76. *Impertinens* (inquit) *& frustraneum est ad veritatem Eucharistiæ astruendam, imò magis periculosum & noxium, quàm proficuum & securum ad eam defendendam, ut unum corpus asseratur circumscribi pluribus locis posse, vel in pluribus locis per suæ quantitatis extensionem esse; quia cum illo*

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo existendi, qualitercunque astruatur, nihil commune habet modus proprius quo Christus est singulariter in sacramento, nec iisdem ac ille incommodis est obnoxius: putà ut corpus Christi dicatur simul esse supra se ac infra se; simul dextrorsum sibi ac sinistrorsum, sicut omnino necesse est in corporibus localiter extensis contingere: praeter alias plures antilogias vel contradictiones inde necessariò consequentes, ut quòd simul sedere idem corpus ac stare possit, vel quiescere simul & moveri, & similia, cùm nihil tale modus corporis Christi patiatur.

112. Ad quintum in primis dico, Ethnicos & Judæos, simili argumento divinitatem Christi, & Incarnationis mysterium olim impugnasse: quare Augustinus Epist. 49. ait quòd *in Christum non crederemus, si fides Christianorum cachinnum metueret Paganorum.* Dicebant enim, Deum concipi, novem mensibus in utero mulieris portari, in cunis vagire, esurire, algere, crucifigi, mori &c. Dei majestate prorsus indignum videri. Unde sicut Tertullianus in libro de carne Christi, ita respondet Marcioni: *Quid indignius est Deo, & magis erubescendum; nasci, an mori; carnem gestare, aut crucem; circumcidi, an suffringi; educari, an sepeliri; an praesepi deponi, an in monumento recondi?* Ita nos respondemus Calviniſtis: quid est indignius Deo, & magis erubescendum, esse in utero mulieris, aut in ventre nostro; ingredi per os nostrum, an exire per vias partus; decidere in terram, an tolli in crucem; sumi sine contumelia à muribus, an contumeliosè inter latrones crucifigi. Atqui si Deus illa non pertulisset, salutem non haberemus; si hæc non ferret, vitam non haberemus, quia nihil est indignum, nihil molestum Deo, quod nobis utile est. Addit idem Author ibidem, mysteria nostræ fidei eo ipso Dei majestate maximè digna esse, quòd eorum dignitas ita sit supra rationem humanam elevata, ut videatur potiùs indignitas, si per eam duntaxat consideretur: *Quodcunque* (inquit) *Deo indignum est, mihi expedit. Salvus sum, si non confundar de Domino meo. Natus est Dei Filius: non pudet, quia pudendum est. Et mortuus est Dei filius: prorsus credibile est, quia ineptum est. Et sepultus resurrexit: certum est, quia impossibile.* Et lib. 2. contra Marcionem ait *assumpsisse Deum quædam sibi indigna, nobis autem necessaria, & ideò jam Deo digna; quia nihil tam Deo dignum, quam salus hominis.* Item in libro de resurrectione carnis docens quomodo paganorum scommata & facetias refellere debemus: *Ansim* (inquit) *dicere, si hæc carni non accidissent, benignitas, & gratia, & misericordia, & omnis vis Dei vivifica vacavisset*, id est defuisset. Idem in præsenti dicere possumus: si Christus in Eucharistiæ sacramento non se ita demisisset, omnis vis carnis ejus vivifica defuisset, qui enim non manducat carnem filij hominis, vitam non habet. Sicut ergo charitas erga homines, & nostræ salutis desiderium, Christum ad ea impulit, quæ ejus majestate Judæis & Gentilibus indigna visa sunt: ita & ad Eucharistiæ sacramentum instituendum, in quibus variis indignitatibus voluit subjici, quæ furor & insania hæreticis videntur, sed quæ infinitam ejus sapientiam mirum in modum commendant, ut egregiè declarat Augustinus concione 1. in Psalmum 33. cui titulus est: *Psalmus David, cùm mutavit vultum suum coram Abimelech, & dimisit eum, & abiit*, Qui Psalmus ex ordinatione Apostolorum in primitiva Ecclesia canebatur, cùm fideles ad sacram synaxim accedebant, ut refert S. Clemens in libro de Constitutionibus Apostolicis. Sic ergo ait: *Quasi furor & insania videbatur dare carnem suam manducandam hominibus, & bibendum sanguinem. ..... Sed Regi Achis, id est stultis & ignorantibus. Dixerunt enim, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Arreptitium putabant Dominum, & nescire quid loquerentur, & insanire: ille autem qui noverat quod dicebat, in illa mutatione vultûs sui, & quasi furore & insania, Sacramenta praedicabat.* Notant etiam aliqui, quòd quando David coram Rege Abimelech stultitiam simulavit, *diffluebant salivæ ejus in barbam*, ut ait Scriptura: quia cùm saliva sit signum infantiæ, barba verò sapientiæ, & ætatis virilis: verba Christi quæ puerilia videbantur, quando carnem suam manducandam promittebat, infinitam ejus sapientiam & potentiam mirum in modum commendabant.

113. Respondeo secundò, negando ex vera & reali Christi manducatione sequi absurda illa & inconvenientia quæ objiciuntur ab hæreticis: cùm enim Christus existat in Eucharistia, modo non passibili, sed impassibili, nullo modo lædi potest, proinde proptiè loquendo non cadit in terram, nec pedibus conculcatur, aut dentibus atteritur, sed ista omnia penes solas species fiunt. Cujus exemplum habemus in homine; licèt enim ipso cadente, corpus cadat, ânima tamen in corpore existens non dicitur propriè cadere, sed tantùm per accidens, ad motum corporis. Non alteratur etiam aut corrumpitur corpus Christi in stomacho, per manducationem; sed integrum & incorruptibile perseverat, juxta id quod Beatus Andreas Ægeæ Proconsuli, ut Diis suis immolaret hortanti, respondit: *Deo qui vivus & verus est quotidie immolo, non taurorum carnes, aut hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari, cujus carnes postea quam omnis populus credentium manducaverit, agnus qui sacrificatus est, integer perseverat & vivus.* Unde Cyprianus de cœna Domini: *Integer erogatur, distributus non dilaceratur, incorporatur & non injuriatur, recipitur, & non includitur.* Et Augustinus apud Bedam in cap. 10. prioris ad Corinthios: *Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur ut manducetur, sed mortuus vivificat: quando manducatur, reficit, sed non deficit. Non ergo timeamus fratres manducare istum panem, ne fortè finiamus illum, & postea quod manducetur non inveniamus: manducatur Christus, vivit manducatus, quia resurrexit occisus.* Item corpus Christi, cùm sit glorioſum & incorruptibile, in substantiam ipsorum sumentium non transit, sed eos potiùs in se spiritualiter mutat, ut docet idem Sanctus Doctor lib. 7. Confession. capite 10. ubi loquens in persona Christi, sic ait: *Cibus ego sum grandium, cresce & manducabis me; nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Similia tradit Leo Papa Serm. 15. de passione, his verbis: *Non aliud agit participatio corporis & sanguinis Christi, quàm ut in id quod sumimus transeamus.*

114. Demum quod hostia consecrata putrefieri vel corrumpi possit, nihil indecens infert quod veritati

veritati consecrationis, & veræ ac reali Christi sub speciebus Eucharisticis præsentiæ adversetur, ut hæretici objiciunt; quia in corpus Christi putrefactio illa seu corruptio non redundat, sicut nec in ipsius divinitatem, propter intimam unionem, injuriæ humanitatis, vel corporis infirmitates ac passiones redundabant. Sic Sol in cœno sine sordibus volutatur, nullam contrahens inde fœditatem, ut Basilius occasione Incarnationis exaggerat, & huc accommodari potest. Sic in medio rubi flammei & ardentis Angelus qui personam Dei reptæsentabat, nullam sentiens læsionem, ut Exodi 3. videre est. Quid ergo metuendum, ne quid ex illa hostiarum corruptione vel putrefactione Christus indignum patiatur. Unde Guitmundus de veritate Eucharistiæ lib. 2. statim post initium, objicienti Berengario, *Quòd caro Christi est incorruptibilis, patet autem corrumpi sacramentum, si diutius asservetur*, ita respondet: *O lingua blasphemiis assueta! promptior ad extorquendam superbè de Scripturis Dei suam perditionem, quàm ad perficiendam cum fidelibus suavem refectionem!* Et paulò post: *Nobis panis ille cœlestis, illa Eucharistia, divinum illud manna, quod immaculati agni carnem, impassibilem factam de sacris altaribus sumimus, per quod & vivimus, & à corruptione sanamur, nunquam corrumpitur, nunquam putrescit &c.*

ARTICULUS XIV.

Solvitur alia objectio hæreticorum, & consensus Ecclesiæ Græcæ cum Latina, quoad transubstantiationem, & realem Christi præsentiam in Eucharistia, breviter demonstratur.

115. CUm Petrus Martyr, Kemnitius, & Calviniſtæ, Catholicis nonnunquam objiciant, Græcos à transubstantiatione semper abhorruisse, eosque realem Christi in Eucharistia præsentiam semper negasse, ut hujus objectionis, seu potiùs imposturæ & mendacij, falsitas apertè constet, hic breviter demonstrandum suscipio, Ecclesiam Græcam, quoad illa duo fidei nostræ dogmata, consentire cum Latina, & nusquam inter Latinos & Græcos fuisse controversiam, an panis verè & subſtantialiter mutaretur in corpus Domini, vel an Christi caro & sanguis sub speciebus Eucharisticis realiter existerent

116. Plura igitur hujus Ecclesiæ Græcæ cum Latina consensûs afferri possunt argumenta, seu testimonia, quæ videri possunt apud Bellarminum, lib. 3. de Eucharistia cap. 21. aliqua solùm hic subjiciam, quæ satis recentia sunt. Primum sumitur ex censura Orientalium ad Augustanam confessionem. Cùm enim Lutherani Augustanam confessionem ad Patriarcham Constantinopolitanum, aliosque Episcopos Græcos misissent, ut controversiarum quas circa transubstantiationem panis & vini in corpus & sanguinem Christi nobiscum habent, eos judices constituerent, Censuram pro approbatione remiserunt, & inter alia, hæc ad eos referipserunt: *Multa de vobis referuntur, quæ nobis nullo pacto probari possunt. Ecclesiæ igitur sanctæ illud judicium est. In sacra Cœna, post consecrationem & benedictionem, panem in illud ipsum corpus Iesu Christi, vinum autem in illius sanguinem, virtute Spiritus Sancti transire, ac immutari.* Et paulò post dicunt, corpus Christi non descendere de cœlo, ut in Eucharistia præsens adsit, sed fieri præsens, per transmutationem, & transitionem panis in corpus. Item ibidem asserunt; sub speciebus panis verum corpus Domini contineri.

117. Secundum testimonium sumitur ex Petro Arcudio, Authore Græco, qui in libro de concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis in septem Sacramentorum administratione libro 3. cap. 2. hæc scribit: *In Sacramento Eucharistiæ in primis Græci agnoscunt, & amplectuntur, quin & firmissimè credunt veram* μετουσίωσιν, *transubstantiationem, ut satis constat ex antiquis, & omnium ætatum Patribus Græcis, novissimè autem ex ipsomet Jeremia Patriarcha Constantinopolitano in cap. 10. suæ Censuræ contra Lutheranos. Et quamvis eo nomine non utantur, sunt tamen authores aliorum nominum quibus eam, quantùm fieri possit, appellant & exprimunt. Dicunt enim* μεταβάλλεσθαι καὶ μεταβολὴν μεταποιεῖσθαι ἢ μετατοίπσιν μεταβαίνειν ἢ μετάβασιν μεταρρυθμίζειν, μετασυνάζειν μετασοιχειοῦν τελείωσιν καὶ τελειοῦν μετένεξιν, *aliaque id genus. Offert autem hujusmodi exemplum Chrysostomus ad declarandam hanc miram mutationem homiliâ 5. de Pœnitentia seu de Eucharistia in Enceniis:* ὥσπερ κηρὸς πυρὶ προσομιλήσας, οὐδὲν ἀπουσιάζει οὐδὲν σβεσθεὶς; οὕτω καὶ ὧδε νόμιζε συναναλίσκεσθαι τὰ μυστήρια τῇ τοῦ σώματος οὐσίᾳ. *Sicut cera igni adhibita nihil substantiæ remanet, nihil superfluit, sic & hic puta mysteria consumi, corporis substantiâ.*

Hoc quidem notandum fuit, non propter Latinos, qui Græcos in hoc dogmate socios habent, & orthodoxè sentire judicant, sed propter hæreticos, qui propria dedecora aliis adscribere non erubescunt; Petrum, inquam, pseudomartyrem, qui in libro contra Stephanum Gardinerum objecto 128. nimiâ impudentiâ dicit, Græcos abhorruisse à transubstantiatione. Et Kemnitium, qui similiter, ut est hæreticis familiarissimum, mentitur Græcos in Concilio Florentino admittere noluisse mutationem panis in corpus Christi. Nam in eo Concilio (quod græcè scriptum, beneficio Græcorum extat, & licet cuilibet perspicere verum) non fuit quæstio: An panis verè & subſtantialiter verteretur in corpus Domini, prout neque ullo in alio Concilio, seu tempore, Latini cum Græcis hanc controversiam disceptarunt, sed quibusnam verbis illa ineffabilis mutatio fieret, in controversiam venit.

Porro Græci Patres, uno excepto Marco Ephesino, magnificè se sentire de verbis Domini, quibus solis fieret corpus Christi, professi sunt, & argumenta in contrarium ex liturgia sumpta, fortia in specie, solida solutione profligarunt. Cæterùm ne dicant hæretici; propterea non describi loca ex libris Sanctorum Patrum de hac miranda mutatione, quod ea in eorum scriptis non extent, pauca ex multis subjiciam. Et statim profert verba Cyrilli Jerosolymitani in Catechesi quarta & quinta mystagogica, Gregorij Nysseni oratione Catechetica capite 37. Chrysostomi homiliâ 82. in Matthæum, Damasceni libro 4. de fide capite 14. Theophilacti in caput 14. Marci, & tandem septimæ Synodi actione sextâ.

118. Tertium testimonium sumitur ex Synodo habita Constantinopoli anno 1642. sub Parthenio Patriarcha Constantinopolitano: cùm enim à

Universidad de Deusto
Biblioteca

triginta ferè annis Batavi Cyrillum Patriarcham Constantinopolitanum dolo fefellisſent, & ab ipso in extrema senectute constituto, suæ confessionis fidei testimonium, manu ipsius scriptum & firmatum accepissent, quod apud Batavos & Gallos tanquam Orientalis Ecclesiæ unam sententiam & fidei confessionem ostentabant: Tunc Parthenius Cyrilli successor, cùm dolum & fraudem animadvertisset, Constantinopoli anno 1642. Concilium cogit in quo Calvinistarum doctrina omnino proscripta est. Sic verò habet Censura Concilij Articulo 17. Τὼ θέλω δὲ Εὐχαειστίαν ὅτω διαξέυγνύτιν, ὡς μηδὲν αὐτῆ ἕτερον εἰ μὴ τύπον ψιλὸν ἀγκαταλείπει, ὡς αἰ εἰ ἔτι τῇ σκιᾷ τῶ, παλαιῶ νόμω ἐλατρούομεν, ἀγάρ φησιν εἶναι σῶμα χρις ῦ ἀληθινὸν ἢ ὁρώμενον καὶ ἐνιαύσιον ἄρτον ὑδὲ ἀγιασθέντα, ἀλλὰ τὸ νούμενον πνευματικῶς εἰ μᾶλλον εἰπεῖν φαντοζόμενον, ὃ πάσης ἀσεβείας ἀνάπλεως; ὁ γὰ Ιησους ἐκέρασε τοῦ τό ὅδιν ὁ τύν Θ τοῦ σώματος μου, ἀλλα τοῦ τό ὅδι τό σῶμα μου, καὶ τοῦ τό ὅδι τὸ αἷμά μου. Τοῦτο δηλαδὴ τὸ ὁρώμενον, ᾗ λαμβανόμενον ᾗ ἐδιόμενον, καὶ πλῶμον ἀγιασθὲν ὑδὲ ᾗ ἐυλογηθὲν. *Divinam Eucharistiam ita discerpit, ut nihil ipsi aliud, nisi figuram vacuam relinquat, ac si adhuc umbræ veteris legis serviremus. Non enim dicunt, panem quem jam sanctificatum videmus, & manducamus, esse corpus Christi verum; sed intellectum spiritualiter, aut potiùs phantasticum; quod summæ impietatis est. Non enim Iesus dixit, hoc est corporis mei typus; sed hoc est corpus meum, hic est sanguis meus: hoc scilicet quod videmus, quod accipimus, quod manducamus, quod franginus, cum jam sanctificatum & benedictum est.*

119. Alia profert testimonia Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus in eximio libro quem nuper edidit de perpetuitate fidei Catholicæ de Eucharistia: aliqua tantùm hic exscribam, quæ certiora videntur ac illustriora. Primum sumitur ex litteris à Paniotta Nicusio scriptis Andrianopoli 20. Decembris 1671. & ad Excellentissimum Dominum Carolum Franciscum Olier, Marchionem de Nointel, sacræ Majestatis Christianissimæ ad Portam Ottomanam legatum, missis, in quibus sic ait: *Vir excellentissime, cur non pudeat Calvinianæ hæreseos sectatores, post tot Ecclesiæ Orientalis contra eos factas demonstrationes, post tot actus synodales typis evulgatos, post Cyrillianæ Confessionis damnationem, post Meletij Sirigi Doctoris Ecclesiæ Orientalis prolixam ipsius refutationem, post denique sæpè memoratæ Ecclesiæ fidei suæ confessionem, omnium ferè Antistitum suorum unanimi consensu & confirmatione nuperrimè publicatam, tam impudenter & pertinaciter hanc Ecclesiam in consortium pernicioſarum hæreseon suarum advocare! Si enim Græcorum Ecclesiæ fidei confessionem scire cupiunt, quare eam solummodo à Cyrilli quater ob suspicionem hæreseos Sede Patriarchali à Græcis expulsi, post occisi, ac ultimò publico anathemati traditi, confessione petunt? Si quærunt quid de vera & substantiali Iesu Christi Servatoris, in divino Eucharistiæ mysterio præsentia, Græci credunt, inspiciant paulisper, libros officiorum sacerdotalium, quos ἱερολογία vocant, & perlegant orationes quas quilibet Sacerdos ante & post sacramentorum assumptionem tenetur absolvere.*

120. Refert etiam præfatus Author testimonium Patriarchæ Constantinopolitani, trium Expatriarcharum Constantinopolitanorum, Patriarchæ Alexandrini, & quinque supra triginta Metropolitanorum, quo suam de Eucharistia fidem his vocibus, subscriptionibus suis munitis, Constantinopoli in domo Patriarchali indictione vigesima, mensis Januarij anni 1672. luculentissimè expresserunt: *Quoad terribile Eucharistiæ sacramentum credimus, & sine dubitatione confitemur, vivum Domini nostri Iesu Christi corpus esse invisibiliter præsens præsentia reali in Sacramento. Nam operatione sanctissimi Spiritus, modo supernaturali & ineffabili, panis in proprium Iesu Christi corpus, & vinum in vivum ejusdem sanguinem, realiter, verè, & propriè commutantur. Credimus etiam integrum Christum offerri & seipsum offerre, ipsum integrum à recipientibus modo impassibili manducari. . . . . Sacramentum hoc vera adoratione dignum est, in eo enim non minori veneratione cultu, corpus Iesu Christi Salvatoris à Divinitate assumptum, prosequimur, quam ipsam Divinitatem adoramus. Pro omnibus Christianis Ortodoxis, cùm vivis, tum vitâ functis, in sacrificium offertur.*

Adducit etiam librum confessionis Orthodoxæ Dionysij Patriarchæ Constantinopolitani, cujus archetypus manuscriptus ad Regem nostrum Christianissimum nuper delatus est, in quo hæc habentur: *Animadvertendum est ut Sacerdos talem habeat intentionem, quod ipsa vera substantia panis & substantia vini transubstantientur in verum corpus & sanguinem Christi . . . . . Transubstantiantur panis in verum corpus Christi, & vinum in verum sanguinem Christi, remanentibus solùm speciebus visibilibus.* Quod multis ibi confirmatur, additurque huic mysterio exhibendum esse honorem qui debetur ipsi Christo. 121.

Item ibidem profert processum Synodalem à Dositheo Patriarcha Jerosolimitano, in ipsa synodi celebratione die 20. Martij 1672. editum cui & ipse Dositheus Patriarcha, & Nectarius Expatriarcha, & sex Metropolitani, & Archimandritæ, Presbyteri, Diaconi, & Monachi supra quinquaginta, subscripserunt. Titulus hujusmodi tractatus hic est: *Titulus fidei Orthodoxæ seu Apologia adversus hæreticos Calvinistas, Ecclesiam Orientalem, secum idem de Deo rebusque divinis sentire accusantes: editus est à Synodo Jerosolimitana, sub Patriarcha Dositheo.* In eo autem opere indignanti & ægro animo conqueruntur, quod Calvinistæ (*quos vaniloquos, Novatores, Hæreticos, mendacij architectos, apostatas, artificiosos scripturæ & Patrum, hæreticorum more, expositores* appellant) post Græcorum Patriarcharum declarationes, post typis editam Confessionem Orthodoxam, post reprobatas & anathemate perclusas Cyrilli Lucari, vel saltem illi attributas, impias responsiones, post solemnes Iconomachorum, & præsentiam corporis Christi in Eucharistia, & veram panis & vini in ejusdem corpus & sanguinem transubstantiationem negantium, singulis annis bis iteratas excommunicationes; post Gabrielis Archiepiscopi Philadelphiensis, Gregorij Protosyncelli, Theophani Patriarchæ Jerosolimitani clarissimas lucubrationes, Ecclesiam Græcam calumniarj non cessent. Fidem autem præsentiæ realis, & transubstantiationis, articulo decimo septimo tam clarè exponunt, ut nihil in Tridentino habeatur apertius. 122.

Ibi etiam legere est authenticum & perillustre Cruciadoris Patriarchæ Armeniorum testimonium, datum in civitate Sisensi anno 1672. quo Lutheranorum & Calvinistarum hæreses detestatus 123.

testatus, ait: *Fecit Deus ut natio nostra tantùm distet à talibus & similibus erroribus Calvinistarum & Lutheranorum quantùm cœlum à terris. . . . . Dicunt Corpus Christi non esse realiter in Eucharistia, sed panem tantummodo & vinum, figuras & signa corporis & sanguinis Jesu Christi, quæ vim & virtutem eorum recipientibus communicant . . . . . Dicunt substantiam panis & vini non converti in corpus & sanguinem Christi, sed panem & vinum manere post consecrationem. Missam non esse verum sacrificium propitiationis, nec debere offerri pro vivis & defunctis. Incongruum esse adorare Christum in Eucharistia, imò nec posse adorari sine idololatria.* Enumeratis deinde aliis hujusmodi hæreticorum erroribus, sic concludit: *Nos igitur suprascriptus Cruciador Patriarcha, una cum nostris Ecclesiasticis, Episcopis, Doctoribus, & Presbyteris, mox ut audivimus supra allatas propositiones, mendaciis refertas, horrendas, ac totaliter penitúsque contrarias Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ ejusdemque sectatoribus, ut patet singulis, pro viribus conati sumus è medio tollere ejusmodi errores ac spurcitias hucusque auribus nostris inauditas. Imò absit ut talium hæresum sola cogitatio in mentem nostram incidat; quin potiùs ab ipsis toto animo abhorremus tanquam à mortifero veneno, & adeò detestamur eas, ut ne quidem de ipsis aliquid audire velimus.* Cui censuræ quatuor Archiepiscopi, variique Sacerdotes subscripserunt.

124. Demum, pluribus aliis prætermissis, in prædicto libro de perpetuitate fidei, videri potest celebre testimonium Davidis Archiepiscopi civitatis Regiæ Spaham, ad Regem Christianissimum, à natione Armena quæ versatur in Persia missum; datum in conventu Episcoporum & Doctorum 10. Decembris anni 1671. in quo Calvinistas *Novatores, ponentes falsam impostu-ram, fingendo Armenos esse communicantes eorum malitiæ appellant.* Adduntque: *Credimus & dicimus Christum habere corpus & naturam humanam, quod largitur pretiosè omnibus dignè accipientibus, & habemus primum fundamentum in verbo Domini Matth. 26. Hoc est corpus meum, & sanguis meus, & non signum. Unde indubitatè adoramus Christum in illo sacramento, & ille qui talia non credit, sit ipsi idololatria, nobis verò fidelibus est salutaris atque optimus cultus. Pariter credimus esse veram propitiationem vivis & defunctis. . . . . Tales sunt intentiones, Potentissime Rex, Episcoporum & Doctorum Ecclesiæ Armenæ, quibus breviter ostendimus veracitati vestræ, quod non sumus tales, ut diffamarunt nos receptores talia enormia.* Contra tam expressa, authentica & illustria testimonia, nihil certè habent Claudius, & alij hæreticæ pravitatis Ministri, quo se tueantur, præter animi pertinaciam. Unde *cum istis* (ut verbis Augustini utar) *non tam disputationibus quam orationibus est agendum: plus eis sine dubitatione præstamus, si ut convertantur oremus. Ne cum tantis ingeniis vel pereant, vel alios perdant præsumptione damnabili.*

DISPUTATIO II.

De sacramento Eucharistiæ secundùm se.

Ad quæstionem 73. Divi Thomæ.

DE venerabili Eucharistiæ sacramento, secundùm se considerato, agit D. Thomas 3. parte qu. 73. ubi de ejus existentia, essentia, unitate, necessitate, institutione, nominibus, & figuris disserit. De his pariter in hac disputatione nobis incumbit agendum, invocatâ priùs hujus admirabilis sacramenti gratiâ verbis Divini Areopagitæ qui cap. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, acturus de Eucharistia, sic præfatur: *Emitte ô Deus tuam bonam gratiam, χαρὶν σοῦ τὼ ἀγαθὴν, & revelans involucra ænigmatum, quæ symbolicè hoc sacrificio circunvocantur, clarè te ipsum nobis ostende, & imple oculos luce illa incomprehensibili &c.*

ARTICULUS PRIMUS.

In quo essentialiter constat sacramentum Eucharistiæ, & pro quo supponat?

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententiæ.

EUcharistiam esse verum & proprium novæ legis sacramentum, ut certum & indubitatum supponimus; licèt enim hoc nomine in Scriptura non appelletur, ex ipsa tamen apertè colligitur, convenire Eucharistiæ quidquid ad rationem sacramenti pertinet; nimirum esse signum sensibile, à Christo permanenter institutum, ad significandam & efficiendam gratiam. Dicit enim Joan. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. . . . . Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ubi nomine *panis* aliquid sensibile designatur, & per *vitam*, ipsa gratia, quæ est vita spiritualis animæ, significatur. Constanter autem & permanenter usque ad mundi finem institutam fuisse, significavit Christus Lucæ 22. quando post consecrationem addidit: *hoc facite in meam commemorationem.* Quod interpretans Paulus 1. ad Corinthios 11. *Quotiescumque* (inquit) *manducabitis Panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*, in fine sæculorum, ad mundum judicandum: Ergo ex Scriptura evidenter colligitur, Eucharistiam esse verum & proprium novæ legis Sacramentum. Quod ita manifestum est, ut Vazquez hic disputatione 167. cap. 1. fusè contendat, nullum hæreticum in speciali negasse Eucharistiam esse sacramentum; licèt plures malè senserint de reali præsentia Christi in ea. Imò addunt aliqui, ipsum Mahometum cap. 4. Alcorani fateri, hoc sacramentum esse veneratione dignum, ut notat Prateolus lib. 11. verbo *Mahometes* prope finem. Nulla ergo de hujus sacramenti existentia est inter

Universidad de Deusto
Biblioteca

inter Catholicos controversia : sed gravis difficultas est in explicando, in quo consistat formaliter. Ratio dubij est, quia in hoc sacramento multa concurrunt, scilicet species consecratæ, verba quibus consecratur corpus Christi sub speciebus contentum, usus seu sumptio; de quibus dubitari potest, utrum pertineant ad essentiam hujus sacramenti, vel in quo ex illis consistat.

2. In primis enim hæretici nostri temporis, Lutherani scilicet, Zuingliani, & Calvinistæ, existimant hoc sacramentum non consistere in aliqua re permanente, sed in solo usu, seu sumptione; ita quòd sicut aqua in Baptismo non habet rationem sacramenti, nisi quando actu applicatur; ita (inquiunt) panis Eucharisticus non habet rationem sacramenti, nisi quando actu manducatur, non verò quando conservatur in pixide.

3. Ex Catholicis verò, qui universaliter tenent hoc sacramentum in aliqua re permanente consistere, Aureolus apud Capreolum in 4. dist. 8. art. 2. docere videtur sumptionem esse partem integrantem hujus sacramenti, eo modo quo satisfactio est pars integralis sacramenti Pœnitentiæ. Alij verò, ut Cornejo, Delugo, & Bernal, docent consecrationem, seu actionem quâ panis & vinum in corpus & sanguinem Christi convertuntur, intrinsecè & essentialiter concurrere ad constitutionem sacramenti Eucharistiæ.

4. Demum inter Thomistas & Recentiores controversia est, an corpus & sanguis Christi in recto pertineant ad constitutionem sacramenti Eucharistiæ, vel solùm in obliquo & de connotato. Alanus enim, Suarez, Vazquez, Sylvius, & alij, docent sacramentum Eucharistiæ esse quoddam compositum resultans ex speciebus consecratis, & corpore Christi in eis contento; ita quòd Christus etiam in recto pertineat seu concurrat ad hoc sacramentum constituendum. Thomistæ verò asserunt sacramentum Eucharistiæ solùm supponere pro speciebus consecratis, in obliquo tamen & de connotato importare corpus Christi ut contentum; consecrationem ut actionem per quam efficitur, seu conficitur; & ipsam sumptionem, tanquam aliquid ad quod ordinatur; ita quod ordo ad ista sit essentialis huic sacramento, non tamen componatur ex illis, tanquam ex partibus essentialibus, aut integralibus.

§. II.

Rejectis aliis sententiis, vera statuitur.

5. DIco primò : Sacramentum Eucharistiæ in solo usu seu sumptione non consistere.

Conclusio est certa de fide, & definita in Tridentino sessione 13. can. 3. his verbis : *Si quis dixerit peractâ consecratione in admirabili Eucharistiæ sacramento, non esse corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post, & in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit.* Et cap. 3. sic ait : *Illud in Eucharistia excellens & singulare reperitur, quòd reliqua sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis author ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbebat; & semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem, sub panis & vini specie, una cum ipsius anima, & Divinitate existere.* Quibus verbis Concilium hanc rationem insinuat, quâ probatur primò nostra conclusio. Tunc censetur esse sacramentum Eucharistiæ, quando verum est illi adesse corpus & sanguinem Christi : Sed ante usum & sumptionem, verum est in Eucharistia corpus & sanguinem Christi contineri. Ergo ante usum & sumptionem, est Eucharistiæ sacramentum. Major patet, hæretici enim, præsertim Lutherani, & Zuingliani, ideò volunt hoc sacramentum consistere in solo usu, quia existimant tunc tantùm in eo esse corpus & sanguinem Christi. Minor verò sic ostenditur. Tunc aderat in nocte cœnæ corpus Christi, quando hæc verba prolata sunt, *Hoc est corpus meum*; si enim tunc non adfuisset, hæc tota propositio fuisset falsa, & Christus mendacium protulisset : Sed antequam comederetur & biberetur, Christus protulit illa verba : Ergo erat ei præsens ante sumptionem; & consequenter etiam modò quando proferuntur verba à Sacerdote. Minor patet, præsertim de calice siquidem Apostoli omnes successivè ex uno & eodem calice biberunt, nec Christus protulit verba, nisi semel.

6. Negant Minorem utriusque argumenti Sectarij, sed in reddenda ratione negati differunt : Aliqui enim dicunt, quòd Christus non priùs verba consecrationis protulit, quàm cibum & potum Discipulis suis dederit; idque probant ex verbis Matthæi 26. ubi sic legitur : *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait accipite & comedite, Hoc est corpus meum.* Alij verò fatentur quidem cum Calvino, verba illa, *Hoc est corpus meum*, prolata fuisse ante manducationem, sed dicunt non fuisse impleta & verificata nisi in ipsa manducatione; idque probant, quia cùm aliquid promittitur sub conditione præcepti, non impletur promissio, nisi præceptum impleatur : Christus autem simul conjunxit promissionem & præceptum : promissio enim fuit, *Hoc est corpus meum*; præceptum verò, *Accipite & comedite*, & consequenter corpus Christi non fuit præsens vel significatum, nisi cum Apostoli acceperunt & comederunt panem.

7. Sed contra primam responsionem est, quod non ex ordine verborum scripturæ, sed ex eorum sensu & significatione colligi debet quid Christus priùs, & quid posteriùs in sacra cœna fecerit; alioquin cùm Marcus cap. 14. sic habeat de calice : *Gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis, hic est sanguis &c.* liceret inferre, Christum nonnisi post actionem bibendi, verba consecrationis protulisse; quod tamen falsum esse debet, etiam apud hæreticos; alias enim pronomen, *hic*, non demonstrasset; nec Apostoli sumpsissent sacramentum : Debet ergo ex solo sensu verborum Scripturæ, colligi ordo eorum quæ à Christo in ultima cœna facta sunt : sensus autem cogit ut dicamus priùs verba consecrationis à Christo fuisse prolata, quàm dederit Discipulis cibum & potum, quia nimirum illa verba, *Accipite & manducate, hoc est corpus meum*, continent rationem, cur debuerit comedi ille cibus, ut denotat illa particula causalis, *enim*, priùs autem debuit ratio illa ab audienti

audientibus percipi, quàm eis daretur cibus ille manducandus, ut videlicet scirent quid acciperent. Addo quòd, si invitantur ad manducandum, quia est corpus Christi; & ad bibendum, quia est sanguis; priùs fuit sanguis & corpus Christi, quam biberent & manducarent.

8. Quoad secundam responsionem, ex eo impugnatur, quòd si verba illa, *Hoc est corpus meum*, continerent promissionem, deberent exprimi per verbum futuri temporis, sicut fit in aliis promissionibus; sic enim de Baptismo loquitur; *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit* : At Christus non dixit, *Hoc erit corpus meum*, sed *Hoc est corpus meum* : Ergo verba illa promissionem non continent.

9. Probatur secundò conclusio ex SS. Patribus : Cyrillus enim in Epistola ad Calosyrium, de quibusdam qui dicebant quòd corpus Christi non remanebat sub hoc sacramento, si in crastinum reservetur, quia (inquiebant) de Agno paschali qui erat figura hujus sacramenti, non remanebat quidquam usque mane, ut præcipitur Exodi 12. de illis, inquam, qui id asserebant, sic ait : *Insaniunt quidam dicentes mysticam benedictionem cessare à sanctificatione, si quæ ejus reliquiæ remanserint in diem subsequentem : Non enim mutatur sacramentum corporis Christi, sed virtus benedictionis, & vivificativa gratia jugis est.* Item Clemens Epist. 2. quæ inscribitur ad Jacobum fratrem Domini dicit : *Reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniatur; ne cùm id negligenter agitur, Corpori Domini gravis injuria inferatur.* Et Constitutionum Apostolicarum lib. 8. cap. 13. *Sumant Diaconi reliquias, & in tabernaculum inferant, &c.* Tabernaculum autem intelligit armariolum sive arculam, in qua propter varios usus, & nominatim propter communionem infirmorum, sacræ hostiæ reconduntur & asservantur, sicut jam olim asservari solebant. Inde usus argentearum vel aurearum Columbarum, id est vasorum vel pixidum, quæ sub illa figura, in symbolum Spiritus Sancti formabantur, ad sacram ibi Eucharistiam asservandam. Hinc etiam in primitiva Ecclesia usus Turrium argentearum, in quibus corpus Christi asservari solebat, ut colligitur ex Gregorio Turonensi libro de gloria Martyrum cap. 86. ubi sic ait : *Acceptâ turre in qua ministerium (seu mysterium) Dominici corporis habebatur, ferre hanc ad ostium cœpit Diaconus, ac templum egressus est, ut eam altari superponeret.* Inde pastophorij quoque nomen, quod juxta græcum παστοφόριον, sponsi thalamum significat, & propterea illi arculæ vel pixidi olim inditum, in qua includebatur corpus Christi asservandum. Hinc denique Ciborij nomen, quo passim à Latinis eadem pixis vel arcula appellari solet, eò quòd verum animæ cibum contineat, scilicet Christum, qui Joan. 6. ait : *Caro mea verè est cibus.* Ex quibus omnibus apertè constat, semper in Ecclesia Dei creditum esse, quòd non simul cum usu desinat esse corpus Christi in Sacramento Eucharistiæ, sed quòd permanenter in eo conservetur. Unde Tertullianus libro 2. ad uxorem, innuit, fuisse olim moris, ut fideles Eucharistiam secum deferrent, quam opportuno tempore reciperent. Basilius in Epistola ad Cæsariam patritiam testatur, Anachoretas qui non poterant commodè sæpiùs Ecclesiam frequentare, consuevisse Eucharistiam secum in eremum deferre. Ambrosius in oratione de Obitu Satyri fratris sui cap. 7. scribit, eum in orario involutam Eucharistiæ particulam suspendisse ad collum suum, in periculo naufragij, & eo auxilio fretum, se dejecisse in mare, ac liberum ad littus evasisse. Augustinus libro 2. de visitatione infirmorum cap. 4. dicit salutare esse ut corpus Domini servetur in gratiam infirmorum. Justinus Martyr, qui vixit primo sæculo post Apostolos, in secunda Apologia prope finem, scribit post sacra peracta in Ecclesia, Eucharistiam dari consuevisse Diaconis, deferendam ad absentes, qui impediti fuerant ex causa rationabili, ne celebrationi mysteriorum interessent. Demum Sanctus Hieronymus Epistolâ ad Rusticum, laudat S. Exuperium, Episcopum Tolosanum, quòd ob inopiam voluntariam cogeretur Christi corpus in canistro portare. Verba ejus sunt : *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.*

10. Probatur tertiò conclusio ratione fundamentali : Eucharistia est sacramentum per modum cibi spiritualis animæ : Ergo sicut cibus naturalis, ante actualem manducationem, ita est cibus completè habens virtutem adæquatam ad nutriendum, ut ipsa manducatio sit tantùm conditio necessaria, ut de facto nutriat, non verò pars intrinseca essentialis, vel integralis : ita similiter Eucharistia ante sumptionem, sic est completè cibus, habens virtutem adæquatam ad spiritualiter animam reficiendam, ut ejus sumptio, sive usus, sit tantùm conditio requisita ut virtus ejus habeat suum effectum. Ex quo confutata manet sententia Aureoli, asserentis sumptionem esse partem integralem sacramenti Eucharistiæ.

11. Dico secundò : Consecratio non est pars intrinseca, constituens sacramentum Eucharistiæ, sed duntaxat aliquid essentialiter ab eo connotatum, per modum fieri & viæ ad ipsum.

Probatur breviter : Actio per quam conficitur cibus corporalis, non est cibus ipse factus, neque aliquo modo illius pars, sed solùm aliquid in obliquo connotatum, per modum fieri cibi, & viæ ad ipsum : At Eucharistia est instituta ut alimonia & cibus spiritualis : Ergo consecratio, quæ est actio per quam conficitur, non est pars sacramenti, sed duntaxat aliquid connotatum, per modum fieri & viæ antecedenter se habentis.

Confirmatur : Sicut in Confirmatione consecratio materiæ, quamvis simpliciter necessaria sit, & ad valorem sacramenti, & ad fructum ejus recipiendum; non est tamen pars intrinseca sacramenti, quia remotè tantùm ordinatur ad sanctificationem fidelium : ita quia in sacramento Eucharistiæ, consecratio non ordinatur immediatè ad sanctificandos fideles, sed ad sanctificandam materiam, quæ deinde cedit in sanctificationem fidelium, non potest dici pars intrinseca hujus sacramenti.

12. Dico tertiò, corpus & sanguinem Christi, neque esse sacramentum Eucharistiæ, neque partem intrinsecam & essentialem illud componentem.

Probant hanc conclusionem aliqui ex nostris Thomistis, ex eo quòd corpus Christi non est quid sensibile, ut est in hoc sacramento : de ratione autem sacramenti, aut partis ipsius essentialis, est quòd sit aliquid sensibile. Verùm hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratio non multùm urget, quia licèt corpus Christi non sit sensibile per se, est tamen sensibile ratione specierum : ut autem aliquid sit pars essentialis sacramenti, sufficit quòd sit sensibile per aliud, ut patet manifestè in contritione, quæ non est sensibilis per se, sed tantùm ratione alterius, & tamen juxta communem sententiam, etiam Thomistarum, contritio est pars essentialis sacramenti Pœnitentiæ ; nam id quod est sacramentum tantùm in pœnitentia, integratur ex actibus pœnitentis, contritione scilicet, & confessione, tanquam ex materia ; & ex absolutione Sacerdotis, tanquam ex forma. Unde hac ratione prætermisså.

13. Melius probatur conclusio, supponendo duo quæ admittuntur etiam ab Adversariis. Primum est, in hoc mysterio species consecratas esse sacramentum tantùm, corpus Christi rem & sacramentum simul, rem verò tantùm, esse ipsam gratiam cibantem. Ita docet D. Thomas hic art. 1. ad 3. & art. 6. & communiter Theologi cum illo. Secundum est, nos hîc loqui de constitutivo ejus quod est sacramentum tantùm. His præmissis.

Sic formatur ratio : Illud quod est res & sacramentum simul, non potest pertinere ad essentiam ejus quod est sacramentum tantùm, tanquam pars intrinseca : Sed corpus Christi contentum sub speciebus, est res & sacramentum simul, quia & significat gratiam cibantem, & significatur à speciebus consecratis : Ergo corpus Christi non est pars intrinseca ejus quod est sacramentum tantùm. Sicut ergo Baptismus non componitur ex ablutione & charactere, qui est res & sacramentum simul, sed solùm supponit pro ablutione sub præscripta forma verborum, in eaque sola essentialiter consistit : ita Eucharistia non componitur ex speciebus & corpore ac sanguine Christi, sed solùm supponit pro speciebus consecratis, in illisque essentialiter consistit, & ex illis ac corpore & sanguine Christi, solùm unum efficitur, sicut ex continente & contento.

14. Respondent Adversarij, negando Majorem ; nam contritio (inquiunt) est res & sacramentum simul in sacramento Pœnitentiæ, & tamen est pars essentialis ejus quod est sacramentum tantùm.

Sed contra primò : Cui convenit significare aliud, & significari ab alio, non convenit significare tantùm : Sed res & sacramentum simul, significat & significatur ; sacramentum verò tantùm, habet solùm significare : Ergo illud quod est res & sacramentum simul, non potest esse sacramentum tantùm.

Contra secundò : Implicat quòd effectus constituat suam causam, & sit pars intrinseca illius : Sed res sacramenti, est effectus sacramenti : Ergo implicat quòd illud constituat.

Confirmatur : Res sacramenti supponit sacramentum : Ergo non constituit, sed constitutum supponit. Unde ad illud quod objicitur de contritione, Respondetur, contritionem sub diversa ratione habere quòd sit sacramentum tantùm, & quòd sit res & sacramentum simul. Nam quatenus fit sensibilis per signa exteriora, & quodammodo concipitur, ut informis, id est ut non formata per gratiam, est sacramentum tantùm : est autem res & sacramentum simul, quatenus est formata per gratiam ; sive simpliciter & absolutè, ut quando est contritio imperfecta, seu attritio ; sive secundùm quid, quatenus magis augetur & perficitur, per receptionem sacramenti, ut in Tractatu de Pœnitentia latiùs exponemus.

Aliâ ratione potest breviter suaderi conclusio: 15.
Omnia sacramenta secundùm se tota, sunt quædam Dei instrumenta separata : At corpus & sanguis Christi, non sunt instrumenta separata, sed conjuncta divinitati : ergo neque sunt sacramentum Eucharistiæ, neque pars intrinseca illius. Unde Tridentinum sess. 13. can. 1. ait corpus & sanguinem Christi contineri in Eucharistiæ sacramento, nimirum sacramentaliter, ut declarat can. 8. Hæc autem locutio esset impropria, si corpus & sanguis Christi essent ipsum sacramentum Eucharistiæ, vel pars intrinseca illud componens, præsertim cùm pars in toto non contineatur sacramentaliter.

Dico ultimò : Sacramentum Eucharistiæ con- 16.
sistere in speciebus consecratis, & pro ipsis supponere. Ita communiter docent Discipuli D. Thomæ, præsertim Soto in 4. dist. 8. quæst. unicâ art. 1. ubi sic ait : *Sicut Sacramentum Baptismi supponit pro materiali ablutione, determinata per formam, quatenus est in fieri : ita sacramentum Eucharistiæ supponit pro materialibus speciebus consecratis per formam, quatenus permanenter continent corpus, &c.*

Ratio etiam id suadet : Sacramentum enim est 17.
signum rei sacræ hominem sanctificantis : Sed species consecratæ sunt hujusmodi ; significant enim gratiam ut cibantem hominem spiritualiter, subindeque ut sanctificantem ipsum : Ergo in ipsis consistit, & pro eis supponit sacramentum Eucharistiæ. Unde D. Thomas hîc art. 6. sic ait: *In hoc sacramento tria considerare possumus, scilicet id quod est sacramentum tantùm, quod est panis & vinum, &c.* Et in Prosa quam canit Ecclesia in festo Corporis Christi ibidem S. Doctor sic ait : *Fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento, tantùm esse sub fragmento, quantùm toto tegitur :* Sed solæ species franguntur, & tegunt Christum : Ego solæ species, Christum continentes & tegentes, sunt sacramentum Eucharistiæ, & pro ipso supponunt.

Confirmatur ex dictis in præcedentibus con- 18.
clusionibus : Sacramentum Eucharistiæ non supponit pro corpore & sanguine Christi, ut patet ex præcedenti conclusione. Nec pro verbis consecrationis, hæc enim transeunt, istud verò sacramentum permanet. Nec pro ipsa consecratione, seu actione conversiva panis & vini in corpus & sanguinem Christi ; cùm sit illa actio per quam conficitur Eucharistiæ sacramentum, non verò ipsum sacramentum, ut in secunda conclusione declaravimus. Nec pro sumptione, nam hæc supponit sacramentum jam confectum, & solùm est illius applicatio, & conditio ut causet gratiam in homine, ut in prima conclusione ostensum est : Supponit ergo pro speciebus consecratis, quæ eo ipso quòd tales sunt, ordinem dicunt continentis ad contentum, ad corpus & sanguinem Christi, sicque hæc, licèt non pertineant in recto ad hoc sacramentum, pertinent tamen ad illud in obliquo, quatenus continentur in illo. Ex quo plura solvuntur Adversariorum argumenta, ut patebit ex dicendis paragrapho sequenti.

§. III.

Solvuntur objectiones contra duas primas conclusiones.

19. OBjicies primò contra primam conclusionem : Baptismus, Confirmatio, & alia novæ legis sacramenta, consistunt in usu : Ergo & Eucharistia : omnia enim sacramenta novæ legis sunt ejusdem generis.

Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam ; licèt enim omnia sacramenta novæ legis sint ejusdem generis, non tamen ejusdem speciei. Rationem discriminis affert Divus Thomas hic art. 1. ad 3. quia scilicet Eucharistia continet rem sacram absolutè, nempè Corpus Christi, alia verò continent tantùm rem sacram, in ordine ad aliud, nempè virtutem ad sanctificandum eos quibus applicantur. Hinc enim fit quòd Eucharistia perficiatur in sola consecratione materiæ, alia verò in applicatione ad hominem sanctificandum. Nam ex eo quòd contentum in aliis sacramentis, non est sacrum absolutè, sed in ordine ad aliud, fit quòd debeant alteri applicari, ut illùd sacrum contineant, quia non continent illud, nisi ut viale & per modum transeuntis.

20. Objicies secundò : Cùm sacramenta pendeant à divina institutione, non existunt, si in illis conficiendis desit divina institutio ; Sed si non manducetur panis Eucharisticus, deest in conficienda Eucharistia divina institutio ; Christus enim instituendo hoc sacramentum, jussit panem accipi & manducari : Ergo sine manducatione, sive usu, non est sacramentum Eucharistiæ.

21. Confirmatur : Omne sacramentum novæ legis, debet esse signum effectivum gratiæ sanctificantis suscipientes : Sed Eucharistia non causat gratiam cibantem & nutrientem, nisi in actuali usu & sumptione : Ergo talis usus & sumptio, est pars essentialis, vel saltem integralis ipsius.

22. Ad objectionem respondeo, quòd etsi Christus instituerit usum Eucharistiæ, non tamen tanquam partem essentialem, vel integralem ipsius, quin potiùs sicut licèt natura instituerit seu ordinaverit cibum naturalem ad usum ; priùs tamen est verè & integrè cibus, quàm quis eo utatur. Ita similiter priùs est cibus Eucharisticus, sive sacramentum Eucharistiæ, quàm sumatur & manducetur.

23. Ad confirmationem dico, de ratione sacramenti non consistentis in usu, quale est Eucharistia, non esse quòd causet semper in actu secundo gratiam, sed sufficere quòd semper sit aptum eam causandi ; & de facto ipsam conferat, positis requisitis ; atque adeò posito usu, sive applicatione, tanquam conditione sine qua non.

24. Quæres, an Eucharistia causaret gratiam, si poneretur in stomacho hominis miraculosè, sine eo quod in illum per oris manducationem intraret, ut à probatis Authoribus refertur contigisse cuidam Comiti Gallo, juxta Massiliam : ille enim dum esset morti proximus, & malâ stomachi dispositione prohiberetur à communione, & receptione Eucharistiæ, quam ardenter exoptabat ; allatam sibi hostiam, & super stomachum positam, aperto divinitùs pectore suscepit, & statim obiit.

Respondeo negativè : cùm enim Eucharistia 25.
sit instituta per modum cibi spiritualis animæ, non confert gratiam sine actuali manducatione. Unde in illo miraculoso eventu, Deus suâ virtute, præter communes regulas, dedit effectum sacramenti, sine manducatione sacramentali, ex solo voto sacramenti, quia virtutem suam sacramentis non alligavit.

Objicies tertiò contra secundam conclusio- 26.
nem : In sacramento Eucharistiæ verba consecrationis sunt forma intrinseca : Ergo & pars essentialis : Ergo & ipsa consecratio, seu conversio panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens verò probatur ex Florentino dicente Sacramenta novæ legis perfici rebus ut materiâ, & verbis ut formâ : Ergo sicut in aliis sacramentis, verba sunt forma intrinseca, & pars essentialis, ita & in Eucharistiæ sacramento. Ratio etiam id suadet : Ideò enim in aliis sacramentis verba sunt forma intrinseca & pars essentialis, quia determinant materiam ad significandum gratiam sanctificantem : Atqui etiam in sacramento Eucharistiæ verba consecrationis determinant materiam, ad significandum gratiam ; Ergo sicut in aliis sacramentis verba sunt forma intrinseca, & pars essentialis, ita & in Eucharistia. Major patet, Minor probatur. Species non sunt significativæ gratiæ, nisi ratione consecrationis, quæ fit per verba determinata : Ergo species determinantur per verba ad significandam gratiam.

Respondeo negando Antecedens, ad cujus 27.
primam probationem desumptam ex authoritate Concilij Florentini, dicendum, propositionem Concilij asserentis sacramenta novæ legis perfici rebus ut materiâ, & verbis ut formâ, debere per distributionem accommodam, applicari diversimodè diversis sacramentis ; ita ut de illis quæ consistunt in usu, possit dici ipsa intrinsecè componi ex rebus & verbis ; de Eucharistia verò quæ non consistit in usu, extrinsecè tantùm ; propter rationes propositas, quæ oppositum concludunt de Eucharistia ac de aliis sacramentis. Potestque hæc solutio illustrari, ex eo quòd idem Concilium post verba relata, statim loquens de materia sacramenti Eucharistiæ, dicit esse panem & vinum quantùm ad substantiam, formam verò verba consecrationis : At constat illam materiam non esse intrinsecam huic sacramento, quia est tantùm materia circa quam versatur consecratio, & quæ per verba consecrationis destruitur : Ergo similiter ex eo quòd dicit verba consecrationis esse formam, non potest colligi quòd sint forma intrinseca.

Ad secundam probationem ex ratione petitam, respondeo illud esse discrimen inter sacramentum Eucharistiæ, & alia novæ legis sacramenta, quòd verba in Eucharistia efficiunt ipsum sacramentum, unde habent determinare materiam per modum efficientis, & consequenter extrinsecè, non autem per modum principij constitutivi : quare hoc argumento, solùm concluditur, species in Eucharistia non habere rationem sacramenti, nisi quatenus connotant & dicunt respectum ad verba per quæ determinantur ad significandum corpus Christi, & gratiam cibantem ; atque adeò verba solùm in obliquo debent dici pertinere ad essentiam hujus sacramenti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. IV.

Diluuntur argumenta contra tertiam conclusionem fieri solita.

28. COntra tertiam conclusionem in qua diximus corpus & sanguinem Christi neque esse sacramentum Eucharistiæ, nèque partem intrinsecam illius, objiciunt primò Recentiores plura SS. Patrum testimonia, quibus asserunt Eucharistiam componi seu constare ex speciebus & corpore Christi: dicitur enim in cap. *Hoc est* de consecrat. dist. 2. *Sacrificium Ecclesiæ duobus constare, scilicet visibili elementorum specie, & invisibili Domini Jesu carne.* Et Irenæus libro 4. cap. 34. ait, *Eucharistiam duabus rebus constare: terrenâ, & cœlesti.* Item Divus Thomas in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2. inquit *Ex speciebus & corpore Christi fit unum sacramentum.*

29. Verùm ad hæc facilè respondetur, has omnes locutiones à nobis admitti, sed non deduci ex illis, quòd sacramentum hoc, in recto, & prout in genere signi, componatur ex Christo, tanquam parte, aut tanquam ex constituente hoc sacramentum intrinsecè, sed tantum quòd Christus terminativè, ut rés contenta, & significata, subindeque extrinsecè & in obliquo, ad hoc sacramentum pertineat; sicut objectum pertinet ad specificationem actûs & potentiæ, & signatum ad speciem signi, & sicut contentum est terminus quem essentialiter respicit ipsa res continens. Unde D. Thomas paulò ante verba in objectione adducta, ait: *Sicut in aliis sacramentis ex elemento & virtute quasi unum efficitur.* Virtus autem per quam alia sacramenta elevantur, non est sacramentum, nec pars intrinseca componens illud, nec ad illud pertinet in recto, sed tantùm in obliquo: Ergo & in sacramento Eucharistiæ corpus Christi non se habet per modum partis intrinsecæ, sed solùm ad modum extrinseci connotati, seu per modum contenti, & significati.

30. Dices, D. Thomas loco citato asserit ex speciebus & corpore Christi fieri unum sacramentum: Sed ex speciebus consecratis & corpore Christi non potest fieri unum sacramentum, nisi utrumque sit pars intrinseca & essentialis ipsum constituens: Ergo etiam corpus Christi est pars intrinseca constituens & componens sacramentum Eucharistiæ, una cum speciebus.

31. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem; ut enim ex speciebus consecratis & corpore Christi, dicatur fieri unum sacramentum, sufficit quòd ipsæ species consecratæ connotent corpus Christi, ut rem ab ipsis contentam & significatam, subindeque quòd ipse Christus terminativè & in obliquo ad sacramentum Eucharistiæ pertineat.

Ex speciebus ergo in recto importatis, & corpore Christi in obliquo, fit unum sacramentum, eò quòd species non possint habere rationem sacramenti tantùm, nisi contineant ipsum corpus Christi, quia aliàs non significarent gratiam cibantem, cùm non habeant eam significare, nisi ex determinatione facta per verba, quæ ut verificentur, debent species realiter continere corpus Christi.

32. Ex his solutæ manent duæ rationes quas Vasquez hic disp. 165. cap. 5. adducit, & dicit esse evidentes. Prima est: Eucharistia est corpus Christi, seu constat corpore Christi, ut dicunt SS. Patres citati: Hoc sacramentum est Eucharistia: Ergo hoc sacramentum est corpus Christi, aut constat corpore Christi.

Secunda est: Spiritualis cibus constat corpore Christi: Hoc sacramentum est spiritualis cibus animæ: Ergo hoc sacramentum est corpus Christi, vel constat corpore Christi.

Hæ rationes (inquam) solutæ manent ex dictis. Ad primam enim respondetur Eucharistiam à SS. Patribus appellari carnem vel corpus Christi, per Metonymiam, tribuendo contento nomen continentis, qui est frequentissimus modus loquendi. Similiter cùm dicunt eam constare corpore Christi, solùm intendunt, eam constare corpore Christi, ut re per eam significatâ, & in ipsa contentâ; non verò ut parte intrinsecâ eam constituente & componente, ut jam exposuimus. Quod verò hæc interpretatio legitima sit, & menti SS. Patrum consona, ex eo patet, quòd etiam Patres & Ecclesia, passim asserunt, quòd Eucharistia continet corpus Christi, & quòd in hoc sacramento continetur corpus Christi: quæ locutiones (ut suprà annotavimus) essent valde impropriæ, si corpus Christi esset ipsum sacramentum Eucharistiæ, vel pars intrinseca illud componens.

Ad secundam similiter dico, spiritualem cibum animæ, constare corpore Christi ut contento & significato, non ut significante & continente; ideóque pertinere ad sacramentum Eucharistiæ, tanquam terminum significationis connotatum ab ipsa, non verò tanquam rationem significantem, vel constitutivam ipsius signi.

33. Dices, Si corpus Christi non pertineat ad sacramentum Eucharistiæ tanquam pars intrinseca essentialis, sed solùm tanquam connotatum essentiale in obliquo importatum, non magis pertinebit ad constitutionem Eucharistiæ, quàm gratia per eam causata, utpotè cùm gratia pertineat etiam in obliquo ad essentiam cujuslibet sacramenti, quia est terminus & objectum sacramenti: Consequens est hæreticum: Ergo, &c.

Respondeo negando sequelam, & paritatem Majoris: Ratio vero disparitatis est, quia corpus Christi pertinet essentialiter ad sacramentum Eucharistiæ, non solùm ut quid significatum, & causatum, sicut gratia, sed etiam ut quid realiter præsens & contentum formaliter sub ipsis speciebus consecratis.

§. V.

Solvuntur objectiones contra ultimam conclusionem.

CONtra ultimam conclusionem, in qua diximus sacramentum Eucharistiæ consistere in speciebus consecratis, & pro ipsis supponere, quædam fieri solent argumenta, quæ breviter hic proponemus, ac diluemus.

34. In primis ergo objicitur: Sacramentum Eucharistiæ secundùm se est adorandum vero cultu latriæ, ut docet Tridentinum sess. 13. cap. 5. Atqui species, etiam cum habitudine ad corpus Christi præsens, consideratæ, non debent adorari cultu latriæ; quia ut sæpè docet 7. Synodus, hoc cultu solus Deus adorari debet: Ergo species consecratæ, seu ut dicunt habitudinem ad corpus Christi præsens, non sunt ipsum Eucharistiæ sacramentum, nec pro illo supponunt.

Secundò,

35. Secundò, Materia hujus sacramenti est panis & vinum: Sed panis & vinum non sunt materia specierum consecratarum, cùm illæ neque fiant ex pane & vino; neque panis & vinum convertantur in ipsas: Ergo species consecratæ non sunt ipsum Eucharistiæ sacramentum.

36. Tertiò, Sacramentum Eucharistiæ conficitur per verba consecrationis: At hoc non convenit speciebus Eucharisticis, neque præcisè secundùm se consideratis, quandoquidem non fiunt, sed remanent; neque ut dicentibus relationem ad corpus Christi, cùm ad relationem non detur actio: Ergo idem quod priùs.

37. Quartò, Eucharistia est verus cibus animæ: At species consecratæ non sunt animæ cibus aut potus, sed duntaxat corpus & sanguis Christi: Tum quia Joan. 6. dicitur *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*: nullibi autem in Scriptura legitur quod species consecratæ sunt cibus & potus animæ. Tum etiam, quia gratia quæ animam spiritualiter cibat ac reficit, non producitur etiam instrumentaliter à speciebus consecratis, cùm id præstare nequeant, nisi mediante aliquâ virtute divinâ; quæ tamen superfluè omnino ipsis communicaretur, quandoquidem corpus, seu humanitas Christi sub illis contenta, sufficientem ad hoc habet virtutem: Ergo sacramentum Eucharistiæ non consistit in speciebus consecratis, neque pro ipsis supponit.

38. Ad primum respondeo primò, cum Marco à Serra, quod cùm Tridentinum docet sacramentum Eucharistiæ adorandum esse cultu latriæ, ibi accipitur continens pro contento; sacramentum scilicet, pro Christo in eo contento. Unde cùm doctrina illa reducitur ad definitionem, sic proponitur can. 6. *Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ sacramento, Christum unigenitum Dei Filium, non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, anathema sit.*

39. Respondeo secundò, concessa Majori, negando Minorem, nempe quòd species Eucharisticæ, ut continentes corpus & sanguinem Christi, non debeant adorari adoratione latriæ; cùm enim ex eo quòd contineant Christum, sint ei conjunctæ, objiciuntur adorandæ eodem actu quo Christus adoratur; adeò ut sicut qui adorat Verbum in carne, eodem actu adorat carnem ipsam; ita qui adorat Christum sub speciebus Eucharisticis, eadem adoratione adorat ipsas species. Pro cujus intelligentia.

40. Sciendum est, species Eucharisticas posse duobus modis adorari: vel simul cum ipso Christo, vel prout distinctæ à Christo, & præcisè propter dignitatem quam habent ex eo quòd ipsum contineant. Si adorentur simul cum Christo, quamvis res per se primò adorata sit Christus; concomitanter tamen, & quasi implicitè, atque adeò eodem cultu quo Christus, adorantur species illæ. Si verò adorentur ut distinctæ à Christo, fateor adorationem illam non esse latriæ perfectæ, sed hyperduliæ, quia licèt dignitas quæ provenit in illis speciebus ex conjunctione ad Christum, sit major omni excellentiâ & dignitate purè creatâ, & creabili, minor tamen est quàm dignitas Christi, secundùm se consideratâ; & in hoc sensu debet explicari septima Synodus.

41. Ad secundum dicendum, quòd licèt panis & vinum non sint materia specierum consecratarum, sunt tamen materia ex qua habent, quòd contineant corpus Christi, sive ex qua efficiuntur continentes corpus Christi, quod sufficit ut panis & vinum dicantur materia sacramenti Eucharistiæ.

42. Ad tertium respondeo species ut consecratas, sive consecrationem passivam specierum, ratione cujus ex continentibus substantiam panis, redduntur continentes corpus Christi, fieri per verba consecrationis, & consequenter resultare relationem earum ad corpus Christi præsens.

43. Ad quartum nego Minorem, non solùm enim caro & sanguis Christi, sed etiam species consecratæ, ut elevatæ ad causandam gratiam, ratione hujus elevationis sunt cibus & potus animæ, quo spiritualiter nutritur; quia tamen caro & sanguis Christi, utpotè instrumenta divinitati conjuncta, ad hanc nobiliori modo concurrunt, ipsis & non speciebus in Scriptura hoc attribuitur. Per quod patet responsio ad primam probationem Minoris. Ad secundam verò, nego Antecedens; tam enim species sacramentales quàm humanitas Christi in eis contenta, concurrunt instrumentaliter ad causandam gratiam; cum eo tamen discrimine, quòd humanitas Christi ad productionem concurrit ut instrumentum Divinitati conjunctum; species verò consecratæ, ut instrumentum separatum, & subordinatum humanitati Christi, ut instrumento conjuncto Divinitati, à qua tanquam à causa principali derivatur virtus gratiæ productiva; & tam humanitas Christi, quàm species sacramentales moventur instrumentaliter & elevantur ad gratiæ productionem.

§. VI.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

44. EX dictis inferes primò, quòd in Eucharistia species consecratæ, continentes corpus & sanguinem Christi, sunt sacramentum tantùm: corpus autem & sanguis Christi sub illis, sunt res sacramenti & sacramentum simul: gratia verò sanctificans, res sacramenti tantùm. Ratio est, quia species consecratæ significant tantùm, & non significantur: corpus & sanguis Christi, significantur ipsis speciebus, & significant gratiam; ita tamen quòd non tantùm significentur, ut volunt hæretici, sed etiam verè & realiter sub illis contineantur: gratia verò sanctificans, per modum alimenti spiritualis, tantùm significatur, nec significat aliquid quod sit effectus proprius sacramenti Eucharistiæ, licèt significet gloriam, cujus est semen, quæ est significatum commune omnibus sacramentis.

45. Inferes secundò, Sacramentum Eucharistiæ physicè sumptum, nihil aliud esse, quàm species panis & vini, consecratas sub præscripta verborum forma, ut realiter continent Christum, ad causandam gratiam cibantem animam. Metaphysicè verò consideratum, esse sacramentum novæ legis, significans Christum, ut realiter contentum sub ipsis speciebus, & gratiam cibantem animam.

ARTICULUS

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICULUS II.

Utrum Sacramentum Eucharistiæ, sit unum specie infimâ, & unde unitas ejus specifica desumatur.

46. EXtra dubium & controversiam est, Eucharistiæ sacramentum esse aliquo modo unum; tum quia in omnibus speciebus consecratis continetur Christus, qui est unus: tum etiam, quia Eucharistia est sacramentum Ecclesiasticæ unitatis, quæ per illud significatur, & quodammodo efficitur, juxta illud Apostoli 1. ad Corinthios 10. *Unus panis & unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane & de uno calice participamus.* Unde Catechismus Romanus parte 2. titulo de Eucharistia num. 10. *Licet duo, sint elementa, panis scilicet & vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ sacramentum conficitur; non tamen plura sacramenta, sed unum tantùm esse Ecclesiæ authoritate ducti, confitemur.* Verùm difficultas est & controversia inter Theologos, de modo hujus unitatis, an scilicet illa sit specifica, vel duntaxat generica? Quidam enim, ut Major, & Gabriel, apud Vazquem hîc disputatione 39. sectione 3. existimant Eucharistiam esse unum sacramentum in genere solùm, & plura specie distincta. Alij verò Theologi communiter docent, illam esse unum sacramentum unitate specificâ & atomâ. Verùm adhuc difficultas est, unde sit hæc unitas desumenda: Aureolus enim illam sumit ex unitate rei contentæ, qui est Christus: Alensis, & Divus Bonaventura, ex unitate institutionis; Sanctus verò Thomas, ejusque Discipuli, & alij Theologi communiter, ex unitate finis ad quem ex Christi institutione ordinatur, nimirum refectionis spiritualis.

§. I.

Duplici conclusione vera sententia statuitur.

47. DIco primò, Eucharistiam esse unum specie infimâ sacramentum, & non plura specie diversa.

Probatur conclusio ratione quam insinuat S. Thomas in 4. sent. dist. 8. quæst. 1. art. 1. in primo ex argumentis *sed contra*, quæ proponit adversùs resolutionem quæstiunculæ 2. his verbis: *Si essent duo, tunc sacramenta novæ legis non essent tantum septem:* Sed hoc est contra communem sensum & traditionem Ecclesiæ, ut constat ex Lateranensi cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, ex Florentino in instructione Armenorum, & ex Tridentino sess. 7. ubi asseritur esse septem sacramenta novæ legis, & non plura: Ergo Eucharistia est unum specie infimâ sacramentum, & non plura specie diversa.

48. Nec valet si dicas, quòd sunt tantùm septem sacramenta novæ legis, sive genericè, sive specificè; ita quòd quædam sunt specificè unum, sicut Baptismus & Confirmatio; alia genericè tantùm, ut sacramentum Ordinis, vel etiam Eucharistia. Nam contra est, quòd sacramentum Ordinis etiam specificè est unum, quia tota species & essentia sacramenti Ordinis, desumitur ex ordine ad unum specificè, scilicet ex ordine ad sacrificium; quia sacerdotium & sacrificium correlativè se habent, ut constat ex Tridentino sess. 23. cap. 1. licèt ista species Ordinis, plures gradus habeat; unum perfectum (scilicet Sacerdotium) alios deservientes & ministrantes illi, ut Diaconatum, Subdiaconatum, &c. Sicut in eadem specie hominis dantur plures gradus, nimirum rationalis, qui est summus; & vegetativus, ac sensitivus, qui sunt inferiores, & rationali ministrantes. Unde diversi Ordines, solùm sunt species quædam incompletæ & inadæquatæ, quæ materialiter se habent ad constituendam speciem adæquatam & totalem sacramenti Ordinis. De quo fusiùs in Tractatu de Ordine.

49. Potest etiam suaderi conclusio: Catechismus Romanus supra relatus sic ait: *Non plura, sed unum tantùm Eucharistiæ sacramentum, Ecclesiæ authoritate ducti confitemur:* Atqui si Eucharistiæ sacramentum non esset unum specificè, sed solùm genericè, possemus simpliciter dicere, quòd non sit unum sacramentum tantùm, sed plura; sicut simpliciter dicimus, quòd sunt plura animalia, & non unum, licèt sint genericè unum: Ergo sacramentum Eucharistiæ, est unum specifice & non tantùm genericè.

50. Eandem unitatem probat Suarez hîc disp. 39. sect. 3. hoc discursu: Hoc sacramentum significat passionem Christi, & ipsum Christum in eo contentum; item significat unionem fidelium, & futuram gloriam: Sed nihil horum completè significatur per unam speciem, siquidem passio Christi significatur per separatam consecrationem sanguinis, & ex utraque specie unum integrum signum Christi completur, qui constat carne & sanguine. Item gratia perfecti convivij, non nisi in cibo & potu exprimitur. Denique fidelium unitas in uno corpore, & plena satietate gloriæ, non nisi per utramque speciem exprimitur: Ergo sacramentum Eucharistiæ duplici specie constat, subindeque est unum specie sacramentum, & non plura quamvis species panis & vini, ut continentes corpus & sanguinem Christi, ad ejus constitutionem concurrant.

51. Verùm plura quæ in hac ratione assumuntur, efficaciter non probant intentum, siquidem unius passionis Christi multa possunt esse signa & sacramenta. Item partium quæ integrant corpus Christi, etiam possent dari diversa signa completa, ad invicem non adunata, inter se specie completâ distincta, quamvis significatum esset entitativè quid incompletum. Demum ex unitate fidelium & gloriæ futuræ, probatur aliqualis unitas sacramenti Eucharistiæ, non tamen unitas simpliciter & secundùm speciem atomam, de qua solùm agimus in præsenti. Unde ut illa efficaciter probetur, recurrendum est ad rationem D. Thomæ hîc art. 2. desumptam ex unitate finis, ad quem ex Christi institutione hoc sacramentum ordinatur: *Sacramentum enim Eucharistiæ* (inquit S. Doctor) *ordinatur ad spiritualem refectionem, quæ corporali conformatur: Ad corporalem autem refectionem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum, & potus qui est alimentum humidum; & ideò etiam ad integritatem hujus sacramenti duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus, secundùm illud Joan. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed unum formaliter & perfectivè.* Hæc ratio magis patebit ex dicendis conclusione sequenti, potestque confirmari & illustrari

illustrari exemplo sacramenti Extremæ-Unctionis: nam sicut in Extrema-Unctione sunt plures unctiones partiales, & plures formæ partiales, & tamen est unum sacramentum, quia omnia illa ordinantur ad unum finem, & ad unum effectum; scilicet ad tollendum omnes reliquias peccatorum, quæ ex sensibus oriuntur, & animam deprimunt: ita sacramentum Eucharistiæ, licèt constet duabus speciebus, & formis partialibus, censetur tamen esse unicum specie sacramentum, quia hæc ordinantur ad unum finem, nimirum ad unam refectionem integram spiritualem. Unde

Dico secundò: Unitas specifica sacramenti Eucharistiæ non desumitur ex unitate rei contentæ, scilicet corporis Christi; neque ex unitate institutionis ejus; sed ex unitate finis ad quem ex Christi institutione ordinatur.

52. Prima pars probatur: nam licèt Christus sit res significata & contenta in hoc sacramento, tamen diverso modo continetur & significatur per speciem panis, & per speciem vini, & per diversas formas consecratur: unde restat semper difficultas, quare iste diversus modus significandi & continendi, non sufficiat ad distinguendum specie sacramentum Eucharistiæ, licèt res significata materialiter & entitativè sit eadem: Ergo recurrendum est ad aliud principium unde sumatur unitas specifica sacramenti Eucharistiæ.

53. Confirmatur: Unitas rei contentæ in sacramento Eucharistiæ, si aliquid probaret, non solùm unitatem specificam, sed etiam individualem probaret in omnibus sacramentis Eucharistiæ, quæ sunt in toto mundo, quia omnia idem numero corpus Christi continent: At Eucharistiæ sacramentum, licèt gaudeat unitate specificâ, non tamen numericâ, sed est diversum numero in diversis Ecclesiis, & altaribus, ut ostendemus articulo sequenti: Ergo ex unitate rei contentæ in Eucharistia, scilicet corporis Christi, unitas ejus specifica probari non debet.

54. Secunda verò pars, quæ asserit unitatem specificam hujus sacramenti, non sumi ex unitate institutionis ejus, evidens est; tum quia institutio Christi se habet per modum causæ efficientis, quæ non specificat, sed solùm causa formalis: tum etiam, quia non repugnat quòd Christus unâ institutione, duo sacramenta specie distincta sub unico genere designaverit.

55. Tertia denique pars, quæ affirmat unitatem specificam Eucharistiæ, sumendam esse ex unitate finis ad quem ex Christi institutione ordinatur, patet, tum ex impugnatione aliarum sententiarum; tum etiam quia Eucharistia essentialiter est signum: signum autem, ut specificationem, ita unitatem specificam sumit à termino significato, qui in Eucharistia est perfecta animi sanctitas, per modum spiritualis refectionis: unde sicut cibus & potus integrant unum convivium materiale per ordinem ad unam refectionem corporis, ita corpus & sanguis Christi, sub speciebus panis & vini, unam comestionem sacramentalem, per ordinem ad unam refectionem animæ. Nam sicut homo ad perfectam refectionem corporalem eget cibo ut roboretur, & potu ut à nimio calore refrigeretur: ita animus ad plenam refectionem spiritualem, eget Christi corpore, ut in vita gratiæ roboretur, & Christi sanguine, ut à noxio concupiscentiæ calore refrigeretur: unde gratia habitualis, cum ordine ad auxilia roborantia & conservantia in vita spirituali, respondet sacramento corporis existentis sub speciebus panis; eadem verò gratia cum ordine ad auxilia extinguentia vel mitigantia concupiscentiam, respondet sacramento sanguinis existentis sub speciebus vini ideóque Zachariæ 9. *vinum germinans virgines* appellatur.

56. Dices: Ergo laïci sumentes tantùm corpus, defraudantur gratiâ respondente sanguini.

Respondeo negando sequelam, quia licèt non recipiant illam ex vi formalis & directæ significationis sacramenti, recipiunt tamen ex vi materialis & indirectæ; quia sicut concomitanter cum corpore accipiunt sanguinem; ita cum eo, indirectè & ex consequenti, recipiunt gratiam sacramentalem illi respondentem.

Instabis: Ergo saltem in triduo, si quis sumpsisset corpus, fuisset defraudatus gratiâ respondente sanguini. Respondeo, transeat totum, nullum enim videtur absurdum vel inconveniens id concedere.

§. II.

Solvuntur objectiones.

57. OBjicies primò: Ecclesia in oratione Missæ ait: *Purificent nos Domine quæsumus sacramenta quæ sumpsimus:* Ergo Eucharistia non est unum specie sacramentum, sed plura. Unde Concilia & SS. Patres sæpè loquuntur de Eucharistia in plurali, vocando sacramenta.

58. Respondeo cum S. Thoma hic art. 2. ad 1. *quòd in eadem collecta, & pluraliter dicitur, primò: Purificent nos sacramenta quæ sumpsimus; & posteà singulariter subditur: Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, &c. ad ostendendum, quòd hoc sacramentum quoddammodo est multa* (scilicet secundùm partialem & materialem distinctionem signorum) *simpliciter autem unum.* Eodem modo intelligi debent Concilia & SS. Patres, dum loquuntur de Eucharistia in plurali numero, scilicet de distinctione materiali & partiali signorum.

59. Objicies secundò: Tam species panis absque speciebus vini, quàm species vini absque speciebus panis, sunt integrum sacramentum; alioquin communicans in una tantùm specie, non sumeret integrum sacramentum, nec in pixide asservaretur totum: Ergo Eucharistia non est unum sacramentum, sed plura.

60. Respondeo, nec laïcos sumere, nec in pixide asservari integrum sacramentum formaliter, sed tantùm materialiter; quia scilicet sub speciebus panis, concomitanter saltem, continetur sanguis; unde (ut suprà annotavimus) laïci sub una tantùm specie panis communicantes, nullâ defraudantur gratiâ, huic sacramento correspondente, quia indirectè saltem & ex consequenti recipiunt gratiam sacramentalem alteri speciei respondentem. Sunt tamen aliqui Theologi, qui existimant, Sacerdotes sub utraque specie communicantes, plus recipere gratiæ, quam laïcos, qui sub una tantùm specie communicant. Nec propterea (inquiunt) injustè facit Ecclesia, privans fideles specie Calicis: tum quia id præstat ob inconvenientia & irreverentias, quæ contingebant circa hoc divinum sacramentum, quæ moraliter loquendo impediri non poterant: tum etiam, quia id compensari potest ex frequenti communione sub speciebus

Universidad de Deusto
Biblioteca

panis, & ex majori ac ferventiori dispositione ad communionem. Sicut Ecclesia nullam facit injuriam fidelibus, ex eo quòd non permittat illos bis in die communicare in eadem specie, cùm tamen, si possent, major illis gratia conferretur. Sed de hoc infra disp. 8. art. 4.

61. Objicies tertiò: Sacramentum est in genere signi, unde ut sit unum, debet esse unica res significans: Atqui in Eucharistia non est unica res significans, sed sunt duæ, scilicet species panis, & species vini: Ergo Eucharistia non est unum sacramentum, sed plura.

Respondeo, quòd licèt in Eucharistia sint plures res significantes, materialiter, & partialiter; non tamen formaliter & adæquatè, quia omnes ordinantur ad significandum unum convivium spirituale, & unam animæ refectionem, unde est unum specie infimâ sacramentum. Sicut suprà dicebamus, Extremam-Unctionem esse unum specie atomâ sacramentum; quia licèt constet pluribus unctionibus, & formis partialibus, illæ tamen ordinantur ad significandum unum effectum perfectum, nempè perfectam animæ sanitatem.

62. Ex dictis intelliges, sacramentum Eucharistiæ non immeritò à SS. Patribus *Sacramentum unitatis* appellari: tum quia *est multa quidem materialiter, sed unum formaliter & perfectivè*, ut loquitur S. Doctor hic art. 2. tum etiam quia à Christo institutum est ad causandam unitatem & concordiam inter fideles. Unde post ejus institutionem tam enixè à Patre postulabat *Pater sancte serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipsi in nobis unum sint, sicut & nos unum sumus. Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum.* Ex quo præclarè infert Augustinus sermone ad infantes, quem ex integro S. Fulgentius refert: *Qui accipit mysterium unitatis, & non servat vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se.*

Joan. 17.

ARTICULUS III.

Utrum sacramentum Eucharistiæ sit multiplex numero, & unde sumatur unitas ejus numerica?

63. SUnt quidam Theologi, qui existimant sacramentum Eucharistiæ, non solùm esse specie, sed etiam numero unum in tota Ecclesia, adeò ut sit idem numero sacramentum quod Romæ, & Parisiis conficitur: quia (inquiunt) unitas numerica Eucharistiæ, sumitur ex unitate corporis Christi, quod est unum numero in omnibus speciebus, ubicumque, & à quocumque consecrentur. Sicut ergo, si Filius Dei assumeret diversas humanitates, unus esset homo numero; & si idem homo esset in diversis locis, & haberet diversas albedines, esset idem album: ita cùm idem Christus existat sub diversis speciebus sacramentalibus, idem erit sacramentum numero. In hanc sententiam, ut valde probabilem, ac piam, & commendantem unitatem quæ in hoc sacramento significatur, inclinant Soto & Suarez, eamque alij Recentiores sequuntur.

Dico tamen, plura esse numero Eucharistiæ sacramenta, quæ in diversis Ecclesiis vel altaribus consecrantur, seu conficiuntur.

64. Probatur primò: Ubi sunt plures materiæ & formæ sacramenti, numero distinctæ, plura numero sacramenta esse oportet; ideò namque plura sunt numero baptismata, quia numero multiplicantur ablutiones & formæ: Sed quando plures Sacerdotes celebrant in diversis Ecclesiis, vel altaribus, sunt plures numero materiæ & formæ Eucharistiæ, ut patet: Ergo & plura numero Eucharistiæ sacramenta.

65. Probatur secundò: Sacramentum Eucharistiæ supponit pro speciebus consecratis, & in illis essentialiter consistit, ut art. 1. ostendimus: Sed species consecratæ Parisiis existentes, non sunt eædem numero cum existentibus Romæ, ut constat; aliàs eædem species simul essent in duobus locis adæquatis, in uno desinerent esse, & in alio permanerent: Ergo sacramentum Eucharistiæ quod Parisiis & Romæ conficitur, non est idem numero, sed diversum. Unde falsum est quod Adversarij supponunt, nempè unitatem Eucharistiæ, peti ex unitate corporis Christi; sumitur enim ex unitate specierum, prout dicunt ordinem ad unam numero refectionem spiritualem, ut infrà dicebamus.

66. Ad exempla verò quæ adducuntur ab Adversariis, neganda est consequentia & paritas. Ratio disparitatis est, quia unitas numerica hominis, sumitur ab unitate numerica suppositi, sive subsistentiæ; unitas numerica albedinis, ab unitate numerica subjecti: At verò species sacramentales, cùm non subsistant per subsistentiam Christi, neque in eo subjectentur, aliunde quàm ab ipso desumunt suam unitatem & multiplicitatem numericam, in ratione sacramenti, videlicet ab unitate & multiplicitate numerica sumentium, & sumptionum.

67. Dices, Omnes fideles faciunt unicum numero corpus mysticum Ecclesiæ: Ergo similiter omnes species sacramentales quæ sunt ubique, faciunt unicum numero sacramentum Eucharistiæ. Antecedens est certum, Consequentia verò probatur ex illo Apostoli 1. ad Corinth. 10. *Unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane & de uno calice participamus*: quibus verbis reddens rationem Apostolus, quare omnes fideles, cùm multi sint, fiant unicum corpus Christi mysticum, dicit eam esse unitatem Panis & Calicis cœlestis, quibus aluntur spiritualiter: Ergo sicut corpus illud mysticum est unum numero, ita & Panis ac Calix spiritualis, sive Eucharistia.

68. Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam, & ad ejus probationem dico, Apostolum in verbis citatis loqui metonymicè, id est accipere species panis & vini, pro corpore & sanguine Christi, contentis sub ipsis; quare vult solùm quòd sicut corpus & sanguis Christi, contenta sub speciebus sacramentalibus quæ sunt ubique, sunt unicum numero corpus, & unicus numero sanguis; ita omnes fideles ex eo quòd non alantur spiritualiter nisi illo cibo & potu, constituunt unicum numero corpus mysticum. His suppositis.

69. Restat adhuc difficultas & controversia inter Theologos, unde unitas numerica Eucharistiæ desumenda sit? Quidam enim putant illam desumi ex unitate & continuatione physica specierum, atque ita quot fuerint species panis & vini physicè discontinuatæ, tot erunt numero sacramenta. Alij verò existimant Eucharistiam unitatem vel

vel diversitatem numericam habere, ratione consecrationis, per quam conficitur; ita ut unum sit sacramentum, quod unicâ consecratione conficitur; plura verò sacramenta, si distinctis numero consecrationibus conficiantur. Alij verò asserunt unitatem numericam Eucharistiæ, nec ex continuatione physica specierum, nec ex unitate consecrationis sumi, sed ex ordine ad unam sumptionem. Et hæc sententia probabilior videtur: quia Eucharistiæ sacramentum est institutum à Christo per modum convivij spiritualis, quo reficitur anima; unde de illo agendum est cum analogia ad convivium materiale, ut communiter docent Scholastici cum D. Thoma hic art. 2. Sed convivium materiale non habet suam unitatem numericam à physica continuatione ciborum, cùm plura fercula inter se discontinua, possint in eodem convivio ministrari; nec ab actione quâ præparatur, cùm unica vel pluribus actionibus inter se discontinuis, & numero diversis, præparari possit; sed à cibis & ferculis prout ordinantur ad unam refectionem: Ergo pariter unitas numerica sacramenti Eucharistiæ, nec sumitur à continuatione physica specierum, nec ex unitate consecrationis per quam conficitur, sed ex ordine ad unam numero refectionem ad quam deservit.

Deinde, in Missa Sacerdos dividit Hostiam in tres partes, & potest sumere sanguinem multiplici & distincto hausto, & tamen tunc sumitur unum tantum sacramentum, non obstante discontinuatione partium specierum: Ergo unitas numerica sacramenti Eucharistiæ, non sumitur ex continuatione physica specierum.

Si dicatur quod quælibet pars hostiæ, aut quælibet portio vini, non est materia integra, verum est, sed hujus nulla alia ratio assignari potest, nisi quia omnes ordinantur ad eandem numero refectionem; nam in qualibet est totum corpus, aut totus sanguis Christi: Ergo ex ordine ad unam refectionem spiritualem, unitas numerica sacramenti Eucharistiæ sumi debet, non verò ex continuatione physica specierum, vel ex unitate consecrationis; cùm enim quæstio procedat de principio intrinseco individuationis, non est recurrendum ad causam efficientem extrinsecam. Præterquam quod, si unâ consecratione plures hostiæ consecrentur, quæ à pluribus sumantur, erunt plura numero sacramenta.

70. Dices, Antequam sacramentum Eucharistiæ deserviat ad unam vel plures refectiones spirituales, præsupponitur constitutum, non solùm in suo esse specifico, sed etiam in suo esse individuali, utpotè jam existens à parte rei: Ergo ejus unitas numerica non sumitur ex ordine ad unam refectionem spiritualem.

Respondeo distinguendo Antecedens: supponitur in suo esse individuali constitutum incompletè, concedo: completè, nego.

Explicatur: Duplex est constitutio sacramenti Eucharistiæ in esse individuali, una incompleta, conveniens ei ex intentione saltem virtuali Sacerdotis consecrantis, per quam deputatur ad unam vel plures refectiones; altera completa, quâ consequenter ad talem intentionem, idem sacramentum deservit de facto ad unam vel plures refectiones, quapropter licèt Sacerdos consecret plures hostias in ordine ad plures refectiones, non habent tamen completè, sed tantùm inchoativè, esse plura numero sacramenta, antequam in ipsa sumptione deserviant de facto pluribus refectionibus. Similiter si plures consecret in ordine ad unicam numero refectionem, inchoativè tantùm ex tunc erunt unicum numero sacramentum, completivè verò in ipsa actuali & unica sumptione. Quod si post consecrationem eas applicet ad plures refectiones, tunc sicut prior intentio eas consecrandi in ordine ad unicam refectionem mutatur; ita & constitutio incompleta sacramenti in esse individuali, ab ea proveniens, ac proindè fient tunc plura numero sacramenta; eodem modo quo si unicam hostiam in ordine ad unicam numero refectionem consecraret, & tamen postea pluribus eam divideret. Neque verò id mirum videbitur, si attentè consideretur, sacramentum Eucharistiæ esse (ut suprà dicebamus) ex sua institutione, convivium spirituale, dicens analogiam ad convivium materiale; constat enim quòd plura fercula, ex deputatione ad unam refectionem, constituunt inchoativè unum convivium; completè verò, quando postea ministrantur. Item manifestum est, primam illam deputationem posse mutari, ita ut deserviant pluribus refectionibus, & ita plura convivia efficiant.

71. Instabis: Intentio Sacerdotis consecrantis plures hostias ad unam vel plures refectiones, est quid merè extrinsecum sacramento Eucharistiæ, nihil reale intrinsecum ponens in speciebus consecratis: Ergo ab ea non potest provenire etiam inchoativè, unitas vel pluralitas numerica istius sacramenti.

Respondeo distinguendo Consequens: Ergo ab ipsa non potest provenire, etiam inchoativè, unitas vel pluralitas numerica istius sacramenti, tanquam à ratione formali, concedo; tanquam à conditione requisita, nego. Quemadmodum enim intellectus dividens dies & annos, licèt extrinsecus tempori, est tamen conditio ad ejus multiplicitatem requisita; ita proportionaliter in præsenti, ordinatio mentalis specierum ad unam vel plures refectiones in Sacerdote consecrante, habet se ad modum conditionis requisitæ ad unitatem vel multiplicitatem numericam ipsius sacramenti.

ARTICULUS IV.

Utrum realis susceptio Eucharistiæ, vel saltem ejus votum, sit simpliciter ad salutem necessarium?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

72. SUppono primò, dupliciter posse aliquid dici simpliciter necessarium ad salutem, scilicet necessitate præcepti tantùm, si ex natura sua non habeat necessariam connexionem cum nostra salute, sed tantùm ex præcepto divino vel Ecclesiastico; & necessitate etiam medij, si nempè etiam ex sua natura necessariò connectatur cum nostra salute, sicut ad gloriam requiritur gratia, & in adultis merita. Non agimus hìc de necessitate præcepti sumendi Eucharistiam, de hoc enim differit S. Doctor infrà qu. 80. art. 11. sed tantùm de necessitate medij, & inquirimus, an illa sit medium necessarium ad salutem? Quod ut magis declaretur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Suppono secundò, susceptionem Eucharistiæ aliam esse realem & sacramentalem, consistentem in sumptione specierum consecratarum, ad quam Christus suos Discipulos invitavit dicens, *Accipite & manducate*; aliam mysticam & spiritualem, sumptam scilicet pro desiderio & voto illius, de qua dicitur Job. 31. *Quis det de carnibus ejus ut saturemur?*

73.

74. Suppono tertiò, votum alicujus rei esse duplex, explicitum & implicitum: explicitum est desiderium rei in seipsa, id est ad ipsam rem expressè cognitam terminatum; implicitum verò est desiderium ejusdem rei, non in seipsa distinctè cognita, sed in aliquo alio cum illa connexionem aliquam habente. Quærimus ergo, an realis susceptio Eucharistiæ, vel saltem votum ejus explicitum, vel implicitum, sit medium ad salutem necessarium? In cujus difficultatis resolutione, varia sunt Authorum placita.

75. In primis enim quidam hæretici Armeni existimarunt, realem susceptionem Eucharistiæ, esse omnibus hominibus medium necessarium ad salutem; & propterea simul cum Baptismo Eucharistiam parvulis dabant, ut ex Guidone Carmelita refert Vvaldensis tomo 2. de sacrament. cap. 91. Eundem errorem tribuere Græcis Jacobitis, & Nestorianis Prateolum, refert Suarez hic disp. 40. sect. 2.

Catholici verò in tres sententias divisi sunt. Suarez enim, Vazquez, & alij Recentiores communiter, docent Eucharistiam, neque in re, neque in voto, esse ad salutem necessariam. Aliqui verò, quos refert Vazquez hic disp. 169. cap. 2. asserunt Eucharistiam in voto explicito, necessariam esse ad salutem, necessitate medij; & de hoc sacramento eodem modo philosophandum esse existimant, sicut de Baptismo, & de Pœnitentia; ita quod sumptio realis Eucharistiæ non sit determinatè necessaria ad salutem, sed casu quo non possit realiter & sacramentaliter recipi, debeat dari votum, id est desiderium talis sumptionis; sicut ad salutem requiritur votum explicitum, seu desiderium Baptismi, quando non potest reipsa susci pi, quod votum, seu desiderium, *Baptismus flaminis* appellatur.

Sententia Thomistarum, inter has duas extremè oppositas medium tenet; docet enim votum Eucharistiæ esse medium ad salutem necessarium; asserit tamen tale votum non debere esse explicitum & formale, sed sufficere implicitum & virtuale, quod in susceptione Baptismi, & aliorum sacramentorum imbibitur; quia nimirum Eucharistia se habet per modum finis omnium sacramentorum, & alia tanquam media ad ipsam ordinantur: quicunque verò appetit medium, implicitè, virtualiter, & interpretativè censetur ipsum finem desiderare.

§. II.

Vera sententia triplici conclusione statuitur.

76. DIco primò, sacramentum Eucharistiæ in re susceptum, non esse medium necessarium ad salutem.

Conclusio est certa de fide, & constat traditione & consuetudine Ecclesiæ, tum in parvulis, tum in adultis. De parvulis extat definitio Concil. Trid. sess. 21. c. 4. quam infra referemus. De adultis etiã constat praxis Ecclesiæ, quæ nec phreneticis, nec vomitum patientibus, nec ad mortem damnatis, aut quodcumque periculum indecentiæ habentibus, solet sacramentum Eucharistiæ porrigere, etiam in mortis articulo; quod evidens argumentum est, realem & sacramentalem Eucharistiæ susceptionem, non esse necessariam necessitate medij ad salutem; nunquã enim Ecclesia privaret adultos aut parvulos medio ad salutem necessario.

Addo quod, licèt Eucharistia sit per modum cibi spiritualis animæ instituta, tamen vel non est unicus, vel non est omnino necessarius, quia nimirum per actus virtutum, maximéque charitatis, anima semel existens in gratia, sufficienter nutriri potest, & à contrariis defendi, deficiente Eucharistiã: quando autem multi sunt cibi, & singuli sufficientes, nullus tunc determinatè est necessarius, sed aliquis indeterminatè: vel si cibus Eucharistiæ sit simpliciter necessarius necessitate medij ad perseverandum per longum tempus in statu gratiæ, tamen cùm sit cibus spiritualis, sufficit quòd spiritualiter sive in voto suscipiatur.

77. Dices, olim in primitiva Ecclesia, post baptismum ministrabatur infantibus sacramentum Eucharistiæ, sub specie sanguinis, qui in ipsorum ora infundebatur, ut constat ex Clemente Romano lib. 8. Constit. cap. 20. & ex Cypriano serm. de lapsis, ubi refert historiam puellæ, quæ Eucharistiæ sacramentum, quòd priùs idolothita comedisset, deglutire non potuit: At hujus consuetudinis nulla alia ratio assignari potest, quam necessitas hujus Sacramenti in re susceptæ: Ergo realis & Sacramentalis Eucharistiæ susceptio, est medium necessarium ad salutem.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, aliis enim de causis Eucharistiæ Sacramentum parvulis ministrabatur in primitiva Ecclesia, ut docet Tridentinum sess. 21. cap. 4. his verbis: *Eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem: siquidem per baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam jam Filiorum Dei gratiam, in illa ætate amittere non possunt. Neque ideò tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit: ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certè eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.*

Dico secundò, votum seu desiderium formale & explicitum recipiendi sacramentum Eucharistiæ, non esse de necessitate salutis.

78. Probatur primò: Tunc solùm votum explicitum, seu desiderium alicujus rei, est simpliciter necessarium necessitate medij ad salutem, quando res ipsa, aliquando saltem, si commodè haberi possit, est ita necessaria: Sed realis susceptio Eucharistiæ, nunquam est simpliciter necessaria necessitate medij ad salutem parvulis aut adultis, ut præcedenti conclusione ostensum est: Ergo nec ejus votum formale & explicitum. Major probatur: Votum alicujus rei, est tantùm propter ipsam, unde dicitur ejus vicarium; atque adeò non potest unquam esse magis necessarium ad salutem, quàm sit res ipsa: hinc, quia professio in religione, nunquam per se est simpliciter requisita, sed tantùm utilis ad salutem, votum ejus nunquam similiter est per se loquendo necessarium simpliciter ad hunc finem: Ergo, &c.

79. Probatur secundò conclusio: Gratiam amissam post Baptismum, & gloriam, potest quis habere, sine reali susceptione Eucharistiæ, & ejus

ejus voto formali & explicito: Ergo tale votum non est simpliciter necessarium necessitate medij ad salutem. Consequentia patet, Antecedens verò probatur. Si quis morti proximus, sumpto viatico, peccet mortaliter, etiam si non recipiat iterum Eucharistiam, nec voluntatem habeat eam recipiendi, sed potiùs propositum non communicandi iterum; potest tamen per sacramentum Pœnitentiæ justificari, & obtinere gloriam post mortem: Ergo gratiam amissam post Baptismum, & gloriam potest quis habere, sine reali susceptione Eucharistiæ, & ejus voto formali & explicito.

80. Nec valet quod aliqui dicunt, nempè hominem in tali casu teneri iterum sumere viaticum, sicuti tenetur iterum confiteri; regulariter tamen excusari, si huic præcepto non satisfaciat, quia sequeretur scandalum & probabilis suspicio manifestandi suum delictum. Non valet, inquam, nam Ecclesia non solet morti proximis bis viaticum conferre, etiam quocumque scandalo secluso; & nullus Confessarius pœnitentem suum, qui post viaticum peccavit, obligat ut iterum viaticum sumat, etiam si possit sine scandalo.

Dico tertiò: Sacramentum Eucharistiæ, in voto, saltem implicito, tacito, & interpretativo susceptum, est necessarium ad salutem, necessitate medij.

81. Probatur primò conclusio ex illo Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* Sed hæc intelligi nequeunt de reali & sacramentali manducatione Eucharistiæ, neque de voto ejus formali & explicito, ut patet ex dictis præcedentibus conclusionibus: Ergo saltem explicari & intelligi debent de voto implicito, tacito, & virtuali ipsius, quod ut infrà ostendemus, in susceptione Baptismi & aliorum sacramentorum includitur.

82. Neque valet responsio Suaris, Vazquis, & aliorum Recentiorum, dicentium hæc verba Christi solùm importare necessitatem præcepti. Nam D. Augustinus variis in locis, verba illa extendit ad parvulos, qui sunt incapaces præcepti, ait enim libro 1. de peccat. meritis cap. 20. *An verò quisquam hoc dicere audebit, quod* AD PARVULOS *hæc sententia Domini non pertineat?* Et lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 4. *Hæc reconciliatio* (inquit) *est in lavacro regenerationis, & Christi carne & sanguine, sine quo* NEQUE ETIAM PARVULI *possunt habere vitam in semetipsis.* Idem expressè docet Innocentius I. ut testatur ipse Augustinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 4. his verbis: *Ecce beatæ memoriæ Innocentius Papa, sine baptismo Christi, & sine participatione corporis & sanguinis Christi, vitam non habere parvulos dicit.* Idem asserit Gelasius Papa, sic enim ad Episcopos per Picenum scripsit: *Ipse Dominus Jesus Christus cœlesti voce pronuntiat: Qui non manducaverit carnem, &c. Ubi utique neminem videmus exceptum: nec opus est aliquem dicere, parvulum sine hoc sacramento salutari ad æternam vitam posse perduci, sine autem illa vita, in perpetua futurum morte, non dubium est.*

83. Probatur secundò conclusio ratione fundamentali, quæ sic potest proponi. Baptismus & Pœnitentia sunt necessaria necessitate medij ad salutem: Sed in Baptismo & Pœnitentia includitur implicitè, virtualiter, & interpretativè, votum Eucharistiæ: Ergo sacramentum Eucharistiæ in voto, saltem implicito, tacito, & interpretativo, est necessarium ad salutem, necessitate medij. Major est certa, & patet ex dictis in Tractatu de Baptismo. Minor verò quam negant Adversarij, sic ostenditur. Sacramentum Eucharistiæ est institutum, tanquam finis universalis omnium sacramentorum, quæ proinde se habent ut media ordinata ad ipsum: Sed in volitione medij includitur, implicitè saltem, virtualiter, & interpretativè, intentio finis; seu voluntas & volitio ipsius: Ergo in Baptismo, & Pœnitentia, aliisque sacramentis, implicitè, virtualiter, & interpretativè includitur votum Eucharistiæ. Minor, & Consequentia sunt manifestæ, Major verò, in qua est difficultas, probatur primò. Omnis res inclinatur in suam perfectionem & consummationem, tanquam ad proprium finem: Sed Eucharistia est perfectio & consummatio aliorum sacramentorum, quia gratia quæ per aliquod sacramentum recipitur, habet nos unire Christo: hæc autem unio maximè perficitur & consummatur per Eucharistiam, tum quia in illa maxima confertur gratia, tum etiam, quia continet realiter corpus Christi. Unde Dionysius cap. 3. de Eccles. hierarchia, quem citat S. Thomas suprà quæst. 65. art. 3. in argumento *sed contra*, ait quòd *non contingit aliquem perfici, perfectione hierarchicâ, nisi per divinissimam Eucharistiam:* Ergo sacramentum Eucharistiæ est finis aliorum sacramentorum. *Disp. 3. art. 1.*

Secundò eadem Major suadetur: Sacramentum quod confert illos effectus qui pertinent ad finem ultimum, se habet per modum finis respectu aliorum: Sed sacramentum Eucharistiæ habet conferre effectus illos qui pertinent ad finem ultimum, sicut est unio cum Christo, vita æterna, & resurrectio corporum, juxta verbum Christi Joan. 6. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.... Qui manducat hunc panem, vivet in æternum..... & ego resuscitabo eum in novissimo die:* Ergo sacramentum Eucharistiæ est finis aliorum.

Tertiò, Omnia sacramenta instituta sunt à Christo, tanquam instrumenta quibus nobis communicatur virtus passionis, ut illi uniamur & incorporemur, tanquam membra capiti: quando autem plura instrumenta seu agentia, ordinantur ad aliquem effectum, id quod essentialiter & per se est tale, est finis & principium eorum quæ participativè sunt talia; sicut ignis est causa & finis omnium ignitorum, quia istum effectum, qui est ignire, alia faciunt in virtute ejus, & in ordine ad ipsum: Sed effectus iste, qui est unire & incorporare nos Christo, essentialiter & per se pertinet ad Eucharistiam, quæ realiter continet corpus Christi, & conjungit nos illi: Ergo reliqua sacramenta non possunt habere istum effectum, nisi in virtute Eucharistiæ, & in ordine ad ipsam, subindeque Eucharistia est finis aliorum sacramentorum.

Denique, cùm Deus sit finis omnium creaturarum, id in quo speciali modo inhabitat, habet etiam rationem finis respectu aliorum; unde quia Deus est in Christo homine, speciali modo, per unionem scilicet hypostaticam, Christus ut homo, finis est omnium creaturarum; quare in Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. dicitur, causam finalem justificationis nostræ, esse gloriam Dei, & Christi: Sed Christus Deus & homo est speciali modo in sacramento Eucharistiæ, cùm hoc sacramẽtum realiter & substantialiter ipsum contineat: Ergo illud est finis aliorum sacramentorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. III.

Mens Augustini aperitur, & à nonnullorum calumniis S. Doctor vindicatur.

NOn solùm Heterodoxi quam plures, præsertim Calvinistæ, Augustinum accusant, quòd necessitatem Eucharistiæ re susceptæ omnibus imposuerit; sed inter Catholicos Joannes
84. Maldonatus in cap. 6. Joan. asserit Augustinum, & Innocentium I. in ea fuisse opinione, à cæterorum Patrum sensu longè dissentiente.

Verùm Augustinus clarissimè mentem suam explicat variis in locis, quibus declarat, se quando Eucharistiam omnibus esse necessariam
85. dixit, ejusque necessitatem clarissimis Salvatoris verbis confirmavit, manifestè de Eucharistia in voto susceptâ, non de actuali ejus esu loquutum fuisse. Ita enim sui interpres mentem suam exposuit lib. 3. de peccatorum meritis cap. 4. his verbis: *Quid autem apertius tot tantisque testimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidissimè apparet, nec præter Christi societatem, ad vitam salutemque æternam posse quenquam hominum pervenire, nec divino judicio posse aliquem injustè damnari, hoc est ab illa vita ac salute separari? unde fit consequens, ut quoniam nihil agitur aliud cùm parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est Christi corpori membrisque socientur, manifestum sit eos ad damnationem, nisi hoc eis collatum fuerit, pertinere.* Et postea: *Nunquid etiam illud, nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? Nonne Veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solùm in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere, præter Christi corpus cui ut incorporentur, sacramento Baptismatis induuntur.* Ubi S. Doctor eo modo vult Eucharistiam esse necessariam ad salutem, quo manducatur in Baptismo: manducari autem ait carnem Christi, quatenus incorporamur mystico Christi corpori & membris ejus, id est Ecclesiæ.

86. Idem declarat tract. 26. in Joan. ad hæc verba: *Qui manducat meam carnem*, &c. sic enim ait: *Qui hanc sumit, habet vitam, & hanc utique æternam. Hunc itaque cibum & potum societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, sicut rei sacramentum, id est virtutem corporis & sanguinis Christi. Alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum, in dominica mensa præparatur, & de mensa dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: res verò ipsa cujus sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit.* Quando ergo dixit Augustinus, Eucharistiam esse omnibus ad vitam necessariam, non de sacramento ut sic locutus est, quod quibusdam ad mortem, quibusdam ad exitium tribuitur; sed de re sacramenti, quam societatem esse ait corporis & membrorum Ecclesiæ, cui parvuli per baptismum ascribuntur.

87. Item Augustinus mentem suam aperit apud Prosperum sententia 341. ubi sic habet: *Escam vitæ accipit, seu æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cujus Christus habitator est: nam qui discordat à Christo, nec carnem ejus manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tantæ rei sacramentum ad judicium sua præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.* Itaque, juxta Augustini doctrinam, res & fructus Eucharistiæ, qui est in Christo manere, omnibus est omnino necessarius ad salutem, nec potest ullus unquam vitam æternam habere, qui eo modo Eucharistiam non comederit.

Prospero adjungo D. Thomam, fidelissimum 88.
Augustini Discipulum, ille enim sic Magistrum suum intellexit hic qu. 73. art. 3. ad 1. ubi explicans illud Christi, *Nisi manducaveritis*, &c. sic ait: *Dicendum quod sicut Augustinus dicit exponens illud verbum Joannis, hunc cibum & potum, scilicet carnis suæ, societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est Ecclesia.* Quod & his verbis ipsius Augustini in epistola ad Bonifacium ostendit: *Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium, corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in Baptismate membrum corporis Christi efficitur; nec alienari ab ipsius panis, calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.*

Demum Augustinum solùm velle, Eucharistiæ votum in baptismate inclusum, esse parvulis ad salutem necessarium, non verò ipsam Eucharistiam in re susceptam, ex eo liquet, quod 89.
lib. 1. de peccatorum meritis docet baptismum infantibus sufficere ad salutem: *Parvulus* (inquit) *si percepto baptismo de hac vita migraverit, soluto reatu cui erat originaliter obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens, in æternum justificatos præsentiâ veritatis illuminat.* Quod & cap. 21. & 22. repetit, nec non libro 2. cap. 28.

§. IV.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

EX his intelliges primò, quod licèt realis & 90.
sacramentalis receptio Eucharistiæ, non sit de necessitate salutis, benè tamen mystica & spiritualis. Unde D. Thomas hic art 3. ad 1. & in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 1. exponit verba illa Christi Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, de hac mystica & spirituali receptione Eucharistiæ: *Dominus* (inquit) *loquitur de manducatione spirituali, sine qua non potest esse salus.* Consistit autem mystica hæc & spiritualis susceptio Eucharistiæ, in incorporatione cum Christo, juxta illud Augustini Tractatu 26. in Joan. *Hoc est manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere:* unde cùm per Baptismum incorporemur Christo, realis susceptio Baptismi, est mystica & spiritualis receptio Eucharistiæ, & votum implicitum & virtuale illius; est enim (ut suprà dicebamus) quædàm inchoatio vitæ spiritualis, quæ ex se & ex natura sua ordinatur ad suam perfectionem, consummationem, & finem, qui non est alius, quàm unio & incorporatio cum Christo, quæ fit in sacramento Eucharistiæ. Ex quo fit, receptionem spiritualem Eucharistiæ, ejusque votum, causam esse ejusdem effectûs, cujus est causa susceptio sacramentalis Baptismi, non tamen eodem modo; nam Baptismus in re susceptus, est causa efficiens instrumentalis illius: Eucharistia verò spiritualiter recepta, est ejus causa finalis, & universalis. Ex quo intelliges, votum Eucharistiæ, quod in Baptismo & in aliis sacramentis implicitè includitur, esse longè diversæ rationis à voto sacramenti

sacramenti Baptismi, & Pœnitentiæ, quod includitur in contritione, vel dilectione Dei super omnia, nam Eucharistia per modum finis, in Baptismo & in aliis sacramentis includitur; votum autem sacramenti Baptismi, vel Pœnitentiæ, per modum causæ efficientis, includitur in contritione vel in dilectione; unde votum Eucharistiæ causat primam gratiam, solùm in genere causæ finalis; votum verò Baptismi vel Pœnitentiæ, eam in genere causæ efficientis instrumentalis producit. Per quod præcipua Adversariorum argumenta solvuntur, ut patebit ex dicendis §. sequenti.

91. Intelliges etiam ex dictis, speciali quadam ratione includi votum Eucharistiæ in Baptismo, quâ non includitur in aliis sacramentis: Baptismus enim est initium vitæ spiritualis, Eucharistia verò ejus perfectio & consummatio: Sed initium vitæ spiritualis, speciali quadam ratione, ad suam perfectionem & consummationem, tanquam in finem inclinatur: Ergo Baptismus speciali quadam ratione inclinatur in Eucharistiam tanquam in finem, subindeque in Baptismo, speciali quadam ratione, includitur votum Eucharistiæ ut finis.

§. V.

Solvuntur objectiones.

92. OBjicies primò authoritatem D. Thomæ suprà quæst. 65. art. 4. ubi agens de necessitate sacramentorum novæ legis, dicit Baptismum tantum & Pœnitentiam esse sacramenta necessaria necessitate medij, respectu cujuslibet, & sacramentum Ordinis respectu totius communitatis; alia verò solùm ad melius esse necessaria pronuntiat: Ergo ex D. Thoma Eucharistia non est necessaria necessitate medij ad salutem.

Respondeo D. Thomam loqui ibi de omnibus sacramentis, secundùm quòd sunt specialia quædam & distincta sacramenta, & per ordinem ad effectus quos habent causare in genere causæ efficientis; in quo sensu non dicimus Eucharistiam esse necessariam, sed in alio suprà explicato. Unde diligenter observandum est, & semper præ oculis habendum, ut sic præcipua Adversariorum argumenta facilè diluantur, quòd Eucharistia dupliciter considerari potest, primò inquantùm aliquod sacramentum particulare, & sic habet influentiam per modum causæ efficientis in suam propriam gratiam quam confert distinctam à cæteris: Secundò ut causa universalis aliorum sacramentorum, & sic habet influentiam in omnem gratiam, & in omnes effectus qui dantur per alia sacramenta; & ista causalitas est finalis, quia omnia sacramenta ordinantur ad Eucharistiam ut ad finem, quatenus in ea realiter continetur ipsa communicatio passionis Christi, & perfectissima unio ad ipsum, qui est finis omnium sacramentorum & institutionis eorum. Primo modo votum Eucharistiæ non est de necessitate salutis; secundo autem modo dicitur votum Eucharistiæ necessarium; quia cùm ejus influentia sit universalis in omnia sacramenta, hoc ipso quòd sacramentum Baptismi est necessarium, etiam Eucharistia ut intenta in illo & implicitè ac virtualiter ibi contenta, necessaria erit.

93. Objicies secundò: Illud non est necessarium necessitate medij ad consequendam primam gratiam, sine quo prima gratia obtineri potest: At sine voto Eucharistiæ potest prima gratia obtineri: Ergo votum Eucharistiæ non est ad illam obtinendam necessarium necessitate medij. Major patet, Minor probatur, quia per solum Baptismum, vel Pœnitentiam, potest quis consequi primam gratiam; cùm enim Baptismus & Pœnitentia sint sacramenta mortuorum, ad productionem primæ gratiæ per se primò instituta sunt.

Respondeo, concessâ Majori, negando Mi- 94.
norem; & ad illius probationem, nego Consequentiam; quia in ipsa susceptione Baptismi vel Pœnitentiæ, implicitè, & virtualiter, votum Eucharistiæ per modum finis includitur, ut suprà ostensum est.

Instabis: Votum Eucharistiæ non includitur 95.
in sacramentis Extremæ-Unctionis, Confirmationis, & Matrimonij: Ergo neque in Baptismo. Consequentia videtur legitima, ex paritate rationis, Antecedens probatur. Qui recipit Extremam-Unctionem v.g. potest habere voluntatem explicitam, quâ proponat se ampliùs non communicaturum, putà quia certò scit se statim moriturum: Ergo in susceptione Extremæ-Unctionis, non includitur votum Eucharistiæ.

Respondeo primò, negando Antecedens; nam 96.
etiam Confirmatio, Matrimonium, & Extrema-Unctio, ordinantur ad Eucharistiam; non ratione sumptionis sacramentalis, sed ad disponendum ad ejus effectum, qui est unio cum Christo, & vita æterna, vel ad illum conservandum: nam Confirmatio roborat nos in fide, & reddit membra Christi fortiora, ad confitendum fidem ejus; & consequenter ad conservandam unionem cum Christo, quæ est effectus generalis omnium sacramentorum, principaliter tamen appropriatus Eucharistiæ, & derivatus ab illa ut à fine: Extrema verò-Unctio maximè ordinatur ad conferendam istam unionem cum Christo, in ultimo conflictu, ut præparet nos ad ultimam perseverantiam, & introitum in cœlum; & sic maximè respicit vitam æternam, quæ est proprius effectus Eucharistiæ. Matrimonium significat conjunctionem Ecclesiæ cum Christo, & sic suo modo disponit ad illam conjunctionem animæ cum Christo, quæ specialiter fit in Eucharistia; & similiter servit secundariò, ad reprimendam vel mitigandam concupiscentiam, cujus repressio vel mitigatio est, maxima dispositio ad Eucharistiam. Ad probationem Antecedentis dicendum est, posse quidem hominem qui recipit Extremam-Unctionem, habere voluntatem explicitam, quâ proponat se ampliùs non communicaturum; velle tamen non posse, quòd Extrema-Unctio non ordinetur ad Eucharistiam tanquam ad finem, cùm omnia sacramenta novæ legis, ex sua natura & institutione id habeant, unde propositum illud iterum non communicandi, tollit quidem seu impedit votum explicitum & formale Eucharistiæ, non tamen votum ejus implicitum & virtuale, cùm illud in receptione cujuslibet sacramenti imbibatur, ut ex supra dictis patet.

Respondeo secundò, dato Antecedente, ne- 97.
gando Consequentiam; nam ut §. præcedenti coroll. 2. ostensum est, votum implicitum Eucharistiæ in Baptismo (idem cum proportione dicendum de Pœnitentia) speciali quadam ratione imbibitur, quâ non includitur in aliis sacramentis; quia nimirum inchoatio vitæ spiri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tualis, quæ fit in Baptismo, specialiter ordinatur ad perfectionem & consummationem ejusdem vitæ spiritualis, quæ fit in Eucharistia, juxta illud quod ex Dionysio suprà retulimus: *Non contingit aliquem perfici perfectione hierarchicâ, nisi per divinissimam Eucharistiam.*

98. Objicies tertiò: Si votum Eucharistiæ esset necessarium ad consequendam primam gratiam, sequeretur quod ille qui suscipit aliquod sacramentum, aut facit actum charitatis, teneretur habere expressum desiderium communicandi, & recipiendi Eucharistiam, quamprimùm possit: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

99. Respondeo negando sequelam Majoris: Tum quia votum Eucharistiæ quod dicimus esse medium necessarium ad salutem, non est explicitum & formale, sed duntaxat implicitum & virtuale: Tum etiam, quia desiderium communicandi solùm est votum & desiderium Eucharistiæ, ut particulare sacramentum est, & respectu particularis effectûs ejus: votum autem Eucharistiæ quod dicimus esse de necessitate salutis, fertur ad Eucharistiam ut est causa universalis aliorum sacramentorum, & quatenus habet incorporare nos Christo, illique nos perfectè unire, qui est finis omnium sacramentorum, ut antea declaravimus.

ARTICULUS V.

Quandonam Christus instituit Eucharistiæ sacramentum?

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententia.

100. CErtissimum est secundùm fidem, sacramentum Eucharistiæ fuisse institutum à Christo in nocte cœnæ ultimæ, factæ cum Discipulis, pridie quàm pateretur: Id enim apertè testantur Evangelistæ, præsertim Matthæus cap. 26. his verbis: *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus &c.* Id etiam habetur in Concilio Viennensi, Clementinâ unicâ de reliquiis & veneratione Sanctorum, & in Tridentino sessione 13. cap. 1. ubi sic dicitur: *Ita majores nostri omnes, quotquot in vera Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum, in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse.* Et cap. 2. *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit in quo divitias diviniſſimi sui amoris veluti in nos effudit.* Idem profitetur Ecclesia in Canone Missæ, verbis illis: *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem &c.*

101. Tres hujus rei congruentias affert S. Thomas hîc art. 5. Prima est, quia cùm Christus vellet in propria specie discedere ab Apostolis, congruum fuit, ut seipsum relinqueret in specie aliena. Quam rationem insinuat Emissenus homil. 4. in Paschate, his verbis: *Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus sideribus, necesse erat ut die cœnæ sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret nobis, ut colereretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium.* Secunda est, quia cùm sine fide passionis Christi non possit esse salus, juxta illud Apostoli ad Romanos 3. *Quem posuit Deus propitiatorem per fidem, in sanguine ipsius*, oportuit ut omni tempore esset apud homines aliquod repræsentativum passionis Christi, subindeque quòd Christus pridie quàm pateretur, suæ passionis mox futuræ, memoriale nobis exhiberet in sacramento Eucharistiæ. Tertia, quia ea quæ ultimò dicuntur & fiunt, maximè ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur, eò quòd magis tunc inflammetur affectus ad amicos, & ea ad quæ magis afficimur, profundiùs animo imprimuntur; proindeque ut sacramentum corporis & sanguinis Christi, vehementiùs commendaretur Apostolis, congruum fuit ut Christus in ultimo suo discessu ab eis, ipsum instituret. Addi potest quòd testamenta fieri solent ante mortem testatoris: unde cùm Christus in Eucharistia, suum corpus & sanguinem Discipulis, & aliis fidelibus, quasi testamento legaverit, ut dicitur Lucæ 22. convenientissimum fuit, ut pridie quàm moreretur, mirabile hoc sacramentum institueret.

102. In hoc, ut dixi, conveniunt omnes fideles, sive Latini, sive Græci, sed magna & celebris est inter illos controversia, de die quâ Christus ultimam cœnam cum Apostolis fecit. Græci enim, ut suum ritum & sententiam de confectione Eucharistiæ in pane fermentato tueantur, asserunt Christum, cœnam illam celebrasse non die aut lunâ 14. primi mensis, nam tunc non licebat Judæis comedere fermentatum, ut patet Exodi 12. sed die aut lunâ 13. quo tempore Judæi, non azymis, sed fermentatis panibus utebantur.

103. Sunt etiam quidam ex Latinis, ut Stella in Lucam, Oleaster, Luysius, & alij, qui eandem sequuntur sententiam, diverso tamen ducti fundamento: ideò enim volunt Christum manducasse Agnum lunâ 13. quia (inquiunt) ita lex statuebat: quod enim dicitur Exodi 12. Agnum immolandum esse lunâ 14. ad vesperam, existimant debere intelligi de prima vespera, quæ est finis lunæ seu diei 13. Græci verò, licèt admittant Agnum debuisse manducari juxta legem, lunâ 14. in secunda vespera, addunt tamen Christum anticipasse unâ die, & manducasse illum lunâ 13. quod colligunt ex eo quod Joan. 18. dicitur quòd Sacerdotes non introïerunt in Prætorium (eâ scilicet die quâ Christus crucifixus est) *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha:* Ex hoc enim videtur sequi, Christum qui in die præcedenti comederat Agnum, anticipasse diem statutum in lege. Ut hæc meliùs percipiantur, & vera stabiliatur sententia, duo breviter hîc præmittenda sunt, quæ Scripturæ Interpretes fusè expendunt.

104. In primis sciendum est, Judæos menses computare solitos fuisse, secundùm lunas, ita ut primum diem mensis cujuslibet, à prima luna seu Neomenia notarent, anni verò initium sumerent à prima luna, post veris æquinoctium; ita ut ab ea inciperet primus mensis dictus Hebraïcè *Abib*, Caldaïcè *Nizan*, Martio nostro correspondens; de quo dicitur Exodi 12. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*, quia nimirum tali mense Deus à Pharaonis tyrannide eos eduxerat. Dierum verò tres differentias agnoscebant, scilicet legalium, naturalium, &

& artificialium. Dies legales accipiebantur à vespera unius diei, ad vesperam subsequentis, juxta illud Levitici 23. *A vespera usque ad vesperam, celebrabitis sabbata vestra.* Ubi per sabbata intelligenda sunt quælibet festa maximè solemnia; nam eodem loco festum expiationis celeberrimum, vocatur *sabbatum requietionis.* Unde D. Thomas in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3. ad 3. sic ait: *Quamvis ante Christi resurrectionem, à mane in mane computaretur; tamen hoc erat speciale in solemnitatibus legis, quòd computabatur dies à vespera ad vesperam;* eo modo quo in Ecclesia modò festa incipiunt, quoad officium, à prima vespera, usque ad secundam. Dies naturales accipiebantur apud Hebræos, sicut apud nos, à media nocte, in medium noctis sequentis; vel ut aliquibus placet, & insinuat D. Thomas loco citato, ab ortu *Solis*, in ortum subsequentem. Dies verò artificiales condistinguebantur etiam sicut modò contra noctem, ita ut comprehenderent tantùm illud spatium, in quo lux Solis apparebat.

105. Sciendum est præterea, inter festa Judæorum, duo maximæ apud eos solemnitatis fuisse, nempe festum Paschatis, sive transitûs, & festum Azymorum: ex quibus primum erat institutum in memoriam beneficij, quo Angelus vastator, transiens per Ægyptum, primogenitosque Ægypti interimens, Hebræos salvos & intactos reliquerat: secundum verò in recordationem alterius beneficij, priori succedentis, quo eadem nocte post interemptos primogenitos Ægyptiorum, Hebræi ex Ægypto festinanter egressi sunt, Ægyptiis urgentibus, ita ut cùm non possent fermentare panes, præproperè azymos coxerint, ut Exodi 12. narratur. Inter has autem duas festivitates, hæc est notanda differentia, quòd Pascha unâ tantùm die, eâque integrâ, scilicet 14. lunâ primi mensis, sub vesperam celebrabatur, ut patet Exodi 12. Levitici 23. Deuteron. 16. subindeque ejus solemnitas non incipiebat in vigilia præcedenti, sive in vespere lunæ 13. nec cum vigilia sabbati quietis concurrebat: At verò celebritas Azymorum complectebatur septem dies legales completos, quorum primus & septimus festivi erant, & solemnissimi; propter quod solemnitas primæ diei azymorum, quæ erat luna 15. incipiebat à vespere lunæ 14. & sic Phase sive Pascha conjungebatur cum festo Azymorum; ita ut à cœna paschalis agni, comedendi cum azymis, usque ad vigesimum primum diem ejusdem mensis inclusivè, panis fermentatus intra domos Judæorum non extaret. Ita apertè ex Scriptura colligitur, nam Exodi 12. sic habetur: *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni. Decimâ die mensis hujus, tollat unusquisque agnum per familias & domos suas, & servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël, ad vesperam; & edent carnes nocte illâ assas igni, & azymos panes, & comedetis festinanter: habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum solemnem Domino: septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentatum in domibus vestris; dies prima erit sancta, & solemnis, & dies septima, eadem festivitate venerabilis.* His positis.

106. Græci, ut diximus, ut suum ritum & doctrinam de confectione Eucharistiæ in pane fermentato tueantur, asserunt Christum Dominum cœnam agni Paschalis, in qua hoc sacramentum instituit, non celebrasse primâ die azymorum, sive lunâ 14. sed ipsam prævenisse, ita ut suum Pascha celebraverit lunâ 13. Martij, mortuus verò fuerit lunâ 14. in qua Judæi post vesperam suum Pascha immolabant, & incipiebant uti azymis. Latini è contra ut ritum suum de consecrando in azymo defendant, affirmant Christum cœnam agni Paschalis, in qua instituit sacramentum Eucharistiæ, celebrasse die seu lunâ 14. mensis primi, ad vesperam, in qua incipiebat solemnitas primæ diei azymorum, subindeque Christum in azymo, non verò in fermentato consecrasse.

§. II.

Vera sententia duplici conclusione stabilitur.

DIco primò, Christum cœnam agni Paschalis, die seu lunâ 14. mensis primi, ad vesperam celebrasse, subindeque eadem die sacramentum Eucharistiæ instituisse. Ita communiter Patres & Doctores Latini, imò & D. Chrysostomus, summæ inter Græcos auctoritatis, homil. 85. in Matthæum. Et Theophilactus in cap. 22. Lucæ: *Diem azymorum* (inquit) *nominat feriam quintam, in cujus vespera pascha immolaturi erant.* Quod & tradit in commentariis in alios Evangelistas cujus tamen verba corrupta, benè ex vetustioribus exemplaribus restituit Arcadius lib. 3. cap. 5.

107. Probatur primò conclusio evidentibus Scripturæ sacræ testimoniis, nam Matth. 26. dicitur: *Primâ autem die azymorum, accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Et paulò post dicitur Christum vespere facto cum illis discubuisse, & cœnasse; quod idem asseritur Marci 14. & Lucæ 22. Sed prima dies azymorum, non erat decima tertia mensis primi, quia totâ die 13. comedebatur panis fermentatus, sed decima quarta, in cujus vespera incipiebant comedi azyma, & non licebat comedere fermentatum, aut illud in domibus habere, ut patet Exodi 12. verbis suprà relatis: Ergo Christus non celebravit die decimâ tertiâ, sed decimâ quartâ primi mensis, cœnam in qua comedit Pascha, id est Agnum paschalem, & sacramentum Eucharistiæ instituit.

108. Nec rectè Euthimius primum diem azymorum explicat, ipsum pridie azymorum: Tum quia addit, *diem festum azymorum:* Erat autem dies festus, solùm primus & septimus dies azymorum, ut constat ex verbis Exodi suprà adductis. Tum etiam, quia credibile non est, Christum qui in omnibus fuit divinæ legis observantissimus, & qui ut ipse dicebat Matthæi 5. *non venit legem solvere, sed adimplere*, prævaricatum fuisse legem, anticipando diem pro hac celebritate institutum. Et certè, si hoc fecisset, justè potuissent Judæi hoc illi objicere, nec tantùm laborassent in quærendis falsis testibus.

109. Ad hoc respondet iterum Euthymius; fuisse licitum prævenire Pascha, quamvis non liceret ultra diem constitutum à lege differre.

Sed contra primò, quia inde maxima confusio in hujus festi celebratione accidisset, si fuisset cuivis liberum celebrare suum Pascha, quacunque die lunam decimam quartam antecedente.

Contra secundò: Hoc fingit Euthymius, nam Scriptura

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scriptura nullibi, ne apparenter quidem, id insinuat, sed potiùs contrarium docet apertè: Numer. enim cap. 9. lex permittit quidem in favorem immundorum, ac peregrinorum, ut propter immunditiam, vel peregrinationem longinquam, extra terram Chanaam, Pascha suum in secundum mensem differant: imperat tamen ut illud celebrent ipsâ lunâ decimâ quartâ, sub vesperam.

110. Probatur secundò conclusio, & magis adhuc impugnatur Græcorum sententia. Non est assignabilis causa sufficiens, ob quam Christus legaliter cœnaverit, pridie quàm lex juberet: Quæro enim, quænam fuerit causa illa?

Respondent Græci, quia sciebat se in crastino morte præventum, non posse agnum comedere. Verùm hæc causa nulla est, Christus enim non debebat servare legem, nisi quandiu viveret, subindeque non erat cur illud mandatum, quod mortem erat subsecuturum, antea impleret; sed satis erat ut ad complendam veritatem figuræ Agni typici, immolaretur in cruce.

111. Dico secundò, per vesperam diei seu lunæ decimæ quartæ, in qua lex præcipiebat immolari Agnum Paschalem, non debet intelligi ea quæ præcedebat diem seu lunam decimam quartam, sed quæ sequebatur, & quæ erat secunda vespera diei decimæ quartæ, & prima diei decimæ quintæ; proinde Christum eâ vesperâ Pascha cum Discipulis celebrasse, & sacramentum Eucharistiæ instituisse. Ita communiter docent Theologi, & Scripturæ Interpretes, contra Stellam, Oleastrum, & Luysium, suprà relatos.

112. Probatur breviter: Lex ferebat manducandum esse Agnum, eâ vesperâ quâ incipiebat prohibitio usûs fermentati; nam esus agni, & prohibitio fermentati, seu dies azymi, simul incipiebant: Sed hæc prohibitio non incipiebat in prima vespera lunæ decimæ quartæ, sed potiùs in secunda: Ergo &c. Major patet ex suprà dictis, Minor probatur. Prohibitio fermentati non incipiebat nisi primâ die azymorum: Sed prima dies azymorum, erat tantùm luna decima quinta, & inchoabat in secundis vesperis lunæ decimæ quartæ: Ergo prohibitio fermentati non inchoabat in prima vespera lunæ decimæ quartæ, sed in secunda. Major constat, quia usus fermentati non erat prohibitus, nisi in diebus azymorum: Ergo ante primam diem azymorum, non incipiebat prohibitio fermentati. Minor verò ex eo suadetur, quòd si prima dies azymorum fuisset luna decima quarta, & incœpisset lunâ decimâ tertiâ in fine; cùm aliunde ultima dies azymorum esset luna vigesima prima, jam fuissent octo dies integri azymorum, cùm tamen Scriptura Exodi 12. expresè asserat esse tantùm septem.

113. Respondent Adversarij, lunâ decimâ tertiâ in fine, non fuisse prohibitum fermentatum, nisi quantùm ad cœnam legalem, in qua comedebatur agnus, non verò in aliis cœnis, & quantùm ad alios cibos; & primam diem azymorum simpliciter, non fuisse lunam decimam quartam, sed decimam quintam; & in hoc sensu verum esse, quòd esset tantùm septem dies azymorum. Addunt tamen, posse admitti octo dies azymorum secundum quid, quia luna decima quarta potest dici prima dies azymorum secundùm quid, ex eo quòd, quantùm ad cœnam legalem, non licebat uti fermentato in prima ejus vespera.

114. Verùm si hæc responsio & doctrina vera esset, nullum haberemus fundamentum ad colligendum contra Græcos, Christum consecrasse in azymo: Sed hoc est contra omnes Doctores Latinos, etiam illos contra quos disputamus: Ergo &c. Sequela Majoris probatur: Latini nullum aliud habent fundamentum ad id colligendum, nisi quia non licebat uti fermentato, eo tempore quo Christus consecravit: Sed juxta solutionem datam, hoc fundamentum esset nullum: Ergo &c. Minor probatur, quia juxta illam lunâ decimâ quartâ, ante secundam vesperam, non erat prohibitum fermentatum, nisi quantùm ad cœnam legalem, quæ juxta Adversarios, perficiebatur in prima vespera lunæ decimæ quartæ: Sed Christus non instituit Eucharistiam in cœna legali, sed in communi & usuali, ut docet Tridentinum sess. 22. cap. 1. dicens quòd Christus *vetere Pascha completo, novum instituit*, & Augustinus Epist. 108. ubi ait Christum priùs comedisse Agnum Paschalem, & deinde Eucharistiam instituisse. Id etiam inquit S. Thomas in hymno quod edidit, verbis istis: *Post Agnum typicum, expletis epulis, corpus Dominicum dedit Discipulis*: Ergo si consecravit lunâ decimâ tertiâ in fine, potuit uti fermentato in institutione Eucharistiæ.

§. III.

Præcipua Græcorum fundamenta solvuntur.

115. PRæcipua Græcorum fundamenta sumuntur ex variis Scripturæ locis, quibus insinuari videtur, Christum Pascha celebrasse cum Discipulis suis, antequam Judæi illud celebrarent, subindeque præveniisse diem à lege statutam, quæ erat decima quarta primi mensis.

116. In primis enim Joan. 13. omnia illa quæ Christus gessit in cœna, facta dicuntur *ante diem festum Paschæ*.

Secundò, Idem Evangelista cap. 18. ait quòd in die passionis Domini, Judæi *non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, id est Agnum Paschalem: Ergo illâ die à Judæis manducabatur, subindeque Christus Pascha celebravit, pridie quàm à Judæis celebraretur.

Tertiò, Capite 19. Christus dicitur mortuus Parasceve Paschæ: Sed parasceve est totum tempus præcedens, in quo ea quæ ad Paschatis celebritatem necessaria erant parabantur: Ergo Christus mortuus est, antequam Judæi Pascha celebrassent, subindeque in celebratione Paschæ, & manducatione Agni Paschalis, diem à lege statutam anticipavit, & per consequens non die seu lunâ decimâ quartâ, sed decimâ tertiâ, illud celebravit.

Denique, Christus non est passus die primâ Azymorum, quæ erat decima quinta mensis primi: Ergo decimâ quartâ, & per Consequens die decimâ tertiâ, Pascha celebravit, & sacramentum Eucharistiæ instituit. Utraque consequentia patet, Antecedens probatur. Tum quia, cùm in die solemni Azymorum nefas esset Judæis litigare, accusare, & jus dicere, Christum eâ die non rapuerunt ad mortem. Tum etiam, quia in die festo nihil Judæis licebat facere, exceptis iis quæ ad vescendum pertinebant, ut dicitur Exodi 12. & tamen eâ die quâ Christus mortuus

tuus est, mulieres paraverunt aromata & unguenta, ut dicitur Lucæ 23. Addi potest, quòd dies sabbati quæ secuta est immediatè mortem Christi, Joan. 19. appellatur *Dies magnus sabbati*: quo nomine non designatus fuisset, nisi extitisset dies primus Azymorum, quia non habuisset specialem aliquam magnitudinem & solemnitatem supra alia sabbata: Ergo Christus non est passus die primâ Azymorum.

117. Propter hæc argumenta, Burgensis, Lyranus, Catharinus, & alij dixerunt, Christum manducasse quidem Agnum Paschalem lunâ decimâ quartâ in secundis vesperis, sed Judæos illo anno, ex speciali dispensatione, distulisse hanc comestionem in lunam decimam quintam, quæ erat sabbatum, seu prior vespera sabbati; quia enim populo molestum erat, duo festa immediata colere, cùm nullum opus servile licitum esset diebus festivis facere, etiam pro cibis parandis; & aliunde lunâ decimâ quartâ illo anno incidente in feriam quintam, prima dies Azymorum incideret in feriam sextam, quâ Christus passus est, consequenter potuerunt ex dispensatione differre esum Agni in lunam decimam quintam, ut sic primus dies festus Azymorum celebraretur ipso sabbato.

118. Sed contra primò: Marci 14. dicitur, Christum comedisse Agnum *die prima Azymorum, quando Judæi Pascha immolabant*: Ergo Christus & Judæi eodem die immolarunt Agnum. Item Lucæ 22. dicitur: *Venit prima dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*, scilicet secundùm legem, in quam subinde non cadebat dispensatio; aliàs si in illo anno fuisset dispensatio, non fuisset necesse illâ die occidi Pascha, quia potuisset differri.

119. Secundò impugnatur hæc responsio, destruendo fundamentum cui illius Authores nituntur, & ostendendo ipsos in idem incommodum incidere quod vitare volunt: si enim illo anno prima dies Azymorum fuisset celebrata in sabbato; septima dies, quæ etiam erat festiva, & eadem festivitate quâ prima venerabilis, ut dicitur Exodi 12. incidisset in feriam sextam sequentem, quæ immediatè præcedebat sabbatum, & sic duo festa sibi immediatè succedissent, etiam juxta

120. Adversariorum sententiam.

Aliter ergo argumentis propositis respondetur. Ad primum enim dicendum, quæ à Christo gesta sunt in nocte cœnæ, dici ab Evangelista facta ante diem festum Paschæ, sumptâ die pro artificiali prout distinguitur à nocte; non pro naturali, ut complectitur noctem: unde non dixit *ante festum*, sed *ante diem festum*. Quæ explicatio est Catechismi Romani cap. de Eucharistia, & D. Thomæ in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstiunculâ 3. ad 1.

Ad secundum cum eodem S. Doctore ibidem in resp. ad 3. respondetur, quòd quando Evangelista ait, quod Judæi, die quâ Christus crucifixus est, non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha: per ly *Pascha* non intellexit esum Agni Paschalis, sed esum panum Azymorum, qui per septem dies comedebantur, aut victimarum, quæ per dies Paschales offerebantur, & quæ *Paschata* dicebantur, illæ enim non nisi à mundis comedi debebant.

Ad tertium dicendum per parasceve Paschæ non intelligi præparationem ad Pascha, sed parasceve quæ erat festum Paschæ, id est feria sexta intra festa paschalia illo anno occurrens. Judæi enim quamlibet feriam sextam appellabant parasceve, quia in ea præparabant necessaria ad diem sabbati sequentem, in quo non licebat eis quidquam operari, nequidem cibos præparare. Quæ explicatio confirmatur ex illo Marci 15. *Erat parasceve, quod est ante sabbatum*; & ex illo Joan. 19. *Judæi ergo, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, &c.* Ex quibus patet, parasceve fuisse, non ad Pascha, sed ad sabbatum.

Ad quartum nego Antecedens, & ad primam ejus probationem dico, non esse certum ex Scriptura, actus judiciales fuisse in hoc festo prohibitos: vel Judæos facilè potuisse existimare, pro bono communi se pro tunc ad eam legem non teneri.

Ad secundam respondeo quod sicut primâ die Azymorum, licèt festo, licitum erat coquere cibos, ita & alia ejusmodi facere, quæ non licebat facere in sabbatis; unde mulieres feriâ sextâ, quæ erat prima dies Azymorum, paraverunt aromata. Addo cum D. Thoma suprà citato, ad 4. opera misericordiæ non reputari inter opera servilia, unde in die solemni licebat aromata ad sepulturam præparare, quia hoc erat opus misericordiæ.

Ad id quod additur, respondet idem Sanctus Doctor ibidem ad 5. quod *quacunque die de septem diebus Azymorum, sabbatum veniret dicebatur magnus dies sabbati, propter geminatam solemnitatem, scilicet sabbati & paschæ*, id est dierum paschalium, inter quos septem dies Azymorum computabantur.

§. IV.

Solvuntur argumenta contra secundam conclusionem.

121. COntra secundam conclusionem objiciunt primò Stella, Oleaster, & Luysius: Eâ vesperâ Judæi celebrabant Pascha, quæ pertinebat ad lunam seu diem decimam quartam: Sed ad diem sabbati quæ secuta est immediatè mortem Christi, Joan. 19. appellatur *Dies magnus sabbati*: quo nomine non designatus fuisset, nisi extitisset dies primus Azymorum, quia non habuisset specialem aliquam magnitudinem & solemnitatem supra alia sabbata: Ergo Christus non est passus die primâ Azymorum.

Propter hæc argumenta, Burgensis, Lyranus, Catharinus, & alij dixerunt, Christum manducasse quidem Agnum Paschalem lunâ decimâ quartâ in secundis vesperis, sed Judæos illo anno, ex speciali dispensatione, distulisse hanc comestionem in lunam decimam quintam, quæ erat sabbatum, seu prior vespera sabbati; quia enim populo molestum erat, duo festa immediata colere, cùm nullum opus servile licitum esset diebus festivis facere, etiam pro cibis parandis; & aliunde lunâ decimâ quartâ illo anno incidente in feriam quintam, prima dies Azymorum incideret in feriam sextam, quâ Christus passus est, consequenter potuerunt ex dispensatione differre esum Agni in lunam decimam quintam, ut sic primus dies festus Azymorum celebraretur ipso sabbato.

Sed contra primò: Marci 14. dicitur, Christum comedisse Agnum *die prima Azymorum, quando Judæi Pascha immolabant*: Ergo Christus & Judæi eodem die immolarunt Agnum. Item Lucæ 22. dicitur: *Venit prima dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*, scilicet secundùm legem, in quam subinde non cadebat dispensatio; aliàs si in illo anno fuisset dispensatio, non fuisset necesse illâ die occidi Pascha, quia potuisset differri.

Secundò impugnatur hæc responsio, destruendo fundamentum cui illius Authores nituntur, & ostendendo ipsos in idem incommodum incidere quod vitare volunt: si enim illo anno prima dies Azymorum fuisset celebrata in sabbato; septima dies, quæ etiam erat festiva, & eadem festivitate quâ prima venerabilis, ut dicitur Exodi 12. incidisset in feriam sextam sequentem, quæ immediatè præcedebat sabbatum, & sic duo festa sibi immediatè succedissent, etiam juxta

120. Adversariorum sententiam.

Aliter ergo argumentis propositis respondetur. Ad primum enim dicendum, quæ à Christo gesta sunt in nocte cœnæ, dici ab Evangelista facta ante diem festum Paschæ, sumptâ die pro artificiali prout distinguitur à nocte; non pro naturali, ut complectitur noctem: unde non dixit *ante festum*, sed *ante diem festum*. Quæ explicatio est Catechismi Romani cap. de Eucharistia, & D. Thomæ in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstiunculâ 3. ad 1.

Ad secundum cum eodem S. Doctore ibidem in resp. ad 3. respondetur, quòd quando Evangelista ait, quod Judæi, die quâ Christus crucifixus est, non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha: per ly *Pascha* non intellexit esum Agni Paschalis, sed esum panum Azymorum, qui per septem dies comedebantur, aut victimarum, quæ per dies Paschales offerebantur, & quæ *Paschata* dicebantur, illæ enim non nisi à mundis comedi debebant.

Ad tertium dicendum per parasceve Paschæ non intelligi præparationem ad Pascha, sed parasceve quæ erat festum Paschæ, id est feria sexta intra festa paschalia illo anno occurrens. Judæi enim quamlibet feriam sextam appellabant parasceve, quia in ea præparabant necessaria ad diem sabbati sequentem, in quo non licebat eis quidquam operari, nequidem cibos præparare. Quæ explicatio confirmatur ex illo Marci 15. *Erat parasceve, quod est ante sabbatum*; & ex illo Joan. 19. *Judæi ergo, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, &c.* Ex quibus patet, parasceve fuisse, non ad Pascha, sed ad sabbatum.

Ad quartum nego Antecedens, & ad primam ejus probationem dico, non esse certum ex Scriptura, actus judiciales fuisse in hoc festo prohibitos: vel Judæos facilè potuisse existimare, pro bono communi se pro tunc ad eam legem non teneri.

Ad secundam respondeo quod sicut primâ die Azymorum, licèt festo, licitum erat coquere cibos, ita & alia ejusmodi facere, quæ non licebat facere in sabbatis; unde mulieres feriâ sextâ, quæ erat prima dies Azymorum, paraverunt aromata. Addo cum D. Thoma suprà citato, ad 4. opera misericordiæ non reputari inter opera servilia, unde in die solemni licebat aromata ad sepulturam præparare, quia hoc erat opus misericordiæ.

Ad id quod additur, respondet idem Sanctus Doctor ibidem ad 5. quod *quacunque die de septem diebus Azymorum, sabbatum veniret dicebatur magnus dies sabbati, propter geminatam solemnitatem, scilicet sabbati & paschæ*, id est dierum paschalium, inter quos septem dies Azymorum computabantur.

§. IV.

Solvuntur argumenta contra secundam conclusionem.

121. CONtra secundam conclusionem objiciunt primò Stella, Oleaster, & Luysius: Eâ vesperâ Judæi celebrabant Pascha, quæ pertinebat ad lunam seu diem decimam quartam: Sed ad lunam seu diem decimam quartam, non pertinebat secunda vespera, sed prima tantùm; quia Judæi suas solemnitates inchoabant à vespera diei præcedentis, & terminabant in vespera sequente, seu ante vesperam sequentem: Ergo Judæi celebrabant Pascha primâ vesperâ diei decimæ quartæ, subindeque die decimâ tertiâ primi mensis.

122. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cujus probationem, in primis dico, falsum esse quòd dies festivi apud Judæos terminarentur ante secundam vesperam, nam ut suprà ostendimus, incipiebant in prima vespera, & terminabantur in secunda inclusivè; eo modo quo nunc in Ecclesia festa incipiunt quoad officium in primis vesperis, & durant usque ad secundas inclusivè. Addo quod, celebritas Paschæ apud Judæos non erat festiva, nec alio modo colebatur, quàm immolatione & comestione Agni; sed prima tantùm dies Azymorum, quæ proinde incipiebat in prima vespera lunæ decimæ quintæ, in qua, unà cum Azymis, & lactucis agrestibus, Agnus Paschalis comedebatur, ut dicitur Exodi 12.

123. Objiciunt secundò prædicti Authores: Eo tempore immolabant Judæi Agnum, quo primùm immolarunt illum in egressu de Ægypto: Sed in egressu de Ægypto, immolarunt Agnum

lunâ

Universidad de Deusto
Biblioteca

lunâ decimâ quartâ ad primam vesperam, hoc est in fine diei naturalis decimæ tertiæ : Ergo eadem die & vesperâ illum immolabant ; cùm Christus Pascha cum Discipulis celebravit. Major videtur certa, tum ex duodecimo capite Exodi, tum etiam quia illa immolatio agni fiebat in memoriam prioris immolationis, & liberationis primogenitorum Israël. Minor verò probatur. In illa nocte quâ Judæi egressi sunt de Ægypto, non potuerunt Agnum immolare, sed ad summum in nocte præcedenti : Atqui egressi sunt de Ægypto nocte quæ terminabat lunam decimam quartam, & inchoabat decimam quintam : Ergo nocte præcedente, ea scilicet quâ terminabatur luna decima tertia, agnum immolarunt. Minor habetur Exodi 12. & Numer. 13. ubi dicitur quòd Judæi *Profecti sunt de Rameſſe, menſe primo, decimâ quintâ die menſis primi.* Major verò, in qua est tota difficultas, probatur primò, quia nocte illâ quâ Judæi primò immolarunt Agnum, usque ad ortum diei, nullus poterat exire è domo, juxta illud Exodi 12. *Nullus veſtrùm egrediatur oſtium domûs ſuæ, uſque mane.* Secundò, quia post esum Agni, Judæi petierunt plurima vasa aurea & argentea ab Ægyptiis, multamque suppellectilem, quæ omnia non potuerunt fieri eadem nocte. Tertiò, quia Exodi 12. dicuntur exiisse de Ægypto sexcenta ferè millia peditum virorum, absque parvulis & fœminis : ad congregandam autem tantam multitudinem, quæ in diversis Ægypti urbibus dispersa erat, necessarius fuit saltem dies integer, qui proinde interesse debuit inter esum agni, & exitum eorum. Demum Num. 33. alterâ die à phase, seu Agni paschalis esu, Hebræi exiisse ex Ægypto dicuntur : Ergo non in eadem nocte.

124. Respondeo negando Minorem, & ad illius probationem, nego Majorem ; ad cujus primam probationem, nego Antecedens, quòd scilicet eâ nocte quâ Hebræi primò immolarunt agnum, nullus exierit è domo : neque enim Moyses præcepit ipsis, ut è domibus non egrederentur absolutè nocte illâ, sed ut non egrederentur, quousque compellerentur ab Ægyptiis ; nam sic rem gestam esse habetur Exodi 12. Jussit Angelus omnes filios Israël, sanguine agni immolati ad occasum Solis, sub finem lunæ decimæ quartæ, utrumque postem, & superliminaria domorum linire, ut sic notam illam advertens, domum ita rubricatam præteriret, & omnes, solosque primogenitos Ægyptiorum interficeret, quod & fecit ; jubente interim Moyse, ut dum tanta peragëretur strages, nullus Israëlitarum è domo sua egrederetur. Surgens autem Pharao nocte illâ, cunctaque Ægyptus, invenerunt omnes primogenitos jacere exanimes : veriti autem, & ne ipsi pariter occiderentur, compulerunt statim Judæos egredi de Ægypto, sicque exierunt, durante adhuc nocte, ante ortum Solis.

Ad secundam respondeo Judæos jam jam egressuros, vasa illa argentea & aurea postulasse, & Ægyptios, præ nimio desiderio quo optabant ut discederent, facilè concessisse ; unde propter nimiam festinationem quâ cogebantur egredi, non potuerunt fermentare, quod argumento est, eadem nocte fuisse egressos.

Ad tertiam dicendum, duplicem distingui egressum filiorum Israël, alterum quando de tota terra Gessen, & singulis urbibus ac oppidis ejus, coacti sunt exire ; & hoc contigit summo mane, ante ortum Solis diei decimæ quintæ, ut dictum est : alteram, quando jam in urbe aliqua congregati, omnes simul, ordinatè progressi sunt ; & hoc contingit vespere ad Solis occasum, in fine diei decimæ quintæ, quia urgebant semper Ægyptij ; præmonuerat autem Moyses, in quem locum deberent congregari ; & ad hoc necessarius saltem fuit unus dies, ut scilicet congregarentur.

Ad quartam respondeo, ideò Hebræos dici exiisse de Ægypto, altero die ab esu Agni, quia ad vesperam lunæ decimæ quartæ, Agnum comederant, & deinde sequenti mane egressi sunt de Ægypto.

ARTICULUS VI.

Nomina quibus hoc ſacramentum inſigniri ſolet, breviter recenſentur, & oſtenditur Agnum paſchalem fuiſſe præcipuam ejus figuram.

125. AGit S. Thomas art. 4. de nominibus quæ huic sacramento tribui solent, & docet illa esse præcipuè quinque : nam quatenus est commemorativum dominicæ passionis, vocatur *Sacrificium* ; ut est symbolum & causa Ecclesiasticæ unitatis, *Communio*, vel *Synaxis* ; ut est præfigurativum fruitionis Dei, nobisque præbet viam seu auxilium perveniendi ad patriam, *Viaticum*. Item hoc sacramentum *Eucharistia* dicitur, quod nomen, vel bonam gratiam, vel gratiarum actionem significat. Dicitur bona gratia, vel quia in hoc sacramento gratia Dei largiùs effunditur, vel quia gratiarum omnium fontem continet. Appellatur verò gratiarum actio, tum quòd in ejus institutione Christus gratias egit, tum quòd ad gratias Deo pro universis beneficiis referendas, nihil hac purissimâ hostiâ Deo acceptius offerre possumus. Unde Chrysostomus homil. 25. in cap. 8. Matthæi : *Optima* (inquit) *beneficiorum cuſtos eſt ipſa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum actio. Propterea & tremenda ac ſalutaria illius myſteria, quæ in omni ſynaxi celebramus, Euchariſtiam nuncupamus, ſunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipſum divinæ erga nos providentiæ oſtendunt, noſque faciunt debitas ſemper gratias exolvere.* Denique hoc sacramentum appellatur à Damasceno *Metalepſis*, id est assumptio, quia per illud Filij Dei Deitatem assumimus, & fit (ut loquuntur SS. Patres) veluti quædam *Incarnationis extenſio :* Etenim qui semel pro nobis in utero Virginis incarnatus est, quotidie ubique terrarum in omnibus quotquot voluerint aliquo modo incarnatur, dum caro ejus verè cibus, & sanguis ejus verè potus noster efficitur. *Magna & vera bona* (inquit Seneca epist. 73.) *non ſic dividuntur, ut exiguum in ſingulos cadat, ad unumquemque tota perveniunt.* Unde Christus beneficium uni tantùm humanitati in sua incarnatione collatum, in Eucharistia in omnes & singulos protendit, diffundit, & dilatat, & bonitatis suæ adeò prodigus efficitur, ut nullum repellat, sed omnibus sui copiam faciat, nec sit qui se abscondat à calore ejus.

126. Plura sunt alia nomina & elogia quibus SS. Patres hoc mirabile sacramentum insigniunt. S. Dionysius illud *ſacramentum ſacramentorum*, imò *ſacramentorum omnium conſummationem & perfectionem* appellat. S. Ignatius epist. ad Ephesios illud vocat *Gloriam Dei, & pacem Chriſti*, nec non *Pharmacum immortalitatis*. Clemens Alexandrinus : *Manna omnium malorum oblivionem inducens*. Paschasius, *Arborem vitæ plantatam in medio paradiſi Eccleſiæ*. Basilius, *Inexhauſtum vitæ theſaurum*. Tertullianus, *Sacramentum benedictionis*. Origenes, *Verbum nutritorium animarum*. Athanasius, *Panem beatitudinis*. Chrysologus, *Æternæ vitæ cibarium*. Prosper Aquitanus, *Poculum æternitatis*. Cyprianus, *Alimoniam immortalitatis, & vitæ æternæ portionem*. Guillelmus Parisiensis, *Ipſius amoris cibum*. Augustinus, *Sacramentum ſpei*. Cyrillus, *Vivificam benedictionem*. Rupertus, *Holocauſtum ſalutis*. Chrysostomus, *Orbis terrarum decus*. Eligius, *Lætitiam totius Trinitatis*. Demum D. Bernardus serm. in cœna Domini, mirabili hujus sacramenti dulcedine illectus, in ejus laudem exclamat : *Poteſne æſtimare quale vel quantum ſit hoc Sanctum ſanctorum, ſacramentum ſacramentorum, Amor amorum Dulcedo, omnium dulcedinum !* Illi concinit Matthæus Episcopus Vvormatiensis, qui hujus Diviniſſimi Sacramenti laudes præclaris his Encomiis, eleganter & devotè celebrat : *Redemptionis memoriale, pignus hæreditatis æternæ, futuræ jucunditatis amabile præludium, arrha ſponſæ, jocale divitum cœlitus ei donatum, Eccleſiæ militantis cum triumphante ſuave giutinum, & unio fraterna, dum illam dulcedinem quâ illa fruitur ſine velamento, iſta habet ſub ſacramento ; & ſi illa cœleſtis Ieruſalem habet Deum ſuum jucundius, iſta in terra militans, habet eum mirabiliius.*

127. Articulo sexto docet S. Thomas, sacramentum Eucharistiæ plures olim habuisse figuras, nimirum oblationem Melchisedech, qui obtulit panem & vinum ; Manna, quod habebat in se omnis saporis suavitatem, ut dicitur Sapient. 16. & varia sacrificia veteris legis, præsertim sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum ; sed præcipuam ejus figuram fuisse Agnum Paschalem quia perfectiùs repræsentabat omnia quæ ad ipsum pertinent : nam oblatio Melchisedech repræsentabat Eucharistiam solùm quantùm ad id quod est sacramentum tantùm, nimirum species panis & vini : Sacrificia veteris legis solùm repræsentabant Christum passum, qui est res hujus sacramenti ; Manna verò, ejus tantùm effectum, gratiæ nimirum Eucharisticæ dulcedinem & suavitatem, præfigurabat : Sed Agnus Paschalis quantùm ad hæc tria hoc sacramentum repræsentabat, quia manducabatur cum panibus azymis, immolabatur ab omni multitudine filiorum Israël ; quæ immolatio erat figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur Agnus ; & denique, quia per sanguinem Agni Paschalis protecti sunt filij Israël à devastante Angelo, & educti de Ægyptiaca servitute ; quæ eductio erat symbolum seu figura liberationis populi Christiani à servitute peccati, per gratiam justificantem, quæ in hoc sacramento copiosè confertur : Ergo Agnus Paschalis fuit præcipua hujus sacramenti figura. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus : itaque epulemur in Azymis ſinceritatis & veritatis.* Ubi Glossa ex Augustino : *Paſcha tranſitus dicitur* (inquit) *quia tunc primum populus Dei Paſcha celebravit, quando ex Ægypto Hebræi fugientes, mare rubrum tranſierunt : Nunc verò figura illa prophe-*

tica completa eſt, cùm ſicut ovis ad immolandum ductus eſt Chriſtus, cujus ſanguine illiniti poſtibus noſtris, id eſt frontibus Crucis ſigno ſignatis, à perditione hujus ſæculi, tanquam à captivitate Ægyptiaca liberamur, & ſalutiferum tranſitum agimus, cùm à diabolo tranſimus ad Chriſtum &c. Legendus est D. Gregorius homil. 22. in Evangelia, ubi totum Agni Paschalis mysterium explicat ex professo, & in gratiam resurrectionis Dominicæ, Paschati Christiano sigillatim applicat.

DISPUTATIO III.

De materia Euchariſtiæ.

Ad quæſtionem 74. Divi Thomæ.

CUm hoc sacramentum sit institutum per modum convivij, ad reficiendum spiritualiter animam, duplicem habet materiam remotam & transeuntem, ex qua conficitur ; alteram ex qua conficitur corpus, alteram ex qua sanguis efficitur. De utraque in hac disputatione dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Qualis debeat eſſe panis, ad conficiendum Euchariſtiam ?

§. I.

Præmittuntur quæ apud omnes ſunt certa, & referuntur ſententiæ.

1. SUpponimus ut de fide certum, materiam ex qua corpus Christi conficitur, esse panem, id enim colligitur evidenter ex facto Christi Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. ubi dicitur, Christum accepisse panem, & illud in corpus suum convertisse ; sicque Ecclesia semper intellexit, ut traditur in Concilio Lateranensi cap. *Firmiter*, in Florentino, in Decreto Eugenij, & in Tridentino sess. 13. & alibi sæpè ; fuitque præfiguratum in oblatione Melchisedech, qui obtulit, panem, unde Christus Psal. 109. & ad Hebræos 5. dicitur *Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Item Divina Sapientia Proverb. 9. cunctos fideles ad Eucharistiæ convivium invitans, sic ait : *Venite comedite panem meum* &c.

2. Per hoc excluduntur varij hæreticorum errores, quos refert D. Thomas hic art. 1. Quidam enim qui dicebantur Artotyritæ (ut Augustinus dicit lib. de hæresibus cap. 28. & Epiphanius hæresi 49.) offerebant panem & caseum in hoc sacramento, dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ovium fuisse celebratas. Alij verò, scilicet Cataphrigæ, & Peputiani, de infantis sanguine, quem de toto ejus corpore, minutis punctionum vulneribus extorquebant, Eucharistiam suam conficiebant, miscentes eum farinæ, panemque inde facientes.

Unde credo natam fuisse illam notam, quam Gentiles inuebant Christianis, quòd infantes occiderent. De qua Tertullianus mentionem facit in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apologetico cap. 7. & cap. 9. & Minutius Felix in libro ad Octavium.

His adjungi possunt Gnostici & Manichæi, quorum errores propter modestiam hic prætermisisse videtur D. Thomas. Primi enim in Semine humano corpus Christi conficiebant, ut refert Epiphanius hæresi 26. Secundi verò in pane humano semine conspersо, ut author est Augustinus libro de hæresibus cap. 46. Eosdem errores referunt Victorius, & Erasmus, in scholiis ad Epist. 54. S. Hieronymi, & Bernardus Luceburgensis lib. 3. verbo *Pepusita*, & verbo *Quintiliani*, Soto in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 1. referens Thomam Vvaldensem tomo 2. de sacram. cap. 19. & Laurentium Beyerlinch in theatro vitæ humanæ, verbo *Eucharistia*. Item Gravina tomo 1. præscriptionum, lib. 4. folio 632. Unde immeritò Vazquez hic disp. 170. cap. 1. contendit, nusquam hæreses illas extitisse; imò nullam hactenus, præter errorem Græcorum de fermentato, hæresim fuisse circa materiam consecrationis corporis Christi: hujus enim dicti falsitas, ex eo patet, quòd etiam his temporibus est Calvinistarum sententia, panem & vinum ita esse hujus sacramenti materias, ut tamen illis deficientibus, aliæ possint eorum loco subrogari, ut omne esculentum, loco panis; & omne poculentum, loco vini, ut docent Beza epist. 2. ad Tillium, Polanus lib. 5. Syntagmatum Theologicorum cap. 56. Scarphius de cœna sacra, controvers. 3. quæst. 1. & alij. Quin & sibi narratum à viro fide digno, refert Adrianus Hofstadius serm. 22. de Eucharistia, non defuisse Ministrum, qui frustulis panis deficientibus ad cœnam peragendam, singulis porrexit orbicularem particulam farciminis, quod gallicè *Saucisse*, sive *Boudin*, appellatur.

3. Supponimus etiam ut certum & indubitatum apud Theologos, solum panem verum & propriè dictum, qui simpliciter & absolutè est panis, esse materiam ad conficiendum corpus Christi. Sicut enim, quia ex Evangelio constat Baptismum debere fieri in aqua, rectè colligitur solam aquam veram & naturalem, esse materiam Baptismi: ita quia idem Evangelium asserit, Christum panem consecrasse, pro materia hujus sacramenti, & præcepisse Discipulis ut idem facerent, rectè infertur, solum panem verum & propriè dictum, qui simpliciter & absolutè est panis, esse materiam Eucharistiæ. Unde massa cruda, aut torrida Sole, non est apta materia, quia panis usualis requirit ut coquatur igne; sicut nec pasta oleo frixa, vel aqua elixa. Nec etiam amylum, quia fit ex tritico corrupto, & ex eo non fit panis usualis, cùm ejus materia non tam sit tritici farina, quàm lac ex eo expressum, ut notavit Soto. Debet etiam massa, ut ex ea fiat panis sacramentalis, seu consecrabilis, esse confecta ex farina & aqua naturali. Unde ut ait D. Thomas hic art. 7. ad 3. *Si farinæ admisceatur aqua rosacea, vel cuicunque alius liquor, quàm vera aqua, non posset ex eo confici sacramentum, quia non est verus panis.* Nec obstat quod opponit hîc Cajetanus, de hoc dubitans; nimirum aquam non esse partem essentialem componentem, sed transeuntem: est enim (inquit) panis tertia res resultans ex commixtione farinæ & aquæ, per pastæ decoctionem. Non obstat, inquam, nam quidquid sit, an aqua sit materia componens, an transiens, certè talis panis non est usualis, nec consequenter aptus ad consecrationem. Idem dicendum de pane confecto ex milio, legumi-
A nibus, nucibus, aut castaneis, vel ex radicibus arborum, qualis est ille qui fit in Insulis Americæ, vulgóque *Casave* appellatur, ille enim non est panis simpliciter, sed secundùm quid, nec usualis & communis, in quo Christus hoc sacramentum instituit. Quare difficultas solùm restat de pane qui sit ex granis aristas & spicas habentibus, & dicitur frumentaceus, latè sumendo nomen frumenti, prout est genus ad triticum, hordeum, siliginem, speltam, & similia; an nimirum quælibet eius species possit esse materia
B sufficiens ad consecrationem, vel solus triticeus sit aptus ad illam? Item, an debeat esse azymus vel fermentatus? Gabriel enim & Cajetanus docuerunt panem ex quacumque specie frumenti factum, esse materiam aptam ad consecrationem. Eandem sententiam, excluso hordeo, sequitur Paludanus in 4. distinct. 11. quæst. 1. articul. 4. ubi asserit aliquas Ecclesias consecrare in pane spelteaceo. Græci autem Schismatici putant esse de necessitate sacramenti, quòd panis sit fermentatus. Demum sunt aliqui qui dixerunt, azymum esse materiam necessariam pro Latinis, fermentatum verò pro Græcis, ut indicat Glossa in cap. *Litteras* de celebratione Missarum.

§. II.

C *Vera sententia duplici conclusione statuitur.*

4. DIco primò: Solus panis triticeus est sufficiens materia Eucharistiæ. Ita D. Thomas hic art. 3. & in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 1. & habetur expressè in Concilio Florentino in Decreto Eugenij, ubi de hoc sacramento dicitur: *Cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Nec rectè Cajetanus Concilium explicat de materia præcepti, non sacramenti; alias enim cùm ibidem dicit, materiam sanguinis esse vinum de vite, & aquam naturalem esse materiam Baptismi, eodem modo responderi posset, loqui solùm de materia præ-
D cepti; cùm tamen nemo dubitet, vinum vitigigineum esse materiam calicis; & aquam naturalem, materiam Baptismi, necessariam simpliciter, necessitate sacramenti.

5. Ratio hujus conclusionis alia non est, quàm Christi institutio, qui hoc sacramentum instituit in pane usuali: Sed hic fit ex tritico, nam alius omnis substituitur in defectum hujus, unde nec panis simpliciter dici consuevit, sed cum addito panis hordeaceus, panis ex milio &c. Ergo solus panis triticeus est sufficiens materia Eucharistiæ. Hæc censetur Apostolica traditio, quam Ecclesiastica authoritas confirmavit, ut testatur Catechismus Romanus.

6. Quænam autem grana triticum sint, de quibusdam certum est, de aliis dubium. De hor-
E deo, milio, avena, & leguminibus, certum est non esse triticum, sicque ex illis non posse confici panem sacramentalem, seu qui sit materia sufficiens pro consecratione. De siligine verò & spelta, probabile est esse species tritici, propter affinitatem accidentium; maximè quia, ut periti testantur, illæ in malis terris ex grano tritici seminato nascuntur, quod teste D. Thomá hic art. 3. ad 2. signum est specificæ identitatis, quia semper generans generat sibi simile in specie. Unde etiam probabile est, panem ex spelta, vel siligine, esse posse materiam Eucharistiæ; & qui in necessitate

necessitate in tali pane consecraret (putà ne homo moriatur sine sacramento, vel ut in die festo non maneat totus populus sine sacrificio forte excusari posset, ob probabilitatem hujus sententiæ, ut aliqui Theologi existimant. Sed ego non consulerem, quia præceptum Ecclesiæ est non consecrare materiam dubiam, & aliunde quòd infirmus communicet, vel quòd populus Missam audiat, non est simpliciter necessarium ad salutem, & carentia panis triticei ab obligatione præcepti excusat.

Dico secundò, in utroque pane azymo & fermentato, validè consecrari posse, convenientiorem tamen esse azymum.

7. Prima pars hujus conclusionis determinata est
B in Concilio Florentino, sess. ultimâ, in litteris sanctæ unionis, his verbis: *Definimus in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici.* Idemque priùs docuerat Leo IX. in Epistola ad Michaëlem Cerularium, Patriarcham Constantinopolitanum, qui anno Christi 1050. damnare cœpit Latinos, quòd panes azymos consecrarent.

8. Ratio etiam suffragatur: Ad consecrationem enim corporis Christi, quilibet triticeus panis est idonea materia: Atqui sive fermentatus sive azymus fuerit, est verus panis triticeus; pane enim fermentato usu quotidiano vescimur, defe-
C ctus autem fermenti in azymo, non impedit quin veri panis triticei naturam habeat; quandoquidem de ratione veri panis solùm est quòd conficiatur ex farina triticea, naturali aquâ subactâ, & puro igne coquatur: Ergo quilibet panis triticeus, sive azymus, sive fermentatus, est sufficiens & idonea materia Eucharistiæ.

9. Confirmatur: Certum est Christum non consecrasse in albo & rubro vino simul, sed in alterutro tantùm; & tamen, Græcis fatentibus, utrumque est materia apta consecrationi, quia utrumque est vinum simpliciter & usuale: Ergo similiter, cùm uterque panis, sive azymus, sive fermentatus, sit usualis, & veniat intelligendus nomine panis simpliciter, uterque est materia sufficiens & idonea ad conficiendum corpus Christi.
D Unde absurda & ridicula est sententia quæ asserit azymum esse materiam necessariam pro Latinis, fermentatum verò pro Græcis: quasi verò Christus Dominus pro una Ecclesia vel Gente, unam materiam instituerit, & aliam pro alia; nam pari ratione posset dici, quòd etiam pro Ecclesia Gallicana, vel Hispana, aliam materiam instituerit, quàm pro aliis; quæ enim est major ratio, ut pro solis Græcis diversam materiam Christus instituisset? cùm solùm unam Ecclesiam Catholicam instituerit, in qua *non est distinctio Judæi, & Græci, nam idem Dominus omnium*, ut dicitur ad Roman. 10.

10. Quòd verò panis azymus sit convenientior (ut
E in secunda parte conclusionis asseritur) probari
Art. 5. potest primò ex eo quòd Christus, cùm primâ die Azymorum (ut disp. præcedenti ostensum est) sacramentum Eucharistiæ instituerit, & consecraverit, pane azymo usus est; quandoquidem durante solemnitate azymorum, quæ septem dies complectebatur, nullum fermentum, nec ullus panis, nisi azimus, in domibus Judæorum debebat reperiri, ut Exodi 12. præcipitur.

Addo quod, dato etiam & non concesso, quòd Christus, ut volunt Græci, in celebratione Paschæ, legitimum ejus tempus, scilicet primam

A diem Azymorum, sive decimam quartam lunam, propter causam aliquam prævenire voluisset; consequens tamen non foret, eum fermentato in cœna ultima usum fuisse, sed azymo; quia sicut ipsius Agni Paschalis immolationem & esum observari voluit, ita & totum ejus ritum in lege præscriptum, qui inter alia habet, ut cum azymis & lactucis agrestibus comedatur, credendum est, ipsum observare voluisse.

Potest etiam suaderi eadem pars, hac ratione. 11.
Ille panis est materia convenientior ad consecrationem, qui magis congruit significationi proprietatum hujus sacramenti; Sed talis est panis azymus in comparatione ad fermentatum: Ergo
B panis azymus ad consecrationem convenientior est. Minor verò probatur: quia in Scriptura azymum puritatem, candorem, simplicitatem, humilitatem & incorruptionem denotat; quæ tum Christo in Eucharistia latenti, tum mystico ipsius corpori, proprièconveniunt; è contra verò fermentum, ut plurimum, in malam partem sumitur; significat enim hypocrisim, Lucæ 12. *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*; fastum, quia panis fermento intumescit; & corruptionem, quia ad eam disponit panem, nec tam facilè panis azymus corrumpitur, quam fermentatus. Quæ omnia eleganter tangit Apo-
C stolus 1. ad Corinth. 5. his verbis: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit: expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Sinceritatis, contra peccati corruptionem; veritatis, contra figuras veteris legis ut ibidem interpretatur S. Thomas. Vel sicut ipse addit, secundùm Glossam, sinceritatis, propter innocentiam à vitiis, aut novitatem vitæ; & veritatis, propter bonorum operum justitiam sive rectitudinem designandam.

Fateor tamen, ipsum Græcorum morem cele- 12.
brandi in fermentato, suis congruentiis non carere; nam (præterquam quod fermentatum aliquando, licèt rarò, in Scriptura benè sonat, ut Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum fermento*) designare potest gratiæ suavitatem, panem quippe lapidiorem efficit fermentum; & charitatis fervorem, quasi fermentum à fervore sit dictum: quæ duo maximè Eucharistiæ conveniunt, utpotè cùm sit sacramentum amoris, & spiritualis suavitatis. Præterea, ut notavit sanctus Thomas 4. contra Gentes cap. 69. Romana Ecclesia offert azymos panes, eò quòd Verbum Divinum sine ulla commixtione carnem susceperit; sed Græci offerunt fermentatum, quia verbum indutum est carne, & est verus Deus
D & verus homo, sicut & fermentum commiscetur
E farinæ.

Alia etiam rationabilis occasio moris hujus 13.
Græcorum introducendi extitit: cùm enim Apostoli, & Ecclesia universa, uterentur azymis in consecratione, exorta est hæresis Hebionitarum, contendentium legalia simul cum Evangelio esse servanda; in cujus erroris detestationem, SS. Patres voluerunt aliquandiu sacramentum Eucharistiæ ex pane fermentato confici; extinctâ tamen hæresi illâ, Ecclesia Latina ad antiquum morem se recepit, Græca verò semel introductum retinuit, quem Latina non improbat, imò præcipit, ut unusquisque, juxta suæ Ecclesiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritum consecret; & prohibet ne Latini in fermentato, nec Græci in azymo, corpus Christi coficiciant: ut patet ex Decreto Eugenij in Concilio Florentino, in litteris unionis, & ex motu proprio Pij V. qui incipit *Providentia Romani Pontificis* anno 1566. ubi revocans omnes facultates vel licentias celebrandi, Græcos more Latino, & Latinos more Græco, subdit: *Quibuscumque Presbyteris tam Græcis quàm Latinis præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac perpetuæ suspensionis à divinis, pœnis, districtius inhibemus, ut deinceps Presbyteri Græci (præsertim uxorati) Latino more; & Latini, Græco ritu, hujusmodi licentiarum & facultatum, aut alio quovis prætextu, Missas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere non præsumant.*

15. Idem priùs statuerat Leo IX. in Epistola ad Michaëlem Cerularium, Patriarcham Constantinopolitanum, ubi monet ut unusquisque juxta Ecclesiæ suæ ritum celebrare sinatur, etiamsi in alieno solo versetur: ut cùm verbi gratiâ Sacerdos Græcus transit per loca Latinorum, aut in illis commoratur aliquandiu; vel cùm Sacerdos Latinus inter Græcos peregrinatur: quia nimirum hæ consuetudines, non tam sunt diversorum locorum particularium, quàm generales utriusque Ecclesiæ: conveniens autem est, ut quisque servet consuetudinem Ecclesiæ suæ, quandiu pars illius est; tametsi tunc potest, si velit, conformare se eorum ritui & consuetudini, inter quos peregrinatur, juxta caput, *Illa autem*, dist. 12. ex Ambrosio & Augustino sumptum. Communiter excipiuntur templa inter Latinos, Græcis concessa, ut ibi propriam Ecclesiam habeant: in quibus, Græcis solùm licet celebrare ritu Græco, quia ibi non censentur Latini, neque ut peregrini. Similiterque in templis Latinorum, si quæ in Græcia sunt, Latinis tantùm licet celebrare ritu Latino.

15. Ex his intelliges, nec justum, nec laudabilem fuisse quorundam zelum, qui Archiepiscopum Trapez, Metropolitam Græcum, in Gallia exulantem, & Parisiis non ita pridem defunctum per multos annos in azymis consecrare coegerunt; ut enim patet ex decretis Leonis IX. & Pij V. jam relatis, non potest Sacerdos Græcus, transiens per loca Latinorum, aut in illis aliquandiu degens, cogi ad servandos ritus Ecclesiæ Latinæ, cùm non sit pars illius, sed ad Ecclesiam Græcam simpliciter pertineat.

Quæres, an instante morte, & obligatione sumendi vel ministrandi Eucharistiæ sacramentum, vel ad supplendum sacrificium, liceat Latino in fermentato, vel Græco in azymo consecrare?

16. Respondeo in primo casu non licere, quia cùm realis sacramentalis hujus sacramenti susceptio, non sit necessaria necessitate medij, sed præcepti, non obligat nisi cum debitis circumstantiis, in quibus potissima est materia ab Ecclesia præcepta; sicut nec liceret in eo casu sacrum facere, cum vestibus non sacris, aut non jejuno. In secundo tamen casu id licitum esset, imò ad id teneretur Sacerdos; quia majus præceptum est integritas sacrificij, cùm sit divinum, quam determinatio materiæ, quæ est humanum.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem: Frumentum est univocum ad omnes frumenti species, quæ sunt triticum, siligo, far, spelta, & hordeum: Ergo & panis ex quocumque ex iis granis confectus, erit univocè & propriè panis, & per consequens materia sufficiens Eucharistiæ, sicut quia omne vinum de vite est univocum, quodlibet sufficit. 17.

Confirmatur ex Cajetano: Sanguis ex diversis cibis generatus est ejusdem speciei: Ergo & panis ex diversis granis confectus.

Ad objectionem respondeo quòd licèt frumentum sit univocum physicè ad omnes frumenti species, non est tamen univocum moraliter, eò quòd pro pane usuali veniat solus panis triticeus. Dispar est ratio de vino, quia quodlibet vinum de vite, etiam moraliter, & in ordine ad humanum usum, est univocè vinum. 18.

Ad confirmationem, concesso Antecedente, nego consequentiam & paritatem; sanguis enim generatur ex cibis, ut ex termino à quo, panis verò ex granis ut materia ex qua inexistente & componente, ideóque licèt ex cibis diversæ speciei non efficiatur diversus specie sanguis; grana tamen diversæ speciei, diversum specie panem efficiunt.

Objicies secundò: Materia Eucharistiæ est verus panis: Sed panis azymus non est verus panis: Ergo non est materia sufficiens Eucharistiæ. Major patet, Minor probatur. Vox græca unde nomen ἄρτος derivatur, significat elevare seu attollere: Sed massa farinæ non attollitur, nisi vi fermenti: Ergo solus panis fermentatus est verus panis, non verò azymus. 19.

Respondeo etiam apud Græcos nomen ἄρτος licèt derivetur à verbo quod significat attollere, æquè tamen dici de pane azymo ac de fermentato: Lucæ enim 24. ubi legimus, *Cognoverunt eum in fractione panis*, habetur nomen ἄρτος, quod ibi non potest significare panem fermentatum; quandoquidem durante Paschali tempore, per septem dies non poterat reperiri fermentatum in domibus Judæorum, ut ex 12. & 13. capite Exodi constat. 20.

Contra secundam partem ejusdem conclusionis objiciunt Græci Schismatici, Christum in pane fermentato hoc sacramentum confecisse, quod probant, quia illud instituit die seu lunâ 13. mensis primi, in qua Judæi non utebantur azymis sed fermentatis panibus. Sed huic objectioni abundè satisfecimus disputatione præcedenti, ubi variis Scripturæ & SS. Patrum testimoniis demonstravimus, Christum lunâ tantùm 14. ad vesperam, cœnam Paschalem cum Apostolis celebrasse, & Eucharistiæ sacramentum instituisse. Addo quod, quamvis daretur Christum, Agnum Paschalem die 13. comedisse, consequens tamen non est, ipsum in cœna ultima fermentato usum fuisse, sed azymo, quia (ut suprà dicebamus) sicut Agni Paschalis immolationem & esum observare voluit, ita & totum ejus ritum in lege præscriptum, qui inter alia habet, ut cum azymis & lactucis agrestibus comedatur, credendum est ipsum observare voluisse. 21.

Objicies ultimò: Panis fermentatus est aptior ad cibandum hominem, ideóque magis usualis & communis: Ergo convenientior est ad conficiendum sacramentum Eucharistiæ, quàm panis azymus. 21.

Sed nego consequentiam, quamvis enim fermentatus sit magis usitatus, & aptior ad cibandum, azymus tamen aptior est ad usum hujus sacramenti: Quia ut ait S. Thomas hîc art. 4. in corp. *magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad usum hujus sacramenti: secundum illud 1. Corinth. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.*

ARTICULUS II.

An solum vinum de vite sit materia calicis?

23. Encratitæ solam aquam in sacrificio altaris offerendam esse dicebant, unde *Hydroparastæ*, seu *Aquarij*, vocati sunt. Hic error manifestè repugnat verbis Christi Matth. 26. qui in ultima cœna, *Accipiens calicem gratias egit & dedit Discipulis suis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi Testamenti &c. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Unde Cyprianus Epist. 63. ad Cæcilium: *Admonitos autem nos scias* (inquit) *ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit; ut calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. Nam cùm dicat Christus, Ego sum vitis vera, sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum. Nec potest videri sanguis ejus, quo redempti, & vivificati sumus, esse in calice, quando vinum deest calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui Scripturarum omnium sacramento, ac testimonio prædicetur.* Item Epiphanius hæresi 47. contra Encratitas agens, sic habet: *Illorum mysteria, quæ aquâ solummodo constant, mysteria non sunt, sed ficta atque fallacia, verorum ad imaginem expressa. In quo planissima illos Salvatoris sententia redarguit: Non bibam de hoc genimine vitis, donec bibam illud novum in regno cœlorum vobiscum.*

24. De fide ergo certum est, solum vinum esse materiam calicis, subindeque in nullo alio liquore, distinctæ speciei à vino, validam esse consecrationem, ut definit Florentinum, & confirmat traditio Ecclesiæ ab Apostolis ad hæc usque tempora. Hujusque optima congruentia est, quia cùm hoc sacramentum sit institutum per modum convivij, non potest sub convenientiori materia institui, quam panis, & vini; quia sicut hæc sunt cibus & potus corporis, ita sacramenta sub eorū speciebus instituta, sunt cibus & potus animæ.

25. Nomine autem vini, quod est propria hujus sacramenti materia, intelligitur solum vinum de vite, ut docet idem Florentinum in decreto Eugenij, & probat D. Thomas hic art. 5. Primò quia Christus peracta hujus sacramenti institutione, dixit Matth. 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Ubi ly *hoc* designat materiam quæ erat in illo calice: Ergo erat vinum de vite: Secundò, quia solum vinū de vite propriè & simpliciter dicitur vinum, sicut solum oleum de olivis, propriè & simpliciter vocatur oleum. Tertiò, quia vinum vitis magis convenit effectui hujus sacramenti, qui est spiritualis lætitia, de illo enim dicitur Psalm. 103. *Vinum lætificat cor hominis.*

Hinc colligitur primò cum eodem S. Doctore ibidem in resp. ad 1. vinum malorum granatorum, aut pomorum, vel mororum, non esse materiam hujus sacramenti, quia non est vinum de vite. Nec acetum, quia non est vinum, sed vinum corruptum; sicut cadaver non est homo, sed homo mortuus. Nec agresta seu succus expressus ex uva acerba, quia nondum habet speciem vini, sed est in via generationis, ut ait D. Thomas ibidem ad 3. Bene tamen mustum, quia est simpliciter vinum de vite, licèt non perfectè purgatum, & defæcatum, unde tale à Scriptura appellatur Actor. 2. *Musto pleni sunt.* Potest etiam consecrari in succo expresso ex uvis passis, in quo fama est consecrare Ægyptios, quia talis succus est vinum de vite, eoque perfectius, quo ab aquæ humore purgatius. Nec obstat quòd uvæ ex quibus exprimitur sint passæ, nam hoc non variat succum intra folliculos contentum; secùs si ob nimiam siccitatem opus esset ad exprimendum humorem nimiâ copiâ aquæ, quia tunc amitteret rationem vini communis & usualis. Ob eandem rationem non est idonea materia lora, quæ fit ex aqua injecta acinis, vel racemis in dolio expressis, nisi illa sit in parva quantitate, quæ converti possit in vinum.

Colligitur secundò, vinum imbibitum in offa panis, non esse aptum consecrationi, quia non habet rationem potûs, qualis debet esse materia calicis. 26.

Dices, Vinum consecratum in pane imbibitum conservat Christi sanguinem: Ergo est aptum consecrationi sanguinis.

Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam: quia ad consecrationem requiritur ut materia sanguinis possit initio consecrationis demonstrari per modum potûs: factâ autem consecratione, non est ampliùs necessaria talis demonstratio, sed sufficit si tantùm retineat species vini.

Colligitur tertiò, succum intra folliculos uvarum inclusum, non esse aptam materiam consecrationis, quia non est aliquid potabile, sed comestibile; sicut in pomis & aliis fructibus continetur humor, qui exprimi posset in liquorem; & tamen quandiu continetur in ipsis pomis, habet rationem cibi comestibilis, non liquoris potabilis: materia verò calicis non debet habere formam cibi, sed potûs, juxta illud: *Bibite ex hoc omnes.* 27.

Colligitur quartò, si vinum non sit totaliter congelatum, sed solùm in aliqua superficie, esse materiam certam hujus sacramenti: si verò totaliter congelatum sit, & in duritiem versum, esse materiam dubiam. 28½

Prima pars hujus corollarij patet, quia vinum illud ex tam parva congelatione neque amittit substantiam vini, neque formam potabilem, & facit eosdem effectus quando sumitur, ac vinum non congelatum: Ergo non est cur excludatur à materia sacramenti.

Secunda verò pars etiam constat ex contrarietate opinionum, quibus Authores inter se divisi sunt. Nam pro parte affirmativa, quòd sit materia sacramenti, stant plures gravissimi Theologi, ut Sylvester, Soto, Angelus, Suarez, Vazquez & alij. Negativæ verò adhærent Alanus, Ledesma, Armilla, Nuño, & alij. Unde

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm non liceat consecrare in materia dubia, peccaret Sacerdos, qui vinum totaliter congelatum consecraret. Si verò post consecrationem congeletur, *debet liquefieri & sumi cum reverentia, tanquam sanguis Christi*, ut dicitur in cap. *In sacramento*, de Consecrat dist. 2.

ARTICULUS III.

An & quo jure admiscenda sit aqua vino consecrando?

29. FUit error Armenorum, ut constat ex decreto fidei Eugenij IV. in Concilio Florentino, aquam non esse vino consecrando admiscendam, quem sequuntur Hæretici nostri temporis. Armacanus verò lib. 9. de quæstionibus Armenorum cap. 9. existimat mixtionem illam necessariam esse necessitate sacramenti, subindeque si Sacerdos aquam in calice apponere oblivisceatur, non confici sacramentum. Alij verò Theologi communiter docent, talem mixtionem solùm esse de necessitate præcepti, licèt dissensio sit inter illos, an tale præceptum sit divinum, vel solùm Ecclesiasticum.

30. Dico primò, vino consecrando admiscendam esse aquam, in modica quantitate.

Prima pars hujus conclusionis est omnino certa, utpotè in variis Concilis definita, præsertim in Florentino in decreto Eugenij, & in Tridentino sess. 22. cap. 7. ubi dicitur: *Monet sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent.* Et citatur ibi Concilium Carthaginense 3. cap. 24. & Bracharense 3. cap. 1. Videri etiam possunt alij textus in jure, de Consecrat. dist. 2.

31. Hujus sacræ cæremoniæ triplicem reddunt rationem prædicta Concilia, & D. Thomas hîc art. 6. Prima est, ob imitationem Christi, quem in vino aqua permixto, hoc sacramentum instituisse creditur, asseriturque in liturgiis D. Jacobi Apostoli, & S. Basilij, & testatur Clemens Romanus lib. 8. Constit. cap. 17. his verbis: *Similiter & calicem miscens ex vino & aqua, & sanctificans, tradidit eis dicens: Bibite ex eo omnes.* Secunda, ob repræsentationem passionis ejus, in qua aqua simul cum sanguine ex latere ejus exiit. Tertia, ob significationem effectûs hujus sacramenti, qui est unio populi fidelis cum Christo capite. Vinum enim significat Christum seu sanguinem ejus; aqua verò populorum symbolum est, juxta illud Apocal. 17. *Aquæ quas vidisti, populi sunt & gentes.* Unde Hieronymus homil. de corpore Christi: *Cùm in Sacramento aqua vino miscetur, Christo fidelis populus incorporatur, & quadam ei copulâ perfectæ charitatis unitur, ut possit dicere cum Apostolo. Quis nos separabit à charitate Christi? sicut enim aqua semel permixta vino non potest ad suam redire substantiam, nec à vino separari; ita fideles debent quasi inseparabilia membra, capiti uno, id est Christo, fidei observatione, & ardentissimâ religione sociari.* Addunt aliqui, mixtionem illam convenientem esse ad significandum saltum seu tendentiam fidelium in vitam æternam: juxta illud Ambrosij lib. 5. de sacram. cap. 1. *Redundat aqua in calicem, & salit in vitam æternam.*

32. Secunda etiam pars est D. Thomæ hîc art. 8. in argumento *sed contra*, & patet, quia si multum aquæ infunderetur calici, periculum esset ne vinum corrumperetur, & in mixtum distinctæ speciei degeneraret, quod non esset idonea materia consecrationis. Et licèt in Concilio Triburiensi cap. 19. dicatur, *Quòd duæ partes sint vini, tertia aqua, quia major est majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi*; tamen postea in Concilio Florentino, in decreto pro Armenis, multò minor quantitas designatur; dicitur enim *materiam calicis esse vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet.* Unde quantò minus de aqua miscetur, tantò meliùs fit, & conformiùs mandato Ecclesiæ, quia ly *modicissima*, significat id quod minimum esse potest in parvitate, dum tamen gutta illa aquæ sit sensibilis, quia videri debet, ut constet quòd sit infusa.

Dico secundò, mixtionem illam non esse necessariam necessitate sacramenti, sed solùm necessitate præcepti, non Divini, sed Ecclesiastici.

33. Prima pars constat, materia enim calicis sufficienter salvatur in solo vino, quia Christus Dominus solùm illud designavit in calice, dum dixit Matth. 26. *Non bibam amodò de hoc genimine vitis.* Et Concilium Florentinum in decreto pro Armenis, declarans materiam calicis solùm dixit, illam esse *vinum de vite; cui ante consecrationem modicissima aqua misceri debet*: quo genere loquendi significat materiam solùm esse vinum de vite, mixtionem verò aquæ pertinere solùm ad conditionem, seu cæremoniam quandam accidentalem, non ad materiam sacramenti. Unde Catechismus Pij V. cap. de Eucharistia, postquam dixit mixtionem illam non posse prætermitti sine peccato mortali, subdit: *Si aqua desit, perficitur Sacramentum.* Similiter de consecrat. dist. 2. Can. 1, sic habetur: *Si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse.*

34. Nec obstat quod Cyprianus lib. 2. Epist. 3. ait, nempè non posse consecrari aquam solam, neque vinum solùm, sed utrumque permixtum: hoc enim intelligi debet de necessitate præcepti, subdit enim, *Eis qui sine mixtione aquæ interdum consecerunt posse veniam concedi*: quo indicat, malè quidem fecisse, sed non invalidum sacramentum confecisse.

35. Dices, Idem S. Doctor ibidem ait: *Sic calix Domini non est aqua sola, & vinum solum, nisi utrumque misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse sola farina, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum:* Sed mixtio aquæ cum farina est de necessitate hujus sacramenti, ut constat ex dictis articul. 1. Ergo & mixtio aquæ cum vino.

Respondeo cum S. Thoma hîc art. 7. ad 1. *Quod verbum Cypriani est intelligendum secundùm quod dicitur, illud esse non posse, quod convenienter esse non potest. Et sic similitudo illa attenditur quantùm ad id quod debet fieri, non autem quantùm ad necessitatem; nam aqua est de essentia panis, non autem de essentia vini.*

36. Secunda pars conclusionis, quæ asserit præceptum miscendi aquam vino consecrando, non esse divinum, sed Ecclesiasticum colligitur ex Tridentino suprà citato, dicente *Præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent.* Ubi hoc præceptum non dicitur Divinum, sed Ecclesiasticum. Et Florentinum non reprehendit Armenos omittentes hanc mixtionem, eò quòd agerent contra

tra præceptum divinum, sed contra communem Ecclesiæ consuetudinem. Alexander quoque I. Epist. 1. cap. 4. & Concilium Triburiense cap. 19. mixtionem aquæ solùm à Patribus traditam esse dicunt. Sancti autem Patres, præsertim Cyprianus, ideò vocant interdum hanc mixtionem, Traditionem Dominicam, quia Christus ejus exemplum dedit, etsi non præceptum. Sicut ergo Christus, licèt in azymo consecráverit, reliquit tamen arbitrio & præcepto Ecclesiæ determinandum, an in azymo vel fermentato Sacerdotes consecrare debebant; unde Græci consecrant in fermentato, Latini verò in azymo; imò & ipsis Latinis, ad evitandam hæresim Ebionitarum, aliquando (ut suprà annotavimus) præceptum fuit consecrare in fermentato. Ita potuit Christus, quando hoc sacramentum instituit, aquam vino consecrando miscere, & nihilominus hanc cæremoniam arbitrio Ecclesiæ relinquere sub præcepto servandam. Ex quo.

37. Inferes primò, posse in hoc præcepto, urgente causâ, ab Ecclesia dispensari. Secundò, posse Sacerdotem, si desit aqua, consecrare in solo vino, ad perficiendum sacrificium inchoatum, quia integritas sacrificij est de jure divino; non tamen illud inchoare, quia melius est illud omittere, quàm peragere sine debitis circumstantiis & cæremonijs. Tertiò, non satis esse aquam miscere vino in dolio, vel vase, sed misceri debere in ipso calice continente vinum, & in ipsa celebratione Missæ. Quòd si per oblivionem non fuerit ante offertorium mixta, debet statim misceri, sine oblatione; non est tamen miscenda post consecrationem, quia tunc cessat significatio & tempus præcepti. Inferes demum, mortaliter peccare Sacerdotem, hanc cæremoniam ex industria, vel ex negligentia omittentem: nam licèt permixtio aquæ modicissimæ, secundùm se absolutè res parva & levis sit; mysterium tamen & significatio magna est; significat enim, ut suprà diximus, unionem populi Christiani cum ipso Christo.

ARTICULUS IV.

Utrum aqua infusa calici consecrando, immediatè convertatur in Christi sanguinem; vel priùs debeat converti in vinum, quàm in sanguinem?

38. CErtum est aquam infusam calici consecrando, converti in sanguinem Christi, ex vi verborum sacramentalium, & non remanere in propria specie, nec converti in aquam quæ fluxit de latere Christi, ut communiter docent Theologi contra nonnullos Authores, quorum opinionem refert & refellit Innocentius III. in cap. *cum Marthæ*, de celebratione missarum. Sed an hæc conversio sit immediata, vel solùm mediata, celebris est difficultas & controversia inter Theologos. Aquam enim infusam calici, immediatè verti in sanguinem Christi, docent plures ex Recentioribus, inter quos præcipui sunt Ægidius Coninx, Toletus, Alanus, Salmeronius, Delugo, Layman, Bernal, & Baronius in fine anni 1188. affirmans id esse de fide, semperque ita creditum fuisse in Ecclesia. E contra celebriores Theologi tum è Schola D. Thomæ, tum è Societate Jesu, censent aquam illam non converti in sanguinem Christi, nisi mediatè, ita quòd priùs debeat converti in vinum; subindeque si in aliquo casu, per accidens tempore consecrationis non sit in vinum conversa, non converti in Christi sanguinem, sed in propria aquæ natura remanere. Pro hac sententia, erudita scripserunt opuscula ex nostris Hyacinthus Petronius, primùm Sacri Palatij Apostolici Magister, postea Episcopus Morulensis, & Hyacinthus Choquetius, Doctor Lovanienſis, cujus opusculum, continens viginti duo capita, habetur in fine tomi primi de gratia. Ex aliis vegicarum, orat. 15. 16. & 17. & Basilius Pontius Augustinianus, primarius Salmanticensis. Demum Catechismus Pij V. cujus verba infrà referemus, dicit hanc esse omnium Ecclesiasticorum Scriptorum sententiam. Unde excessit Baronius, cùm dixit aliam sententiam esse de fide, semperque receptam fuisse in Ecclesia.

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

DIco igitur, aquam infusam calici consecrando, non converti in sanguinem Christi, nisi priùs fuerit conversa in vinum.

Probatur primò authoritate Innocentij III. in cap. *cum Marthæ*, ubi ab Archiepiscopo Lugdunensi interrogatus, utrum aqua infusa calici converteretur in sanguinem Christi? Relatis tribus sententiis, quarum prima dicebat, aquam illam converti in eam quæ manavit ex latere Christi: Secunda, quòd aqua cum vino transeat, mixta vino, licèt Physici contrarium asserant, qui aquam à vino per artificium separari posse contendunt: Tertia verò dicebat, aquam nullo modo converti in sanguinem, sed manere in propria specie: Pontifex elegit secundam opinionem ut probabiliorem, dicens: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari.* Ergo cùm hæc sit secunda, & rationem afferat cur aqua in sanguinem Christi transubstantietur, quia in vinum tranſit; existimavit Pontifex, probabilius esse aquam non transubstantiari in Christi sanguinem, nisi priùs in vinum conversam.

Respondet Ægidius Coninx, secundam opinionem quam refert Pontifex, fuisse bimembrem; ita ut ex his qui tenebant aquam converti in sanguinem, aliqui assererent immediatè converti, alij verò non nisi mediatè, suppositâ priùs ejus in vinum transmutatione: declarans verò Pontifex, quænam verior sit sententia, approbat (inquit) secundam, quantùm ad hoc quod in illa asseritur, aquam converti in sanguinem; unde non nisi quantùm ad hoc reassumpsit Pontifex secundam opinionem, per hoc indicans se abstrahere an immediatè vel mediatè convertatur; imò ex hoc quod dicit, aquam cum vino in sanguinem transmutari, videtur magis inclinare in eam quæ censet aquam tempore consecrationis in propria specie existentem, converti immediatè in sanguinem; si enim jam conversa esset in vinum, non aqua cum vino, sed solum vinum in sanguinem converteretur.

Sed contra: Falsum est secundam opinionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam refert Pontifex fuisse bimembrem, quin imò particulâ causali, *cùm in vinum transeat*, significatur secundam sententiam censere, ideò aquam converti in sanguinem, quia priùs convertitur in vinum; unde D. Thomas hic art. 8. referens secundam illam sententiam, sic habet: *Ideò sicut ipse* (Innocentius) *dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem.*

42. Addo quod ipse Pontifex clarè mentem suam expressit lib. 4. de altaris mysterio cap. 31. his verbis: *Aqua transit in sanguinem, eâ scilicet ratione quòd aqua per admixtionem transit in vinum & vinum per consecrationem in sanguinem, quis enim ambigat aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum aquæ infunditur.* Nihil potest dici expressius, ad probandum hunc Pontificem stare pro nostra sententia, & ad convincendum secundam sententiam quam in suprà dicto rescripto retulit, & probabiliorem judicavit, non esse bimembrem, sed unicam, eamque asserere aquam converti in sanguinem, ex eo quod priùs convertitur in vinum. Unde omnes Canonistæ qui decretalem illam interpretati sunt, ita asseruerunt. Ad id verò quod Ægidius addit pro confirmanda sua solutione, patebit ex solutione argumentorum.

43. Probatur secundò conclusio authoritate Catechismi Romani, qui in tractatu de Eucharistia cap. 4. hæc scribit: *Illud autem sacerdotibus animadvertendum est, quemadmodum in sacris mysteriis aquam vino adhiberi oportet, sic etiam modicam infundendam esse: nam Ecclesiasticorum scriptorum sententiâ & judicio, aqua illa in vinum convertitur.* Quo nihil clarius & expressius in favorem nostræ sententiæ dici potest. Idem docet Sacerdotale Romanum 1. p. tract. 10. cap. 2. his verbis: *Aqua quæ in calice vino admiscetur, debet esse in modica quantitate, quia eam in vinum converti oportet.*

44. Probatur tertiò ex Florentino in decreto de unione Armenorum, in quo jubet Pontifex, modicissimam aquam ante calicis oblationem esse vino admiscendam, ad quam tam sanctam universalis Ecclesiæ consuetudinem adhortatur Armenos, qui hanc cæremoniam non servabant, & corrigit quod Concilium Tridentinense Provinciale cap. 19. statuerat, nempè tertiam partem aquæ esse vino admiscendam: At nulla alia ex causa moveri potuit ad hoc, nisi quia existimabat, aquam non priùs in sanguinem, quàm in vinum converti; subindeque præcepit modicissimam esse admiscendam, ut faciliùs possit ante consecrationem in vinum converti: Ergo censet Concilium, aquam infusam calici consecrando, non converti in sanguinem Christi, nisi priùs fuerit conversa in vinum. Minor probatur. Non enim moveri potuit Concilium ad præcipiendum modicissimam aquam vino consecrando admiscendam, & corrigendum decretum Concilij Tridentinsis, nisi vel quia tertia pars aquæ quam Concilium illud esse vino consecrando admiscendam statuerat, destrueret potum usualem; vel quia facto Christi conformius est modicissimam quàm tertiam partem aquæ vino miscere; vel denique quia hoc magis convenit mysticæ significationi, tum aquæ ex latere Christi profluentis, tum unionis populi fidelis cum Christo: Sed nullâ ex his rationibus ad hoc moveri potuit Concilium: Non quidem primâ, cùm adhuc tertiâ parte aquæ vino admixtâ, maneat potus usualis vini, ut adversarij non negant; alioquin decretum Tridentinsis intolerabilem continuisset errorem, nullusque qui se tali decreto conformasset, consecrasset. Nec secunda, cùm potiùs in sententia Adversariorum facto Christi conformius sit tertiam partem admiscere eò quòd (ut ipsi aiunt) Christus usuali potu usus est, quali solebant Judæi, qui notabilem partem aquæ vino miscebant, utpotè potenti ac generoso, quale ea regio fert. Neque tertia, nam ad significationem mysticam aquæ ex latere Christi profluentis convenit notabilem partem aquæ miscere, notabilis enim pars, unâ cum sanguine ex latere Christi profluxit, ut colligitur ex illo Joan. 19. *Continuò exivit sanguis & aqua, & qui vidit, testimonium perhibuit*, corporeo visu aquam à sanguine discernens. Similiter mystica significatio unionis populi fidelis cum Christo, æquè benè potest per notabilem ac per modicissimam aquam exprimi; modò ad denotandam majorem Christi sanguinis virtutem, vinum excedat aquam, *quia major est* (inquit Tridentinse citatum) *majestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi.* Restat igitur, ut finis Florentini propter quem Tridentinse correxit, fuerit, quia judicavit aquam priùs convertendam esse in vinum, quàm in sanguinem.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Si aqua non priùs in vinum conversa fieret sanguis Christi, sequeretur quòd in æquali, imò & in majori quantitate vino admixta, converteretur in Christi sanguinem: Sed hoc dici nequit, ad quid enim deserviret tanta cura Ecclesiæ præcipientis sacerdotibus modicissimam aquam vino consecrando admiscere, si æquè benè potest converti in sanguinem Christi aqua, etiam si non sit modicissima, sed in æquali vel majori quantitate ac vinum, dummodo illud non corrumpat, sicut de facto non corrumpit, quando vinum est potens & generosum; quia vinum fortius est ad resistendum aquæ, quàm è converso; unde ut vincatur ejus resistentia, maxima pars aquæ requiritur: Ergo, &c.

46. Respondet Ægidius, negando sequelam, quia (inquit) ut aqua sit consecrabilis, debet ita à majori quantitate vini absorberi, ut appareat conversa in vinum, licèt de facto in vinum non sit conversa. Sed quæro ab eo, unde habeat quòd licèt non sit necessarium aquam converti in vinum, ipsa tamen apparere debeat conversa, ut possit consecrari? Deinde, Apparentia conversionis rosacei liquoris vino admixti, non facit quod ille liquor remanens in propria substantia sit consecrabilis: Ergo neque apparentia conversionis aquæ in vinum, efficiet quod aqua in sua substantia remanens possit consecrari.

47. Dices cum Ægidio, disparem esse rationem, cùm aqua rosacea vino admixta non sit materia hujus sacramenti, benè tamen aqua naturalis.

Sed contra primò, Scriptura, Concilia, & SS. Patres asserunt materiam hujus sacramenti esse genimen vitis, vinum de vite, &c. Ergo temerarium videtur, asserere aquam naturalem vino admixtam, ad materiam & integritatem hujus sacramenti pertinere.

Neque valet si dicas, Scripturam, Concilia, & SS. Patres, nomine vini quod dicunt esse materiam hujus sacramenti, intelligere vinum cui modicissima aqua infunditur, cùm tale vinum sit

sit potus usualis. Non valet (inquam) tum quia verba Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, propriè accipi debent, maximè cùm de institutione vel materia alicujus sacramenti sit sermo; sic enim nomen panis, quod frequenter usurpatur in Scriptura pro quocumque cibo, debet propriè accipi pro substantia quæ conficitur ex tritico, quando dicitur materiam hujus sacramenti esse panem: Sed vox illa *vinum*, non significat propriè nisi liquorem ex uvis expressum: Ergo solus ille liquor potest dici materia hujus sacramenti. Tum etiam quia vinum quod est potus usualis, est vinum limphatum, seu multâ aquâ dilutum: Ergo si nomine vini intelligi debeat vinum, prout est potus usualis hominum, quando à Scriptura, Conciliis, & SS. Patribus dicitur materia hujus sacramenti, sequitur non solùm vinum cui modicissima aqua infunditur, sed etiam vinum limphatum, & multâ aquâ dilutum, esse hujus sacramenti materiam, quod est erroneum, & decreto Eugenij repugnans, cùm in eo dicatur materiam hujus sacramenti esse vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet.

48. Contra secundò, Illud solùm est materia Eucharistiæ, quod à Christo institutum est pro illius materia: Sed aqua, etiam ut vino mixta, non est instituta à Christo ut materia Eucharistiæ, quia aqua non miscetur vino nisi tantùm ex præcepto Ecclesiæ, ut patet ex verbis Tridentini articulo præcedenti relatis, & communiter docent Theologi contra Armacanum: Ergo aqua, etiam ut mixta vino, hujus sacramenti materia dici nequit.

49. Dices, Ecclesiam non instituere illam aquam mixtam pro materia sacramenti, sed Christum instituisse ut id quod Ecclesia misceret, esset materia consecrationis.

Sed contra est, quia in designandis materiis sacramentorum, Christus nihil Ecclesiæ commisit, sed solùm circa usum & administrationem illorum, ut constat ex Tridentino sess. 21. in principio: Sed materia maximè pertinet ad substantiam sacramentorum: Ergo illius designatio non est commissa Ecclesiæ, nec voluntati Ecclesiæ relictum est, quod si præciperet, miscere aquam, esset materia, si non præciperet, non esset; aliàs simili modo posset dici, quòd si oleo misceretur alius liquor pro Extrema-Unctione, etiam talis liquor redderetur materia hujus sacramenti, quia sic instituit Christus. Vel sal, quatenus aquæ Baptismi, ex ordinatione Ecclesiæ miscetur, materia Baptismi dici poterit.

50. Neque obstat si dicas, quòd Christus designavit pro materia matrimonij illum contractum quem Ecclesia validum esse decreverit: Ergo etiam potuit designare pro materia calicis illud quod Ecclesia præceperit & ordinaverit calici infundi. Hoc enim exemplum nullo modo quadrat, quia Christus designavit pro materia matrimonij contractum alias validum secundùm naturam & leges talis contractûs; unde conditio adjecta per Ecclesiam, ut contractus sit validus, non mutat materiam, neque facit ut id quod non est contractus sit materia sacramenti, sed solùm ponitur illa conditio ad producendum in rerum natura verum & validum contractum secundùm approbationem legalem: aqua autem non infunditur vino, ad hoc ut vinum reddatur verum ac proprium vinum, sed solùm propter significationem mysticam; idcóque si non convertatur in vinum, non potest ab Ecclesia fieri materia sacramenti Eucharistiæ, ut rectè discurrit Joannes à S. Thoma hic art. 3.

Ex his facilè deduci potest ratio præcipua & fundamentalis nostræ sententiæ: Illud enim solùm convertitur immediatè in sanguinem Christi, quod est materia consecrationis calicis: Sed solum vinum est hujusmodi: Ergo solum vinum immediatè convertitur in sanguinem Christi; subindeque aqua infusa calici, non convertitur in sanguinem Christi, nisi fuerit conversa in vinum. Major est evidens, ideò enim aliquid dicitur materia consecrationis, quia ejus substantia per verba consecrationis immediatè transit in substantiam corporis aut sanguinis Christi. Minor verò patet ex jam dictis, ostendimus enim ex Conciliis & SS. Patribus solum vinum esse materiam Eucharistiæ, non verò aquam etiam ut ei admixtam, nisi priùs fuerit conversa in vinum. 51.

Nec valet quod ait Ægidius, Concilia, & SS. Patres, dum aiunt solum vinum esse materiam consecrationis calicis, loqui de materia necessaria: aquam verò infusam calici, non esse materiam necessariam, sed liberam, & ex præcepto & ordinatione Ecclesiæ alteri adjunctam. Nam ut suprà dicebamus, materia cujuslibet sacramenti, sive sit necessaria, sive libera, à Christo fuit instituta; non verò ab Ecclesia, quæ non habet potestatem, nisi ad instituenda sacramentalia: admixtio verò aquæ vino conficiendo, non est de institutione Christi, sed solùm de præcepto Ecclesiæ. Addo quod distinctio materiæ necessariæ & liberæ, solùm admittitur à Theologis in sacramento pœnitentiæ, in quo peccata venialia dicuntur materia libera; quia non debent necessariò aperiri in confessione, ut subsistat sacramentum pœnitentiæ, illa tamen sola sufficere potest, quando non adest alia. 52.

Denique suaderi potest conclusio, ex absurdo & inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia, nimirum quòd possit sanguis sub solis speciebus aquæ à vino separatis remanere: Sed hoc videtur absurdum, & Tridentini doctrinæ repugnans, ut patebit ex infrà dicendis: Ergo, &c. Sequela Majoris, etsi ab Adversariis negetur, videtur tamen manifesta, potestque probari, quia juxta Adversariorum sententiam, per hoc quod aqua admiscetur vino, non convertitur in ejus substantiam, sed remanet in propria specie, toto tempore antecedente consecrationem, cujus evidens indicium esse putant, quòd per artem potest hujusmodi aqua à vino separari: quod si sit verum, fatendum est, species aquæ post consecrationem esse à speciebus vini separabiles, cùm ipsa substantia aquæ non sit separabilis à substantia vini, nisi ex eo quòd accidentia utriusque substantiæ sunt ab invicem separabilia. Quòd ergo hac suppositâ separatione, sanguis Christi esset sub speciebus aquæ, sic ostenditur. Vel illæ species sic separatæ continerent aliquam substantiam modo sacramentali, vel alicui substantiæ inhærerent, vel subsisterent sine ulla substantia, nulli inhærendo, & nullam continendo; neque enim est alius modus excogitabilis quo species illæ possent se habere. Tertium horum est prorsus absurdum & inauditum: si autem 53.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem dicatur primum, habetur intentum, quia non possunt aliam substantiam modo sacramentali continere, nisi eam in quam fuerunt substantialiter transmutatæ, scilicet sanguinem Christi. Secundum verò non potest sustineri, quia nulla talis substantia potest rationabiliter excogitari, cui species illæ inhæreant. Quæ enim? Non illa eadem numero quæ erat ante consecrationem, quia contradictionem implicat, quòd idem numero viribus naturæ reproducatur, maximè per solam separationem quæ contingit in proposito. Non etiam substantia ejusdem speciei, quia nulla potest assignari causa, nullaque actio talis substantiæ productiva; Sola enim separatio non habet hanc vim imò nunquam contingit aliquam substantiam succedere B in locum alterius ejusdem speciei. Non denique substantia diversæ speciei, quia factâ illâ separatione remanent accidentia aquæ, quæ tamen non possunt naturaliter esse cum substantia distinctæ speciei.

54. Confirmatur: Species continentes corpus aut sanguinem Christi, tandiu alterum ex illis continent, quandiu substantia conversa sub illis mansisset, ut expressè docet Tridentinum sess. 13. can. 3. Sed per solam separationem aquæ à vino, non destrueretur substantia aquæ: Ergo si species aquæ continent sanguinem Christi, ut conjunguntur cum speciebus vini, eundem etiam continebunt, factâ separatione à speciebus vini.

55. Hæc argumenta adeò manifesta sunt, & tam evidenter probant sequelam Majoris principalis, ut Ægidius Coninx, qui illam negaverat, respondens ad authoritatem illam Tridentini, in aliud latus se vertat, negetque Minorem, asserens probabiliter sustineri posse sanguinem Christi remansurum sub speciebus aquæ separatis.

Verùm Minor illa probatur primò ex Tridentino citato, dicente post consecrationem manere duntaxat species panis & vini, & sub illis corpus & sanguinem Christi: Ergo non remanent species aquæ sub quibus contineatur sanguis Christi.

D Secundò, Si sub speciebus aquæ separatis contineretur sanguis Christi, sequeretur solas species aquæ posse consecrari, quod est hæreticum. Sequela probatur: Quidquid est capax termini alicujus actionis, est etiam capax denominari ab illa actione: Sed consecratio se habet ad sanguinem Christi, sicut actio & fieri ad suum terminum: Ergo illud quod seorsim à vino est capax continendi sanguinem Christi, potest etiam separatim à vino consecrari.

Tertiò, Si sub speciebus aquæ separatis sanguis Christi contineretur, aqua, seu species aquæ, pertinerent ad essentiam hujus sacramenti, subindeque admixtio aquæ esset de necessitate sacramenti, & non tantùm ex institutione & præcepto Ecclesiæ: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Minor patet ex dictis contra Armacanum articulo præcedenti, sequela verò Majoris probatur. Illud pertinet ad essentiam hujus sacramenti, cui convenit significatio sacramentalis: Sed si sub speciebus aquæ separatis sanguis Christi contineretur, illis significatio sacramentalis competeret: Ergo tales species ad essentiam hujus sacramenti pertinerent. Major patet, Minor probatur. Ideò A species vini significant gratiam ad modum spiritualis potûs animam exhilarantis, quia sanguinem Christi realiter continent: Ergo si sub speciebus aquæ separatis, sanguis Christi contineatur, illis pariter significatio sacramentalis conveniet.

§. III.

Solvuntur objectiones.

56. OBjicies primò: SS. Patres communiter & indistinctè docent aquam & vinum consecrari, & consecratione in sanguinem Christi converti: Sed hoc esset falsum, si aqua non converteretur in sanguinem Christi, nisi priùs esset conversa in vinum: Ergo dicendum est, B aquam infusam calici, immediatè in sanguinem Christi converti. Minor videtur manifesta, quod enim non est tempore consecrationis, non potest dici consecrari, aut in sanguinem converti: Sed si aqua debeat priùs mutari in vinum, non erit tempore consecrationis: Ergo falsum erit dicere quòd aqua consecretur, & consecratione in sanguinem Christi convertatur. Major verò ex variis SS. Patrum testimoniis declaratur: Ambrosius enim lib. 4. de sacram. hæc scribit: *Vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis.* Et cap. 5. *Ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus: C ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur.* Damascenus lib. 4. fidei cap. 14. *Ex pane corpus, & ex vino & aqua* (Christus) *sanguinem suum effecit.* Alia profert testimonia Baronius ad annum 1188. quæ difficiliora videntur. Refert enim verba Paschalis lib. de corpore & sanguine Christi cap. 11. dicentis: *Aqua consecratur, non quòd aqua permaneat, sed vertatur in sanguinem.* Et Petri Blesensis tractatu de Eucharistia capite 14. *Post consecrationem sanguis bibitur, quia in sanguinem demutatur aqua.* Idem docet Hidelbertus apud eundem dicens: *Aqua in sanguinem vertitur.* Demum idem confirmat Algerus ibidem, his verbis: *Licèt in mensa Domini tria constituantur munera, sunt tamen duo per quæ sacrificatur, est aqua mixta priùs D vino, sed quando sacratur, nonnisi sanguis erit.* Ergo SS. Patres communiter docent, aquam & vinum consecrari, & consecratione in sanguinem verti.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, & ad ejus probationem dico quòd ut 57. aqua dicatur consecrari, & in sanguinem Christi converti, non est necesse quòd ipsa sit formaliter tempore consecrationis; sufficit enim quòd sit materialiter, id est quòd materia quæ est sub forma vini, fuerit sub forma aquæ; sicut à simili alimentum dicitur converti in substantiam aliti, quamvis tempore quo fit hæc con- E versio, non sit alimentum formaliter, ex eo quòd per varias alterationes & corruptiones priùs fuit corrupta forma ipsius alimenti. Sic etiam Joan. 2. Architriclinus aquam jam factam vinum, appellat aquam per ampliationem; & Exodi 7. dicitur: *Devoravit virga Aaron virgas eorum*, quod intelligendum est de virga conversa in colubrum. Ita ergo in proposito aqua potest dici converti in sanguinem Christi, per ampliationem, quia illud quod erat aqua, seu illud in quod aqua est transmutata, convertitur in sanguinem Christi.

Objicies secundò: Christus in vino aquâ mix- 58.

to

to creditur consecrasse ut dicit Tridentinum sess. A 22. cap. 3. Sed non est verisimile tam brevi tempore illam aquam priùs conversam fuisse in vinum, quam in sanguinem: Ergo immediatè in sanguinem Christi transmutata est. Minor probatur: Christus non consecravit apponendo aquam modicissimam, quia miscuit aquam propter observationem temperantiæ, & consuetudinem illius regionis; esset autem ridiculum propter temperantiam modicissimam aquam, unam scilicet guttam, vino infundere: Sed multa aqua non potuit brevi illo tempore quod inter consecrationem corporis & sanguinis sui Christus interposuit, in vinum converti: Ergo tunc non fuit priùs conversa in vinum, quàm B in sanguinem.

59. Simile argumentum desumi potest ex Concilio Triburiensi: Nam olim ex decreto hujus Concilij, tertia pars aquæ miscebatur vino consecrando: At verisimile non est, vel aquam illam conversam fuisse in vinum, antequam conversa fuisset in sanguinem; vel remansisse in sanguinem non conversam, nam hoc modo data fuisset populo occasio idololatrandi & adorandi aquam puram in calice unà cum Christi sanguine contentam: Ergo, &c. Idem argumentum & inconveniens currit in aliis duobus casibus qui non rarò contingunt; quando scilicet sacerdos paulò ante consecrationem advertit non fuisse tempore oblationis calici appositam aquam, vel quando in ipsa sumptione advertit loco vini fuisse puram aquam; nam in utroque illo casu præcipit rubrica ut sacerdos apponat aquam, & statim consecret; tunc enim in brevi illo tempore aqua non potest converti in vinum; nec remanet in propria specie, alioquin, ut dicebamus, daretur populo occasio idololatriæ, nec posset verificari forma calicis; nam pronomen *Hic* cadit supra totum quod in calice continetur; & sacerdos illam aquam simul cum sanguine sumens, non maneret jejunus, atque adeò non posset aliam missam celebrare: Ergo saltem in illis casibus, aqua immediatè in sanguinem Christi convertitur.

60. Respondeo Christum Dominum, cùm evi- D denter & comprehensivè cognosceret, quando aqua esset conversa in vinum, etiam si plus aquæ infunderet quàm nos, tamen quando consecravit, jam aqua erat conversa in vinum. Addo quod Christus expectavit ut esset finita cœna ad consecrandum calicem, cùm tamen panem durante cœnâ consecraverit, juxta illud Matth. 26. *Cœnantibus illis accepit Jesus, &c.* & sic sufficiens tempus transiit ut aqua illa converteretur in vinum. Deinde etiam non constat Christum Dominum non infudisse aquam in modica quantitate, quia licèt regulariter limphatum vinum in magno temperamento biberet, tamen tunc quando consecravit, non est E usus vino mixto, modo usuali temperantiæ causâ, sed ob significationem mysticam, & propter mysterium: unde post consecrationem calicis dixit illud esse de genimine vitis, ut intelligeremus quòd licèt infudisset aquam, tunc tamen totum illud erat vinum.

61. Dices, Illud vinum quod tunc Christus consecravit, erat vinum usuale: Sed vinum usuale non est vinum purum, sed vinum limphatum, seu multâ aquâ dilutum: Ergo Christus non consecravit vinum cui infusa esset aqua in modica quantitate.

A Respondeo vinum limphatum esse usuale, si taliter sit mixtum, quòd sit conversum in vinum; si verò non sit conversum, sed fiat quoddam tertium ex vino & aqua, non est vinum usuale, licèt potus usualis dici possit: aliud enim est vinum usuale, aliud potus usualis; quia usualis potus potest esse vel ex vino multâ aquâ diluto, vel ex aliis liquoribus; vinum autem usuale, non nisi vinum esse potest, quod non solùm pro potu, sed etiam pro aliis usibus servit.

Ad aliud argumentum desumptum ex decreto 62. Concilij Triburiensis, in primis dico hoc Concilium Provinciale quoad hoc correctum fuisse à Florentino universali, præcipiente modicissimam aquam vino consecrando infundere.

Respondeo secundò, licèt vino consecrando tertia pars aquæ infundatur; quia tamen vinum majoris est activitatis quam aqua, illiusque resistentiam facilè superare potest, præsertim quando est potens & generosum, intra brevè illud tempus quod ab offertorio ad consecrationem intercedit, potest tertiam partem aquæ ei admixtam, in suam substantiam convertere. Cùm verò sacerdos advertens non fuisse tempore oblationis appositam aquam calici, illam adhibet, & statim consecrat juxta præscriptum rubricarum; si in brevi illa morula, aqua non sit conversa in vinum, in sanguinem Christi non convertitur, sed manet in propria specie. C Propterea tamen non datur populo occasio idolatriæ, quia cùm adoratio fidelium fide dirigatur, fertur solùm ad sanguinem Christi latentem sub speciebus Eucharisticis, non verò ad alia quæ per accidens iis adjuncta sunt; sicuti si inter hostiam consecratam crinis insertus sit, nullus tamen creditur ipsum adorare. In eo etiam casu verba consecrationis verificantur, quia non respiciunt absolutè quidquid in calicè reperitur, sed tantùm materiam consecrationi aptam. In eo demum casu sacerdos jejunus censetur, quia totum sumit per modum unius sacramenti, sicut si hostiæ consecratæ esset admixta aliqua particula farinæ hordeaceæ; vel sicut quando gutta aquæ per fauces sacerdotis os D lavantis, casu elabitur.

Objicies tertiò: Aqua mixta vino non potest 63. converti in ipsum: Ergo si convertatur in sanguinem Christi, id fit immediatè. Consequentia patet, Antecedens verò probant Adversarij, Primò ex eo quod Aristoteles, Plinius, & omnes Medici, atque Chymici, affirmant talem conversionem esse impossibilem.

Secundò, quia experientia docet, aquam mixtam vino, etiam multo tempore post illam mixtionem, posse à vino separari, per immissionem medullæ junci, aut per spongiam oleo infusam.

Tertiò ratione: Non enim potest hæc conversio fieri, nisi vinum alteret & corrumpat aquam: Sed vinum non potest hoc præstare: Ergo hæc conversio aquæ in vinum fieri nequit. Major patet, Minor probatur. Nam vinum non potest aquam corrumpere qualitatibus symbolis, putà humiditate, & frigiditate, quia simile non agit in simile; neque etiam qualitatibus dissymbolis, putà caliditate, quia calor non continetur in vino formaliter, sed virtualiter tantum; unde cùm calor virtualis non agat nisi priùs irritatus & excitatus ab illo subjecto in quod agit; aliunde verò non possit aqua excitare calorem vini, eò quòd ipsa omni calore destituta

sit;

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit ; non poterit vinum per calorem corrumpere aquam : Ergo illam nullo modo corrumpere poteſt.

Denique idem Antecedens ſuadetur : Si vinum poſſet aquam in ſuam ſubſtantiam convertere, per mixtionem aquæ vinum redderetur fortius & vegetius : Sed hoc dici nequit, cùm experientiâ conſtet, quòd virtus vini cui aqua aut guttatim aut tota ſimul infunditur, ſenſim deficit, & tandem evaneſcit ; ita ut non percipiatur vinum, ſed videatur in aquam converſum. Sequela verò probatur, quia ignis & alia corpora ſimplicia fiunt vegetiora, quando augentur per aliorum in ſe converſionem : Ergo ſimiliter vinum fieret vegetius & fortius per mixtionem aquæ, ſi eam in ſuam ſubſtantiam transmutaret.

64. Reſpondeo negando Antecedens, & ad primam ejus probationem, quoad Ariſtotelem, dico eum falsò omnino à Coninco citari, cùm oppoſitum doceat lib. 1. de generat. cap. 5. lect. 14. apud D. Thomam, & cap. 10. lect. 25. unde S. Thomas infrà quæſt. 77. art. 8. ait : *Gutta aquæ multo vino permixta, tranſit in ſpeciem vini, ut dicitur 1. de generatione.* Medicis autem & Chimicis opponimus, præter Ariſtotelem, Albertum magnum, D. Thomam, & omnes ejus Diſcipulos, Alenſem, D. Bonaventuram, & Scotum, & plures alios ; imò & Innocentium III. ſuprà citatum, qui opinionem C aſſerentem aquam tranſubſtantiari in ſanguinem, cùm in vinum tranſeat, mixta vino, ut probabiliorem elegit, ſubindeque verius & probabilius eſſe cenſuit, aquam mixtam vino poſſe in ipſum converti.

Ad ſecundam dico cum D. Thoma in 4. diſt. 10. in expoſitione litteræ, id quod per artem chymicam ſeparatur à vino, non eſſe aquam, ſed aqueum humorem, cujus ſignum eſt, quòd ex puro vino poteſt etiam extrahi : dicitur verò aqueus humor, quia eſt quodammodo ſimilis aquæ, quamvis ſubſtantialiter ſit vinum non ſatis excoctum.

Dici etiam poteſt, quòd ſi aqua illa ex vino D extracta, ſit vera aqua, generatur tunc ex vapore vini cui aqua admixta fuerat, & in illud converſa, attracto à medulla junci, aut ſpongiâ oleo imbutâ ; eodem prorſus modo quo ex terræ vapore attracto à Sole generatur aqua in media regione aëris, ut docet Ariſtoteles lib. 1. Meteor. cap. 9.

Ad tertiam dico poſſe vinum duobus modis corrumpere aquam, in parva quantitate ſibi admixtam : uno modo per diviſionem, ratione cujus illa modica aqua dividitur in partes minimas, ſub quibus non poteſt forma aquæ manere, cui conſequenter ſuccedit forma vini, non verò aliqua alia ; tum quia ab ipſo vino ſit hæc aquæ diviſio ; tum etiam quia illud eſt corpus undique circumdans partes aquæ. Secundò poteſt vinum corrumpere aquam per actionem, agendo in illam non per qualitates ſymbolas, ſed per diſſymbolas, ſcilicet per calorem virtualem. Nec verum eſt calorem virtualem non agere, niſi priùs excitetur à calore formali ſubjecti in quod agit, ut patet in calce, quæ ſolâ aquâ poſitâ, ſtatim fervet. Addi etiam poteſt, vinum agere per aliquam qualitatem innominatam, ipſum formaliter afficientem, quam appellamus calorem virtualem, eò quòd producat effectus proprios caloris, ſicut lux A Solis dicitur ob eandem rationem calor virtualis.

Ad quartam, nego ſequelam Majoris, & ad probationem illius, conceſſo Antecedente, nego conſequentiam, & paritatem. Ratio verò diſparitatis eſt, quia cùm in igne & in aliis corporibus ſimplicibus, qualitas per quam agunt, ſit proprietas ab eorum ſubſtantia per ſimplicem dimanationem proveniens, facilè ex ſeipſis reparant damnum, quod ex reſiſtentia contrarij receperunt ; quod in vino & in aliis mixtis, propter oppoſitam rationem contingere nequit ; unde non eſt mirum, ſi virtus eorum ſenſim deficiat.

Objiciunt ultimò Adverſarij : Multò certius B 65.
eſt, totum quod continetur in calice, poſt legitimam conſecrationem, in ſanguinem converti, quàm aquam priùs converti in vinum ; quia primum aſſerunt communiter Patres & Theologi, imò & quidam volunt eſſe de fide, ſecundum verò negatur à pluribus : Ergo non poteſt prius in ſua veritate & certitudine pendere à poſteriori. Conſequentia probatur, quia poſterius non poteſt habere majorem certitudinem, quàm prius, nec certum ab incerto in ſua veritate pendere.

Ad hoc argumentum cui potiſſimùm confi- 66.
dunt Adverſarij, & quod apud illos palmarium eſt, & in hoc litterario certamine, veluti Achylleum, facilè reſpondetur, conceſſo Antecedente, negando Conſequentiam ; ad cujus, probationem dicendum eſt, nihil obſtare in bono diſcurſu, Conſequens eſſe interdum certius Antecedente, non quidem vi illationis præcisè, & quatenus pendet ab illo, ſed quatenus poteſt habere aliunde ſpecialem gradum certitudinis, putà quia aliunde eſt communiter receptum in Eccleſia, ut contingit in propoſito. Poteſtque afferri inſtantia manifeſta, nam hæc propoſitio, *humanitas Chriſti exiſtit ſine propria ſubſiſtentia*, dependet in ſua veritate ab iſta, *ſubſiſtentia creata diſtinguitur realiter à natura*, ita quòd ſi hæc eſſet falſa, prior non poſſet eſſe vera ; & tamen prima certior eſt, quia aliunde eſt de fide, non verò præcisè quatenus dependet ab alia propoſitione.

ARTICULUS V.

An materia conſecranda debeat eſſe præſens Miniſtro, & ſub certa quantitate ?

DIco primò, ut validum fiat ſacramentum, 67.
materia ejus debet eſſe præſens ſacerdoti conſecranti. Ita D. Thomas in 4. diſt. 11. qu. 2. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 1. ubi ſic habet : *Ipſa forma pronomine demonſtrativo utens oſtendit quòd materia conſecranda debet eſſe coram Sacerdote, unde Sacerdos exiſtens in domo ſua, non poſſet conſecrare panem qui eſt in altari.* Quibus verbis E duas inſinuat S. Doctor pro noſtra concluſione rationes.

Prima & fundamentalis eſt, quòd pronomen 68.
Hoc, vel *Hic*, contentum in forma conſecrationis, ſignificat rem præſentem ; unde falſa eſſet forma, ſi materia eſſet abſens.

Secunda eſt ab inconvenienti : ſi enim materia non deberet eſſe præſens Sacerdoti conſecranti, ſequeretur Sacerdotem exiſtentem Pariſiis, è domo ſua poſſe conſecrare omnes hoſtias exiſtentes

exiſtentes in Eccleſia, imò & quæ ſunt Romæ, A Ergo & materia hujus ſacramenti. Neque enim
& in omnibus totius mundi civitatibus, quod abſurdum & falſum eſſe conſtat. Ex quibus

69. Inferes primò contra Majorem, non poſſe Sacerdotem conſecrare hoſtiam à tergo poſitam, quamvis eam in ſpeculo videat, quia non poteſt eam demonſtrare pronomine *Hoc*, ſed ſolùm ejus ſimilitudinem relucentem in ſpeculo, quæ non eſt materia hujus ſacramenti, vel conſecrationis.

70. Inferes ſecundò, poſſe Sacerdotem conſecrare hoſtiam in pixide occluſam, vel latentem ſub aliis aut ſub linteo, quia eſt moraliter præſens ratione continentis.

Dices, Infans intra uterum matris exiſtens, non eſt moraliter præſens ut poſſit Baptiſmum B ſuſcipere : Ergo nec hoſtia intra pixidem exiſtens.

Reſpondeo negando conſequentiam & paritatem, infans enim debet phyſicè ablui, ad quod requiritur phyſica præſentia ſubjecti abluendi ; hoſtia verò non debet verbis conſecratoriis phyſicè tangi, adeóque ſufficit moralis ejus præſentia.

71. Dico ſecundò, Sacerdotem validè poſſe conſecrare materiam, quantæcumque ſit magnitudinis, dummodo illi moraliter præſens eſſe poſſit. Ita D. Thomas hic art. 2. in corp. contra aliquos qui dicebant quòd Sacerdos non poterat conſecrare magnam quantitatem panis aut vini, C
putà totum panem qui venditur in foro, aut totum vinum quod eſt in dolio. Eſt etiam contra Alenſem, D. Bonaventuram, Paludanum, & alios, aſſerentes materiam conſecrandam eſſe determinatam quoad maximum, non quoad minimum ; quia (inquiunt) quantitas materiæ conſecrandæ ſumi debet per ordinem ad uſum fidelium, propter quem hoc ſacramentum eſt inſtitutum : Ergo tanta & non major conſecrari poteſt, quanta probabiliter ſufficit ad uſum fidelium. Addunt quòd virtus ſacerdotis & verborum finita eſt : virtus autem finita habet de ſe terminum certum ultra quem non poteſt operari.

72. Probatur tamen concluſio ratione fundamen- D
tali : De fide eſt Chriſtum dediſſe ſacerdotibus poteſtatem conſecrandi panem & vinum, & nullâ conſtat auctoritate, vel traditione, aut ratione, Chriſtum limitaſſe hanc poteſtatem ad certum terminum magnitudinis, quo major, licèt ſenſibiliter præſens, conſecrari non poſſit : Ergo temerè limitaretur. Major eſt certa ex Scriptura & Conciliis, Minor verò patebit ex ſolutione objectionum.

73. Confirmatur : Hoc ſacramentum non conſiſtit in uſu, ſed in conſecratione materiæ, quamvis ordinetur ad uſum ut ad effectum poſteriorem : Ergo ſalvatur ejus eſſentia in ſola materia debitè applicata, cum certa forma & intentione miniſtri.

74. Poteſt etiam ſuaderi concluſio ratione D. Thomæ, quæ ſic breviter proponi poteſt. In omnibus habentibus materiam, ratio determinationis materiæ ſumitur ex ordine ad finem, ſicut in ſerra tantùm debet eſſe materiæ, quantùm ſufficit ad ſecandum : in hoc autem diſtinguuntur res naturales ab hoc ſacramento, quòd illæ habent determinatam quantitatem, per comparationem ad formam determinatam ; hoc verò ſacramentum, per comparationem ad uſum fidelium : Sed numerus fidelium eſt indeterminatus :

Ergo & materia hujus ſacramenti. Neque enim oportet quòd determinetur per comparationem ad numerum fidelium qui nunc occurrunt, aliàs ſacerdos habens tantùm centum parrochianos, poſſet tantùm conſecrare centum hoſtias, ſed comparatio debet fieri circa populum qui poteſt occurrere : numerus autem fidelium qui occurrere poſſunt, non eſt determinatus, cùm & multi & iidem ſæpiùs communicare poſſint : Ergo, &c. Ex quo ſolutum manet primum fundamentum adverſæ ſententiæ. Ad illud verò quod additur, dicendum eſt virtutem Sacerdotis eſſe quodammodo infinitam, quia cùm ſe habeat per modum inſtrumenti, agit in virtute Dei, quæ infinita eſt.

Dices, In forma conſecrationis vini ſic dici- 75.
tur : *Hic eſt calix :* Ergo oportet vinum contineri in calice, ſubindeque ejus quantitatem eſſe determinatam, & calici proportionatam.

Sed nego conſequentiam, nam cùm dicitur, *Hic eſt calix, &c.* eſt figurata locutio, in qua continens ſumitur pro contento, idemque ſignificat ; ac ſi ſolùm diceretur, *Hic eſt ſanguis meus*, ſicut Matth. 26. & Marci 14. habetur : unde etiam ſi vinum non eſſet in calice, ſed in terra diffuſum, conſecrari poſſet.

Addo quod, quamvis nomine calicis, vas in quo vinum conſecrandum continetur intelligeretur ; tamen ex quantitate calicis non rectè colligeretur quantitatem vini conſecrandi eſſe determinatam ; tum quia dato quocumque calice, poteſt dari alius major : tum etiam, quia poteſt Sacerdos habere coram ſe multos calices plenos, & ſimul omnes conſecrare, ſicut ſimul conſecrat multas hoſtias.

Dico tertiò, quælibet pars panis & vini quan- 76.
tumcumque parva, dummodo ſit ſenſibilis, & ſufficienter præſens, ſive ſit in toto continuo, ſive extra, eſt apta materia conſecrationis. Ita S. Thomas hìc art. 2. in argumento *Sed contra.*

Probatur breviter : Illud poteſt validè conſecrari, ſub quo poteſt poni corpus Chriſti : Sed corpus Chriſti poteſt poni & exiſtere ſub qualibet parte panis & vini, quantumcumque parva, D
ſub qua poteſt eſſe ſubſtantia panis & vini, quia corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus, ad modum ipſius ſubſtantiæ panis & vini : Ergo ſi aliunde talis pars ſit ſenſibilis, & ſufficienter præſens, poteſt validè conſecrari.

Ex quo inferes, partem minorem minimo na- 77.
turali, conjunctam poſſe conſecrari, non autem ſeparatam ; quia ſub illa ut ſeparata non remanet ſubſtantia panis, benè tamen ſub eadem ut conjuncta cum aliis.

Dices primò : Quæcumque minima quantitas 78.
aquæ non ſufficit ad Baptiſmum : Ergo neque quæcumque minima quantitas panis ad hoc ſacramentum.

Reſpondeo, conceſſo Antecedente, negan- E
do conſequentiam & paritatem ; materia enim Baptiſmi non eſt aqua, niſi ut abluens, at non quævis minima pars aquæ abluere poteſt ; panis verò eſt materia Euchariſtiæ, ut continens Chriſtum, unde cùm minima quantitas panis totum Chriſtum continere poſſit, quælibet pars, quantumcunque parva, eſt apta materia conſecrationis.

Dices ſecundò, Sacramentum Euchariſtiæ eſt 79.
inſtitutum ad modum cibi : Sed ad rationem cibi requiritur aliqua determinata quantitas : Ergo & ad materiam Euchariſtiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

80. Respondeo sacramentum Eucharistiæ esse institutum ut cibum, non materialem, qui ut corpus reficiat, determinatam requirit quantitatem, sed ut spiritualem, qui ut animam reficiat, certam quantitatem non exposcit.

Urgebis, sacramentum Eucharistiæ institutum est ut cibus spiritualis animæ, mediâ sumptione corporali: Sed ut cibus sit corporaliter sumptibilis, certam requirit quantitatem: Ergo & sacramentum Eucharistiæ.

Respondeo hoc argumentum solùm probare, sacramentum Eucharistiæ, quantùm ad usum & sumptionem corporalem, certam requirere quantitatem, sed id non probare de hoc sacramento, quantùm ad consecrationem, & præ- B sentiam Christi sub speciebus, de quo solùm agimus in præsenti, unde hæc instantia non est ad rem.

81. Dico quartò, ut consecratio sit valida, debet in particulari determinari quantitas tam continua quàm discreta materiæ, panis scilicet & vini.

Probatur: Quantúmcumque materia secundùm se sit legitima & consecrabilis, ac præsens Sacerdoti, si tamen iste non velit aut intendat eam consecrare, etiam si proferat verba consecrationis, non manet consecrata; quia intentio ministri necessaria est ad confectionem sacra-
Disp. 6. art. 2. menti, ut in Tractatu de sacramentis in communi ostensum est: Ergo ut valida sit consecratio, C materiæ quantitas determinanda est per intentionem Sacerdotis, quâ velit consecrare tantam & talem quantitatem panis & vini.

82. Porrò intentio Sacerdotis circa materiam consecrandam tripliciter ferri potest. Primò intendendo consecrare totam materiam quam habet coram se præsentem absolutè, & tunc tota illa, cujuscumque quantitatis sit, etiam si sit totus panis qui venditur in foro, & totum vinum quod est in dolio, manet consecrata. Secundò, intendendo consecrare ex materia quam habet præsentem, solam illam quam habet præ manibus, & quæ est super corporale, vel in pixide, aut in calice; & tunc sola illa manet con- D secrata. Tertiò, intendendo consecrare ex hostiis quæ sunt super corporale, aut in pixide, unam tantùm; & tunc si eam designet, illa sola manet consecrata; si verò eam non designet, nulla consecrata manet. Similiter, si Sacerdos præsentes habeat undecim hostias, & intendat tantùm consecrare decem, non tamen determinet illas decem quas vult consecrare, & undecimam quam non vult consecrare, nullam earum consecrabit: non enim consecrabit omnes, quia hoc non intendit, ut suppono; neque hanc vel illam, quia non est major ratio unius quàm alterius.

E

ARTICULUS VI.

Utrum in aliquo casu ex dispensatione Pontificis liceat in una tantùm specie consecrare?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

83. DUo ut certa supponimus, & aliud in controversiam revocamus. In primis enim certum est, validè unam speciem posse sine altera A consecrari, ut constat ex ipso usu & praxi Ecclesiæ, quæ speciem panis, hoc ipso quòd consecrata est, adorat antequam calix consecretur; & si contingeret Sacerdotem ex malitia vel impotentia non consecrare calicem, eodem modo maneret ibi corpus Christi sub specie panis; quia semel consecratus panis, non desinit continere corpus Christi, donec species corrumpantur. Idem dicendum est de consecratione calicis, si fiat sine consecratione panis.

Secundò certum est, nulli sacerdoti de jure 84. ordinario licere unam speciem consecrare sine alia. Est enim præceptum Ecclesiasticum quo id strictissimè prohibetur, ut liquet ex capite *Nihil contra*, quæst. 1. & ex cap. *Referimus* de consecrat. dist. 2. ubi dicitur *non posse sine ingenti sacrilegio dividi mysterium*; & ex iis quæ habentur in Rubricis generalibus Missalis Romani, titulo *de defectibus*, ubi præscribitur, ut in omni casu quoad fieri potest, sacrificium integrum peragatur, & inter alia præcipitur, ut Sacerdos qui ex imprudentia aquam pro vino consumpsit, accipiat vinum, & consecret, atque consumat, non obstante præcepto Ecclesiastico de non sumenda Eucharistia nisi à jejunis: cui præcepto, quamvis gravi, præponderat aliud de consecranda simul utraque specie, & consumenda ab ipso consecrante. Solùm ergo C difficultas est, & controversia inter Theologos, utrum Summus Pontifex possit dispensare in hoc præcepto, & ob publicam aliquam utilitatem permittere, ut una species sine altera consecretur.

Partem affirmativam tenent Adrianus in 4. 85. quæst. 6. de Eucharistia, Major ibidem dist. 9. quæst. 3. Gabriël in canonem Missæ lect. 13. dubio 3. Alanus libro 2. de Eucharistia, & aliqui ex Summistis. Eandem sententiam tenuisse Albertum Magnum in Tractatu de corpore Christi, refert Cardinalis Turrecremata in cap. *Comperimus* distinct. 2. ipseque eam ibidem approbare videtur. In eo tamen discrepant hujus sententiæ Authores, quòd Adrianus, & Major existimant non esse de jure divino, sed tantùm Ecclesiastico, ut sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie conficiatur. Alij verò licèt putent id esse de jure divino, adhuc tamen asserunt Pontificem in eo dispensare posse, vel interpretari id jus divinum in aliquo casu non obligare, ut si in regno aliquo vinum conservari non possit. Sententia tamen negans Pontificem in eo dispensare posse, communis est inter Theologos, tum domesticos, tum extraneos; licèt plures ex Recentioribus sententiam affirmantem probabilem existiment.

§. II.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

DIco primò, esse de jure divino, quod sacramentum Eucharistiæ non conficiatur, nisi consecrando utramque speciem. Ita Divus Thomas hic artic. 1. ad 2. & infrà quæst. 80. artic. 12. ad 3. quibus locis duas insinuat rationes quibus breviter suaderi potest nostra conclusio.

Prima est: Quæ sunt necessaria ad integrita- 86. tem sacramenti sunt de jure divino: Sed consecratio utriusque materiæ est necessaria ad integritatem sacramenti: Ergo est de jure divino.

Major

Major patet, integritas enim sacramentorum est de jure divino, cùm ea à solo Christo instituta sint. Minor verò ex eo suadetur quòd Eucha- A ristiæ sacramentum per modum convivij institutum est: Sed ad integritatem convivij requiritur cibus & potus: Ergo & ad integritatem hujus sacramenti pertinet utraque species panis & vini.

87. Secunda ratio sic potest proponi. De jure divino est, ut hoc sacramentum non conficiatur, nisi simul Deo sacrificium incruentum offeratur: Sed sacrificium incruentum Deo offerri nequit, nisi utraque species consecretur: Ergo de jure divino est, quòd hoc sacramentum non conficiatur, nisi consecrando utramque speciem. Minor est certa, tum quia sacrificium Eucharistiæ essentialiter & per se debet esse sacrificium secundùm ordinem Melchisedech, quia hoc est sacerdotium novæ legis, in qua Christus Dominus est Sacerdos secundùm illum ordinem, ut probat Apostolus ad Hebræos 6. & declarat Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 1. ubi ait Christum fuisse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, in institutione sacramenti Eucharistiæ: ritus autem illius Sacerdotij erat in oblatione panis & vini, non alterius tantùm speciei, ut patet ex illo Genes. 14. *Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum: erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Tum etiam quia sacrificium Eucharistiæ est idem quòd sacrificium C crucis, ex parte rei oblatæ, illudque repræsentat ex parte specierum, ut constat ex Tridentino citato, cap. 2. De ratione autem & essentia sacrificij crucis fuit quòd sanguis realiter & cruentè separaretur à corpore Christi: Ergo de ratione & essentia sacrificij sacramentalis est, quòd sanguis mysticè & incruenter separetur à corpore, quod esse non potest, nisi sub utraque specie hoc sacramentum conficiatur; quia in altera tantùm, potiùs sanguis & corpus uniuntur per concomitantiam. Ut ergo detur separatio mystica, requiritur utraque species, quatenus ex vi verborum, & ex significatione specierum, ponitur in una corpus, & in alia D sanguis; ut magis declarabitur infrà, cùm de Missæ sacrificio disseremus. Major verò in qua est difficultas, sic ostenditur. De jure divino præceptum est Sacerdotibus, ut Eucharistiam conficerent, eo modo quo Christus in illis vernis instituit: *Hoc facite in meam commemorationem:* Sed per illa verba præcepit Sacerdotibus, ut per modum sacrificij Eucharistiam conficerent: Ergo de jure divino est quod sacramentum Eucharistiæ non conficiatur à Sacerdotibus, nisi per modum sacrificij, seu nisi simul Deo sacrificium incruentum offeratur. Major patet, Minor verò probatur ex Tridentino sessione 22. cap. 1. ubi inquit, *quod Christus Dominus corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini* E *obtulit Deo Patri, ac sub earum rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit.* Et can. 2. *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes, offerrent corpus & sanguinem suum, Anathema sit.* Sed offerre corpus & sanguinem est sacrificium, quia est oblatio facta in honorem A Dei: Ergo per illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, Christus præcepit Sacerdotibus, ut per modum sacrificij Eucharistiam conficerent. Id etiam apertè declarat traditio Ecclesiæ, quæ colligi potest, tum ex multis quæ congeruntur de consecratione distinct. 2. tum etiam ex usu, nunquam enim hoc sacramentum confectum est, nisi offerendo Deo Missæ sacrificium.

Potest etiam suaderi conclusio à posteriori, & à signo: Nam præceptum de hoc sacramento conficiendo sub utraque specie, prævalet omni præcepto Ecclesiastico, unde Sacerdos, etiam non jejunus, sacrificium ab altero inchoatum, B & ex aliquo accidenti non perfectum, debet perficere: Ergo signum est, præceptum de consecrando sub utraque specie, esse ordinis superioris, & divini.

Dico secundò, non potest Summus Pontifex dispensare, ut Sacerdos consecret in una tantùm specie.

Probatur primò: Si posset Pontifex cum ali- 88. qua Ecclesia dispensare, ut sacramentum Eucharistiæ in una tantùm specie conficeretur, posset etiam efficere ut talis Ecclesia sine ullo sacrificio subsisteret: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris est evidens, siquidem non potest modò dari aliud sacrificium in Ecclesia, præter Eucharistiam: tunc autem Eucharistia non C haberet rationem sacrificij: cùm in una tantùm specie, Eucharistiæ sacrificium salvari nequeat, ut præcedenti conclusione visum est. Minor verò suadetur: Sacrificium est præcipuum religionis fundamentum, sine quo illa stare nequit, juxta illud Augustini libro 19. contra Faustum cap. 11. *In nullum nomen religionis coadunari homines possunt, nisi aliquo visibilium signorum consortio colligentur*; unde tunc cessavit lex antiqua, quando ablatum est juge sacrificium, & Apostolus ad Hebræos 7. ait: *Translato Sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat:* Sacerdotium verò & sacrificium dicuntur correlativè, ut inquit Tridentinum sessione 23. cap. 1. D Ergo Summus Pontifex suâ dispensatione efficere nequit, ut aliqua Ecclesia sine ullo sacrificio subsistat.

Probatur secundò conclusio ex fundamentis 89. in præcedenti statutis. Ut enim ibi ostensum est, præceptum de non consecrando in una tantùm specie, est divinum, & non purè Ecclesiasticum: Sed Pontifex in his quæ sunt de jure divino dispensare nequit, ut dicitur Can. *Sunt quidam*, & can. *contra* 25. quæst. 1. & patet, quia inferior non potest dispensare in lege lata à superiori: Ergo Pontifex non potest dispensare ut Sacerdos consecret in una tantùm specie.

Dices, Licèt non possit Pontifex dispensa- 90. re in his quæ sunt de jure divino potest tamen interpretari tale jus, declarando illud non obligare in hoc vel in illo casu; ut in proposito, si præceptum de non consecrando in una tantùm specie, concurrat cum alio divino, & non possit utrumque simul servari; verbi gratiâ cum præcepto communicandi in articulo mortis, vel cùm in tota aliqua regione non potest haberi vinum. Unde refert Volaterranus libro 3. Geographiæ cap. de Saxonibus, Innocentium VIII. dispensasse cum illis ad consecrandum tantùm in pane, eò quòd in illis regionibus vinum statim acesçat. Ergo in talibus casibus poterit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pontifex interpretari quod tale præceptum non obliget.

91. Sed contra: Prædicta interpretatio non potest fieri nisi propter aliquam legitimam causam occurrentem: Sed nulla talis potest occurrere: Ergo, &c. Minor probatur ex eo quòd à mille sexcentis & ampliùs annis, nunquam se talis occasio obtulit: quod enim narrat Volaterranus, fictitium esse colligitur. Primò quia nullum alibi extat hujus concessionis monimentum: quomodo autem in re tam gravi & inusitata non extaret? Secundò quia ex ipsa phrasi convinci potest falsitatis; ait enim permisisse Pontificem, ut Norvegi sine vino calicem consecrarent. An verò cervisiam, aut vinum malogranatorum, pomorum, aut mororum, vel lac, aut aquam consecrare permisit, sive puram, ut Aquarij usurpabant, sive mellitam, ut Melancthon putavit usurpare Ruthenos posse, ob inopiam vini? Tertiò, quia nec stat ratio ipsa quam prædictæ concessionis Volaterranus refert, quòd nempè *vinum in Norvegia non crescat, aliunde importatum citò acescat*; hoc enim ipsi experientiæ repugnat, cùm vinum in regiones illas asportatum, tam longo tempore conservetur, ut nec ipsi laïci sine specie vini communicare velint.

Addo ex Bzovio ad annum 1490. circa illud tempus nonnullos Sacerdotes qui postea combusti sunt propter falsificata diplomata pontificia, potuisse in illis partibus falsam aliquam dispensationem publicare.

Quod verò dicitur de concursu duorum præceptorum, non est etiam sufficiens fundamentum ad faciendam hanc interpretationem; quia alia præcepta Ecclesiastica, quæ non sunt tanti momenti, sicut istud divinum de consecrando in utraque specie, non possunt prætermitti propter adimplendum præceptum communionis; nam ad communicandum ægrotum verbi gratiâ in periculo mortis existentem, non licet celebrare sine vestibus sactis, neque post cibum sumptum: Ergo à fortiori non poterit prætermitti hoc præceptum divinum de consecrando in utraque specie. Ratio verò horum omnium est, quia neque tunc urget spiritualis necessitas proximi, cùm per alia sacramenta & per devotionem ægroti possit id compensari: neque urget etiam necessitas præcepti divini de communicando, quia cùm tale præceptum sit affirmativum, non obligat nisi habitâ copiâ sacramenti, quæ in illis casibus non habetur.

§. III.

Solvuntur objectiones.

92. OBjicies primò contra primam conclusionem: D. Thomas in 4. dist. 11. quæst. 2. artic. 1. quæstiunculâ 1. ad 4. insinuare videtur, præceptum de consecrando in utraque specie, non esse Divinum, sed Ecclesiasticum; ait enim (teste Suare hìc disputat. 43. sect. 3.) unam speciem non esse sine alia consecrandam *tantùm quia est contra morem Ecclesiæ*, quæ verba minusculis litteris notat Suarez, quasi essent D. Thomæ.

93. Sed in ea citatione hujus Authoris fidelitatem & sinceritatem desidero, nam verba illa in textu D. Thomæ non reperiuntur, sed Sanctus Doctor solùm dicit quòd ille qui habet alteram tantùm speciem, debet potiùs desistere à consecratione, *quàm conficere, præter morem Ecclesiæ, in una tantùm specie*. Ubi ly, *præter morem Ecclesiæ*, non excludit jus divinum, sed supponit, quia iste mos Ecclesiæ, ex præcepto divino est. Et ita sensus illorum verborum est, quòd præter morem Ecclesiæ, à Christo institutum, non licet in una tantùm specie consecrare, non autem ob solam consuetudinem ab Ecclesia ortam.

Objicies secundò: Si præceptum de consecrando sub utraque specie esset divinum, vel esset naturale vel positivum? Neutrum dici potest: Ergo tale præceptum non est divinum, sed purè Ecclesiasticum. Sequela Majoris patet, nam præceptum divinum adæquatè dividitur in naturale & positivum. Minor verò quoad utramque partem suadetur. Et in primis quòd tale præceptum non sit positivum, videtur manifestum, cùm illud in nullo Scripturæ loco reperiatur. Quod verò non sit naturale, ex eo patet quòd ex ipsa sacramentorum institutione non sequatur. 94.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, & ad probationem illius dico hoc præceptum esse in primis positivuum, quia colligitur ex illis verbis Christi, *Hoc facite in meam commemorationem*, ut in prima conclusione probatum est. Potest etiam dici quodammodo naturale, quia suppositâ hujus sacramenti & sacrificij institutione, requiritur quòd sit integrum: ad integritatem verò Eucharistiæ in ratione sacramenti, seu spiritualis convivij, & ad substantiam sacrificij incruenti, cruentum crucis sacrificium repræsentantis, utriusque speciei consecratio necessariò requiritur, ut ibidem ostensum est. 95.

Dices, Christus in Cœna post consecrationem panis & calicis dixit, *Accipite & manducate, bibite ex eo omnes*, & tamen hæc verba non continent præceptum sumendi utramque speciem; alioquin Ecclesia non posset prohibere laïcis calicis sumptionem: Ergo neque hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, continent præceptum positivum conficiendi Eucharistiam sub utraque specie. Unde etiam ipse Christus Lucæ 24. legitur consecrasse in solo pane in Castello Emaüs. 96.

Respondeo quod quando Christus factâ consecratione panis & vini dixit, *Accipite*, &c. communionem sub utraque specie omnibus absolutè, non præcepit, sed solùm omnibus Sacerdotibus, quia præcepit illis qui tunc ibi aderant, & quos constituebat Sacerdotes. Et quòd ad illos tantùm & non ad omnes communicantes loqueretur Christus, constat; quia ad eosdem dixit illa verba, *Accipite & manducate, bibite ex eo omnes*, ad quos dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: Testatur autem Concilium Tridentinum suprà citatum, universam Ecclesiam hoc semper intellexisse, quod in illis verbis, *Hoc facite*, præcepit Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent hoc sacrificium Deo: Ergo in illis verbis loquebatur ad illos ut Sacerdotes: Ergo etiam in aliis cùm dicebat, *Bibite ex eo omnes*, id est omnes sacrificantes, non verò omnes communicantes. Unde licèt Ecclesia usum calicis laïcis prohibeat, non dispensat tamen nec dispensare potest Sacerdotes sacrificantes, ut in una tantùm specie communicent. 97.

Ad

98. Ad factum Christi consecrantis panem sine calice pro duobus Discipulis, res est incerta, an etiam tunc consecraverit calicem, nec oppositum constat ex Scriptura; potuit enim utrumque consecrare, & solùm præbere panem Discipulis, ipse autem utrumque sumere, & dum daret Discipulis panem, ex eorum oculis evanescere. Quod si de facto Christus calicem non consecravit, id fecit ex suprema potestate quam habet supra substantiam sacramentorum, & sacrificij, quam Ecclesiæ non dedit; unde illa nullam potestatem habet in substantiam, aut integritatem sacramentorum, vel sacrificij Missæ. A

99. Objicies tertiò contra secundam conclusionem: Pontifex potest dispensare in his quæ sunt de jure divino, nam votum obligat de jure divino ad sui impletionem, & tamen potest in illo dispensare. Idem est de matrimonio rato & non consummato, in quo Pontifex dispensat, & tamen vinculum & obligatio illius est de jure divino & ex natura contractûs, qui de se est indissolubilis: Ergo licèt sit de jure divino, quòd sacramentum Eucharistiæ non conficiatur, nisi consecrando utramque speciem, poterit tamen Pontifex ex commissione Christi, & virtute clavium, dispensare in hoc, & permittere ut Sacerdos in una tantùm specie consecret. B

100. Respondeo primò, quod licèt daretur Pontificem posse dispensare in jure divino, ex commissione Christi, inclusa in illa universali potestate clavium, *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*; certum tamen est, ipsum non posse dispensare in jure divino spectante ad substantiam vel ad integritatem sacramentorum, vel sacrificij Missæ, ut constat ex Tridentino sessione 21. capite 2. ubi dicitur: *Declarat Sancta Synodus, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione*, SALVA EORUM SUBSTANTIA, *ea statueret vel mutaret quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum veneration, pro rerum tempore, & locorum varietate, magis expedire judicaverit.* Cùm ergo consecrare in utraque specie sit de integritate sacramenti Eucharistiæ, ut habet rationem spiritualis convivij, & de substantia sacrificij Missæ, non potest Pontifex virtute clavium in hoc dispensare, ac permittere quòd Sacerdos in una tantùm specie consecret. C D

101. Respondeo secundò, dupliciter posse aliquid esse de jure divino, primò absolutè & simpliciter, quia ipse Deus per seipsum imponit aliquod præceptum & obligationem, ejusque naturam & modum determinat: Secundò ex suppositione, quia voluntas humana disponit materiam & exhibet illam; quâ suppositâ & manente, obligat jus divinum & naturale ad implendam illam. Quod est de jure divino primo modo, non cadit sub dispensatione Pontificis, cùm non constet datam illi esse à Christo potestatem ut dispensatur in istis præceptis quæ immediatè ipse posuit, præsertim circa substantiam sacramentorum & sacrificij: potest verò dispensare Pontifex in his quæ sunt de jure divino secundo modo, quia tunc solùm operatur potestas Ecclesiæ circa illud factum humanum, quod requiritur & præsupponitur tanquam conditio ut jus divinum obliget; v. g. in dispensatione voti, Pontifex non tollit obligationem E

quâ quilibet tenetur implere id quod Deo promisit, sed tollit tantùm fundamentum talis obligationis, quam homo actu humano sibi imposuit, ob jus quod habet Pontifex super voluntatem omnium fidelium sibi subditorum. Idem dicendum de matrimonio rato & non consummato, quod quia solùm est contractus ortus ex voluntate humana, & nondum habet consummationem suam, potest per voluntatem superioris dispensari ne adimpleatur & obliget; non tamen posità consummatione, quia tunc esset in præjudicium ipsius matrimonij, & perpetuitatis ejus, præter præjudicium quod inde proveniret alteri conjugi, & proli. Cæterùm ex eo quod Pontifex dispensaret in præcepto de consecrando in utraque specie, dispensaret in jure divino absoluto, quod cùm habeat derivati ex divino tantùm arbitrio, non potest subire dispensationem inferioris ipsi Deo.

Objicies quartò: Non minùs pertinet ad essentiam sacrificij Missæ, sumptio utriusque speciei, quàm utriusque consecratio: Sed Ecclesia dispensare potest, ut celebrans Missæ sacrificium, sumat speciem panis, sine calice: Ergo & quod unam speciem consecret sine alia. Major videtur certa, Minor verò suaderi potest, tum ex eo quòd quando ordinati celebrant cum Episcopo, non sumunt calicem; tum etiam, quia Ecclesia in die Parasceves, propter repræsentationem mortis Christi, ordinat ut Sacerdos celebrans sumat species panis sine consecratione calicis. 102.

Respondeo, data Majori, negando Minorem, & ad primam illius probationem dico quod quando ordinati celebrant cum Episcopo, non sunt principales celebrantes & sacrificantes, sed solus Episcopus; præsertim quia regulariter solus Episcopus consecrare solet; ipsi autem ordinati referunt suam intentionem ad verba Episcopi, ut per illa fiat consecratio, quando ipse finit, non quando ipsi finiunt; si autem contingat simul cum Episcopo finire, hoc rarissimum est; unde per se & regulariter, solus Episcopus præsumitur consecrare, ideóque solus utramque speciem sumit. 103.

Ad secundam verò probationem respondeo in die Parasceves non fieri sacrificium, neque cæremoniam illam quæ eâ die fit esse Missam: unde quando dies illa cadit in festo Annuntiationis, non tenentur fideles tali cæremoniæ interesse, ut constat expresè ex decisione Cardinalium sacræ Congregationis rituum 19. Februarij anni 1622. quam refert Barbosa in Collectaneis, verbo *Annuntiatio Dominica*; & est maximè conformis ipsi juri, ut patet ex capite *Sabbato* de consecratione, distinctione 3. ubi dicit Innocentius I. *quòd illo biduo* (scilicet feriâ sextâ, & Sabbato sancto) *ut traditio habet Ecclesiæ, nulla sacramenta celebrantur.* Loquitur textus juxta antiquum ritum Ecclesiæ, quo in Sabbato sancto non fiebat sacramentum, nec Missa celebrabatur, usque ad noctem Resurrectionis Dominicæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPUTATIO IV.

De Transubstantiatione, seu conversione panis & vini, in Corpus & Sanguinem Christi.

Ad quæstionem 75. D. Thomæ.

EXPLICATA materiâ Eucharistiæ, agit S. Doctor de actione per quam fit tale Sacramentum, quæ *transubstantiatio* à Theologis rectè appellatur: nam sicut apud Philosophos transitus seu mutatio ab una forma in aliam, dicitur tranformatio; & ab Evangelistis mutatio unius figuræ in aliam, transfiguratio; ita & mutatio unius totalis substantiæ in aliam, rectè transubstantiatio appellatur. Unde Concilium Lateranense & Tridentinum, eo nomine illam appellant. Plures autem circa hanc mirabilem conversionem occurrunt difficultates & controversiæ, articulis sequentibus discutiendæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum tota substantia panis & vini convertatur in corpus & sanguinem Christi, idque ex vi significationis illorum verborum (Hoc est corpus meum) *efficaciter colligatur?*

1. REfert Guitmundus libro 1. de veritate Corporis & Sanguinis Christi, columnâ 4. & libro 3. columnâ 8. ut habetur tomo 6. Bibliothecæ Patrum; quòd Berengarius post abjuratam suam illam primam hæresim, quâ existentiam realem & substantialem corporis & sanguinis Christi sub speciebus sacramentalibus negaverat, incidit in alium errorem, dicens integram naturam substantiæ panis & vini remanere post consecrationem in Eucharistia, accidentaliter conjunctam corpori Christi, eo modo quo unum suppositum potest localiter conjungi alteri; quam hæresim, licèt etiam abjuraverit postea, secuti sunt tamen Joannes Hus, Vviclef, & Lutherus, qui ideirco impanatores, sive panistæ dicti sunt, quòd Christum in Eucharistiæ sacramento impanatum fingerent, ut disputatione proœmiali art. 1. retulimus.

2. Præter hunc errorem, alia fuit hæresis asserens panem Eucharistiæ hypostaticè assumi à Verbo, eo prorsus modo quo natura humana à Verbo assumpta est, ex quo sequitur panem esse corpus Christi; non corpus humanum, neque carneum, sed panaceum. Ita docuisse Rupertum Abbatem Tuiciensem libro 6. in Joannem, & libro 2. de divinis officiis cap. 2. testatur & probat Bellarminus libro 3. de Eucharistia cap. 11. Licèt Suarez, Granado, & alij, piissimum hunc & disertissimum Abbatem excusare, & ab hoc errore vindicare conentur. Similis error tribui solet cuidam Joanni Parisiensi, qui (ut refert Vvaldensis tomo 2. de sacramentis cap. 63.) docuit panem assumi à Verbo, non mediante toto Christo, ne cogeretur admittere Deum esse panem, sed solùm mediante Christi corpore: unde sicut Æthiops non dicitur albus absolutè, quia non est candor in toto ipsius corpore, sed solùm in dentibus: ita existimabat Deum non debere dici panem absolutè, quia Panis non conjungitur Verbo, nisi mediante parte humanitatis ejus.

Licet autem alij Catholici veram transubstantiationem, seu conversionem substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi agnoscant, sunt tamen aliqui qui existimant, talem transubstantiationem, seu conversionem, non inferri efficaciter ex præcisa significatione horum verborum, *Hoc est corpus meum*, Sed duntaxat ex definitione Ecclesiæ, quæ in variis Conciliis substantiam panis & vini non manere in hoc sacramento, sed in corpus & sanguinem Christi converti, declaravit. Ita Scotus in 4. dist. 11. quæst. 3. Durandus & Paludanus ibidem, & quidam alij, qui ante Concilium Tridentinum scripserunt, quibus favent aliqui Recentiores, qui (ut refert Vazquez hìc disp. 108. cap. 5.) pro sententia Scoti dixerunt, revera illa verba, *Hoc est corpus meum*, duplicem sensum facere posse, & utrumque verum: alterum non destructâ substantiâ panis, & significando per ly *Hoc*, non totum quod ibi est contentum, sed aliquid ex ibi contentis: alium quo ly *Hoc* designet totum contentum sub speciebus consecratis esse corpus Christi, nec manere ibi substantiam panis; adduntque, Ecclesiam à Spiritu Sancto edoctam, hunc secundum sensum elegisse, quamvis priorem absolutè potuisset eligere.

3.

§. I.

Errores suprà dicti refelluntur, & Catholica veritas declaratur.

4. DIco primò, nihil de substantia panis & vini manere post consecrationem, sed totum in corpus & sanguinem Christi converti.

Conclusio est certa de fide, & in variis Conciliis definita. Primò quidem in Concilio Romano sub Gregorio VII. in quo Berengarius secundum suum errorem quo transubstantiationem negabat, his verbis retractavit: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis & verba nostri Redemptoris, substantialiter converti in veram ac propriam, & vivificam carnem & sanguinem Jesu Christi Domini, &c.* Secundò in Lateranensi sub Innocentio III. ubi dicitur panem & vinum transubstantiari in corpus & sanguinem Christi. Tertiò in Constantiensi sess. 8. ubi damnatur error Vviclef dicentis substantiam panis & vini manere in sacramento altaris. Quartò in Florentino in instructione Armenorum, ubi disertis verbis ponitur hæc mutatio panis in corpus Christi. Demum in Tridentino sessione 13. can. 2. ubi sic habetur: *Si quis dixerit in sacramento Eucharistiæ remanere substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine Christi, anathema sit.*

5. Idem passim docent SS. Patres, asserentes in primis panem per consecrationem fieri corpus Christi, ut loquitur Tertullianus libro 4. contra Marcionem cap. 4. & Justinus Martyr sub finem Apologiæ. Secundò panem mutari non effigie, sed naturâ, ut ait Cyprianus sermone de Cœna Domini.

Domini. Tertiò transmutari & trans-elementari, ut loquitur Gregorius Nyssenus in oratione catechetica cap. 37. Quartò non esse ampliùs panem, licèt gustus panem esse sentiat, ut ait Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 4. Quintò mutari & verti in corpus Christi, ut ait Ambrosius libro de initiandis cap. 9. Sextò panem in corpus Christi transire, migrare, transformari, & transfundi, ut loquuntur Theophilactus, Eusebius, Emissenus, Anselmus, Fulbertus Episcopus Carnotensis; & alia id genus multa, quæ disputatione proœmiali, art. 9. in fine fusè expendimus. Ex quibus patet transubstantiationem, in Eucharistia non esse inventum D. Thomæ, neque opinionem Thomistarum, ut Lutherus affirmat.

Eandem veritatem §. sequenti ostendemus ratione desumptâ ex verbis consecrationis, quæ non possent verificari, si substantia panis & vini post consecrationem remaneret, quandoquidem substantia panis non potest esse corpus Christi; unde potiùs dicendum fuisset, *hic est corpus meum*, quàm *hoc est corpus meum*, ut ibidem patebit.

6. Dico secundò, certum est etiam secundùm fidem, substantiam panis & vini non uniri hypostaticè Verbo Divino, nec humanitati Christi.

Constat ex dictis præcedenti conclusione, ubi ostendimus, juxta Concilia & SS. Patres fieri conversionem totius substantiæ panis in corpus Christi: Sed quod manet in sua substantia alteri hypostatiecè unitum, non convertitur in aliud; unde in mysterio Incarnationis credimus manere humanitatem in sua natura, quia unitur hypostatiecè Verbo Divino: Ergo &c.

Deinde, hæc unio ponitur ad verificanda verba consecrationis, quæ debent verificari de ipso corpore Christi, juxta illud Joan. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita:* Sed propter solam unionem in eodem supposito, non posset panis appellari caro, sicut non potest corpus Christi appellari anima; & sicut si Verbum assumeret duas naturas, angelicam & humanam, non posset una de alia prædicari, licèt inter concreta esset communicatio idiomatum: Ergo ad veritatem illorum verborum, necessaria est transubstantiatio, seu conversio panis in corpus Christi.

Addo quod absurdissimum est, & in Scripturis & Patribus inauditum, Verbum Divinum dici impanatum, sicut dicitur incarnatum; & toties ipsum creatam naturam assumere, quoties fit consecratio, totiesque dimittere, quoties corrumpuntur species, nam, ut communiter dicunt Patres & Theologi, post Damascenum, *quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit.*

7. Contra istas conclusiones objiciunt in primis hæretici quasdam locutiones Scripturæ & Patrum, quibus Eucharistia vocatur panis. Sed ad hoc fusè respondimus disputatione proœmiali art. 10. ubi varias hujusmodi loquendi rationes adduximus, quæ breviter attinguntur à Lanefranco Cantuariensi Archiepiscopo, libro de Eucharistiæ sacramento, ubi sic ait: *Corpus Christi vocatur panis, vel quia ex pane conficitur; seu quia intuentium oculis, cùm caro sit, panis videtur; sive quòd corporali & visibili panis similitudine quadam conjungitur: nam sicut iste panis materialis discretè sumptus, humanam carnem nutrit, & sustentat; sic spirituale & invisibile corpus Christi, animam dignè sumentis & alit & vegetat.*

8. Objiciunt secundò Lutherani quædam SS. Patrum testimonia, quibus videtur illos asserere, post consecrationem substantiam panis in Eucharistia remanere: Gelasius enim in libro de duabus naturis, conferens mysterium Eucharistiæ cum mysterio Incarnationis: sic loquitur: *Sacramentum corporis & sanguinis Christi divinum est, & tamen non desinit esse substantia panis & vini.* Similiter Chrysostomus Epistolâ ad Cæsarium Monachum docet, *post consecrationem liberari panem ab appellatione panis, & dignum fieri appellatione dominici corporis, etiamsi natura panis in ipso permaneat.* Damascenus etiam libro 4. de fide cap. 14. dicit, Christum cum pane & vino conjunxisse suam divinitatem. Demum Theodoretus Dialogo 2. sic ait: *Signa mystica post sanctificationem à natura propria non recedunt: manent siquidem in priori substantia, figura, forma &c.*

9. Sed ad hæc respondetur primò, Gelasium Summum Pontificem, & Chrysostomum, falsò citari liber enim ille de duabus naturis, non fuit compositus à Gelasio Summo Pontifice, ut rectè ostendit Melchior Canus libro 6. de locis Theologicis capite ultimo ad 9. sed ab alio Gelasio Cæsariensi, Scriptore Græco. Idque probatur primò ex eo quod laudat iste Gelasius in hoc libro Eusebium Cæsariensem, cujus tamen libros penè omnes Gelasius Romanus Pontifex damnavit. Secundò ex eo quòd in catalogo librorum Gelasij Romani, à nemine commemoratur liber ille. Similiter Epistola citata ad Cæsarium Monachum, à D. Chrysostomo scripta non fuit, quandoquidem non invenitur inter ejus opera, ut notavit Turrianus lib. 1. de Eucharistia cap. 18.

10. Respondeo secundò, dato quòd liber esset Gelasij Papæ, ipsum ideò dicere substantiam panis non desinere, vel quia remanent accidentia vices substantiæ ita gerentia, ut sine subjecto existant, & ea quæ substantia ipsa præstat, efficiant: vel quia substantia panis non annihilatur, quod illo termino *desinere* significari videtur, sed in nobiliorem substantiam, nimirum corporis Christi, transit. Quæ expositio eò facilius potest admitti, quòd Gelasius ibidem indicat fieri transubstantiationem panis in corpus Christi, dum dicit, *panem & vinum in divina transire.* Eadem solutio adhiberi potest ad Chrysostomum, præsertim cùm constet illum pluribus in locis veram de transubstantiatione doctrinam tradidisse. Similiter cùm Damascenus ait, Christum cum pane & vino conjunxisse suam divinitatem, hoc debet intelligi de pane & vino remanentibus solùm quoad species, ut sequentia ejus verba declarant, subjungit enim: *Corpus conjunctum est secundùm veritatem Divinitati, quod ex Sancta Virgine corpus est; non quod ipsum corpus assumptum, è cœlo descendat, sed quod ipse panis & vinum transmutetur in corpus & sanguinem Dei.*

11. Ad verba Theodoreti, quæ obscuriora & difficiliora videntur, dupliciter responderi potest. Primò dicendo cum Cardinali Perronio, non sic esse legendum hunc Theodoreti locum, ut in objectione refertur, & plerique legunt, nempe, *Signa mystica post sanctificationem manent in priori substantia, forma, & figura:* Sed hoc modo: *in prioris substantia & figura & forma*; & juxta

Universidad de Deusto
Biblioteca

hanc lectionem sensus planus est, significatur enim quòd eadem accidentia, quæ in priori substantia panis & vini erant, post utriusque conversionem remaneant ut priùs immutata, & à natura sua non recedant, id est à virtute quam habent naturali afficiendi sensum, vel nutriendi &c.

12. Secundò dici potest cum P. Nicolai in scholiis ad art. 1. hujus quæstionis, per substantiam eo loco non intelligi eam quæ dat esse substantiale, & constituit prædicamentum substantiæ, atque accidentibus opponitur, sed nomine substantiæ significari essentiam quæ ipsis accidentibus tribuitur, & à Græcis οὐσία appellatur; unde verbis illis solùm Theodoretus intendit, post sanctificationem manere eandem accidentium seu symbolorum essentiam, & ipsa post consecrationem easdem habere proprietates naturales ac antea, eosdemque præstare effectus; putà nutrire, visum vel tactum afficere &c. ut ex adjunctis ibi patet, cùm subjungitur: *Et videri & tangi possunt sicut prius.* Addit etiam ibidem Theodoretus: *Intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur.* Quibus verbis manifestè innuit, panem & vinum in corpus & sanguinem Christi transubstantiari. Quomodo enim adorari diceret, nisi sublatâ substantiâ, sive substantiali formâ panis, veram ipsius Christi substantiam ibi crederet realiter præsentem esse, quæ adorari sola debet?

§. II.

Alia difficultas expeditur.

13. Dico tertiò: Transubstantiatio panis & vini, in corpus & sanguinem Christi, ex verbis consecrationis rectè colligitur.

Probatur primò conclusio ex Tridentino sessione 13. cap. 4. ubi colligit desitionem substantiæ panis ex veritate verborum illorum Christi, *Hoc est corpus meum*, sic enim habet: *Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit: ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò hæc sancta Synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conversionem fieri totius panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus:* Ergo optimum est argumentum ex illis Christi verbis deductum, ad probandum transubstantiationem. Unde Vazquez hîc disputatione 180 cap. 4. num. 43. ait quòd Concilium Tridentinum relatâ definitione, non solùm veritatem ipsam, sed fundamentum ejus ita apertè definivit, ut qui assereret nihil panis & vini in hoc sacramento manere, id tamen ex prædictis verbis non colligi, eodem modo hæreticus esset, ac si articulum ipsum negaret. Hoc enim fundamentum non quomodocumque, sed ut à tota Ecclesia approbatum, à Concilio ipso definitur. Unde licèt Scotus, Durandus, & alij Antiqui, qui ante Concilium Tridentinum scripserunt, excusari possint; non tamen Recentiores illi à Vazque relati, qui non obstante hac Tridentini definitione, censent ex verbis consecrationis non colligi efficaciter transubstantiationem.

14. Probatur secundò conclusio ex SS. Patribus, qui similiter ex verbis illis Christi, *Hoc est corpus meum*, colligunt desitionem panis, ejusque in corpus Christi mutationem. Nam S. Fulbertus Carnotensis Episcopus Epistolâ ad Adeodatum, quæ reperitur tomo 1. Bibliothecæ Patrum, sic ait: *Dubitari nefas est ad cujus nutum cuncta ex nihilo subitò subsistuerunt: si pari potentiâ in spiritualibus sacramentis, terrena materies, naturæ & generis sui meritum transcendens, in Christi substantiam commutetur, cùm ipse dicat, Hoc est corpus meum, & paulò post, Hic est sanguis meus.* Simili discursu utitur S. Gaudentius Brixiensis Tractatu 2. in Exodum, ubi hæc scribit: *Quod annuntiatum est credas, quia quod accipis, corpus est panis illius cœlestis, & sanguis est illius sacræ vitis: nam cùm panem consecratum & vinum Discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Item Guitmundus libro 3. de corporis & sanguinis Christi veritate hæc habet: *Hos impanatores suos ipse Dominus verbo oris sui interfecit, cùm accipiens panem, gratiasque agens, ac benedicens, ait: Hoc est corpus meum. Non ait, in hoc latet corpus meum: nec dixit, in hoc vino est sanguis meus; sed dixit, Hic est sanguis meus.* Denique D. Thomas hic art. 2. ratione 2. contra ponentes remanere substantiam panis, sic ait: *Hæc positio contrariatur formæ hujus sacramenti, in qua dicitur, Hoc est corpus meum, quod non esset verum, si substantia panis ibi remaneret; nunquam enim substantia panis est corpus Christi, sed potiùs esset dicendum, hîc est corpus meum.* Quibus verbis S. Doctor conclusionem nostram & docuit & probavit: Cùm enim ad veritatem propositionis requiratur identitas inter subjectum & prædicatum, saltem in eodem supposito, pro quo utrumque supponit, ut docent Dialectici, & panis nec identificetur cum corpore Christi, nec subsistat in eodem supposito; nisi per verba consecrationis in corpus Christi transmutetur, non erit verum dicere, *Hoc est corpus meum*, sed potiùs dicendum esset, *hîc est corpus meum*: Sola enim intima unius in alio præsentia, non sufficit ut unum possit de alio prædicari: Nam quando corpus Christi exivit de sepulchro, intimè erat præsens in lapide, quia in illo erat penetrativè, & tamen non poterat, signato lapide, verè dici, *Hoc est corpus meum*, sed duntaxat, *hîc est corpus meum.*

15. Dices cum Scoto, quòd quamvis sub speciebus consecratis maneret substantia panis, quia tamen simul adest substantia corporis Christi, verè ac propriè potuit dici à Christo, *Hoc est corpus meum*, quia non oportet ut pronomine, *hoc*, demonstretur totum id quod continetur sub accidentibus sensibilibus, sed ex intentione loquentis potest, salvâ proprietate verborum, determinari pronomen illud, ad designandam unam rem contentam sub illis, & non aliam; sic enim signato marsupio in quo est aurum, potest dici, *hoc est aurum*, & signato dolio in quo est vinum, *hoc est vinum.*

16. Sed contra: Licèt pronomen *hoc* demonstrare possit tam substantiam contentam, quàm continentem, si ista sit vel ex natura sua vel ex usu hominum instituta ad illam continendam, sicut in exemplis allatis; non tamen quando substantia continens non sic est idonea ad continendum substantiam, quam tamen de facto continet: quare si sub pane absconderetur argentum, non rectè diceret quis, *hoc est argentum*, demonstrando panem: cùm ergo substantia panis non sit neque ex natura sua, neque ex usu communi hominum, apta ad continendum corpus Christi, non potest signatâ tali substantiâ in sacramento, dici, *Hoc est corpus meum*, subindeque verba illa Christi verificari nequeunt, nisi substantia panis in corpus Christi convertatur.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

17. EX dictis in prima conclusione inferes contra Durandum, consecratione perfectâ non remanere in Eucharistia materiam panis & vini, informatam animâ rationali Christi, & unitam ipsius corpori, & multominus ipsius formam, solâ materiâ in corpus Christi conversâ, ut docuerunt aliqui quorum meminit D. Thomas hîc art. 6. Tridentinum enim ibidem citatum expressè asserit, in Eucharistia fieri conversionem totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, remanentibus duntaxat speciebus panis & vini. Ex quo etiam patet, falsam imò & erroneam esse sententiam Gofredi asserentis in Eucharistia remanere substistentiam panis & vini, cùm Concilium asserat remanere sola accidentia. Addo quod, cùm subsistentia sit actus metaphysicus naturæ quam terminat, non est, saltem connaturaliter, sed solùm per miraculum ab illa separabilis: nullum autem est fundamentum concedendi tale miraculum in Eucharistia. Vel enim remaneret subsistentia panis, ut esset verum & proprium subjectum accidentium ejus? Et hoc dici non potest, quia de fide est accidentia illa existere sine subjecto vero & proprio. Vel ut redderet illa accidentia per se subsistentia? Et hoc etiam verificari nequit; repugnat enim naturæ accidentis, utpotè cui debetur inesse ex natura rei, quod tamen deberi nequit rei per se subsistenti, quandoquidem inesse & per se subsistere opponuntur.

18. Simili discursu refellitur sententia aliquorum asserentium in Eucharistia remanere existentiam accidentium, quam Bannez reputavit probabilem. Cùm enim existentia panis sit sicut ejus subsistentia actus metphysicus, naturaliter saltem inseparabilis à propria natura, si miraculosè remaneat separata ab eo in sacramento Eucharistiæ, hoc erit tantùm ut per eam accidentia remanentia existant, quod tamen non potest dici; quia cùm omnis actus proprius, qualis est existentia accidentium, respectu eorum, debeat esse proportionatus suæ potentiæ receptivæ, & existentia substantialis quæ dat esse per se, non sit proportionata naturæ accidentis, quæ petit esse in alio, non potest esse illius existentia.

Addo quod, licèt daremus Bannezio, probabile esse accidentia substantiæ inhærentia, formaliter existere per ejus existentiam, non tamen probabile esset, ipsa, dum ab illa separata existunt, eadem existentiâ existere, quâ extiterunt, dum conjungerentur; & consequenter malè etiam inde concludi, existentiam substantiæ panis remanere post consecrationem.

19. Quærunt hîc aliqui, an de potentia absoluta corpus Christi possit fieri præsens speciebus panis, per aliam actionem, quàm per conversionem substantiæ panis in ipsum, putà per motum localem, aut per actionem conservativam ipsius in sacramento Eucharistiæ?

Respondeo negativè: Supposito enim quòd Christus remaneat in cœlo, non potest per motum localem fieri præsens in Eucharistia: nam moveri localiter, nihil aliud est quàm transire de uno loco in alium, & consequenter relinquere unum, ad acquirendum alium; implicat enim unum corpus simul poni in pluribus locis, ut ostendunt nostri Thomistæ in Philosophia, & nos suprà disputatione procœmiali art. 12. in solutione 4. objectionis declaravimus, exponendo rationem fundamentalem & à priori, cur licèt non repugnet idem corpus fieri simul præsens sacramentaliter in pluribus hostiis, benè tamen ipsum poni circumscriptivè in pluribus locis. Similiter etiam repugnat corpus Christi fieri præsens speciebus panis, per actionem conservativam ipsius, quidquid in contrarium dicat Suarez. Ratio fundamentalis est, quia ex vi actionis abstrahentis ab omni loco, nullique in particulari alligatæ, nequit corpus Christi fieri præsens speciebus panis: Sed actio conservativa abstrahit ab omni loco, nullique in particulari alligata est: Ergo implicat per talem actionem corpus Christi fieri præsens speciebus panis. Major patet ex terminis, si enim ex vi illius actionis corpus Christi poneretur determinatè sub speciebus panis, illa esset determinata ad hanc præsentiam, sicque non abstraheret ab omni loco. Minor verò probatur. Eadem est actio quâ res conservatur in hoc & in illo loco: v. g. per eandem actionem conservatur à Deo Petrus hodie existens Romæ, & deinde existens Parisiis: Ergo actio conservativa abstrahit ab omni loco, nec ad ullum in particulari est determinata, ita ut ex vi illius res conservetur in uno loco potiùs quàm in alio.

Confirmatur: Eadem omnino manet creatio & conservatio, quantumvis præsentia quotidie mutetur: Ergo conservatio est indifferens ad quamlibet præsentiam, & per consequens non potest dici actio primariò, vel secundariò attingens præsentiam corporis Christi sub speciebus panis, subindeque necessaria est aliqua actio, ex vi cujus fiat ibi præsens.

20. Ex his intelliges optimum esse discursum, quo D. Thomas hîc art. 2. probat corpus Christi non esse simul cum substantia panis; quia nihil potest esse alicubi ubi priùs non erat, nisi vel per motum localem, vel per conversionem alterius in ipsum: Sed corpus Christi non potest fieri præsens per motum localem, quia alias desineret esse in cœlo, cùm moveri localiter, nihil aliud sit quàm transire de uno loco in alium: Ergo solùm per conversionem substantiæ panis in ipsum, & per consequens sublatâ tali conversione, manente substantiâ panis, corpus Christi non esset præsens in hoc sacramento.

21. Neque valet quod dicunt aliqui, nempè D. Thomam loqui de potentia ordinaria, non verò de extraordinaria & absoluta. Nam si non loqueretur de potentia extraordinaria, nihil probaret contra hæreticos asserentes remanere substantiam panis cum corpore Christi: possent enim facilè respondere, rationem ipsius procedere de potentia ordinaria, ideóque nihil concludere in mysterio quod totum dependet ex potentia Dei extraordinaria.

22. Addo quod D. Thomas aliis in locis apertè declarat se loqui de potentia Dei extraordinaria & absoluta: nam in 4. sent. dist. 11. quæst. 1. art. 1. quæstiunculâ 1. docet quòd hæc positio quæ ponit substantiam panis remanere post consecrationem simul cum corpore Christi, est impossibilis;

Universidad de Deusto
Biblioteca

possibilis : *Quia* (inquit) *impossibile est aliquid esse nunc, cùm priùs non fuerit, nihil ipso mutato, vel aliquo in ipsum; nec posset*, ETIAM PER MIRACULUM, *fieri; sicut quòd esset animal rationale mortale, & non esset homo : aliter enim se habere nunc & priùs, est idem quod moveri vel transmutari.* Et in responsione ad 3. ait quod ex oppositâ positione *sequitur gravius inconveniens, quàm quòd contradictoria sint simul vera; quia ponit definitionem, scilicet aliter nunc quàm priùs, & non potest ponere definitum, scilicet motum, neque in corpore Domini, neque in substantia panis.* Censet ergo apertè Sanctus Doctor non posse, etiam de potentia extraordinaria & absoluta, corpus Christi fieri præsens speciebus, sub illis remanente substantiâ panis. Idem docet 4. contra Gentes cap. 63.

ARTICULUS II.

Quænam sit actio conversiva, & quem terminum formalem habeat?

23. SUppositâ doctrinâ fidei, præcedenti articulo traditâ, quòd in hoc sacramento datur conversio totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, quæ rectè transubstantiatio appellatur, restat explicandum, quid sit ista conversio, seu in qua actione consistat, & quis sit terminus formalis illius? Nam circa hoc varia sunt Authorum placita. Aliqui enim existimant, hujusmodi conversionem solùm esse actionem adductivam corporis Christi ad Eucharistiam, & ad solam præsentiam localem formaliter terminatam. Ita Scotus, & ejus Discipuli, Bellarminus libro 3. de Eucharistia cap. 18. & Claudius de Saintes libro de Eucharistia repetitione 7. Eandem sententiam tenet Vazquez, addit tamen, ad veram transubstantiationem panis in corpus Christi, requiriri, & sufficere, quòd hæc adductio corporis Christi succedat substantiæ panis, desinenti sub ejus accidentibus. Alij censent veritatem transubstantiationis Eucharistiæ ex eo præcisè salvari sufficienter, quòd dicatur, corpus & sanguinem Christi uniri formaliter speciebus panis & vini, loco substantiæ ipsorum, subindeque dicunt terminum formalem actionis conversivæ quâ Christus fit præsens in hoc sacramento, esse unionem corporis Christi ad species, vel modum subsistandi accidentibus Eucharisticis, conservando illa sine subjecto. Ita Alanus, Henriquez, & Valentia. Alij verò asserunt, actionem illam esse conservationem corporis & sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis, virtute verborum continuatam & repetitam, quæ illa produceret de novo in rerum natura, nisi jam inveniret producta. Hanc tenent Gabriël in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3. dubio 2. & lect. 40. super Canonem, & Suarez hîc disp. 40. sect. 4. pro se plures Authores citans. Alij demum affirmant transubstantiationem Eucharisticam, veram esse corporis & sanguinis Christi productionem, non quidem simpliciter loquendo, sed sub novo modo essendi, sive sub speciebus Eucharisticis. Ita docent Cajetanus, Nuño, pluresque ex recentioribus Thomistis, in manuscriptis de Eucharistia.

§. I.

Præmittenda ad resolutionem quæstionis.

24. PRo resolutione hujus difficultatis, tria breviter hic præmittenda sunt. In primis enim supponenda est definitio conversionis genericè sumptæ. Secundò explicandæ conditiones ad illam requisitæ. Tertiò divisio ejus in suas species declarari debet. Definitio ergo conversionis in genere *est transitus unius rei in aliam*, ut constat ex communi conceptione. Conditiones verò ad illam requisitæ, tres præcipuè enumerari solent. Prima est, quòd versetur inter duos terminos positivos, seu inter duas res, quarum una sit terminus à quo, & altera sit terminus ad quem, quia in omni conversione debet aliquid transire in aliud. Secunda est, quod terminus à quo conversionis aliquo modo desinat esse, & terminus ad quem aliquo etiam modo incipiat esse de novo; hæc enim est natura conversionis, ut terminus ad quem fiat aliquo modo mediante illâ. Tertia est, ut sit aliqua connexio inter desitionem termini à quo, & incœptionem termini ad quem, ita ut mutatio unius aliquo modo sequatur ex mutatione alterius. Unde si Deus modò annihilaret Petrum in hoc loco, & in eodem instanti produceret Paulum in eodem loco, vel alibi, non salvaretur conversio Petri in Paulum, propter defectum prædictæ connexionis.

Addunt aliqui quartam conditionem, nempè quòd detur aliquid tertium commune utrique termino, sub quo terminus à quo, & terminus ad quem sibi invicem succedant. Verùm licèt illud in conversione Eucharistica reperiatur, non est tamen necessarium ad rationem communem veræ conversionis, quia nulla apparet repugnantia, quòd Deus mediante verâ conversione transformet totam substantiam panis cum accidentibus in corpus Christi, & tamen tunc nullum daretur tertium commune utrique termino.

25. Porrò conversio sic explicata dividitur primò in substantialem & accidentalem. Appellatur conversio substantialis, quando fit transitus in aliquod extremum substantiale, ut cùm ex ligno fit ignis, vel ex aqua vinum. Accidentalis verò dicitur, quando fit transitus in extremum accidentale, ut cùm ex albo fit nigrum, vel ex calido frigidum. Secundò dividitur in totalem & formalem. Conversio totalis est, quando unum extremum ita transit in aliud, quod nihil de illo remanet commune utrique termino, sed totum quod est in uno transit in aliud, tam ex parte materiæ, quàm formæ. Conversio autem formalis fit è contra, quando unum extremum ita transit in aliud, quòd remanet idem subjectum commune utrique extremo, & solùm fit successio & transitus in formis, ideóque vocatur formalis; & hæc invenitur in mutationibus naturalibus, & potest fieri à causis secundis, & agentibus creatis, ut cùm ex ligno fit ignis, ex albo nigrum &c. Prima verò transcendit vires totius naturæ, & cujuslibet agentis creati, & à solo Deo supernaturaliter operante fieri potest, ut luculenter ostendit D. Thomas 4. contra Gentes cap. 63. ubi sic discurrit: *Conversio panis in corpus Christi alterius modi est ab omnibus conversionibus naturalibus. Nam in qualibet conversione naturali manet subjectum in quo succedunt sibi diversæ*

verse formæ, vel accidentales, sicut cùm album in nigrum convertitur, vel substantiales, sicut cùm aër in ignem, unde conversiones formales nominantur: sed in conversione prædictâ, subjectum transit in subjectum, & accidentia manent, unde hæc conversio substantialis nominatur. Nunc autem considerare oportet qualiter hæc accidentia maneant, & quomodo subjectum in subjectum vertatur, quod quidem natura facere non potest. Omnis enim naturæ operatio materiam præsupponit, per quam subjecta individuantur; unde natura facere non potest quòd hæc substantia fiat illa, sicut quòd hic digitus fiat ille digitus; sed materia subjecta est virtuti divinæ, cùm per ipsam producatur in esse; unde divinâ virtute fieri potest, quòd hæc individua substantia in illam præexistentem convertatur: sicut enim virtute naturalis agentis cujus operatio se extendit tantùm ad immutationem formæ, & existentiâ subjecti suppositâ, hoc totum in illud totum convertitur, secundùm variationem speciei & formæ, verbi gratiâ, hic aër in hunc ignem generatum: ita virtute divinâ, quæ materiam non præsupponit, sed eam producit, hæc materia convertitur in illam, & per consequens hoc individuum in illud; individuationis enim principium materia est, sicut forma est principium speciei.

§. II.

Rejiciuntur tres primæ sententiæ, & quarta statuitur.

DIco primò : Conversio Eucharistica non est actio adductiva corporis Christi, ad solam præsentiam localem formaliter terminata.

26. Probatur primò : Actio adductiva est motus localis rei quæ adducitur : Sed per transubstantiationem Eucharisticam corpus & sanguis Christi non moventur localiter; aliàs enim cùm impossibilis sit motus localis, nisi unus locus per modum termini à quo deseratur, & alius tanquam terminus ad quem acquiratur, corpus Christi cælos relinqueret, ut in terram sub speciebus Eucharisticis descenderet : Ergo transubstantiatio Eucharistica, non est actio adductica corporis Christi ad species panis & vini.

27. Probatur secundò, Ad conversionem requiritur ut terminus ad quem habeat incompossibilitatem cum termino à quo; aliàs enim posset terminus à quo in se remanere, quod repugnat ipsius conversioni in terminum ad quem : Sed terminus ad quem actionis adductivæ corporis Christi, non habet talem incompossibilitatem cum termino à quo : Ergo talis actio non est vera conversio. Major patet, Minor etiam manifesta videtur : Nam terminus ad quem actionis adductivæ corporis Christi est præsentia sacramentalis : Sed hæc non est incompossibilis cum substantia panis, quæ est terminus à quo Eucharisticæ conversionis; quia præsentia illa non est quantitativa & divisibilis, sed sacramentalis & indivisibilis, ac similis illi quâ Angelus sit præsens loco : unde sicut Angelus per hoc quòd fit præsens alicui spatio, non propterea expellit substantiam corpoream quæ est in illo; ita neque in Eucharistia, ex eo præcisè quòd corpus Christi sit præsens speciebus, expellitur necessariò substantia panis sub eis præexistens.

28. Dices cum Bellarmino, ex intentione Dei volentis destruere substantiam panis & vini, corpus Christi esse incompossibile cum ea.

Sed contra: Repugnantia termini ad quem cum termino à quo in vera conversione, non ex aliqua extrinseca Dei ordinatione, sed ex natura ipsius conversionis peti debet; aliàs omne quod ex voluntate Dei desinit simul atque aliud incipit esse, diceretur in illud converti, quod est absurdum : Ergo &c.

29. Probatur tertiò conclusio : Transubstantiatio sive conversio substantialis, debet habere pro termino formali ad quem aliquid substantiale, cùm à tali termino speciem & denominationem accipiat : Sed terminus ad quem actionis adductivæ corporis Christi, non est substantialis, sed accidentalis; nam hujusmodi terminus est præsentia sacramentalis, quæ juxta Adversarios accidentalis est : Ergo in tali actione transubstantiatio consistere nequit.

30. Respondent primò Adversarij, sufficere ad conversionem substantialem quòd terminus à quo sit substantialis, quia ille tenet præcipuum locum, eò quòd ille solus dicatur converti.

Sed contra primò : Illa responsio non est consona Concilio Tridentino, quod infert, hanc conversionem appellari proprièe transubstantiationem, ex eo quod tota substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi; unde exigit ad conversionem substantialem, utrumque terminum esse substantialem.

Secundò, Quod est principalius in conversione, tribuit illi speciem & denominationem : Sed terminus ad quem est quid principalius, principaliùs enim intenditur; terminus verò à quo, non nisi secundariò, & ratione termini ad quem : Ergo terminus ad quem debet esse substantialis.

Tertiò, sicut transformatio petit ut non solùm terminus à quo sit forma, sed etiam terminus ad quem, & similiter translocatio, quòd uterque terminus sit locus; ita transubstantiatio exigit ut uterque terminus sit substantia.

31. Respondent secundò, terminum formalem transubstantiationis esse præsentiam ad species in concreto, quo modo sumpta idem est ac corpus Christi ut præsens : in hoc autem concreto reperitur substantia ipsa corporis Christi, quod sufficit ad rationem conversionis substantialis.

Sed contra : Ut actio dicatur substantialis, non sufficit quòd terminetur ad concretum importans substantiam subjectam accidenti, alioquin nulla daretur actio accidentalis : dealbatio enim, calefactio, & hujusmodi, essent actiones substantiales, quia terminantur ad concretum accidentale, importans substantiam pro materiali; imò motus localis Angeli esset vera transubstantiatio, quia terminatur ad substantiam ipsius, ut stat sub præsentia ad locum.

Potest adhuc hæc responsio magis confutari : Nam cùm asseritur substantiam corporis Christi ingredi terminum hujus conversionis, vel intelligitur illum ingredi tanquam aliquid productum sub aliqua ratione substantiali sibi propria, vel tanquam improductum sub omni sua ratione substantiali & præcisè solùm ut subjectum recipiens novam præsentiam accidentalem? Si primum dicatur, necesse est admittere terminum primarium non esse ipsam præsentiam, sed ipsummet corpus Christi secundùm esse substantiale, præsentiam verò secundarium solùm, utpotè ex priori subsecutum. Secundum verò affirmari nequit : quòd enim substantia supponatur ad aliquam actionem productivam

Universidad de Deusto
Biblioteca

ductivam alicujus rei, non sufficit ut actio illa dicatur substantialis, ut patet in exemplis jam adductis.

32. Respondet tertiò Vazquez, ut conversio Eucharistica dicatur transubstantiatio, non requiri quòd ad substantiam per se primò terminetur, sed sufficere quod in ea interveniat quidam ordo substantiarum, quarum una succedat alteri, & ideò dicatur in illam converti.

Sed contra primò: Sola successio unius substantiæ loco alterius, est tantùm veluti translocatio, non verò transubstantiatio, etenim si Petro per mortem sublato, Paulus ejus loco substitueretur, fieret quidem successio, sed non conversio, sive transubstantiatio unius in alium: B Ergo sola successio unius substantiæ, loco alterius desinentis, non est vera transubstantiatio.

33. Confirmatur primò: Si Christus his vocibus consecrasset: *Hic non sit panis, sed corpus meum*, Eadem contigisset successio corporis Christi in locum aut quasi locum panis, quæ nunc est, & tamen panis non fuisset conversus in corpus Christi: Ergo sola illa successio non sufficit ad salvandam veritatem transubstantiationis Eucharisticæ.

34. Confirmatur secundò: Si transubstantiatio Eucharistica sit tantùm successio corporis & sanguinis Christi, loco substantiæ panis & vini desinentis, sequitur corpus Christi converti in sub- C stantiam nostram, aut in vermes, quando corrumpuntur species, non minùs quàm panem converti in corpus Christi; quandoquidem utrobique substantia substantiæ succedit: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

35. Confirmatur tertiò: D. Augustinus libro 17. de civit. cap. 18. hanc ponit differentiam inter veras conversiones & miraculosas, cujusmodi est illa quæ reperitur in hoc sacramento, & inter apparentes quæ fiunt à Dæmone, quòd illæ fiunt per veram & substantialem rerum conversionem; istæ verò per solam translocationem, quam meritò negat esse veram conversionem: Ergo conversio substantialis quæ reperitur in hoc mysterio, non consistit in quodam tantùm ordine sub- D stantiarum; quarum una succedat alteri.

36. Dico secundò: in conversione Eucharistica veram rationem transubstantiationis non salvari, ex eo præcisè quòd dicatur corpus & sanguinem Christi uniri formaliter speciebus panis & vini, loco substantiæ ipsorum, vel sustentare accidentia Eucharistica, conservando illa sine subjecto.

Probatur breviter: Impossibile est quòd corpus Christi intelligatur uniri speciebus, & consequenter substare accidentibus Eucharistiæ, nisi priùs ibi sit; per consequens nisi priùs intelligatur actio conversiva panis in corpus Christi: Ergo actio conversiva est distincta ab actione unitiva, & hæc illam præsupponit; subindeque E terminus formalis primarius actionis conversivæ, non est modus unionis corporis Christi ad species Eucharisticas, vel modus substandi accidentibus Eucharisticis, seu conservandi illa sine subjecto.

37. Confirmatur: Terminus formalis & primarius conversionis Eucharisticæ debet esse substantialis, cùm talis conversio substantialis sit, & actio specificationem & denominationem à termino formali & primario sumat, ut suprà dicebamus: Atqui unio corporis Christi cum accidentibus Eucharisticis, non est substantialis, A sed accidentalis tantùm, cùm ex substantia & accidentibus nequeat fieri compositum nisi per accidens. Similiter modus substandi accidentibus, licèt sit in substantia, tamen est accidentalis, quia substantia illum acquirit, nullâ factâ mutatione in ipsa: Ergo nec talis unio, nec modus ille substandi accidentibus, est terminus formalis & primarius conversionis Eucharisticæ.

Dico tertiò, conversionem panis in corpus 38.
Christi non esse actionem conservativam illius.

Probatur: Quia vel esset antiqua conservatio quâ conservatur in cœlo, vel alia nova &. supernaturalis, quâ specialiter inciperet conservari sub B speciebus Eucharisticis? Neutrum dici potest? Ergo &c. Minor quoad primam partem manifesta videtur, quia conservatio illa antiqua est actio merè naturalis, terminata per se primò ad totam humanitatem Christi, non ponens Christum, ut formaliter incompossibilem cum substantia panis, modo indivisibili & inextenso, sed modo divisibili & extenso: Atqui conversio panis in corpus Christi est supernaturalis, utpotè ab agente supernaturali procedens, & terminatur formaliter ad corpus Christi, ut repugnans cum substantia panis, & sub modo indivisibili & inextenso: Ergo non est conservatio illa antiqua quâ conservatur in cœlo. Probatur verò quoad C secundam partem, quia conservatio nihil aliud est quàm continuata productio: Ergo si conversio panis in corpus Christi est de novo conservativa illius sub speciebus, debet esse priùs productiva illius sub eisdem speciebus. Addo quod conservatio rei, supponit eam ubi eam conservat: Ergò est impossibile actionem quâ ponitur corpus Christi sub speciebus, esse puram conservationem ipsius sub hujusmodi speciebus. Vide quæ scripsimus articulo præcedenti §. 3. versùs finem.

Dico ultimò: Actio conversiva quâ corpus Christi ponitur sub speciebus, est verè productiva corporis Christi, non simpliciter & absolutè, sed tali modo, scilicet ex alia substantia D quæ in ipsum convertitur, & in cujus locum succedit.

Prima pars hujus conclusionis probatur primò 39.
ex SS. Patribus, qui dicunt in consecratione corpus Christi fieri de pane: sic enim loquitur expresè Ambrosius lib. 4. de sacram. cap. 4. Augustinus relatus Can. *Utrum sub figura*, de consecrat. dist. 2. Damascenus lib. 4. de fide cap. 14. Gaudentius tract. 2. in Exodum. Et Hieronymus Epist. 1. ad Heliodorum ubi de Sacerdotibus ait: *Qui Christi corpus sacro ore conficiunt.* Hinc S. Ephrem, Sacerdotium appellat *Stupendum miraculum, omnium ornamentorum præstantissimum, bonorum omnium quæ in hominibus sunt apicem, divinum quoddam, omniumque quæ inter homines expetuntur velut extremam metam.* Hinc etiam celebratur illa sententia, quæ S. Augustino vel D. Gregorio tribuitur: *O magna Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis, Christus quotidie incarnatur!* Sicut ergo Deipara Virgo, verbo Verbum concepit in utero, ut lepidè expendit Bernardus homil. 4. super *Missus est*; ubi sic eam alloquitur: *Responde Virgo verbum, & suscipe Verbum; profer tuum, & concipe divinum; emitte transitorium, amplectere sempiternum. Quid tardas, quid trepidas? Crede, confitere, suscipe. Aperi Virgo beata cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori.* Ita etiam Sacerdos quotidie Christi corpus verbis consecrationis in altari producit, & fructus ventris virginei, fit partus labiorum ipsius.

40. Ratio etiam suffragatur: Nam omnis conversio substantialis est vera productio substantiæ, quæ loco alterius in eam transmutatur: Ergo & conversio Eucharistica, quæ sit à Sacerdotibus per verba consecrationis. Consequentia patet, Antecedens probatur: Tum quia productio est aliquod nomen commune ad creationem, generationem, eductionem, & conversionem. Tum etiam, quia communicatio seu influxus alicujus esse substantialis, est vera productio: Sed conversio substantialis, est communicatio seu influxus alicujus esse substantialis, ut constat de vi- B no ex aqua converso in cana Galilææ, quod dicitur factum, & esse substantiale accepisse constat: Ergo &c.

41. Confirmatur: Per conversionem Eucharisticam corpus & sanguis Christi incipiunt esse sub speciebus panis & vini, & tamen ad eas non adducuntur, ut ostendimus: Ergo sub eis verè producuntur. Probatur Consequentia, ex eo quòd implicet Christum incipere esse hîc, & non adduci ex alia parte, neque produci. Non enim primò potest esse sub speciebus per conservationem, quandoquidem priùs est rem esse, quàm ibi conservari, ut suprà contra Suarem dicebamus.

42. Secunda verò pars conclusionis, quæ asserit conversionem Eucharisticam non esse actionem C productivam corporis Christi simpliciter & absolutè, sed tali modo, scilicet ex alia substantia quæ in ipsum convertitur, & in cujus locum succedit, breviter suadetur, tum ex Augustino, Ambrosio, Damasceno, & aliis Patribus suprà citatis, asserentibus corpus Christi per verba consecrationis fieri ex pane: Tum etiam, quia corpus Christi simpliciter & absolutè supponitur productum, & in rerum natura existens, antequam verba consecrationis à Sacerdote proferantur, & fiat conversio panis in ipsum: Ergo talis conversio non potest dici corporis Christi productio, simpliciter & sine addito, sed tantùm secundùm quid & cum addito, nimirum ex D subsubstantia panis, & sub speciebus ejus. Unde terminus formalis transubstantiationis, non est corpus Christi absolutè sumptum, sed corpus Christi, quatenus fit ex pane, in cujus locum succedit: sicut terminus formalis motus aëris verbi gratiâ, à terra usque ad mediam regionem, non est media regio præcisè, aliàs non distingueretur à motu ignis, qui moveretur à propria sphæra usque ad mediam regionem aëris; sed est media regio aëris, ut comparata ad terminum à quo, scilicet ad terram, à qua aër ascendit.

§. III.

Solvuntur objectiones.

43. OBjicies primò contra primam conclusionem: Per transubstantiationem Eucharisticam corpus Christi acquirit tantùm esse accidentale, nempè esse præsens speciebus sacramentalibus: Sed hoc sufficienter salvatur præcisè per ejus adductionem ad illas species: Ergo per ipsam ratio transubstantiationis sufficienter salvatur. Minor constat, Major verò probatur. Illud solùm acquirit corpus Christi per transubstantiationem, quod verba consecrationis efficiunt: Sed verba consecrationis non efficiunt nisi illam præsentiam accidentalem, solùm enim efficiunt quod significant: non significant autem nisi præsentiam corporis Christi sub speciebus: Ergo &c.

Respondeo primò negando Majorem; si enim 44.
per transubstantiationem Eucharisticam corpus Christi esse tantùm accidentale acquireret, talis actio non posset dici conversio substantialis, utpotè quæ debet terminari ad esse substantiale, ut in tertia probatione primæ conclusionis ostendimus. Ad probationem in contrarium, concessa Majori, nego Minorem, & probationem ei subjunctam; ut enim verba consecrationis significarent tantùm præsentiam corporis Christi sub speciebus panis, dicendum esset, *Hîc est corpus meum*, non verò, *Hoc est corpus meum.*

Respondeo secundò, data & non concessa 45.
Majori, negando suppositum Minoris; etsi enim præsentia accidentalis corporis Christi sub speciebus, sufficienter salvari possit per ejus adductionem; eo tamen ipso quòd talis adductio esse non potest sine motu locali, corpus autem Christi per transubstantiationem non moveatur localiter, aliàs enim desereret cœlum, non est sub speciebus per adductionem.

Objicies secundò contra secundam conclusio- 46.
nem: Per conversionem Eucharisticam id solum habet corpus Christi, quo posito ex natura rei panis esse desinit: Sed ex eo præcisè quòd corpus Christi sustentet accidentia panis sine subjecto, aut iis uniatur formaliter loco substantiæ panis, desinit panis: Ergo per conversionem Eucharisticam corpus Christi solùm habet quòd sustentet accidentia Eucharistica sine subjecto, aut iis uniatur formaliter, loco substantiæ panis.

Respondeo negando suppositum Minoris, 47.
quòd nempè corpus Christi habeat immediatè per transubstantiationem sustentare accidentia Eucharistica, vel illis substare, aut formaliter uniri, si de facto illis substet aut uniatur: falsa, inquam, est hæc suppositio, quia corpus Christi non potest hoc habere, nisi saltem præsuppositivè ad illa accidentia adducatur, vel sub eis producatur. D

Objicies tertiò contra tertiam & quartam con- 48.
clusionem: Illa actio non est productiva, sed duntaxat conservativa corporis Christi, quæ supponit ipsum productum, & jam existens: Sed actio conversiva panis in corpus Christi, ipsum productum & existens supponit: Ergo non est productiva, sed tantùm conservativa illius.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: 49.
Quod producitur transit de non esse ad esse: Sed E corpus Christi non transit per conversionem Eucharisticam de non esse ad esse; aliàs cùm præexistat tali conversioni, simul esset & non esset: Ergo per illam non producitur, sed duntaxat conservatur.

Confirmatur ampliùs: Actio quæ efficienter 50.
procedit ab aliquo agente, non potest esse productiva illius, aliàs enim idem esset simul prius & posterius seipso, secundùm idem: Sed transubstantiatio Eucharistica efficienter est à corpore Christi, ut ab instrumento Divinitati conjuncto: Ergo non potest ipsum producere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

51. Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Illa actio non est productiva corporis Christi simpliciter & absolutè, quæ supponit ipsum productum & jam existens, concedo Majorem. Non est productiva illius secundùm quid, & cum addito, nego Majorem, & concessâ Minori, distinguo Consequens, distinctione Majoris. Ex eo igitur quòd corpus Christi conversioni Eucharisticæ præexistat solùm inferri potest talem conversionem non esse simpliciter & absolutè productivam illius, quod libenter concedimus; non tamen colligitur, per transubstantiationem. corpus Christi non produci secundùm quid, & novo aliquo modo, nimirum ex pane, & ex speciebus Eucharisticis. Unde

52. Ad primam confirmationem, distinguo Majorem: Quod producitur, transit de non esse, eo modo quo producitur, ita ut si producatur simpliciter, transeat à non esse simpliciter ad esse simpliciter; vel si producatur solùm cum addito, transeat à non esse cum addito, concedo Majorem. Quod producitur, transit de non esse alio modo, quàm eo quo producitur, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Corpus Christi per transubstantiationem non transit à non esse simpliciter & absolutè, ad esse simpliciter & absolutè, concedo Minorem. Non transit à non esse cum addito, scilicet à non esse sub speciebus Eucharisticis, & ex pane, ad esse sub illis speciebus, nego Minorem. Eodem modo distinguendum est Consequens: Ergo corpus Christi per transubstantiationem non producitur, productione absolutè & simpliciter dictâ, concedo, productione cum addito, scilicet ex pane, & sub speciebus panis, nego. Licèt enim absolutè præexistat tali transubstantiationi, non tamen illi præexistit ut ex pane productum, neque ut sub speciebus panis existens.

53. Ad secundam, distinguo etiam Majorem: Actio quæ efficienter procedit ab aliquo agente, non potest esse prima productio ipsius, concedo Majorem. Non potest esse iterata ejus productio, & sub novo modo essendi, nego Majorem; id enim est possibile, non quidem naturaliter, sed divinitùs. Ad probationem in contrarium dico similiter, quòd licèt idem ut primò productum, non possit esse prius ad seipsum ut primò productum, benè tamen ad seipsum ut reproductum: productio autem corporis Christi sub speciebus, non est prima ejus productio, sed reproductio, ac proinde potest corpus Christi ut primò productum præsupponere ad idem corpus ut reproductum.

54. Instabis: Idem est esse quod corpus Christi accipit per reproductionem, cum eo quod recipit per primam productionem; aliàs enim malè diceretur reproduci, quia reproductio nihil aliud est quàm ejusdem iterata productio: Ergo sive dicatur priùs seipso ut producto, sive reproducto, idem secundùm idem erit prius ad seipsum.

Respondeo distinguendo Antecedens: Idem est esse quod corpus Christi accipit per reproductionem, cum eo quod recipit per primam productionem, & idem modus essendi, nego Antecedens. Et diversus modus essendi, concedo Antecedens. Similiter distinguo Consequens: Ergo sive dicatur prius seipso ut producto, sive ut reproducto, idem secundùm idem erit prius ad seipsum: sub eodem modo essendi, nego. Sub alio modo essendi, concedo. In hoc enim non est major repugnantia, quàm quòd idem numero corpus existens in uno loco uno modo, verbi gratiâ circumscriptivè, præsupponatur ad seipsum ut existens in alio loco alio modo, scilicet definitivè, sive sacramentaliter, ut fides docet.

55. Objicies quartò: Nullus effectus potest produci per plures actiones totales, ut docent nostri Thomistæ in Philosophia: Sed si actio conversiva, sit productiva corporis Christi, idem effectus produceretur per plures actiones totales, nam corpus Christi in cœlo producitur seu conservatur per actionem totalem & diversam à transubstantiatione per quam ponitur sub speciebus Eucharisticis.

56. Respondeo distinguendo Majorem: Nullus effectus potest produci per plures actiones totales, sub eadem ratione formali, concedo Majorem. Sub diversâ ratione formali, nego Majorem: ratio autem formalis sub qua corpus Christi producitur in altari, est diversæ rationis ab ea sub qua producitur seu conservatur in cœlo, quia illa est conversiva, non verò ista.

57. Instabis: Corpus Christi eodem tempore in pluribus altaribus consecratur: Sed tales consecrationes sunt ejusdem rationis, cùm omnes sint conversivæ panis in corpus Christi: Ergo si sint productivæ illius, idem effectus sub eadem ratione formali per plures actiones totales produci poterit.

58. Respondeo non esse inconveniens quòd idem effectus producatur per distinctas actiones totales instrumentarias, quia ab illis non pendet per se effectus: illæ verò actiones quibus consecratur corpus Christi à diversis Sacerdotibus in pluribus altaribus, non sunt principales, sed tantùm instrumentariæ, cùm Sacerdos instrumentaliter tantùm ad consecrationem, seu productionem corporis Christi in altari, concurrat.

59. Dices: Implicat plura accidentia solo numero distincta esse in eodem subjecto, ut docent nostri Thomistæ in Metaphysica: Sed si corpus Christi produceretur in hoc altari per unam actionem instrumentariam, & in alio per aliam, plura accidentia solo numero diversa essent in eodem subjecto; nam actiones illæ instrumentariæ, quæ non distinguuntur specie, sed numero tantùm, recipiuntur in corpore Christi, quod est idem in hoc vel in illo altari: Ergo &c.

60. Respondeo distinguendo Majorem: Implicat plura accidentia solo numero diversa, esse in eodem subjecto formaliter sumpto, concedo Majorem: materialiter sumpto, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Si corpus Christi produceretur &c. plura accidentia solo numero diversa essent in eodem subjecto materialiter, concedo: formaliter, nego. Ad probationem in contrarium, distinguendum est Antecedens: actiones illæ instrumentariæ recipiuntur in corpore Christi absolutè sumpto, nego. In corpore Christi, ut sit ex tali pane, sub talibus speciebus, concedo. Ex quo patet, quòd quamvis subjectum illarum actionum sit idem materialiter, est tamen diversum formaliter: quæ diversitas formalis sufficit ad distinguenda accidentia, ut ostenditur in Metaphysica.

61. Objicies ultimò: Si corpus Christi producatur sub speciebus sacramentalibus, sequitur quod si facta

facta fuisset consecratio in triduo mortis, fuisset alterius speciei ab ea quæ modò fit: Sed hoc non videtur admittendum: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur: Actio specificatur ex termino ad quem: Sed si corpus Christi producatur sub speciebus sacramentalibus, terminus ad quem consecrationis factæ in triduo mortis, scilicet ejus corpus ut mortuum, differret à termino ad quem consecrationis quæ fit modò, scilicet à corpore Christi ut vivo; differunt enim specie corpus vivum & Corpus mortuum: Ergo si corpus Christi producatur sub speciebus sacramentalibus, sequitur quòd si facta fuisset consecratio in triduo mortis, fuisset alterius speciei ab ea quæ modò fit.

62. Respondeo negando sequelam Majoris, & ad ejus probationem, nego similiter sequelam Minoris; ad probationem verò quæ subjungitur, dicendum est, terminum formalem ad quem consecrationis Eucharisticæ, neque esse corpus vivum neque mortuum, sed abstrahens ab utroque, scilicet corpus de prædicamento substantiæ, includens quidem hanc numero materiam, & hanc numero formam; sed hanc numero formam, secundùm quod dat esse corporeum, non verò secundùm quod dat esse vivens, quia ut talis est tantùm per concomitantiam in sacramento, & consequenter corpus Christi est vivens per concomitantiam sub speciebus, non verò formaliter, & ex vi transubstantiationis, ut magis declarabitur disputatione sequenti.

§. IV.

Corollarium præcedentis doctrinæ.

63. EX dictis intelliges, terminum formalem & primarium transubstantiationis, neque esse solam præsentiam Christi sub speciebus, neque unionem corporis Christi ad species Eucharisticas, nec modum substandi accidentibus Eucharisticis, seu conservandi illa sine subjecto; sed ipsum Christi corpus, quatenus fit ex pane, in cujus locum succedit: nam ut supra dicebamus, terminus formalis & primarius transubstantiationis debet esse substantialis, cùm speciem & denominationem illi tribuat: At neque præsentia Christi sub speciebus, neque unio corporis Christi ad illas, nec modus substandi accidentibus Eucharisticis, substantialia sunt, ut ex suprà dictis patet, benè tamen corpus Christi: Ergo terminus formalis & primarius transubstantiationis est ipsum corpus Christi, non quidem præcisè & absolutè sumptum, sed quatenus fit ex pane in cujus locum succedit. Quod ut magis declaretur.

64. Observandum est, ad diversitatem specificam actionum, non requiri necessariò diversitatem terminorum seu effectuum in esse entis & materialiter, sed solùm formaliter in esse termini, sive effectûs: unde ipse effectus qui est à causa creata per generationem, potuit esse à Deo per creationem, sub alia ratione universaliori, nempè in ratione entis: & idem homo à Sole & ab homine generatur; ab homine quidem, ut à causa univoca, rationem specificam vel individualem per se primò attingente; à Sole verò, ut à causa æquivoca & universali, cui per se primò ratio corporis corruptibilis correspondet, ut explicari solet in Philosophia. Unde etsi corpus Christi sit in cœlo existens, quoad animam quâ informatur, productum per creationem, sub ratione entis; & secundùm totum compositum, per generationem, sub ratione hominis; quia tamen non est productum sub ratione talis corporis ex pane producibilis, per propriam actionem ad hanc rationem formalem per se primò terminatam & ab ea specificatam; per ordinem ad divinam potentiam, manet producibile itesum respicientem secundùm illam rationem, quæ licèt sit una tantùm in specie formaliter, potest tamen numero multiplicari in infinitum tegorematicè: quamvis enim per unam consecrationem corpus Christi sit productum, secundùm quod est hoc corpus producibile ex hoc numero pane; non tamen quatenus est producibile ex alio & alio pane, sed secundùm hoc manet semper producibile, per ordinem ad divinam omnipotentiam.

ARTICULUS III.

An substantia panis & vini in Eucharistia desinat esse per annihilationem?

C AFfirmant Scotistæ, & Nominales, negant Thomistæ, & alij Theologi communiter cum S. Thoma hic art. 3. quare

65. Dico breviter, substantiam panis & vini in Eucharistia non desinere per annihilationem.

Licèt omnes ferè Theologi in hac conclusione conveniant, variè tamen illam explicant, & probant. Durandus enim dicit substantiam panis in Eucharistia non annihilari, quia corruptâ formâ panis per conversionem, materia ejus manet sub forma corporis Christi, sicut materia alimenti manet sub forma aliti. Sed hæc doctrina Durandi manifestum errorem continet, tum in Philosophia, quæ docet unam & eandem formam non posse duplicem materiam actuare; tum in fide, cùm Tridentinum sess. 13. can. 2. asserat, in Eucharistica transubstantiatione converti totam substantiam panis in corpus Christi, & sola ejus accidentia remanere.

66. Alij verò dicunt, panem non annihilari, quia manent accidentia, quæ sunt aliquid illius. Sed hoc etiam fundamentum ruinosum est, quia accidentia sunt omnino extrinseca substantiæ, ac proinde non mutant motum desitionis vel productionis illius: unde sicut si Deus sub speciebus consecratis, & præexistentibus accidentibus, integram substantiam panis produceret, esset creatio, quia esset productio substantiæ ex nihilo: ita pariter desitio totius substantiæ panis, quamvis omnia ejus accidentia remaneant, poterit dici ejus annihilatio, nisi aliud obstet. Addo quod, sicut creatio terminatur ad esse substantiale & subsistens, sic etiam annihilatio ad non esse rei subsistentis: Ergo si illa in nihilum cedat, quantumvis accidentia supersint, vera interveniet annihilatio.

67. Tertiò, alij asserunt, panem non annihilari, quia corpus Christi posset iterum converti in panem qui primò desierat. Sed hoc frivolum est, quia quantumcumque panis annihiletur, semper tamen potest Deus, & corpus Christi, & quodlibet aliud ens, in substantiam panis convertere.

Quartò, sunt aliqui qui existimant, non annihilari substantiam panis, quia loco illius succedit

Universidad de Deusto
Biblioteca

substantia corporis Christi. Sed contra hoc est, quia si Deus in nihilum redigeret corpus aliquod intra aquam existens, v. g. piscem, etiamsi loco illius succederet aqua, ad replendum vacuum, verè talis piscis annihilaretur: Ergo licèt in Eucharistia, loco substantiæ panis, succedat substantia corporis Christi, non propterea illa non annihilatur.

68. Simili discursu refellitur alius dicendi modus, asserens quòd quamvis substantia panis desinat, non annihilatur tamen; quia illa desitio non est per se & propter seipsam intenta, sed propter aliud, scilicet ad ponendum corpus Christi loco ipsius. Nam si Deus statueret in instanti quo homo moritur, per negationem concursûs animam rationalem destruere, ut in illa materia poneretur alia forma, sine dubio ibi esset vera annihilatio animæ rationalis: Ergo extrinseca illa intentio non destruendi substantiam panis, nisi ad ponendum corpus Christi, non impedit quominus substantia panis dicatur annihilari. His ergo prætermissis.

69. Probatur conclusio triplici ratione D. Thomæ hîc art. 3. Prima insinuatur in argumento *sed contra*, ubi sic discurrit. Juxta Augustinum lib. 83. quæstionum, quæst. 21. Deus non est causa tendendi in non esse: Sed hoc sacramentum divinâ virtute perficitur, ita ut sit speciale opus divinæ virtutis & omnipotentiæ: Ergo in illo nulla entitas seu substantia annihilatur. Hæc ratio similis est illi quâ idem S. Doctor 1. parte quæst. 104. art. 4. probat quòd Deus de facto nullam rem in nihilum redigit. Verba ejus sunt: *Redigere aliquid in nihilum non pertinet ad gratiæ manifestationem, cùm magis per hoc divina potentia & bonitas ostendatur, quod res in esse conservet: unde simpliciter dicendum est, quòd nihil omnino in nihilum redigitur:* cùm ergo Deus sacramentum Eucharistiæ instituerit, ut suam gratiam & bonitatem manifestet, non debet in eo substantia panis annihilari; imò ejus annihilatio, sini institutionis hujus sacramenti non videtur conveniens.

70. Secunda ratio habetur in corpore articuli, potestque sic breviter proponi: In hoc sacramento reperitur vera & totalis conversio substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi: Sed hujusmodi conversio salvari non posset, si substantia panis & vini annihilaretur: Ergo illa non desinit per annihilationem. Major est certa de fide, Minor verò probatur: Tum quia id quod annihilatur, non transit in aliud, cùm terminus annihilationis debeat esse ipsum nihil, non verò entitas aliqua positiva: Tum etiam, quia si substantia panis annihilaretur, deberet corpus Christi per aliam actionem distinctam produci: Sed posità hac duplici actione, non salvatur ratio conversionis, quia ad rationem conversionis requiruntur duo termini positivi, cùm per hoc conversio ab annihilatione & creatione distinguatur, ut constat ex dictis §. 1. articuli præcedentis: posità autem hac duplici actione, neutra haberet utrumque terminum positivum; annihilatio enim haberet tantùm terminum à quo positivum, productio verò corporis Christi sub speciebus, tantùm terminum ad quem: Ergo &c.

71. Dices, ex duplici illa actione unam veluti totalem coalescere, quæ dicitur conversio, cujus terminus à quo est panis, & corpus Christi terminus ad quem.

A Sed contra: Ex annihilatione panis & ex actione productiva corporis Christi, non potest consurgere una totalis conversio: Ergo hæc solutio falsum supponit. Consequentia patet, probatur Antecedens. Actiones aut mutationes unam conversionem constituentes, debent talis esse naturæ, ut una ex natura rei sequatur ad aliam: Atqui ad annihilationem panis non sequitur necessariò positio corporis Christi, cùm absolutè possit esse annihilatio absque ulla alterius rei productione: Ergo ex annihilatione panis, & ex actione productiva corporis Christi, non potest resultare una totalis conversio. Major probatur: Ad rationem conversionis necessarium est, B ut ex vi destructionis termini à quo, quæ est mutatio illius, ponatur terminus ad quem, per aliam mutationem ad ipsum terminatam: Ergo necessarium est, ut mutatio unius sequatur ex mutatione alterius. Unde rectè ait S. Doctor, quòd *conversio tollitur, posità annihilatione substantiæ panis*. Ex quo infert Soto in 4. dist. 9. quæst. 2. art. 4. quòd annihilationis opinio, vix citra errorem sustineri potest. Vazquez autem hic disp. 183. cap. 1. ait illam favere hæreticis, & eis arma ministrare, ad destruendam mirabilem conversionem substantiæ panis & vini, in corpus & sanguinem Christi, quam fides Catholica profitetur: qui proinde teste Vvaldensi tomo 2. cap. 68. hoc argumento adversùs Catholicos utuntur, C quod impossibilis sit conversio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, eò quòd substantia panis & vini desineret esse totaliter, ac proinde annihilaretur: quod autem annihilatur, non potest in aliud converti.

Tertia ratio insinuatur à D. Thoma in solut. 72. ad 3. quod eò tendebat, ut probaret desitionem panis esse annihilationem, quia substantia panis post consecrationem nihil est. Et respondet, quòd licèt substantia panis post consecrationem non sit aliquid, id tamen in quod substantia panis est conversa, aliquid est, & propterea substantia panis non est annihilata. Unde sic arguo: Desitio in aliquid positivum, non est annihilatio; cùm enim annihilatio opponatur creationi, D per hoc quod creatio incipit à nihilo, & terminatur ad aliquid positivum, annihilatio verò incipit ab aliquo positivo, & desinit in nihilum: sicut productio quæ incipit ab aliquo positivo præsupposito, non potest esse creatio; ita desitio quæ terminatur ad aliquid positivum, nequit esse annihilatio: Sed etiam si consecratione peractâ, nihil amplius de substantia panis & vini remaneat, eorum tamen desitio est in aliquid positivum, scilicet in corpus & sanguinem Christi: Ergo talis substantia non desinit per annihilationem.

Confirmatur: Quod transit ab uno esse in 73. aliud, non annihilatur, annihilatio enim est transitus ab esse simpliciter ad non esse simpliciter; sicut creatio è contra est transitus à non esse simpliciter ad esse simpliciter: Sed substantia panis ita E desinit per consecrationem, ut transeat ab esse panis ad esse corporis Christi sub speciebus: Ergo talis desitio, non est annihilatio.

Ex his facilè solvi possunt præcipua Adversa- 74. riorum fundamenta: quæ ad tria reducuntur. Primum sic potest proponi. Illud quod ita desinit, ut nihil prorsus ejus remaneat, annihilatur: Sed substantia panis & vini ita se habet, peractâ consecratione, non enim remanet ejus materia, neque subsistentia, neque existentia, ut

art. 1. §. 3. ostensum est: Ergo verè annihilatur. Major probatur: Quod in nihilum cedit, annihilatur, nam terminus annihilationis est nihil: Sed illud cujus nulla pars remanet, cedit in nihilum, nam revera nihil ejus ampliùs est: Ergo annihilatur.

75. Secundum est: Si modò reproduceretur de novo substantia panis eadem numero quæ per consecrationem desiit, esset vera creatio: Ergo desitio illius, fuit vera annihilatio. Probatur Consequentia, quia istæ mutationes sunt contrariæ, cùm habeant terminos ad quos & à quibus contrarios.

Tertium est: Annihilatio fit per suspensionem illius actionis quâ conservatur à Deo res B quæ annihilatur: Sed substantia panis in hoc sacramento desinit esse per suspensionem actionis conservativæ, quâ Deus illam conservabat, Ergo desinit esse per annihilationem.

76. Ad primum respondeo, distinguendo Majorem: Si res quæ ita desinit, ex modo desinendi tendat ad aliquid positivum quod sibi succedat, & in quod convertatur, nego. Si non tendat, concedo. Sic enim forma substantialis non dicitur annihilari, quamvis nihil ejus remaneat post ipsius corruptionem, quia ex vi talis actionis quâ corrumpitur, producitur alia forma, in ejus locum succedens, & eandem materiam informans: substantia autem panis ita se habet C proportionaliter, quia sic desinit esse, ut tamen ex modo desinendi tendat ad aliquid in quod convertitur. Unde ad probationem Majoris dicendum est, substantiam panis esse factam nihil secundùm quid, quia effectum est ut nihil ejus remaneat, non esse tamen factam nihil simpliciter, quia transivit in corpus Christi: ut autem aliquid dicatur annihilari, debet transire in nihil simpliciter. Solutio est D. Thomæ in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 2. ad 3. ubi ait, *Quod quamvis panis non sit aliquid, tamen illud in quod conversus est panis, est aliquid, conversione factâ, & ideò non sequitur quòd panis sit annihilatus.* Et ad 4. dicit: *Quod quamvis non maneat panis, neque in se, neque in alio, manet tamen corpus Christi in quod conversus est panis, & ideò non* 77. *sequitur quòd sit annihilatus.*

Instabis: Desitio substantiæ panis in Eucharistia non terminatur ad corpus Christi: Ergo nulla data solutio. Consequentia patet, Antecedens probatur. Talis desitio constituit unam mutationem, positio verò corporis Christi sub speciebus, aliam: Ergo cùm ista terminetur ad corpus Christi, non potest illa ad ipsum terminari. Consequentia est evidens, Antecedens verò probatur. Desitio unius substantiæ, & positio alterius, constituunt duplicem mutationem, habent enim terminos à quo & ad quem realiter & formaliter distinctos; nam desitio habet pro termino à quo esse substantiæ quæ dicitur desinere, & pro termino ad quem non esse illius; positio verò habet pro termino à quo non esse substantiæ quæ dicitur de novo poni, & pro termino ad quem esse talis substantiæ: Sed in Eucharistia desitio panis est desitio unius substantiæ, positio verò corporis Christi est positio alterius substantiæ: Ergo in ea duplex mutatio intervenit.

78. Respondeo negando Antecedens primi & secundi Enthimematis, & ad ejus probationem, distinguo Majorem. Desitio unius substantiæ, & positio alterius, quæ non fiunt per conversio-

A nem substantiæ quæ dicitur desinere in substantiam quæ dicitur poni, constituunt duplicem mutationem, concedo Majorem. Desitio unius substantiæ, & positio alterius, quæ fiunt per conversionem substantiæ desinentis, in substantiam quæ de novo ponitur, constituunt duplicem mutationem, nego Majorem. Tunc enim constituunt unicum simplicem transitum, sive unicam mutationem unius substantiæ in aliam, quia habent unicum terminum formalem à quo, scilicet non esse substantiæ quæ convertitur, & unicum terminum formalem ad quem, nempè esse alterius substantiæ in quam fit conversio; quamvis cum esse substantiæ convertendæ, concomitanter se habeat non esse substantiæ in quam B fit conversio; & similiter cum substantia ad quam terminari debet conversio, concomitanter se habeat non esse substantiæ quæ desinit.

Ad secundum respondeo, negando Antecedens: nam divina omnipotentia posset eundem 79. numero panem restituere dupliciter, scilicet per modum creationis, & per modum reconversionis, convertendo scilicet corpus Christi in ipsum, sicut ipse primò fuit in corpus Christi conversus, & tunc esset mutatio opposita illi quæ modo fit in pane; secùs verò si primo modo panis restitueretur.

Ad tertium, nego Minorem, substantia enim 80. C panis non desinit esse per suspensionem solam actionis conservativæ, sed per conversionem ipsius in corpus Christi; ut enim articulo præcedenti dicebamus, ad rationem conversionis necessarium est, ut inter desitionem termini à quo, & positionem termini ad quem sit aliqua connexio, ac proinde ut ex vi positionis termini ad quem, terminus à quo desinat, & per consequens quod ex vi positionis corporis Christi desinat esse panis.

Ex hoc intelliges, falsam esse sententiam Suaris, existimantis substantiam panis desinere per 81. actionem quâ accidentia separantur à subjecto, quia hæc spoliata accidentibus, postulat connaturaliter non manere. Patet, inquam, ex dictis D hujus sententiæ falsitas: Nam priùs intelligitur substantia panis desinere esse, quàm accidentia ab illa separentur, vel per se subsistant: Ergo talis substantia non desinit ex vi actionis separantis accidentia à subjecto. Consequentia patet, Antecedens probatur; tum quia ideò accidentia à subjecto separantur, & subsistunt, quia substantia destruitur: tum etiam, quia sicut substantia per se producitur, accidentia verò ratione substantiæ, & consequenter ad illam; sic etiam per se debet desinere, & accidentia consequenter, nisi ipsis modus per se existendi tribuatur, ut contingit in hoc mysterio.

E

DISPUTATIO V.

De modo quo Christus est in Eucharistia.

Ad quæstionem 76. D. Thomæ.

EXplicata actione transubstantiativâ, 1. per quam corpus Christi sub speciebus panis & vini fit præsens, consequens est, ut modum quo fit illis præsens consideremus, & varias quæ circa illum versantur difficultates, breviter resolvamus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Articulus Primus.

Quid ex vi verborum, quid concomitanter, sub speciebus panis & vini contineatur?

1. Licèt de fide certum sit, omnia quæ ad Christi constitutionem & integritatem pertinent, nimirum corpus, sanguinem, animam, divinitatem, & subsistentiam, seu personam Verbi divini, verè & realiter sub utraque specie panis & vini contineri, ob intimam & inseparabilem quam illa inter se habent conjunctionem; quia tamen (ut docet D. Thomas hîc art. 1.) dupliciter possunt aliqua in hoc sacramento contineri, uno modo ex vi sacramenti, seu ex verborum significatione; alio modo, vi naturalis connexionis & concomitantiæ quam habent cum iis quæ fiunt vi verborum, ideò breviter hîc explicandum est, quænam ex illis vi verborum, & quænam solùm per concomitantiam sub speciebus panis & vini contineantur.

Dico ergo primò, corpus Christi contineri ex vi verborum sub specie panis, non verò animam, ut tribuit gradum vitæ, benè tamen, ut dat esse corporeum.

2. Prima pars est de fide, definita in Tridentino sess. 13. cap. 3. & patet ex eo quod hæc verba, *Hoc est corpus meum*, corpus Christi in quod conversa est substantia panis, expresè significant.

3. Secunda verò colligitur manifestè ex D. Thoma quæst. præcedenti art. 6. ad 2. ubi sic ait: *Anima est forma corporis, dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet esse, & esse corporeum, & esse animatum, & sic de aliis. Convertitur igitur forma panis in formam corporis Christi, secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum quod dat esse animatum tali animâ:* Ergo ex D. Thoma, nomine corporis, quod ex vi verborum est sub speciebus panis, intelligi debet materia informata animâ Christi quatenus dat esse corporeum.

4. Ratio etiam id suadet: Nomine enim corporis, quod ex vi verborum sub speciebus panis ponitur, non potest intelligi materia prima sine forma substantiali, affecta solùm quantitate & qualitatibus sensibilibus, ut existimat Gabriel in 4. dist. 11. quæst. 1. & in Canonem Missæ lectione 42. Quia materia prima non potest existere sine forma substantiali, nec proinde aliquam actionem terminare, nec verè dici corpus. Non potest etiam per corpus significari materia prima, ut affecta formâ corporeitatis, ut censet Scotus, vel aliâ formâ partiali constituente corpus organicum, ut existimant aliqui Recentiores, qui præter animam rationalem formas partiales in homine admittunt, quæ constituant singulas partes corporis organici, & uni dent rationem carnis, alteri rationem ossis &c. Hoc enim fusè impugnatur à nostris Thomistis in Philosophia, ubi nec formam corporeitatis, nec alias formas partiales dari ostendunt, sed in homine solùm esse animam intellectivam, quæ virtute continet omnes inferiores formas, & facit ipsa sola quidquid imperfectiores formæ in aliis faciunt, ut probat S. Thomas 1. parte quæst. 76. art. 3. Ergo nomine corporis, quod ex vi verborum est sub speciebus panis, nihil aliud intelligi potest, quàm materia informata animâ, quatenus dat esse corporeum, subindeque anima Christi, ut dat illi esse corporeum, ex vi verborum sub speciebus panis continetur, non tamen ut dat esse vivens, seu ut gradum vitæ tribuit; quia corpus Christi, prout ex vi verborum est sub speciebus panis, abstrahit à vivo & mortuo, cùm idem sit formale significatum corporis nunc, ac fuisset in triduo mortis.

5. Dices primò: Eadem est anima quæ dat esse corporeum, & quæ dat esse viventis: Ergo repugnat quod anima Christi, quatenus dat esse corporeum, sub speciebus panis ex vi verborum ponatur, nisi etiam ut gradum vitæ tribuit sub illis pariter ex vi verborum existat.

Sed nego Consequentiam, licèt enim eadem sit anima, quæ dat esse corporeum, & quæ tribuit esse vivens & animatum, ratione tamen & virtualiter distinguitur secundùm quod dat esse corporeum, à seipsa, secundùm quod dat esse animatum; quod sufficit ad hoc ut sub speciebus panis ex vi verborum ponatur, prout dat esse corporeum, & non secundùm quod dat esse vivens & animatum; sicut similis distinctio quæ reperitur inter Filium & divinam essentiam, & inter subsistentiam Verbi & naturam divinam, sufficit ad hoc ut Filius generetur & producatur à Patre, non verò divina essentia, & ut subsistentia Verbi primariò terminet humanitatem assumptam, non verò natura, vel existentia ejus, ut in Tractatu de Incarnatione ostendimus.

6. Dices secundò: Illud ponitur ex vi verborum, quod necessarium est ad veritatem ipsorum: Sed ad veritatem horum verborum, *Hoc est corpus meum*, necessaria est anima, ut tribuit gradum vitæ: Ergo ponitur sub illa ratione, ex vi verborum, & non solùm prout dat esse corporeum. Major patet, Minor probatur. Ad veritatem verborum necessarium est, ut sit idem corpus, quod Christus habebat, quando illa verba protulit: Sed non potest esse idem, nisi sit anima formaliter ut talis, & ut tribuit gradum vitæ: Ergo &c. Major est evidens, nam ad veritatem formæ necessarium est, ut sit verè corpus Christi: si autem non esset idem corpus, non esset corpus Christi, sed aliud compositum. Minor verò suadetur: Non potest esse idem, nisi sit illa forma quam habebat corpus Christi, quando protulit verba, quia pro diversitate formæ substantialis, variatur corpus: Sed forma quam habebat Christus, quando illa verbâ protulit, erat ipsa anima, non solùm ut dat esse corporeum, sed etiam ut gradum vitæ tribuit: Ergo &c.

Respondeo negando Minorem, & ad probationem illius, distinguo Majorem. Ut sit idem corpus quod Christus habebat, identitate suppositi, ut scilicet habeat eandem subsistentiam & existentiam, concedo. Identitate formæ substantialis præcisè, nego. Corpus autem Christi vivum & mortuum, est idem identitate suppositi, quia semper terminatur subsistentiâ & existentiâ divinâ.

7. Ex dictis inferes, quod quando dicitur corpus Christi esse ex vi verborum sub speciebus panis, sub nomine corporis, non comprehenduntur quantitas, figura, & alia accidentia, quæ à gradu corporeitatis dimanant; hæc enim tantùm concomitanter ponuntur sub illis speciebus, sed sola substantia corporis Christi, quia hæc sola potest esse terminus formalis & primarius transubstantiationis

Dices,

8. Dices, Corpus quod vi verborum est sub speciebus panis, est organicum: At hoc, præter substantiam, includit debitam proportionem membrorum, quæ sine certa figura, densitate, & raritate concipi nequit: Ergo illa accidentia ex vi verborum ponuntur sub specie panis.

Propter hoc argumentum putat Vazquez disputatione 187. cap. 4. quantitatem & alia multa accidentia, esse ex vi verborum sub specie panis. Verùm hoc est expresè contra S. Thomam, & reliquos Scholasticos, nec salvat naturam transubstantiationis, quæ est conversio substantiæ in substantiam, ut eam definit Tridentinum sessione 13. cap. 4. Unde ad argumentum respondetur, distinguendo Majorem: Corpus quod vi verborum est sub speciebus panis, est organicum, organizatione radicali, concedo Majorem. Organizatione formali, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Duplex ergo distinguenda est organizatio, altera radicalis, & substantialis, quæ est à forma substantiali exigente diversas dispositiones accidentales; altera formalis, & accidentalis, quæ est à quantitate, figura, & aliis accidentibus, quorum est effectus. Prior est vi verborum sub specie panis, posterior verò solùm concomitanter, & vi naturalis connexionis.

9. Dico secundò, Sanguinem Christi contineri ex vi verborum sub specie vini. Hæc conclusio eadem ratione probatur quâ præcedens: sicut enim corpus Christi continetur ex vi verborum sub specie panis, quia hæc verba, *Hoc est corpus meum*, corpus Christi in quod conversa est substantia panis, expresè significant; ita etiam cum ista, *hic est calix sanguinis mei*, sanguinem Christi non minùs expresè denotent, continetur etiam ille ex vi verborum sub specie vini.

10. Quæres, an totus sanguis Christi sit vi verborum sub specie vini, vel ille solùm qui fuit in passione effusus? Videtur enim quod iste tantùm ex vi verborum sub specie vini contineatur, cùm hic tantùm exprimatur in forma consecrationis: *Qui pro vobis effundetur.*

Respondeo tamen, totum sanguinem qui nunc est in corpore Christi glorioso, etiam si non fuerit in passione effusus, esse ex vi sacramenti sub speciebus vini. Nam illa verba, *Qui pro vobis effundetur*, non limitant præcedentia ad significandum solum sanguinem qui fuit in passione effusus, sed ad exprimendum primarium finem hujus sacramenti, qui est repræsentatio passionis Christi: ut si Christus convertisset aquam in vinum, his verbis, *Hoc est vinum quod à vobis porabitur*, posteriora verba non limitassent priora ad convertendum solùm aquam in vinum, quod fuisset ab illis potandum, sed tantùm ad denotandum finem miraculi, esto non totum vinum fuisset ab illis potandum.

Confirmatur: Aliquis sanguis fuit sacramentaliter præsens sub speciebus vini in cœna, qui non fuit in passione effusus, nempè ille qui ante passionem fuit in carnem conversus: Ergo ad verificanda verba consecrationis calicis, non est necesse quòd totus sanguis fuerit in passione effusus.

11. Dico tertiò, animam rationalem Christi esse in hoc sacramento, non ex vi sacramenti, aut verborum, sed per concomitantiam. Ita docet Tridentinum sessione 13. canone 3. ubi asserit animam Christi sub utraque specie existere, *vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini inter se copulantur.*

Ratio etiam id suadet: Nam ut hîc artic. 1. ait D. Thomas: *Ex naturali concomitantia est in hoc sacramento illud quod realiter est conjunctum ei in quod prædicta conversio terminatur:* Sed anima rationalis Christi est realiter conjuncta corpori & sanguini Christi in quæ conversio panis & vini terminatur, & quæ per verba formæ significantur; in ipsam verò non terminatur hæc conversio, nec ipsa per verba significatur: Ergo in hoc sacramento non est ex vi sacramenti, aut verborum, sed solùm per concomitantiam. Quod intelligendum est primò de anima rationali, ut tribuit gradum vitæ, nam ut dat esse corporeum, ex vi verborum ponitur sub specie panis, ut in prima conclusione declaravimus. Secundò, cùm dicitur animam rationalem Christi, ut tribuit gradum vitæ, esse per concomitantiam in hoc sacramento, hoc verificatur solùm, quando contingit corpus Christi in propria specie informari anima rationali; si enim informaretur aliâ, ut in triduo mortis formâ cadaveris, non poneretur anima rationalis, etiam concomitanter, sub speciebus Eucharisticis, sed ipsa forma cadaveris. Quod adeò verum est, ut si Apostoli consecrassent ante triduum mortis, subindeque anima rationalis concomitanter fuisset posita sub speciebus panis & vini, tamen in triduo mortis non fuisset amplius anima rationalis sub illis, sed forma cadaveris; & è contra, si in triduo mortis Apostoli consecrassent, fuisset sub speciebus Eucharisticis forma cadaveris, & post resurrectionem cessasset esse sub illis forma cadaveris, & fuisset anima rationalis; quia quod sit hæc vel illa forma, oritur ex statu & forma quam corpus Christi habet in propria specie.

12. Dico quartò, sub specie vini corpus, & sub specie panis sanguinem, & sub utraque specie divinitatem, in hoc sacramento contineri; non ex vi verborum, sed per concomitantiam. Ita Tridentinum loco citato.

Probatur breviter: Corpus non significatur per verba consecrationis vini, nec sanguis per verba consecrationis panis, nec divinitas per verba consecrationis utriusque; corpus tamen est realiter conjunctum cum sanguine, & sanguis cum corpore, & divinitas cum utroque: Ergo non ex vi verborum, aut sacramenti, sub prædictis speciebus continentur, benè tamen per concomitantiam.

13. Dico quintò, Verbum non esse in hoc sacramento vi verborum, sed concomitanter.

Colligitur ex Tridentino citato, docente divinitatem esse hîc propter admirabilem illam ejus cum corpore & anima unionem hypostaticam: At ea tantùm sunt vi verborum, quæ per se, & non propter connexionem cum aliis, fiunt hîc præsentia: Ergo, &c. Quod autem per divinitatem intelligat etiam personam Verbi, constat. Tum quia aliàs doctrina Concilij esset manca, traderet enim universalem regulam dignoscendi ea quæ in hoc sacramento sunt vi verborum, & quæ sunt vi naturalis concomitantiæ; & tamen si per divinitatem solùm intelligeret naturam divinam, nihil docuisset de persona Verbi. Tum etiam, quia assignans rationem hujus concomitantiæ, ait esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

unionem hypostaticam, quæ primariò est ad Verbum.

14. Probatur etiam conclusio ratione: Nam Verbum Divinum est quidem realiter unitum corpori & sanguini Christi, sed in ipsum non convertitur panis aut vinum, nec per verba consecrationis expresè & in recto significatur: Nam licèt D. Thomas infrà quæst. 78. art. 2. ad 4. dicat: *Per hoc pronomen meum exprimitur persona Christi*, hoc intelligendum est in obliquo: Ergo Verbum Divinum est quidem in hoc sacramento per concomitantiam, non tamen ex vi sacramenti; nam quod hoc modo in eo continetur, debet in recto significari, sicut significatur corpus & sanguis.

15. Dices, Quod ponitur in hoc sacramento concomitanter, debet fieri per virtutem verborum, quia attingitur primariò vel secundariò ab actione consecrativa seu conversiva, quæ est vera productio: Sed Persona Verbi nequit fieri ex virtute verborum, ut constat: Ergo neque per concomitantiam esse in hoc sacramento.

Respondeo quod ea quæ continentur in hoc sacramento per concomitantiam, sunt in duplici differentia: quædam enim sunt improducibilia ut Divinitas & Verbum, & hæc nullo modo fiunt per verba; sed cùm sint ubique, & ex alia parte terminent unionem hypostaticam, per hoc præcisè incipiunt esse hic novo modo, quòd corpus aut sanguis Christi producitur per actionem consecrativam: alia verò sunt producibilia, & hæc fiunt per virtutem verborum, vel primariò, si primariò significentur; vel secundariò, si identificentur aut realiter conjungantur cum effectu primario.

16. Superest examinandum, an reliquæ personæ divinæ dici possint esse in hoc sacramento concomitanter. Affirmant Suarez, Vazquez, Delugo, & alij Recentiores, qui docent, Verbum esse in hoc sacramento per concomitantiam immediatam, ut proprium suppositum humanitatis, Patrem verò & Spiritum Sanctum per concomitantiam mediatam propter connexionem naturalem quam habent cum Filio in eadem natura divina. Negant autem Alvarez, Petrus Ledesma, Nuño, Aravius, Serra, Martinez de Prado, & alij Thomistæ communiter, existimantes concomitantiam sacramentalem sub speciebus panis & vini, soli Verbo convenire, non verò Patri, aut Spiritui Sancto.

17. Hanc quæstionem puto de nomine. Omnes enim conveniunt, Patrem & Spiritum Sanctum esse quodam modo speciali in Eucharistia, quo non sunt in cæteris rebus creatis, tum quia simul cum Filio assistunt ibi ad operandos effectus mirabiles gratiæ: tum etiam, quia Pater & Spiritus Sanctus speciali quodam modo existunt in Filio propter divinarum personarum inseparabilitatem, & mutuam unius in altera existentiam, quam Græci περιχώρησιν, Latini, *Circuminsessionem* appellant. Unde si per impossibile Pater & Spiritus Sanctus, ratione immensitatis, non essent in omnibus rebus creatis, tamen hoc duplici titulo essent in Eucharistiæ sacramento. In hoc, ut dixi, omnes conveniunt, quare ad hoc solùm difficultas devolvitur, an præsentia illa specialis quam Pater & Spiritus Sanctus habent in Eucharistia, sufficiat ad concomitantiam sacramentalem? Hoc enim affirmant Suarez, Vazquez, & alij Recentiores; negant verò Thomistæ, existimantes ad hoc ut per concomitantiam sit aliquid in hoc sacramento, requiri ut in unitate suppositi uniatur cum termino primario & formali conversionis, & cum illo constituat vel pertineat ad idem suppositum: propter hoc enim vestimenta Christi quando ipse consecravit, non continebantur per concomitantiam in hoc sacramento, benè tamen ejus divinitas, & anima, & accidentia. Unde cùm Pater & Spiritus Sanctus, non uniantur hoc modo cum corpore & sanguine Christi, non continentur in Eucharistia per concomitantiam sacramentalem. Et hic modus dicendi & loquendi videtur magis proprius, & Concilio Tridentino magis consonus: ideò enim Concilium dixit, Divinitatem esse in sacramento per concomitantiam, quia est unita hypostaticè cum corpore & anima Christi. Ergo fundat concomitantiam sacramentalem sub speciebus panis & vini in unione hypostatica, quam habent Verbum & Divinitas cum humanitate, non verò Pater, aut Spiritus Sanctus. Quare idem Concilium enumerans omnia quæ in hoc sacramento tam ex vi sacramenti, quàm per concomitantiam continentur, nullam facit mentionem Patris aut Spiritus Sancti. Quod argumentum, licèt sit negativum, in re tamen adeò gravi, magni debet esse ponderis, & momenti, alioquin Concilium diminutè processisset. Nec valet si dicas, Concilium etiam personæ Verbi non fecisse mentionem. Ad hoc enim suprà respondimus, sufficienter illam insinuasse, cùm assignans rationem hujus concomitantiæ, ait esse unionem hypostaticam, quæ primariò est ad Verbum, & nullo modo ad Patrem, vel Spiritum Sanctum. Unde sicut connexio quam mediâ naturâ divinâ Pater & Spiritus Sanctus habent cum persona Verbi, non sufficit ut dicantur mediatè terminare unionem hypostaticam, incarnari, concipi, nasci, mori, &c. Ita nec sufficiens est, ut dicantur esse per concomitantiam sacramentalem sub speciebus panis & vini.

Id confirmat Martinez de Prado, ex eo quòd Eucharistia non solùm habet rationem sacramenti, sed etiam sacrificij, imò est idem cum sacrificio crucis, solâ offerendi ratione diversâ, ut docet Tridentinum: Sed solus Filius dici potest in altari offerri, & sacrificari, non verò Pater vel Spiritus Sanctus: Ergo pariter solus Filius dici potest in Eucharistia sacramentaliter contineri, non verò Pater, aut Spiritus Sanctus.

ARTICULUS II.

An corpus Christi sit in hoc sacramento cum sua quantitate, totusque existat sub quavis parte specierum, etiam ante fractionem, imò & sub quolibet indivisibili hostiæ consecratæ?

18. DUrandus, Major, & Gabriel probabile existimant, Christum esse in hoc sacramento sine propria quantitate, cùm in eo careat extensione partium, quam putant esse de essentia quantitatis. Altisiodorensis verò lib. 4. summæ tract. 5. cap. 4. concedit quidem totum Christi corpus esse actu in tota hostia indivisa, dicit tamen non esse totum in singulis partibus, etiam

etiam separatim sensibilibus, ante divisionem earum à toto, nisi in potentia, quæ reducitur ad actum (inquit) per divisionem, non tanquam per causam, sed tanquam per conditionem sine qua non; ad eum modum quo tota imago Petri in singulis partibus speculi ante ejus fractionem potentialiter solùm existens, fit actualiter existens sub illis, divisione speculi factâ. Eadem sententia tribuitur Alberto Magno in 4. distinct. 13. art. 11. sed immeritò, ut constat ex resp. ad 2. ubi admittit, eodem modo Christum esse in forma consecrata, sicut anima est in corpore, tota in toto, & tota sub quavis parte. Alensis autem negavit totum Christi corpus contineri sub illis particulis hostiæ, quæ separatæ à toto non essent sensibiles, nec retinerent formam substantialem panis. Denique quoad indivisibilia tam continuativa, quàm terminativa hostiæ, Scotus, Richardus, Ægidius, & Vazquez, negant totum Christi corpus sub illis existere.

§. I.

Rejiciuntur omnes illæ sententiæ, & communis ac vera statuitur.

DIco primò: Corpus Christi est in sacramento Eucharistiæ cum sua quantitate.

19. Probatur primò: Ideò ex Tridentino sess. 13. cap. 3. corpus Christi est in sacramento Eucharistiæ cum sua anima & sua divinitate, quia hæc habent connexionem realem cum suo corpore: Sed etiam quantitas corporis Christi, realem habet cum eo connexionem: Ergo corpus Christi est in sacramento Eucharistiæ cum sua quantitate.

20. Probatur secundò: Si corpus Christi esset in Eucharistia sine sua quantitate, existeret ibi absque ordine, decore, & recta dispositione membrorum, confusum & monstruosum; pulchritudo enim corporis non est sine quantitate, cùm supponat figuram, quæ est terminus quantitatis: Similiter sublatâ quantitate, nec ordo partium, nec partes supersunt: Consequens autem admittere, videtur indecens: Ergo, &c.

21. Dico secundò: Corpus Christi in Eucharistia existit totum & actu, sub singulis partibus sensibilibus hostiæ, non solùm separatis, sed etiam conjunctis.

Prima pars hujus conclusionis, quòd scilicet corpus Christi in Eucharistia sit totum & actu sub partibus sensibilibus hostiæ inter se divisis, est certa de fide, ac definita in Florentino in decreto unionis, & in Tridentino sess. 13. can. 3. & constat ex facto Christi, qui consecrato calice Lucæ 22. dedit Discipulis, dicens: *Accipite, videte inter vos*, quod necessariò supponit in singulis speciebus separatis fuisse totum Christum; alioqui singuli partem calicis sumentes, non totum Christum sumpsissent.

22. Secunda verò, quæ asserit totum Christi corpus sub singulis partibus hostiæ conjunctis, actu existere, probatur primò. Eo modo corpus Christi est sub singulis partibus sensibilibus hostiæ consecratæ, ante divisionem, quo substantia panis ante consecrationem erat sub illis: Sed ante consecrationem substantia panis erat tota & actu in singulis partibus hostiæ: Ergo Christi corpus similiter sub eis factâ consecratione existit. Minor est certa, in hoc enim consistit ratio essentialis substantiæ homogeneæ, qualis est substantia panis, quòd sit actu tota in toto, & tota in singulis partibus, etiam nondum divisis. Major verò probatur: Cùm Christus existat in Eucharistia, per conversionem substantiæ panis in ipsum, succedit loco ejus in munere & officio: Ergo debet habere eum modum præsentiæ & existentiæ sub quantitate, aliisque panis accidentibus, quem substantia panis ante consecrationem sub illis habebat.

Probatur secundò eadem pars: Factâ specierum consecratarum divisione, totum Christi corpus continetur actu sub qualibet parte sensibili & divisa hostiæ, ut fides docet: Ergo & ante divisionem. Consequentia probatur, quia sola fractio & divisio specierum, non mutat consecrationem, nec valet ponere Christi corpus ubi antea non erat. 23.

Si dicas cum Altisiodorensi, specierum divisionem esse conditionem sine qua totum Christi corpus non existit actu sub singulis partibus earum, sicut fractio speculi est conditio sine qua imago Petri non existit actu in qualibet parte ipsius. Nego paritatem: Rationem disparitatis dat D. Thomas hic art. 3. in corp. quòd cùm ratio imaginis in speculo repræsentatæ, proveniat ex reverberatione superficiei speculi, tanquam à causa; quemadmodum fracto speculo fiunt diversæ superficies partium, ita & diversæ reflexiones sive reverberationes earum, atque adeò plures actu imagines: at verò ratio existentiæ actualis corporis Christi sub speciebus panis, cùm à sola consecratione tanquam à causa proveniat; sicut divisio specierum illarum non variat consecrationem, ita nec præsentiam actualem quam corpus Christi sub illis habebat ante divisionem. 24.

Probatur tertiò: Signatâ quartâ parte v. g. hostiæ consecratæ, & nondum divisæ, quæro, aut in illa quarta parte est aliquid corporis Christi, vel nihil? Si nihil, sequitur primò quòd illa pars non sit consecrata, secundò quòd neque etiam in aliis partibus hostiæ sit aliquid corporis Christi; cùm non sit major ratio de ipsis, quàm de illa quarta parte signatâ, & sic nihil corporis Christi erit in tota hostia, quia nihil potest esse in toto, nisi sit in partibus ejus. Quòd si dicatur, aliquid corporis Christi esse sub illa quarta parte hostiæ non divisæ: vel in ea est totum, & sic habemus intentum; vel aliqua pars ejus, v. g. quarta pars; & tunc sequitur quòd corpus Christi sit in Eucharistia, commensurativè, & circumscriptivè, quod tamen est falsum; quia quod est majus in quantitate, non potest contineri adæquatè & circumscriptivè à minori: quantitas autem quartæ partis corporis Christi, longè major est quantitate quartæ partis hostiæ. 25.

Dico tertiò, totum Christi corpus contineri sub illis particulis hostiæ, quæ separatæ à toto non essent sensibiles, nec retinerent formam substantialem panis.

Probatur primò ex fundamentis jam statutis: Sub partibus minimis hostiæ, quæ essent insensibiles, si separarentur à toto, sub illis, inquam, ut toti hostiæ conjunctis, conservabatur actu ante consecrationem tota natura & substantia panis: Ergo sub eis est etiam actu totus Christus, factâ consecratione. Consequentia patet, nam totum corpus Christi est actu in Eucharistia, ubicumque antea erat actu tota substantia panis. Antecedens autem à nemine negatur, 26.

quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia licèt illæ particulæ à suo toto separatæ, essent insensibiles, & consequenter substantia panis sub eis non remaneret, suo tamen toti conjunctæ, sunt sensibiles, inquantum scilicet componunt partes majores quæ sunt intra sphæram activitatis sensuum.

27. Probatur secundò : Si totum Christi corpus non sit actu sub qualibet particula hostiæ, etiam minimâ, & ex se præcisè sensibus imperceptibili, sequitur totum Christi corpus non esse actu etiam in tota hostia ; si enim non sit actu & totum in aliqua parte minima, cùm non sit major ratio de illa, quàm de alia etiam minima sibi conjuncta, non erit etiam in ista, & ita de omnibus aliis : Ergo nec in partibus majoribus, utpotè quæ componuntur solùm ex illis minimis, ut unitis : Ergo nec erit actu totum in tota hostia, quia, ut jam dixi, impossibile est quod aliquid sit totum in toto, & non sit in partibus.

Dico quartò : Corpus Christi totum contineri sub quolibet indivisibili hostiæ consecratæ, tam continuativo, quàm terminativo.

28. Probatur breviter : Ante consecrationem substantia panis, vel saltem aliquid ipsius, erat sub quolibet indivisibili suæ quantitatis : Ergo cùm ex una parte aliquid corporis Christi non possit esse sub illis indivisibilibus, quin totum sub eis existat, quia ponitur in sacramento modo indivisibili ex alia verò succedat substantiæ panis in modo essendi sub speciebus consecratis ; debet totum sub cunctis indivisibilibus contineri. Consequentia patet, Antecedens verò probatur. Quodlibet indivisibile quantitatis est accidens, atque adeò subsistantiæ panis inhæret : Ergo aliquid subsistantiæ panis existit sub eis ante consecrationem.

29. Confirmatur : Vel singulis indivisibilibus hostiæ consecratæ correspondebat ante consecrationem aliquid de subsistantia panis, vel nihil ? Si nihil : Ergo subsistantia panis erat sub sua quantitate discontinua & divisa, & consequenter subsistantia corpotis Christi pani succedens, erit similiter sub quantitate panis discontinuata & divisa, quod est absurdum. Si verò aliquid de subsistantia panis ante consecrationem correspondebat indivisibilibus suæ quantitatis, quodcumque illud sit, sive indivisibile subsistantiæ suæ, sive pars ejus dicatur, sequitur indivisibile corporis Christi, pani succedentis, existere sub indivisibili quantitatis panis quæ remanet, & consequenter totum etiam Christi corpus, utpotè cùm sub quantitate hostiæ indivisibiliter existat, ad modum subsistantiæ spiritualis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

30. OBjicies primò contra primam conclusionem : Quantitas non potest separari ab extensione partium, cùm ratio essentialis illius sit extensio & divisibilitas : Sed corpus Christi in Eucharistia est sine extensione : Ergo & sine sua quantitate.

31. Respondeo duplicem distingui debere in quantitate extensionem, alteram in ordine ad se, alteram in ordine ad locum. Prior consistit in continuatione & extensione partium in se, ut una immediatè continuetur uni, & mediatè cæteris : caput enim immediatè continuatur collo, eoque mediante, pectori, cæterisque corporis partibus. Posterior in situatione & extensione partium, in ordine ad spatium, ut una pars corporis correspondeat uni, alia alteri parti spatii. Prior est essentialis, & inseparabilis à quantitate, & in eodem prædicamento cum quantitate. Posterior accidentalis, & separabilis, & in prædicamento situs. Illa est principium & radix hujus, hæc effectus & passio illius ; unde potest illa sine hac, non autem hæc sine illa reperiri. Potuit igitur à quantitate corporis Christi separari posterior, manente priori, & consequenter manere effectus formalis prioris extensionis, absque effectu formali posterioris.

Confirmatur : Non minùs de ratione quantitatis est, reddere subjectum impenetrabile cum alio corpore, quàm loco extensum : Sed potest privari primo, ut constat in Christo ad Discipulos ingresso, januis clausis : Ergo & secundo. 32.

Objicies secundò contra secundam conclusionem : Si totum Christi corpus sit actu sub singulis partibus hostiæ, nondum divisis, erit actu pluries, imò & infinities, sub qualibet hostia consecrata, per plures & infinitas actu præsentias totales : Consequens est falsum, imò impossibile, cùm infinitum actu dari non possit : Ergo & Antecedens. Sequela Majoris probatur : In qualibet hostia sunt plures actu, imò & infinitæ partes proportionales : Ergo si in qualibet earum sit actu totum Christi corpus, sequitur quòd sit pluries, imò & infinities totum in Eucharistia.

Respondeo negando sequelam Majoris, & distinguendo ejus probationem. In qualibet hostia sunt actu plures, imò & infinitæ partes proportionales, singulæ propriam existentiam habentes, & simul numerum simpliciter dictum constituentes, nego Antecedens. Sunt actu infinitæ partes proportionales, unicâ existentiâ existentes, & numerum simpliciter dictum solùm in potentia facientes, concedo Antecedens, & nego Consequentiam. Solutio est D. Thomæ hic art. 3. ad 1. ubi sic ait : *Numerus sequitur divisionem, & ideò quandiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicujus rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis ; & per consequens neque infinities, sed toties in quot partes dividitur.* 33.

Objicies tertiò contra tertiam conclusionem : In iis tantùm partibus hostiæ conservatur totus Christus, quæ separatæ ipsum totum conservarent : Sed partes separatæ quæ non essent sensibiles, nec formam subsistantialem panis retinerent, Christum non conservarent : Ergo in illis ut conjunctis totus Christus non conservatur. 34.

Respondeo negando Majorem, nam cùm Christus in hoc sacramento succedat loco panis, in iis partibus specierum succedit, sub quibus conservari potest subsistantia panis : quamvis autem illa conservari non posset in partibus separatis hostiæ, si non essent sensibiles, in illis tamen, ut inter se conjunctis, subsistantia panis conservari potest. Unde ait Magister Soto in 4. dist. 10. qu. 1. art. 3. *Quamvis separatâ minimâ parte, si illa divideretur, desineret esse corpus ; quia desineret species panis : tamen in toto, quia conservatur illic species, non datur tam parva pars, quin sub quavis minori sit corpus.* 35.

Objicies quartò contra quartam conclusionem : Corpus Christi non est nisi ubi erat subsistantia panis : Sed hæc non erat in puncto, quia erat corporea, ac proinde trinam dimensionem sub qua esset requirebat : Ergo nec corpus Christi. 36.

37. Respondent aliqui, in subsistantia panis, & qualibet alia corporea, dari etiam indivisibilia subsistantialia, correspondentia indivisibilibus terminantibus quantitatem, sicque corpus Christi esse sub indivisibilibus quantitativis, sub quibus erant indivisibilia subsistantialia panis, nam hæc in corpus Christi conversa sunt.

38. Sed melius respondetur, negando Minorem, nam quamvis subsistantia corporea sit capax trinæ dimensionis, secundùm se tamen, & intra propriam lineam, est indivisibilis, ut fusè & lato calamo ostendunt Complutenses in libris de generatione & corruptione, sicque non solùm est sub partibus quantitatis, sed etiam sub punctis, & aliis ejus indivisibilibus. Dici etiam potest, juxta aliam sententiam, quæ docet subsistantiam intra propriam lineam habere partes entitativas & subsistantiales, hoc inter subsistantiam panis & corpus Christi reperiri discrimen, quòd subsistantia panis, est entitativè divisibilis, & modo divisibili sub propriis dimensionibus, subindeque incapax existendi sub indivisibilibus quantitatis ; corpus autem Christi, licèt divisibile, est tamen sub speciebus modo indivisibili, & propterea capax ut sub puncto & aliis indivisibilibus quantitatis existat.

39. Objicies quintò : Si totum Christi corpus, consecratione factâ, sit sub quolibet indivisibili hostiæ consecratæ, sequitur quòd Sacerdos poterit consecrare solam superficiem, vel solum punctum in aliqua hostia, utpotè cùm punctum ratione lineæ, & linea ratione superficiei, & superficies ratione corporis, sit sensibilis, atque adeò designabilis : Sacerdos autem potest consecrare quamlibet partem hostiæ sensibilem, & designabilem, non consecratis aliis : Consequens videtur absurdum : Ergo, &c.

40. Respondeo negando sequelam Majoris, plus enim requiritur ut à principio fiat consecratio, quàm ut consecratione factâ conservetur corpus Christi ; nam ut à principio fiat consecratio, requiritur materia per se sensibilis, puncta autem, lineæ, & superficies, non sunt per se sensibilia ; sed ut in objectione dicitur, punctum est sensibile solùm ratione lineæ, linea ratione superficiei, & superficies ratione corporis ; unde a principio non potest in eis fieri consecratio, nisi fiat simul in corpore : at verò quando fit in corpore, etiam fit in illis, & consequenter etiam in illis saltem, ut unitis, conservari potest Christi corpus.

41. Dices, Esto non possit Sacerdos consecrare solum punctum, vel superficiem hostiæ, potest tamen determinatè consecrare unam tantùm medietatem hostiæ, cum linea aut superficie, ipsam cum altera medietate continuante ; & cùm illa linea, vel superficies, non magis sit unius medietatis, quàm alterius, sequitur ex nostra doctrina, quòd sub illa linea, vel superficie, existent simul corpus Christi & subsistantia panis : Consequens autem non potest admitti, aliàs corpus Christi non esset sub illa linea, vel superficie, per transubsistantiationem : Ergo, &c.

42. Respondeo negando sequelam, in illo enim casu subsistantia panis desineret esse sub superficie illa sive linea consecrata, & consequenter medietas hostiæ consecrata, non foret ampliùs continua, sed contigua solùm medietati non consecratæ, quamvis appareret ipsi continua ; eo modo quo medietas rami arida & mortua, alteri viridi & vivæ conjuncta, ad sensum appareret ipsi continua, cùm tamen re vera solùm sit ei contigua. 43.

Objicies ultimò : Si corpus Christi sub quolibet indivisibili hostiæ consecratæ contineatur, sequitur quòd factâ divisione hostiæ consecratæ, corpus Christi incipiat de novo existere ubi antea non erat, idque absque nova consecratione : At hoc non videtur admittendum : Ergo nec illud. Sequela probatur : Quando dividitur puncta, lineæ, & superficies, de novo illas duas medietates hostiæ terminantes : Ergo si totum Christi corpus existat sub quolibet indivisibili hostiæ consecratæ, factâ illius divisione, erit de novo ubi antea non erat, absque nova consecratione.

Quidam ex nostris Thomistis, ut ab hac difficultate facilius se expediant, negant sequelam Majoris, & ad ejus probationem dicunt, doctrinam nostræ ultimæ conclusionis intelligendam esse solùm de illis indivisibilibus quæ aderant, dum facta fuit consecratio, non verò de aliis quæ ad partium divisionem postea resultant. Quare docent divisâ hostiâ in duas medietates, corpus Christi non existere sub illis punctis, lineis, & superficiebus, quibus de novo terminantur illæ duæ medietates hostiæ consecratæ. 44.

Alij verò dicunt, quod licèt per solam divisionem, sine nova consecratione, non possit corpus Christi per se primò incipere esse ubi antea non erat, benè tamen consecutivè, sive per naturalem resultantiam.

Sed melius responderi potest, negando sequelam Majoris, & Antecedens probationis illius : nam per divisionem hostiæ non producuntur de novo in ea aliqua indivisibilia ; sed ea solùm quæ ante fractionem hostiæ actu continuabant partes illius, & eas terminabant solùm in potentia, fiunt actu terminantia partes quæ de novo per divisionem resultant. Unde cùm corpus Christi, ex vi prioris consecrationis, esset sub omnibus indivisibilibus quæ partes hostiæ continuabant, non sequitur quod per divisionem hostiæ consecratæ, incipiat de novo existere in aliquibus indivisibilibus in quibus antea non erat, idque absque nova consecratione, sed solùm quod cùm ante divisionem hostiæ consecratæ esset in indivisibilibus ut continuantibus partes illius, postea existat in eisdem indivisibilibus, ut terminantibus partes quæ per divisionem hostiæ consecratæ resultant. 45.

ARTICULUS III.

Quid sit præsentia sacramentalis corporis Christi in Eucharistia, & ad quod prædicamentum pertineat ?

DE fide certum est, corpus Christi verè, realiter, & subsistantialiter, post consecrationem esse præsens sub speciebus, ut definit Tridentinum sess. 13. cap. 1. & nos supra disputatione procœmiali, pluribus Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum testimoniis, contra Calvinistas ostendimus. Verùm quid sit hæc præsentia sacramentalis, & ad quod prædicamentum pertineat, difficilè explicari potest, unde circa 46.

hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc varia sunt Authorum placita. Aliqui enim A asserunt, talem præsentiam esse relationem extrinsecùs advenientem, ex eo quod totum illius esse est ad aliud se habere, scilicet contineri à speciebus. Ita Scotus & ejus Discipuli. Alij censent præsentiam sacramentalem esse actionem reproducentem corpus Christi sub speciebus. Alij volunt esse actionem quam Christi corpus exercet in species ut instrumentum physicum divinitatis, eas conservando, & in suo esse continendo; existimant enim talem præsentiam esse similem illi quam Angelus habet ad corpora, quæ formaliter consistit in actione, quâ Angelus continet corpora. Ita docent quidam Recentiores, quos, suppresso nomine, citant Suarez, & Nuño. Alij, ut Suarez, & Aravius, dicunt præsentiam illam esse modum quendam accidentalem, ad prædicamentum ubi reducendum. Denique Nuño, & alij Recentiores Thomistæ, concedunt quidem talem præsentiam esse modum quendam corpori Christi superadditum, sed asserunt illum non esse accidentalem, sed substantialem, subindeque reductivè pertinere ad prædicamentum substantiæ, non verò ad prædicamentum ubi.

§. I.

Prima pars quæsiti triplici conclusione resolvitur.

47. DIco primò: præsentia sacramentalis non est C formaliter relatio.

Conclusio est omnino certa, Tum quia effectus formalis relationis non est reddere subjectum in quo est, præsens alicui, sed relatum & dicens ordinem ad illud. Tum etiam, quia cùm omnis relatio præsupponat aliquod fundamentum, relatio propinquitatis & præsentiæ quam dicit corpus Christi ad species, aliquod fundamentum in ipso supponere debet, quod non potest esse aliud quàm ipse modus præsentiæ; unde licèt præsentia sacramentalis sit fundamentum relationis propinquitatis & præsentiæ corporis Christi ad species, non est tamen formaliter ipsa relatio. Sicut licèt præsentia localis quam idem corpus Christi habet in cœlo, importet relationem propinquitatis & indistantiæ corporis Christi ad cœlum, in ea tamen relatione formaliter non consistit, sed in ubi quod in eo resultat ex circumscriptione seu circumadjacentia loci.

Dico secundò corpus Christi non fieri formaliter præsens speciebus Eucharisticis, per conversionem substantiæ panis in ipsum, vel actionem aliquam quâ conservat species sacramentales, & eas in suo esse continet.

48. Prima pars patet, quia effectus formalis actionis productivæ, non est constituere terminum in loco, sed solùm communicare illi esse: Ergo licèt actio conversiva substantiæ panis in corpus Christi, det illi esse sacramentale sub speciebus, non tamen est ipsa præsentia sacramentalis, sed solùm causa & fundamentum illius. E

49. Secunda verò pars suadetur: Corpus Christi cùm sit ex se divisibile, ut constituatur positivè indivisibiliter sub speciebus, constitui debet per aliquid in se receptum: Sed actio instrumentalis quâ corpus Christi conservat species sacramentales, & eas in suo esse continet, cùm sit transiens, non est in corpore Christi, sed in passo, scilicet speciebus quæ conservantur: Ergo per illam corpus Christi non potest constitui formaliter præsens speciebus Eucharisticis. Præterquam quod valde incertum est, an corpus Christi assumatur à Deo ut instrumentum ad conservandas tales species.

Dico tertiò, præsentiam sacramentalem corporis Christi sub speciebus, esse modum aliquem additum corpori Christi, supernaturalem quoad substantiam.

Probatur prima pars: Corpus Christi esse indivisibiliter præsens sub speciebus, est effectus 50. realis de novo in ipso corpore, qui antea non erat: Ergo debet provenire ab aliqua forma illi addita: Non realiter distincta, quia necessaria non est: Ergo modaliter tantùm. Antecedens est certum, prima verò consequentia in qua solùm B potest esse difficultas, ex eo probatur quòd impossibile sit aliquid alio modo se habere nunc quàm antea, niti per aliquam sui mutationem, subindeque per alicujus entitatis vel modi receptionem.

Secunda verò pars, quæ asserit modum illum 51. præsentiæ sacramentalis, substantiæ Christi superadditum, esse supernaturalem quoad substantiam, patet: Tum quia nulli substantiæ creatæ vel creabili potest esse connaturalis: Tum etiam, quia est modus substantiæ corporeæ & quantitativæ, & tamen facit existere corpus Christi indivisibiliter. Addo quod est modus resultans ad actionem maximè supernaturalem, nempè transubstantiationem, & est quædam imitatio & participatio divinæ immensitatis; quia sicut Deus, ratione suæ immensitatis, nullo loco definitur aut limitatur; ità corpus Christi per præsentiam sacramentalem, ita est in una hostia, & in uno altari, quòd non definitur & limitatur ut non sit in aliis, quin potiùs in infinitis syncategorematicè reperiri potest, cùm virtus Dei convertentis panem in ipsum, infinita sit.

§. II.

Alia difficultas expeditur.

DIco quartò, modum præsentiæ sacramentalis quem Christus habet sub speciebus D Eucharisticis, non esse accidentalem, sed substantialem, subindeque ad prædicamentum substantiæ reductivè pertinere.

Probatur primò: Ille modus est substantialis 52. qui habet effectum substantialem: Sed modus iste habet effectum substantialem: Ergo substantialis est. Major constat, quia effectus formalis est ipsa forma, ut communicata subjecto. Minor autem probatur: Existere substantialiter, seu modo substantiali, eo nimirum quo substantia postulat existere, est effectus substantialis: Sed per istum modum corpus Christi existit modo substantiali: Ergo ille effectum substantialem habet. Major probatur, Tum quia modus existendi debet proportionari rei existenti, & ideò modus existendi accidentium est accidentalis: Ergo modus existendi substantiæ, erit substantialis. Tum etiam quia quod prævenit omnia accidentia non potest non esse substantiale: Sed modus ille quo substantia existit sub dimensionibus prævenit omnia accidentia; cùm præveniat ipsam quantitatem, eò quòd à nobis concipiatur ut medium inter substantiam & quantitatem & ipsa quantitas, utpotè prima passio substantiæ corporeæ, & ratio recipiendi alia accidentia, illa præveniat: Ergo, &c. Minor verò docetur communiter à Theologis cum D. Thoma hìc

hìc art. 5. ubi sit ait: *Corpus Christi non est in* A *hoc sacramento, sicut in loco, sed per modum substantiæ, eo scilicet modo quo substantia continetur à dimensionibus: succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento, substantiæ panis; unde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ita nec substantia corporis Christi.* Ratio etiam suffragatur: Nam esse ad modum substantiæ est esse totum sub tota quantitate, & totum sub qualibet parte: Sed corpus Christi est totum sub tota quantitate panis, & totum sub qualibet ejus parte: Ergo est sub illa per modum substantiæ.

53. Probatur secundò conclusio: Præsentia sacramentalis corporis Christi sub speciebus, non B pertinet ad prædicamentum ubi: Ergo reduci debet ad prædicamentum substantiæ. Consequentia patet, cùm enim talis præsentia non pertineat ad prædicamentum relationis, vel actionis, ut §. præcedenti ostensum est, nec supersit aliud prædicamentum ad quod possit reduci, præter substantiam, vel ubi, si non pertineat ad prædicamentum ubi, manifestum est quod debeat revocari ad prædicamentum substantiæ. Antecedens ergo in quo est tota difficultas probatur: Tum quia supremum genus prædicamenti ubi, est ubi circumscriptivum, ut ex definitione Gilberti colligitur: Sed præsentia sacramentalis non est aliquod ubi circumscriptivum, ut de fide certum est: Ergo non continetur sub prædicamento C ubi. Tum etiam, quia ad tale prædicamentum non pertinet quicumque modus præsentiæ, sed ille tantùm ratione cujus res denominatur existens in loco: Sed ratione præsentiæ sacramentalis corpus Christi non potest dici esse in loco: Ergo talis præsentia ad prædicamentum ubi non pertinet. Major est evidens, quia neque præsentia quâ duo corpora divinitùs sese penetrantia, denominantur sibi mutuò præsentia, est ubi, neque illa quâ materiâ denominatur præsens formæ, vel forma materiæ, neque ea quâ accidens denominatur præsens subjecto cui inhæret, aut Angelus corpori circa quod operatur, ut ostendimus in Tractatu de Angelis disputatione 4. art. 1. §. 8. Minor verò est D. Thomæ articulo D suprà citato, ubi expresè dicit corpus Christi non esse in hoc sacramento tanquam in loco, & nullo modo hìc existere localiter. Ratio etiam id suadet: Duplex enim tantùm est modus essendi in loco, circumscriptivus scilicet, & definitivus: Sed neutro ex his modis corpus Christi est sub speciebus: non quidem primo, quia est totum sub tota hostia, & totum sub qualibet parte; nec etiam secundo, quia quod est definitivè in aliquo loco, ita est in illo ut non sit alibi: Sed corpus Christi non ita est sub una hostia, ut non possit esse simul sub aliis: Ergo non est in una hostia definitivè. Unde Sanctus Doctor eodem articulo, in resp. ad 1. sic ait: *Corpus Christi* E *non est in hoc sacramento definitivè, quia sic non esset alibi quàm in hoc altari ubi consicitur hoc sacramentum; cùm tamen sit & in cœlo in propria specie, & in multis altaribus sub specie sacramenti. Similiter etiam patet, quod non est in hoc sacramento circumscriptivè, quia non est ibi secundum commensurationem propriæ quantitatis.*

§. III.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò: D. Thomas in 4. dist. 10. 54. qu. 1. art. 3. quæstiunc. 1. sic ait: *Comparatio Christi ad species sub quibus est, non est similis alicui comparationi naturali, & ideò non potest reduci, propriè loquendo, ad aliquem modorum à Philosopho assignatorum. Tamen habet aliquam similitudinem cum illo modo quo aliquid dicitur esse in loco, secundum quod esse in loco, est esse in aliquo sepratо extra substantiam suam quod non est causa ejus. Et secundum hoc etiam Innocentius dicit corpus Christi esse in pluribus locis, quod continetur sub pluribus speciebus:* Ergo D. Thomas censet, præsentiam sacramentalem quam corpus Christi habet sub speciebus, reductivè pertinere ad prædicamentum ubi, non verò ad prædicamentum substantiæ.

Sed nego consequentiam: quamvis enim D. 55. Thomas dicat hanc præsentiam sacramentalem habere aliquam similitudinem & analogiam cum ubi corporeo, quatenus scilicet provenit ab aliquo extrinseco, nimirum à conversione substantiæ panis in corpus Christi; sicut ubi corporeum, juxta Gilbertum Porretanum, resultat ex circumscriptione loci; non tamen propterea censet, talem præsentiam pertinere ad prædicamentum ubi; quin potiùs, cùm asserat loco suprà citato, Christum esse in hoc sacramento per modum substantiæ, & hanc præsentiam esse similem illi quâ substantia denominatur præsens suis dimensionibus, existimat illam esse substantialem, subindeque ad prædicamentum substantiæ, reductivè saltem, pertinere, non verò ad prædicamentum ubi.

Objicies secundò: Modus qui advenit sub- 56. stantiæ in suo ultimo actu substantiali constitutæ, non est substantialis, sed accidentalis: Atqui præsentia sacramentalis advenit corpori Christi in suo ultimo actu substantiali constituto: Ergo illa non est modus substantialis, sed accidentalis. Major certa videtur, quod enim advenit enti in ultimo actu substantiali constituto, advenit ipsi ut non ulteriùs perfectibili per alium actum substantialem, subindeque est accidens. Minor verò sic ostenditur: Existentia est ultima actualitas lineæ substantialis: Sed præsentia sacramentalis advenit corpori Christi ut existenti: Ergo advenit ipsi, ut in suo ultimo actu substantiali constituto.

Respondeo dupliciter aliquem modum dici 57. substantialem, propriè scilicet & impropriè. Dicitur propriè substantialis, quando pertinet ad constitutionem ipsius compositi substantialis, intra lineam substantiæ spectati, quo pacto modus unionis inter materiam & formam, & modus unionis inter Verbum & humanitatem, in opinione illorum qui tales modos admittunt, possunt dici substantiales; & similiter subsistentia & existentia; & in hoc sensu non asserimus præsentiam sacramentalem corporis Christi sub speciebus, esse substantialem, quod solùm convincit argumentum. Secundò ergo potest dici modus aliquis impropriè substantialis, quia scilicet immediatè afficit ipsam substantiam, & antecedit ipsam quantitatem, subindeque omnia alia accidentia substantiæ corporeæ, & afficit substantiam modo proprio ipsi substantiæ, idque ex vi alicujus actionis

Universidad de Deusto
Biblioteca

substantialis, terminatæ ad substantiam, sub illo A
modo substantiali, & indivisibili; & in hoc sensu dicimus præsentiam sacramentalem corporis Christi sub speciebus, esse substantialem, ut constat ex suprà dictis.

58. Dices, Nullus modus potest dici sive propriè sive impropriè substantialis, si non pertineat intrinsecè ad constitutionem substantiæ: Sed modus iste præsentiæ sacramentalis non pertinet intrinsecè ad constitutionem corporis Christi, ut nos asserimus: Ergo nec propriè substantialis dici potest. Major patet, tum inductione factâ per omnes modos substantiales quos admittunt Philosophi, ut subsistentiam, existentiam, &c. Tum etiam, quia si non pertineat ad constitutionem substantiæ, effectus illius non potest esse substantialis: Ergo nec ipse modus erit substantialis. B

59. Respondeo distinguendo Majorem: Nullus modus connaturalis substantiæ, cujusmodi sunt subsistentia & existentia, potest dici substantialis, si non pertineat intrinsecè ad constitutionem substantiæ, transeat. Nullus modus supernaturalis, qualis est præsentia sacramentalis corporis Christi sub speciebus, nego. Hoc ipso enim quòd supernaturalis est, debet supponere substantiam cui advenit jam completam; subindeque ut habentem omne suum complementum substantiale.

60. Ex his facilè solvitur argumentum aliàs difficile, quod objici potest ab hæreticis, ad probandum corpus Christi non posse simul poni in pluribus altaribus sacramentaliter, sive plures præsentias sacramentales simul habere. Implicat enim contradictionem, in sententia S. Thomæ, quòd duo accidentia solo numero distincta sint in eodem subjecto: Sed duæ vel plures præsentiæ sacramentales inter se solo numero differunt: Ergo in eodem Christi corpore simul esse non possunt. C

Huic, inquam, argumento ex principiis jam statutis facilè respondetur, negando scilicet id quod in Minori supponitur, nimirum præsentias sacramentales corporis Christi in Eucharistia, esse plura accidentia solo numero diversa; illæ enim præsentiæ, nec sunt accidentia, nec distinguuntur solo numero, sed specie: sicut enim duæ species intentionales, repræsentantes duo objecta solo numero distincta, distinguuntur specie, quia ex eo quòd quælibet repræsentat hoc numero objectum, dicit essentialem habitudinem ad tale objectum in individuo, subindeque distinguuntur inter se essentialiter & specificè: ita etiam quia præsentia sacramentalis corporis Christi sub speciebus, dicit essentialem ordinem ad has numero species (ex eo quod effectus formalis & essentialis ipsius est, facere præsens corpus Christi sub his numero speciebus, relictis ex substantia quæ fuit terminus à quo conversionis) consequenter plures præsentiæ sacramentales distinguuntur plusquam numero, quia distinguuntur essentialiter, & consequenter specie. D

61. Ex dictis etiam intelliges, præsentiam sacramentalem corporis Christi sub speciebus, duas habere conditiones, unam in qua convenit cum præsentia rei spiritualis, alteram in qua excedit illam. Convenit in eo, quod utraque modo indivisibili facit rem præsentem (scilicet totam in toto, & totam in qualibet parte) excedit autem in eo quod *ubi* seu præsentia rei spiritualis licèt sit indivisibilis, tamen quia oritur à virtute finita & limitata, ita coarctatur & limitatur ad certam distantiam & locum, quòd ultra illam sphæram non est, & ideò vocatur *ubi* definitivum: At verò præsentia sacramentalis corporis Christi sub speciebus, oritur ex virtute infinita Dei, convertentis panem in ipsum, unde ita Christus est in una hostia & in uno altari, quòd non definitur & limitatur, ut non sit in aliis, atque ita non est *ubi* definitivum, sicut præsentia Angeli, licèt sit modo indivisibili, sed vocatur præsentia sacramentalis, quia ita est indivisibiliter & totaliter in qualibet hostia, & in qualibet parte illius, quòd etiam in aliis hostiis & altaribus esse potest, si ibi consecretur panis. E

62. Quæres, an ex vi hujus præsentiæ maneat corpus Christi unitum speciebus?

Respondeo affirmativè: Ut enim dicemus articulo sequenti, Christus movetur ad motum speciorum: nisi autem ponatur aliquis nexus inter species, Christus non poterit moveri ad motum illarum, quia nihil movetur ad motum alterius, nisi illi aliquo modo conjunctum sit. Unde Damascenus lib. 4. fidei cap. 14. ait: *Quia consuevit est hominibus comedere panem & vinum, conjugavit eis divinitatem, & fecit ea Corpus & Sanguinem suum.* Quod exponens S. Thomas in 4. dist. 11. qu. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 1. dicit, *Quod verbum Damasceni intelligendum est quantum ad species, quibus corpus Christi divinitati unitum, modo ineffabili conjungitur.* Ait, *modo ineffabili*, quia qualis sit hæc unio corporis Christi cum speciebus, difficilè explicari potest; non enim est unio formæ cum materia, vel accidentis cum subjecto, aut agentis cum passo, vel suppositi cum natura, ut de se patet; ad quod ergo genus unionis reducitur? Respondeo illam esse singularem, & sine exemplo in natura; assimilari tamen illi quâ unum corpus penetrativè est intra aliud nam sicut unum corpus penetrans aliud, est intra terminos quantitatis ipsius, & ipsâ penetratione illi copulatur, nec potest ab eo divelli, nisi illo destructo: ita Christus per præsentiam sacramentalem ita intra terminos quantitatis panis manet, ut ab illa separari nequeat, nisi corruptis vel destructis ipsis speciebus; non dicitur tamen propriè & in rigore esse penetrativè sub illis, quia non est modo quantitativo in Eucharistia, & sic non indiget penetratione, ut ponatur sub quantitate panis. Unde aptius esset exemplum, si una substantia sine quantitate intra terminos alterius poneretur; tunc enim intra terminos illius esset, sed modo quodam inextenso & indivisibili. Quare D. Thomas suprà quæst. 75. art. 1. ad 3. docet corpus Christi esse in Eucharistia, *quodam speciali modo, qui est proprius huic sacramento.* Ubi Cajetanus in fine commentarij ait: *Meritò demum modus iste dicitur proprius huic sacramento, non solum propter differentiam à reliquis sacramentis, sed etiam quia in toto universo non appareat unus aliquis modus huic similis: Propter quod cùm admiratione & veneratione fateamur defectum cognitionis nostræ circa hoc.* 63.

Quæres secundò, an præsentia sacramentalis Christi pendeat ab ejus præsentia naturali, ita ut repugnet Christum habere modum essendi sacramentalem, antequam per incarnationem habuerit modum essendi naturalem?

Respondeo affirmativè cum Cajetano hic art. 2. ubi oppositum vocat chimæram, atque esse admiratio

admiratione dignum quòd à Scoto doceatur. A
Ratio est, quia esse sacramentale est esse tantùm secundùm quid, & cum addito, scilicet sub speciebus Eucharisticis, unde transubstantiatio non est actio productiva corporis Christi simpliciter absolutè, sed tali modo, nimirum sub speciebus, ut disputatione præcedenti art. 2. conclusione ultimâ ostensum est: esse verò naturale quod Christus habet in propria specie est esse absolutum & simpliciter: At esse secundùm quid, seu tali modo, supponit esse absolutè & simpliciter: Ergo repugnat corpus Christi esse sacramentaliter in Eucharistia, nisi priùs saltem naturâ habeat modum existendi naturalem.

64. Confirmatur: Corpus Christi est sacramentaliter in Eucharistia, per conversionem panis in ipsum: Sed ad hoc ut substantia panis convertatur in corpus Christi, exigitur necessariò quòd corpus Christi priùs saltem naturâ existat, quia nihil potest converti in id quod non est: Ergo ad hoc ut Christus sit præsens sacramentaliter in Eucharistia, oportet quod habeat, saltem priùs naturâ, modum essendi naturalem in seipso. B

65. Confirmatur ampliùs: Præsentia Christi sacramentalis causatur efficienter à Christo posito in esse naturali, cùm humanitas Christi sit instrumentum conjunctum Divinitati, ad conversionem substantiæ panis in corpus Christi: Sed omnis causa est prior saltem naturâ suo effectu: Ergo præsentia Christi sacramentalis, prioritate saltem naturæ, supponit modum essendi naturalem in seipso. C

ARTICULUS IV.

An Christus in Eucharistia possit moveri localiter, & agere vel pati actione corporeâ?

66. Dico primò, Christus in Eucharistia non potest moveri per se motu locali, benè tamen per accidens, ad motum speciorum sacramentalium. Ita D. Thomas hic art. 6. ubi sic ait: *Secundum hoc esse (sacramentale) non movetur Christus per se secundum locum, sed solum per accidens; quia Christus non est in hoc sacramento sicut in loco; quod autem non est in loco, non movetur per se in loco, sed solum ad motum ejus in quo est.* Quibus verbis S. Doctor utramque partem nostræ conclusionis & docuit & probavit. Primam quidem hac ratione quam insinuat. Illud quod non est in loco, non potest per se moveri localiter: Sed Christus non est in hoc sacramento tanquam in loco: Ergo non potest in eo per se moveri localiter. Minor probata fuit à D. Thoma articulo 5. præcedenti in corp. ubi sic discurrit: *Corpus Christi non est in hoc sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensivæ, sed magis secundum modum substantiæ: omne autem corpus locatum est in loco secundum modum quantitatis dimensivæ, inquantum scilicet commensuratur loco secundum suam quantitatem dimensivam: unde relinquitur quod corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ, eo scilicet modo quo substantia continetur à dimensionibus, succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento, substantiæ panis; unde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ita nec substantia corporis Christi.* Major verò suadetur, Primò quia moveri localiter est mutare locum, seu relinquere unum locum & acquirere alium: Ergo quod non est in loco, non potest per se moveri localiter. Secundò, Quod per se & non ratione alterius movetur, debet per se recipere terminum talis motûs: Sed illud quod non est per se in loco, non potest recipere terminum motûs localis, quia hic in corporibus non est aliud quàm *ubi*, quod non resultat nisi ex adjacentia loci: Ergo quod non est per se in loco, non potest per se moveri localiter. D

Ex his confutata manet quorundam Recentiorum sententia, asserentium Christum, ut est in sacramento, non posse quidem se movere & moveri motu progressivo, benè tamen motu simplici, sicut gravia feruntur deorsum. Nam sicut ad motum progressivum corporum, requiritur ut una pars moveatur ante aliam, & consequenter sit in diverso loco; ita ad motum simplicem quo gravia feruntur deorsum, requiritur ut una pars priùs occupet unam partem loci, quàm altera; & ut id quod per se movetur tali motu, partim sit in termino à quo, & partim in termino ad quem: Ergo eadem est ratio de uno ac de alio. 67. E

Secunda etiam pars conclusionis quam negat Durandus in 4. dist. 10. quæst. 3. ubi docet corpus Christi in Eucharistia non moveri etiam per accidens ad motum speciorum, probatur ratione à D. Thoma indicatâ. Nam corpus Christi continetur sub speciebus eo modo quo continebatur substantia panis: Sed substantia panis ita continebatur, ut moveretur motis speciebus: Ergo pariter corpus Christi per accidens movetur ad motum speciorum, unde dicitur portari in processionibus, deferri ad infirmos, elevari à Sacerdotibus post consecrationem, & similia quæ sine motu locali explicari nequeunt. 68.

Observandum tamen est diligenter, quod cùm species non inhæreant corpori Christi, sicut inhærebant substantiæ panis, inde fit ut licèt substantia panis esset in loco ratione specierum, & reciperet motum in se, ad motum specierum, non tamen corpus Christi. Nam quod ita movetur per accidens, ut in seipso recipiat motionem localem, debet etiam recipere terminum illius motûs, scilicet *ubi*, seu præsentiam localem, ut patet in homine existente in navi, qui immotus manens in se, ita movetur per accidens ad motum navis, ut recipiat in se terminum illius motûs, scilicet ubi: Atqui corpus Christi in hoc sacramento, nullam habet præsentiam localem seu *ubi*, ut articulo præcedenti ostendimus, sed sacramentalem tantùm, quæ omnino invariata manet, quandiu remanent eædem species, quantumcumque aliunde localiter moveantur: Ergo quamvis corpus Christi per accidens moveatur ad motum specierum, non tamen in se recipit motum localem, sed ille recipitur in solis speciebus. 69.

Contra hanc secundam partem nostræ conclusionis objici potest primò cum Durando: Corpus Christi in hoc sacramento, nec per se nec per accidens potest calefieri aut frigefieri, ad calefactionem vel frigefactionem specierum, nec frangi ad illorum fractionem: juxta illud quod canitur in Prosa Missæ corporis Christi. 70.

Nulla rei fit scissura,
Signi tantùm fit fractura,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quâ nec status nec statura
Signati minuitur.
Et rursus.
A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur.

Ergo nec corpus Christi potest dici moveri localiter ad motum specierum.

71. Sed facilè respondetur, negando consequentiam & paritatem. Nam sicut anima licèt calefacto corpore, nullo modo calefiat, moto tamen localiter corpore, ipsa per accidens movetur, ut docet D. Thomas 1. parte quæst. 75. art. 1. ad 1. Ita corpus Christi, licèt non calefiat, calefactis speciebus, his tamen localiter motis, per accidens movetur; quia ad primum requiritur, ut calorem & calefactionem in se recipiat; ad secundum verò sufficit ut sit contentum in eo quod per se movetur.

Ad id quod dicitur de fractione, plures sunt qui admisso Antecedente, negant etiam consequentiam & paritatem, quia (inquiunt) divisio importat aliquam alterationem quæ non potest competere corpori Christi, prout est in hoc sacramento, sicut calefactio. Meliùs tamen respondetur, negando Antecedens, nullum enim inconveniens est admittere corpus Christi propriè loquendo frangi secundùm præsentiam sacramentalem quam habet sub speciebus panis: Apostolus enim 1. ad Corinthios 10. dum refert C institutionem hujus sacramenti, hunc modum loquendi usurpat, dicens: *Panis quem frangimus.* Et in professione fidei Berengarij, Canone *Ego Berengarius* de Consecratione, distinctione 2. sic dicitur: *Corde & ore profiteor, verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.* Item Sanctus Thomas quæst. 77. sequenti art. 7. ad 3. hæc scribit: *Corpus Christi non manducatur in sua specie, sed in specie sacramentali ..... & ideò non frangitur nisi secundùm speciem sacramentalem.* Id rectè explicat Granados Tractatu 6. disputatione 1. sectione 1. numero 11. his verbis: *Non dicitur frangi Christus Dominus, quasi in partes sui dividatur, sed quia totus à seipso separatur, cum species dividuntur. Cùm enim ipse sit totus sub qualibet parte specierum, & dum species sunt continuæ, ipse quoque habeat præsentiam continuam sub illis, quando destruitur continuatio specierum, & una pars separatur ab altera, ob idque dicuntur propriè accidentia dividi & frangi, destruitur etiam continuatio præsentiæ Christi Domini; & ipse prout est sub una parte, sejungitur à seipso, prout est sub alia, & ad diversa loca defertur; & ideò propriè dicitur frangi & dividi, non fractione quæ cadat supra partes ejus; sed supra totum ipsum; quatenus diversis partibus specierum adest, & ideò nullo modo derogat incorruptioni Christi.* E Unde quando in Prosa Missæ de corpore Christi; Christus dicitur *non concisus, non confractus, non divisus*, hoc debet intelligi secundùm esse naturale quod habet in propria specie, non verò de esse sacramentali quod habet in Eucharistia.

Dico secundò, Corpus Christi, prout est in hoc sacramento, nec agere nec pati potest actione corporeâ. Ita communiter docent Theologi cum D. Thoma infrà quæst. 81. art. 4. contra Nominales, asserentes omnem actionem tam corporalem quàm spiritualem, quam potest habere corpus Christi ut in propria specie, posse etiam habere, prout est in sacramento, passis æqualiter dispositis.

Probatur conclusio ratione fundamentali: 72.
Omnis actio & passio corporea requirit in agente & patiente extensionem localem & quantitatem: At corpus Christi in Eucharistia non est extensum localiter, sed in ea existit modo indivisibili & inextenso: Ergo prout est in hoc sacramento, incapax est omnis actionis & passionis corporeæ. Minor est certa de fide, Major verò ex eo patet, quòd agentia corporea non agunt, nisi mediis potentiis & organis, quæ non sunt proximè & formaliter apta ad agendum, sine B quantitate & extensione locali.

Confirmatur: Nullum corpus potest naturali 73.
virtute agere in aliud, aut ab eo pati, nisi illud contingat, ut enim ait S. Doctor 1. p. quæst. 45. art. 5. in fine corporis: *Nullum corpus agit, nisi tangendo vel movendo:* Sed corpus Christi prout est in Eucharistia, nec aliud tangere, nec ab alio tangi potest, quia contactus quantitativus supponit extensionem localem utriusque corporis sese tangentis, ut patet: Ergo corpus Christi prout est in sacramento, neque agere potest in aliud corpus actione corporeâ, neque ab alio corpore pati.

Confirmatur ampliùs: Actio transiens & pas- 74.
sio recipiuntur in passo, unde fit ut necessariò C recipiantur ad modum patientis, & consequenter participent modum existendi illius: Sed nulla actio vel passio corporea, potest habere modum existendi, qui competit corpori Christi in Eucharistia, cùm in ea existat modo inextenso & indivisibili: Ergo corpus Christi, ut est in hoc sacramento, est incapax omnis actionis & passionis corporeæ. Potest tamen in eo elicere actus intellectûs, per scientiam beatam, vel infusam, subindeque actûs voluntatis ad illos consequentes; cùm intellectio & volitio non egeant necessariò ministerio sensuum, vel conversione ad phantasmata, ut patet in anima separata à corpore.

An verò in hoc sacramento sensationem ali- 75.
quam externam, putà visionem, elicere possit, D difficultas & controversia est inter Theologos: Nominales enim, & quidam alij, id absolutè concedunt. Mihi tamen asserendum videtur, id naturaliter esse impossibile: quia species necessariæ ad operationes sensuum, sunt materiales, & naturaliter petunt extensionem; & ipsæ potentiæ sensitivæ, cùm sint organicæ, non possunt naturali virtute exire in operationem, sine eadem extensione in ordine ad locum, ex eo quòd requirant contactum quantitativum medij, deferentis speciem ab objecto ad potentiam. Quia tamen extensio localis est solùm conditio in objecto visibili, & in oculo, videtur divinâ virtute supplebilis, ut dicemus articulo sequenti; ac proinde probabile & credibile est Christum in Eucharistia, oculo corporis videre supernaturaliter fideles qui ibi adsunt, & quæ coram sacramento agunt, juxta illud Sponsæ Cantic. 2. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*, Specierum sacramentalium: alioquin si Christus sub speciebus Eucharisticis existens, nullam vitæ sensitivæ operationem exerceret, corpus Christi gloriosum & immortale, modo quodam mortuo in hoc sacramento existeret, & ibi esset quasi lapis, aut aliud insensibile.

Addo

Addo quod cùm probabile sit, Christum è A habere oculos illuminatos fidei. Et D. Bernardus cœlo oculo corporis (sicut è terra ipsum vidit Stephanus stantem in cœlo) videre omnia quæ sunt & aguntur in terra; asserere etiam debemus, hanc visionem per concomitantiam eidem in hoc sacramento existenti convenire, & ex sacramento illa omnia videre, ut rectè annotavit Serra hic art. 7. in fine.

76. Contra istam conclusionem, & præcipuè contra id quod diximus, Christum in hoc sacramento esse incapacem omnis passionis corporeæ, ab extrinseco agente illatæ, fieri potest hoc argumentum: Christus, ut est in hoc sacramento, potest mori: Ergo & pati. Consequentia videtur manifesta ex paritate rationis, eadem B enim videtur ratio de passione & de morte. Antecedens verò expresè docetur à D. Thoma infrà quæst. 81. art. 4. ubi asserit, quòd si hostia consecrata mansisset tempore passionis, quando Christus moriebatur in cruce, mortuus etiam fuisset in hostia. Ergo juxta doctrinam Divi Thomæ, Christus ut est in hoc sacramento, potest mori.

77. Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem, quia ut ibidem discurrit S. Doctor: *Corpus Christi idem in substantia est in hoc sacramento & in propria specie, sed non eodem modo. Nam in propria specie contingit circumstantia corpora per proprias dimensiones, non autem prout est in hoc sacramento; & ideò quidquid pertinet ad Christum secundùm quod in se est, potest attribui ei, & in propria specie & in sacramento existenti; sicut vivere; mori, dolere, animatum esse, & cætera hujusmodi. Quæcumque verò conveniunt ei per comparationem ad corpora extrinseca, possunt ei attribui in propria specie existenti, non autem prout est in sacramento: sicut irrideri, conspui, crucifigi, flagellari, & cætera hujusmodi.* Et rursus, cùm sibi primo loco objecisset, quòd Christus, ut est in hoc sacramento, non potest pati: Ergo nec mori. Respondet, negando consequentiam & paritatem: *Quia* (inquit) *passio convenit corpori passo per comparationem ad agens extrinsecum, & ideò Christus, secundum quod est sub hoc sacramento, pati non potest, potest tamen mori.*

78. Adverte tamen, quòd quando dicitur, Christum ut est in Eucharistia posse mori, hoc non debet intelligi de morte ipsi illata, prout est in hoc sacramento, cùm enim in eo, modo inextenso & indivisibili, subindeque impassibili, existat, non potest in eo statu, ipsi ab aliquo agente extrinseco mors inferri: Sed de morte illatâ ipsi ut existenti in propria specie: cùm enim idem numero sit corpus Christi sub utroque statu, eo ipso quod moreretur in propria specie, consequenter etiam vel concomitanter, ut in hoc sacramento mori deberet.

ARTICULUS V.

An repugnet de potentia absoluta oculum corporeum elevari ad videndum corpus Christi in sacramento?

79. DUplex est oculus: alter corporalis, propriè dictus; alter spiritualis, nimirum intellectus, qui metaphoricè & per similitudinem dicitur oculus. Sic ad Ephes. 1. fideles dicuntur

habere oculos illuminatos fidei. Et D. Bernardus serm. 2. de Epiphania, fidem appellat oculatam, eamque lynceos habere oculos affirmat: *Videte* (inquit) *quàm oculata sit fides, quam lynceos oculos habeat diligenter considerate.* Si sermo sit de oculo corporeo, certum & indubitatum esse debet, ipsum non posse naturaliter videre Christum, existentem in Eucharistiæ sacramento; quia nullum objectum potest naturaliter videri, nisi similitudinem sui diffundere possit per medium in potentiam: corpus autem Christi, ut in sacramento existens speciem sui per medium diffundere nequit, de potentia saltem ordinaria; tùm quia non potest agere ad extra, ut articulo præcedenti ostendimus: tùm etiam, quia hæc emissio exigit naturaliter extensionem, & contactum quantitativum medij, quæ non competunt corpori Christi in Eucharistia. Si verò de oculo spirituali, scilicet intellectu, loquamur; docent communiter Theologi contra Ocham & Gabrielem, corpus Christi, prout est in Eucharistia, non posse cognosci naturaliter ab intellectu humano, corpori conjuncto: quia intellectus viatoris nihil potest naturaliter cognoscere, nisi quod sensus percepit; naturalis quippè modus intelligendi ipsius, pro hoc statu, est per species à sensibus desumptas, unde nihil potest esse in intellectu, quin priùs fuerit in sensu: Sed corpus Christi sacramentaliter existens, non est naturaliter sensu perceptibile: Ergo nec intellectu humano, corpori conjuncto.

Asserunt etiam Thologi contra Scotum, nul- 80.
lum intellectum creatum, etiam angelicum, posse naturali virtute cognoscere modum præsentiæ sacramentalis, quo corpus Christi existit in Eucharistia; quia hic modus est supernaturalis quoad substantiam, ut art. 2. ostendimus; unde sicut unio hypostatica, gratia, & reliqui habitus supernaturales, non sunt naturaliter cognoscibiles ab intellectu creato, ita nec modus ille præsentiæ sacramentalis. Quare licèt dæmon non videat substantiam panis in Eucharistia, non tamen statim inferre potest, adesse corpus Christi realiter in tali sacramento; quia illa substantia, etsi ordinis naturalis, potest divinitùs Dæmoni occultari; quemadmodum in Tractatu de Incarnatione diximus, quòd quamvis Angelus non videat in humanitate Christi subsistentiam propriam & creatam, non potest tamen (seclusâ revelatione Dei, qui illi manifestet humanitatem in verbo subsistere) certò & evidenter cognoscere humanitatem Christi ad increatam Verbi subsistentiam elevatam esse; quia rationabiliter dubitare potest, an Deus, utendo potentiâ suâ absolutâ, subsistentiam creatam & propriam humanitatis Christi ipsi occultet, sive concursum ad illam cognoscendam deneget. *Disp. 2. art. 2.*

Demum exploratum est apud omnes, præsen- 81.
tiam sacramentalem corporis Christi in Eucharistia, posse supernaturaliter cognosci per fidem, vel per scientiam infusam, aut per visionem beatam. Unde S. Thomas hic artic. 7. *Corpus Christi secundum modum essendi quem habet in hoc sacramento, neque sensu, neque imaginatione perceptibile est, sed intellectu, qui dicitur oculus spiritualis. Percipitur autem diversimodè à diversis intellectibus. Quia enim modus essendi quo Christus est in hoc sacramento, est penitùs supernaturalis, à supernaturali intellectu, scilicet divino, secundum se visibilis est, per consequens ab*

Universidad de Deusto
Biblioteca

intellectu beato, vel Angeli, vel hominis, qui secundum participatam claritatem divini intellectûs videt ea quæ supernaturalia sunt, per visionem divinæ essentiæ: ab intellectu autem hominis viatoris non potest conspici nisi per fidem, sicut & cætera supernaturalia. Solùm ergo difficultas est & controversia inter Theologos, an sicut oculus mentis, scilicet intellectus, potest supernaturaliter evehi ad videndum corpus Christi in Eucharistia, visione spirituali & intellectiva; ita oculus corporis ad illud intuendum visione corporea & sensitiva, de potentia Dei absoluta, elevari possit?

Negant Capreolus, Paludanus, Joannes à S. Thoma, Suarez, Granado, & alij. Affirmant Soto, Nuño, Sylvius, Marcus à Serra, Martinez à Prado, Vazquez, Valentia, Coninx, & alij plures.

§. I.

Hæc sententia ut probabilior eligitur.

Dico igitur, oculum corporeum supernaturaliter elevari posse ad videndum corpus Christi ut existens in sacramento, non tamen ad videndum ipsum modum quo in eo existit supernaturaliter.

82. Probatur primò ex D. Thoma hîc artic. 7. ad 2. ubi hæc scribit: *Oculus Christi videt seipsum sub sacramento existentem, non tamen potest videre ipsum modum essendi quo est sub sacramento, quod pertinet ad solum intellectum; nec tamen est simile de altero oculo glorioso, quia etiam oculus Christi est sub hoc sacramento, in quo non conformatur ei oculus gloriosus:* Ergo juxta D. Thomam nulla est implicantia in hoc quòd corpus Christi dicatur posse videri in hoc sacramento oculo corporeo.

83. Respondet primò Capreolus, non esse sic legendum, sed alio modo, scilicet, *Oculus Christi videt seipsum sub sacramento existentem, quantum pertinet ad intellectum.* Verùm, ut notat Soto, Capreolus incidit in mendosum codicem, nam in omnibus emendatis editionibus Summæ Divi Thomæ, non solùm in Romana, sed etiam in Parisiensi, Lugdunensi, Colonensi, & Antuerpiensi, verba prædicta leguntur.

Respondent alij, hunc locum D. Thomæ ita esse explicandum, ut hoc quod dicit, *sub sacramento*, non sit jungendum cum objecto, sed cum subjecto, & sensus sit, quòd Christus sub sacramento, videt seipsum existentem, non tamen sub sacramento, sed in propria specie.

84. Verùm hæc expositio nimis violenta est, & apertè repugnat menti S. Doctoris: Tum quia argumentum cui respondet, non patitur hanc solutionem: sic enim arguit: Oculus Christi videt seipsum, ut est in hoc sacramento: Ergo & quilibet oculus, ubi manifestè, ly *sub sacramento*, tenet se ex parte objecti. Tum etiam, quia hæc solutio non esset ad propositum, non enim in articulo quærit utrum Christus possit videre, sed utrum possit videri. Addo quod D. Thomas concedit oculo Christi quod negat aliis: Sed negat aliis quod possint ipsum videre in hoc sacramento, de hoc enim est quæstio: Ergo id oculo Christi concedit.

Dices, quare corpus Christi, ut existens in sacramento, potiùs ab oculo ipsius Christi, quàm ab aliis videatur?

85. Respondeo hujus rationem videri satis difficilem, posse tamen duplicem assignari. Prima est, quia oculus Christi, licèt non sese videat naturaliter, sed supernaturaliter, exigit tamen ex eo quod ponatur sub sacramento, supernaturaliter sese videre, quod tamen non exigit alter oculus, etiam glorificatus; sicut enim hoc ipso quod cogitatio, mea est, debeo eam cognoscere, etsi non possit ab alio cognosci; ita similiter exigit oculus Christi seipsum videre, ut in sacramento, hoc ipso quod ipsemet est in sacramento. Unde S. Thomas in 4. dist. 10. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 1. ad 1. ait: *Si oculus Christi esset extra species sacramenti, non videret substantiam suam intra species contentam.*

86. Aliam rationem tradit Soto in 4. distinctione 11. qu. 1. art. 7. ubi ait, quòd licèt Christus in sacramento non possit multiplicare species per medium, potest tamen illa multiplicare per seipsum: ut autem videri possit ab oculo existente extra sacramentum, species visibiles multiplicare deberet per medium, sicque illas ad talem oculum emittere, quod non requiritur ut videri possit ab oculo, qui etiam est sub sacramento, sed sufficit, ut illas per seipsum multiplicet, sicque ad talem oculum emittat.

87. Probatur secundò conclusio ratione fundamentali. Potentia cognoscitiva potest saltem divinitùs omnia percipere quæ continentur intra latitudinem sui objecti specificativi: Sed quamvis corpus Christi, ratione modi essendi sacramentalis, non contineatur intra objectum visûs, benè tamen ratione sui, cùm habeat ibi suum colorem: Ergo quamvis oculus corporeus non possit elevari à Deo ad videndum modum supernaturalem & miraculosum quo corpus Christi est in Eucharistia, benè tamen ad conspiciendum ipsum Christi corpus in ea existens.

88. Respondent Adversarij, quod licèt corpus Christi, ut existens in Eucharistia, sit coloratum, subindeque intra objectum specificativum potentiæ visivæ, quia tamen non est intra objectum proportionatum illius, eò quòd ibi non sit extenso modo, & extensio localis sit conditio sine qua objectum visibile à visu percipi nequit, non potest etiam supernaturaliter videri ab oculo corporeo.

89. Sed contra primò: Deus ut in se est, quamvis non sit objectum proportionatum nostri intellectûs, potest tamen ab illo attingi supernaturaliter, ex eo quod contineatur intra objectum specificativum ipsius: Ergo similiter, quamvis corpus Christi, ut existens in sacramento, non sit objectum proportionatum visûs, & ideò non possit naturaliter ab eo percipi, eo tamen ipso quod est intra objectum specificativum ipsius, poterit supernaturaliter ab eo attingi.

90. Secundò quamvis juxta modum connaturalem agendi visio fiat per species extensas & ab objecto extenso missas, non videtur tamen negandum, quin de potentia absoluta oppositum fieri possit; vel quia Deus seipso immediatè producet speciem in oculo, vel quia cùm extensio sit solùm quædam conditio & modificatio objecti, non minùs à Deo suppleri poterit, quàm aliæ conditiones, verbi gratiâ approximatio; nam D. Stephanus è terra Christum vidit stantem in cœlo, & Beati in cœlo, non obstante opacitate terræ, poterunt videre damnatos in inferno existentes.

Addunt

91. Addunt aliqui, quod sicut quando res aliqua conspicitur in speculo, imago illius non est per partes extensa in speculo, prout res ipsa apparet, quin imò imago totius objecti est in qualibet parte & puncto speculi; ita quamvis Christus sit in sacramento, modo indivisibili & inextenso, & totum in toto, ac totum in qualibet parte, nihilominus potest, saltem divinitùs, repræsentari oculo corporeo per aliquam speciem; præsertim, quia licèt tale corpus existat indivisibiliter in ordine ad locum, est tamen divisibile in ordine ad se, & habet extensionem integralem partium in se, ut magis patebit ex solutione objectionum.

92. Probatur tertiò conclusio evertendo præcipuum fundamentum Adversariorum: Si quid impediret, quominùs corpus Christi in sacramento existens posset videri oculo corporeo, maximè quia deberet videri modus quo ibi existit; quod videtur impossibile, cùm modus ille sit supernaturalis, spiritualis, & omni ex parte indivisibilis: Sed hæc ratio non obstat: Ergo &c. Major est unum ex præcipuis fundamentis Adversariorum, præsertim Suaris, qui hîc disp. 53. sect. 2. sic discurrit: *Si videtur corpus Christi sub specielbus: Ergo formaliter & per se videtur ut sub eis præsens: Ergo videtur præsentia quam sub illis habet, quia hæc est formalis ratio existendi ibi; non potest autem per se videri aliquod quasi concretum, quin simul per se videatur forma, quâ formaliter constituitur.* Minor verò suadetur: Quantumvis enim duo jungantur, potest unum attingi sine alio, quando unum ex illis non pertinet ad ejus objectum: Sic viso colore pomi, non videtur ejus odor, vel sapor; sic Beata Virgo, & Apostoli Christum in terris existentem oculo corporeo videbant, & tamen divinam ejus subsistentiam & existentiam visu corporeo non cernebant, sed duntaxat cognitione supernaturali fidei illam cognoscebant. Item ipse Christus, cùm penetravit januas, vel lapidem sepulchri, verè seipsum videbat, ut erat penetrativè in lapide, vel in loco januarum, & tamen non videbat oculo corporeo modum supernaturalem quo ibi penetrativè erat: Ergo similiter poterit oculus corporeus divinâ vitute videre Christum in sacramento existentem, absque eo quod modum ipsum quo existit intueatur. Unde D. Thomas suprà relatus: *Oculus Christi videt seipsum sub sacramento existentem, non tamen potest videre ipsum modum essendi quo est sub sacramento, quod pertinet ad solum intellectum.*

93. Dices, Si oculus corporeus videret corpus Christi, ut existens in sacramento, & tamen modum quo in eo existit non perciperet, unum ab alio abstraheret; potentia enim cognoscens unum, non cognito alio sibi conjuncto, dicitur abstrahere seu præscindere unum ab alio: Sed potentia visiva, cùm sit corporea & immersa materiæ, abstractiva non est, ut docent Philosophi: Ergo oculus corporeus non potest videre corpus Christi, ut existens in sacramento, nisi etiam ipsum modum quo ibi existit, videat.

94. Respondeo negando sequelam Majoris & distinguendo probationem illius: Potentia cognoscens unum, non cognito altero sibi conjuncto, abstrahere dicitur, si illud quod non cognoscitur pertineat ad objectum potentiæ, concedo: si non pertineat ad illius objectum, nego. Sic enim quando visus percipit colorem pomi, non percipiendo ejus odorem, non dicitur abstrahere unum ab alio, quia odor pomi ad objectum potentiæ visivæ non pertinet. Ita pariter, licèt oculus corporeus videret supernaturaliter Christum in sacramento existentem, non viso modo supernaturaliter quo ibi existit, non diceretur abstrahere unum ab alio, quia talis modus, cùm sit spiritualis, & incorporeus, intra objectum potentiæ visivæ non continetur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

95. Objicies primò: Nullum objectum potest videri sine specie: Sed nulla potest dari species repræsentans corpus Christi ut in sacramento existens: Ergo non potest ut ibi existens videri oculo corporeo. Major docetur communiter à Philosophis, Minor probatur. Corpus Christi est in sacramento, modo indivisibili & inextenso: Sed nulla species sensibilis potest repræsentare objectum existens modo indivisibili & inextenso, quia omnis species sensibilis, cùm sit materialis, debet esse extensa & divisibilis: Ergo nulla potest dari species repræsentans corpus Christi, ut in sacramento existens.

96. Respondeo, datâ Majori negando Minorem; & ad ejus probationem dico quòd species divisibilis repræsentare nequit objectum indivisibiliter existens, si existat indivisibiliter tam in ordine ad se, quàm in ordine ad locum; secùs verò si existat indivisibiliter tantùm in ordine ad locum, & sit divisibile in ordine ad se: unde cùm objectum carens extensione locali possit habere extensionem integralem partium in se, ut de facto habet corpus Christi in Eucharistia, per speciem divisibilem oculo corporeo repræsentari potest.

97. Dices, Esto corpus Christi, ut in sacramento existens, videri possit per speciem extensam & divisibilem, non potest tamen ut ibi existens, talem speciem emittere, & per medium in potentiam diffundere, cùm talis emissio & diffusio speciei exigat extensionem & contactum quantitativum medij, quæ non competunt corpori Christi in Eucharistia: Ergo licèt ut ibi existens, per speciem extensam & divisibilem repræsentari possit, nihilominus videri nequit oculo corporeo.

98. Respondeo, dato Antecedenti, negando Consequentiam; quia, ut supra dicebamus, esto corpus Christi, ut in sacramento existens, talem speciem emittere, & in sensum immittere nequeat, illa tamen potest immediatè produci à Deo in oculo; vel Deus potest in objecto supplere defectum extensionis localis, cùm illa sit conditio solùm extrinseca, nec redundet in rationem formalem objecti, sicut extensio integralis partium in se.

99. Instabis: Solum sensibile proprium de absoluta Dei potentia non potest videri, sed requiritur concursus sensibilis communis, quem Deus supplere non potest, quia non est purè effectivus, sed etiam formalis, eò quòd modificat speciem sensibilis proprij: Atqui extensio in ordine ad locum, est sensibile commune, ut docent Philosophi in libris de anima: Ergo Deus non potest supplere defectum extensionis localis in objecto visibili.

100. Respondeo negando quod sensibile proprium de absoluta Dei potentia non possit videri, sine concursu sensibilis communis; siquidem nihil

Universidad de Deusto
Biblioteca

deest sensibili proprio quod pertineat ad rationem objecti : modificatio enim sensibilis communis non requiritur ut objectum habeat absolute rationem objecti, sed ut fiat objectum proportionatum potentiæ ; unde cùm Deus possit potentiam elevare ad objectum improportionatum, non est necesse quod suppleat hujusmodi modificationem. Sicut approximatio & indistantia necessaria est ut agens modo connaturali agat; sed quia interdum elevatur supra modum agendi connaturalem, & agere potest in distans, non est necesse ut Deus suppleat eam modificationem & conditionem indistantiæ, quæ non requiritur ad agendum absolutè, sed ad agendum connaturaliter. Sicut etiam licèt certa quædam proportio aut distantia inter potentiam & objectum requiratur, ita ut non possit connaturaliter objectum immediatè supra sensum positum efficere sensationem, attamen de potentia Dei absoluta id non videtur negandum. Quis enim neget, Christum dum lapidem vel fores penetraret, lapidem vel januam vidisse ; aut oculum Beati, si aliquod corpus penetraret, tale corpus visurum ? quia scilicet hujusmodi modificatio necessaria est solùm ut objectum sit proportionatum. Idem dicendum in proposito, nimirum quod modificatio sensibilis communis requiritur solùm ut objectum possit videri connaturaliter, & si desit hæc conditio, nihilominus poterit objectum de absoluta Dei potentia videri, neque necessarium est talem modificationem à Deo suppleri.

101. Objicies secundò : Si oculus corporeus posset elevari à Deo ad videndum corpus Christi ut existens in Eucharistia, maximè quia illud, cùm sit coloratum, continetur intra objectum specificativum potentiæ visivæ : Sed hæc ratio non valet : Ergo ruit præcipuum fundamentum nostræ sententiæ. Major patet ex supra dictis, Minor probatur. Color & alia accidentia corporis Christi sunt in sacramento ad modum substantiæ : Ergo sunt insensibilia, sicut ipsa substantia : Ergo licèt corpus Christi, ut existens in Eucharistia, coloratum sit, nihilominus oculo corporeo videri nequit, etiam de absoluta potentia.

102. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem ; & ad ejus probationem dicendum quod omnia accidentia corporis Christi in Eucharistia, sunt ad modum substantiæ, eo sensu quòd sunt modo indivisibili, non verò modo invisibili ; nam inseparabile est à colore quòd sit visibilis, cùm id essentialiter habeat ex eo quòd sit objectum sensûs, & qualitas sensibilis ; sicut inseparabile est à quantitate, quòd habeat extensionem partium in ordine ad se.

ARTICULUS VI.

Quando & quomodo corpus Christi desinat esse in hoc sacramento ?

103. DIco primò : Corpus Christi desinit esse sub speciebus sacramentalibus, quando desituta fuisset propria illarum substantia.

Probatur breviter : Christus succedit speciebus, loco propriæ substantiæ : Ergo non ante desinit sub illis, quàm desitura fuisset propria substantia.

Confirmatur : Deus nunquam se subtrahit à rebus, nisi res ipsæ talem subtractionem poscant, nam ut ait Apostolus ad Rom. 11. *Dona Dei sunt sine pœnuentia :* Sed præsentia Christi sub speciebus panis & vini, est maximum donum hominibus concessum : Ergo nunquam à speciebus illis se subtrahit, nisi ipsæ hanc subtractionem poscant, quod solùm tunc contingit, quando desitura fuisset propria illarum substantia. Unde erronea est, & à Gregorio XI. ut refertur in directorio Inquisitorum, damnata aliquorum sententia, qui dicunt, desinere Christum sub sacramento, quando in aliquem locum immundum projicitur ; cùm enim corpus Christi sit in hoc sacramento impassibiliter, nullam contrahit in his casibus in seipso immunditiam, ut recte ait Sanctus Thomas in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 1. ad 3.

Ex his inferes, nunquam desinere corpus 104.
Christi sub speciebus, nisi succedente aliâ substantiâ, à pane & vino diversâ. Nam Christus (ut diximus) non desinit sub speciebus, nisi quando desitura fuisset propria substantia : At propria substantia nunquam desitura fuisset, nisi alia genita fuisset ; quia naturaliter nunquam corrumpitur unum, quin generetur aliud specie diversum ; nulla enim alteratio corrumpens individuum unius speciei, disponit ad generationem alterius ejusdem speciei, ut experientiâ constat : Ergo non desinit corpus Christi sub speciebus, nisi sub illis succedat alia substantia, à pane & vino specie diversa, puta acetum, loco substantiæ vini, aut vermes, loco substantiæ panis.

Dico secundò : corpus Christi non desinere 105.
esse sub speciebus, per transsubstantiationem sui in substantiam subsequentem.

Probatur : Quod convertitur in aliud per transsubstantiationem, desinit simpliciter esse, ut patet de substantia panis, conversa in corpus Christi : Sed corpus Christi non desinit simpliciter esse in se, per hoc quod desinit esse sub speciebus, quia adhuc remanet in cœlo : Ergo corpus Christi non desinit esse sub speciebus, per transsubstantiationem sui in substantiam subsequentem.

Confirmatur : Inter desitionem corporis Christi, & incœptionem alterius substantiæ, non est aliqua connexio, cùm ex vi desitionis illius, non magis incipiat esse una substantia, quàm alia : Ergo corpus Christi non desinit esse per conversionem in aliam substantiam.

Dico tertiò : corpus Christi non desinere esse 106.
sub speciebus per annihilationem, aut per solam privativam loci mutationem, sed per desitionem quandam substantialem, innominatam.

Ratio hujus conclusionis est, quia cùm corpus Christi non desinat esse sub speciebus per actionem conversivam sui in aliam substantiam, ut conclusione præcedenti offensum est, consequenter habet desinere per cessationem illius influxûs quo positum fuerat sub speciebus panis, & quo sub illis conservabatur : unde sicut non fuerat ibi positum per creationem, aut productionem simpliciter, quia corpus Christi præsupponebatur existere simpliciter ante consecrationem ; neque per actionem adductivam, ut præcedenti disputatione dictum est, sed per aliquem influxum substantialem ; ita non desinit esse sub speciebus, per annihilationem, quæ opponitur creationi ; neque per solam privativam loci mutationem, quæ opponitur actioni adductivæ, sed per aliquam

aliquam desitionem substantialem ; quia cessatio influxûs substantialis, non potest non esse substantialis desitio.

107. Dixi autem, hanc desitionem substantialem esse innominatam : neque enim potest vocari corruptio, Tum quia corpus Christi, cùm sit jam gloriosum, est omnino incorruptibile : Tum quia corruptio propriè dicta fit per hoc quod una forma succedit in locum alterius in eadem materia ; nulla autè forma succedit in materia corporis Christi, aliàs sequeretur Christum toties mori, quoties desinit esse sub speciebus, contra illud Pauli ad Roman. 6. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.* Vocatur ergo desitio substantialis tantùm secundùm quid, quia sicut per transsubstantiationem corpus Christi non acquirit esse simpliciter, ita per cessationem hujusmodi transsubstantiationis non amittit esse simpliciter.

DISPUTATIO VI.

De accidentibus Eucharisticis.

Ad quæstionem 77. Divi Thomæ.

CUm in conversione Eucharistica tota substantia panis & vini, in corpus & sanguinem Christi transmutetur, remanentibus duntaxat accidentibus ; postquam cum S. Doctore de mirabili illa transsubstantiatione, & de modo quo Christus per illam est in Eucharistia, disputavimus, superest ut de ipsis accidentibus Eucharisticis disseramus, pluresque quæ circa illa occurrunt difficultates, breviter resolvamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum accidentia Eucharistica sint sine subjecto substantiali ?

1. ACcidentia panis & vini in Eucharistia remanere, factâ conversione totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, non solùm fide divinâ certum est, & à Tridentino definitum, sed etiam sensibus ipsis notum ; videmus enim in hostia consecrata albedinem, gustamus saporem, tangimus figuram &c. Constat autem sensus non posse decipi circa proprium sensibile debitè applicatum. Verum gravis difficultas est, an hujusmodi accidentia quæ ante consecrationem substantiæ panis & vini, ut subjecto quod, inhærebant, factâ consecratione, & transmutatione substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, sine subjecto substantiali remaneant ? Dixi sine *subjecto substantiali*, quia accidentia Eucharistica subjectantur in quantitate, ut articulo sequenti contra Nominales dicemus. Hoc præmisso, pro resolutione difficultatis, & declaratione ac defensione Catholicæ veritatis contra hæreticos.

2. , Dico breviter, accidentia Eucharistica esse sine subjecto substantiali.

Conclusio est certa de fide, & definita in Concilio Constantiensi, sess. 8. contra Joannem Hus, qui hoc fidei dogma negabat, dicebatque quòd *fingere accidens sine subjecto, erat blasphemare in Deum, scandalizare sanctos, & illudere Ecclesiæ, per verba accidentis.* Similia dicunt Calvinistæ, & unum ex præcipuis argumentis quibus probare contendunt impossibilem esse veram & realem existentiam corporis Christi in Eucharistia, sumitur ex eo quòd accidens nequit sine subjecto existere, ut in disputatione proœmiali art. 12. retulimus. Unde oppositum vocant inventum & commentum Innocentij III. in Concilio Lateranensi ; ubi hæc catholica veritas sancita fuit, nec non in Tridentino sess. 13. can. 2. potestque breviter suaderi, convellendo præcipuum hæreticorum fundamentum. Nulla enim est contradictio quòd accidentia sint separata ab omni subjecto : Ergo id potest affirmari de accidentibus Eucharisticis. Consequentia est evidens, Antecedens verò patebit primò ex solutione objectionum. Secundò constat ex SS. Patribus : Basilius enim homil. 6. in Hexameron, docet primâ die creatam esse lucem per se subsistentem, & ab omni subjecto separatam. *Primo die* (inquit) *ipsa natura lucis producta est, quarto autem die Solis corpus, ut esset illi primogenitæ luci vehiculum, est conditum.* Et infrà : *Itaque ne mihi dixeris fieri hæc non posse, ut lux à corpore Solis separetur. Neque enim ego lucis à Solis corpore separationem mihi ac tibi possibilem esse dico ; sed asserendum esse censeo, quæ mentis solâ agitatione, cogitationeque disparari à se possunt, ea reipsa sejungi facultate Creatoris utriusque naturæ posse.* Idem docet Nazianzenus orat. de novo die Dominico, & Theodoretus in quæstionibus super Genesim, quæst. 14. & 16. Ergo ex SS. Patribus nulla est repugnantia vel contradictio, quòd accidentia sint separata ab omni subjecto, & careant inhærentiâ actuali.

Idem probari potest argumento desumpto ex mysterio Incarnationis, quod disp. proœmiali art. 7. insinuavimus. Inhærentia enim actualis se habet ad accidens, sicut subsistentia ad substantiam ; sicut enim subsistentia complet substantiam, sic inhærentia actualis complet accidens ; item non minùs est de ratione substantiæ & naturæ completæ per se subsistere, & propriâ subsistentiâ terminari, quàm de ratione accidentis alicui subjecto inhærere : Sed non obstante hac exigentiâ naturali quam habet substantia ut per se subsistat, & propriâ subsistentiâ terminetur, potest divinitùs, propriâ & connaturali subsistentiâ privari, & subsistere in alieno supposito, ut patet in humanitate Christi, spoliatâ propriâ subsistentiâ & in supposito verbi divini subsistente : Quidni ergo similiter poterit accidens supernaturaliter, & de potentia Dei absoluta, carere inhærentiâ sibi propriâ & connaturali, & ab omni subjecto separatum existere ?

Potest etiam suaderi conclusio ratione D. Thomæ hic art. 1. ubi sic discurrit : Accidentia Eucharistica non inhærent substantiæ panis & vini, cùm illa desinat per consecrationem, ut disp. 4. ostendimus : neque etiam corpori Christi, aliàs corpus Christi in Eucharistia esset alterabile, corruptibile, & localiter extensum ; neque aëri circumstanti, tum quia hujusmodi species non sunt ubi est aër circunstans, quandoquidem ad motum aëris ipsæ non moventur : tum etiam quia non potest idem accidens de uno subjecto transire in aliud, cùm accidentia numerum & individuationem accipiant à subjecto : Ergo nullum

subjectum

Universidad de Deusto
Biblioteca

subjectum substantiale excogitari potest, cui accidentia Eucharistica inhæreant; subindeque dicendum est, illa sine subjecto substantiali existere.

5. Objicies primò: Minor est dependentia materiæ primæ à forma substantiali, quàm accidentis à subjecto: Tum quia accidens individuatur à subjecto, unde mutato subjecto non est idem numero accidens; materia autem prima non individuatur à forma, quin potiùs illam individuat: Tum etiam quia materia prima non est entis ens, sicut accidens, sed est ens per se, unde essentialiter non dependet ab alio, sicut accidens: Sed materia non potest, etiam de potentia absoluta, esse sine forma substantiali, ut docent nostri Thomistæ in Philosophia: Ergo à fortiori accidens non potest divinitùs sine subjecto existere.

6. Respondeo quod licèt in aliquibus, accidens magis dependeat à subjecto, quàm materia prima à forma, tamen in ordine ad existendum, major est dependentia materiæ primæ à forma, quàm accidentis à subjecto; quia ut ostendunt Thomistæ in Physica, materia prima seclusâ formâ substantiali, non est in determinata specie perfecta & completa, caretque propriâ existentiâ, quam emendicat à forma, unde impossibile est quod sine illa existat: accidens autem secundùm se est in determinata specie, & habet propriam existentiam, atque ita independenter ab actuali inhærentia potest existere.

7. Objicies secundò: Deus non potest supplere causalitatem causæ materialis, ut communiter docent Theologi, cùm illa causalitas imperfectionem Deo repugnantem essentialiter importet: Ergo non potest facere quòd accidens sine subjecto existat.

8. Respondeo quod licèt Deus non possit supplere vicem causæ materialis in eodem genere, quasi & ipse fiat causa materialis, recipiendo in se formam substantialem vel accidentalem, aut intrinsecè componendo aliquod totum; id tamen potest in genere causæ efficientis. Unde quando Deus dicitur sustentare accidentia Eucharistica, non est existimandum quod concurrat materialiter & subjectivè; id enim nimiæ imperfectionis est, quàm ut Deo tribui possit, sed sustentat efficienter, quatenus supplet per efficientiam id quod de concursu materiali desideratur. Quomodo autem id præstet, an per solam manutenentiam, vel per alicujus modi existendi per se communicationem art. 3. dicemus.

9. Objicies tertiò: Si accidentia panis & vini manerent in Eucharistia sine subjecto substantiali, essent in statu violento, cùm accidens connaturaliter petat inhærere subjecto: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

10. Respondeo negando sequelam Majoris: In qualibet enim re creata est duplex inclinatio naturalis: una ad bonum sibi proprium, & altera ad obediendum suo creatori; ex quibus hæc posterior, potior est, & naturalior, ac vehementior, ideóque prior inclinatio quodammodo isti cedit; sicut inclinatio particularis cujuslibet partis respectu boni proprij, cedit inclinationi quam habet ad bonum commune: Quia ergo existentia accidentium sine subjecto substantiali in Eucharistia, est conformis huic secundæ inclinationi, quamvis sit contra primam, accidentia Eucharistica non sunt in statu violento.

Articulus II.

An quantitas panis & vini sit aliorum accidentium subjectum?

OStendimus articulo præcedenti, accidentia Eucharistica carere subjecto substantiali, nullique inhærere substantiæ: nunc breviter discutiendum est, an illa subjectentur in quantitate, illaque sola existat per se? Hoc enim negant aliqui Nominales, existimantes omnia accidentia esse sine subjecto & existere per se; quia nimirum arbitrantur, quantitatem non distingui ab ipsa substantia, & quodlibet accidens habere suam quantitatem: quæ principia omnino ruinosa sunt, & à Philosophia Peripatetica & Thomistica penitùs aliena. Unde

11. Dico breviter: Accidentia Eucharistica, ut color, sapor, & odor panis & vini consecrati, in quantitate subjectantur; idque ex vi miraculi quo conservatur quantitas separata à substantia panis & vini, absque novo miraculo. Ita D. Thomas hic art. 2. ubi in argumento *sed contra*, rationem istam insinuat. Illa accidentia subjectantur in quantitate, quæ ad divisionem illius sunt divisibilia: Atqui accidentia Eucharistica, ut color, sapor, & odor panis & vini consecrati, sunt divisibilia ad divisionem quantitatis: Ergo in ea subjectantur. Minor experientiâ patet, Major verò ex eo suadetur quod qualitas secundùm se non minùs caret partibus; quàm substantia, easque subinde emendicat à quantitate: Ergo ubicumque invenietur qualitas divisibilis, sive quodlibet aliud accidens, erunt divisibilia beneficio quantitatis: Sed non possunt divisibilitatem hanc & partes à quantitate recipere, nisi ei uniantur & insint: Ergo illa accidentia subjectantur in quantitate, quæ ad divisionem illius sunt divisibilia.

12. Probatur secundò conclusio ex eo quod juxta hanc sententiam, quæ asserit accidentia Eucharistica in quantitate subjectari, salvatur primò connaturalis modus existendi reliquorum accidentium, cùm omnia accidentia corporea connaturaliter inhæreant quantitati, ut proximo & immediato subjecto. Secundò salvatur connaturalis modus agendi agentium naturalium, dum in accidentia consecrata agunt, educendo ex ipsa quantitate, ut ex proximo & sufficienti subjecto accidentia quæ in ea producunt; cùm in contraria sententia fatendum sit à solo Deo illa produci per creationem independenter à subjecto: Quis autem dicat, cùm ignis hostiam aut vinum consecratum calefacit, non ignem, sed solum Deum hujusmodi calorem producere? Tertiò salvatur connaturalis modus quo unum accidens expellit suum contrarium in hoc sacramento, quia dum in eandem quantitatem inducitur unum contrarium, per naturalem incompossibilitatem expellitur aliud. Quam formalem expulsionem per physicam incompossibilitatem salvare non potest contraria sententia, quæ nullum admittit commune subjectum, sub quo tantùm naturalis incompossibilitas exerceri potest: unde recurrere debet ad extrinsecam voluntatem Dei destruentis aut remittentis unum contrarium, quando aliud intenditur, absque physica exigentia ipsorum: cùm ergo non sint multiplicanda miracula sine necessitate, dicendum est quantitatem in hoc sacramento

sacramento esse subjectum reliquorum accidentium.

13. Quod adhuc argumento à posteriori & ab experientia desumpto, confirmari potest. Nam experientiâ constat, alia accidentia, putà colorem, saporem, odorem panis & vini, uniri inter se: Sed non immediatè, per modum actûs & potentiæ, cùm inter ista accidentia non sit major ratio cur unum potiùs habeat rationem actûs, quàm potentiæ: Ergo uniuntur in aliquo tertio, quod non potest esse aliud, quàm quantitas, quæ quia inter accidentia corporea primum tenet locum, & est prima dispositio materiæ, maximè accedit ad genus causæ materialis, unde comparatur ad alia accidentia corporea tanquam subjectum: ex quo fit, quòd semel posito; quantitatem non esse in aliquo subjecto, sed per se subsistere, debeat dici subjectum quod hujusmodi accidentium, quia tunc non recipiuntur in ulteriori subjecto.

Potestque id confirmari ex eo quod substare aliis, sequitur ad subsistere per se, unde Philosophus tribuit substantiæ ut aliis possit substare, quia subsistit in se: Ergo hoc ipso quod quantitas subsistit per se, potest etiam aliis accidentibus Eucharisticis substare.

14. Ex quo probatur secunda pars conclusionis, quòd scilicet non sint necessaria plura alia miracula, ut alia accidentia Eucharistica insint quantitati, quia substare aliis, sequitur connaturaliter ad hoc quod est subsistere in se: Ergo ex vi miraculi quo datur quantitati quod subsistat in se, sequitur quod subsitet aliis accidentibus Eucharisticis, sicut effectus secundarius sequitur connaturaliter ad primarium, maximè cùm ipsa quantitas etiam ante consecrationem esset subjectum quo hujusmodi accidentium.

Ex his infer es, nullam fieri mutationem in reliquis accidentibus, sed in sola quantitate; nam sola manet separata à proprio subjecto, reliqua manent ut antea, totaliter ac sufficienter sustentata à quantitate.

15. Quæres, an divinitùs & per aliud miraculum possint hæc accidentia subsistere per se à quantitate separata?

Respondeo affirmativè: Ratio est, quia quantitas magis dependet à substantia, quàm cætera accidentia à quantitate: Sed non obstante illâ dependentia, quantitas existit sine subjecto: Ergo & alia accidentia poterunt divinitùs à quantitate separari. Nec oppositum docet D. Thomas, quidquid dicat Suarez: quando enim quodlibeto 7. art. 10. asserit qualitatem separatam à subjecto, neque fore individuam, neque ab aliis distinctam, hoc debet intelligi de qualitate à subjecto separata, tam secundùm actum, quàm secundùm aptitudinem.

Articulus III.

Utrum quantitati communicetur à Deo modus existendi per se, ratione cujus subsistat independenter à subjecto, & aliis accidentibus subsitet?

16. NEgant plures ex nostris Thomistis, existimantes nihil de novo addi quantitati, ratione cujus per se existat, sed tolli tantùm imperfectionem illam quæ est actu inesse, & per solam Dei manutenentiam conservari. Ita Paludanus Soto, Nuño, Aravius, Joannes à S. Thoma, Philippus à S. Trinitate, Bellarminus, Valentia, Granado, & alij, quos citat & sequitur Martinez à Prado hic dubio 1. §. 3. Affirmant verò Cajetanus hic articul. 1. Serra ibidem, Ferrariensis 4. contra Gentes cap. 66. Nazarius suprà quæst. 4. art. 1. Alvarez ibidem, & ex extraneis Suarez, Vazquez, Delugo, Coninck, & alij.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

DIco igitur, quantitati communicari à Deo modum existendi per se, ratione cujus subsistit independenter à subjecto.

17. Probatur primò conclusio ex D. Thoma hìc art. 2. ad 1. ubi ait, *Quando accidenti datur divinitus ut per se sit, potest etiam per se alterius accidentis subjectum esse.* Idem docet art. 4. ad 2. & 3. Et 4. contra Gent. cap. 66. hæc scribit: *Miraculosè accidens busconfertur quòd subsistant, quòd est proprium substantiæ, & per consequens quod omnia possint facere & pati, qua substantia posset facere & pati, si substantia adesset.* Demum in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3. in corp. docet quod *virtute divinâ confertur dimensionibus quæ fuerunt panis, ut sine subjecto subsistant in hoc sacramento, quod est prima proprietas, substantiæ.* Unde sic arguo: Quidquid existit per se, debet habere modum existendi per se; Sed quantitas in hoc sacramento existit per se: Ergo modus existendi per se ei communicatur à Deo. Minor patet ex locis jam adductis, Major probatur. Non potest effectus formalis competere alicui sine causa formali; Sed existere per se est effectus formalis alicujus formæ, scilicet subsistentiæ, aut modi existendi per se: Ergo cùm aliunde quantitas non sit capax subsistentiæ, dicendum est hunc effectum provenire à modo existendi per se, ipsi à Deo communicato.

18. Respondent Adversarij, quantitatem hoc ipso existere per se, quòd non inhæret subjecto, absque aliquo modo superaddito.

Sed contra: Illud cui connaturaliter convenit esse in alio, non potest existere per se, nisi immutetur, & aliquid de novo acquirat: Sed quantitati & cuilibet accidenti connaturaliter convenit existere in alio: Ergo non potest existere per se, nisi immutetur, & aliquid de novo acquirat. Minor patet, Major probatur, Tum quia existere per se est aliquis effectus realis ab aliquo principio formali pendens: Ergo quod modò existit per se, cùm antea esset in subjecto, alio modo se habet quàm antea. Tum etiam, quia nisi immutetur, & aliquid de novo acquirat, eodem modo semper se habebit; ac proinde non existet per se.

19. Dices, sufficere quod quantitas mutetur mutatione privativâ, per hoc quod non habet modum actualis inhærentiæ quem antea habebat.

Sed contra primò, Sicut existere est effectus realis alicujus formæ positivæ, ita & existere per se: Ergo ut quantitas existat per se, debet mutari per receptionem alicujus formæ & entitatis positivæ.

Secundò, Semper videmus quod statim atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

res aliqua privatur suo termino connaturali, mox alium consequitur : verbi gratiâ quia humanitas Christi privatur proprià subsistentiâ, divina supplet vices illius ; & linea, cùm privatur puncto continuativo, consequitur terminativum : Ergo similiter accidens dum privatur modo inhærentiæ, statim obtinet ex vi ejusdem actionis modum aliquem existendi per se.

Tertiò, Per hoc quod destruatur actualis inhærentia, accidens si sibi relinquatur, omnino perit : Ergo per solam hanc mutationem privativam, non potest conservari sine subjecto, nisi aliquid aliud superaddatur.

20. Respondebis, illud positivum quod superadditur, non esse aliud quàm concursum specialem quo Deus conservat accidens sine subjecto.

Sed contra : Hic concursus seu actio quâ Deus conservat quantitatem independèter à subjecto, debet necessariò distingui ab actione quâ illam conservabat ante consecrationem : Tum quia aliàs non esset aliquid speciale superadditum, tum etiam quia hujusmodi actiones se habent sicut creatio & eductio, quia una conservat quantitatem dependenter à subjecto, & alia independenter ab illo. Tum denique quia una est naturalis & alia supernaturalis. Unde sic arguo: Ubi est specialis & aliquo modo diversa actio positiva transiens, debet esse specialis & aliquo modo diversus terminus productus, maximè quando actio est virtualiter tantùm transiens, quæ nihil dicit per modum viæ & fluxûs, sed tantùm actionem immanentem, cum termino à parte rei posito : Atqui nullum alium terminum potest habere specialis illa Dei manutenentia & conservatio quantitatis, quàm modum illum existendi per se : Ergo talis modus necessariò admittendus est. Minor probatur, quia accidentia secundùm se existebant ante hanc actionem & consecrationem : sola autem separatio à subjecto, sine modo superaddito, est tantùm negatio inhærentiæ actualis, quæ proinde nequit esse terminus actionis realis & positivæ : Ergo nullum alium terminum potest habere specialis illa Dei manutenentia & conservatio quantitatis, quàm modum illum existendi per se.

21. Objicies contra istam conclusionem: Non minùs repugnat accidenti modus per se subsistendi, quàm substantiæ modus inhæsionis : Sed repugnat substantiæ communicari modum inhæsionis : Ergo & accidenti modum per se subsistendi.

22. Confirmatur : Vel modus ille esset substantialis, vel accidentalis ? Neutrum dici potest : Ergo talis modus impossibilis est. Minor quantùm ad primam partem, manifesta videtur : Tum quia nihil substantiale remanet peractâ consecratione, sed accidentia sola, ut docet Tridentinum sess. 13. cap. 4. Tum etiam quia modus non potest esse perfectior suo modificato : si autem modus iste esset substantialis, perfectior esset suo modificato, scilicet quantitate. Tum denique, quia si modus ille sit substantialis, non poterit non esse subsistentia, quæ tamen nulli accidenti communicari potest. Probatur verò quoad secundam. Nullum potest dari accidens cui ex natura sua repugnet inhærere subjecto : Sed huic modo ex natura sua repugnaret inhærere subjecto, cùm esset modus existendi per se : Ergo talis modus non posset esse accidentalis.

A Ad objectionem respondeo negando Majorem, magis enim repugnat substantiæ modus inhæsionis, quàm accidenti modus per se subsistendi : Tum quia subsistentia magis est intrinseca substantiæ, quàm inhærentia accidenti ; illa enim convenit substantiæ absolutè & sine habitudine ad aliud, subindeque valde intimè, & omnino intrinsecè ; hæc verò competit accidenti per habitudinem ad aliquid extrinsecum : magis autem repugnat ut aliquid maximè intrinsecum rei auferatur, quàm aliud quod non est ita intrinsecum. Tum etiam quia inhærentia actualis non est de essentia accidentis ; subsistentia verò actualis quæ opponitur inhærentiæ, est essentialis substantiæ, de cujus ratione est ut sit B ens per se subsistens independenter à subjecto, quamvis subsistentia quæ est terminus intrinsecus substantiæ completæ, quæ est constitutiva suppositi, & ratione cujus substantia completa per se independenter ab alio supposito subsistit, non sit illi essentialis, sed ab ea realiter distincta, ut docetur in metaphysica ; unde ab ea separari potest, & de facto in mysterio Incarnationis fuit separata ab humanitate Christi, ad subsistentiam seu personalitatem Verbi Divini elevata. 23.

Ad confirmationem respondeo utrumque probabiliter sustineri posse, nimirum modum illum per se subsistendi quantitati panis & vini divinitùs communicatum, esse substantialem, vel accidentalem, & rationes in contrarium adductas, facilè dilui posse. Unde si quis sustinere velit modum illum esse substantialem, ad primam probationem in contrarium facilè respondere poterit, ideò Tridentinum asserere quod nihil substantiale remaneat post consecrationem, quia nihil manet de pane & vino, neque substantia, neque subsistentia, vel existentia, illorum, neque alia substantia succedit, præter corpus & sanguinem Christi : cum quo non pugnat, si dicatur quantitati modum aliquem substantialem quo per se subsistat, & aliis substet accidentibus, divinitùs & supernaturaliter advenire. 24. C D

Ad secundam verò probationem dicatur quod quamvis modus connaturalis rei quam modificat, non possit esse illâ perfectior, benè tamen modus superioris ordinis & supernaturalis, ac non connaturalis, cujusmodi est iste de quo agimus.

Ad tertiam nego Antecedens magnum enim reperitur discrimen inter subsistentiam, & hunc modum substantialem, nam subsistentia reddit naturam proximè capacem existentiæ, quam proinde antecedit ; hic verò modus non reddit quantitatem capacem existentiæ, sed eam supponit existentè, & est ejus terminus veluti extrinsecus. 25. E

Si cui verò non placuerit hic modus dicendi, Addo alium qui asserit modum hunc per se existendi quantitati divinitùs communicatum, esse accidentalem ut quod & entitativè, & substantialem solùm virtualiter & ut quo ; sicut semen, licèt inanimatum & expers vitæ, dicitur tamen vivum ut quo & virtualiter, quia est instrumentum naturale quo mediante generans genito vitam communicat ; vel sicut in sententia Cabreræ, & quorundam Thomistarum, virtus elevans sacramenta ad producendam gratiam, est corporea ut quod, & entitativè, & spiritualis solùm ut quo, & virtualiter, quia est virtus

Dei elevans sacramenta ad producendum effectum spiritualem & supernaturalem, nempè gratiam vel characterem. Juxta, inquam, hunc dicendi modum, quem Suarez & aliqui ex nostris Thomistis amplectuntur ; ad probationem in contrarium dicatur primò, quòd quamvis nulli entitati accidentali possit repugnare inhærentia, benè tamen alicui modo accidentali, præsertim si ille supernaturalis sit. Vel secundò & fortè meliùs dici poterit, non repugnare quod talis modus inhæreat quantitati, & nihilominus faciat illam existere per se, quia, ut suprà dicebamus, licèt sit accidentalis ut quod & entitativè, est tamen substantialis ut quo & virtualiter. Sicut ergo dialectici docent, quod secunda intentio universalitatis, naturæ à meo intellectu applicata, est in se aliquid singulare, & tamen ejus effectus formalis est reddere naturâ universalem ; quia licèt sit singularis ut quòd, est tamen universalis ut quo : ita similiter nullum videtur inconveniens asserere modum per se existendi divinitùs quantitati communicatû, inhærere quantitati, & tamen illam reddere per se subsistentem ; quia licèt sit accidentalis ut quòd, nihilominus est substantialis ut quo.

Articulus IV.

An ex speciebus sacramentalibus aliquid verè & propriè generari possit ?

26. Rationem dubitandi proponit D. Thomas hîc art. 5. in primo argumento quod sibi objicit, ubi sic discurrit : *Videtur quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari. Quod enim generatur, ex aliqua materia generatur ; ex nihilo enim nihil generatur, quamvis ex nihilo fiat aliquid per creationem : Sed speciebus sacramentalibus non subest aliqua materia, nisi corporis Christi, quod est incorruptibile : Ergo videtur quod ex speciebus sacramentalibus nihil possit generari.*

27. Propter hoc argumentum quidam Theologi partem negativam amplectuntur, & ex speciebus sacramentalibus non posse aliquid verè & propriè generari contendunt. Sed cùm ad D sensum pateat, & experientiâ constet, in speciebus Eucharisticis interdum vermes ex humiditate generari ; ut ab hac difficultate se expediant, & huic rationi experimentali respondeant, in varios dicendi modos dividuntur. In primis enim quidam antiqui quos refert & impugnat D. Thomas hic art. 5. dixerunt, quod dum vermes in hoc sacramento generantur, talis generatio non fit ex speciebus sacramentalibus, sed ex aëre circunstante, ita ut forma substantialis vermium educatur de materia aëris circunstantis. Alij quos etiam ibidem S. Doctor recenset, asserebant hanc generationem fieri ex E substantiâ panis & vini redeunte. Tertiò Scotus & Vasquez dicunt, vermes aut cineres qui interdum videntur generari ex speciebus consecratis, non produci virtute agentis naturalis, sed à solo Deo per creationem. Alij demùm asserunt, quod dum vermes in Eucharistia generantur, quantitas panis convertitur à Deo in totum compositum, subindeque illud solùm impropriè dici ab agentibus naturalibus genitum ; quatenus scilicet agentia naturalia, alterando & corrumpendo species sacramentales, tales dispositiones in ipsas introducunt, quæ

A connaturaliter petunt productionem talis compositi, ipsumque Deum ad ejus productionem, & conversionem quantitatis panis in ipsum, determinant. Ita Hispalensis quæst. 1. notabili 4. & quidam recentiores Thomistæ in manuscriptis. Pro resolutione difficultatis.

Dico breviter : Ex speciebus sacramentalibus 28. potest naturaliter generari aliquod compositum substantiale. Ita D. Thomas hîc art. 5. ubi sic discurrit : *Cùm corruptio unius sit generatio alterius, ut dicitur in 1. de generatione, necesse est quod ex speciebus sacramentalibus aliquid generetur, cùm corrumpantur ; non enim sic corrumpuntur, ut omnino dispereant quasi in nihilum redigantur, sed manifestè aliquid sensibile eis succedit.* Quæ ratio D. Thomæ fundatur in experientia : videmus enim ex speciebus panis consecratis generari vermes ex humiditate, vel cineres ex illarum combustione, aut acetum ex corruptione specierum vini. B

Nec valet quod dicebant Authores illi, quos 29. ibidem S. Doctor primò refert, nimirum quòd illa non generantur ex speciebus sacramentalibus, sed ex aëre circunstante. Hunc enim dicendi modum idem Doctor Angelicus ibidem triplici ratione convellit. Primò, quia generatio consequitur alterationem : nulla autem alteratio debet necessariò præcessisse in aëre circunstante. Secundò, quia ex aëre non solent talia, putà vermes, cineres, aut acetum, generari. Tertiò, quia licèt non circunstet aër, sed species recludantur in corporibus solidis, ut auro, argento &c. similis accidit generatio : Ergo non fit ex aëre, sed ex speciebus. C

Non obstat etiam si dicatur cum aliis, gene- 30. rationem novi illius compositi fieri ex substantia panis aut vini quæ redeat. Nam cùm substantia panis & vini sit conversa in corpus & sanguinem Christi, non potest redire, manèntibus speciebus, nisi vel per conversionem corporis & sanguinis Christi in ipsam ; quæ cõversio iterata non debet admitti, cùm nullus hactenus eam agnoverit : vel per reproductionem illius, quæ etiam admittenda non est, quia cùm de via ordinaria non reproducatur idem numero, multiplicarẽtur miracula sine necessitate. Idem probat S. Thomas, quia vel substantia panis rediret ante corruptionem specierum, vel illis omnino corruptis, in eo scilicet instanti quo destrueretur substantia panis aut vini, si adesset ? Neutrum dici potest : Non quidem primum, quia substãtia panis nunquam potest adesse sub speciebus, quandiu sub ipsis remanet corpus Christi : Sed quandiu species subsistunt incorruptæ, corpus Christi remanet sub illis : Ergo ante illarum corruptionem, non potest substantia panis redire. Non etiam secundum, quia substantia panis non potest manere, destructis accidentibus (intellige sine novo miraculo) Ergo non potest redire post corruptionem specierum.

Non potest etiam dici cum Scoto & Vasque, vermes aut cineres qui interdum videntur ex speciebus Eucharisticis produci, à Deo miraculosè creari. Tum quia D. Thomas & alij Theologi communiter docent illos per generationem & eductionem, non verò per creationem produci. Tum etiam, quia cùm in illa vermium aut cinerum productione, vera generatio salvari possit, ut patebit ex infrà dicendis, non est cur ad creationem recurratur, & miracula sine necessitate multiplicentur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

31. Demum non valet si dicas cum Hispalensi,& quibusdam recentioribus Thomistis, suprà citatis, quod dum vermes in Eucharistia generantur, quantitas panis miraculosè convertitur à Deo in totum compositum. Hoc enim apertè repugnat D. Thomæ 4. contra Gent. cap.66. ubi hæc scribit: *Si quis autem dicere velit, quòd sicut miraculosè panis in corpus Christi convertitur, ita miraculosè accidentia in substantiam convertuntur: primùm quidem hoc non videtur miraculo esse conveniens, quòd sacramentum putrescat, vel per combustionem dissolvatur. Deinde, quia putrefactio & combustio consueto naturæ ordine huic sacramento accidere inveniuntur: quod non solet esse in his quæ miraculosè fiunt.* Ex quo loco sic possumus arguere, redigendo in forma rationem D. Thomæ, hoc pacto: Si Deus converteret quantitatem in totum compositum, putrefactio aut combustio specierum, non fieret consueto naturæ ordine: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet, quia fieret per conversionem miraculosam. Minor autem, præterquam quod est D. Thomæ, potest adhuc probari, quia aliàs multiplicarentur miracula sine necessitate, quod tamen omninò vitandum est, ut sæpè monet S.Doctor. Sequela probatur, quia præter miraculum ipsius conversionis, admitteretur adhuc aliud in eo consistens, quòd agens naturale poneret omnes dispositiones ad aliquam formam, & tamen eam non introduceret.

32. Confirmatur: Si Deus converteret quantitatem in totum compositum, quando ex speciebus sacramentalibus producuntur vermes, talis productio, nullo planè modo posset dici generatio: Sed hoc manifestè repugnat D. Thomæ, nec admittitur à recentioribus illis Thomistis contra quos disputamus: Ergo &c. Sequela probatur: Ad rationem generationis necessarium est, ut forma substantialis educatur de potentia subjecti, si illa sit educibilis, vel saltem attingatur unio materiæ cum forma, quando forma ob suam immaterialitatem nequit educi, ut contingit in generatione hominis: Sed si quando ex speciebus sacramentalibus producuntur vermes, Deus converteret quantitatem in totum compositum, neque educeretur forma, neque attingeretur unio ab agente naturali, cùm tota conversio fieret à solo Deo: Ergo nullo planè modo posset dici generatio.

33. Respondent illi recentiores Thomistæ, quod quamvis agens naturale non educat formam vermium è materia, nec ejus unionem suâ actione attingat, nihilominus potest adhuc dici quodammodo generare compositum, quatenus ex vi propriæ actionis determinat agens primum ut producat totum compositum. Quod explicant exemplo B. Virginis: sicut enim (inquiunt) B. Virgo quamvis non attigerit unionem humanitatis Christi cum divina subsistentia, dicitur tamen generasse Deum, ex eo quòd vi actionis naturalis quam exercuit circa humanitatem, debebat connaturaliter sequi propria subsistentia, loco cujus substituta est in eodem instanti subsistentia increata Verbi divini, quæ quodammodo censebatur complere actionem B. Virginis. Ita similiter, quia ad actionem agentis secundi naturalis, introducentis dispositiones ad formam substantialem, debebat sequi eductio ipsius formæ, & generatio totius compositi, quæ tamen non est subsecuta, defectu materiæ, potest agens naturale dici quodammodo generare tale compositum.

34. Sed contra: Nulla actio potest esse nec subinde dici generatio, nisi attingat unionem materiæ cum forma, hoc enim ad minus est de essentia generationis; unde B. Virgo non diceretur generasse Deum, si non attigisset unionem materiæ cum forma humanitatis, à Verbo Divino assumptæ: Ergo si quando ex speciebus sacramentalibus producuntur vermes, agentia naturalia non attingant unionem formæ cum materia, sed quantitas panis convertatur à Deo in totum compositum, productio illa vermium, nullo modo poterit dici vera generatio, subindeque dicendum erit, D. Thomam hîc ar.5. & alibi sæpe, impropriissimè fuisse locutum, cùm dixit ex speciebus sacramẽtalibus naturaliter posse generari aliquod compositum substantiale.

35. Dices, Idem S. Doctor hîc art. 6. ait species sacramentales converti in substantiam quæ ex eis generatur: At substantia quæ ex eis generatur non est materia, hæc enim est ingenerabilis, sed compositum: Ergo ex D. Thoma, quando ex speciebus sacramentalibus aliquid generatur, tunc quantitas panis à Deo convertitur in totum compositum.

36. Respondeo D Thomam, nomine conversionis, non intelligere actionem aliquam divinam & miraculosam, à solo Deo procedentem, sed ipsam actionem agentis naturalis, quod generando ex speciebus sacramentalibus compositum de novo, potest dici convertere virtute talis actionis quantitatem in illam substantiam de novo productam; sicut ignis generando ignem ex ligno, dicitur convertere lignum in ignem. Quod verò hæc interpretatio legitima sit, ex eo patet quòd D. Thomas hîc art.5. ad 1. respondens difficultati in ratione dubitandi propositæ, quomodo scilicet possit aliquid generari ex speciebus Eucharisticis, cùm sub illis nulla sit materia ex qua forma educatur, recurrit ad quantitatem specierum, & ait illam in tali generatione gerere vices materiæ: non deberet autem S. Doctor ad hoc recurrere, nec tantoperè laborare ad inveniendum subjectum ex quo forma educatur, si existimaret ibi nullam intervenire formæ eductionem, sed quantitatem panis in totum compositum de novo genitum converti, ut docent Recentiores illi Thomistæ contra quos disputamus: Ergo &c. In quo verò sensu intelligendum sit id quod ait S. Thomas, nempè quantitatem in prædicta eductione & generatione vermium, gerere vices materiæ, explicabimus articulo sequenti, ubi etiam rationi dubitandi initio hujus articuli propositæ, plenè satisfaciemus.

ARTICULUS V.

Utrum in generatione vermium ex speciebus Eucharisticis, adveniat nova materia à Deo producta, ex cujus potentia educatur forma vermis, vel ipsa quantitas tunc gerat vices materiæ?

37. FUit olim celebris opinio quorundam Theologorum existimantium quod quando ex speciebus Eucharisticis generatur aliquid, nulla

nulla producitur à Deo materia prima, ex cujus potentia educatur forma substantialis geniti; sed quod ipsa quantitas tunc gerat vices materiæ, non solùm ad recipiendum dispositiones prævias, sed etiam ad eductionem formæ substantialis compositi de novo geniti, ita ut compositum illud constet solùm quantitate & forma substantiali. Ita docent Henricus quodlib.4. quæst.36. Ægidius Theoremate 44. & 45. Ruardus Taper art. 14. & ex Thomistis Ferrariensis 4. contra Gentes cap.66. & Viguerius in institutionibus Theologicis cap.16. §.3. Illi etiam aperte favere videtur S Thomas hîc art.5. in corp. ubi hæc scribit: *In ipsa consecratione miraculosè datur quantitati dimensivæ panis & vini, quòd sit primum subjectum subsequentium formarum: hoc autem est proprium materiæ, & ideò ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensivæ omne illud quod ad materiam pertinet, & ideò quidquid posset generari ex materia panis, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiva panis & vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti.*

Dico tamen, quando ex speciebus sacramentalibus aliquid generatur, produci à Deo materiam primam, ex cujus potentia educitur forma substantialis geniti, & in qua recipitur, & non in quantitate.

38. Probatur primò ex D. Thoma in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 4. ad 4. ubi hæc scribit: *Secundum quamlibet positionem oportet ponere aliquid in hac generatione esse miraculosum, & aliquid naturale: reditus enim substantiæ, vel creatio materiæ, vel conversio dimensionum in materiam, est miraculum. Sed quod materia jam existens recipiat talem formam, cujus dispositiones præcesserunt in dimensionibus, hoc est naturale.* Quibus verbis clarissimè docet, quod quando ex speciebus sacramentalibus aliquid generatur, producitur à Deo materia prima, vel per creationem, vel per conversionem quantitatis in ipsam.

39. Nec valet expositio Ferrariensis, dicentis per conversionem dimensionum in materiam, non intelligere D. Tho. desitionem dimensionum, & successionem materiæ loco ipsarum; sed proprietatem ipsarum transire in proprietatem materiæ, in quibus manentibus, & vim substantiæ retinentibus, recipitur forma substantialis. Non valet, inquam, hæc interpretatio, repugnat enim manifestè menti S. Doctoris, nam hîc art. 5. ad 3. asserit quantitatem specierum, quæ miraculosè accepit vim & proprietatem substantiæ in consecratione, *transire in substantiam & dimensiones*, rei scilicet genitæ ex ipsa. Et art. 6. in corp. ait: *Dictum est autem quod species sacramentales possunt converti in substantiam aliquam.* Et ibidem cùm sibi opposuisset quod non videtur nutritio posse fieri ex speciebus sacramentalibus, quia ex iisdem nutrimur ex quibus sumus, homo autem non constat speciebus sacramentalibus, cùm nullum accidens possit esse pars substantiæ, sic respondet: *Ad secundum dicendum quod species sacramentales, etsi non sint ea, ex quibus corpus hominis constat, tamen in ea convertuntur, sicut dictum est:* Ergo censet. D. Thomas, tunc non manere quantitatem quæ gerat vices materiæ, sed eam converti in substantiam quâ homo nutritur. Unde in 4. dist. 12. qu. 1. art. 2. quæstiunc. 5. ad 2. sic ait: *Accidentia manentia in suo esse accidentali non nutriunt, sed eo modo quo in aliud convertuntur, vel aliud sub eis creatur, vel redit.* Quibus verbis apertè declarat, in nutritione hominis ex speciebus sacramentalibus, vel in generatione vermium ex illis, accidentia separata non manere ut subjectum formarum substantialium, quamvis sub opinione relinquat, an materia ex qua constat genitum, fiat per conversionem, vel creationem, vel reditum. De quo postea.

40. Probatur secundò conclusio ratione fundamentali. De ratione omnis compositi materialis & physici est, constare ex materia & forma, nec potest dici aliter corpus physicum: unde D. Thomas 1. parte quæst. 75. art. 4. & 1. contra Gentes cap. 21. docet quod homo & reliqua entia naturalia, ex sua definitione & essentia, constant materiâ & formâ, tanquam partibus intrinsecis & essentialibus: Sed vermis ex speciebus sacramentalibus genitus, est verè compositum physicum & materiale: Ergo constat ex materia & forma, subindeque quando generatur ex hujusmodi speciebus, necessariò produci debet à Deo materia prima, ex cujus potentia, forma substantialis vermis educatur.

41. Confirmatur: Compositum physicum est ens per se: Sed ex quantitate & forma substantiali non potest resultare unum per se: Ergo nec compositum physicum. Major patet, Minor probatur. Compositum per se debet fieri ex actu & potentia: Sed quantitas & forma substantialis non se habent per modum potentiæ & actûs, cùm actus & potentia, juxta Aristotelem, debeant esse ejusdem generis: Ergo ex quantitate & formâ substantiali non potest resultare unum per se.

42. Probatur tertiò conclusio: Quando ex speciebus Eucharisticis generantur vermes, forma substantialis compositi generandi, educitur ab agente naturali: Sed non potest educi ab agente naturali de potentia quantitatis: Ergo necesse est quòd tunc producatur à Deo aliqua materia, è cujus sinu forma substantialis vermis educatur, Major patet ex suprà dictis, Minor verò probatur. Agens naturale non potest educere formam de potentia subjecti, nisi illa potentia sit naturalis, hæc enim sola continetur intra limites agentium naturalium: Atqui potentia quam habet quantitas ad formam sustentandam, non est naturalis, sed ad summum obedientialis, subindeque soli Deo subjecta: Ergo agentia naturalia non possunt educere formam vermis è sinu quantitatis.

43. Dices, quod quamvis quantitati absolutè non sit naturalis illa potentia receptiva formæ substantialis, benè tamen quantitati per se subsistenti, ideóque supposito primo miraculo, quo quantitati datus est modus per se existendi, naturale ipsi erit quod recipiat formam.

Sed contra: Capacitas recipiendi non convenit quantitati ratione illius modi, sed ratione propriæ entitatis: Ergo si antea non habebat capacitatem naturalem, nec postea habebit. Consequentia manifesta est, Antecedens probatur ex eo quod causæ materialis & formalis non alio modo causant, quàm per exhibitionem & communicationem propriæ entitatis; unde dicitur communiter quod in causis materialibus & formalibus non datur distinctio potentiæ ordinariæ & extraordinariæ.

44. Denique suaderi potest conclusio ex variis absurdis & inconvenientibus quæ sequuntur ex adversa sententia. Si enim genitum ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

speciebus sacramentalibus, nullâ constaret materiâ, sed solùm quantitate, vices materiæ gerente,& formam productam sustentante, sequeretur in primis quod vermes geniti ex speciebus sacramentalibus,non essent composita neque substantialia neque accidentalia, sed monstra naturæ, aut semi-substantiæ, & semi-accidentia. Secundò sequeretur quod acetum ex speciebus vini corruptis genitum, non esset ejusdem naturæ & speciei, cum alio aceto ex vino corrupto genito, subindeque quod non posset eosdem specie producere effectus. Tertiò, daretur miraculum perpetuum, quantitas enim illa quæ rationem haberet materiæ, esset sine subjecto, non solùm quandiu duraret Eucharistia, sed etiam postea, usque ad finem mundi; ita ut licèt infinitæ generationes fierent successivè ex ipsa, semper sine subjecto remaneret, & vicem materiæ primæ exerceret, quia non est major ratio de una generatione, quàm de alia. Demum fieri posset ut qui nutriretur solis speciebus Eucharisticis, ita se haberet quòd ejus anima partim informaret materiam primam,partim solam quantitatem; & sic quòd ille non esset nisi semi-homo, & semicompositum? Quod est (ut rectè ait Soto) totam Philosophiam ludibrio exponere.

45. Ad locum verò D. Thomæ, qui est præcipuum Adversariorum fundamentum, facilis est responsio, dicendo cum Cajetano, Capreolo, & alijs Thomistis, mentem D. Thomæ esse, quantitatem specierum accipere miraculosè in ipsa consecratione, quòd fungi possit officio materiæ, & esse subjectum subsequentium formarum accidentalium, nempè qualitatum, species consecratas alterantium, non verò formæ substantialis compositi quod de novo producitur, ad corruptionem illarum specierum. Unde cùm addit, *Quidquid posset generari ex materia panis, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiva*, non sumit generationem pro eductione & receptione formæ geniti(illa enim non ex quantitate,sed ex materia à Deo producta educitur, & in ejus sinu recipitur(ut suprà ostensum est)sed pro alteratione præcedenti, quæ ad talem eductionem & formæ receptionẽ disponit:hæc enim alteratio in quantitate vices materiæ gerente recipitur.

46. Si autem quæras, per quam actionem à Deo producatur materia è cujus sinu forma compositi geniti educitur, an per creationem, vel per conversionem quantitatis specierum in ipsam? Respondeo breviter, quod licèt D. Thomas loco suprà in prima probatione conclusionis citato, hoc indecisum reliquerit, & utrumque probabile indicaverit, dicens illam vel per creationem, vel per conversionem fieri; nihilominus magis convenienter dicitur fieri ex quantitate per conversionem, quàm de novo creari. Tum quia magis connaturale videtur,ut illud subjectum in quod agens naturale introduxit accidentia disponentia ad formam substantialem; cùm non possit recipere ipsam formam substantialem, convertatur à Deo in materiam in qua debet recipi talis forma. Tum etiam, quia ex vi prioris miraculi, magis connaturaliter sequitur, ut sicut substantia panis fuit in corpus Christi conversa, ita quod remanet de substantia panis, scilicet quantitas, convertatur in materiam ex qua educenda est forma substantialis. Unde D.Thomas hîc art. 5. in corp.& in resp.ad 2.& ad 3. docet, cùm ex speciebus consecratis aliquod compositum substantiale generatur, materiam produci in instanti generationis, per conversionem quantitatis in ipsam.

Sed circa hoc gravis occurrit difficultas quæ 47.
solet pertractari in Philosophia, quomodo scilicet in tali casu vera generatio salvari possit? Omnis enim generatio creata essentialiter est mutatio; unde Philosophus 8. phys. textu 62. ait quod generatio est mutatio de non ente in ens, & D. Thomas quæst. 2. de potentia art. 1. ad 15.dicit quod generatio est species mutationis:At si cùm ex speciebus consecratis aliquod compositum substantiale producitur, materia solùm in instanti generationis producatur à Deo, per conversionem quantitatis in ipsam, non poterit verè mutari, seu transire de privatione ad formam, cùm in instanti generationis ipsa forma in eam introducatur: Ergo tunc non poterit esse vera generatio.

Huic difficultati dupliciter respondent Tho- 48.
mistæ in Philosophia: Carmelitæ enim Complutenses disp. 2. de generat. quæst 2. §.4.& 5. cum aliis quos referunt, dicunt generationem substantialem non esse essentialiter mutationem, sed resultantiam quæ definitur per mutationem, quia eam per se petit, estque vera radix illius; subindeque asserunt quod quamvis naturaliter non possit dari generatio sine mutatione, supernaturaliter tamen sine illa esse potest; & de facto sine illa reperitur, cùm ex speciebus sacramentalibus corruptis aliquod compositum substantiale generatur.

Alij verò qui existimant generationem crea- 49.
tam esse essentialiter mutationem, aliter argumento respondent. Nam Joannes à S. Thoma lib. 1. de generat. quæst. 1. art.1. & Martinez à Prado ibidem quæst.3. num. 18. dicunt quod cùm de æquipollentibus eadem sit ratio, & idem judicium, ut ait Cajetanus hîc art. 5. ad quartum, ad hoc ut productio vermis ex speciebus sacramentalibus sit vera generatio, & mutatio, sufficit quod aliquid æquipollens materiæ, & gerens vices illius, scilicet quantitas, toto tempore antecedenti instans generationis, sub privatione formæ fuerit.

Alij tandem asserunt, quod ut aliqua produ- 50.
ctio sit vera generatio, seu eductio, non requiritur quòd subjectum præcedat formam educendam, prioritate temporis, sed sufficit prioritas naturæ, in genere causæ materialis; Deus enim eduxit gratiam de potentia obedientiali naturæ angelicæ, & tamen in tali eductione subjectum non præcessit formam prioritate temporis, sed solùm prioritate naturæ, in genere causæ materialis, quia Deus gratiam Angelis dedit in primo instanti creationis, juxta illud Augustini: *Erat Deus in Angelis condens naturam, & largiens gratiam.* Cùm ergo in productione vermium ex speciebus Eucharisticis, materia in instanti generationis producta,præcedat simili prioritate naturæ in genere causæ materialis formam vermis, illa productio verè potest dici eductio & generatio.

Dices, Licèt ad eductionem non requiratur 51.
necessariò quòd subjectum præcedat formam prioritate temporis, sed interdum sufficiat prioritas naturæ, ut patet in exemplo adducto de gratia Angelorum; ad veram tamen eductionem semper exigitur, quod si subjectum non præcedat formam prioritate temporis, saltem terminet propriam actionem, distinctam ab ea quâ forma producitur; alioquin formæ cœlorum & elementorum possent dici eductæ de potentia materiæ, cùm ea tales formas prioritate naturæ in genere causæ materialis præcesserit: Sed materia prima non potest terminare propriam actionem: Ergo si illa in productione vermium ex speciebus Eucharisticis, non præcedat formam prioritate temporis, sed in instanti hujus productionis à Deo producatur per conversionem quantitatis in ipsam, illa forma non potest dici educta de potentia materiæ, nec talis productio verè generatio appellari potest. Major patet, Minor probatur. Quod nullam habet propriam existentiam, est incapax terminandi propriam actionem; cùm enim omne fieri ordinetur ad esse, quod non habet proprium esse, non potest habere proprium fieri: Sed materia prima,in sententia Divi Thomæ, & Discipulorum ejus, caret existentiâ sibi propriâ, nec existit nisi per existentiam formæ: Ergo est incapax terminandi propriam actionem.

52. Huic difficili instantiæ respondeo, concessâ Majori, negando Minorem; ad ejus verò probationem respondent aliqui recentiores Thomistæ, quòd licèt id quod non habet propriam existentiam, non possit terminare propriam actionem productivam, benè tamen actionem conversivam; quia actio conversiva (inquiunt) non terminatur necessariò ad existentiam rei quæ convertitur, sed ad solam ejus entitatem terminari potest.

53. Sed hæc solutio displicet, quia omnis conversio substantialis est vera productio illius substantiæ in quam altera transmutatur, ut ostendimus suprà disp. 4. art. 2. §. 2. conclusione ultimâ: unde ibidem diximus, actionem conversivam quâ corpus Christi ponitur sub speciebus Eucharisticis, esse verè productivam corporis Christi, non simpliciter & absolutè, sed tali modo, scilicet ex alia substantia, quæ in ipsum convertitur, & in cujus locum succedit. Hac ergo rejectâ solutione.

54. Respondeo dupliciter rem aliquam posse terminare propriam actionem: primò per se, ita ut talis res connaturaliter petat habere proprium fieri: secundò per accidens, & ob indigentiam alterius, ex eo quòd juxta occurrentes aliquas circunstantias, non potest aliter subveniri tali indigentiæ, & hoc secundo tantùm modo dicimus materiam primam in nostro casu terminare propriam actionem; quia enim compositum de novo genitum ex speciebus sacramentalibus, esse non potest sine materia prima, ut contra Ferrariensem suprà ostendimus, & aliunde non potest agens naturale suâ actione illam producere, ex vi prioris miraculi quo substantia panis fuit destructa, obligatur Deus ad producendam materiam primam; quæ productio est tantùm per accidens, ob indigentiam prædicti casûs, & indispensabiliter petit conjungi actioni agentis naturalis, simul & semel educentis formam substantialem, quâ actione toti composito communicatur unica existentia.

5. Ad argumentum ergo respondeo, quod quamvis id quod terminat propriam actionem per se & connaturaliter, gaudere debeat propriâ existentiâ, non tamen quod terminat solùm ob indigentiam explicatam. Cujus ratio est, quia actio quæ ponitur tantùm ad subveniendum prædictæ indigentiæ, non debet terminari necessariò nisi ad illud per quod ipsi subvenitur: subvenitur autem ipsi indigentiæ sufficienter, per ipsam solam entitatem materiæ primæ, quia hæc actio ponitur tantùm ad producendam in composito genito materiam, ad hoc præcisè ut agens naturale possit educere formam de potentia illius, ac proinde dependenter ab ejus causalitate:unde cùm causa materialis non causet inquantum est actu existens, sed tantùm ratione propriæ entitatis, ut suppono ex Philosophia, consequenter subvenitur sufficienter indigentiæ propter quam ponitur hæc actio, per hoc quod dicatur terminari ad solam entitatem materiæ. Unde quando dicitur: omne fieri terminatur ad esse, distinguendum est: omne fieri per se, concedo. Fieri per accidens, modo explicato, nego. Sufficit enim quod conjungatur indispensabiliter alteri actioni per quam communicetur esse in eodem instanti.

Legendus est ultimus articulus,in quo ostendit Sanctus Doctor, quod si speciebus consecratis extraneus liquor in tanta quantitate misceatur, ut ad totas species pertingat, & vini species mutetur in aliam, desinet ibi esse sanguis Christi. Si verò tam parva fiat alicujus liquoris adjunctio,ut non possit per totas species diffundi,sed solùm per aliquam partem illarum, desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati, remanebit tamen sub aliis.

DISPUTATIO VII.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

Ad quæstionem 78. D. Thomæ.

CUm forma hujus sacramenti consistat in verbis quibus materia consecratur, sicut duplicem habet materiam,nempè panem & vinum, ita & duplicem formam, scilicet formam consecrationis panis, & formam consecrationis vini, de quibus hîc agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

An forma consecrationis panis solùm consistat in his quatuor verbis (Hoc est corpus meum) *subindeque nulla alia requirantur ad valide consecrandum corpus Christi?*

NOnnulli Græci volunt essentialem formam consecrandi panem consistere in hac tota propositione, *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.* Imò alij existimant, ad transmutationem panis in corpus Christi, præter hæc verba necessariò adjiciendas preces quasdam à SS. Patribus traditas,quæ per invocationem Spiritus Sancti vim habent transmutandi panem & vinum in corpus & sanguinem Christi. Ita docent (teste Sixto Senensi) Marcus Episcopus Ephesinus libro de verbis consecrationis, & Nicolaus Cabasilas Thessalonicæ Episcopus, in explicatione Liturgiæ à capite 27. usque ad 30. & Hieremias Patriarcha 1. *Lib. 6. Bibliot. annot. 111.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

triarcha Constantinopolitanus, in censura Lutheri cap. 10. cujus mentionem fecimus suprà disputatione proœmiali art. 14. Eundem errorem Suares hic disputatione 58. sectione 3. tribuit Ambrosio Catharino, opusculo de verbis consecrationis. Sed Vazquez disp. 197. cap. 3. num. 27. dicit se in Catharino hanc sententiam invenire non potuisse. Demum Scotus in 4. dist. 8. quæst. 2. §. *De secundo*, & Angelus verbo *Eucharistia* primò: asserunt omnia illa verba, *Qui pridie quàm pateretur* &c. usque ad finem consecrationis, esse non quidem de essentiâ formæ, sed planè necessaria, ut forma vim habere possit, subindeque si illa non proferantur, nec panem nec vinum consecrari. Pro explicatione veræ & communis sententiæ.

Dico breviter, in his quatuor verbis, *Hoc est corpus meum*, formam necessariam & essentialem consecrationis panis consistere, subindeque, etsi alia antecedentia, vel subsequentia non proferantur, panem in corpus Christi transmutari.

2. Probatur primò conclusio ratione generali. Illa sola verba sunt de essentia formæ quâ consecratur panis, quæ significant præsentiam corporis Christi sub speciebus: Sed hanc significant sola verba in conclusione posita: Ergo in illis solis forma essentialis consecrationis panis consistit. Major patet, Minor probatur. Nam in primis verba illa, *qui pridie*, nullo modo id significant, ut constat; ista verò, *Accipite & manducate*, significant tantùm usum & distributionem, quæ non est de necessitate sacramenti, sed aliquid ipsi extrinsecum. Denique quamvis non addatur, *Quod pro vobis tradetur*, significatur præsentia corporis Christi sub speciebus panis. Unde solus Lucas inter Evangelistas, & solus Paulus inter Apostolos, hæc verba referunt: Ergo &c.

3. Probatur secundò conclusio specialiter contra Scotum: Illa solùm verba necessaria sunt ad consecrandum corpus Christi, quæ Christus protulit conficiendo hoc sacramentum, & Sacerdos profert, ut gerens personam ipsius Christi, ut constat ex Florentino in Decreto unionis, ubi dicitur: *Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris quibus conficitur sacramentum, Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum*: Sed hæc verba, *qui pridie*, neque à Christo conficiente prolata sunt, neque proferuntur à Sacerdote, tanquam ex Christi persona, sed merè historicè, tanquam à Christo dicta: Ergo non sunt necessaria ad consecrandum corpus Christi.

4. Respondet Scotus, quod quamvis verba illa, *qui pridie* &c. neque à Christo prolata sint, neque à Sacerdote ut personam Christi gerente proferantur, sunt tamen necessaria ad consecrandum corpus Christi, per ista verba, *Hoc est corpus meum*: quia Sacerdos dicendo, *Hoc est corpus meum*, loquitur in persona Christi: ut verò Sacerdos significet se tunc in persona Christi loqui, necesse est quod præmittat verba illa, *qui pridie quàm pateretur*.

5. Hoc est præcipuum & ferè unicum Scoti fundamentum, quod facilè potest convelli, falsum enim est, quod ut Sacerdos significet se in persona Christi loqui, opus sit ut præmittat illa verba, *qui pridie quàm pateretur*: quod probatur à pari: Angelus enim, qui dixit Moysi Exodi 3. *Ego sum Deus patris tui*, significavit se loqui in persona Dei, & tamen non dixit Moysi, Deum verba illa dixisse. Item quemadmodum dum quis in theatro Regis vestibus indutus, loquitur in persona Regis quam repræsentat, non est opus ut dicat se loqui in persona Regis, quia omnes ex tali circunstantia id facilè intelligunt: ita omnes Catholici videntes Sacerdotem in altari, sacris vestibus Christum repræsentantem, facilè intelligunt quod loquitur in ejus persona, imò absque tali circunstantia id satis significatur, habitâ notitiâ quòd proferens sit Sacerdos, sicut Legatus intelligitur loqui nomine Regis, habitâ notitiâ quod sit verè Legatus.

6. Probatur tertiò conclusio specialiter contra Græcos illos, qui asserunt verbis consecrationis addendas esse precationes & benedictiones quasdam, ad hoc ut corpus Christi conficiatur: nam ex perpetua Ecclesiæ traditione, immediatè post prolata verba consecrationis, Sacerdos panem & vinum consecratum proponit populo adorandum, non solùm in Ecclesia Latina, sed etiam in Græca, ut referunt Cardinalis Bessarion in libro de verbis consecrationis, & Petrus Arcudius in Concordia Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ, libro 4. de Eucharistia cap. 13. Ergo sola verba consecrationis sufficiunt ad consecrandum corpus & sanguinem Christi, nec præter illa, ullæ aliæ precationes & benedictiones ad id requiruntur.

7. Objicies primò: In liturgiis sanctorum Jacobi, Basilij, & Chrysostomi, post verba ista, *Hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei* &c. orat Sacerdos, ut panis & vinum fiant corpus & sanguis Christi: Ergo per sola illa verba, panis & vinum in corpus & sanguinem Christi non transmutantur, nisi aliæ precationes & benedictiones addantur.

Confirmatur: Divus Basilius in sua liturgia, post eadem verba recitata, vocat panem & vinum ἀντίτυπα corporis & sanguinis Christi, id est symbola seu signa corporis & sanguinis Christi: Sed non deberent ita vocari, si tunc in corpus & sanguinem Christi essent transmutata: Ergo &c.

8. Ad objectionem dicendum est, in liturgiis illis, vel non peti ut fiat simpliciter corpus Christi, sed ut fiat nobis, id est nobis proficiat, & non venenum sit, culpâ nostrâ, quod debet esse antidotum, & cibus salutaris, ut Græci exposuerunt in Florentino, hac de re interrogati. Vel solùm rogari Deum, ut licèt sermo Christi in voce transierit, remaneat tamen ejus effectus sub symbolis seu speciebus panis & vini, ut interpretatur Gratianus Hervetus in præfatione operis Cabasilæ à se translati. Similemque ait loquendi modum inveniri apud Marcum cap. 5. de muliere profluvio sanguinis laborante, quæ postea quàm à Christo sanata est, ab ipso nihilominus audivit, *Esto sana à plaga tua*; ut significaretur quòd licèt fimbriæ tactus transisset, effectus tamen inde consecutus perseverabat.

9. Aliter liturgias illas interpretatur Cardinalis Bessarion libro suprà citato, ubi ait, corpus dominicum duplex esse, verum scilicet & mysticum, & illud quidem ipsius Domini verbis, cujus corpus est perfectè confici; hoc verò quod ipsi sumus, compleri superadditis Patrum precationibus, quibus post transmutationem panis ac vini in ipsum Christi corpus, Sacerdotes precantur, ut astantes mysteriis, per dignam sacramenti sumptionem, unum cum Christo corpus efficiamur. Quam interpretationem confirmant orationes illæ, quæ statim post consecrationem Eucharistiæ, Basilius & Chrysostomus subnectunt in hæc verba: *Ut omnes qui de uno pane & calice participamus, coadunemur invicem in unius Spiritus Sancti communionem; faciasque accipere sanctum corpus tuum, ut inveniamur misericordiam & gratiam in cœtu omnium Sanctorum.*

Ad confirmationem dico, panem & vinum post consecrationem, à Basilio ἀντίτυπα appellari, vel ratione specierum, quæ sunt signum corporis Christi, non vacuum, sed plenum, & continens id quod repræsentat; vel etiam ratione corporis Christi latentis, cujus hoc sacramentum repræsentatio est, ut disputatione proœmiali art. 11. exposuimus.

10. Objicies secundò: SS. Patres asserunt oratione Sacerdotis consecrari Eucharistiam. Ita enim docent Justinus Martyr Apologia 2. Irenæus lib. 4. cap. 34. ubi ait, *invocatione Spiritus Sancti confici corpus Christi.* Origenes lib. 8. contra Celsum, ubi dicit, *prece fieri ex pane corpus Christi.* Cyrillus Jerosolimitanus catechesi 1. & 5. asserens, *Invocari Sanctum Trinitatem, & peracta invocatione, ex pane fieri corpus Christi.* Hieronymus epist. 85. ad Evagrium, ubi inquit: *Ad sacerdotum preces Christi corpus, sanguisque conficitur.* Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. dicens Eucharistiam esse id *quod prece mystica consecratum sumimus ad salutem.* Demum Gregorius magnus lib. 7. epist. 63. ait, morem Apostolorum fuisse, *ad ipsam solummodo orationem dominicam, oblationis Hostiam consecrare:* Ergo in his solùm verbis, *Hoc est corpus meum*, non consistit forma Eucharistiæ, sed præter illa, alia adjicienda sunt.

11. Respondeo, illos Sanctos Patres, per preces & orationes quibus confici Eucharistiam asserunt, non intelligere quid distinctum à verbis Salvatoris, quæ quia verba sunt, oratio, dici possunt; & quia illis formaliter Hostia immolatur, & mysticè mactatur, preces & oblationes veluti in actu exercito dicuntur. Tunc enim Deum precari jure meritò censemur, cum ei actu litamus, & sacrificij immolatione divinam recognoscimus majestatem. Vel eos respicere ad preces quas consecrationi præmittere Ecclesia in omni suo ritu consuevit. Hac enim de causa, propter illas Ecclesiæ preces, nunquam omitti solitas, orationibus Ecclesiæ & Sacerdotum Eucharistiam confici asseruerunt; non quòd illis formaliter consecretur, sed quia consecrationem ejus immediatè & semper antecedunt. Quod verò interpretationes illæ legitimæ sint, & menti SS. Patrum consonæ, constabit ex illorum testimoniis infra articulo 3. referendis, quibus asseruntur, his verbis salvatoris, *Hoc est corpus meum*, Eucharistiam consecrari, & benedictionem panis & vini factam à Christo in nocte cœnæ, fuisse ipsam consecrationem. Quantùm verò ad Gregorium magnum, asserentem, morem Apostolorum fuisse, *ad ipsam solummodo orationem dominicam, oblationis Hostiam consecrare*, dicendum est, ipsum duntaxat voluisse, post consecrationem recitari orationem dominicam, uti Apostolorum sacra traditio ferebat, non quòd per illam orationem Apostoli consecrarint, sed quia inter celebrandum Missæ sacrificium, hujus orationis recitationem nequaquam prætermittebant. Unde non ait per orationem dominicam, sed ad illam solummodo Apostolos consecrasse: quia tunc propter temporis & persecutionis angustias, non multbant, sed contenti erant recitatione solius orationis Dominicæ, quæ, ut ait Tertullianus, est *breviarium Evangelij.* Cyprianus: *Cœlestis doctrinæ compendium* Ambrosius, *cunctarum plena virtutum.*

Ex dictis inferes, particulam *enim* non esse 12.
de essentia formæ consecrationis panis. Tum quia nihil confert ad significandum effectum formæ, subindeque per ejus ablationem non mutatur sensus essentialis formæ. Tum etiam quia particula illa habet quidem connexionem cum antecedentibus, ex eo quod reddit rationem præcedentium; sed sicut antecedentia non sunt de essentia formæ, ut jam dictum est, ita nec ipsa particula, quamvis, qui illam omitteret scienter, sine dubio peccaret mortaliter, sicut & ille qui omitteret antecedentia: *Qui pridie quàm pateretur.*

ARTICULUS II.

Utrum omnia verba quæ in consecratione calicis à Sacerdote proferuntur, sint de essentia formæ?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ, & probabilior, ac menti Sancti Thomæ conformior, eligitur.

IN consecratione calicis hæc in Ecclesia Latina verba à Sacerdote proferuntur: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ubi ly *calix* metonymicè usurpatur, id est continens pro contento, eo modo quo dicitur, bibe calicem vini, id est vinum contentum in calice; unde per verba illa, *calix sanguinis mei*, meliùs significatur sanguis Christi ut potabilis, quàm si diceretur, *hic est sanguis meus*, cùm sanguis secundùm se non sit idoneus potui. Verba autem sequentia explicant tres effectus passionis & sanguinis Christi. Primus est adeptio vitæ æternæ, quam expectamus veluti hæreditatem per Christi sanguinem, tanquam testamentum morte ejus sanctum; & ad hunc effectum explicandum ponitur ly *novi & æterni testamenti*; quia testamentum vetus bona tantùm temporalia promittebat, novum verò æternam gloriam; unde etiam in æternum durabit, cùm tamen antiquum jam habuerit finem, sicut & bona quæ promittebat. Secundus effectus est fides quæ in ista vita habetur, & sic significatur per hæc verba, *mysterium fidei*, fides enim in nullo Christianæ religionis mysterio magis elucet, quàm in hoc sacramento. Tertius est remissio peccatorum, qui significatur illis verbis: *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* 13.

Hæc certa & indubitata sunt apud omnes, 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed gravis difficultas est, & celebris controversia, an omnes istæ particulæ sint de essentia formæ consecrationis calicis, subindeque adeò necessariæ, ut demptâ aliquâ ex ipsis, invalida reddatur consecratio; vel talis forma in istis solùm quatuor verbis, *Hic est sanguis meus*, essentialiter consistat, & per consequens per ea tantùm vinum in sanguinem Christi transmutetur.

Prima sententia asserit solùm verba illa, *Hic est sanguis meus*, esse de essentia consecrationis calicis, alia verò sequentia, ad majorem tantùm explicationem pertinere, & consequenter esse merè accidentalia. Ita Suarez, Vazquez, Delugo, & alij Recentiores communiter.

Secunda fatetur quidem solùm quatuor priora verba ad essentiam consecrationis calicis pertinere, negat tamen alia merè accidentaliter ad illam se habere, sed vult ea esse de substantia & integritate ejus. Ita Cajetanus, Soto, Nuño, Joannes à Sancto Thoma, Marcus à Serra, & plures alij ex recentioribus Thomistis, qui diligenter observandum esse aiunt discrimen quod inter substantiam & essentiam rei reperitur, multa enim sunt substantialia, quæ non sunt essentialia, verbi gratiâ partes omnes integrantes, putà in homine nasus, digitus &c. sunt de substantia hominis, & tamen non sunt de ejus essentia; & apud gravissimos Theologos, satisfactio censetur pars substantialis, non tamen essentialis sacramenti pœnitentiæ; & in forma absolutionis, hæc verba, *à peccatis tuis*, censentur substantialia, non verò essentialia.

Tertia existimat omnia prædicta verba quæ in consecratione calicis à Sacerdote proferuntur, esse de essentia formæ, & non solùm de ejus integritate & substantia, exceptis tribus istis particulis, *æterni mysterium fidei*. Hanc docent Petrus Corneio, & Philippus à S. Trinitate.

Quarta demum asserit, formam consecrationis vini omnia verba suprà dicta essentialiter complecti, subindeque si aliquod ex illis prætermittatur, non fieri consecrationem sanguinis. Ita Capreolus, Paludanus, S. Antoninus, Sylvester, Tabiena, Viguerius, Petrus Soto, Aravius, Bartholomeus Spina Magister sacri Palatij, in opusculo de forma consecrationis sanguinis cap. 3. pluresque alij tam domestici quàm extranei, quos citat & sequitur Martinez à Prado hìc dubio 5. §. 2. illisque novissimè subscripsere P. Nicolai in scholiis ad articulum 3. hujus quæstionis, & P. Labat Tractatu 2. disputatione 4. dubio 11. §. 2. Quam sententiam esse valdè probabilem, & magnæ authoritatis, fatetur Suarez, præcipuè propter authoritatem D. Thomæ, qui pro ea manifestè stare videtur; unde licèt difficilis sit, ob argumentum desumptum ex Liturgiis Græcorum, in quibus plura ex prædictis verbis non leguntur; nihilominus hujus S. Doctoris & tot illustrium Thomistarum vestigiis inhærens.

15. Dico, probabilius esse, & menti S. Thomæ conformius, omnia verba quæ in consecratione calicis proferuntur, esse de essentia formæ.

Probatur primò conclusio ex D. Thoma, qui hìc art. 3. docet hæc omnia verba esse de substantia formæ calicis: Sed nomine *substantiæ* intelligi debet essentia: Ergo juxta D. Thomam, hæc omnia verba sunt de essentia formæ calicis. Major patet, Minor probatur multipliciter. Primò quia quotiescumque D. Thomas agit de essentia sacramentorum, pro eodem accipit esse de substantia ac de essentia, ut patet ex quæstione 60. art. 8. ubi generaliter docet quod *si diminuatur aliquid eorum quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum*, ubi manifestè substantia pro essentia usurpatur, cùm solùm tollatur sensus verborum, quando tollitur aliquid quod est essentiale formæ: Ergo cùm doctrinam generalem ibi traditam, nunc applicet formis Eucharistiæ, ne laboret in æquivoco, substantiam accipit pro essentia.

Secundò, D. Thomas in eodem sensu accipit 16.
nomen *substantiæ*, cùm ait initio hujus articuli 3. *Quidam dixerunt quod de substantia formæ hujus est hoc solum quod dicitur, Hic est calix sanguinis mei, non autem ea quæ sequuntur*, ac postea, cùm subdit paulò post: *Et propter hoc sunt alij qui melius dicunt, quod alia sequentia sunt de substantia formæ, usque ad hoc quod postea sequitur, Hæc quotiescumque feceritis, quod pertinet ad usum sacramenti, unde non est de substantia formæ*; alioquin intra paucas lineas nomen *substantiæ*, nimis æquivocè usurparet, quod dicendum non est: Sed in prioribus verbis, nomen *substantiæ*, pro essentia accipit, cùm Authores illi quos refert assererent verba hæc, *Hic est calix sanguinis mei*, non autem ea quæ sequuntur, esse de essentia formæ: Ergo & in posterioribus, dum contra illos Authores concludit, etiam verba sequentia esse de substantia formæ, nomen substantiæ pro essentia accipit.

Tertiò, Idem est esse aliquid de necessitate 17.
formæ, & esse essentiale formæ, ut in confesso est apud omnes: Sed D. Thomas in 1. ad Corinthos 11. lectione 6. refellit eos ex professo, qui non omnia esse de *necessitate formæ* opinantur, illudque non videri convenienter dictum probat: Ergo omnia verba prædicta esse de essentia formæ existimat.

Quartò, quæ habent vim productivam effec- 18.
tûs sacramentalis, ad essentiam sacramentorum pertinere censentur: Sed D. Thomas ibidem asserit, omnia verba prædicta habere vim effectivam ad transmutandum vinum in sanguinem Christi, sic enim ait: *Quia formæ sacramentorum significando efficiunt, totum pertinet ad vim effectivam formæ*: Ergo censet, omnia illa verba esse de essentia formæ calicis, & non solùm de ejus substantia & integritate.

Quintò, Idem S. Doctor in 4. sent. dist. 8. 19.
qu. 2. art. 2. quæstiunc. 1. relatâ opinione eorum qui dicunt hæc solùm verba, *Hic est calix sanguinis mei*, esse de forma consecrationis calicis, ut forma utriusque consecrationis sit consimilis, subdit paulò post: *Alij probabilius dicunt quod totum quod sequitur est de forma*. Quòd verò loquatur de forma essentiali, patet ex solutione ad 3. quod sic procedebat: *Proprietates naturaliter consequuntur substantiam rei: Sed illud quod consequitur substantiam, non potest esse effectivum transubstantiationis: Ergo cum illa verba quæ sequuntur, designent aliquas proprietates sanguinis, in quem fit transubstantiatio, videtur quod non sint de forma*. Nam huic argumento sic respondet: *Ad tertium dicèdum quod quamvis illa quæ sequuntur, sint ut proprietates consequentes Christi sanguinem,*

nem, inquantum hujusmodi, sunt tamen essentiales sanguini Christi, inquantum est per passionem effusus.....& ideò illa quæ sequuntur, sunt essentialia sanguini, prout in hoc sacramento consecratur, & ideò oportet quod sint de substantia formæ. Ubi clarè accipit substantiam pro essentia. Unde sic licet arguere: Quæ sunt essentialia sanguini, prout in hoc sacramento consecratur, sunt etiam de essentia formæ per quam fit talis consecratio: Sed ex D. Thoma, *verba quæ sequuntur, sunt essentialia sanguini*, prout in hoc sacramento consecratur: Ergo & formæ per quam fit talis consecratio.

20. Sextò, S. Thomas ibidem quæstiunc. 2. in responsione ad 8. docet idem esse dicendum de mutatione, aut additione, & subtractione horum verborum quæ in consecratione calicis proferuntur, quod dicitur de forma Baptismi: At hæc regula & doctrina falsa esset, si omnia illa verba non pertinerent ad essentiam formæ, sed solùm ad ejus integritatem; posset enim in eis fieri aliqua mutatio, additio, vel subtractio, quæ non posset fieri in forma Baptismi; cùm ea quæ non pertinent ad essentiam sacramentorum, tolli aut mutari possint, salva eorum essentiâ: Ergo D. Thomas censet omnia illa verba esse de essentia formæ calicis.

21. Demum, cùm idem S. Doctor, tum hìc art. 3. tum in 4. libro sententiarum dist. 8. art. 2. & alibi sæpè, sibi eadem argumenta opponat, quæ nobis objiciunt Adversarij, quis non videat ipsum pro nostra stare sententia? Cui etiam adhærent Concilium Coloniense, & Catechismus Pij V. ipseque Pontifex, qui oppositam sententiam jussit expungi ex Commentariis Cajetani, qui hac in parte D. Thomam deserebat, & in prædicto Catechismo hæc inseri verba: *Opus est ut Sacerdos Eucharistiæ formam cognitam & perspectam habeat: eam igitur his verbis comprehendi, certò credendum est: Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Unde in Ecclesia Latina omnia illa verba proferuntur eodem ritu & modo, tenendo calicem in manu, & antequam proponatur sanguis populo adorandus.

§. II.

Eadem veritas ratione suadetur.

22. CUm sacramenta ex sola Christi institutione dependeant, nulla potest assignari ratio à priori nostræ conclusionis, potest tamen hac probabili congruentiâ & ratione suaderi. Eucharistia non solùm est instituta ad significandum corpus & sanguinem Christi, per modum cibi & potûs, sed insuper ad simul explicandam efficaciam passionis Christi nobis communicatam cum perpetuitate per modum testamenti novi, & prout est unum ex præcipuis fidei nostræ mysteriis, tribuitque vitam æternam, & peccata remittit: Ergo conveniens fuit, ut in forma essentiali includat omnia verba illa quæ tales proprietates & effectus Eucharistiæ significant.

23. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio, demonstrando hæc saltem verba, *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, esse de essentia formæ calicis. Verba illa sunt de essentia formæ calicis, quæ necessaria sunt ad exprimendum adæquatè & perfectè naturam Eucharistiæ: Sed verba prædicta ad hoc necessaria sunt: Ergo sunt de essentia formæ calicis. Major patet, quia formæ sacramentorum, eorum naturam exprimunt, ut patet in forma Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ &c. Minor verò suadetur. Eucharistia non solùm constat ex ratione sacramenti, sed etiam sacrificij: Atqui natura sacrificij nequit exprimi, nisi per sanguinis effusionem, nam ut docet Apostolus ad Hebræos 9. sacrificium in sanguinis effusione completur & consummatur; quia per victimam quam in sacrificium Deo offerimus, protestamur illum esse authorem vitæ & mortis; victima verò non est apta ad hoc significandum, nisi per sanguinis effusionem; quandiu enim animal non immolatur per sanguinis effusionem, non repræsentat dominium quod Deus habet in vitam & mortem omnium: Ergo verba illa, *qui pro vobis & pro multis effundetur &c.* necessaria sunt ad exprimendum adæquatè & perfectè naturam Eucharistiæ.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio, 24.
exemplo formæ Baptismi: Nam quia Baptismus non solùm est sacramentum institutum ad regenerandos fideles, sed etiam fidei protestatio, de essentia formæ ipsius, non solùm sunt verba quæ gratiam regenerativam significant, sed etiam illa quæ personarum Trinitatem, quod potissimum est Christianæ fidei mysterium, exprimunt. Similiter ergo, cùm Eucharistia non solùm habeat rationem sacramenti, sed etiam sacrificij, non solùm ea verba erunt de essentia formæ calicis, quæ præsentiam sanguinis Christi sub speciebus vini significant, quæ pertinet ad rationem sacramenti; sed etiam ea quæ exprimunt sanguinis effusionem, quâ significatur & declaratur natura sacrificij.

Dices primò, rationem sacrificij sufficienter 25.
exprimi per separationem sacramentalem sanguinis à corpore, quæ major est & expressior, quàm per verba.

Sed contra: In reliquis sacramentis non sufficit ut effectus sacramentalis exprimatur solis rebus, sed requiritur ut etiam exprimatur verbis, idipsum significantibus quod res repræsentant: Ergo nec sat erit ad sacrificium novæ legis exprimendum, sola expressio rerum, sed requiritur præterea significatio verborum, cùm non minùs significatio sacrificij, quàm sacramenti, in nova lege ordinata sit ad instituendos Christi fideles.

Instabis: Hæc verba, *Hic est sanguis meus*, 26.
non solùm ponunt sanguinem Christi, mysticè separatum à corpore, sed etiam significant illum, ut mysticè à corpore separatum: Ergo sufficienter exprimunt naturam sacrificij.

Sed contra: Esto verba exprimentia conversionem vini in sanguinem Christi, significent illum ut mysticè separatum à corpore, adhuc per hoc non exprimitur sufficienter natura sacrificij; quia etiam actio mysticè separans sanguinem à corpore in altari, est de se indifferens, ut sit separativa per modum cibi & potûs tantùm, vel etiam per modum sacrificij: Ergo ut sit mysticè separativa etiam per modum sacrificij, debet exprimi per ly *effundetur*, cùm in forma calicis nullum sit aliud verbum, quod mysticam illam sanguinis à corpore separationem, ad rationem sacrificij determinare possit:

Universidad de Deusto
Biblioteca

possit : hoc enim verbum perfectè exprimit actionem quâ victima immolatur.

27. Denique probari potest conclusio specialiter contra Sotum & alios ex Adversariis, qui docent, verba ista, *Novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, ideò dici de substantia non verò de essentia formæ calicis, quia in arbitrio consecrantis est, ut vel per illa, vel sine illis, conversionem vini in sanguinem Christi efficiat: At hoc videtur absurdum: Ergo &c. Minor probatur: Ut verba sacramentorum efficiant quod significant, non pendet ex intentione ministri, aut Ecclesiæ, sed Christi; unde si Christus instituit, ut per omnia illa verba consecratio perficiatur, etiamsi minister intendat per sola prima verba consecrare, nõ consecrabit. Contra verò si Christus instituit, ut per prima tantùm verba perficiatur sacramentum, non erit in potestate ministri, aut Ecclesiæ, conversionem suspendere usque ad postrema verba. Nimirum quia materia & forma sacramentorum sunt agentia necessaria, quæ cùm primùm sunt, agunt quidquid & quantùm possunt, neque pendent à ministro, nisi quoad applicationem, ut ignis & alia id genus agentia, quæ à nobis tractari quidem & applicari possunt, non tamen impediri quin effectum fortiantur, si applicentur.

28. At dicet Sotus, totum hoc factum esse ex divina institutione, ut si velit, possit minister primis duntaxat verbis conversionem efficere; sub præcepto tamen teneri, ut per omnia verba formæ consecrationem intendat.

Sed hoc voluntarium est, cùm nullum habeat in reliquis sacramentis exemplum, in quibus tota substantialis perfectio & efficacia pendet à voluntate Christi, certa verba formæ determinantis: alioquin dicere similiter quis posset, in arbitrio baptizantis esse, vel per omnia, vel per prima tantùm verba Baptismi effectum exprimentia, perficere sacramentum.

§. III.

Solvuntur objectiones.

29. OBjicies primò: D. Thomas hîc art. 1. ad 4. sic habet: *Si Sacerdos sola verba prædicta proferret, cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum.* Ubi per *verba prædicta*, intelligit quæ in titulo articuli posuerat: Titulus autem ille sic habet: *Vtrum hæc sit forma hujus sacramenti, Hoc est corpus meum, & Hic est calix sanguinis mei?* Ergo censet D. Thomas, in solis istis verbis, *Hic est calix sanguinis mei*, vel *Hic est sanguis meus*, consistere essentialiter formam Eucharistiæ, quoad consecrationem calicis.

30. Confirmatur: Idem S. Doctor art. 3. sequenti, ubi ex professo hanc quæstionem pertractat, ait quòd cùm dicitur, Hic est calix sanguinis mei, *significatur ipsa conversio vini in sanguinem, sicut & in forma consecrationis*: Ergo cùm sacramenta efficiant quod significant, juxta D. Thomam, conversio vini in sanguinem, per sola prædicta verba efficitur.

31. Ad objectionem respondeo quod cùm Sanctus Thomas hîc art. 1. ad 4. ait quod *Si Sacerdos sola verba prædicta proferret &c perficeretur hoc sacramentum*, per ly *sola*, excludit solùm præcedentia, nimirum illa: *Qui pridie quàm pateretur*, non verò subsequentia, scilicet ista: *Novi & æterni testamenti &c.* Patet hoc manifestè ex argumento quod sibi objicit, in quo dicitur quod si alia verba quæ dicuntur in Missa prætermitterentur, acciperentur verba formæ quasi dicta in persona Sacerdotis proferentis, in cujus corpus & sanguinem panis & vinum non convertuntur: quod est fundamentum quo Scotus & quidam alij antiqui Theologi ducebantur ad opinandum, quod sacramentum Eucharistiæ non perficitur, nisi verba illa Canonis, *Qui pridie quàm pateretur*, à Sacerdote proferantur, ut articulo præcedenti ostensum est. Unde S. Thomas huic objectioni respondens, sic ait: *Ad quartum dicendum, quod quidam dixerunt, hoc sacramentum perfici non posse, prædictis verbis prolatis, & aliis prætermissis, præcipuè quæ sunt in Canone Missæ. Sed patet esse falsum, tum ex verbis Ambrosij suprà inductis* (in argumento sed contra) *tum etiam quia Canon Missæ non est idem apud omnes, nec secundùm omnia tempora, sed diversa sunt à diversis apposita. Unde dicendum est, quod si Sacerdos sola verba prædicta proferret, cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum: quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur, quasi ex persona Christi prolata, etiam si* VERBIS PRÆCEDENTIBUS *hoc non recitaretur.* Ex quibus manifestum relinquitur, D. Thomam, solùm excludere verba præcedentia Canonis, *Qui pridie quàm pateretur*, tanquam non necessaria ad conficiendum corpus & sanguinem Christi, non verò ista subsequentia, *Novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Unde hallucinatur Mareus à Serra, dum ait S. Thomam eo loco manifestè docere, his solùm verbis, *Hic est calix sanguinis mei*, vinum in sanguinem Christi transmutari, præsertim cùm idem S. Doctor oppositum manifestè doceat in cap. 11. 1. ad Corinth. Lect. 6. ubi ex professo refellit eos qui non omnia esse de necessitate formæ opinantur, & docet omnia verba quæ in consecratione calicis à Sacerdote proferuntur, *pertinere ad vim effectivam*, ut suprà visum est.

32. Ad confirmationem dicendum, quod cùm S. Thomas ait, per hæc verba præcisè, *Hic est calix sanguinis mei*, vel *Hic est sanguis meus*, conversionem vini significari, materialiter tantùm & grammaticè subintelligi debet, quia hoc verba præ se ferunt, quamvis omnia quæ sequuntur supponat ad formalem significationem ex instituto Christi pertinere: quia vel ab Evangelistis id dixisse refertur Christus; vel putatur id Apostolis tradidisse. Unde loco citato in 1. ad Corinth. sic ait: *Quia formæ sacramentorum significando efficiunt, totum pertinet ad vim effectivam.* Ubi apertè docet, omnia verba quæ in consecratione calicis proferuntur, ad significationem, subindeque ad vim effectivam formæ, pertinere.

33. Potest illustrari hæc solutio exemplo formæ Baptismi, licèt enim hæc sola verba, *Ego te baptizo*, materialiter & grammaticè effectum hujus sacramenti significent; ea tamen quæ sequuntur ad formalem significationem ex instituto Christi pertinent; ita ut de essentia formæ Baptismi sit quod addatur, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: quia nimirum Baptismus non solùm habet rationem sacramenti gratiam regenerativam conferentis, sed etiam est

est fidei protestatio. Ita pariter, quia Eucharistia est unum ex præcipuis fidei nostræ mysteriis, habetque non solùm rationem sacramenti, sed etiam testamenti, & sacrificij, tribuitque jus ad vitam æternam, & peccata remittit, non solùm verba ista, *Hic est calix sanguinis mei*, sed etiam quæ sequuntur, ad formalem significationem formæ calicis, ex instituto Christi pertinent.

Nec obstat quod S. Thomas ait, nimirum verba illa pertinere ad integritatem locutionis. Ex verbis enim quæ ad integritatem locutionis pertinent, potest essentialiter componi locutio, ut constat ex verbis prioribus, quæ ad essentiam pertinere Adversarij fatentur, & tamen unicam locutionem integrant & componunt.

34. Objicies secundò testimonia aliquorum SS. Patrum, sanguinem Christi his verbis, *Hic est sanguis meus*, confici asserentium: Ambrosius enim lib. 4. de sacramentis cap. 5. sic ait: *Calicem benedixit, & Apostolis suis tradidit dicens, Accipite & bibite, Hic est enim sanguis meus.* Cyprianus (vel apud illum author sermonis de cœna Domini:) *Ex quo à Domino dictum est, Hæc est caro mea, & Hic est sanguis meus, quotiescumque his verbis & hac fide actum est, panis iste supersubstantialis & calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit.* Innocentius III. lib. 4. de mysteriis Missæ cap. 6. *Cùm ad prolationem verborum istorum, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, Sacerdos conficiat, credibile judicatur quod Christus ea dicendo confecerit.*

35. Respondeo cum Patre Nicolai in notis ad art. 3. hujus quæstionis, quod nec Innocentius, nec Ambrosius, nec Cyprianus (vel apud illum alius Author) sic loquuntur, ut ex professo formam integram ponant, sed Innocentius quidem ad eos refellendos qui Christum contendebant benedicendo tantùm consecrasse, nec verba ulla proferendo: cæteri autem duo ad veritatem Eucharistiæ, per hæc verba, quæ illam expressiùs indicant, astruendam. Unde hæc & similia SS. Patrum testimonia explicanda sunt, eo modo quo D. Thomas exponit Magistrum in 4. dist. 8. in expositione textûs, dicens *quod Magister non intendit hîc definitè ponere verba quibus fit consecratio, sed explanare quod verbis Domini fit, non tamen omnibus verbis quæ ipse ponit, nec eisdem numero, sed eisdem quoad sensum.*

36. Objicies tertiò: Illa solùm verba sunt de essentia formæ calicis, quæ significant conversionem vini in sanguinem; sicut ea tantùm sunt essentialia formæ consecrationis corporis, quæ conversionem panis in corpus Christi, exprimunt: Sed hæc verba: *Hic est calix sanguinis mei*, etiam ab aliis præcisa, æquè significant conversionem vini in sanguinem, ac ista, *Hoc est corpus meum*, conversionem panis in corpus Christi: Ergo solùm verba ista, *Hic est calix sanguinis mei*, sunt de essentia formæ calicis.

37. Confirmatur: Ad salvandam essentialem formam consecrationis panis, non est necessarium addere hæc verba, *quod pro vobis tradetur*, ut articulo præcedenti ostensum est: Ergo similiter ad salvandam formam essentialem consecrationis calicis, non requiritur quod subjungantur hæc verba, *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

38. Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Quæ significant conversionem vini in sanguinem absolutè, nego. In sanguinem ut effusum pro nobis in remissionem peccatorum, & cum aliis circunstantiis & proprietatibus suprà explicatis, concedo. Solutio patet ex suprà dictis, cùm enim Eucharistia non solùm habeat rationem sacramenti, sed etiam sacrificij, de cujus ratione est immolatio victimæ, & sanguinis effusio, ad essentiam formæ calicis non sufficiunt verba quæ significant conversionem vini in sanguinem, sed etiam requiruntur alia quæ ejus effusionem exprimunt.

39. Dices, Ergo saltem non sunt necessaria illa verba, *pro vobis & pro multis, in remissionem peccatorum*; cùm per ly *effundetur*, satis natura sacrificij exprimatur.

Sed nego consequentiam; nisi enim exprimatur finis in quem sanguinis effusio dirigitur, ratio sacrificij non exprimitur, cùm possit sanguis effundi simpliciter, & non per modum sacrificij, si nimirum in nullius cultum & emolumentum effundatur. Ut igitur significetur, quòd talis effusio futura erat per modum sacrificij, explicari debet per respectum ad bonum nostrum, sine quo indifferens est, ad hoc ut sit per modum sacrificij, vel per modum puræ effusionis.

40. Ad confirmationem, concesso Antecedente, nego consequentiam, & paritatem. Ratio autem discriminis assignatur à D. Thoma hic art. 3. ad 2. ubi sic ait: *Sanguis seorsum consecratus, expresè passionem Christi repræsentat, ideò potiùs in consecratione sanguinis fit mentio de effectu passionis, quàm in consecratione corporis, quod est passionis subjectum.*

41. Nec obstat quod corpus Christi sit traditum pro nostris peccatis, subindeque memoriale passionis ejus, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis.* Nam ut discurrit idem S. Doctor in 4. sent. dist. 8. quæst. 2. art. 2. ad 2. *Cùm sacramentum Eucharistiæ sit memoriale Dominicæ Passionis, in consecratione corporis Christi non repræsentatur nisi passionis substantia, sed in consecratione sanguinis repræsentatur passionis mysterium; non enim à corpore Christi sanguis ejus seorsum fuit nisi per passionem; & ideò conditiones Dominicæ passionis exprimuntur per verba sequentia magis in consecratione sanguinis, quàm in consecratione corporis.*

42. Objicies quartò: Ex Florentino in decreto unionis, forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus Sacerdos in persona Christi loquens, conficit hoc sacramentum: Sed verba illa, *Qui pro vobis & pro multis effundetur*, non profert Sacerdos in persona Christi formaliter & significativè, sed recitativè tantùm; alioquin falsa essent, cùm Christi sanguis iterum non sit effundendus: Ergo hæc saltem verba non sunt de essentia formæ calicis.

43. Respondeo negando Minorem, Sacerdos enim non solùm induit personam Christi in proferendis verbis formæ enuntiativè suprà præsentem materiam, sed etiam constituendo se, per implicitam & generalem intentionem, præsentem tempori quo Christus hæc verba primùm protulit, & ita verè & enuntiativè dicit, *Hic est calix sanguinis mei qui pro vobis effundetur.*

44. Dices: Sacerdos per verba formæ calicis convertere

Universidad de Deusto
Biblioteca

convertere intendit materiam præsentem in
præsentem sanguinem qui nunc est in Christi
corpore glorioso: At de hoc asserere non po-
test, etiam prout induit personam Christi, quòd
sit effundendus, ut patet: Ergo &c.

Respondeo Sacerdotem per verba formæ ca-
licis, intendere convertere præsentem mate-
riam in præsentem Christi sanguinem, ut re-
troactum ad tempus ultimæ cœnæ, pro quo illi
convenit hy *effundetur*, cùm sit idem numero
sanguis nunc qui tunc fuit, & idem à Sacerdo-
te in persona Christi, pro eo tempore repræ-
sentetur, pro quo erat effundendus. Quod ve-
rò Sacerdos constituat se præsentem tempori
illi quo Christus hæc verba primùm protulit,
& repræsentet etiam materiam ut præsentem
illi tempori quo Christus primùm hoc sacra-
mentum confecit, constat ex verbis illis: *Et
accipiens hunc præclarum calicem &c.* Quibus Sa-
cerdos calicem quem præ manibus habet, præ-
sentem reddit illi tempori, quo primùm Chri-
stus suum consecravit.

§. IV.

Solvitur argumentum ex Liturgiis Græcorum.

45. OBjiciunt ultimò Adversarij: Græci Mis-
sam celebrantes, verè sanguinem Christi
conficiunt, & tamen in consecratione calicis
non proferunt omnia verba suprà dicta, sed ali-
qua ex illis omittunt, ut patet ex eorum Litur-
giis. Unde Durandus & Cajetanus testantur se
vidisse Missale Græcum, in quo hæc verba non
habentur: *Calix, æterni, nec mysterium fidei.*
Idem asserit de Liturgiis Maronitarum Cardi-
nalis Delugo disp. 11. sect. 4. num. 6. ubi lo-
quens de Liturgiis Maronitarum sic ait: *In
aliis verò Liturgiis, scilicet S. Ioannis Evangeli-
stæ, Sanctorum Apostolorum, S. Eustasij, S. Ioannis
Patriarchæ, verba sunt:* Hoc est corpus meum:
Hic est sanguis meus. *In Liturgia S. Marci
Evangelistæ:* Corpus meum est hoc: sanguis
meus est hic. *In Liturgia S. Matthæi Pastoris:*
Hoc caro mea est: Hoc sanguis meus est. *Quas
formas ex Missali manuscripto Maronitarum, a
Monte Libano Romam misso, dedit mihi perdoctus
vir Victorius Scialach, Abbas S. Gregorij, natio-
ne Maronita, & in Urbe Roma à multis annis lin-
guarum publicus interpres.* Hæc ibi prædictus
Cardinalis: Ergo omnia verba quæ in conse-
cratione calicis proferuntur à Sacerdotibus
Latinæ Ecclesiæ, non sunt de essentia formæ.

Hoc argumentum putant Adversarij esse
convincens & demonstrativum: unde Cajeta-
nus ait quod *sibi nulla apparet dubitandi ratio pro-
babilis*, & Suarez, *se nihil invenire quod probabi-
liter responderi possit.*

46. Respondeo tamen primò, hoc argumentum
habere difficultatem, etiam in sententia Adver-
sariorum; cùm enim plures ex illis existiment,
omnia verba prædicta ad integritatem formæ
calicis pertinere, tenentur rationem reddere,
cur Apostoli, & SS. Patres, qui prædictas litur-
gias ediderunt, formam substantialiter inte-
grantem non afferant, sed mancam ac mutilam,
plura verba ad ejus integritatem & substantiam
requisita prætermittentes.

47. Respondeo secundò, non majorem esse hu-
jus argumenti difficultatem eâ quæ de forma
sacramenti Confirmationis, & de materia ac
forma sacramenti Ordinis proponi solet. Nam
Græci in collatione sacramenti Confirmatio-
nis hac formâ utuntur, *signaculum donationis
Spiritus Sancti*, quæ est omnino diversa ab ea
quâ Ecclesia Romana utitur. Item in Ecclesia
Græca Sacerdotes non ordinantur, sicut in Ec-
clesia Latina, per calicis & patenæ porrectio-
nem, neque per hujus formæ prolationem,
Accipe potestatem &c. sed per solam manuum
impositionem, adjunctis verbis istis: *Divina
gratia quæ semper infirma curat, & quæ desunt
supplet, promovet N. Venerabilem Diaconum in
Presbyterum &c.* Quod Romæ vidisse se testa-
tur Cardinalis Delugo, & dicit fieri sciente &
consentiente Summo Pontifice; & tamen Con-
cilium Florentinum sessione ultimâ in decreto
Eugenij definit; presbyteratum tradi per cali-
cis cum vino, & patenæ cum pane porrectio-
nem, & per hæc verba, quæ tenent locum for-
mæ, *Accipe potestatem offerendi sacrificium in
Ecclesia pro vivis & defunctis.* Sicut ergo Ad-
versarij ut ab hac difficultate se expediant, &
salvent quomodo in Ecclesia Græca ritè sacra-
menta Confirmationis & Ordinis conferantur,
non obstante quod Græci utantur materiâ vel
formâ specie diversâ ab ea quam Ecclesia Lati-
na adhibet respondent Christum formam sa-
cramenti Confirmationis, & materiam ac for-
mam sacramenti Ordinis non determinasse in
specie, sed solùm in genere, & eam determi-
nandam quantùm ad speciem, suæ Ecclesiæ re-
liquisse; ideóque illam, juxta diversam Eccle-
siæ Latinæ & Græcæ traditionem, variè desi-
gnari. Ita similiter dico, Christum formam spe-
cificam calicis non determinasse, sed ejus de-
terminationem Ecclesiæ suæ reliquisse; ex quo
factum est, quod juxta diversas traditiones, va-
riæ editæ sint liturgiæ, in quibus talis forma
diversimodè traditur, & verba quæ in una ha-
bentur, mutantur, vel omittuntur in altera.
Nam in Liturgia S. Iacobi sic habetur: *Hic est
sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis & mul-
tis effunditur & datur in remissionem peccatorum.*
In Liturgia Sancti Marci: *Hic est enim Sanguis
meus novi Testamenti, qui pro vobis & multis effun-
ditur, & distribuitur in remissionem peccatorum.*
In Liturgia S. Basilij: *Hic est sanguis meus novi
Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in
remissionem peccatorum.* In Liturgia S. Chryso-
stomi: *Hic est enim sanguis meus novi Testamenti,
qui pro vobis & plurimis effundetur in remissionem
peccatorum.* In Liturgia Æthiopum, cujus Au-
thor creditur esse D. Matthæus: *Hic est calix
sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro re-
demptione multorum. Amen.* In Missa Mozara-
bum: *Hic est calix novum testamentum in meo
sanguine, qui pro vobis effundetur.* Circumfertur
etiam Liturgia D. Petri, edita à Guillelmo Lin-
dano, Episcopo Gandavensi, in qua solùm po-
nuntur hæc verba pro forma calicis: *Hic est
sanguis meus:* verùm hæc Liturgia non habet
authoritatem, sed censetur apocrypha. Licèt
ergo forma calicis, juxta varium diversarum
Ecclesiarum ritum, specie diversa sit, & verbis
diversis expressa, quia tamen non est determi-
nata à Christo quantùm ad speciem, sed relicta
determinationi Ecclesiæ; sicut Delugo & alij
Recentiores censent de forma Confirmationis,
& de materia ac forma Ordinis, ideò in diversis
illis Ecclesiis ritè & validè sanguis Christi
conficitur, & Romana Ecclesia rectè & pru-
denter diversos illos ritus approbat, vel tole-
rat.

rat. Et mirum est quod Author ille contradice-
re audeat Suari dicenti opinionem nostram es-
se *valde probabilem, & magnæ authoritatis*; cùm
ille tractans prædictam difficultatem de forma
Confirmationis, & de materia ac forma sacra-
menti Ordinis, solutionem traditam, probabi-
lissimam censeat, & ei tandem acquiescat.

48. Ex dictis confutata manet sententia Petri
Corneio, & Philippi à S. Trinitate: Tum quia
D. Thomas locis suprà citatis absolutè docet,
omnia verba quæ in consecratione calicis pro-
feruntur, esse de substantia, seu de essentia for-
mæ, Tum etiam, quia si particulæ istæ, *æterni
mysterium fidei*, ab essentiali forma calicis ex-
cludendæ sunt, cò quòd in aliquibus litur-
giis non habeantur; aliæ pariter excipiendæ
erunt, cùm in Liturgia Æthiopum, cujus Au-
thor, ut diximus, creditur D. Matthæus, hæc
verba, *novi Testamenti*, non reperiantur, nec
in Missa Mozarabum, ista: *In remissionem pec-
catorum.*

ARTICULUS III.

Utrum Christus in consecratione sui corporis & sanguinis, aliquibus verbis usus fuerit?

49. NEgant Innocentius III. lib. 4. de mys-
teriis Missæ cap. 17. Mayro in 4. dist. 8.
quæst. unicâ art. 5. Catharinus opusc. de ver-
bis consecrationis, & alij existimantes Chri-
stum in consecratione sui corporis & sangui-
nis usum fuisse potestate excellentiæ, & conse-
crasse sine ullis verbis, quamvis instituerit verba
à Sacerdotibus pro consecratione proferenda. Pro hac sententia Salmeron tomo 9.
Tract. 19. plura adducit testimonia & argu-
menta, ut ejus probabilitatem suadeat, licèt
tamen in fine ab ea recedat, cum D. Thoma, &
aliis Scholasticis, cum quibus.

Dico breviter, Christus in consecratione sui
corporis & sanguinis aliquibus verbis usus est,
iisdem scilicet quibus à Sacerdotibus hoc sa-
cramentum conficitur.

50. Probatur primò ex SS. Patribus id passim
asserentibus: Tertullianus enim lib. 4. contra
Marcionem ante finem, sic ait: *Acceptum pa-
nem, & distributum Discipulis, corpus suum illud
fecit, Hoc est corpus meum dicendo.* Quo quid ex-
pressius? Cyprianus de cœna Domini: *Summus
Sacerdos panem profert & vinum: Hoc est, inquit,
corpus meum.* Ambrosius relatus de consecrat.
dist. 2. cap. *Panis*: *Cum panem accipiens diceret,
Hoc est corpus meum, planè monstratur verbum il-
lud operatorium fuisse.* Id est conversivum panis
in corpus. Chrysostomus homil. 60. ad popu-
lum Antiochenum, post medium: *Qui namque
dixit, Hoc est corpus meum, & verbo factum con-
firmavit.* Ubi loquitur de consecratione à Chri-
sto in cœna facta, quam ait verbo confirmas-
se. Demum Damascenus lib. 4. fidei cap. 15.
sic habet: *Sicut Deus dicendo, fiat lux, fecit lu-
cem: ita dicendo, hoc est corpus meum, & hic est
sanguis meus, perfecit hoc sacramentum.* Quod
etiam insinuat Apostolus 1. ad Corinth. 11. di-
cens: *Accepit Iesus panem & fregit ac dixit, Hoc
est corpus meum.*

51. Probatur secundò: Sacerdos consecrat ut
minister Christi, & ut vices ipsius gerens, ut
docet Florentinum in decreto unionis: Ergo
ut major esset conformitas & unitas inter Au-
thorem & ministrum, decuit ut Christus eo-
dem modo, iisdemque verbis consecraret qui-
bus Sacerdotes hoc sacramentum conficiunt:
præsertim cùm Eucharistia non solùm habeat
rationem sacramenti, sed etiam sacrificij, quod
feretur.

Hanc conformitatem Sacerdotis consecran-
tis cum Christo, eleganter expressit Chryso-
stomus serm. de proditione Judæ, apud S. Tho-
mam in catena aurea in cap. 14. Marci, in ver-
ba illa, *Et manducantibus illis.* Sic enim ait: *Et
nunc etiam ille præsto est Christus, qui illam ornavit
mensam, ipse istam quoque consecrat. Non enim ho-
mo est qui proposita corpus Christi facit & sangui-
nem, sed ille qui pro nobis crucifixus est Christus.
Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute
consecrantur & gratiâ, hoc verbo quod dicit, Hoc
est corpus meum, proposita consecrantur. Et sicut
illa vox quæ dixit: Crescite & multiplicamini, &
replete terram, semel quidem dicta est, sed omni
tempore sentit effectum ad generationem, operante
naturâ: ita & vox ista semel quidem dicta est, sed
per omnes mensas Ecclesiæ, usque in hodiernum
diem, & usque ad ejus adventum, præstat sacrificio
firmitatem.*

Objicies primò: Christus in instituendis sacra- 52.
mentis utebatur potestate excellentiæ quæ non
erat addicta verbis, uti potestas ministerialis,
quam Ecclesiæ communicavit: Ergo alio ritu
& cæremonia hoc sacramentum confecit, nec
usus est verbis in consecratione sui corporis,
sicut nos utimur. Unde quando Eucharistiam
sumendam dedit duobus Discipulis in Emaüs,
illam solâ benedictione confecit, ut colligitur
ex illo Lucæ ultimo: *Accepit panem, & benedi-
xit, ac fregit, & porrigebat illis.*

Respondeo Christum, etiam in hoc sacra- 53.
mento instituendo usum fuisse potestate excel-
lentiæ, quæ non in eo, ut Adversarij conten-
dunt, consistit, ut debuerit absque verbis hoc
sacramentum conficere; sed cùm potuerit alio
ritu, aliáque cæremoniâ, tamen voluit verbis
illud conficere, non quod verbis astrictus fue-
rit, sicut nos, sed quia ita voluit, ut major esset
conformitas & unitas inter Authorem & mini-
strum, ut suprà diximus. Ad illud quod subdi-
tur, multi non improbabiliter negant Christum
tunc consecrasse. Sed quidquid sit de hoc, ex
tali facto non potest deduci ullum argumen-
tum contra nostram conclusionem, quia vel di-
ci potest, etiam tunc Christum verbis consecras-
se, quæ tamen brevitatis causâ ab Evangelistis
omittuntur; vel certè voluisse tunc solâ bene-
dictione, & in una specie consecrare, ut ostende-
ret suam authoritatem quam habebat, variis
modis hoc & cætera sacramenta conficiendi.

Objicies secundò: Antequam Christus hæc 54.
verba, *Hoc est corpus meum*, proferret, jam con-
secraverat corpus suum: Ergo in consecratio-
ne sui corporis non adhibuit verba quibus
nos utimur. Consequentia patet, Antecedens
probatur ex contextu Evangelij, ubi sic dicitur:
*Accepit Iesus panem, benedixit, fregit, deditque
Discipulis suis dicens, accipite & manducate, Hoc
est corpus meum.* Ex hac enim narratione con-
stat, Christum priùs benedixisse panem, quàm
protulerit verba illa, *Hoc est corpus meum:*
Sed nomine benedictionis intelligi debet
ipsa

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsa consecratio : Ergo Christus priùs consecravit, quàm hæc verba, *Hoc est corpus meum*, proferret.

55. Propter hoc argumentum Cajetanus, Soto, Suarez, Vasquez, & alij, docent benedictionem panis & vini factam à Christo in nocte cœnæ, fuisse actionem distinctam à consecratione utriusque speciei. Idque innuere videtur Tridentinum sessione 13. cap. 1. his verbis : *Cùm post panis vinique benedictionem, se suum corpus illis prabere, ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est.*

Nihilominùs quod Christi benedictio fuerit ipsa consecratio, asseritur à D. Thoma hîc art. 1. ad 1. docenturque à S. Remigio in cap. 10. Epistolæ ad Corinth. & à Brunone in cap. 11. ejusdem Epistolæ. Eandem tenent sententiam Innocentius III. lib. 4. de myst. Missæ cap. 6. Hugo Cardinalis super cap. 14. Marci, Lyranus 1. ad Corinth. 11. Cardinalis Bessarion libro de verbis consecrationis, & ex Scholasticis Alensis, Durandus, Valentia, Henriquez, Beccanus, & alij, quibus apertè favet Catechismus Pij V. loquendo de forma Eucharistiæ, folio 212. Potestque probari hæc sententia ex illo Pauli 1. ad Corinth. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ?* Ubi Apostolus consecrationem calicis, benedictionem appellat, ut exponit S. Thomas ibidem lect. 4. dicens : *Cui benedicimus, id est quem nos Sacerdotes consecramus.* Eodem modo loquuntur SS. Patres : Chrysostomus enim homil. 25. sic ait : *Cum benedictionem dico, Eucharistiam dico.* Ambrosius de iis qui initiantur cap. 9. *Hic est panis quem benedictio consecravit : major est vis benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.* Cyprianus de cœna Domini : *Calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam, & salutem proficit.* Demum S. Cyrillus lib. 4. in Joan. cap. 17. & lib. 10. cap. 13. consecrationem vocat *benedictionem mysticam* : Ergo juxta SS. Patres, benedictio panis & vini facta à Christo in nocte cœnæ, fuit ipsa consecratio.

56. Ratio etiam id suadet, nam benedictio fieri solet verbis : nulla autem possunt assignari verba quibus Christus panem benedixit, nisi ea quæ referuntur ab Evangelistis, unde cùm illa sint verba consecratoria, dicendum est, Christum benedixisse verbis consecratoriis, atque adeò benedictionem & consecrationem fuisse eandem actionem.

57. Ad locum verò Tridentini suprà adductum, respondet Joannes à S. Thoma in Tractatu de approbatione doctrinæ D. Thomæ, qui habetur initio tomi primi in primam partem : *quòd stando in præcisa constructione grammaticali, duplicem sensum possunt facere illa verba. Primò sic quod ly* post benedictionem, *referatur & construatur cùm ly* testatus est, *& tunc sensus est : prius dedit benedictionem, & post illam testatus est, se dare corpus suum. Et in hoc sensu procedit objectio. Secundò, quod ly* post benedictionem, *referatur, & construatur cum ly* dare corpus suum. *Et tunc est sensus, quòd Christus testatus est illis se dare corpus suum, id est, id quòd post benedictionem, seu consecrationem, est corpus suum. Et in hoc sensu benedictio est consecratio : & hunc sensum nos accipimus, qui etiam legitimus est. Sicut si quis diceret : post Baptismum regeneratus homo accipit characterem, & fidem, sensus enim est quòd regeneratus post Baptismum, seu per ipsum Baptismum, & non ante, accipit fidem &c. Sic testatus est Christus se dare illis corpus post benedictionem ; id est quòd corpus suum est post benedictionem, & non ante.* Hæc prædictus Author loco citato.

Ad objectionem ergo cujus occasione hæc 58.
adducta sunt, in forma respondeo, negando Antecedens, & ad ejus probationem dicendum cum S. Thoma hîc art. 1. ad 1. quod cùm Evangelistæ dicunt, quòd *Iesus accepit panem, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis dicens, Accipite & manducate, hoc est corpus meum*, non est sic intelligendum, ut eo ordine hæc facta fuerint quo referuntur, quia, ut docet Augustinus lib. de consensu Evangelistarum cap. 30. & 44. Evangelistæ non semper eundem ordinem in recitando servaverunt, quo res gestæ sunt, sed res gestas interdum narraverunt ordine præpostero. Unde sensus horum verborum est : Accepit Jesus panem, & gratias agens, benedixit dicens, *Hoc est corpus meum.* Vel, ut ait S. Thomas, significant quod dum Jesus benediceret, frangeret, & daret Discipulis suis, hæc verba dixit : Accipite & manducate, *Hoc est corpus meum.*

ARTICULUS IV.

Utrum verba consecrationis formaliter & significativè, seu assertivè, à Sacerdote proferantur, vel solùm historicè & recitativè?

§. I.

Explicatur titulus, & difficultas proposita, unicâ conclusione resolvitur.

59. PRo tituli explicatione sciendum est, illud pronuntiari seu dici historicè, sive quod idem est recitativè aut materialiter, quod tantùm refertur tanquam ab alio dictum, ita ut illud ipsum non asseratur, vel negetur, sed tantùm illud ab alio fuisse dictum enuntietur ; ut cùm dicimus, *Aristoteles dixit mundum esse ab æterno.* Formaliter verò & significativè seu assertivè aliquid dicimus, quando per verba quæ pronuntiamus, aliquid affirmare vel negare intendimus, ut cùm dicimus, *Deus est trinus in personis, Deus est incarnatus, &c.* Hinc emergit quæstio, & controversia inter Theologos, quonam ex his modis verba consecrationis à Sacerdote proferantur ? Nam Innocentius III. lib. 4. de Euchar. cap. 17. Durandus in 4. dist. 8. quæst. 2. Major quæst. unicâ ad 2. Picus Mirandulanus in Apologia suarum assertionum quæst. 10. Ambrosius Catharinus opusc. de verbis consecrationis, & Alphonsus Salmeron tomo 9. in Evang. Tract. 13. docent ea recitativè tantùm & historicè proferri. E contra Marsilius, Gabriel, & alij, quos ex Recentioribus sequuntur Vazquez, & Amicus, existimant ea assertivè tantùm, seu formaliter & significativè proferri. Pro resolutione difficultatis, & veræ sententiæ explicatione.

Dico breviter, ea recitativè simul & assertivè proferri. Ita communiter docent Theologi cum D. Thoma hîc art. 5. & super caput 26. Matthæi, versu 26, ubi sic ait : *Dicendum quod recitativè dicuntur, & simul recitativè & significativè.* Et quidem quòd historicè & recitativè dicantur, patet ex contextu Canonis, ubi sic dicitur : *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in sanctas & venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cælum, ad te Deum suum patrem omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, & fregit, deditque Discipulis suis, dicens, Accipite & manducate ex hoc omnes, Hoc est enim corpus meum.* Ubi particula *dicens*, manifestè significat, Christum verba illa sacramentalia dixisse, eademque referri tanquam à Christo dicta. Id etiam apertè colligitur ex illa particula *Enim*, quam Ecclesia adjecit : nisi enim verba formæ recitativè proferantur, incongruè & inutiliter addita fuisset particula illa conjunctiva, nam hæc additur ad connectenda verba formæ cum præcedentibus, quæ tantùm recitativè proferuntur, & eatenus connectuntur, quatenus referuntur eodem modo à persona Christi dicta.

61. Quod autem sensu quoque formali seu assertivo & significativo enuntientur, probatur primò quia ex Florentino in decreto unionis, Ambrosio lib. 4. de sacrament. cap. 4. aliisque SS. Patribus, Sacerdos consecrans, loquitur in persona Christi : Sed in persona Christi non loqueretur, si tantùm historicè referret Christum ea verba dixisse ; qui enim tantùm recitat verba alterius, non loquitur in persona illius, sed in propria, cùm ejus personam non induat, ut illam in se exprimat & repræsentet : Ergo Sacerdos non refert merè historicè verba consecrationis, sed assertivè quoque & significativè ea pronuntiat.

62. Dices, ea solùm ratione Sacerdotem consecrantem dici loqui in persona Christi, quia hoc sacramentum conficit per virtutem sibi à Christo communicatam, non verò ex eo quod personam illius gerat & repræsentet.

Sed contra : Sacerdos peculiari nomine ac titulo in hoc sacramento in persona Christi loquitur, quo non loquitur dum alia sacramenta ministrat, cùm Concilium de alio sacramento non dixerit, quod illud Sacerdos in persona Christi loquens conficiat : Sed reliqua sacramenta conficit in virtute & potestate à Christo sibi communicata : Ergo non ea solùm ratione Sacerdos consecrans dicitur loqui in persona Christi, quia agit per virtutem sibi à Christo communicatam.

63. Probatur secundò : Si Sacerdos verba consecrationis historicè tantùm & recitativè proferret, ea non proferret supra præsentem materiam, sed supra aliam quam in ultima cœna Christus consecravit ; nam significarent tantùm conversionem materiæ quam Christus tunc accepit in manus, & præsentiam corporis & sanguinis sub ejusdem materiæ speciebus : Sed hoc dici nequit : Ergo nec illud.

64. Respondent Adversarij, hæc verba à Christo in cœna fuisse etiam virtute enuntiata supra omnem materiam, quæ à futuris Sacerdotibus consecrabilis erat : sicut dicunt Patres, Christum per contactum aquæ Jordanis quâ fuit à Joanne baptizatus, consecrasse omnes aquas quibus baptizandi erant reliqui.

Sed hoc temerè & sine fundamento asseritur, cùm nec sancti Patres illud insinuent, nec ex verbis Scripturæ colligatur, nec exemplum illud hoc suadeat ; nam Christum per contractum aquæ Jordanis, consecrasse omnes aquas, non est aliud quàm ipsum per institutionem Baptismi in materia aquæ, effecisse ut omnes aquæ essent idonea materia ad hoc sacramentum. Similiter ergo, vi consecrationis primi panis & calicis fuisse reliquos virtute consecratos, non est aliud quàm vi primæ illius institutionis, quâ fuit hoc sacramentum in pane & vino usuali institutum, omnem postea panem ex tritico, & vinum de vite, fuisse factam idoneam materiam ad hoc conficiendum.

65. Tertiò suaderi potest eadem pars ex alio inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia. Si enim verba consecrationis non haberent vim consecrandi, nisi recitativè prolata, sequeretur Sacerdotem non consecraturum, qui sic diceret, & nihil amplius, *Hoc est corpus meum* ; tunc enim historicè non referret Christum ea dixisse : Sed hoc erroneum est, & contra communem Theologorum sententiam, ut patet ex dictis art. 1. Ergo &c.

§. II.

Solvuntur objectiones.

66. OBjicies primò : Eodem modo Sacerdos pronuntiat verba consecrationis, quo præcedentia, ut constat ex participio, *dicens*, quod non minùs refert Christum dicentem verba formæ, quàm verba illam præcedentia : Sed verba præcedentia formam panis, ut sunt illa, *Accipite & manducate ex hoc omnes*, recitativè tantùm proferuntur à Sacerdote, cùm illa tantùm referantur ut à Christo dicta suis Discipulis in ultima cœna : Ergo & verba consecrationis.

67. Confirmatur : Si Sacerdos verba formæ non purè recitativè, sicut & præcedentia, referret, sed ea etiam formaliter & significativè proferret, vel hoc faceret in propria persona, vel in persona Christi ? Neutrum dici potest : Ergo &c. Minor quoad primam partem patet. Si enim Sacerdos in propria persona verba formæ proferret, illa essent falsa, quia per ly *corpus meum*, intelligeretur corpus ipsius Sacerdotis consecrantis. Probatur verò quantùm ad secundam : si enim in persona Christi verba formæ proferat, propositio erit falsa, quantùm ad ista verba : *Qui pro vobis & pro multis effundetur*, cùm non sit amplius glorioſus Christi sanguis effundendus.

68. Ad objectionem respondeo, negando Majorem : Sacerdos enim consecrans, verba præcedentia formam pronuntiat solùm recitativè, referendo quæ Cristus in ultima cœna protulit ; verba autem formæ, non historicè tantùm & recitativè profert, sed etiam assertivè, & enuntiativè, per ea in persona Christi asserendo, quæ ipsa suprà præsentem materiam practicè significant. Ad probationem verò in contrarium, dicendum est, participium illud *dicens*, significare quidem Christum verba sacramentalia dixisse, eademque referri à Sacerdote tanquam à Christo dicta, ut suprà annotavimus ; non denotare tamen, Sacerdotem ea solùm historicè & recitativè proferre ; cùm non repugnet Sacerdotem in persona propria, verba illa recitativè proferre, & in persona Christi quam repræsentat, ea assertivè & enuntiativè dicere.

69. Ad confirmationem dicatur, Sacerdotem verba formæ proferre in persona Christi : ad id verò quod in contrarium adducitur, patet responsio ex dictis art. 2. §. 3. in solutione quartæ objectionis ; ibi enim ostendimus, Sacerdotem

Universidad de Deusto
Biblioteca

verè & enuntiativè dicere, *Hic est calix sanguinis mei qui pro vobis effundetur*, quia hæc verba proferuntur ab illo ut constituto præsente, per implicitam & generalem intentionem, tempori illi quo Christus hæc verba primùm protulit.

70. Objicies secundò: Hi duo modi proferendi, scilicet significativè & recitativè, sunt inter se oppositi & incompossibiles; nam qui recitat & refert verba alterius, non habet intentionem idem significandi; propterea qui refert hæresim aut mendacium alterius, non ideò mentitur aut est hæreticus: Ergo Sacerdos consecrans non potest verba formæ significativè & recitativè simul proferre.

71. Respondeo negando Antecedens, quamvis enim hi duo modi proferendi non semper sint simul, ut patet ex instantiis adductis de hæresi & mendacio, non sunt tamen inter se oppositi & incompossibiles, non enim repugnat quod eadem persona & nomine proprio eandem locutionem recitet ut ab alio prolatam, & simul enunciativè & significativè eam proferat nomine alterius; sicut cùm Sacerdos in Missa eandem orationem dominicam simul recitat ut à Christo dictam, & enuntiat, per eam petendo quæ in ea petere docemur. Similiter ergo idem Sacerdos super materiam consecrationis sacramentalia verba pronuntians, potest illa velut à Christo dicta referre, & simul Christum imitari, ejusque personam induendo, asserere super materiam propositam, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.*

§. III.

Corollarium notatu dignum.

72. EX dictis intelliges, propositiones illas, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, ut à Sacerdote prolatas, esse verissimas; cùm enim Sacerdos celebrans loquatur in persona Christi, verè potest dicere, *Hoc est corpus meum*, quamvis sub speciebus panis non ponat nisi corpus Christi; sicut Angelus personam Dei repræsentans, verè dicebat, *Ego sum qui sum.*

73. Dices, Illa propositio est falsa in qua prædicatum attribuitur subjecto cui non convenit: Sed prædicatum hujus propositionis, *Hoc est corpus meum*, attribuitur subjecto cui non convenit: Ergo est falsa. Minor probatur, Subjectum hujus propositionis est substantia panis: Sed falsum est substantiam panis esse corpus Christi: Ergo &c. Major probatur, quia pronomen demonstrativum *hoc*, demonstrat substantiam quæ tunc erat sub speciebus panis, quando proferebatur.

74. Respondeo negando Minorem, ad cujus probationem, nego Majorem, & ejus probationem; nam licèt pronomen *hoc* significet substantiam aliquam singularem sub accidentibus contentam, non tamen illam significat determinatè, sed solùm vagè, ut patet in communi modo loquendi: Petrus enim v. g. ambulans per hortum Ioannis, & advertens aliquam herbam, verè dicit, *hæc herba nascitur in horto meo*: ubi pronomen *hæc* non supponit pro illa singulari determinata herba quam demonstrat, sed pro singulari vagè, sive pro alia ejusdem speciei.

75. Dices rursus: Si propositio illa esset vera, vel objectum illius prius esset quàm veritas ejusdem, vel posterius? Non primum, quia propositio illa inquantum vera efficit suum objectum, ponit enim corpus Christi sub speciebus: Ergo objectum non potest esse prius, cùm omnis effectus sit posterior suâ causâ. Non etiam secundum, quia ex eo quod res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa, ut ait Aristoteles 1. Perihermenias: Ergo prius est objectum propositionis esse, quàm verificari propositionem quæ illud enuntiat.

76. Respondeo eligendo secundam partem dilemmatis, & ad probationem in contrarium, distinguendo Antecedens: Ex eo quòd res est propositio speculativa dicitur vera, concedo. Practica, nego. Sicut ergo quia cognitio divina habet causare veritatem in rebus, prius est quòd Deus cognoscat rem esse, quàm sit ipsa res, ut in Tractatu de scientia Dei fusè ostendimus: Ita pariter, quia hæc propositio, *Hoc est corpus meum*, ut à Sacerdote consecrante profertur, practica est, prius naturâ est quòd corpus Christi sub speciebus panis ponatur, quàm quòd illa verificetur. *Disp. 3. art. 3.*

Instabis: Propositio practica affirmat aliquid esse in re: Ergo supponit rem ita esse.

Respondeo distinguendo Antecedens: affirmat aliquid esse in re, quod tunc fiat, concedo. Quod præsupponatur, nego.

77. Quærunt hic aliqui, an verba consecrationis physicè instrumentaliter producant sub speciebus Eucharisticis substantiam corporis Christi, subindeque ab eis physicè substantiam panis & vini expellant? Sed resolutio hujus difficultatis pendet ex dictis in Tractatu de sacramentis in communi, de causalitate sacramentorum novæ legis; nam eodem modo asserunt SS. Patres verba consecrationis efficere corpus & sanguinem Christi, quo alia sacramenta causant gratiam: unde sicut ibi ostensum est, quod ut dicta Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum, in sensu proprio salventur & verificentur, dicendum est, sacramenta novæ legis physicè instrumentaliter causare gratiam, idem asserendum est de verbis consecrationis respectu productionis corporis & sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis, & expulsionis substantiæ panis & vini ab illis. Quare S. Thomas hìc art. 4. docet verbis illis inesse virtutem creatam ad perficiendam istam conversionem. Et in resp. ad 2. negat dari instrumentum creationis, quod tamen concedit pro ista conversione. Ubi manifestum est ipsum loqui de instrumento physico, non verò de purè morali. Tum quia non est necesse ponere virtutem aliquam creatam in instrumento morali, cùm instrumentum morale non influat per virtutem physicam in effectum, sed agens principale se solo ad positionem illius rei operetur. Tum etiam, quia nulla est repugnantia quòd detur instrumentum morale creationis, quia non repugnat quòd ad intercessionem alicujus Sancti, vel ad prolationem aliquorum verborum, Deus se solo creet Angelum vel animam; sicut multoties propter preces alicujus Sancti datur alicui filius, & creatur anima illius.

78. Argumenta verò quæ contra hanc D. Thomæ sententiam militant, loco citato, solidè & perspicuè soluta sunt. Duo solùm restant breviter hìc expedienda. Primum est, quòd si verba consecrationis physicè instrumentaliter concurrant ad productionem corporis Christi sub speciebus, etiam ipsi Christi humanitas habebit eandem causalitatem, cùm illa sit instrumentum conjunctum Verbi divini, ad producendos eosdem effectus quos per sacramenta ut per instrumenta separata operatur: Sed videtur impossibile quòd humanitas Christi instrumentaliter physicè ad hunc effectum concurrat, alioquin ipsa Christi humanitas seipsam produceret: Ergo pariter repugnare videtur, quòd verba consecrationis physicè instrumentaliter concurrant, ad productionem corporis Christi sub speciebus Eucharisticis.

79. Verùm huic difficultati facilè respondetur, negando Minorem, licèt enim humanitas Christi non possit esse instrumentum ad productionem sui absolutè & simpliciter, bene tamen ad productionem, ut ex pane, & in sacramento; quia nulla est repugnantia quòd humanitas Christi supponatur existens absolutè, & supponatur non existens tali modo, subindeque ut existens absolutè & in propria specie, instrumentaliter concurrat ad sui productionem sub tali modo.

80. Secundò objici potest, quod conversio panis in corpus Christi non minùs excellens & miraculosa videtur, quàm creatio: Ergo cùm juxta D. Thomam 1. p. quæst. 45. art. 5. repugnet creaturam esse instrumentum physicum creationis, videtur etiam impossibile, quòd verba consecrationis physicè instrumentaliter ad productionem corporis Christi sub speciebus Eucharisticis concurrant.

81. Respondeo, dato Antecedente, negando consequentiam & paritatem; licèt enim concedatur quòd conversio ista sit actio excellentior quàm creatio, non tamen est ita difficilis respectu creaturæ; quia actio creaturæ debet recipi in aliquo subjecto quod præsupponatur, ut illa operetur; quod subjectum non præsupponitur in creatione, bene tamen in transsubstantiatione; unde quamvis repugnet dari instrumentum physicum creationis, non tamen transsubstantiationis.

DISPUTATIO VIII.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

Ad quæstionem 79. D. Thomæ.

QUÆ ad hujus mirabilis sacramenti effectus attinent, tot difficultatum scholasticarum nodis implexa non sunt, quam quæ hucusque pertractavimus, unde & breviùs & faciliùs ab illis nos expediemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Qui sint præcipui hujus sacramenti effectus?

1. DIco primò, proprium & principalem hujus sacramenti effectum, esse gratiam, per modum nutritionis & augmenti in vita spirituali. Ita colligitur ex Florentino in decreto Eugenij, ubi hoc sacramentum habere dicitur *omnem effectum quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, reparando, augendo &c.* Et ex Tridentino sess. 13. cap. 2. ubi sic habetur: *Sumi autem voluit* (Salvator noster) *sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Quibus verbis rationem fundamentalem nostræ conclusionis insinuat: Hoc enim sacramentum per modum cibi & potûs institutum est, juxta illud Joan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus:* Ego sicut cibus materialis corpus nutrit & auget; ita Eucharistia animam nutrit, auget, & roborat, & ut loquitur Ambrosius lib. 5. de sacram. cap. 4. *Animæ nostræ substantiam fulcit:* quod aliter præstare nequit, quàm tribuendo gratiam per modum nutritionis & augmenti in vita spirituali. In quo à cæteris sacramentis differt: alia enim sacramenta ad alios effectus & fines peculiares gratiam conferunt, Baptismus ad regenerationem, Confirmatio ad fidem fortiter & constanter propugnandam, Pœnitentia ad resurgendum à peccatis. Extrema Unctio ad levamen ægritudinis, & felicem ac facilem exitum ex hac vita, Ordo ad conferendam potestatem conficiendi aut ministrandi validè sacramenta, Matrimonium ad conjuges sanctificandos, muniendosque subsidiis quibus convenienter status conjugalis sustineri possit.

2. Dico secundò, hoc sacramentum, quantùm est de se, causare etiam quandam gratiam actualem, nempè excitationem charitatis, & actualem refectionem, cum quadam dulcedine, & gaudio spirituali. Ita D. Thomas hìc art. 1. ad 2. ubi ait: *Per hoc sacramentum, quantùm est ex sui virtute, non solum habitus gratiæ & virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum, juxta illud 2. ad Corinth. 5. Charitas Christi urget nos. Et inde est quod ex virtute hujus sacramenti anima spiritualiter reficitur, per hoc quod anima spiritualiter delectatur, & quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ,* secundùm illud Cant. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Unde in Clementina unica *de Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, Eucharistia vocatur *panis habens omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem; & impinguans non corpus, sed cor; non carnem, sed animam; non ventrem, sed mentem.* Et D. Thomas opusc. 58. dicit, quod in hoc sacramento *dulcedo in proprio fonte degustatur*, & in officio quod de hoc mirabili sacramento jussu Urbani IV. edidit, ei accommodat illud Genes. 49. *Pinguis est panis ejus, & præbebit delicias Regibus.*

3. Similia docent SS. Patres, Cyprianus enim serm. de cœna Domini hæc scribit: *Panis iste Angelorum, omne delectamentum habens, virtute mirificâ, omnibus qui dignè & devotè sumunt, secundùm suum desiderium sapit, & ampliùs quàm manna illud eremi implet & satiat edentium appetitus, & omnium carnalium saporum irritamenta, & omnium exsuperat dulcedinum voluptates.* Ambrosius lib. 5. in Lucam: *Qui domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum.* Laurentius Justinianus de casto connubio Verbi & animæ cap. 24. hoc sacramentum appellat, *pabulum suave, refectionem jucundam, mellifluum manna*, quia revera in eo Christus animam mirâ dulcedine & suavitate profundit, satiatque nos de

Universidad de Deusto
Biblioteca

torrentibus mellis & butyri, juxta illud Job. 20. *Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis & butyri*, quod D. Gregorius 15. Moral. cap. 9. accommodat ad Christum: *Mel quippe* (inquit) *ex aëre, butyrum verò ex carne est: summi autem Patris unigenitus, cùm sit Deus super omnia, homo factus est inter omnia, qui cùm nos dulcedine Divinitatis suæ, & mysterio Incarnationis suæ replevit* (in Eucharistia) *melle nos pariter & butyro satiavit.*

4. Docent etiam aliqui ex SS. Patribus, ad miram hujus dulcissimi sacramenti suavitatem explicandam, quod in eo Divina Sapientia suam divinitatem & humanitatem ad modum lactis nobis exhibet: juxta illud Isaïæ 60. *Mammillæ Regum lactaberis.* Ita Augustinus concione 1. in Psal. 33. ubi hæc scribit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant supernæ Virtutes, manducant cœlestes spiritus, & manducant, & saginantur: quis autem homo posset ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo ut mensa illa lactesceret, & ad parvulos perveniret.* Similia habet Hugo à S. Victore lib. 1. Miscell. titulo 25. *Sapientia* (inquit) *sursum panis erat, & versa est deorsum in lac; in Divinitate Panis, in humanitate lac; & nutritus est parvulus lacte humanitatis, ut crescens & convalescens capere posset cibum Divinitatis.* Unde non immeritò quidam hoc sacramentum appellat, *Divinorum uberum lac, Isaïæ vaticinio promissum.*

Nec obstat quod nonnulli hujus lactis cœlestis, ex divina mammilla expressi, suavitatem non sentiant; habent enim palatum mentis, noxiis humoribus & terrenorum delectationibus infectum, subindeque incapax percipiendi cœlestem illam suavitatem & dulcedinem. Unde Bernardus serm. 6. de Ascensione: *Errat omnino si quis cœlestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno, charismata illa Spiritus misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur.*

5. Adde cum Caietano hîc qu. 79. art. 1. quod quamvis augmentum gratiæ, & dulcedo spiritualis, sint hujus sacramenti effectus, non habent tamen necessariam connexionem, sed possunt ab invicem separari. Nam in Christo secundus effectus fuit sine primo, ut docet D. Thomas hîc quæst. 81. art. 1. ad 3. ubi ait quod quamvis in Christo gratia non fuerit augmentata ex susceptione hujus sacramenti, habuit tamen spiritualem delectationem. E contra verò (inquit Caietanus) augmentum habitualis gratiæ ex hoc sacramento in valde multis credimus contingere, qui dignè ad hoc sacramentum & devotè accedunt, & tamen expertes sunt spiritualis dulcedinis, ita ut ipsorum vox ad Patrem cœlestem sit: *Ecce tot annis servio tibi, & nunquam dedisti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer*; & tamen filius erat qui verè dicere potuit: *Nunquam mandatum tuum præterivi*, Lucæ 15. Sicut ergo Sacramentum Extremæ-Unctionis non semper causat sanitatem corporis; sed solùm cùm expedit ad salutem animæ, & non est impedimentum ex parte recipientis; ita nec Eucharistia semper causat delectationem & fervorem spiritualem (præcipuè sensibilem, & redundantem in inferiores potentias) sed solùm prout expedit ad augmentum gratiæ & virtutum, vel cùm ex indispositione subjecti ei non ponitur impedimentum, ut contingit in illis qui cum distractione, & absque attentione & devotione actuali, ad hoc sacramentum accedunt.

Addo ex D. Thoma opusc. 58. cap. 22. quod 6.
sicut medicus peritus quandoque quibusdam dat medicinam dulcem palato corporis, & quandoque non sic, sed dulcem palato mentis, quæ quamvis non gutturi, tamen benè sapit rationi, pro eo quod sanam mentem delectat. Sic Dominus dat suis fidelibus dulce semper corpus: sed dulcedinem suam alio modo istis, alio istis, prout cuilibet expedire novit. Hinc est quod quidam dulcedinem istam sapiunt per affectum, & ardentiore delectantur devotione, & alij eandem dulcedinem sapiunt per pium intellectum, & sufficienti reficiuntur utilitate in eo quod credunt & intelligunt per hunc cibum sanctum veram vitam obtinere. Igitur (concludit S. Doctor) *quamvis non sapis dulcedinem Domini primo modo, id est, per affectum firmæ devotionis, sapis tamen secundo modo, scilicet per intellectum multæ utilitatis.*

Dico tertiò: Hoc Sacramentum tollit pec- 7.
cata venialia, & præservat à mortalibus. Ita docet Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. dicens, *Hoc sacramentum esse antidotum, quo liberamur à peccatis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur.*

Quod tollat peccata venialia, ex duplici capite provenit, ut docet S. Thomas hîc art. 4. Primò ex ipsa ratione gratiæ cibantis, quia proprium est alimenti, non solùm nutrire, sed etiam restaurare quod per calorem naturalem perditur: Sed per peccata venialia quotidiè perditur de fervore & calore charitatis: Ergo per cibum spiritualem restaurari debet. Secundò habet tollere peccata venialia mediatè, quatenus excitat fervorem charitatis, quo remittuntur venialia, quæ non ipsi habitui, sed exercitio seu fervori charitatis opponuntur. Unde meritò à B. Ambrosio lib. 5. de sacram. cap. 4. dictum est: *Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.*

Quod verò à mortalibus præservet, probatur discursu D. Thomæ, hîc art. 6. Cùm enim peccatum mortale sit quædam spiritualis mors animæ, sicut dupliciter contingit corpus præservari à morte, primò in quantùm natura hominis interiùs roboratur contra corruptiva, & sic præservatur à morte per cibum & medicinam, secundò per hoc quod munitur contra exteriores impugnationes, & sic præservatur per arma quibus munitur corpus: ita & hoc sacramentum duplici illo modo præservat animam à morte spirituali peccati, primò quidem quia interiùs roborat ipsam, tanquam spiritualis cibus & medicina; secundò quia hoc sacramentum est quoddam signum rememorativum passionis Christi, per quam victi sunt dæmones, & ideò repellit omnem dæmonum impugnationem, & præbet auxilia ad vincendas omnes eorum tentationes, juxta illud Psalmi 22. *Parasti in conspectu meo mensam adversùs omnes qui tribulant me.* Unde Ignatius in Epistola ad Ephesios post medium: *Studete frequenter accedere ad Eucharistiam Dei & gloriam: quando enim hoc ipsum assiduè agitur, expelluntur Sathanæ potestates, qui suos actus convertit in sagittas ignitas ad peccatum.* Et Ambrosius serm. 8. in Psal. 118. *Moyses agnum immolavit, ut manducantes eum non occuparentur* (id est non circumvenirentur)

rentur) *exterminatoris insidiis, ne inermes & vacuos spiritualis alimenti, nocturna spicula tenebrosi hostis opprimerent. Præveni & tu insidias tentatoris, instaura priùs cœleste convivium: Adveniendum in Ecclesiam, celebranda oblatio: Tunc paratus assiste, ut accipias tibi munimentum, ut corpus edas Domini Iesu, in quo remissio peccatorum est, postulatio divinæ reconciliationis, & protectionis æternæ. Suscipe Dominum Iesum tuæ mentis hospitio: ubi corpus ejus, ibi Christus est: Cùm hospitium tuum adversarius viderit occupatum cœlestis fulgore præsentiæ, intelligens locum tenta mentis suis interclusum per Christum esse, fugiet &c.* Similia habet Chrysostomus homil. 45. ubi ait quod *ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus, terribiles facti diabolo.* Subditque paulò post, quod *hic mysticus sanguis dæmones procul pellit, cùm enim dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur &c.* Et infrà. *Quòd si ejus figura tantam habuit vim in templo Hebræorum & in Ægypto, quando liminaribus aspersus & inunctus est sanguis agni, multò magis veritas &c.* Demum Cyprianus Epist. 54. ait, *Non esse idoneum ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: quia mens deficit, quam recepta Eucharistia non erigit & accendit.*

8. Dico quartò: sacramentum Eucharistiæ causat perseverantiam, & gloriæ adeptionem.

Prima pars patet ex supra dictis, Tum quia Eucharistia cùm sit instituta per modum cibi, nutrit & fovet vitam spiritualem. Tum etiam, quia habet præservare à peccatis mortalibus: præservando autem à peccatis, confert perseverantiam, quia impedit destructionem gratiæ. Tum denique, quia confert auxilia ad perseverandum, & ad vincendas tentationes carnis & diaboli, juxta illud quod canit Ecclesia in officio hujus admirabilis sacramenti, à D. Thoma edito.

O Salutaris hostia,
Quæ cœli pandis ostium:
Bella premunt hostilia:
Da robur, fer auxilium.

9. Secunda verò pars, nempè quòd Eucharistia causet adeptionem gloriæ, constat ex verbis illis Christi Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum:* vita enim æterna, est vita gloriæ.

Multiplici verò titulo habet illam causare. Primò, quia est causa gratiæ, quæ est radix & semen gloriæ, & hoc est illi commune cum aliis sacramentis.

Secundò specialiter, quia, ut diximus, causat perseverantiam in gratia: perseverantia autem est veluti janua per quam electi intrant in palatium regni cœlestis, & *sola est* (ut ait Bernardus) *cui æternitas redditur, vel quæ æternitati hominem reddit.*

Tertiò, quia est memoriale passionis Christi, quæ aperuit nobis aditum vitæ æternæ, juxta illud Pauli ad Hebræos 10. *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum*, scilicet cœlestium, *in sanguine Christi.*

Quartò, quia Eucharistia est veluti Christi testamentum, juxta illud Christi, *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine:* testamentum verò confert jus ad hæreditatem: Ergo ex vi hujus sacramenti habemus jus quoddam speciale ad Christi hæreditatem, quæ est vita æterna, & qui illud dignè sumunt, instituuntur hæredes vitæ æternæ, juxta illud Apostoli ad Hebræos 9. de Christo: *Novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, &c. qui vocati sunt, accipiant repromissionem æternæ hæreditatis.*

Quintò hoc sacramentum habet causare gloriam, ratione rei significatæ, significat enim refectionem spiritualem, & unionem fidelium inter se & cum Christo, tanquam membra cum capite, quæ per species panis & vini designantur: illa verò imperfectè solùm habentur in præsenti vita, perfectè autem in statu gloriæ, juxta illud Augustini tract. 26. in Joan. *Cum cibo & potu id appetant homines, ut non esuriant neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus & potus, qui eos à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit, in societate Sanctorum, ubi pax erit & unitas plena, atque perfecta.*

Sextò, quia hoc sacramentum (ut ait Tridentinum sess. 13. cap. 2.) *est pignus futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis.* Quam rationem insinuat D. Thomas opusc. 58. cap. 23. ubi sic discurrit: *Si ergo corpus Christi sumptum, pignus est vitæ æternæ, & pignus non dimittitur, donec id pro quo impignoratur, accipiatur, profectò per hoc ad vitam æternam perducimur.*

Demum hoc sacramentum viaticum appellatur, quia hîc præbet nobis viam, & dat virtutem perveniendi ad patriam. In cujus figuram dicitur 3. Regum 19. quod *Elias comedit, & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Oreb.* Unde Hieronymus in cap. 15. Matthæi: *Non vult Iesus dimittere jejunos, ne deficiant in via: Periclitatur ergo qui sine cœlesti pane ad optatam mansionem pervenire festinat. Unde Angelus ad Eliam: Surge & manduca, quia grandem viam ambulaturus es.* Et Ambrosius precatione 1. quam pro Missæ præparatione composuit: *Manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via.* Item Gaudentius tract. 2. in Exodum, sub finem: *Hoc est viaticum itineris nostri, quo in hac vita modò alimur & nutrimur, donec ad ipsum perveniamus de hoc sæculo recedentes: Unde dicebat idem Dominus, Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis &c.* Similiter Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini cap. 19. *Hoc mysterium nonnunquam viaticum appellatur, quia si quis illo fruitur in via, pervenit ad vitam quam in se habet, &c.* Chrysologus serm. 68. explicans verba illa orationis Dominicæ: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, subdit: *Vult nos in sacramento sui corporis panis viaticum postulare; ut per hoc ad perpetuum diem, & ipsam Christi perveniamus ad mensam; ut unde hic gustum sumpsimus, inde ibi plenitudinem totasque satietates capiamus.* Demum Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio ait, *Animas eorum qui hoc sacramentum in fine vitæ suscipiunt, ab Angelis propter assumptum illud sacramentum rectâ ad cœlum viâ deduci: eorum verò corpora satellitum more stipantibus Angelis, in vitam æternam custodiri.*

In hujus veritatis confirmationem refert Venerabilis Beda libro 4. Eccles. hist. cap. 14. puero ægrotanti dictum fuisse ab Angelis: *Nos te hodiernâ die ad cœlestia regna sumus perducturi: Sed expectare primum habes donec Missa celebretur; ac viatico dominici corporis ac sanguinis accepto, ad æterna in cœlis gaudia subleveris.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

10. Dico quintò : Eucharistia, etiam ut habet rationem sacramenti, remittit pœnam debitam peccatis, non quidem directè & ex vi sacramenti ; sed ex consequenti, & concomitanter. Ita D. Thomas hic art. 5.

Prima pars patet, quia hoc sacramentum non est institutum ad satisfaciendum pro peccatis, sicut sacramentum Pœnitentiæ, sed ad spiritualiter nutriendum, & ad sanctificandum nos.

Secunda verò constat ex suprà dictis : nam cùm ut sacramentum habeat vim remittendi peccatum, ut suprà visum est, & peccatum non remittatur sine aliqua remissione pœnæ, consequens est, ut pœnam aliquam cum peccato remittat. Item ut sacramentum excitat fervorem charitatis, per quam homo consequitur remissionem non solùm culpæ, sed etiam pœnæ. Non remittitur tamen tota pœna peccato debita per sumptionem Eucharistiæ, sicut per receptionem Baptismi, aliàs homini communicanti nulla esset pœnitentia injungenda, sicut nec baptizato injungitur ; & quilibet munitus hoc sacramento ex hac vita discedens, evolaret statim ad cœlum, subindeque non indigeret Ecclesiæ suffragiis, ut à pœnis Purgatorij liberaretur : quæ erronea sunt, & à communi Doctorum sensu penitùs aliena.

Dixi Eucharistiam, *ut habet rationem sacramenti*, quia si consideretur in ratione sacrificij, per se directè pœnam peccati remittit ; nam quatenus sacrificium est, habet vim satisfaciendi, & placandi Deum, ac reddendi illum sibi propitium, ut patebit infrà cùm de Missæ sacrificio disseremus.

Ex his intelliges quod licet Eucharistia, ut habet rationem sacramenti, directè & per se, solùm proficere possit suscipienti : indirectè tamen & per accidens, aliis potest prodesse, quantùm ad remissionem pœnæ illorum peccatis debitæ : potest enim ille qui pio Eucharistiæ usu remissionem pœnæ obtinet, eam aliis sive vivis sive defunctis communicare ; hoc enim postulat Sanctorum communio, quam in Symbolo profitemur, & sacrum indulgentiarum commercium, quas per modum suffragij mortuis impertimur. Cùm enim remissio pœnæ extrinseca sit, eam quisque potest pro aliis Deo offerre, & quod sibi proprium est per laborem, in alios diffundere per amorem. Unde meritò sacra Congregatio Cardinalium, authoritate Apostolica sibi commissa, librum damnavit Theophili Rainaudi, quo communionem pro mortuis refellit, dicens *illam esse sordem non ferendam, piam fraudem, escam falsi fructus, stropham prætextu pietatis tectoriam falsitatis. Imò consensus connubiales mortuis magis Eucharistiâ prodesse ; Eucharistiam nihil habere peculiare præter matrimonium, & mirari se Adversarios non invitare fideles ad illud pro mortuis ineundum.*

Quæ comparatio adeò obscœna est, & sacræ Eucharistiæ injuriosa, ut piæ aures illam ferre non possint, & eâ auditâ, pius lector cohorreat. Quid enim similitudinis inter amplexus maritales per se sordidos, & à nobis non nominandos, & purissimas hujus divini sacramenti delicias, quo (ut suprà ex Paschasio retulimus) *virginitas germinatur, & virgines procreantur.* Unde illa, ut existimo, purpuratorum animos & pietatem commovit, & justissimè exacerbavit, atque suprà dictæ Censuræ ansam meritò præbuit.

A Dico ultimò : Eucharistia habet aliquos effectus in corpore, tum in hac vita, mitigando fomitem appetitûs sensitivi ; tum in alia, causando resurrectionem corporis. 11.

Prima pars docetur à D. Thoma hîc art. 1. ad 3. & art. 6. ad 3. & colligitur ex illo Zachar. 9. *Quid est bonum ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines ?* Virginitas enim & castitas consistit in moderatione appetitûs sensitivi, quantùm ad passiones libidinis. Unde Paschasius libro de corpore & sanguine Domini cap. 21. *Felix fructus ubertatis ex quo virginitas germinatur : nam hoc nostri generis vino castitas corrumpitur, ab isto verò Virgines procreantur.* Et Glossa super illa B verba Psalmi 67. *In Selmon, mons Dei*, sic ait : *De corpore Christi manat umbra gratiæ, quæ nobis defensaculum est contra incentiva vitiorum carnalis concupiscentiæ.* Quæ verba refert D. Thomas opusc. 58. cap. 21. & subdit : *Dum ergo fidelis corpus Christi sumit, spirituale refrigerium percipit, quasi de umbra gratiæ quæ de ipso fluit : Oseæ 14. Ego quasi ros, & Israël germinabit quasi lilium.*

Similia docent SS. Patres Cyrillus enim lib. 4. in Joannem hæc habet : *Sedat cùm in nobis manet Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, & perturbationem animi extinguit.* Bernardus de Baptismo & de sacramento Altaris, circa medium, ait : *Duo* C *sacramentum hoc operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrûm non tam sæpè modò, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut caterorum hujusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo.*

Si autem quæras, quomodo Eucharistia hunc effectum causet in corpore ? 12.

Respondeo cum D. Thoma hîc art. 6. ad 3. quòd *licèt hoc sacramentum non directè ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, inquantum auget charitatem : quia sicut Augustinus dicit libro 83. quæ-* D *stionum, augmentum charitatis est diminutio cupiditatis.*

Idem docet Catechismus Pij V. in quo de Eucharistia sic dicitur : *Dum charitatis igne animos magis incendit, concupiscentiæ ardorem extinguat, necesse est.* Addit S. Doctor loco citato, quòd Eucharistia *confirmat cor hominis in bono per quod etiam præservatur homo à peccato.* Quibus verbis alium innuit modum, quo Eucharistia habet concupiscentiam mitigare, & libidinis passiones frænare ; cùm enim illa sit verus animi cibus, confortans cor in bono ; habet annexa auxilia quibus fomes mitigetur, sive quiE bus excitentur piæ cogitationes ad eum finem accommodatæ, & Dei providentiâ tollantur omnes occasiones extrinsecæ, & arceantur Dæmones, ne fomitis incendium augeant, ut docet S. Joannes Chrysostomus homiliâ 45. in Joan.

Addunt aliqui, quod sicut hoc sacramentum in carne indignè sumentium causat interdum infirmitatem & imbecillitatem, juxta illud Apostoli 1. ad Corinthios 11. *Idò multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Ita è contrario in corpore hominis benè dispositi, qualitates aliquas naturales causat quibus ardor concupiscentiæ temperatur, & fomes aliquantulum minuitur. Unde Damascenus libro 4. fidei

fidei cap. 14. dicit de hoc sacramento, quòd A *cedit in corporis animique præsidium.* Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 4. mystagogicâ, quòd *animam & corpus sanctificat.* Et Chrysologus serm. 34. *O quam* (inquit) *docuit mulier quantum sit corpus Christi, quæ in fimbria tantum esse monstravit ! Audiant Christiani qui quotidie corpus Christi attingunt, quantam de ipso corpore sumere possint medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem.*

13. Quòd verò resurrectionem corporis causet, ut asserit secunda pars conclusionis, passim docetur à SS. Patribus, Gregorius enim Nyssenus in oratione catecherica magna cap. 38. comparat corpus Christi quod à nobis sumitur, cum fermento illo modico quod miscetur farinæ satis tribus, & facit totam massam excrescere ; atque corpora nostra, alta corpore & sanguine Christi, veluti fermentari ad resurrectionem futuram. Irenæus verò lib. 5. adversùs hæreses, valde appositè confert nostra corpora cum acino vitis, & cum grano frumenti, & corpus & sanguinem Christi, cum ea vi genitali, quæ est in grano frumenti. Nam quemadmodum granum frumenti, etiam si mutatum fuerit in putredinem, tamen propter illam vim generalem quam habet, resurgit in herbam & spicam : ita corpora nostra, quamvis resoluta fuerint in pulverem, tamen propter carnem & sanguinem Christi, ex quibus C nutrita fuerant, resurgent in gloriam & incorruptibilitatem. Unde lib. 4. cap. 34. contra Valentinianos qui resurrectionem corporum negabant, sic arguit : *Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur ?* Quem locum Rossensis sic interpretatur : *Perinde est ac si dixisset : Quoniam caro Christi vivificati est, & eadem resurrexit ad vitam incorruptibilem ; inde fit, ut qui carnem illam dignè comederunt, si nulla post hac suâ culpâ, virtutem illam quam acceperunt, amittant, eorum corpora procul dubio resurgent ad immortalitatem.*

14. Huic sententiæ subscribit Cyrillus Alexandrinus in 6. cap. Ioannis, differrè non minùs quàm diffusè ostendens, carnem Christi ideò D vivificatricem esse, quia ineffabiliter conjuncta est Filio Dei, à quo universa vivificantur, & qui per naturam vita est, cùm ex vivo Patre genitus sit : proinde corpora nostra quantumvis corrumpenda, arrham, jus, vimque gloriæ immortalitatis ex illius participatione & conjunctione percipere. Quod hoc discursu probat : Caro Salvatoris Verbo, quod naturaliter vita est, conjuncta, vivifica est, hacque de causa in excitandis mortuis, non solùm ut Deus verbo atque imperio utebatur ; verùm etiam carnis suæ contrectationem adhibebat, ut ostenderet corpus suum vivificare E posse. Igitur quando eam carnem comedimus, tunc vitam habemus in nobis, quæ committet & inferet omnino immortalitati participes sui.

Deinde his exemplis rem illustrat. Aqua ex natura frigida, adventu ignis, frigiditatis suæ oblita, æstuat. Quando mors in primogenitos Ægyptiorum sæviebat, carnes agni manducantes Hebræi, ejusque sanguine superliminaria perungentes, mortem effugerunt. Mulier apud Matthæum fermentum abscondit, in farinæ satis tribus, & parùm fermenti totam massam fermentat : sic parvula benedictio totum hominem, in se attrahit, & suâ gratiâ replet ; & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo. Propterea dicit, *Resuscitabo eum in novissimo die.*

Et iterum : *Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei conjungeretur. Non credis mihi hæc dicenti ? Christo, te obsecro, simanducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & suscitabo eum in novissimo die.* Hùc usque Cyrillus.

B Similia docent Chrysostomus homiliâ 24. in 1. ad Corinthios, Hilarius 8. de Trinitate, 15. Tertullianus libro de Resurrectione carnis, & Ignatius in Epistola ad Ephesios, ubi Eucharistiam appellat φαρμακον ἀθανασιας, ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανειν : *Pharmacum immortalitatis, præservativum contra mortem.* Eadem de causa Concilium Nicænum vocat hoc sacramentum *Symbolum resurrectionis*, & olim Christiani Punici *vitam* illud nuncupabant, ut refert D. Augustinus libro de peccatorum meritis, & remissione cap. 24. Imò in quibusdam Ecclesiis solitum erat illud in ore defunctorum ponere, ut hoc contactu immortalitatis germen ipsorum corporibus tribueret. Quod tamen postea C in variis Conciliis fuit prohibitum, præsertim in Concilio Carthaginiensi 3. canone 6. & in Concilio generali 6. in Trullo, canone 85. quia (ut inquiunt Patres ibi congregati) scriptum est, *Accipite & manducate*, quod mortui præstare non possunt.

Demum S. Thomas in cap. 6. Joan. lectione 7. hujus sacramenti utilitatem ex eo probat, 16. quia non solùm animæ, sed etiam corpori dat vitam, juxta illud Christi Joannis 6. *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Subditque postea satis congruè, hunc effectum Eucharistiæ tribui ; quia ut dicit Augustinus : *Verbum resuscitat animas, sed Verbum caro factum vivificat corpora :* in hoc autem sacramento non solùm est Verbum secundùm suam Divinitatem, sed D etiam secundùm veritatem carnis, & ideò non est causa solùm resurrectionis animarum, sed etiam corporum 1. ad Corinthios 15. *Per hominem resurrectio mortuorum.*

Ex hoc inferunt aliqui, quod illi qui in hac 17. vita sæpè & devotè communicarunt, claritatem quandam & splendorem specialem post resurrectionem generalem habebunt in corporibus suis : Etenim si Moyses in hac vita mortali, ex sola conversatione cum Angelo, qui loco Dei illi apparebat, tantam claritatem contraxit in facie, ut ex magnitudine splendoris, cornuta videretur, *& non possent intendere Filij Israël in* E *faciem Moysis, propter gloriam vultûs ejus*, ut ait Apostolus 2. ad Corinthios 3. qualem claritatem putandum est contractura corpora Beatorum, ex contactu corporis Christi glorioſi, in Eucharistia, quam Chrysostomus *Fontem lucis*, & Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, *Arcam luminum*, appellat. Id explicat Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 18. exemplo quorundam vermium, qui corpora habent lucida, fulgentia sicut lucernæ : *Justi* (inquit) *splendebunt ut Sol, & tanquam Luna, & sicut splendor firmamenti. Et prævidens istam hominum incredulitatem Deus, vermibus parvulis, æstate lucidum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

lucidum dedit corpus, ut ex apparentibus crederetur id quod expectamus: qui enim partem potest præstare, poterit & totum; qui fecit ut vermis lumine splendeat, multò magis illustrabit hominem justum.

18. Quæres, an physicè vel moraliter solùm Eucharistia hunc effectum operetur?

Respondeo probabilius esse, hunc effectum solùm moraliter causari ab Eucharistia, quatenus scilicet Deus voluntate sua acceptat sumptionem Eucharistiæ quasi pignus futuræ gloriæ & immortalitatis, ut ait Tridentinum sessione 13. cap. 2. pignus autem non causat redditionem debiti, nisi moraliter; à debitore verò physicè causatur. Unde Christus quidem intuitu hujus pignoris, & promissionis factæ Joannis 6. *Et ego resuscitabo eum in novissimo die*, quæ est obligatio moralis, physicè corpora nostra resuscitabit in novissimo die, sed Eucharistia moraliter solùm ad hunc effectum concurret.

19. Addo quod licèt sacramenta novæ legis, quando sunt, physicè (in sententia Thomistarum) producant suos effectus, quando tamen non existunt, moraliter solùm ad eos concurrunt, ut de sacramentis fictè susceptis diximus Disp. 3. art. 3. §. 2. Tractatu de sacramentis in communi. At cùm corpora sanctorum resurgent, sacramentum Eucharistiæ non erit ampliùs in se, cùm jam præterierit, neque etiam in aliquo suo effectu, seu qualitate ab eo relicta in corpore, quæ tunc elevetur à Deo ad causandam resurrectionem, ut aliqui existimant: neque enim fundamentum habet talis qualitas, nec designari potest quænam sit, aut quomodo maneat in tam multis transmutationibus quæ fiunt in corporibus mortuorum postea glorificandis, ut rectè ait Joannes à Sancto Thoma hìc disputatione 30. art. 1. conclus. 4. Ergo sacramentum Eucharistiæ moraliter duntaxat causabit corporum nostrorum resurrectionem.

20. Quærunt etiam hìc aliqui, utrum per accidens possit hoc sacramentum aliquando conferre primam gratiam? Sed de hoc fusè egimus in Tractatu de sacramentis in communi disp. 3. art. 5. §. 4. ubi ostendimus sacramenta vivorum per accidens aliquando conferre primam gratiam; idque de Eucharistia expresè docet D. Thomas hìc art. 3. hic verbis: *Potest hoc sacramentum operari remissionem peccatorum dupliciter: uno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cùm quis primò justificatur à peccato: alio modo etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet, fortè enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devotè & reverenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remissionem peccati.* Et in 4. sent. dist. 9 quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2. *Si aliquis* (inquit) *factâ diligenti discussione suæ conscientiæ, quamvis fortè non sufficienti, ad corpus Christi devotè accedat, aliquo peccato mortali in ipso manente, quod ejus cognitionem præterfugiat, non peccat: imò magis ex vi Sacramenti, peccati remissionem consequitur. Unde Augustinus dicit in quodam sermone, quod quando corpus Christi manducatur, vivificat mortuos.*

21. Ratio etiam id suadet, cùm enim Eucharistia realiter Christum contineat, qui est fons vitæ, verisimile est quòd potest mortuos morte peccati vivificare, & homini sic dispositio per accidens conferre primam gratiam; idque de divina misericordia & benignitate piè præsumitur, cùm Deus sit *misericors & clemens, ac præstabilis super malitia*, erga eos qui ex animo peccatum detestantur, & devotè ac bonâ fide confugiunt ad sacramenta, eorumque incapaces non sunt. Cùmque hoc sit magis pium, & in consolationem fidelium cedens, non est cur negetur.

22. Addo quod Ecclesia huic sententiæ favere videtur, cùm in quadam oratione postulat, *ut hoc sacramentum sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit vivorum atque mortuorum fidelium remissio omnium peccatorum.* His enim verbis innuere & sentire videtur, valere inter alia hoc sacramentum ad scelera abluenda.

23. Idem docere videntur SS. Patres, quos refert Joannes à S. Thoma hìc art. 2. præsertim Chrysostomus, qui homil. 83. in Matth. sacramentum hoc *remissionem peccatorum facere, spurcitiam omnem abstergere, & morbos omnes depellere ait.* Et Justinus Martyr in quæstionibus ad Gentes, responsione ad quartam, loquens de sumptione carnis Dominicæ in hoc sacramento: *Carbo* (inquit) *quem Propheta vidit immundis suis labiis adhærentem, ad iniquitatum, peccatorumque expiationem, figuram habebat Dominicæ carnis, quæ conscientiam eorum qui ipsam edunt, ab omni scelere expiat.*

24. Nec valet quod ait Vazquez, Justinus ibi non loqui de reali sumptione carnis Christi in Eucharistia, sed solùm de fide quâ in Christum creditur. Nam (præterquàm quod hæc responsio favet hæreticis, Christi carnem in Eucharistia spiritualiter solùm, & per fidem manducari contendentibus) apertè repugnat menti S. Justini, cùm paulò ante dicat: *Quod illâ visione Isaiæ, mysterium Christi enuntiabatur, qui in solio gloriæ sedet, esuque sanctæ carnis suæ peccata impiorum scelestorumque hominum expiat.* Ubi per esum carnis Christi, non potest intelligi fides quâ in ipsum creditur, sed solùm sacramentalis ejus sumptio in Eucharistia.

25. Dices primò, Tridentinum sess. 13. can. 5. anathema dicit ei qui dixerit, *præcipuum fructum hujus sacramenti esse remissionem peccatorum*: Ergo sententia D. Thomæ non videtur menti & doctrinæ Concilij consona.

Sed nego consequentiam, nam potiùs Concilium nostram indicare vel supponere videtur sententiam, dum definit remissionem peccatorum non esse præcipuum hujus sacramenti effectum: hæc enim verba innuere vel supponere videntur, remissionem peccatorum esse ejus effectum minùs præcipuum, subindeque Eucharistiam interdum per accidens conferre primam gratiam, quamvis directè & præcipuè ad istum effectum conferendum non sit instituta.

26. Dices secundò, Sacramentum Eucharistiæ per modum cibi institutum est: Sed cibus nihil prodesse potest mortuis, cùm detur ad recreationem & nutrimentum viventium, non ad suscitationem mortuorum, quia mortui manducare non possunt: Ergo Eucharistia nunquam prodesse potest mortuis spiritualiter morte peccati, nec per consequens illis conferre primam gratiam. Præsertim cùm Sacramenta vivorum (cujusmodi sunt omnia, exceptis Baptismo & Pœnitentiâ, quorum ille ad suscitandum mortuum peccato originali institutus est, hæc verò ad suscitandum mortuum

tuum per actualia post Baptismum commissa) sic appellantur, quòd nunquam prodesse mortuis possint.

27. Respondeo quòd licèt hoc sacramentum per modum cibi institutum sit, & sic directè & per se loquendo supponat vitam in comedente; quia tamen hic cibus eminenter habet vitam, ipsumque vitæ fontem, ut suprà dicebamus, in se continet; habet potestatem vivificandi mortuos morte peccati, & conferendi primam gratiam.

28. Addo, quod licèt nutrimentum convertendum in substantiam aliti, vi facultatis ipsius naturalis, cujusmodi est alimentum corporeum, non possit prodesse quidquam mortuis (quippe qui carent tali vi & facultate) secùs tamen spirituale, quod è contrario suscipientem in se quodammodo convertit. Præsertim cùm ille de quo loquimur, non ita sit mortuus, quin aliquem vitæ spiritualis actum exerceat, & cum attritione ac bona fide, devotè, reverenterque ad sacramentum accedat.

29. Ad illud quod additur de sacramentis vivorum, dicendum est, sacramenta vivorum non ita appellari, quòd nunquam possint prodesse mortuis; sicut nec sacramenta mortuorum sic nuncupantur, ut non possint prodesse vivis; sed dicuntur sacramenta vivorum, quia per se & ex prima intentione, gratiæ vitam præsupponere debent in subjecto; licèt ex benignitate & secundaria intentione Christi, fragilitatis hominum miserentis, eam tribuere possint accedentibus bonâ fide cum attritione, ut probabiliter de divina misericordia præsumitur, & fusiùs loco suprà citato declaratum est; unde quæ hìc circa hanc difficultatem desunt, ex dictis ibidem suppleri poterunt.

30. Plures alij sunt hujus mirabilis sacramenti fructus & effectus, quos eleganter describit Chrysostomus homil. 45. in Joan. ubi ait, *sacrum hunc sanguinem* (nobis in Eucharistia propinatum) *vivam ac spirantem in nobis Regis nostri effigiem reparare; hunc sanguinem perennibus undis animam irrigare ac fovere, cujus eximiam pulchritudinem ac nobilitatem marcescere ac degenerare non sinit. Hunc sanguinem dignè gustatum dæmones fugare, & longè à nobis profligare, Angelos verò & Angelorum Dominum ad nos allicere. Hunc sanguinem animarum salutem esse, hoc recreari animum, hoc ornari, hoc inflammari, atque ipso igne clariorem reddi, & auro splendidiorem. Ab hac mensa salire fontem, fluvios spirituales diffundentem, juxta quem non steriles salices adnascuntur, sed arbores quæ cœlum ipsum attingunt, ac tempestivos semper & nunquam marcescentes fructus afferunt.* Item Cyprianus, sive quis alius Author sermonis de cœna Domini: *Mira* (inquit) *sunt quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur, quem agnus iste Paschalis inhabitat, cujus animam meri hujus fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat & delectat.* Et rursus: *Qui manducat ex hoc pane, ultra non esurit; qui biberit, ultra non sitit: quoniam mysterij hujus sic sufficit gratia, sic vescit intelligentia, ut cuicumque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis sine invento, Christi bajulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente.* Et iterum: *Esus igitur carnis hujus quædam aviditas est, & quoddam desiderium manendi in ipso; per quod sic imprimimus & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, ut hæreat palato nostro & visceribus sapor dilectionis infusus, penetrans & imbuens omnes animæ corporisque recessus.* Unde in hoc sacramento illud cernimus impletum vaticinium Isaiæ 66. *Ut sugatis & repleamini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis & deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus. Suge igitur* (inquit devotus Author) *ô apicula, suge, suge & bibe dulcoris tui inenarrabilem suavitatem: immerge & repleare, quia ille deficere nescit, si tu nescias fastidire. Adhære ergo, & inhære; sume, & fruere; si semper gustus fuerit, sempiterna quoque beatitudo erit.* Ex quo infert S. Hieronymus in cap. 3. Ecclesiast. quòd *hoc solum habemus in præsenti sæculo bonum, si vescamur carne ejus, cruoreque potemur.* Addit D. Bonaventura in opusculo de præparatione ad Missam: *Tolle hoc sacramentum de Ecclesia, & quid erit in mundo, nisi error? Et populus Christianus erit quasi grex porcorum dispersus, & idololatriæ deditus, sicut patet expresè in infidelibus. Nam per hoc sacramentum stat Ecclesia, roboratur fides, viret & viget Christiana religio, & divinus cultus.*

ARTICULUS II.

Quandonam Eucharistia conferat gratiam?

31. CErtum est Eucharistiam non dare gratiam nisi verè & realiter manducetur, est enim promissa ista gratia manducationi sacramenti, Joan. 6. Unde si absque manducatione ulla ab Angelo poneretur in stomacho, non conferret gratiam, quidquid dicat Delugo in contrarium. Sacramenta enim non conferunt gratiam ex opere operato, nisi suscepta sacramentaliter: non est autem alia sacramentalis susceptio cibi Eucharistici à Christo instituta, nisi manducatio, cùm de hac solùm Scriptura faciat mentionem. Joannis 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et rursus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Et iterum: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Verùm quia comestio magnam habet latitudinem, & plures actiones, subindeque pluta instantia vel tempora includit. Primò enim alimentum sumitur in ore, secundò trajicitur per guttur, tertiò reponitur in stomacho, & tandem ibi per calorem naturalem digeritur, difficultas est & controversia inter Theologos, quonam ex his instantibus vel temporibus Eucharistiæ sacramentum conferat gratiam? Beccanus enim cap. 22. de Eucharistia quæst. 6. numero 2. dicit probabilius esse gratiam dari, cùm hostia sumpta est, etiam si adhuc non sit transmissa in stomachum, nec transierit per guttur. Suarez verò existimat illam conferri, cùm primùm hostia incipit transire per guttur, Soto, Nuño, & alij ex nostris Thomistis, censent illam dari, in eo instanti in quo primò verificatur species Sacramentales pervenire ad stomachum, & finitam esse manducationem. Demum Cajetanus hìc art. 1. docet Eucharistiam causare gratiam toto illo tempore quo species sacramentales durant in stomacho, accommodatque huic sententiæ dictum illud Christi Joannis 9. *Quandiu in mundo sum, lux sum mundi.* Pro resolutione hujus difficultatis.

Dico primò, probabilius est hoc sacramentum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum causare gratiam in instanti extrinsecè terminativo manducationis, in quo verum est dicere, nunc non est manducatio, sed immediatè antea fuit; id est quando primùm species sacramentales stomachum aut ventriculum attingunt.

32. Probatur breviter: Promissio gratiæ non est facta nisi his qui hunc cibum manducaverint, & hoc convenienter, quia cibus non nutrit, nisi sufficienter applicatus & manducatus: Sed non censetur manducatio perfecta, usque ad illud instans explicatum: Ergo tunc solùm gratiam confert. Major patet, Minor probatur. Nam quando solùm cibus est in ore, nondum dicitur manducari, qui enim cibum tenent in ore, & nullo modo deglutiunt, non dicuntur comedere. Similiter cùm cibus incipit tangere superficiem gutturis, vel transire per guttur, nondum comestus dicitur: Ergo non censetur manducatio cibi Eucharistici perfecta, nisi in instanti extrinsecè terminativo ipsius manducationis, seu quando primùm species sacramentales stomachum aut ventriculum attingunt.

33. Dices primò, Cibus materialis viventem non nutrit, nisi postquam corruptus est: Ergo neque hoc sacramentum, quòd ad modum cibi spiritualis institutum est, sumentem nutrit, nisi postquam species sacramentales corruptæ sunt.

Sed nego consequentiam & paritatem: Ratio verò discriminis est, quia cibus materialis nutrit per conversionem sui in substantiam viventis; unde ut viventem nutriat, debet priùs corrumpi, cùm non possit in illum converti, nisi in seipso corrumpatur. Contra verò hoc sacramentum nutrit per conversionem sumentis in seipsum: quem ut convertat, debet agere & operari quando est, cùm nullum agens aptum sit operari, quando non est.

34. Dices secundò, ex nostra sententia sequi duo absurda: Primum est, quod posset aliquis dignè manducare corpus Christi, & tamen non recipere gratiam sacramentalem; putà si moreretur antequam species pervenirent ad stomachum, seu ante completam manducationem. Secundum, quod si quis in peccato mortali existens, susciperet hoc sacramentum, & ab eo tempore quo sumpsisset, usque ad instans extrinsecè terminativum manducationis, eliceret actum contritionis, revera justificaretur.

35. Respondeo concedendo utrumque, sed negando hæc esse absurda, vel à veritate aliena, quia Christus non promisit gratiam iis qui ore tantùm & dentibus sumerent hoc sacramentum, sed verè manducantibus, manducatione perfectâ & completâ, quæ tunc solùm existit, quando primùm species sacramentales stomachum aut ventriculum attingunt.

36. Ex quo infertes, quod ille qui recipit species sacramentales in ore, cum intentione eas deglutiendi, sed postea eas expuit, non valens illas deglutire, ob aliquam infirmitatem, vel naturæ debilitatem, effectum hujus sacramenti non recipit, quia non manducat corpus Christi, manducatione completâ & perfectâ, sed dumtaxat imperfectâ & inchoatâ. Idem dicendum de eo qui diu in ore retinet hostiam, ita ut species corrumpantur antequam deglutiantur. Si quis verò ad stomachum trajiciat species, & postea evomat, verè recipit gratiam, & hujus sacramenti fructum, quia ille non dependet nisi ex manducatione, non ex digestione specierum: vomitus autem non opponitur manducationi, sed potiùs eam supponit, licèt impediat digestionem: Unde non est simile quantùm ad hoc de cibo corporali, & de sacramentali, nam cibus corporalis non nutrit nisi mediante digestione, ad quam requiritur quòd cibus in stomacho remaneat; cibus autem sacramentalis non operatur mediante digestione, ideóque ut effectus ejus percipiatur, non requiritur quòd remaneat in stomacho, sed sufficit quòd mediante sumptione ad illum pervenerit.

37. Dico secundò, valdè probabile est, quòd si eo tempore quo species sacramentales remanent in stomacho, homo novos ac ferventiores charitatis, aliarumque virtutum actus eliciat, quibus magis ac magis sese disponat, recipiet majorem gratiam ex opere operato; aliàs non recipiet nisi eam quam initio recepit, dum primùm species sacramentales stomachum aut ventriculum attigerunt. Ita docet Cajetanus hic art. 1. quem sequuntur Recentiores non pauci. Unde Cardinalis Delugo disputatione 12. sectione 2. numero 46. ait, quod *licèt alium malè audierit hæc opinio, jam hodie communiter recipitur.*

38. Non potest hæc assertio evidenti ratione probari, cùm hoc ex sola Christi voluntate & institutione dependeat, potest tamen duplici congruentiâ suaderi. Prima est, quia hoc sacramentum institutum est per modum cibi, ideóque habet eosdem effectus in anima, quos cibus materialis in corpore, ut ait Concilium Florentinum: At cibus toto eo tempore quo in stomacho permanet, & quo calor naturalis agit in ipsum, nutrit & confortat corpus: Ergo similiter toto eo tempore quo Christi corpus sacramentaliter in sumente perseverat, nutrit & confortat spiritualiter animam, augendo in ea gratiam sanctificantem; si homo calore supernaturali, id est actibus charitatis, aut aliarum virtutum, magis ac magis ad tale augmentum eo tempore se disponat.

39. Secunda est, quia cùm Christus sit lux mundi, & fons omnis gratiæ, rationi consonum videtur, ut quandiu in nobis sacramentaliter perseverat, animam lumine gratiæ illuminet, juxta illud Christi Joan. 9. *Quandiu in mundo sum, lux sum mundi*; illamque spiritualiter pascat & satiet; hoc enim dignitati hujus sacramenti convenit, & ad pietatem atque ad augendam devotionem post sumptum sacramentum excitat.

40. Dices primò: Effectus hujus sacramenti promittitur manducanti Joan. 6. Sed toto eo tempore quo species sacramentales remanent in stomacho, non est manducatio corporis Christi: Ergo toto illo tempore non confertur gratia, sed in eo solùm instanti quo species sacramentales primò stomachum aut ventriculum attingunt, nam in eo tantùm primò verum est dicere, nunc corpus Christi manducatum est.

41. Respondeo hoc sacramentum causare gratiam in eo qui manducat, non præcisè ratione manducationis, hæc enim est tantùm conditio

conditio & applicatio, sed ratione ipsius cibi manducati, & hoc tantùm voluit Christus Joan. 6. unde quandiu cibus manducatus, est in stomacho, tandiu datur ejus effectus, si toto illo tempore ponatur dispositio.

42. Dices secundò: Si hoc sacramentum semper continuò gratiam augeat, quandiu in nobis manet, sequitur, majorem gratiam recepturum illum qui majorem aut plures recipit hostias, imò qui debiliorem habet stomachum, quia diutiùs in eo manent species sacramentales, unde hinc aperitur via superstitionibus, plures grandioresve procurandi hostias, quod est ab Inquisitoribus damnatum, ut testatur Vazquez hic disputatione 203. cap. 2.

43. Respondeo distinguendo sequelam, sequitur majorem gratiam recepturum, &c. per accidens concedo: per se nego. Neque enim nos tribuimus majorem gratiam majori durationi specierum præcisè, sed majori dispositioni quæ habetur in illa duratione; quare si tota illa dispositio in uno instanti haberetur, tota etiam gratia in illo instanti produceretur. Unde non aperitur via superstitionibus, sed commendatur diligentia communicantis, & augetur reverentia erga tantum sacramentum. Nam dum communicans scit, quandiu hoc sacramentum manet in ipso, continuò gratiam augeri, ad meliorem subjecti dispositionem, majori cum diligentia conatur ad plures & ferventiores charitatis, aliarumque virtutum actus eliciendos, ut majus gratiæ augmentum consequatur.

44. Ex his intelliges, nullum esse inconveniens admittere, illum qui ad hoc sacramentum accedit cum peccato nondum sufficienter retractato, si postea antequam species sacramentales corrumpantur, illud sufficienter retractet per contritionem, vel etiam per attritionem, quam putat contritionem, justificari & gratiam consequi virtute sacramenti adhuc manentis. Unde optimum consilium est, eo tempore ad actus contritionis & dilectionis erga Deum maximè conari.

ARTICULUS III.

An ad consequendum effectum hujus sacramenti requiratur actualis devotio, excludens mentis distractionem, & peccata venialia actu exercita?

45. PArtem affirmantem tenent D. Bonaventura, Alensis, Durandus, Paludanus, Sylvester, & Cajetanus hic art. 1. eique adhærere videtur S. Thomas in 4. distinct. 2. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 3. ubi sic habet: *Cùm hoc sacramentum perficiat conjungendo fini, ad hoc quod effectum suum plenè habeat in sumente, oportet quod adsit actualis devotio. Et quia interdum absque mortali peccato actualis devotio impediri potest, cùm distractiones variæ ipsam impediant, & peccata venialia virtutem actûs tollant; absque peccato mortali potest effectus hujus sacramenti impediri; ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat, sed fortè reatum venialis peccati, ex hoc quòd imperatus accedat.*

Nihilominus sententia negans, his temporibus communis est, non solùm apud extraneos, sed etiam apud domesticos, eamque expressè docet S. Doctor hic artic. 8. cujus verba infrà referemus. Pro ejus verò explicatione & probatione, recolendum est ex dictis art. 1. duplicem hujus sacramenti effectum, unum præcipuum, scilicet augmentum gratiæ; alterum minùs principalem, nimirum refectionem quandam & dulcedinem spiritualem, quâ anima spiritualiter reficitur & exhilaratur, & amoris divini dulcedine inebriatur: juxta illud Cantic. 5. *Comedite amici, & inebriamini charissimi.* Vel ut habet alia versio: *Inebriamini amoribus.* Hoc posito, sit

§. I.

Triplici conclusione difficultas resolvitur.

46. DIco primò, ad recipiendam gratiam spiritualis refectionis & dulcedinis, requiritur devotio actualis, excludens mentis distractionem, & peccata venialia actu exercita. Ita D. Thomas hic art. 8. cujus verba conclusione sequenti referemus, & communiter Theologi, & patet ex eo quod hæc gratia consistit in aliqua sancta cogitatione & pia affectione, quæ per quamlibet mentis distractionem impeditur.

47. Confirmatur: ut hæc gratia recipiatur in nobis, requirit subjectum capax: non est autem capax, nisi sit spoliatum omni aliâ mentis cogitatione; quia cùm proximum subjectum hujus gratiæ sit intellectus & voluntas, & hæ potentiæ nequeant ad plura perfectè attendere, si tempore sumptionis occupantur in aliis rebus cogitandis, non erunt aptæ ad recipiendas divinas illustrationes, & pias motiones & affectiones. Addo ex Augustino libro quinquaginta homiliarum, homil. 50. cap. 3. quòd peccata venialia, *velut scabies, nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi specioso formâ præ filiis hominum, castissimis amplexibus separent.*

Dico secundò, ut hoc sacramentum conferat augmentum gratiæ habitualis, non requiritur devotio actualis, excludens peccata venialia actu exercita, sed sufficit status gratiæ habitualis, expellentis omnia peccata mortalia.

48. Probatur primò ex D. Thoma hîc art. 8. ubi sic ait: *Effectus hujus sacramenti non solùm est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis; quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc sacramentum, per peccata venialia mente distractus: non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ & charitatis.* Quibus verbis hanc & præcedentem conclusionem manifestè docet. Unde Soto, & alij ex nostris Thomistis dicunt illum hîc retractasse quod docuerat in quarto sententiarum. Serra tamen hîc artic. 8. quarto sententiarum. Serra tamen hîc artic. 8. dubio unico, in solutione ad 1. ait quod licèt D. Thomas clariùs hîc loquatur, idem tamen docuit loco citato ex quarto sententiarum. Non enim ait, defectum devotionis, & peccata venialia, ex toto impedire effectum hujus sacramenti, sed solùm dicit: *Ad hoc quod effectum suum plenè habeat in sumente, oportet quod adsit actualis devotio.* Plenè autem habere suum effectum, est conferre non solùm habitualem gratiam, sed etiam actualem refectionem spiritualis dulcedinis: ad sic autem plenè habendum suum effectum etiam hîc docet requiri actualem

Universidad de Deusto
Biblioteca

lem devotionem. Unde cùm ibi subdit S. Doctor: *Absque peccato mortali potest effectus hujus sacramenti impediri, ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat.* Per augmentum gratiæ non intelligit quodcumque augmentum gratiæ habitualis, sed augmentum quod provenit gratiæ ex additione spiritualis refectionis actualis, quando virtute hùjus sacramenti charitas excitatur in actum, & ferventior fit ob majorem dispositionem actualis devotionis. Hæc solutio & interpretatio probabilitate non caret, & à mente Sancti Doctoris non videtur aliena.

49. Probatur secundò conclusio ex Tridentino sess. 13. cap. 7. ubi ad dignè & fructuosè recipiendum hoc sacramentum, non aliam necessariam dispositionem exigit, quàm ut peccati mortalis non sit conscius qui accedit; sic enim ait: *Communicare volenti revocandum est in memoriam hoc Apostoli præceptum: Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat:* Ergo ex Tridentino ad dignè & fructuosè recipiendum hoc sacramentum, subindeque ad percipiendum principalem ejus effectum, scilicet augmentum gratiæ, non requiritur devotio actualis, excludens omnia peccata venialia, sed sufficit status gratiæ sanctificantis, expellentis omnia peccata mortalia. Unde Augustinus Tractatu 26. in Joannem: *Peccata etsi sint quotidiana, vel non sint mortifera antequam ad altare accedatis.*

Potest etiam suaderi conclusio ratione fundamentali: Sacramenta novæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem: Sed accedens ad hoc sacramentum cum veniali, aut sine actuali devotione, non ponit obicem gratiæ habituali, cùm nec carentia actualis devotionis, nec peccatum veniale gratiæ & charitati opponatur: Ergo augmentum gratiæ sanctificantis recipit.

50. Dices, quod licèt ille non ponat obicem positivè effectui hujus sacramenti, illi tamen ponit obicem veluti negativè, quia non ponit dispositionem necessariam ad illum.

Verùm hoc facilè potest confutari: Tum quia Augustinus & Tridentinum, ut suprà ostendimus, ad dignè & fructuosè recipiendum hoc sacramentum, non aliam necessariam exigunt dispositionem, præter statum gratiæ sanctificantis, omnia peccata mortalia excludentis. Tum etiam, quia ex hac solutione sequeretur, quod sicut peccator accedens cum attritione supernaturali, cognita ut tali, ad hoc sacramentum, peccat mortaliter quia accedit cum dispositione quam cognoscit esse insufficientem; ita pariter qui scienter cum peccato veniali, aut carentia actualis devotionis illud reciperet, etiam mortaliter peccaret, quia similiter ad illud accederet sine dispositione necessaria ad recipiendam gratiam: At hoc dici nequit, ut fatentur Adversarij, & patet, quia alioquin non nisi à paucis sumi posset Eucharistia absque peccato mortali: Quàm pauci enim sunt adeò puri & recti, perfectoque Dei amore purgati, ut careant omni prorsus habituali affectu inordinato. Imò quàm pauci carent omni actuali, aut sine aliqua distractione aut levi negligentia vel irreverentia veniali communicant.

Demum probari potest conclusio ex consuetudine Ecclesiæ, quæ olim post Baptismum solebat dare infantibus sacramentum Eucharistiæ, sicut modò in articulo mortis solet administrari phreneticis, in quibus, ob defectum usùs rationis, nequit esse actualis devotio: At hoc non esset licitum, nisi conferret ipsis suum effectum primarium, qui est augmentum gratiæ; quia administratio sacramenti quæ scitur non habitura suum effectum primarium, est illicita. Unde non valet quod ait Cajetanus, phreneticis non dari viaticum ad augendam in hac vita gratiam, sed propter vitam æternam, & propter impugnationes Dæmonum. Tum quia non potest illis prodesse receptio hujus sacramenti ad vitam æternam, nisi augendo in illis gratiam, quæ est radix & semen gloriæ. Tum etiam, quia impugnationes Dæmonum phreneticis timendæ non sunt, cùm enim careant usu rationis, peccare non possunt.

Dico tertiò, licèt peccata venialia, & mentis distractiones cum quibus ad sacramentum Eucharistiæ acceditur, non impediant totale augmentum gratiæ habitualis in hoc sacramento, impediunt tamen intensionem illius. Ratio est, quia sacramenta novæ legis eò intensiorem gratiam ex opere operato producunt in subjecto, quò illud melius dispositum inveniunt, quia producunt ad instar causarum naturalium.

§. II.

Solvuntur objectiones.

53. CONtra primam & tertiam conclusionem nullum militat argumentum alicujus momenti, sed contra secundam objicitur primò: Nullus actus peccaminosus potest augere gratiam: Sed accedere ad Eucharistiam cum peccatis venialibus, est peccatum veniale, saltem quando illa venialia recto usui talis sacramenti, & reverentiæ ei debitæ adversantur, ut infrà dicemus: Ergo non potest augere gratiam.

54. Respondeo distinguendo Majorem: Nullus actus peccaminosus potest augere gratiam ex opere operantis, concedo Majorem: ex opere operato, sive ut conditio physica, nego Majorem: hujusmodi autem communio tunc causat augmentum gratiæ ex opere operato, seu ex vi & efficacia sacramenti, cum dispositione sufficienti recepti.

55. Objicitur secundò: Hoc sacramentum est institutum per modum cibi: Ergo non causat augmentum gratiæ, nisi suscipiens habeat actualem devotionem. Probatur Consequentia, quia cibus naturalis non nutrit vivens, nisi ipsum vivens calore suo naturali agat in cibum: Ergo nec iste cibus spiritualis nutrit hominem, nisi homo calore supernaturali, id est actibus charitatis, agat in ipsum.

56. Respondeo negando Consequentiam, ad cujus probationem, concesso Antecedente, nego etiam Consequentiam & paritatem. Ratio verò discriminis est, quia cibus materialis convertitur in ipsum vivens, & ideò debet vivens agere

agere circa ipsum: At verò cibus iste spiritualis, potius dicitur nos ipsum spiritualiter convertere, & nos nutrire, non quatenus nos agimus in ipsum, sed quatenus ipse agit in nos, & in nobis augmentum gratiæ sanctificantis producit.

57. Objicitur tertiò, ex nostra sententia sequi, quod Sacerdotes quotidie celebrantes, sed tepidè, plus consequerentur gratiæ & charitatis, quàm sanctissimi viri in exercitiis spiritualibus: hoc autem videtur falsum, & contra experientiam; cùm constet illos non esse propterea ferventiores in operando, nec in virtute magis proficere; imò potiùs in spiritualibus exercitiis esse valdè tepidos & languidos, debiles ac infirmos, similesque septem illis vaccis, macie & fame consumptis, quas vidit Pharao Genes. 41. Charitas verò non est otiosa ubi est, juxta illud Augustini in Psalm. 31. *Da mihi vacantem amorem & nihil operantem?* Et istud Gregorij Magni homilià 30. in Evangelia. *Nunquam est amor Dei otiosus, operatur enim magna si est, si verò operari renuit, amor non est.* Similia habet D. Thomas opusculo 61. cap. 30. ubi hæc scribit: *Amor operatur magna, & reputat parva; operatur multa & reputat pauca; operatur diu, & reputat breve:* Ergo, &c.

58. Respondeo, concessâ sequelâ Majoris, negando Minorem, ad cujus probationem dico, ideò gratiam illam sic auctam in Sacerdotibus illis non operari quotidie ferventius, tum quia habitus inf. si non auferunt difficultatem relictam ex actibus vitiosis, sicut habitus acquisiti. Tum præsertim, quia habitus gratiæ & charitatis proximè operantur per auxilia actualia, quæ ob mentis distractiones, & peccata venialia in celebratione commissa, Sacerdotibus illis denegantur. Unde non mirum quòd illi in spiritualibus exercitiis sint valdè tepidi & languidi. Notandum tamen, quòd frequentiùs tepidè celebrantes, meritò, & cum maximo fundamento, timere debent, ne sint in statu peccati mortalis, maximè si nunquam ferè ferventer ad hoc sacramentum accedant. Quòd si quis ex formali intentione vellet cum tepore & distractione ad illud accedere, dicit Nugno talem peccare mortaliter, propter nimirum contemptum tanti sacramenti.

59. Quæres, utrum sit peccatum veniale accedere ad Eucharistiam cum affectu habituali vel actuali ad peccata venialia?

Respondeo peccata venialia cum quibus aliquis ad communionem accedit, esse posse duplicis generis, quædam enim adversantur recto usui hujus sacramenti, & reverentiæ ei debitæ, id est attentioni ac devotioni quam actus ille postulat ex natura sua, ut voluntaria evagatio animi, tepor, indevotio, irreverentia, & similia: alia verò sunt quæ nullam habent oppositionem peculiarem cum devotione & reverentia ad hoc sacramentum requisita, sicut affectus inordinatus ad cibum, potum, ludum, mendacia jocosa, & similia. Si quis ergo cum affectu habituali vel actuali ad peccata venialia hujus secundi generis, accedat ad Eucharistiam, non peccat venialiter; quia talia peccata, ut diximus, non habent specialem repugnantiam vel oppositionem cum hoc sacramento, vel usu illius: secùs verò si quis cum affectu habituali vel actuali ad peccata venialia primi generis communicet, aut missam celebret. Nam si peccatum veniale est libere evagari inter orandum, & non satis attendere, ut docent omnes cum D. Thoma 2. 2. quæst. 83. art. 13. ad 3. quantò magis inter celebrandum aut communicandum, & velle illam evagationem, atque ad illam affici. Unde non solum falsum, sed etiam erroneum puto quod docet Joannes Sanchez in disputationibus selectis, disputatione 23. nempè sumptionem Eucharistiæ præcisè sumptam, prout scilicet est distincta ab oratione, quæ sine dutionem sub præcepto, licèt requirat attentionem; ideóque nullum peccatum esse communicare cum distractione. Etenim ipsa quoque receptio venerabilis sacramenti, præcisè sumpta, exigit attentionem aliquam & devotionem, ac reverentiam, ut docet Tridentinum sessione 13. capite 7. his verbis: *Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sanctè: certè quò magis sanctitas & divinitas cœlestis hujus sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat.* Unde Chrysostomus homilià de proditione Judæ: *Cùm ad reverendum altare ascendis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honore mirare, mente contige, cordis manu suscipe, & hausto interiori assume.* Et homil. 24. in 1. ad Corinth. *Qui hoc honore dignantur, ut mensæ regiæ accumbant, & pocula tangant, formosos esse oportet, & mentis pulchritudine præditos, auro fulgentes, ac pura veste amictos. Neque hæc gracculorum mensa est, sed aquilarum, hoc est animarum sublimium, & in cœlum erectarum, quæ nullum cum terra commercium habeant, neque deorsum trahantur aut repant, rerum creatarum cupiditate illectæ, sed quæ indesinenter sursum evolent, ipsumque justitiæ Solem, acutis ac perspicacibus mentis oculis intueantur.*

ARTICULUS IV.

Utrum Sacerdotes celebrantes, & sub duplici specie communicantes, plus gratiæ recipiant quàm laici, qui sub una tantùm specie communicant?

PArtem affirmativam docent Vazquez, Delugo, Meratius, Martinonus, aliique Recentiores, post Alensem. Negativa verò communis est apud Thomistas, eamque ex extraneis docent Alanus, Suarez, Bellarminus, Salmeronius, Coninck, Amicus, Ysambertus, & ferè omnes qui hoc tempore scripserunt contra hæreticos de communione sub utraque specie.

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

60. DIco igitur, Sacerdos sub duplici specie communicans, non plus recipit gratiæ, quàm laicus, qui sub una tantùm specie communicat, si uterque sit æqualiter dispositus.

Hanc conclusionem probat Salmeron tomo 9. Tractatu 26. ex eo quod si vera esset opposita sententia, non posset Ecclesia authoritate propriâ laicos privare communione sub utraque specie, eò quòd non sit auctrix, sed dispensatrix

Universidad de Deusto
Biblioteca

pensatrix tantùm donorum Christi ; imò contra justitiam & Christi promissionem faceret, quia legata non dispensaret juxta voluntatem legantis,& populum Christianum privaret majori fructu spirituali , qui ex communione utriusque speciei percipitur. Unde aliqui asserunt, Patres Concilij Basileensis , Bohëmis, communionem sub utraque specie flagitantibus , eâ solùm conditione concessisse , ut priùs profiterentur non plus fructus capi ex utraque specie , quàm ex una tantùm , ut ex Ruardo refert Bellarminus.

61. Verùm hæc ratio non urget , licèt enim qui sub utraque specie communicant , plus gratiæ & fructùs spiritualis reciperent, quam sub una tantùm specie communicantes , posset tamen Ecclesia,propter reverentiam tanti sacramenti, & ob morale periculum effundendi sanguinem , privare populum fructu aliquo spirituali ad salutem non necessario. Sicut ob simile periculum privat infantes (quamvis capaces) fructu hujus sacramenti, nec non phreneticos, & eos qui vomitum patiuntur , ut patebit infrà, cùm de usu hujus disseremus.

Quod verò attinet ad Basileense,in sess.30 ubi decretum de communione sub una tantùm specie pro fidelibus laïcis stabilitur, nulla prorsus mentio fit suprà dictæ conditionis,sic enim dicitur : *Sive autem sub una specie, sive sub duplici quis communicet, secundùm ordinationem, seu observantiam Ecclesiæ , proficit dignè communicantibus ad salutem. Nec ullatenus ambigendum est , quòd non sub specie panis caro tantùm, nec sub specie vini sanguis tantùm , sed sub qualibet specie est integer Christus.* Hac ergo ratione prætermisâ.

62. Probatur primò conclusio ex Tridentino sess. 21.cap.3.ubi ait : *Fatendum esse etiam sub altera specie totum atque integrum Christum , verumque sacramentum sumi ; ac propterea , quod ad fructum attinet , nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari , qui unam speciem solam accipiunt.*

63. Dices , Concilium Tridentinum non dicere absolutè nullâ gratiâ fraudari, sed nullâ gratiâ ad salutem necessariâ ; quod verum est , quamvis admittatur Sacerdotem recipere majorem gratiam , quàm laïcum.

Sed contra : Licèt ex hoc sequatur oppositam sententiam non esse manifestè contra Tridentinum , adhuc tamen possumus arguere in hunc modum. Vel Concilium loquitur de gratia simpliciter necessaria ad salutem ? Et hoc non videtur ad mentem Concilij , quia licèt quis privaretur actuali susceptione Eucharistiæ , non fraudaretur aliquâ gratiâ ad salutem necessariâ ; posset enim per pœnitentiam aut contritionem talem gratiam consequi. Vel intelligitur de gratia secundùm quid necessaria ad salutem , cùm enim omnis gradus gratiæ sit secundùm quid & ad melius esse, necessarius ad salutem , communicantes sub altera tantùm specie , defraudarentur , juxta mentem Concilij , gratiâ ad salutem necessariâ , quia aliquo gradu gratiæ privarentur.

64. Probatur secundò conclusio : Si Sacerdos sub utraque specie communicans , plus reciperet gratiæ, quàm laïcus sub una tantùm specie communicans, vel hæc inæqualitas proveniret ex speciebus , vel ex re contenta sub ipsis , vel ex earum significatione:Non ex speciebus continentibus, species enim secundùm se, & ut abstrahunt à re contenta , non habent vim productivam gratiæ. Neque etiam à re contenta, quandoquidem idem Christus & totus æquè sumitur sub una & sub utraque specie. Neque demum ex significatione specierum , implicitè enim, licèt non explicitè, illud totum significat unica species , quod significat utraque ; ita ut tota differentia sit in modo significandi , quod non est sufficiens ad causandum distinctum effectum , ut patet in Baptismo , qui per immersionem expressiùs ex modo significandi denotat consepulturam baptizati cum Christo , quàm per solam aspersionem ; cùm tamen utrovis modo collatus, eandem semper importet gratiam,quæ baptizatum cum Christo consepelit. Et idem est de matrimonio contracto per verba ; licèt enim significet vinculum matrimoniale magis perfectè ; quàm matrimonium contractum per sola signa , aut nutus , non tamen efficit majus aut perfectius vinculum, sed idem prorsus.

65. Tertiò, probatur conclusio ratione Cajetani : Eandem gratiam confert sanguis Christi , ut contentus in hoc sacramento per concomitantiam , quam prout in eo continetur ex vi verborum : Sed laïci communicantes tantùm sub specie panis , recipiunt sanguinem Christi per concomitantiam : Ergo eandem recipiunt gratiam ac sacerdotes qui illum sub speciebus vini , prout ex vi verborum in hoc sacramento continetur, recipiunt. Minor est certa, Tridentinum enim sess. 13. cap. 3. ait corpus Christi esse sub specie vini , & sanguinem sub specie panis , vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ , quâ partes Christi Domini inter se copulantur. Major autem probatur : Quod in sumptione Eucharistiæ causat gratiam , non est solùm id quod vi verborum continetur in hoc sacramento , sed etiam id quod est in eo per concomitantiam, aliàs Divinitas, & Persona Verbi, gratiam hujus sacramenti non causarent , cùm in eo sint tantùm per concomitantiam : Ergo eandem gratiam causat sanguis Christi , ut contentus in hoc sacramento per concomitantiam, quam prout continetur in eo ex vi verborum. Unde D. Thomas opusc. 58. cap. 29. sic discurrit : *Hæc quatuor corpus , sanguis , anima, & Deitas, jam ultra non possunt separari ; unde sicut sumit sacerdos sanguinem Christi sacramentaliter de calice , sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso corpore Christi ; & est eis tam utilis & tam dulcis ut sacerdotibus, qui sumunt eum sub specie vini de calice : Canticorum 1. Botrus Cipri dilectus meus mihi. Duo sumo in botro, vuam, scilicet corpus Domini in cibum, & ex uva sugo dulcem sanguinem in potum.* Quibus verbis declarat tam utilem ac dulcem esse sanguinis sumptionem sub specie panis ipsis laïcis , quam sacerdotibus ejusdem sanguinis sumptionem sub speciebus vini.

Id confirmat exemplum de manna , quod fuit figura hujus sacramenti, nam de eo Exodi 56. dicitur : *Non amplius habuit qui plus collegerat , nec qui minus paraverat , reperit minus.* Unde Papa Hilarius in suis decretis quæ habentur tertia parte Conciliorum,sic ait : *Ubi pars est corporis , ibi est totum. Eadem ratio est in corpore Domini, quæ in manna, quod ut ejus figura præcessit, de quo dicitur , qui plus collegerat , non habuit amplius , neque qui minus paraverat , habuit minus.*

Et

Et Guitmundus lib. de veritate Eucharistiæ : *Possumus dicere tantundem esse in una portiuncula , quantum erat in hostia tota : sicut de manna legitur, qui plus collegerat, non habuit amplius, nec qui minus collegerat , habuit minus. Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est ; nec per singulos minuitur , sed integrum se præbet in singulis.* Quod illi dicunt de particula hostiæ , comparatione totius, dici potest de unica specie , comparatione utriusque simul ; nam sicut tantùm est in una particula hostiæ, quantùm in tota ; ita totum quod continetur sub duplici specie , sub una reperitur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

66. OBjicies primò : Clemens VI. in Bulla ad Regem Galliæ , concedens illi facultatem communicandi sub utraque specie , addit, se hoc privilegium illi concedere , *ad majus gratiæ augmentum* : Ergo existimat eum qui communicat sub utraque specie , plus gratiæ recipere , quàm sub una tantùm specie communicantem.

67. Respondeo verba illa Pontificis intelligenda esse de augmento gratiæ ex opere operantis , ratione scilicet majoris dispositionis , quàm in Rege supponebat , hoc ipso quòd accessurus esset ad communionem sub utraque specie, sibi speciali privilegio à Sede Apostolica concessam.

68. Objicies secundò : Sacramenta novæ legis causant id quod significant : Ad majorem gratiam significant geminæ species , quàm alterutra tantùm ; utraque enim species significat plenitudinem convivij spiritualis , & perfectam animi refectionem , quam non significant singulæ species seorsim sumptæ : sicut cibus & potus materialis, diversas important refectiones corporis ; unus enim roborat , alter exhilarat ; unus expellit famem , alter verò sitim extinguit : Ergo majorem gratiam causant duæ species , quàm unica.

69. Respondeo , concessâ Majori, negando Minorem, ad cujus probationem , nego ex parte rei significatæ pleniorem refectionem spiritualem significari per utramque speciem simul , quàm per alterutram tantùm, sed solùm ex parte modi significandi ; quod non sufficit ut sacramentum pleniorem aut perfectiorem operetur effectum , ut in secunda probatione conclusionis ostendimus , duplicique exemplo declaravimus. Addo quod in refectione spirituali non distinguuntur cibus & potus, sed eadem res , sive eadem gratia & nutrit, & refrigerat ; sedat famem, & extinguit sitim : unde in Scriptura una eademque res esuriri & sitiri dicitur, Matt. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam* , quod & in corporalibus interdum observare est , quandoquidem infantibus lac & pultica , majoribus panis vino intinctus , & cibi & potûs usum habent.

70. Objicies tertiò : Si species panis & vini non causarent diversas gratias , sed unam tantùm : vel tota hæc gratia Sacerdoti conferretur in sumptione solius speciei ? & sic species vini non esset verum sacramentum , nam gratiam quam significat non conferret , obiectum non ponenti. Vel in sumptione solius calicis ; & sic species panis non esset verum sacramentum, ob eandem rationem. Vel partim in sumptione hostiæ , & partim in haustu calicis ? Et hoc etiam dici nequit , quia non potest assignari ratio cur species panis sumpta à laïco , statim illi conferat totam suam gratiam , quam apta est conferre ; Sacerdoti verò non totam sed dimidiatam tantùm conferat , aliam dimidiam causandam relinquens à subsequenti specie vini ; Ergo &c.

71. Respondeo totam gratiam Sacerdoti dari in ipsa hostiæ sumptione. Nec propterea sumptio calicis non est verum sacramentum ; quia ut sit verum sacramentum , non est necesse ut gratiam actu conferat (nam Eucharistia dum est in pixide , est verum sacramentum , & tamen gratiam actu non confert) sed sufficit quod quantum est de se possit illam conferre, si subjectum sit dispositum ; hîc verò subjectum non est dispositum , eò quòd totum effectum sacramenti recepit in sumptione specierum panis. Sicut si laïcus post sumptam unam particulam , immediatè sumeret aliam , nullam gratiam reciperet ; quia similiter subjectum non esset dispositum , eò quòd totum effectum sacramenti in sumptione primæ hostiæ recepit.

72. Objicies quartò : Eucharistia modò sumpta sub sola specie panis, non est majoris efficaciæ, quàm fuisset in triduo mortis Christi : Sed in triduo mortis Christi non tribuisset tantam gratiam , quantam contulisset communio sub utraque specie ; cùm enim corpus Christi esset tunc absque sanguine , gratiam quidem contulisset sub specie panis , sed præcisè per modum cibi : Ergo etiam modò Eucharistia sumpta sub utraque specie majorem confert gratiam,quàm cùm sub una tantùm specie sumitur.

73. Respondeo primò negando Majorem , ideò enim modò communio sub unica specie est tam efficax ac communio sub utraque specie , quia sub unica specie modò continetur totus Christus : At verò in triduo mortis Christi , sub specie panis non fuisset totus Christus , quia tunc cùm sanguis Christi esset separatus à corpore , sub speciebus panis non fuisset sanguis per concomitantiam , sicut modò.

74. Respondeo secundò , datâ Majori, negando Minorem ; cùm enim gratia quæ per modum potûs tribuitur , non sit entitativè distincta ab ea quæ confertur per modum cibi , sed una eademque , probabile est consequenter quod in triduo mortis Christi tanta gratia collata fuisset communicanti sub unica specie , quanta tribuitur communicanti sub utraque. Maximè quia licèt sanguis non fuisset tunc per concomitantiam cum corpore, benè tamen Suppositum Divinum à quo quælibet species habet totam suam virtutem : hæc tamen est differentia, quòd communio tunc facta sub unica specie , non fuisset signum gratiæ secundùm quod habet rationem potûs spiritualis , benè tamen communio sub utraque.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPUTATIO IX.

De usu seu sumptione Eucharistiæ.

Ad quæstiones 80. *&* 81. *D. Thomæ.*

QUia speciale est in hoc sacramento, ut ejus sumptio ab ipso sacramento distinguatur, postquam D. Thomas egit de essentia, causis, & effectibus illius, disserit de ejus usu, qui licèt sit prior in executione ipsius effectibus, in intentione tamen est posterior. Agit verò primò de ejus usu in communi quæst. 80. & deinde in particulari de modo quo Christus est usus hoc sacramento, quæst. 81. Verùm quia suppositis his quæ de institutione hujus sacramenti suprà diximus, nihil restat disputandum circa hanc quæst. 81. illâ prætermissâ, solùm agemus de usu Eucharistiæ in communi.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum fideles præcepto Divino & Ecclesiastico teneantur sumere Eucharistiam, & quandonam ad id obligentur?

1. DIco primò, obligatio sumendi Eucharistiam nedum est de præcepto Ecclesiastico, sed etiam de jure divino. Ita D. Thomas hîc art. 11. ubi ait: *Manifestum est quod homo tenetur hoc sacramentum sumere, non solùm ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis Lucæ* 22. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Colligitur ex Scriptura, nam sicut præceptum baptizandi colligimus ex illo Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, & præceptum D pœnitentiæ ex illo Lucæ 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*; ita ex verbis illis Joannis 6. *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: rectè colligitur præceptum Christi de hujus sacramenti sumptione, quod qui non servat, non habet vitam in se.

2. Potest etiam assignari ratio congrua, cur Christus voluerit tale præceptum nobis imponere, quia nimirum hoc sacramentum per modum cibi, ad vitam spiritualem hominis conservandam necessarij, instituit. Nam sicut jure naturæ tenetur homo cibum naturalem sumere, quia sine eo non potest diu vitam conservare; ita quia moraliter impossibile est in vita spirituali diu perseverare, sine hujus Divini Sacramenti, & cibi cœlestis subsidio, conveniens fuit quod Christus sub præcepto ad illud sumendum nos obligaret. Et certè si Adam in statu innocentiæ, sub peculiari præcepto divino debuisset aliquando de ligno vitæ, quod typus fuit Eucharistiæ, comedere, ad vitam corporis conservandam, ut multi docent; quantò magis congruum fuit, hominem lapsum, ad spiritualem vitam animæ conser- A vandum, divino astringi præcepto, ut aliquando tenereтur de hoc vitali ligno comedere? Et quidem eò hoc præ illo convenientius fuit, quò negligentior est homo ad vitam animæ quàm ad vitam corporis conservandam.

Confirmatur: Cùm Eucharistia sit omnium 3.
sacramentorum finis, utpote sacramentum charitatis, quæ est vinculum perfectionis, fas non est credere, quòd cùm de Baptismo & de Pœnitentia, Christus divinum præceptum tulerit, hoc reliquerit sine præcepto, ut rectè arguit Soto in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 11.

Dico secundò, hoc præceptum divinum 4.
obligat fideles baptizatos, in articulo mortis, & etiam aliquoties in vita.

B Probatur prima pars: Hoc sacramentum institutum est per modum Viatici: Ergo tunc præsertim sumendum est, quando exeundum est de hac vita. Unde Can. *De his* 26. quæst. 6. ex Concilio Nicæno dicitur: *De his qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula observabitur nunc etiam: ita ut si fortè quis recedat ex corpore, necessario vitæ suæ non defraudetur Viatico.*

Confirmatur: Posito quod hoc præceptum 5.
sit divinum, ut præcedenti conclusione ostensum est, non potest, præcisâ determinatione Ecclesiæ, commodiori tempore obligare quàm in mortis articulo, in quo tenetur infirmus quantùm potest se Christo incorporare, & de C securo viatico pro periculoso itinere sibi providere.

Quod verò idem præceptum divinum obli- 6.
get etiam aliquoties in vita communicare, patet ex fine ad quem ordinatur, nam ordinatur ad nutriendam & roborandam animam in vita spirituali: Ad hoc autem non sufficit, semel tantùm in vita, vel in solo articulo mortis, hunc cibum sumere; sicut enim ad vitam corporalem non sufficit semel aut iterum in vita cibum sumere, ita nec ad vitam spiritualem; quia sicut illa paulatim minuitur actione caloris naturalis, humidum radicale continuò depascentis, defectu cujus vita animalis destruitur; ita hæc actione concupiscentiæ, humidum radicale amoris divini perpetuò absumentis. Unde sicut de ligno vitæ, qui ut suprà dicebamus, fuit typus & symbolum hujus sacramenti, Adam in statu innocentiæ, & non semel, sed pluries debuisset ex Dei præcepto comedere, ad restaurandum humidum radicale vitæ humanæ, ita & de hoc sacramento proportionaliter dicendum est.

Dixi autem in conclusione, *fideles baptiza-* 7.
tos, quia infideles & non baptizati non tenentur præcepto divino ad communionem, sicut nec ad confessionem, quidquid in contrarium E dicat Suarez: Ut enim rectè discurrit Soto in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. concluſ. 1. *Ius divinum supernaturale solùm obligat universum orbem ad suscipiendam Evangelicam fidem: obligatio autem ad alia præcepta singularia sacramentorum, non exurgit nisi ex ipsa professione fidei, quæ fit in Baptismo: quemadmodum si quis facit votum simplex Religionis, licèt teneatur ad religionem, non tamen ad ejus cæremonias & officia, donec illam profiteatur.* Addo quod, si hoc præceptum obligaret non baptizatos, Sancti Martinus, & Ambrosius, aliique plures, qui diu Baptismum distulerunt, contra præceptum hoc divinum communicandi peccassent mortaliter;

liter; quod de tam sanctis viris asserere nefas est.

8. Dices, Qui sunt in peccato mortali ad communionem obligantur, non quidem ut communicent existentes in peccato, sed ut pœnitentiam agant, & sic communicent: Ergo similiter non baptizati tenentur ad communionem, non quidem ut communicent antequam Baptismum suscipiant, sed ut baptizentur, & sic communicent. Unde ipse Christus Joan. 6. hoc præceptum promulgavit Capharnaïtis, quorum maxima pars non erat baptizata.

9. Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem: nam illi qui sunt in peccato mortali, sunt capaces communionis, quamvis illam licitè sumere non possint, nisi per pœnitentiam disponantur; non baptizati verò adhuc illius capaces non sunt, & sic ad illam non obligantur; sed tenentur solùm se capaces ad illam reddere, quod est obligari ad Baptismum, quo hujus sacramenti & aliorum capaces fiunt. Sicut suprà dicebamus, quod ille qui fecit votum simplex Religionis, tenetur quidem ingredi Religionem, non obligatur tamen ad officia & onera Religionis, donec eam ingressus fuerit, & solemnem professionem in ea emiserit. Unde ad illud quod subditur de Capharnaïtis, dicendum est, Christum hoc præceptum Capharnaïtis omnibus promulgasse, ut scirent se illo teneri, non quidem immediatâ obligatione, sed mediatâ, id est post Baptismum, ad quem omnes immediatè obligati erant; & ut necessitate sumptionis Eucharistiæ, non baptizati magis inducerentur ad suscipiendum Baptismum, sine quo Eucharistia sumi nequit.

10. Dico tertiò, præter præceptum divinum, extat Ecclesiasticum, quo omnes fideles cùm ad annos discretionis pervenerint, obligantur semel in anno, nempè in Paschate, communicare. Patet ex cap. *Omnis utriusque sexûs*, D de pœnitentiis & remissionibus, & ex Tridentino sess. 13. can. 9. ubi sic habetur: *Si quis negaverit omnes & singulos Christi fideles utriusque sexûs, cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.* Ante hoc præceptum præcessit decretum Fabiani Papæ qui electus est anno 238. obligans ad communionem sacramentalem ter saltem in anno, nempe in die Natalis Domini, Paschatis, & Pentecostes, ut habetur Can. *Etsi* de consecrat. dist. 2. cui Sother Pontifex, ob memoriam passionis & institutionis hujus sacramenti, addidit diem cœnæ Domini, ut habetur in Canone *In cœna*, eadem distinctione. Sed hæc omnia revocata sunt in Lateranensi cap. citato, in quo præcipitur solùm fidelibus semel in anno, nempè in Paschate, communicare. Nomine autem *Paschatis*, ex Ecclesiastica consuetudine, & bulla Eugenij IV. quæ incipit *Fide digna*, intelligitur totum tempus à Dominica palmarum usque ad Dominicam in albis inclusivè: imò in aliquibus regionibus, ut in Germania, extenditur à principio Quadragesimæ, usque ad decimam quartam diem post Pascha.

A Contra hoc præceptum acriter invehuntur 11
& debacchantur Hæretici: Lutherus enim in serm. de confess. & sacramento Eucharistiæ, aliisque suis libris dicere non erubuit, errare illos graviterque peccare qui cogunt homines sub peccato mortali in Paschatis festo sacramento uti. Calvinus verò lib. 4. instit. cap. 17. §. 46. hæc impudentissimè scribit: *Hæc consuetudo quæ semel quot annis communicare jubet, certissimum est Diaboli inventum, cujuscunque tandem ministerio invectum fuerit.* Verùm in his refellendis non immoror, quia ut cum Hieronymo epist. ad Ctesiphontem loquar: *Sententias istas prodidisse, superasse est. Patet primâ fronte blasphemia. Non necesse habet convinci quod* B *prima statim professione blasphemum est.* Unde solùm hîc proponam, & breviter resolvam tres difficultates quæ circa hoc præceptum occurrunt. Prima est, an qui prævidet se impediendum, ne in Paschate communicet, teneatur tempus præscriptum prævenire?

Respondeo breviter, quod si timetur futurum impedimentum, pro tempore Paschali tantùm, non tenetur quis prævenire; benè tamen si prævidet fore, ut neque tempore Paschali, neque reliquâ parte anni, communicare possit. Nam duo præcepta virtualiter traduntur in capite citato, *Omnis utriusque sexûs.* Unum est ne communio ultra annum dif- C feratur, cùm dicitur, *Et suscipiat reverenter ad minus in Pascha*; quemadmodum ibidem immediatè antea præcipitur, ut ne confessio ultra annum differatur, cùm dicitur: *Semel saltem in anno confiteatur.* Alterum est, ut propter reverentiam & solemnitatem diei festi, communio illa annua fiat in Paschate, quantùm fieri potest. Licèt ergo ratione hujus secundi præcepti non teneatur prævenire tempus, quia illud determinatum tempus respicit, benè tamen ratione primi, quia impletio ejus, tempori Paschali addicta non est, sed est determinatio præcepti divini obligantis aliquoties in vita communicare, ut conclusione præcedenti ostensum est. Unde qui longissimam navigationem aggrediens, prævideret se toto anno carituram hoc sacramento, teneretur antequam mari se committeret, illud suscipere. 12

Secunda difficultas est, an qui tempore Paschali omisit communionem, liber sit à præcepto usque ad sequens Pascha?

Respondeo negativè, quia, ut diximus, præceptum communionis Paschalis continet duo virtualiter & æquivalenter; unum communicandi, saltem semel in anno; alterum id faciendi tempore Paschali, propter reverentiam festi Paschalis; quamvis ergo qui E tempore Paschali omisit communionem, liber sit ab isto præcepto, cùm elapso tempore Paschali impleri non possit, & nemo teneatur ad impossibile; non tamen à primo, istud enim obligat ad hoc ut annus non prætereat sine communione, sive ne ultra annum differatur tam salutare remedium; unde istud præceptum non est addictum tantùm tempori, sicut alterum; nec est purè affirmativum, sed etiam virtualiter negativum, quatenus includit prohibitionem de non differendo ultra annum hoc sacramento. Unde continuò peccat ille qui cùm possit communicare, non communicat; sicut continuo peccat

Universidad de Deusto
Biblioteca

ille, qui cùm possit restituere, non restituit.

Tertia difficultas est, an qui in peccato mortali sacrilegè communicat, satisfaciat præcepto communicandi?

13. Respondeo etiam negativè: nam præceptum Ecclesiæ est determinatio præcepti divini; unde videtur Ecclesia talem communionem præcipere, qualem Christus præcepit: Sed Christus præcepit manducationem piam & salutarem, cùm præceperit illam ut medium ad nutritionem spiritualem animæ, & ad conservandam vitam spiritualem gratiæ & charitatis, juxta illud Joan. 6. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*: Ergo & Ecclesia illam præcipit.

14. Hæc ratio potest hoc exemplo confirmari & magis illustrari. Nam quia præcepto naturali tenemur ad materialem cibum sumendum ut medium conservativum vitæ corporalis; non satisfaciemus huic præcepto naturali, si sumentes cibum materialem, illi obicem ponamus, ne nostram vitam corporalem nutriat: Ergo similiter, quia præcepto divino, cujus præceptum Ecclesiæ est determinatio, obligamur ad sumendum Sacramentum Eucharistiæ, ut conservativum vitæ spiritualis, neutri præcepto satisfacimus, si sumentes hoc sacramentum, obicem ponamus quominùs illud animam nostram spiritualem nutriat.

15. Confirmatur secundò: Si prælatus alicui infirmo præciperet ut sumeret cibum, huic præcepto non satisfaceret, si sumeret cibum veneno infectum, qui ei mortem afferret: Ergo similiter nec præcepto Ecclesiæ satisfacit, qui in peccato mortali suscipit Eucharistiam, cùm tunc illa non sit ei cibus, sed venenum. Unde Augustinus tract. 26. in Joan. *Nonne bucella Dominica venenum fuit Iudæ? Et tamen accepit. Et cùm accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum malè malus accepit.*

16. Confirmatur: Eadem videtur ratio de præcepto communionis, ac de præcepto confessionis: Sed qui facit confessionem sacrilegam, & voluntariè nullam, non satisfacit præcepto annuæ confessionis, ut declaravit Alexander III. in Congregatione generali Inquisitionis habita die 24. Septembris anni 1665. & oppositam sententiam, quam aliqui recentiores Casuistæ docent, ut temerariam, & scandalosam damnavit: Ergo pariter qui in peccato mortali sacrilegè communicat, non satisfacit præcepto annuæ communionis: quamvis Suarez, Vazquez, Coninx, Martinonus, & alij Recentiores oppositum doceant, quia nimirùm existimant, Ecclesiam actus merè internos non posse præcipere. Sed hoc fundamentum non est solidum; dato enim quod Ecclesia non possit directè & primariò præcipere actum internum, secundariò tamen, & indirectè, illum jubere potest; quando scilicet actus interior necessarius est, ut actus exterior sit bonus: unde per se loquendo habet potestatem super actus extetiores, super actum verò interiorem, per accidens, & ratione actûs exterioris, inquantum est forma illius. Sic Ecclesia præcipit Inquisitoribus sub pœna excommunicationis, ut non procedant contra aliquem ex odio, & in cap. *Dolentes*, de celebratione Missarum, jubet confessionem quotannis fieri *fideliter*, & officium divinum *stu-*

A *diosè & devotè* à Clericis celebrari. Cur ergo similiter singulis fidelibus præcipere non poterit, ut singulis annis, in festo Paschatis, piè & salubriter communicent, nullum apponendo obicem spirituali nutritioni, & gratiæ sacramentali?

ARTICULUS II.

Quæ dispositio requiratur ad dignam sumptionem hujus sacramenti?

Disputatione præcedenti ostendimus, ad 17.
consequendum augmentum gratiæ habi-
B tualis ex opere operato, non requiri necessariò actualem devotionem, aut immunitatem à peccatis venialibus; quia carentia sola actualis devotionis, non est impedimentum ad gratiam augendam, neque specialis aliqua irreverentia quæ sit peccatum mortale. Unde solùm hîc agendum est de aliis dispositionibus, tum ex parte animæ, tum ex parte corporis requisitis ad dignè & fructuosè recipiendum hoc sacramentum.

Dico ergo primò, ad hoc ut peccator dignè & fructuosè recipiat hoc sacramentum, non sufficere solam fidem, imò nec attritionem supernaturalem, cognitam ut talem.

Prima pars est contra Lutherum, qui (ut 18.
C refert Soto in 4. dist. 12. quæst. 2. art. 4.) negat accedenti ad hoc sacramentum ullâ opus esse animi præparatione, nisi solâ fide & confidentiâ quòd sit per ipsum gratiam obtenturum. Imò ita desipit, ut dicat tantò paratiores esse homines, quantò gravioribus peccatis, sunt onusti, dummodò habeant fidem. Hic error proscribitur à Tridentino sess. 13. can. 11. his verbis: *Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum, anathema sit.*

Confutari etiam potest ex illo 1. *ad Corinth.* 19.
D 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Ibi enim non agitur de probatione fidei, sed conscientiæ peccatorum, de quibus ibi Paulus reprehendit Corinthios à versu 20. usque ad 33. quia nonnulli ditiores Ecclesiam prophanabant, in ea sumptuosam cœnam sumentes; fideles alios scandalizabant; & contemptis pauperibus, quos esurientes relinquebant, ipsi crapulæ & ebrietati vacabant.

Secunda etiam pars conclusionis omnino 20.
certa est, quia in hoc distinguuntur sacra-
E menta vivorum & mortuorum, quod quia ista sunt instituta ad causandam primam gratiam; accedere ad illa in peccato mortali, cum sola attritione supernaturali cognita ut tali, non est indignè ad illa accedere, neque subinde ponere obicem effectui ipsorum: è contra verò quia sacramenta vivorum non sunt instituta nisi ad augendum gratiam, consequenter accedens ad illa in peccato mortali, cum sola attritione supernaturali cognita ut tali, peccat mortaliter, & ponit obicem effectui sacramenti. Unde Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 9. *Nemo cibum accipit Christi, nisi qui fuerit ante sanatus &c. Ubique ergo in hoc mysterio hic ordo servatur, ut priùs per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea*

postea alimonia mensæ cœlestis exuberet. Et Basilius A
lib. 2. de Baptismo: *Mundemus nos* (inquit) *ab omni inquinamento, atque ita ad sancta accedamus; ut judicium eorum qui Dominum occiderunt effugiamus. Propterea quod quisquis ederit panem, & biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Dixi autem cum sola attritione supernaturali, *cognita ut tali*, quia peccator accedens ad Eucharistiam cum attritione supernaturali, quam existimat esse contritionem, non accedit indignè ad hoc sacramentum, nec peccat, quando non habet copiam Confessarij, ut patebit ex infrà dicendis.

Dico secundò, qui habet conscientiam peccati mortalis, si habeat copiam Confessarij, tenetur præmittere confessionem, si velit communicare; & non sufficit habere contritionem seu B
conari ad illam; idque non solùm jure Ecclesiastico, sed etiam divino, præceptum est.

21. Prima pars hujus conclusionis est omnino certa, & definita in Tridentino sessione 13. capite 7. his verbis: *Communicare volenti necessariò revocandum est in memoriam, ejus* (scilicet Apostoli) *præceptum, probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò observandum esse decrevit, modò non desit illis copia Confessoris. Quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Et can. 11. ponitur excommunicationis pœna ei qui contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, his verbis. *Et ne tantum sacramentum indignè, atque adeò in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment habita copia Confessoris, necessariò præmittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit eo ipso excommunicatus existat.*

22. Quod autem hoc sit de jure divino, & non solùm Ecclesiæ præceptum, probatur ex verbis illis Apostoli, *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis*; ex illis enim verbis colligitur, ipsum ea quæ tradit de communione accepisse à Domino: Sed Apostolus tradit præceptum de præmittenda confessione, dum dicit: *Probet autem seipsum homo*; ita enim explicat & intelligit hæc verba Tridentinum citatum: Ergo illud est præceptum Christi, proindeque Divinum & non purè Ecclesiasticum. Unde Concilium ibidem ait, se solùm consuetudinem Ecclesiæ declarare, E
non verò statuere legem hanc.

23. Confirmatur ex regula quam habet Augustinus libro tertio de Baptismo cap. 24. Indicium juris divini est quando aliquid in Ecclesia perpetuò servatum est, cujus initium ignoratur: Sed talis est hæc consuetudo, ut patet ex Nicæno cap. 11. & 12. Ancyrano canone 4. & Tridentino citato, nec non ex Sanctis Patribus id passim asserentibus: Author enim de salutaribus documentis apud Augustinum cap. 33. sic ait: *Quando enim illud* id est corpus Domini) *accipere debemus, antea ad confessionem & pœnitentiam accedere debemus, & omnes actus nostros curiosius discutere, & peccata obnoxia si in nobis senserimus, cito festinemus per confessionem & veram pœnitentiam abluere.* Et Richardus Victorinus de potestate ligandi cap. 21. *Audaciter dico, si ante Sanguinis Christi accesserit, judicium sibi pro certo manducat & bibit, etsi eum peccasse jam multùm paniteat, & vehementer doleat & ingemiscat.* Item Ambrosius serm. Dominicæ 4. Adventus: *Mutare* (inquit) *vitam debet qui vult accipere vitam; nam si non mutat vitam, ad judicium accipiet vitam, & magis ex ipsa corrumpitur, quàm sanetur; magis occiditur, quam vivificetur.*

Dices, alij SS. Patres asserunt ad dignè com- 24.
municandum solam discussionem conscientiæ cum interno animi dolore sufficere: Chrysostomus enim homil. 28. in 1. ad Corinthios post initium, sic ait: *Neque jussit alteri alterum probare, sed sibi seipsum, faciens judicium, ad quod populo non pateat aditus, & probationem quæ careat testibus.* Et Theophilactus in eandem Epistolam, explicans quæ conscientiæ præparatio necessaria sit ad dignam sumptionem Eucharistiæ, hæc scribit: *Non alium tibi judicem attribuo, verùm teipsum tibi commodo. Indica igitur & explora conscientiam tuam, & sic accede, non quando fuerint feriæ, sed quando purum te ipsum ac dignum inveneris.*

Respondeo illos Sanctos Patres his locis solùm 25.
C negare confessionem publicam esse necessariam ad dignam Eucharistiæ sumptionem, sed id non asserere de privata, quæ sit inter pœnitentem & Confessarium, ut patet ex verbis Chrysostomi, quibus solùm negat necessarium esse judicium populi, & probationem testium, non autem judicium & probationem Confessarij. Unde Theophilactus non solùm exigit quod accedens ad communionem, suam exploret conscientiam; sed etiam quod priùs se *purum* ac *dignum* inveniat, ad quod post peccatum necessaria est sacramentalis confessio, si copia Confessoris habeatur ut loquitur Concilium Tridentinum.

Dices rursus, Suscipere alia sacramenta vivo-
D rum cum sola contritione, non est peccatum mortale, nec ullibi videtur prohibitum: Ergo idem dicendum est de sumptione Eucharistiæ.

Sed nego consequentiam, & paritatem, cùm enim sacramentum Eucharistiæ realiter contineat Christum, ejus sumptio majorem præparationem requirit, quàm susceptio vel ministratio aliorum Sacramentorum. Unde præclarè Sixtus III. in Bibliotheca Patrum: *Inenarrabile est quod credimus: immensum est quod speramus: non est vulgare quod quærimus: ergo non debet esse vulgare quod vivimus.*

Dico tertiò, quando quis non habet copiam Confessarij, & urget gravis necessitas, licitè potest ad Eucharistiam accedere sine confessione, cum contritione, vel attritione supernaturali, quam contritionem existimat.

Prima pars hujus conclusionis est expressa in 26.
Tridentino suprà citato, nam de Sacerdote celebrante sine copia Confessoris dicit: *Quod si necessitate urgente debeat celebrare &c.* Ergo supponit in casu necessitatis licitum esse communicare, vel celebrare, non præmissâ Confessione, si non adsit copia Confessoris. Unde ut quis licitè possit communicare vel celebrare, non præmissâ sacramentali Confessione, hæ duæ conditiones necessariò

Universidad de Deusto
Biblioteca

cessariò requiruntur, scilicet carentia Confessoris, & necessitas communicandi. Alteruträ deficiente non licebit; si enim sit copia Confessoris, tenebitur confiteri: si non urget necessitas, tenebitur à communione abstinere.

27. Si autem quæras, quandonam censeatur non esse copia Confessoris, & gravis urgeat necessitas?

Respondeo in multis casibus id posse contingere. In primis enim verificatur quod non sit copia Confessoris, quando Confessor non est præsens actu, vel non est in tali distantia, unde possit commodè venire, vel Sacerdos illuc accedere, aut ob infirmitatem, corporisve imbecillitatem, aut ob temporis (nivium scilicet, pluviarum, ac inundationum) rigorem; aut ob latronum in itinere existentium periculum, aut ob alias similes urgentes causas. Secundò, si Sacerdos sit quidem præsens physicè, sed tamen sit impeditus vel infirmitate, vel surditate, vel aliâ occupatione quâ nolit confessionem audire, censetur moraliter abesse. Tertiò, si ex parte sua sit dispositus audire, ex parte tamen mea probabiliter timeo, quod ex tali confessione imminebit mihi periculum aut revelationis confessionis, aut alterius damni gravis pro me vel pro meis. perinde est ac si non haberem copiam Confessoris. Unico verbo, quidquid excusat ab integritate confessionis, quando non est alius Sacerdos, excusat in nostro casu à præmittenda confessione, si non habeo aliud peccatum mortale quàm illud ex cujus revelatione imminet periculum, vel excusat ne illud confitear, sed alia peccata habeam. Non placet verò quod aliqui docent, nimirum tunc etiam censeri Confessoris inopiam, quando non adest proprius Confessarius, vel alter cui possim devotiùs & utiliùs confiteri; quia hoc non est moraliter deesse Confessorem, sed solùm deesse commoditatem meam. Et sanè reverentia huic sacramento debita, prævalet privatæ utilitati & devotioni, & obligat me ad hoc ut Sacerdoti tunc præsenti confitear, licèt aliquid ampliùs ruboris aut verecundiæ patiar cum tali Confessario quàm cum alio.

28. Quid autem nomine urgentis necessitatis intelligatur, non potest unica regula assignari, sed adducuntur variæ causæ ab Authoribus, quæ tamen ad quatuor præcipuas reduci possunt. Primò ad periculum mortis, tunc enim potest contingere quod non sit Sacerdos qui possit absolvere, quia verbi gratiâ non est nisi mutus, qui tamen potest conferre sacramentum Eucharistiæ. Secundò ad periculum infamiæ, vel scandali gravis, si communio vel Missa omittatur. Tertiò ad necessitatem ipsius sacrificij, quando jam inchoatum est, & non potest sine gravi scandalo Sacerdos confiteri peccatum, cujus tunc recordatur. Quartò propter necessitatem populi, ne maneat sine Missa, quæ ratio solùm habet locum in Parrochis, qui tenentur ex officio curare ut populus missam audiat, non verò in aliis Sacerdotibus non habentibus curam animarum. Quintò ad communicandum infirmum, aliàs sine viatico moriturum.

29. Cæterùm quia Tridentinum citatum, non solùm declarat præceptum divinum de præmittenda confessione ante Eucharistiam, sed etiam præcipit, ut si fortè urgente necessitate, & copiâ Confessoris deficiente, Sacerdos absque præviâ confessione celebraverit, quàmprimùm confiteatur, quærunt hic Theologi, quos novum hoc præceptum, quod Ecclesiasticum est, comprehendat, an solos Sacerdotes, vel etiam laicos?

Respondeo breviter, sub hoc novo præcepto non comprehendi, nisi solos Sacerdotes celebrantes, quia cùm sit pœnale, extendi non debet, nisi ad eos ad quos verba legislatoris in propria significatione sumpta se extendunt: At verba Concilij non se extendunt nisi ad Sacerdotes celebrantes, ut patet ex ipso textu, colligiturque ex fine præcepti, qui est ne Sacerdotes quibus ex officio celebrare incumbit, prætextu urgentis necessitatis, sæpè celebrent, prætermissâ confessione sacramentali. Dixi *Sacerdotes celebrantes*, quia de Sacerdotibus more laicorum communicantibus, eadem est ratio ac de laicis.

30. Secunda verò pars conclusionis, quæ asserit quod Sacerdos qui urgente necessitate & copiâ Confessoris deficiente, absque prævia confessione celebrat, debet tunc habere contritionem, vel saltem attritionem quam existimat contritionem, patet ex dictis in prima conclusione; cùm enim Eucharistia sit sacramentum vivorum, per se & directè non dat primam gratiam, sed supponit illam esse in subjecto, subindeque dispositio quæ ad illam prærequiritur, talis debet esse quòd det primam gratiam ante sumptionem Sacramenti, vel saltem probabiliter existimetur talis esse: Sed attritio cognita non dat primam gratiam sine sacramento: Ergo non est sufficiens dispositio ad Eucharistiam, sed requiritur contritio, vel saltem attritio quæ invincibiliter existimetur contritio; licèt enim sit sacramentum vivorum, per accidens tamen aliquando potest causare primam gratiam, ut disputatione præcedenti articul. 1. conclusione ultima, quæsito 2. declaravimus.

Dico quartò, ex parte corporis duplex requiritur dispositio ad communionem, altera necessitatis, scilicet quod communicans sit jejunus; altera decentiæ & congruitatis, nimirum quod non sit pollutus intra illum diem.

31. Prima pars constat ex consuetudine Ecclesiæ, quæ ab Apostolis manasse dicitur, ut testatur Augustinus epist. 118. ad Januarium, his verbis: *Hoc placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti, prius in os Christiani corpus dominicum intraret, quam cæteri cibi; nam ideò per totum orbem mos iste servatur.* Hujus etiam moris meminit Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. Cyprianus epist. 63. Chrysostomus homil. 27. in priorem ad Corinth. ubi sic ait: *Prinsquam quidem communices jejunas, ut quomodocumque dignus appareas.* Hinc Concilium Constantiense sess. 13. *Licet* (inquit) *Christus post cœnam instituerit hoc venerabile sacramentum, tamen Sacrorum Canonum authoritas, & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit & servat quod hujusmodi sacramentum nec conficiatur post cœnam, nec sumatur à non jejunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, à jure, vel Ecclesia concesso vel admisso.*

32. Non desunt etiam congruentiæ: Prima est quam insinuat Augustinus verbis supra relatis, nempè propter reverentiam hujus sacramenti, ut scilicet in os hominis intret, nondum aliquo cibo vel potu infectum. Secunda propter significationem, ut nimirum significetur, Christum & carnem ejus debere esse primum Christianorum cibum, & charitatem ejus debere primò fundari

fundari in cordibus nostris. Tertiam rationem insinuat S. Thomas hic quæstione 80. articulo 8. ad 6. quia scilicet maxima devotio in hujus sumptione sacramenti desideratur, quâ effectus hujus sacramenti spiritualis nimirum refectio & dulcedo, percipiatur: jejunium autem multùm ad hunc effectum disponit, quia ut ait Bernardus: *Jejunium orationem, devotionem & fiduciam donat. Oratio virtutem impetrat jejunandi, & jejunium gratiam meretur orandi. Jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium, & Domino repræsentat.*

33. Dices, Christus communicavit Discipulos non jejunos, communicavit enim eos postquam cum illis comedit Agnum paschalem: Ergo etiam Ecclesia fideles non jejunos communicare debet, ad sui Capitis imitationem.

Sed nego consequentiam, nam factum Christi non est trahendum in consequentiam, quia habuit speciales rationes, putà quia Christus debuit priùs implere figuram per esum agni paschalis quàm veritatem instituere. Unde Paschasius in lib. de corpore Domini cap. 20. *Apostoli ideò jejuni non erant, quia necesse erat ut Pascha typicum priùs compleretur, & deinde ad verum Pascha sacramentum transirent.* Olim tamen in primitiva Ecclesia feriâ quintâ sanctioris hebdomadæ, ob memoriam cœnæ Dominicæ, & Christi imitationem, Sacerdotes post cœnam celebrabant, & fideles communicabant. Quem morem servatum fuisse aliquandiu in nonnullis privatis Ecclesiis testatur Augustinus Epistolâ citatâ, sed postea in Concilio Braccarensi 1. can. 16. revocatus est.

34. Difficultas verò & controversia est, quale jejunium requiratur ad sumendum sacramentum Eucharistiæ, an naturale, quod solvitur per quamcumque cibi & potûs sumptionem; vel Ecclesiasticum, quod per parvam cibi vel potûs sumptionem non solvitur. Goffredus enim & Joannes Parisiensis apud Sylvestrum, verbo *Eucharistia* 3. quæst. 6. putant sufficere jejunium Ecclesiasticum, cùm hoc sit præceptum Ecclesiasticum. Communis tamen reliquorum sententia est, constanti totius Ecclesiæ consuetudine firmata, requiri ad sumendum hoc sacramentum jejunium naturale, nec sufficere Ecclesiasticum. Constat ex Concilio Toletano 7. can. 2. ubi prohibetur Missæ celebratio post quemcumque minimum cibum sumptum. Et ex cap. *Ex parte*, de celebratione Missarum, ubi prohibetur Sacerdoti ne in festo Natalis Domini Missam secundam dicat, si fortè in prima ablutionem accepерit; cùm tamen hæc jejunium Ecclesiasticum non impediat. Id etiam colligitur ex ipsa prohibitione Ecclesiæ, quæ præcipit hoc sacramentum sumi à jejunis, non à jejunantibus: At jejunus non est, nisi qui naturæ jejunium servat, jejunans verò dicitur etiam qui naturæ jejunium violat: Ergo ad sumendum Eucharistiæ sacramentum, jejunium naturale requirit, nec sufficit Ecclesiasticum. Unde qui post assumptum aliquid cibi vel potûs, non jejunus jejunio naturæ communicat, mortaliter peccat, nisi inadvertentia vel ignorantia eum excuset. Ob hanc Cajetanus in summa, verbo, *Communio*, excusat quendam bonum Sacerdotem, qui nesciens distinguere inter jejunium Ecclesiasticum, & jejunium naturæ, pro reverentia sacramenti præaccipiebat nucem muscatam, ut bonum odorem stomachi Eucharistiæ præpararet.

35. Sunt etiam multi casus in quibus licet non jejuno hoc sacramentum sumere. Primus est, quando datur per modum Viatici: tum quia tunc infirmitas non potest his legibus astringi, pluresque sine Eucharistia decederent, si jejuni solùm possent communicare, quod esset eis denegare magnum subsidium pro morte felici. Tum etiam quia cùm sit præceptum divinum sumendi Eucharistiam per modum Viatici, cùm infirmo imminet mortis periculum, præceptum divinum prævalet Ecclesiastico de jejunio. Imò si post sumptum Viaticum iterum in eadem infirmitate velit communicare infirmus, non est ei denegandum, hoc solatium, ut colligitur ex Rituali Romano Pauli V. quo præcipit Pontifex, *Quod si ager, sumpto viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, & communicare voluerit, ejus pio desiderio Parochus non deerit.* An verò liceat infirmo bis eadem die communicare, semel jejuno per modum communionis, iterum non jejuno per modum viatici? affirmant aliqui ex Patribus Societatis, quos suppresso nomine refert Amicus hic disputatione vigesima septimâ, idque factum fuisse in morte P. Claudij Aquavivæ, Generalis ejusdem Societatis, testatur ibidem. Hæc tamen sententia non videtur probabilis, nec in praxi sequenda, cùm omnes Doctores affirment, non licere bis in die communicare, idque Ecclesiæ consuetudo, & unitas passionis Christi, quam hoc sacramentum repræsentat, efficaciter ostendant, ut docet S. Thomas hic articul. decimo ad quartum, & in quarto distinctione duodecimâ quæstione tertia articulo primo quæstiunc. 4. & patet ex cap. *sufficit*, de consecratione distinctione prima, ubi prohibetur Sacerdoti plures quàm unam Missam in die celebrare, præterquam in Nativitate Domini. Si tamen urgeret gravis aliqua necessitas, ut si quis manè communicavit, & vespere incidit in articulum mortis, & habet conscientiam peccati mortalis, nec adest tunc Confessarius cui possit illud confiteri, sed solùm Diaconus qui potest illi Eucharistiam ministrare: tunc posset moribundus, sive laicus sit, sive Sacerdos, eadem die communionem iterare, quia in illo casu, iterata communio censeretur illi necessaria, ut nimirum per susceptionem hujus sacramenti, per accidens reciperet primam gratiam, & fieret de attrito contritus.

36. Secundò potest sumi sacramentum à non jejuno, quando id est necessarium pro ipso Sacramento perficiendo; ut si consecratâ altera specie Sacerdos recordetur se non esse jejunum, tenetur perficere & sumere. Item si sumpto calice videat non esse vinum id quod sumpsit, tenetur iterum consecrare & sumere. Similiter si post inchoatum Sacrificium Sacerdos moriatur, vel infirmetur, & non inveniatur alius Sacerdos jejunus, debet Sacerdos etiam non jejunus perficere sacrificium.

37. Tertiò, si Sacerdos post ablutionem sumptam reperiat aliquas particulas à se consecratas quæ commodè servari non possint, potest & debet illas sumere, cùm sint ejusdem sacrificij reliquiæ, & ad integrale complementum illius pertineant. Non potest tamen tunc sumere alias particulas quas alius Sacerdos consecravit; quia alia est ratio de iis quas ipse non consecravit, nam illæ non pertinent ad complementum integrale ejusdem sacrificij, sed illius à quo consecratæ fuerunt.

Quartò

Universidad de Deusto
Biblioteca

38. Quartò, potest Sacerdos ad particulam hostiæ consecratæ, calici vel palato adhærentem, in stomachum trajiciendam, aquam sumere. Quam facultatem concedit Missale Romanum in rubricis de defectibus Missæ. Nam tota illa actio ordinatur ad unum sacrificium, unamque refectionem sacramentalem complendam, ad quam sufficit, ut Cajetanus ait, accedere jejunium in principio totius actionis, sic enim accedis simpliciter jejunus ad totam actionem sacramentalem.

39. Quintò, potest Eucharistia sumi à non jejuno, ad vitandam gravem irreverentiam huic sacramento inferendam, putà ne veniat in manus infidelium, ne conculcetur ab hæreticis, ne in lutum cadat, ne comburatur, aut ab animali devoretur, majus quippe præceptum est evitare irreverentiam sacramenti, cùm hoc præceptum sit divinum naturale, quàm illud sumere jejunum, cùm hoc sit positivum & Ecclesiasticum.

40. Est etiam alius singularis casus in quo videtur licere Sacerdoti non jejuno celebrare, si nimirum sumpto veneno morti appropinquaret, & habens conscientiam peccati mortalis, copiam Confessoris non haberet: tunc enim posset cum contritione, vel attritione supernaturali, quam contritionem esse putat, celebrare, ut si fortè reipsa contritus non sit, virtute sacramenti fiat ex attrito contritus. Nam in hoc casu Eucharistia est ad salutem necessaria, unde videtur hic casus per Epikeiam excipi à lege universali.

41. Addunt aliqui alium casum in quo existimant posse Sacerdotem non jejunum celebrare nimirum ad communicandum infirmum, alioquin sine Viatico moriturum. Id tamen non admittitur communiter: Tum quia præceptum celebrandi in azymo, aut cum vestibus sacris, non debet omitti ad communicandum ægrotum sine Viatico aliàs moriturum: Ergo similiter nec licebit non jejunum celebrare: præceptum enim celebrandi ante sumptionem cibi, non est minùs grave, quàm præceptum celebrandi in azymo, & cum vestibus sacris. Tum etiam quia hoc sacramentum non est tantæ necessitatis, quin potiùs debeat servari reverentia ei debita, quàm infirmus communicare: maximè cùm ægrotus in hoc casu excusetur, quia tunc non urget præceptum communicandi, cùm non adsit qui eum communicet.

42. Dices primò, Eodem modo dici poterit non licere infirmo post sumptum cibum aut potum sumere hoc sacramentum per modum viatici.

Sed nego consequentiam & paritatem, tum quia Ecclesiæ consuetudo declaravit in hoc casu non obligare præceptum de jejunio. Tum etiam quia est magna disparitas, ex eo quod propria necessitas hominis communicaturi (quando scilicet est in periculo mortis) est intrinseca, & quæ moraliter loquendo frequenter accidit: necessitas verò ex parte ministri est valde extrinseca & accidentaria, ratoque contingit, suppositâ providentiâ quam habet Ecclesia servandi Eucharistiam pro infirmis.

43. Dices secundò, Propter similem proximi necessitatem, potest Sacerdos habens conscientiam peccati mortalis, celebrare non præmissâ confessione sacramentali, ut diximus conclusione præcedenti: Ergo multò magis fracto jejunio, cùm hæc obligatio sit tantùm de jure Ecclesiastico, illa verò de jure Divino.

Respondeo negando etiam consequentiam & paritatem, ratio autem disparitatis est, quia confessio suppleri potest per contritionem, non autem jejunium, quod licèt sit de præcepto Ecclesiastico, fundatur tamen in jure divino de reverentia huic sacramento debita.

Ex quibus intelliges falsam & temerariam esse sententiam Joannis Majoris, asserentis licere Presbytero, ne infirmus sine Viatico moriatur, consecrare post prandium hostiam, imò & buccellam panis fermentati, si non esset hostia ex azymo, hocque secretò, sine vestibus sacris, & sine Missa, per sola verba consecrationis. Quam sententiam rectè confutat Soto in quarto distinctione duodecimâ quæstione primâ articulo octavo circa finem.

44. Denique ex dispensatione Summi Pontificis, potest quis non jejunus celebrare vel communicare; cùm enim hoc præceptum non sit Divinum, sed Ecclesiasticum, potest in eo Summus Pontifex ex rationabili causa dispensare, ejusque dispensationis plurima extant exempla. Dispensat enim quot annis cum Cardinali celebrante in vigilia Natalis Domini circa horam decimam pomeridianam. Dispensavit etiam cum Carolo V. Imperatore, ut posset non jejunus ad sacram synaxim accedere, ut scribit Famianus Strada lib. 1. de bello Belgico. Habemus etiam in Gallia satis recens ejusdem dispensationis exemplum, nam non ita pridem, anno scilicet 1619. Paulus V. permisit, ut honesta quædam Matrona Lemovicensis, dicta Domina de Londey, quotidie immediatè post prandium communicet, ad compescendum horribilem & miserabilem totius corporis tremorem, quo, Dæmonis maleficio, post sumptionem potûs, statim corripitur, etiam cum vitæ periculo; nisi ei confestim ministretur Sacramentum Eucharistiæ, quod unicum remedium, omnibus aliis frustra tentatis, huic malo seu maleficio tandem repertum est; sed ita promptum & efficax, ut eo momento quo sacra hostia labia aut linguam ejus tangit, tremor ille horribilis sistat, & pristinæ quieti mox restituatur. Fui ego ipse semel præsens, dum ei sacramentum Eucharistiæ porrigeretur, & miraculum hoc, non sine stupore & admiratione, vidi.

45. Quoad secundam partem conclusionis, seu secundam dispositionem ex parte corporis requisitam ad dignè & fructuosè communicandum, nimirum quòd communicans intra illum diem non sit pollutus, legendus est S. Thomas hîc articulo septimo, ubi sic ait: *Ex quadam congruentia nocturna pollutio* (sumptionem hujus sacramenti) *impedit, quantum ad duo, quorum unum semper accidit, scilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam Sacramenti non decet ad altare accedere (unde & volentes tangere aliquid sacrum manus lavant) nisi fortè talis, immunditia sit perpetua vel diuturna, sicut est lepra, vel fluxus sanguinis, vel aliquid hujusmodi. Aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipuè quando cum turpi cogitatione contingit.* Idem docet in responsione ad secundum de actu conjugali ipsum nimirum ex quadam decentia impedire receptionem hujus sacramenti, propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem. Unde Hieronymus relatus capite *Sciatis* 33. quæst. 4. dicit super Matthæum: *Si panes propositionis ab his qui uxores tetigerant comedi non poterant, quanto magis ille panis qui de cœlo descendit, non potest ab his qui conjugalibus paulò ante hæsere complexibus, violari atque contingi? Non quòd nuptias condemnemus, sed quòd eo tempore quo carnes agni manducaturi sumus, vacare à carnalibus operibus debemus.* Hæc tamen de necessitate non impediunt communionem, sed ex decentia, relinquendumque est Confessoris arbitrio, ut ipse decernat, an expediat illo die accedere ad sacram synaxim, vel abstinere ab illa. Si non magna urgeat necessitas, aut non sit dies festus, vel mos Collegij, aut Conventûs, ut omnes quotidie celebrent, aut Clericus non indigeat stipendio Missæ ad victum comparandum, consultum est eâ die à celebratione vel communione abstinere.

46. Observat autem D. Thomas art. citato in corp. quod pollutio causatur interdum ex illusione Dæmonum: *Illusio verò dæmonum quandoque provenit ex præcedenti negligentia præparationis ad devotionem, quæ potest esse mortale & veniale peccatum; quandoque vero provenit ex sola nequitia dæmonum volentium impedire hominem à sumptione hujus sacramenti. Unde legitur in collationibus Patrum, quòd cùm quidam frater pateretur pollutionem semper in festis, in quibus erat communicandum, seniores comperto quòd nulla causa ab ipso præcesserat, decreverunt quod propterea à communione non cessaret, & ita cessavit illusio Dæmonum.* Collat. 22. cap. 6.

47. Quærunt hîc aliqui, quinam sint capaces manducationis sacramentalis Eucharistiæ, & fructûs ac nutritionis spiritualis hujus sacramenti?

Respondeo breviter, omnem & solum hominem viventem, baptizatum, esse capacem illius, nisi pœnâ aliquâ Ecclesiasticâ impediatur. Dixi *omnem & solum hominem*, ad exclusionem Angelorum, qui non possunt propriè sumere hoc sacramentum, etiam in corporibus assumptis, quia propriè & vitaliter non manducant. Imò nec ipsum manducant spiritualiter, ut docet S. Thomas hîc art. 2 ratioque id suadet, is enim tantùm est capax manducationis spiritualis hujus sacramenti, qui est capax sacramentalis, quia manducatio spiritualis, utpotè votum seu desiderium sacramentalis, supponit capacitatem ad illam: Ergo cùm Angelus non possit Eucharistiam sumere sacramentaliter, non potest etiam manducare spiritualiter. Sicut non est capax baptismi flaminis, quia non habet capacitatem ab baptismum fluminis. Observat tamen D. Thomas, ibidem, quod licèt Angeli non manducent spiritualiter hoc sacramentum, manducant tamen Christum spiritualiter, per visionem beatam. Unde egregiè Augustinus in Psal. 33. conc. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant supernæ Virtutes, manducant cœlestes Spiritus, & manducant, & saginantur &c.* Addidi *hominem viventem*, ad exclusionem hominis mortui, quia homo mortuus non potest manducare. Subjunxi *Baptizatum*, quia Baptismus est janua omnium sacramentorum, & per illud datur potestas ad recipienda sacramenta modo sacramentali: unde Cathecumeni, tametsi habeant votum Baptismi, & sint per gratiam & charitatem justificati, non possunt tamen recipere Eucharistiam sacramentaliter. Dixi tandem, *Nisi pœna aliquâ Ecclesiastică impediatur*, quia per excommunicationem majorem privantur fideles passivâ & activâ administratione sacramentorum.

48. Hæc sunt certa & indubitata apud omnes, sed difficultas & controversia est inter Theologos, an infantes & perpetuò amentes sint capaces sacramentalis manducationis Eucharistiæ: quibusdam id affirmantibus, aliis verò negantibus. Sed probabilior sententia est, parvulos & perpetuò amentes, esse quidem incapaces manducationis sacramentalis propriè sumptæ, quia hæc præter vitalem comestionem requirit actualem notitiam hujus sacramenti, ut sacramentum est: unde infideles aut bruta, etsi species consecratas comedant, non manducant tamen Eucharistiam sacramentaliter, ut docet S. Thomas hîc art. 3. ad 2. & 3. Parvuli tamen idonei sunt ad percipiendum fructum & nutritionem spiritualem hujus sacramenti: Nam olim in primitiva Ecclesia parvulis statim post baptismum solebat ministrari Eucharistia, teste Dionysio cap. ultimo libri de Ecclesiastica Hierarchia & Cypriano sermone de lapsis, ubi narrat mirabilem casum de puella, cui cùm insciis parentibus datum fuisset aliquid de idolothitis, eique postea, juxta consuetudinem illius temporis, daretur sanguis Christi, reluctans illum accepit, acceptumque statim evomuit: quasi non potuerit (inquit Sanctus ille Martyr) *in corpore atque ore violato Eucharistia permanere.* Hunc morem non reprobat Tridentinum sess. 21. cap. 4. nec damnandos judicat Patres, qui illum induxerunt: cùm tamen maximè damnandi fuissent, si Eucharistia nullum fructum conferret parvulis; nunquam enim licet ministrare sacramenta iis in quibus suum effectum habere non possunt: Ergo parvuli sunt capaces fructûs hujus sacramenti, & gratiæ nutritivæ quæ datur per Eucharistiam, sicut sunt idonei ad recipiendam gratiam roborativam quæ datur per Confirmationem.

49. Dices, Impossibile est aliquem esse capacem fructuosæ manducationis Eucharistiæ, & non esse capacem sumptionis sacramentalis ejusdem; nam sacramentaliter manducare Eucharistiam, nihil aliud est quàm cum fructu recipere hoc sacramentum: Ergo si parvuli non sunt capaces manducationis sacramentalis Eucharistiæ, non sunt etiam capaces manducationis fructuosæ illius.

Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem, nego etiam Antecedens, nam hoc sacramentum fructuosè manducare, est illud recipere cum effectu, vi manducationis passivæ; illud verò manducare sacramentaliter, est illud recipere ut practicum signum gratiæ formaliter, subindeque cum notitia actuali illius.

ARTICULUS III.

An communio sub utraque specie potuerit Laïcis ab Ecclesia prohiberi, & convenienter ac justis de causis fuerit eis prohibita?

§. I.

Quibusdam præmissis, duplici conclusione difficultas resolvitur.

50. CUm Sacerdos celebrans sacrificium Eucharisticum, teneatur illud perficere & con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sumare, sumptio autem utriusque speciei pertineat ad consummationem talis sacrificij, certum est, communionem sub utraque specie, esse necessariam necessitate præcepti, respectu Sacerdotis celebrantis: quod tamen intelligendum est solùm quando celebrat principaliter, quoniam quando Neomystæ, seu Sacerdotes noviter ordinati, simul cum Episcopo celebrant, non communicant sub utraque specie. An autem illud præceptum sit divinum, vel tantùm Ecclesiasticum, non est ita certum: quia licèt omnes fateantur intentionem & præceptum Christi esse ut hoc sacrificium consummetur ab alio, videtur tamen sufficere quod sumatur id quod consecratum est, vel ab eo qui consecravit, vel ab alio Sacerdote. Quantùm verò ad Laïcos, in primis Vvaldenses in professione fidei ad Uladislaum, communionem sub utraque specie esse de necessitate salutis affirmant. Eundem errorem sequuti sunt Bohemi, ducibus Petro Dresdensi, & Jacobo Misnensi, qui in Concilio Constantiensi sess. 13. damnatus est. Eumque ex eorum cineribus suscitarunt Lutherus & Calvinus, duo præcipua antiqui draconis capita. Ille enim in suo de captivitate Babilonica libro scribit, *omnes esse impios, qui utriusque speciei communionem laicis denegant.* Iste verò lib. 4. institut. cap. 17. §. 47. ait, *ex officina Diaboli prodiisse constitutionem illam, quæ dimidiam cœnæ partem, meliori populi Dei numero, vel furata est vel eripuit, nempè symbolum sanguinis, quod laicis & prophanis interdictum, paucis rasis & unctis* (sic Sacerdotes appellat) *in peculium cessit.*

51. Hujus celebris difficultatis resolutio pendet ex decisione alterius, an scilicet sit de jure divino, & institutione Christi, communicare sub utraque specie. Si enim sit de jure divino, non poterit Ecclesia prohibere usum calicis: si verò nullum jus divinum extet de laïca communione sub utraque specie, poterit Ecclesia ad libitum vel illam permittere, vel illam prohibere, cùm à Christo potestatem habeat, ut in sacramentorum dispensatione, salvâ eorum substantiâ, ea statuat vel mutet, quæ susceptorum utilitati, vel ipsorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaverit; ut affirmat Tridentinum sess. 21. cap. 2. & probat ex illo 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei*, & ex capite 11. ejusdem Epistolæ, ubi Paulus nominatim de hoc ipso sacramento loquens, *Cætera* (inquit) *cùm venero disponam.* His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ.

Dico primò, nullum jus divinum extare de laïca communione sub utraque specie, subindeque Ecclesiam usum calicis laïcis prohibere posse.

52. Probatur primò: Si esset jus aliquod divinum de communione laïca sub utraque specie, illud vel ex facto Christi, vel ex Scriptura, vel ex antiqua praxi Ecclesiæ, vel denique ex hujus sacramenti natura colligi deberet. Sed ex nullo ex his tale jus colligi potest: Ergo nullum jus divinum extat de communione laïca sub utraque specie. Major patet ex sufficienti inductione: Minor verò probatur, discurrendo per singula. Et in primis quod ex facto Christi tale jus colligi nequeat, patet: Tum quia quidquid Christus fecit, aliis etiam faciendum non præcepit, alioquin tenerentur Sacerdotes consecrare vespere post cœnam. Tum etiam, quia Christus duos Discipulos euntes in Emaüs, in solâ specie panis communicavit: nam Lucæ 24. dicitur, quod statim atque panem consecratum eis porrexit, evanuit ex oculis eorum: quod autem panis ille à Christo consecratus, esset Eucharistia, colligitur ex eo quod ibidem dicitur quòd illi *cognoverunt Dominum in fractione panis*: nam per fractionem panis simpliciter dictam, in Scriptura Sacra significatur Eucharistia, ut patet ex illo Apostoli 1. ad Corinth. 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* & magis constabit ex aliis locis statim referendis.

53. Secundò quòd ex Scriptura nullum jus divinum de communione laïca sub utraque specie colligi possit, probatur: Tum quia Actor. 2. de sola communione sub specie panis fit mentio, dicitur enim: *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis.* Et cap. 20. dicuntur fideles unâ Sabbati convenisse ad fractionem panis, quod omnes de communione sacramentali interpretantur. Tùm etiam, quia ut rectè Tridentinum sess. 21. cap. 1. Qui Joan. 6. dixit, *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: idem quoque dixit: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Imò Christus hoc capite, undecies mentionem fecit de hoc sacramento sub specie panis; sub nomine autem carnis & sanguinis, non nisi quater, ut ostenderet, ad salutem sufficere solam speciem panis: unde hoc Christus præceptum ibidem concludit solâ manducatione panis: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: ut egregiè annotavit Joannes de Ragusio, Ordinis Prædicatorum, qui (ut habetur 4. tomo Conciliorum, inter fragmenta Basileensis) veritatem hanc in Concilio Basileensi contra hæreticos acerrimè & eruditissimè propugnavit.

54. Tertiò, quòd jus aliquod divinum de communione laïca sub utraque specie, ex antiqua Ecclesiæ praxi non colligatur, ex eo patet, quod olim in primitiva Ecclesia, Apostolis vicina, fuit usus communionis sub una tantùm specie, scilicet panis. Istius usûs testes oculati sunt Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 5. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, non longè ab initio, Cyprianus sermone de lapsis, Basilius in Epistola ad Cæsariam Patritiam, Augustinus serm. 222. & & alij Patres primorum quinque sæculorum, qui testantur fideles olim Eucharistiam in domum suam deferre solitos, & servare in loco decenti, ut sumerent suis temporibus de manu propria, cùm metu persecutionum non possent tam frequenter ad Ecclesiam, & ad synaxim convenire. Testatur etiam Basilius, ubi suprà, Monachos eremi cultores, eam deferre solitos in eremum, ubi nullam habebant copiam Sacerdotis, & in cellulis suis eam servare, ad similem usum. Refert quoque Baronius anno 57. num. 47. solitum fuisse dari hoc sacramentum iter facientibus, ne si quod vitæ periculum in itinere eis accidisset, tanto viatico privarentur. At hæc omnia intelligi & verificari nequeunt, nisi de Eucharistia, sub una tantùm specie, scilicet panis: Tum quia citati Patres, & nominatim Augustinus, dicunt mulieres solitas fuisse sumere Eucharistiam in mundo linteolo, quod tamen de specie vini non potest intelligi. Tum etiam, quia sola species panis dabatur laïcis in manum à Sacerdote; illicitum enim erat laïcis calicem manu tangere, ut testantur

Cyrillus

Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 5. versùs finem, & Nazianzenus in oratione contra Arrianos. Addo quod sanguis non potuisset diu servari, facilè enim & citò vinum acescit, & corrumpitur: sanguis autem non plus manet sub speciebus, quam substantia vini sub illis conservetur.

55. Eadem praxis Ecclesiæ constat ex antiquissima consuetudine, quæ in Ecclesia semper viguit, ut in die Parasceves hoc sacramentum sub sola specie panis à Sacerdote officium celebrante sumatur, ut colligitur ex Gregorio Magno in suo sacramentali, & indicatur in sexta Synodo apud Trullum can. 52. constatque ex eo quod Innocentius I. Epist. 1. cap. 4. docet traditionem Ecclesiæ fuisse eâ die non sacrificari, nec sacramenta celebrari; cùm enim (ut ait S. Thomas hìc quæst. 83. art. 2. ad 2.) veniente veritate, cesset figura, & hoc sacramentum sit figura & repræsentatio Dominicæ passionis, non est conveniens, ut eâ die qua passio Christi recolitur, Missæ sacrificium offeratur. Unde egregiè Hugo Victorinus secundo codice Miscellaneorum lib. 5. *Hodie non sacrificamus, dum nobis hostia de manibus tollitur: non sacrificant amici, dum trucidant inimici.*

56. Potest etiam ostendi communionem in una tantùm specie, scilicèt panis, fuisse licitam in primitiva Ecclesia, tribus exemplis, ex historia Ecclesiastica desumptis. Primum refertur ab Eusebio lib. 6. cap. 36. ubi ait quod Serapion per puerum suum misit particulam Eucharistiæ, σαφηνὰ τῆ εὐχαριστίας, Presbytero cuidam moribundo, præcipiens puero, ut particulam illam madefaceret, ne fortè moribundus eam deglutire non posset. Ex quo apertè colligitur, particulam illam Eucharistiæ, quam misit, fuisse tantùm particulam speciei panis, quæ madefacienda esset, ne fortè non posset à moribundo deglutiri.

57. Alterum sumitur ex Sozomeno lib. 8. historiæ cap. 5. & Nicephoro lib. 13. cap. 7. ubi narrant, mulierem quandam Macedonianam, ut simularet se Catholicam, hæresimque suam fictâ communione tegeret; loco panis Eucharistici, à S. Joanne Chrysostomo accepti in manus, substituisse panem prophanum, qui in ipsius ore statim in lapidem versus est. Ex quo etiam constat, in primitiva Ecclesia licitam fuisse communionem sub una tantùm specie, scilicet panis: si enim necessarium fuisset communicare sub specie vini, quomodo illa mulier suam fraudem tegere potuisset, substituendo similiter vinum prophanum loco vini consecrati? Neque enim, ut ex Cyrillo & Nazianzeno suprà visum est, calix tradebatur in manus laïcis, sed ori eorum applicabatur à Sacerdote, vel à Diacono. De qua consuetudine multa scribit Baronius ubi suprà.

58. Tertium exemplum sumitur ex S. Leone, qui serm. 4. de Quadragesima refert quod Manichæi, ut se Catholicos esse simularent, communicabant cum Catholicis: Sed id non potest intelligi de communione sub utraque specie, sed solùm de communione sub specie panis: Ergo in primitiva Ecclesia licitum erat communicare tantùm sub specie panis. Minor probatur, Manichæi enim superstitiosè abhorrebant à vino, tanquam à felle draconis, & veluti à Dæmone facto, ejusque potum sacrilegum esse existimabant, neque credebant Christum sub illius speciebus esse in Eucharistia, ut colligitur ex Augustino lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 13. Ergo verisimile non est, quod quando cum Catholicis communicabant, ut simularent suam hæresim, sub utraque specie communicarent. Unde prædictus Papa, ad detegendam sacrilegam illorum fraudem, jussit eos sub utraque specie panis & vini communicare, ut constat ex epistola citata, ubi sic ait: *Cùm Manichæi) ad tegendam infidelitatem suam, nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum tantùs lateant: ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem verò redemptionis nostræ omnino haurire declinant. Quod ideò vestram volumus scire Sanctitatem, ut vobis ejusmodi homines, & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & prodìti, à Sanctorum societate, sacerdotali authoritate pellantur.* Simile decretum editum est à Gelasio Papa, ut refertur canone *Comperimus* de consecrat. dist. 2. his verbis: *Comperimus quod quidam sumpta tantummodò corporis sacri portione, à calice sacratis cruoris abstineant, qui procul dubio nescio qua superstitione docentur astringi: aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur.* Sicut ergo in detestationem impietatis Manichæorum, prædicti Pontifices prudenter communionem sub utraque specie imperarunt; ita extinctâ illorum perfidiâ, justis de causis, conclusione sequenti referendis, utriusque speciei usum laïcis Ecclesia prohibuit. Sicut ad extinguendam hæresim quæ asserebat panem azymum ad conficiendam Eucharistiam esse indispensabiliter necessarium, abdicatis azymis, fermentatum Latina Ecclesia adhibuit; illâ verò extinctâ, abdicatis fermentatis, azymos panes revocavit, ut disp. 3. art. 1. ostendimus.

59. Plura alia ad probandam nostram conclusionem adduci possunt exempla: Constat enim Nazaræos, exordio nascentis Ecclesiæ, sub specie tantùm panis communicare solitos fuisse; cùm lege Mosaica, quam initio conversionis permittebantur servare, vinum bibere eis non liceret. Narrat etiam D. Gregorius lib. 3. dialog. cap. 3. S. Agapitum, mutum sub sola specie panis communicasse, qui acceptâ Eucharistiâ, statim loquelam recepit. Item legitur in vita S. Bernardi, Monachum ipsi subditum communicasse, & quia panem Eucharisticum contra prohibitionem Sancti perceperat, hoc sacramentum deglutire non potuisse, donec solemniis absolutis ad Sanctum accesserit, à quo absolutione sui criminis acceptâ, deglutivit ipsum sub specie panis tantùm. Quæ omnia exempla aperte demonstrant, communionem sub una tantùm specie, ante Concilium Constantiense fuisse licitam, & in Ecclesia usitatam, ut testatur D. Thomas hìc art. 12. his verbis: *Provìdè in quibusdam Ecclesiis observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solùm à Sacerdote sumatur.*

60. Demum, quòd jus aliquod divinum de communione laïca sub utraque specie, ex natura hujus sacramenti colligi nequeat, videtur manifestum: nam hoc sacramentum integrè salvatur in qualibet specie; in qualibet enim continetur totus Christus, totaque refectio animæ, ut disp. præcedenti art. 4. fusè ostensum est. Nec una species in ratione sacramenti pendet ab alia, esto pendeat in ratione sacrificij, quo pacto non potest, nisi in utraque specie à consecrante confici.

61. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Quatuor sunt in hoc sacramento ex quibus solùm videtur

Universidad de Deusto
Biblioteca

videtur posse peti necessitas communionis sub A utraque specie, respectu laicorum, subindeque jus aliquod divinum illos obligans ad talem communionem: scilicet ejus effectus, significatio, res contenta, & species continentes: Atqui ex nullo ex his talis necessitas peti potest: Ergo &c. Major patet ex sufficiente enumeratione, Minor verò probatur quantùm ad singulas partes. In primis enim hæc necessitas non potest oriri ex effectu, quandoquidem vel totus effectus sacramenti Eucharistiæ tribuitur communicanti sub una specie, ita ut, per se loquendo, communicans sub utraque specie, non plus gratiæ recipiat, ut loco citato docuimus; vel si, ut quidam existimant, detur major effectus per sumptionem duarum specierum, ille tamen major effectus B non est necessarius ad salutem. Non potest etiam peti hæc necessitas ex significatione, utpotè cùm significatio quæ per se pertinet ad hoc sacramentum ut sacramentum est, & ad effectum ejus, videlicet significatio unionis membrorum Ecclesiæ cum Christo ut capite, perfectè reperiatur sub singulis speciebus; sub pane quidem, quatenus ex multis granis unus conficitur; & sub vino, quatenus unus liquor ex multis uvis exprimitur: repræsentatio autem expressa passionis, magis ad rationem sacrificij quàm sacramenti pertineat; neque sit de ratione sacrificij, ut omnes qui adstant, & illud per Sacerdotem offerunt, de ipso participent, sed sufficiat quod publicus minister illud consumat. Item necessitas communicandi sub utraque specie, non potest C oriri ex re contenta in hoc sacramento, utpotè cùm totus Christus contineatur sub singulis speciebus. Neque demum ex parte ipsarum specierum, cùm enim specierum sumptio sit solùm vel propter significationem, vel propter effectum, vel propter rem contentam; si ex iis tribus nulla sequatur necessitas communionis sub utraque specie, evidenter concluditur, quòd nulla etiam oriatur ex parte ipsarum specierum.

62. Probatur secundò conclusio, & ostenditur argumento ad hominem contra hæreticos, nullum jus divinum, vel Christi præceptum extare de laïca communione sub utraque specie. Si enim communio sub utraque specie esset necessaria de jure divino, & ex præcepto Christi, non posset ulla potestas humana in hoc dispensare, & permittere quod aliquando laïci sub unica specie communicarent: At hæretici ipsi in hoc dispensant in suis ordinationibus Ecclesiasticis; permittunt enim ut abstemij, saporis & odoris vini impatientes, communicent sub sola panis specie: Ergo sibimetipsis apertè contradicunt, quando contendunt communionem sub utraque specie esse de jure divino, & ex institutione ac præcepto Christi necessariam.

63. Dico secundò, convenienter, & justis de causis, ab Ecclesia prohibita fuit laïcis commu- E nio sub utraque specie.

Patet ex Tridentino sess. 21. Can. 2. ubi anathemate damnat eos qui dixerint, *Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret.* Id magis constabit afferendo causas quibus mota est Ecclesia ad communionem sub utraque specie prohibendam. Prima est, ad refellendam hæresim quòd sub specie panis sit tantùm corpus, sub specie vini tantùm sanguis, ut multi Lutherani, teste Bellarmino lib. 4. de Eucharist. capite 8. asserunt, irridentes concomitantiam sanguinis Christi cum corpore, in specie panis. Secunda, ad refutandum errorem, quòd sola species panis ad salutem non sufficiat, in quo ferè omnes hæretici versantur. Tertia, ad debitam reverentiam huic sacramento præstandam, nam ob populi multitudinem vix evitari posset frequens sanguinis effusio, præsertim cùm ad sacram mensam multi senes tremuli, & juvenes incompositi & inconsiderati accedant. Demum Ecclesia animadvertit, plures naturâ à vino esse abstemios, ipsiusque odoris impatientes; vinum multis in locis haberi non posse in tanta copia, ut multa hominum millia possint communicare; durumque esse Sacerdoti, id quod ab omnibus delibatum erat & restabat, consumere, præsertim cùm ad communicandum accederent aliqui malè affecti, & sordidi, & fœtidi, qui etiam alios à communione deterrebant, eò quòd ex eodem calice illis bibendum erat. Alia etiam inconvenientia, quæ ex communione sub utraque specie contingebant, refert Concilium Basileense, ut quòd læpè Sacerdotes ad supplendum sanguinem pro multitudine communicantium, consecrarint solum calicem, idque extra Missam; quòd sæpè pro sanguine ministrarint purum vinum, & alia hujusmodi, quibus mota est Ecclesia ad communionem sub utraque specie prohibendam.

§. II.

Solvuntur objectiones Hæreticorum.

64. OBjiciunt in primis Sectarij contra primam conclusionem: Christus Joannis 6. dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ubi copulativè dixit, Nisi manducaveritis, & biberitis &c. Ergo utrumque implendum est ex Christi præcepto. Neque sufficit respondere (inquit Molineus) sanguinem Christi contineri per concomitantiam sub specie panis, quandoquidem Christus præcipit bibere: sumere autem solam speciem panis, non est bibere.

65. Secundò opponunt verba Christi Matthæi 26. D *Bibite ex hoc omnes:* non enim (inquiunt) solis Pastoribus dicta sunt, sed omnibus fidelibus: quia si laïci non tenentur ex vi talis præcepti bibere calicem, quia illi quibus tunc Christus dedit, erant Pastores, non tenebuntur etiam edere panem Eucharisticum, quandoquidem similiter illi quibus tunc temporis Christus panem porrexit, & edere præcepit, erant omnes Pastores. Unde Paschasius libro de corpore Christi cap. 15. verba illa Christi, *Bibite ex hoc omnes*, sic exponit: id est tam ministri quàm reliqui credentes.

66. Tertiò sic arguunt: In istis aliis Christi verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, præceptum est Apostolis, ut idem facerent quod Christus ipsis faciebat: Sed Christus dabat Apostolis utramque speciem: Ergo Apostolis & eorum successoribus præcepit, ut fidelibus utramque speciem ministrarent.

67. Quartò ex verbis Apostoli 1. ad Corinthios 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, sic argumentatur: Si Rex præcipiat ut miles arma sumat & strenuè pugnet, utrumque illi præcipit: Ergo similiter cùm Paulus præcipiat fidelibus etiam laïcis, ut edant de pane, & bibant de calice, utrumque illis præcipit.

68. Ad primum locum tripliciter responderi potest. Primò sensum hujus propositionis: *Nisi manducaveritis & biberitis*, posse esse disjunctivum, ex modo loquendi Hebræorum, qui sæpè particulâ copulativâ utuntur pro disjunctiva, ut Actorum 3. *Argentum & aurum non est mihi.* Et Joannis 15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Id etiam constat ex illo Apostoli 1. ad Corinthios 11. *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit:* hoc est qui manducat, vel bibit: Neque enim ut quis judicium seu condemnationem sibi accersat per indignam hujus sacramenti sumptionem, necessarium est ut sub utraque specie illud indignè sumat, sed sufficit quod panem Eucharisticum, vel calicem indignè sumat. Et sanè Hæretici ipsi permittunt abstemios communicare sub sola specie panis, & tamen non putant abstemios privandos esse vitâ æternâ: Ergo nec ipsi accipiunt in rigore hanc sententiam Christi copulativè, *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis.*

69. Respondeo secundò illic dari præceptum de re, scilicet corpore & sanguine Christi sumendo in Eucharistia, non autem de modo sumendi sub C una aut duplici specie: Christus enim ea verba protulit contra eos qui inter se litigabant dicentes: *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Illi autem non litigabant de modo sumendi sub utraque vel unica specie, sed de reipsa, an nimirum posset caro ejus & sanguis in Eucharistia sumi.

70. Tertio, Esto detur præceptum ibi de utraque specie sumenda, non tamen datur ut implendum per singulos, sed per aliquos tantùm, scilicet per Sacerdotes consecrantes: sicut licèt Genes. 1. universaliter Deus jubeat, *Crescite & multiplicamini*, non significant tamen quod ab omnibus, sed solùm à quibusdam; humanæ propagationi opera detur.

71. Ad secundum respondeo verba illa: *Bibite ex* D *hoc omnes*, dicta esse solis Apostolis: eis enim tantùm dicta fuere, de quibus Marci 14. dicitur, & biberunt ex illo omnes, scilicet soli Apostoli, quibus Christus potiùs dixit: *Bibite ex hoc omnes*, quàm *manducate ex hoc omnes*, quia panem *ipse fregit, dedit que eis:* vinum autem in calice consecratum dedit Discipulis inter se dividendum, juxta illud Lucæ 22. *Accipite & dividite inter vos.* Ad probationem verò in contrarium dico ex vi illorum verborum non teneri fideles laïcos edere panem Eucharisticum, sed ex vi istorum: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis* &c. Expositio autem Paschasij est accommodatè intelligenda, ut nolit eodem mo- E do bibere reliquos fideles, ac ministros consecrantes; sed consecrantes, sub utraque specie, & formaliter; reliquos verò fideles sub alterutra tantùm specie, & concomitanter; quia sub specie panis concomitanter etiam bibitur sanguis

72. Ad tertium respondeo Christum illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, solùm ordinasse ut Apostoli, eorumque in Sacerdotio successores, offerrent corpus & sanguinem suum in sacrificio Missæ, ut constat ex Tridentino sessione 22. canone 2. Unde falsum est quod dicunt Sectarij, nimirum Christum verbis illis præcepisse Apostolis; ut ipsi facerent aliis quidquid ipse eis fecerat, alioquin enim præcepisset ut omnes alios facerent Sacerdotes, quandoquidem ipsi tunc à Christo Sacerdotes facti sunt.

Ad quartum respondeo, Paulum tradere ibi 73. præceptum non de edendo pane, vel bibendo calice absolutè, sed tantùm de modo dignè edendi, vel bibendi; nihil enim intendebat quam corrigere abusus & irreverentiam Corinthiorum in perceptione corporis & sanguinis Christi. Certè si Apostolus verbis illis voluisset, ut docent Sectarij, tradere præceptum sumendi utramque speciem, malè præmisisset propositionem istam disjunctivam, utpotè tali intento B contrariam: *Itaque quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indignè &c.*

Objiciunt insuper Sectarij aliqua Patrum te- 74. stimonia, quibus significare videntur, esse præceptum divinum communicandi sub utraque specie: Justinus enim Apologiâ 2. pro Christianis, post descriptam communionem sub utraque specie subdit: *Apostoli in Evangeliis ita sibi Christum præcepisse tradiderunt.* Cyprianus libro 2. Epistolâ 3. *Quidam* (inquit) *vel ignoranter vel simpliciter in calice Domini sanctificando, & plebi ministrando, non hoc faciunt quod Christus fecit & docuit.* Et sermone de Cœna Domini: *Lex esum sanguinis prohibet: Evangelium præcipit, ut bibatur.* Augustinus libro quæstionum in Leviticum quæst. 57. *Ad bibendum sanguinem omnes exhortantur qui volunt habere vitam.* Bernardus sermone 3. in ramis palmarum: *Alimoniam corporis & sanguinis Domini in prima cœna Domini exhibitam, deinceps frequentari mandatur.* Demum Leo Papa sermone 4. De Quadragesima reprehendit eos qui corpus Christi accipientes, sanguinem haurire declinabant. Et Gelasius de consecratione dist. 2. cap. *Comperimus*, jubet vel abstineri à communione, vel utramque speciem sumi, *Quia* (inquit) *divisio unius ejusdemque mysterij, sine gravi sacrilegio non potest provenire.*

Ad Justinum respondeo illum solùm velle, 75. D Apostolos à Christo præceptum accepisse consecrandi in utraque specie, non verò alios communicandi in utraque. Unde ly *præcepisse* non cadit supra communionem in utraque specie, sed supra consecrationem. Quod verò ea interpretatio legitima sit, ex eo colligitur, quòd idem Author ibidem dicat, Eucharistiam per Diaconos deferri ad eos qui Missarum solemniis, quæ diebus Dominicis celebrabantur, adesse non poterant. Nec enim probabile est ad hos absentes sanguinem per illos fuisse delatum, ob periculum effusionis, sed solum corpus sub specie panis; sicut dabatur iter facientibus, & iis qui domum revertentes futuris solemniis adesse non pote- E rant, nec non Monachis Eremi cultoribus, qui ipsum in Eremum deferre solebant, & in cellulis suis servare, ut suprà ex S. Basilio retulimus.

Ad Cyprianum dico, eo loco non agere de ca- 76. lice populo ministrando, sed de aqua miscenda vino consecrando, ut patet ex verbis, quæ loco citato subjungit: *Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo, Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit: ut calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Addo quod potuit hic Pater ad calicis sumptionem populum adhortari, quia in ejus Ecclesia vigebat usus

Universidad de Deusto
Biblioteca

usus communicandi sub utraque specie : quare lib. 1. Epist. 2. de Martyribus loquens, hæc habet : *Quomodo docemus aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegemus ? aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum Domini, jure communicationis admittimus ?* Et Augustinus in Psalmum 22. *Hoc calice* (inquit) *inebriati erant Martyres, quando ad passionem euntes suos non agnoscebant, non uxorem sientem, non filios, non parentes, & gratias agendo dicebant: Calicem salutaris accipiam.* Unde quando idem S. Doctor ait quod *ad bibendum sanguinem omnes exhortantur qui volunt habere vitam*, vel solùm hortatur fideles ad servandam illam consuetudinem communicandi sub utraque specie, quæ tunc vigebat non solùm Carthagini, sed etiam in aliis Africæ Ecclesiis : vel si id esse de præcepto divino significet, loquitur tantùm de sanguine quoad rem, qui simul concomitanter sumitur cum corpore : sub specie panis ; non quoad modum sumendi sub specie vini. In quo sensu etiam explicari & intelligi potest locus D. Bernardi, vel dici ipsum ibi loqui de solis Sacerdotibus consecrantibus.

77. Ad D. Leonem & Gelasium dico quod ut latentes suis temporibus sub Catholico nomine Manichæos detegerent, decretum condiderunt de communione sub utraque specie, tanquam de medio ad hunc finem aptissimo ; cùm enim Manichæi haustum calicis penitùs abhorrerent, ob rationem suprà allatam, ab eo abstinentes, non obstante decreto illo, & tamen communicantes sub specie panis, facilè detegi poterant, & à veris Catholicis secerni : ideò autem Gelasius, pro ratione talis sui decreti, addidit, divisionem unius ejusdemque mysterij sine grandi sacrilegio non posse provenire, quia Manichæi abstinentes à vino tanquam à Dæmone facto, non credebant Christum sub ejus specie in sacramento altaris existere. Ex quibus nihil contra nos, communionem enim illam sub utraque specie non decreverunt Summi illi Pontifices tanquam necessariam necessitate divini præcepti ad salutem.

78. Objicies tertiò : Quod superior concedit, inferior prohibere non potest : Sed Christus quamvis non præceperit usum calicis, concessit tamen fidelibus jus ad illud, ut constare videtur ex illo Lucæ 22. *Bibite ex hoc omnes :* Ergo Ecclesia non potest illos privare usu calicis.

Confirmatur : Hoc sacramentum est ultimum testamentum quo Christus morti proximus, corpus & sanguinem suum legavit filiis suis : Ergo Ecclesia non potest absque injustitia hac hæreditate Christianos privare, cùm non sit domina, sed tantùm administratrix sacramentorum.

79. Ad objectionem respondeo Christum non contulisse fidelibus jus petendi calicem absolutè, sed cum subordinatione ad Ecclesiam, quæ est optima legum Christi interpres.

Ad confirmationem dico quod Ecclesia privando laïcos usu calicis, non privat eos propterea hæreditate à Christo legata ; tum quia quidquid acciperent per utramque speciem, accipiunt per unam tantùm : tum etiam quia esto fraudarentur aliquâ gratiâ, cùm tamen hæc non sit ad salutem necessaria, non defraudantur paternâ hæreditate, quæ salvatur in gratia ad salutem necessaria. Sicut infantes non dicuntur fraudari paternâ hæreditate, eò quòd priventur gratiâ sacramentali quam ex manducatione hujus sacramenti percipere possent.

Ex dictis inferes, ex vi præcepti divini, non 80.
minùs licitum ac sufficiens ad salutem fore, hoc sacramentum sub specie vini, quàm sub specie panis sumere ; cùm non minùs una species quàm altera annexam habeat promissionem æternæ vitæ, & totum Christum, totamque refectionem spiritualem animæ contineat. Ecclesia tamen communionem laïcorum ad speciem panis, potiùs quàm ad speciem vini determinavit, tum propter minus periculum irreverentiæ, tum propter majorem difficultatem habendi & conservandi vinum in regionibus in quibus non nascitur, illudque pro infirmis conservandi. Præterquam quod animadvertit aliquos esse natura abstemios, & à vino abhorrentes, ejusque saporis & odoris impatientes.

Quæres, liceat ne in aliquo casu calicem su- 81.
mere laïcis ?

Respondeo affirmativè, quia reverentia sacramenti, & intentio Ecclesiæ, potest interdum exigere contrarium : ut si verbi gratiâ periculum sit ne species vini consecratæ, ab infidelibus effundantur, & proculcentur ; vel si mortuo Sacerdote ante consumptum calicem, nullus alius sit qui consumat, & corruptionis specierum periculum immineat. Addunt aliqui id licere in casu in quo moribundus non posset hostiam deglutire, sed solùm sub specie vini communicare. Sed huic sententiæ non assentior, quia cùm hoc sacramentum non sit simpliciter necessarium, non obligat nisi cum debitis circunstantiis ab humano præcepto præscriptis, dependenter à quo sæpè divina obligant. Unùm tamen casum excipio, in quo scilicet moribundus habens conscientiam mortalis, non posset habere Sacerdotem cui confiteretur, posset tamen habere Diaconum qui sibi sanguinem ministraret, nam cùm in eo casu sumptio Eucharistiæ illi esset ad salutem necessaria, per epikeiam & legis interpretationem, communicare posset sub specie vini : sicut articulo præcedenti dicebamus, licere in simili casu Sacerdoti non jejuno celebrare, si nimirùm sumpto veneno morti appropinquaret, & habens conscientiam mortalis, copiam Confessoris non haberet. Vix tamen casus est moraliter possibilis, nisi tantùm in eventu, quo deficiente Sacerdote post sumptionem corporis, maneret sanguis in altari, & non esset Sacerdos qui supplere posset defectum, & moribundus esset proximè expiraturus.

Demum potest aliquis sub utraque specie com- 82.
municare ex privilegio, potest enim Ecclesia super hoc præcepto suo dispensare ; ut reipsa dispensavit Clemens VI. cum Rege Christianissimo, anno 1341. & Paulus III. cum Bohemis, modò non adhæreant hæresi Petri Dresdensis, & Jacobi Minelli, qui primi in Bohemia anno 1412. Calixtinorum hæresim seminarunt. Item Papâ solemniter celebrante, Diaconus & Subdiaconus sub utraque specie communicant.

DISPUTATIO X.

De Ministro Eucharistiæ.

Ad quæstionem 82. D. Thomæ.

MINISTER Eucharistiæ duplex esse potest : alter conficiens, cujus potestas versatur in materia consecranda : alter tantùm dispensans, qui solùm distribuit materiam præconsecratam. De utroque in hac disputatione disseremus, & utrum hujus sacramenti consecratio & administratio soli Sacerdoti conveniat, breviter resolvemus. Aliæ verò difficultates quas D. Thomas art. 5. & sequentibus pertractat, an scilicet malus Sacerdos, & hæreticus, aut Schismaticus, Eucharistiam consecrare possint ? in Tractatu de Sacramentis in communi, agendo de Ministro sacramentorum, disp. 6. expeditæ sunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum consecratio hujus sacramenti sit ita propria Sacerdoti, ut à nullo alio, etiam in casu necessitatis, fieri possit ?

1. LUtherani existimant, quemlibet Christianum, vi Baptismi, habere potestatem consecrandi Eucharistiam, licèt hoc officium nemo sumere debeat nisi legitimè vocatus, excepto casu necessitatis : in casu verò necessitatis dicunt quod unusquisque Paterfamilias potest domi suæ panem & vinum consecrare, & corpus & sanguinem suæ exhibere familiæ. Fundamentum ipsorum est, quia Scriptura variis in locis docet omnes Christianos esse Sacerdotes : Nam 1. Petri 2. dicitur *vos autem genus electum, regale Sacerdotium.* Et D. Joannes Apocal. 1. *Fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo.* Et cap. 5. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.* Unde Tertullianus in exhortatione ad castitatem cap. 7. *Nonne & Laïci Sacerdotes sumus ? Scriptum est, Regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ authoritas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus : adeò ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licèt Laïci : unusquisque enim de sua fide vivit. Igitur si habes jus sacerdotii in temetipso, ubi necesse est habeas oportet disciplinam Sacerdotis.*

2. Dico tamen, solùm Sacerdotem posse hoc sacramentum conficere. Hæc conclusio est certa de fide : habetur enim in cap. *Firmiter* de summa Trinitate, his verbis : *Hoc sacramentum nemo potest conficere, nisi solus Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus.* Colligitur etiam ex Tridentino sess. 23. cap. 1. ubi affirmat sacrificium & Sacerdotium Dei ordinatione esse conjuncta, & Christum Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, potestatem tradidisse consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinem ejus, necnon & peccata dimittendi & retinendi. Idem etiam patet ex forma initiandi Sacerdotes in universa Ecclesia Latina, in qua sic dicitur ab Episcopo : *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis & defunctis.* Quæ verba in nullius alterius ministri ordinatione proferuntur. Demum id constat ratione S. Thomæ hîc art. 1. Illi enim soli possunt consecrare corpus Christi quibus ipse Christus hanc potestatem planè supernaturalem concessit : Atqui non concessit eam nisi Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus verbis illis, *Hoc facite in meam commemorationem.* Unde Clemens Romanus lib. 8. Constit. capite ultimo affirmat Christum solis Apostolis dixisse, *Hoc facite*, ab illis verò & per illos derivaque lib. 2. cap. 31. ait : *Quicunque Laïcus sine Sacerdote aliquid operatur, inaniter operatur :* Ergo, &c.

Favent etiam alij SS. Patres : Chrysostomus 3.
enim lib. 3. de Sacerdotio cap. 4. & 5. Sacerdotij gradum, supra reliquorum hominum dignitatem, mirum in modum extollit, eò quòd habeant potestatem offerendi sacrificium Eucharisticum, & remittendi peccata. Et lib. 2. *Non homo* (inquit) *non Angelus, non Archangelus, non aligna alia creatura, non virtus, sed Spiritus Sanctus hoc munus instituit, atque adhuc manentes in carne, mysterio fungi præstitit Angelorum. Quomodo ergo nobis isti non solùm reverendi magis quam Reges, aut Judices, sed etiam magis erunt honorabiles quam parentes.* Et Hieronymus in Epistola ad Heliodorum, Sacerdotes super alios clericos specialiter commendat, quòd *corpus Christi sacro ore conficiant*, id est verbis sacramentalibus ore suo prolatis. Item valde celebratur præclara illa sententia, quæ D. Augustino vel S. Gregorio tribuitur : *O magna Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis, Christus quotidie incarnatur !* Demum Gaudentius Brixiæ Episcopus tract. 2. ad Neophitos, prope finem, hæc scribit : *Discipulis fidelibus mandat* (Christus) *quos primos Ecclesia constituit Sacerdotes, ut indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est à cunctis Sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari, usque quo iterum Christus de cœlis adveniat.*

Absurdum est autem quod dicunt Sectarij, 4.
nempè omnes Christianos, ratione characteris Baptismi, esse Sacerdotes : licèt enim, ut postea dicemus, impropriâ quadam & amplâ significatione, Sacerdotes dicantur, quia debent omnes offerre Deo spiritales hostias bonorum operum, propriè tamen Sacerdotes sunt illi soli qui ad hoc ordinati sunt, ut docent Basilius lib. 2. de Baptismo cap. 8. Augustinus lib. 20. de Civit. cap. 10. & Dionysius cap. 5. Eccles. Hierarch. ubi sic habet : *Nec ipse Sacerdos erit, nisi Pontificalibus officiis ad hoc fuerit promotus.* Et certè, sicut in lege Mosaïca nulli erant veri Sacerdotes, nisi qui de tribu Levitica fuerant legitimè ordinati, juxta illud ad Hebræos 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron :* sic Evangelicum Sacerdotium, longè excellentius Aaronico, non competit omnibus, sed iis solis qui legitimè vocati & ordinati sunt, ritu per Christum instituto. Ac sicut alij, ne quidem in necessitate poterant munus sacrificandi obire : unde 1. Regum 13. reprehenditur Saül, quòd stultè egerit, attentans sacrificare in casu necessitatis ; & Ozias eandem ob causam leprâ percutitur 2. Paralip. 26. Sic in lege Evangelica, nemo nisi Sacerdos, potest in ullo casu cujuscumque necessitatis sacrificare. Unde fal-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sum est quod dicunt Sectarij, nimirum Diaconos aliquando Eucharistiam consecrasse, malèque id probant ex Canone 15. Concilij Arelatensis, qui sic habet: *De Diaconibus, quos cognovimus multis in locis offerre, placuit minimè fieri debere*; & ex cap. 2. Synodi Ancyranæ, ubi Diaconi qui immolaverant Idolis, jubentur cessare ab omni sacro ministerio, & speciatim sive à pane, sive à calice offerendo. Nam prior locus debet intelligi de oblationibus fidelium distinctis à consecratione Eucharistiæ, quæ præsente Sacerdote non poterant ab alio benedici, temeréque id præsumebatur à prædictis Diaconis. Posterior verò intelligendus est de oblatione quam facit Diaconus in missâ solemni ministrans Sacerdoti; nam simul cum Sacerdote, ut etiam modò, in calice offerebat; Sed nunquam purum Diaconum Eucharistiam consecrasse legimus. Unde Concilium Nicænum 1. can. 14. dicit Diaconos non habere potestatem offerendi sacrificium Eucharistiæ, sed Presbyteros.

5. Potest insuper probari conclusio, & Sectariorum error confutari, ex absurdo quod sequitur ex illorum sententia: Si enim potestas consecrandi Eucharistiam competeret omnibus Christianis, ratione characteris Baptismi, ut docet Lutherus in libro de captivitate Babylonica, cap. de Ordine, competeret etiam fœminis baptizatis; & si Baptismus facit verè & propriè Sacerdotes, mulieres Christianæ erunt verè & propriè Sacerdotes Evangelici: At hoc absurdissimum est, & Collyridianorum, ac Pepuzianorum error, apud quos mulieres olim sacrificandi munus usurpabant, ut videre est apud Augustinum lib. de hæresibus, hæresi 27. & apud Epiphanium hæresi 79. ubi contra Collyridianos disputans, affirmat solos Apostolos fuisse à Christo ordinatos ministros Eucharistiæ, & deinde post Apostolos, alios Episcopos & Presbyteros: cæteris autem, & maximè fœminis, adeò id non licere, aut licuisse unquam, ut ne Beatæ quidem Virgini concessum fuerit.

6. Nec valet quod ait Petrus Molinæus, nimirum fœminas olim Eucharistiam administrasse, ut docet (inquit) Ambrosius in libro de Viduis. Nam, præterquam quod hic non est quæstio de ministro Eucharistiam administrante, sed de ministro illam consecrante seu conficiente, falsum est quod Ambrosius eo libro id doceat, loquitur enim (loco non de fœmina, sed de Sacerdote, cujus animam comparat Socrui Petri Apostoli, languenti febribus, & à Christo sanatæ. Unde mira est Ministri hujus ineptia, & crassa ac supina hallucinatio. Apocryphum etiam & commentitium est, quod refertur in Prato spirituali cap. 25. nimirum quod Monachus non Sacerdos protulit verba consecrationis super panem quem deferebat, & Angelus affirmavit verè consecrasse. Et si vera esset historia, responderi posset, extraordinariè & miraculosè id factum esse.

7. Ad testimonia verò Scripturæ suprà adducta, quibus significari videtur, omnes Christianos esse Sacerdotes, dicendum est cum S. Thoma hic art. 1. ad 2. ea intelligenda esse de Sacerdotio latè & impropriè sumpto, pro spirituali potestate & debito offerendi Deo sacrificium bonorum operum. Unde D. Petrus ibidem immediatè ante verba adducta, hortatur fideles ad deponendam omnem malitiam, & omnem dolum, simulationes, invidias, detractiones: ad amplectendam vitam innocentem, qualem decet filios Dei adoptivos, recens genitos in Christo: ad ædificandam domum spiritalem tanquam lapides vivos, offerendasque spiritales hostias bonorum operum, quibus Deus colitur in spiritu, acceptabiles Deo per Jesum Christum. Et paulò post eosdem obsecrat, ut abstineant se à carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam, & benè conversentur inter gentes, &c. Hinc S. Thomas in 4. dist. 13. qu. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 1. infert, *quod omnis bonus homo dicitur esse Sacerdos mysticè, quia scilicet mysticum sacrificium Deo offert, seipsum scilicet, hostiam viventem Deo, ad Roman. 12.*

8. Ad locum autem Tertulliani, satis obscurum, quod initio hujus articuli retulimus, in quo præcipuè confidunt hæretici: In primis dico, Tertullianum librum illum de exhortatione ad castitatem scripsisse, jam Montani erroribus implicatum, & ab Ecclesia Catholica segregatum. Unde valet quod de eo dixit Hieronymus: *Homo Ecclesiæ non fuit.* Et Hilarius can. 5. in Matth. *Sequenti errore detraxit scriptis probabilibus authoritatem.* Et Vincentius Lirinensis: *Tertullianus Catholici dogmatis, ac vetustæ fidei parùm tenax, ac disertior multò quam felicior, mutatâ deinde sententiâ, fuit ipse quoque in Ecclesia magna tentatio.*

Respondeo secundò, ipsum non loqui de sacrificio propriè dicto, nec de sacerdotio consecrationis, sed de sacrificio orationis, pœnitentiæ, & eleemosynarum, in quo unusquisque Christianus sacerdos est, ut supra diximus, & eleganter expendit Chrysologus serm. 108. Nam ibi explicans illud Apostoli: *Ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam*, sic habet: *Apostolus sic rogando omnes homines ad Sacerdotale fastigium provexit. O inauditum Christiani Pontificatus officium, quando homo sibi ipse est & hostia & Sacerdos, quando hostia maclatur & vivit! Mirum sacrificium, ubi corpus sine corpore, ubi sine sanguine sanguis offertur! In tali victima mors expenditur, hostia permanet; vivit hostia, mors punitur.* Et rursus: *In odorem thymiama semper orationis accende, arripe gladium spiritûs, altare cor tuum pone, & sic corpus tuum admove Deo securus ad victimam. Deus fidem, non mortem quærit; votum, non sanguinem sitit; placatur voluntate, non nece.*

Hunc autem esse Tertulliani sensum, patet primò ex probatione quam subjungit: *Scriptum est, Regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo & Patri fecit:* qui locus de spirituali Sacerdotio intelligendus est, ut indicant verba præcedentia, ubi non de sacrificiis propriè dictis, deque oblatione Eucharistiæ sermo est, sed solùm de oblatione orationum, & de phialis aureis plenis odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Constat etiam ex eo quod idem Author, jus illud offerendi, & sacrificium de quo loquitur fundat in fide, dicens: *Unusquisque de sua fide vivit:* cùm autem fides reperiatur in mulieribus baptizatis, æquè ac in viris, sequeretur illas esse propriè sacerdotes, & posse conficere Eucharistiam; quod à mente & doctrina Tertulliani prorsus alienum est: libro enim de velandis virginibus cap. 9. ait: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vendicare.* Plura de hac difficultate, & præsertim de hoc Tertulliani loco, videri possunt

possunt apud Gabrielem Albaspineum, Aurelianensem Episcopum, lib. 2. de Euchar. cap. 8. Dionysium Petavium in dissertationibus Ecclesiasticis contra Salmasium, & Yzambertum hic qu. 82. disp. 1. art. 2.

ARTICULUS II.

An ad solos Sacerdotes pertineat dispensatio hujus sacramenti?

9. Dico primò, ad Sacerdotes ex officio spectat hoc sacramentum populo dispensare. Ita D. Thomas hic art. 3. ubi hanc conclusionem triplici ratione probat. Prima est, quia cui convenit actus principalis, convenit & accessorius: Atqui Sacerdoti per se & ex officio convenit confectio Eucharistiæ, quæ est principalis actus: Ergo eidem per se etiam & ex officio convenit ejus dispensatio. Unde idem S. Doctor in officio Corporis Christi quod de mandato Urbani IV. edidit, sic habet: *Cujus officium committi voluit, solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent cæteris.*

10. Secunda est: Sacerdos constituitur medius inter Deum & populum: unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitùs, populo tradere. Unde Apostolus 1. Corinth. 4. loquendo de Sacerdotibus ait: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Quam rationem fusiùs expendit & egregiis illustrat in 4. sent. dist. 13. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ubi ait, *quod sicut in corpore naturali sunt quædam membra principalia per quæ virtutes & operationes vitæ à principio vitæ ad cætera membra decurrunt: ita & in Ecclesia Sacerdotes sunt quasi membra principalia, quibus mediantibus Sacramenta vitæ populo dispensari debent; & ideò laicis, quantumcumque sanctis, sicut nec consecratio, ita nec dispensatio hujus sacramenti competit.*

11. Tertia est, quia in reverentiam hujus sacramenti à nulla re contingitur, nisi consecrata: unde & corporale & calix consecrantur, & similiter manus Sacerdotis ad tangendum hoc sacramentum: Ergo illi soli per se & ex officio competit illud tangere & populo dispensare. Unde Tridentinum sess. 13. cap. 8. *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici à Sacerdotibus communionem acciperent: Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent: qui mos, tanquam ex traditione Apostolica descendens, jure ac merito retinendi debet.*

12. Dico secundò, non omnes Sacerdotes possunt hoc sacramentum licitè ministrare, sed solùm illi qui habent potestatem jurisdictionis, vel ordinariam, vel delegatam.

Hæc etiam conclusio est omnino certa: ita enim generaliter de sacramentis habetur in Clementina *Dudum*, de sepulturis, & in particulari de isto in Concilio Carthaginensi 1. cap. 7. & Milevitano cap. 18. & Lateranensi 1. cap. *Omnis utriusque sexus.* Ratio verò est, quia etsi administratio Eucharistiæ non sit actus judicialis, sicut est pœnitentiæ administratio, est tamen proprius Pastoris actus, & quidem magis, quàm actus publicè docendi populum, cùm sit actus pascendi gregem Christi spirituali pabulo carnis Domini: Ergo ad licitè administrandum hoc sacramentum potestas jurisdictionis vel ordinaria vel delegata requiritur. Unde Leo Papa Epistolâ Decretali ad Theodorum Episcopum Forojulienſem, relatâ in cap. *Multiplex* 49. de Pœnitentia dist. 1. *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Ex quibus inferes, esse peccatum mortale ministrare Eucharistiam sine debita jurisdictione aut facultate; quia est usurpare jus alienum in re gravi, & cum animarum periculo, per se loquendo, & contra pacem & debitam gubernationem, & ordinem Ecclesiæ. Porrò jurisdictio ordinaria residet in superioribus quorum officio connexa est, ut in Summo Pontifice pro universa Ecclesia, in Episcopo pro sua Diœcesi, in Parocho pro sua Parochia. Extraordinaria verò seu delegata residet in illis quibus à superiore communicata est, uti illam per bullas Pontificias habent Religiosi mendicantes, unde licitè possunt in suis Ecclesiis Eucharistiam quovis anni tempore, præterquam in die Paschatis, & in articulo mortis, ministrare.

13. Advertendum est autem, hoc inter administrationem Sacramenti Pœnitentiæ & Eucharistiæ reperiri discrimen, quòd pro administratione pœnitentiæ requiritur approbatio Ordinarij, non verò pro administranda Eucharistia, cùm utriusque non sit eadem ratio: nam in Sacramento Pœnitentiæ requiritur scientia, quâ distinguantur peccata, requiritur etiam specialis probitas ministri, propter specialem familiaritatem cum pœnitentibus: semel autem hostiâ consecratâ, eam ministrare, has difficultates non habet: unde praxi receptum est, quod simplices Sacerdotes ab Ordinario non approbati, ex expressâ vel tacita Parochi licentia, Eucharistiam ministrant.

14. Dico tertiò, Diacono ex officio convenit sanguinem Christi dispensare, non verò corpus; ex commissione tamen Sacerdotis, cujus est minister. Ita S. Thomas hic art. 3. ad 1. ubi ait, *quòd Diaconus, quasi propinquus ordini Sacerdotali aliquid participat de ejus officio: ut scilicet dispenset sanguinem, non autem corpus, nisi in necessitate, jubente Episcopo, vel Presbytero. Primò quidem, quia sanguis Christi continetur in vase; unde non oportet quod tangatur à dispensante, sicut tangitur corpus Christi. Secundò, quia sanguis designat redemptionem à Christo in populum derivatam: ut de & sanguini admisceatur aqua, quæ significat populum. Et quia Diaconi sunt inter Sacerdotem & populum, magis convenit Diaconis dispensatio sanguinis, quàm dispensatio corporis.* Idem docet in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ubi sic discurrit: *Sicut Sacerdos participat aliquid de virtute perfectiva, quæ est Episcopi; ita Diaconus participat aliquid de dispensatione hujus sacramenti: competit enim ei ex officio sanguinem Domini dispensare, sed non corpus: quia dispensator corporis oportet quod ipsum corpus tangat, non autem dispensator sanguinis: Diacono autem non licet corpus Christi tangere, cùm non habeat manus sacratas; & ideò non debet corpus dispensare, nisi de mandato Presbyteri, vel Episcopi; vel Presbytero longè posito in casu necessitatis. Vel ideò dispensat sanguinem & non corpus, quia per sanguinem significatur redemptionis mysterium, quod à capite Christo in membra diffunditur officio ministrorum, unde & sanguini aqua qua populum signat admiscetur:*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cetur : sed incarnatio quam corpus Christi signat, non est humano ministerio facta. Quibus verbis S. Doctor conclusionem nostram & docuit & probavit. Potestque confirmari ex antiqua praxi Ecclesiæ : antiquitùs enim quando vigebat usus communionis sub utraque specie, dispensatio sanguinis pertinebat ad Diaconum, ad quem tamen non pertinebat dispensatio corporis, ut constat ex verbis S. Laurentij ad Sixtum : *Experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem :* ex Cypriano serm. de lapsis & Ambrosio lib. 1. de officiis cap. 14. Jam verò usus ille cessavit in populo : durat tamen in Capella Pontificis, ut Durandus dist. 13. quæst. 4. refert, nam dum ipse solemniter celebrat, post sumptionem corporis sessum vadit ; & tunc Diaconus consecratum calicem ei affert & porrigit.

Dices, Diaconus solùm ex commissione Sacerdotis habet quod sanguinem Christi populo dispenset : Ergo id non habet ex officio. Unde in ordinatione Diaconi nulla fit mentio hujus actûs, sed solùm datur ei potestas legendi Evangelium, quæ nullam habet cum dispensatione sanguinis connexionem.

15. Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam : licèt enim dispensatio sanguinis Christi conveniat Diacono ex commissione Sacerdotis, hæc tamen commissio non datur ei ad libitum Sacerdotis, sed ex officio suo habet Diaconus ut hoc ei committatur, quia officium ejus est ministrare Sacerdoti in consecrando & dispensando. Unde in cap. *Diaconus* dist. 23. sic dicitur : *Diaconus dum ordinatur, ad ministerium consecratur.* Ex quo patet solutio ad illud quod subditur, ut enim Diacono ex officio competat potestas dispensandi Christi sanguinem, non requiritur quod hujus fiat expressa mentio in ejus ordinatione, sed satis est quod in ea declaretur, ipsum ad ministrandum immediatè Sacerdoti consecrari ; ex hoc enim colligitur, *quod Diaconus ut propinquus ordini Sacerdotali aliquid participat de ejus officio, ut scilicet dispenset sanguinem, non autem corpus*, ut ait D. Thomas suprà relatus. Ex quo

16. Inferes, quod licèt Domitrici sanguinis dispensatio possit etiam nunc absque ulla necessitate committi Diacono, & de facto adhuc committatur dum Summus Pontifex solemniter celebrat, ut suprà ex Durando retulimus ; non tamen dispensatio corporis, si nulla cogat necessitas. Si verò necessitas cogit, & Sacerdos abest, potest Diaconus corpus Christi infirmo ministrare, ut colligitur ex Concilio Nicæno 1. can. 18. vel 14. aliâ versione, nam in eo, absente Sacerdote, conceditur Diacono potestas, ut ipse è Ciborio proferat sacramentum, & sumat : Igitur à fortiori poterit idem Diaconus, in casu necessitatis, si nullus adsit Sacerdos, Eucharistiam infirmo ministrare. Imò si ex negligentia aut nequitia nollet Sacerdos, etiam à Diacono monitus, Sacramentum deferre infirmo, posset Diaconus illo invito suum munus præstare, & misero infirmo in extremis succurrere, ut ait Soto in 4. dist. 13. qu. 1. art. 3.

17. Id etiam posse Subdiaconum, imò & Laïcum censent Suarez, Valentia, Coninx, & alij Recentiores, quibus favet Cajetanus Matth. 26. versu 26. ad illa verba, *Accipite & comedite*, dicens. *Adverte hic quod sicut Ecclesia laudabiliter pro reverentia Eucharistiæ non utitur Eucharistiæ cibo, nisi jejuna, excepto extremæ ægritudinis articulo, licèt Dominus inter cœnandum communicaverit Discipulos : ita laudabiliter pro reverentia Eucharistiæ abstinet ab isto modo manducandi. Accipite & comedite, ut non nisi sacris manibus tangatur Eucharistia. Verum ad imitationem Christi, communicare tali modo in articulo necessitatis, non esset inconveniens : Sicut etiam non jejunos, ut dictum est, in articulo necessitatis communicamus. Esset autem necessitatis articulus, si tempore epidimiæ non haberetur Sacerdos communicans more Ecclesiæ solito, sed haberetur Sacerdos, qui prope afferret Eucharistiam, & locando super præparato loco, diceret communicaturis prope expectantibus & adorantibus, Accipite, comedite ; possent enim reverenter accipere & comedere, sicut fecerunt Christi Discipuli, qui acceperunt à Jesu non manu ad manum, sed ex mensa, cùm sederent multi in tanta distantia, ut manu Jesu manibus eorum non posset jungi. Crediderim ego, quod sicut unum calicem communem omnibus tradidit, ita in una patina panem in duodecim bucellas fractum, manibus propriis tradiderit, & quod hinc Ecclesia usum patinarum Apostolicâ traditione acceperit. Ita quod sicut calicem unus Discipulus dedit alij, ita patinam cum pane sancto propinquiores Jesu remotioribus successivè porrexerunt.*

Opposita tamen sententia, quæ negat in ullo casu licitum esse Subdiacono vel Laïco ministrare hoc sacramentum, communior & probabilior est, docenturque expressè à D. Thoma ; qui quamvis Laïco in necessitate corpus Christi tangere, licitum illi concedat hîc art. 3. in fine corporis articuli, in nullo tamen casu admittit licere ei illud aliis ministrare ; sed in 4. sentent. dist. 13. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 3. dicit : *In casu necessitatis potest & debet corpus Christi tangere, etiam si sit peccator, ut si in aliquo loco immundo jaceret : sed non est simile de dispensatione sacramenti, quia receptio hujus sacramenti non est necessitatis. Unde ei quidam potest sacramentaliter manducare, dicendum est, Crede & manducasti.* Quibus verbis S. Doctor rationem fundamentalem indicat cur laïco in nullo casu licitum sit ministrare hoc sacramentum : decet enim ob dignitatem tanti sacramenti, & rei in illo contentæ majestatem, ut non nisi à Sacerdote, & in solo casu necessitatis tantùm à Diacono administretur : aliunde verò cùm non sit ad salutem necessarium, sed tantùm utile, fideles etiam in articulo mortis constituti non tenentur illud recipere, nisi cum debitis circumstantiis ad ipsius reverentiam, quæ privatæ personæ utilitati prævalere debet, requisitis. Unde sicut ad subveniendum infirmo in articulo mortis constituto, non licet Sacerdotem non jejunum, aut sine vestibus sacris celebrare, quia hoc est contra reverentiam hujus sacramenti : ita neque licebit ad subveniendum illi, ut laïcus hoc sacramentum ei administret, cùm hoc non minus contra sacramenti reverentiam videatur. Unde Concilium Rhemense relatum in cap. *Pervenit*, de consecrat. distinct. 2. sub gravissima pœna prohibet, ne laïci hoc sacramentum ministrent infirmis. Accedit Ecclesiæ consuetudo, nusquam enim auditum est id fuisse factum, cùm tamen casus, quantùm est de se, rarissimus non sit, sed sæpè contingat, præsertim in locis exiguis ubi non adest Sacerdos, vel Diaconus, qui infirmum in extremis constitutum communicare possit.

Quod

19. Quod diximus de ministratione hujus sacramenti aliis, dicendum videtur de ministratione sibi ipsi. Unde Diaconus, absente Sacerdote, potest seipsum communicare, si nullum sit scandalum : id enim ei absolutè concedit Concilium Nicænum primum can. 14. nullâ mentione factâ de mortis articulo. Idem à fortiori licebit Sacerdoti, si vel celebrare non possit, vel non habeat omnia ad celebrandum requisita, nullusque aliis Sacerdos adsit. Id verò laïco nullatenus est concedendum : nam cui non licet aliis ministrare hoc sacramentum, nec sibi ministrare licet.

20. Dices, Antiquus mos fuit in Ecclesia, ut fideles Eucharistiam à Sacerdote acceptam, propriis manibus sumerent, viri nudis manibus, fœminæ nitido linteolo obvolutis, ut testatur Baronius anno Christi 57. num. 42. & colligitur ex Basilio in Epistola ad Cæsariam Patriam, & ex Cyrillo Hierosolymitano Catechesi mystagogicâ 5. ubi sic ait : *Non expansis manuum volis accede, sed sinistram veluti sedem quandam supponens dextræ quatàntum Regem susceptura est, concavâ manu corpus Christi suscipe.* Hinc sermone de lapsis refert Cyprianus, aliquem cùm manibus immundis Eucharistiam sibi à Sacerdote datam recepisset, nihil in ipsis nisi cinerem invenisse : Ergo etiam nunc potest laïcus, saltem in casu necessitatis, sibi ipsi Eucharistiam ministrare. Unde præterito sæculo, Maria Stuart, Regina Scotiæ, martyrium subitura, & impiæ Elizabethæ jussu mortem passura, Eucharistiam propriis manibus sumpsit, ut refert P. Nicolaus Caussinus in historia martyrij ejusdem Reginæ.

21. Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam : tum quia tunc nulla de tali communionis usu extabat prohibitio, uti extat nunc : tum etiam, quia cæremonia illa quæ antiquitùs servabatur, ut communicaturi acceptam Eucharistiam è manibus Sacerdotis ipsi sibi ori applicarent, non erat propriè Eucharistiæ administratio, sed applicatio potiùs ad os ipsius communicaturi : sicut quando communicans linguâ vel digito applicat sumptum sacramentum gutturi, ut illud commodè deglutiat : ministrare enim propriè est ipsum sacramentum tribuere, ac donare, quod solùm exercebat Sacerdos, tribuendo Eucharistiam communicaturo, ut ipse sibi ad proprium os illam applicaret. Ad exemplum verò Reginæ Scotiæ, respondeo cum illa dispensatum fuisse à Pio V. ut Caussinus libro citato asserit.

DISPUTATIO XI.

De sacrificio Missæ.

Ad quæstionem 83. *D. Thomæ.*

SICUT in veteri testamento Agnus Paschalis non solùm habuit rationem sacramenti, sed etiam sacrificij ; ita & in nova lege Eucharistia utramque sortitur rationem, cùm non solùm instituta sit in salutem animarum nostrarum, ut cætera sacramenta, sed etiam in peculiarem cultum Dei, quomodo habet rationem sacrificij, quo supremum ipsius dominium, & potestatem quam habet in vitam & in mortem omnium protestamur. De Eucharistia in ratione sacramenti considerata, huc usque disputavimus ; nunc superest nobis agendum de Missæ Sacrificio, circa quod variæ & celebres occurrunt difficultates & controversiæ, breviter hic discutiendæ. Plura verò quæ de sacrificio in communi, variisque ejus speciebus, aliqui Theologi hic fusè expendunt, prætermittimus, quia de his sufficienter egimus in Tractatu de quatuor Virtutibus Cardinalibus, explicando actus externos religionis, inter quos sacrificium præcipuum locum obtinet. *Disp. 3. art. 3.*

Articulus Primus.

An Missa, seu celebratio Eucharistiæ, sit verè ac propriè sacrificium?

§. I.

Hujus nominis, Missa Etymologia, & antiquitas explicantur.

1. NOmine *Missæ* actio illa sacra intelligitur, quâ in Ecclesia Catholica conficitur Eucharistia, multis præcedentibus & subsequentibus precibus, & cæremoniis, quam actionem Græci *Liturgiam* vocant. Difficultas verò & controversia est inter Authores, an vox illa *Missa* Hebraïca sit, vel Latina ? Hebraïcam esse docet Concilium Senonense in decretis fidei cap. 11. tenentque plures Scriptores, cum Cardinali Baronio tomo 1. anno Christi 34. num. 59. ubi hæc scribit : *Neque tamen prætermittendum, quod cùm multa sint hujus sacrificij nomina, illud est antiquissimum, & apud Latinos usitatius, atque frequentius*, Missa, *quod quidem (sicut & Christiana fides profitetur) ex Hebraïca, vel Chaldaica nomenclatura acceptum esse videtur. Quod enim in nostra Vulgata legitur Deuteron. 16. spontanea oblatio, Hebraïcè & Chaldaïcè dicitur Missah, quam offerebant Domino in gratiarum actionem de fructibus terræ, quâ & vescebantur in templo, cum recordatione præteritæ servitutis, & ab eadem liberationis. Quæ quidem omnia, cùm optimè conveniant prædicto à Christo instituto sacrificio ; eo potius Majores nostri usi sunt nomine, quàm cujuspiam alterius sacrificij.*

2. Alij verò censent, vocem illam, nullo modo Hebraïcam esse, aut ab Hebraïca derivatam ; alioquin eam omnes Christianæ nationes, sicut alias hujusmodi retinuissent, quales sunt *Amen, Alleluya, sabaoth, &c.* Nam & Græci his omnibus utuntur, voce autem *Missæ* non item, sed pro *Missa, Liturgiam* dicunt. Imò Syri & Maronitæ, qui Chaldaïcâ linguâ Missam celebrant, vocem *Missæ* non habent, & ex SS. Patribus Origenes, Justinus, Epiphanius & Hieronymus, Hebraïcæ linguæ periti, hac voce nunquam usi sunt. Hanc ergo vocem volunt esse Latinam, à verbo *mitto* deductam, & nonnulli cum Hugone à S. Victore lib. 2. de sacramentis p. 8. cap. ultimo existimant celebrationem Eucharistiæ *Missam* dici, ex eo quod in illa oblatio & preces ad Deum mittantur ; sicque illorum verborum quæ in fine *Missæ* dicuntur, *Ite Missa est*, sensum esse, abire licèt, quia oblatio & hostia salutaris jam transmissa est cum precibus ad Deum pro vobis. Ita D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 58. ubi hæc scribit : *Dicitur Missa quasi transmissio, eò quòd populus*

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulus fidelis per ministerium Sacerdotis qui fungitur vice mediatoris inter Deum & homines, preces & supplicationes & vota transmittat Altissimo. Ipsum verò sacrificium, id est hostia, Missa vocatur, quasi transmissa: primium nobis à Patre, ut esset nobiscum per incarnationem; postea Patri à nobis, ut intercedat pro nobis ad ipsum per passionem; ut & in sacramento primùm nobis à Patre per sanctificationem, postea Patri à nobis per oblationem. Similia docet S. Thomas hìc artic. 4. ad 9. his verbis: *Propter hoc etiam Missa nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per Sacerdotem. Vel quia Christus est hostia nobis missa à Deo, unde & in fine Missæ Diaconus in festivis diebus populum licentiat dicens, Ite Missa est, scilicet hostia ad Deum per Angelum, ut scilicet sit Deo accepta.* Non pauci verò cum Alcuino lib. de officiis Ecclesiasticis, cap. de celebratione Missæ, Missam dici volunt à missione seu dimissione populi, ut idem sit *Missa*, quod missio; sicut idem sunt collecta & collectio, sicque illorum verborum, *Ite Missa est*, sensum esse, jam dimissio est congregationis, abire omnibus licet, quia jam dimissi estis.

3. Quidquid sit de hujus nominis etymologia, & significatione, certum est illud esse antiquissimum, ut ostendit Baronius ubi suprà nùmero 60.
» dicens: [Eâ voce usa videtur suo ipsius exordio
» Romana Ecclesia: nam Pius Papa, proximus
» Apostolorum temporibus, scribens ad Justum
» Episcopum Viennensem, idem sacrificium Mis-
» sam vocans, sic dicit, ut habetur tomo 1. Biblio-
» thecæ veterum Patrum: *Soror nostra Euprepia,*
» *sicut benè recordaris, titulum domûs suæ pauperi-*
» *bus assignavit; ubi tunc cum pauperibus nostris*
» *commorantes*, Missas *agimus*. Item Cornelius
» Papa Epistolâ ad Lupicinum Viennensem Epis-
» copum, his utitur verbis: *Publicè, neque cryptis*
» *notio ibus*, Missas *agere Christianis licèt*. Eodem
» usi sunt nomine cæteri Romani Pontifices quos
» longum esset sigillatim recensere. In Concilio
» Romano, sub Sylvestro in fine: in Concilio
» Carthaginensi 2. canone 3. in Concilio Aga-
» thensi cap. 47. & aliis, Patres qui interfuerunt,
» eodem quoque *Missæ* pronomine, ipsum in-
» cruentum sacrificium nominarunt, sicut & Am-
» brosius ad Marcum Epistolâ 33. Augustinus ser-
» mone 251. de tempore, Victor Uticensis libro 2.
» de persecutione Vvandalorum, ac denique cæte-
» ri, & post ipsos Recentiores omnes.] Hæc ibi Baronius.

4. Declaratâ igitur hujus nominis etymologiâ & antiquitate, celebris est Catholicorum cum hæreticis concertatio, an actio illa sacra quâ in Ecclesia Catholica conficitur Eucharistia, & quæ *Missa* appellari solet, sit verè & propriè sacrificium? Hoc enim negant hujus temporis hæretici, cum Luthero & Calvino, dicentes in nova lege solùm debere dari sacrificium spirituale & improprium, quia *Veri adoratores in spiritu adorabunt Patrem*, ut dicitur Joannis 4. & Christum Dominum dedisse quidem nobis mensam in qua epulemur, sed non altare super quod victimas offeramus; nec Sacerdotes consecrasse qui immolent, sed Ministros qui sacrum epulum distribuant; ideóque ipsi suos Parochos Ministros vocant, non Sacerdotes. Itaque in celebratione Eucharistiæ non agnoscunt nisi quoddam improprium sacrificium, id est sacrificium laudis, aut nudam quandam memoriam crucis, non verò proprium sacrificium quod propitiatorium sit; quia (inquiunt) sacrificium crucis, cùm fuerit infiniti valoris, de se sufficientissimum fuit ad placandum Deum, eique pro omnibus peccatis satisfaciendum. Catholici è contra censent Missam, sive celebrationem Eucharistiæ, esse verè & propriè sacrificium, & Christum in ea ut victimam Patri per manus Sacerdotum immolari & offerri, & simul in escam, & cibum spiritualem animæ, fidelibus distribui, & locum in quo celebratur, non solùm mensæ, sed etiam altaris rationem habere, juxta illud Apostoli ad Hebræos 13. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.*

§. II.

Hæreticorum error refellitur, & veritas Catholica defenditur & stabilitur.

Dico igitur, Missa, sive celebratio Eucharistiæ, est verè & propriè sacrificium.

Probatur primò: Lex gratiæ, seu Ecclesia Christi, habet verum & sibi proprium sacrificium: Sed verum & proprium legi gratiæ sacrificium, nullum aliud esse potest, præter Missam: Ergo Missa est verè & propriè sacrificium. Minor est certa, sacrificium enim crucis non est proprium legi Christianæ, sed commune omnibus legibus, tanquam finis earum. Item licèt fuerit sensibile, est tamen modò insensibile, quia solâ fide apprehenditur, cùm tamen de ratione sacrificij veri sit quod sit signum sensibile. Major verò, quam negant hæretici, probatur primò ex Scriptura: nam apertissimè Malachiæ 1. prænuntiatur futurum sacrificium in lege Evangelica, cùm dicitur: *Ab ortu Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur*, tamen pro tempore futuro loquitur, hic enim est frequens mos Prophetarum, ut propter certitudinem prædictionis, futura quasi præsentia vel præterita nuntient, juxta illud Psal. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea*, id est divident.

Nomine autem sacrificij, non possunt intelligi sacrificia Judæorum, quia illa non fuerunt in Gentibus, nec *in omni loco ab ortu Solis usque ad occasum*, sed solùm in Judæa. Nec etiam intelligi possunt sacrificia Gentilium fidelium (aliqui enim Gentilium tunc habuerunt veram fidem Dei) ut interpretatur Arias Montanus super caput 1. Malachiæ. Tum quia Gentiles isti fideles qui tunc erant, pauciissimi inveniebantur: Propheta autem loquitur de sacrificio futuro *in Gentibus, & omni loco, ab ortu Solis usque ad occasum.* Tum etiam, quia non erat tunc in Gentibus aliqua oblatio ita munda, quod superaret in puritate & sanctitate sacrificia Judaïca, cùm apud Judæos esset tunc expressior Dei fides, notitia, & cultus, quàm apud alias Gentes. Addo quod ibi significatur futuram unam oblationem tantùm, cùm tamen apud Gentiles variis modis sacrificia ista essent diversa.

Nec demum valet responsio Calvini dicentis Prophetam loqui de sacrificio invisibili & spirituali, quod consistit in fide crucis Christi, oratione, gratiarum actione, & aliis bonis operibus. Nam contra est primò, quòd sacrificium spirituale & impropriè dictum, non solet appellari sacrificium absolutè, sed cum addito, nempè sacrificium laudis, sacrificium justitiæ, vociferationis, labiorum, &c. Secundò, Propheta ibi loquitur de oblatione munda: omnia autem nostra bona opera, sunt in doctrina Sectariorum immunda. Tertiò, Propheta loquitur de oblatione nova, & succedente sacrificiis legis Mosaïcæ: Sed bona opera, & fides Christi, non succedunt sacrificiis Judaïcis, sed omnibus justis communia sunt, tam Judæis quàm Gentilibus; & in quocumque loco fuit fides veri Dei, fuit etiam hoc genus sacrificiorum, id est opera bona, & fides passionis Christi: Ergo, &c. Demum SS. Patres Irenæus lib. 4. cap. 32. Chrysostomus in Ps. 95. Augustinus contra Adversarium legis & Prophetarum cap. 20. Damascenus lib. 4. cap. 14. & Justinus Martyr in dialogo cùm Triphone, locum illum Malachiæ exponunt de sacrificio Missæ.

6. Nec obstat quod Augustinus libro 2. contra litteras Petiliani cap. 86. & Hieronymus super caput 1. Malachiæ, verba illa de sacrificio laudis interpretantur, ut opponit Calvinus: nam ita hunc locum de sacrificio laudis interpretantur, ut non excludant proprium sacrificium: revera enim sacrificium Missæ cum laude offertur, & vocari potest sacrificium laudis, dummodò non excludatur proprium sacrificium. Augustinum verò illud non excludisse, constat manifestè ex lib. 18. de civitate cap. 35. ubi post verba Malachiæ relata inquit: *Hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, cum omni loco, à Solis ortu, usque ad occasum jam videamus offerri*, &c. Similiter licèt Hieronymus eo ipso loco Malachiæ, dicat spirituales victimas & tymiama orationum successura victimis carnalibus, addit tamen, *offerri in omni loco oblationem mundam, ut in cæremoniis Christianorum*, quòd utique est sacrificium proprium.

7. Probatur secundò Major principalis alio Scripturæ testimonio: Danielis enim 11. quidam Rex dicitur ablaturus juge sacrificium: Rex autem ille secundùm litteram est Antiochus, & per allegoriam Anti-Christus, ut fatentur Sectarij; quare sensus doctrinæ illius loci est quod sicut Antiochus abstulit juge sacrificium Judæorum, ita Anti-Christus in fine mundi auferet juge sacrificium Christianorum. Porro juge sacrificium Christianorum auferendum in fine mundi, esse verum & proprium sacrificium, non verò, ut respondent Adversarij, improprium & spirituale, consistens præcisè in prædicatione, & sacramentorum administratione, ex eo convincitur, quod sicut Antiochus fuit figura Anti-Christi, ita juge sacrificium Judæorum, de quo secundùm litteram loquitur Daniel, fuit figura nostri: Ergo est sacrificium propriè dictum, alias typus nostri sacrificij fuisset perfectior in ratione sacrificij, nostro sacrificio, quod est absurdum.

8. Si dicas, ex allegoriis Scripturæ non desumi solidum argumentum. Respondeo quasdam allegorias explicari ab ipsamet Scriptura, alias non explicari: ex his autem quas Scriptura explicat, non minùs solidum argumentum deduci, quàm ex sensu litterali: nostram verò allegoriam explicari ab ipsa Scriptura patet, quia quæ Daniël scribit de Antiocho, explicantur 2. ad Thessalon. 2. de Anti-Christo. Adde quod ipse Daniël cap. 11. dicit Regem qui auferet juge sacrificium, contra omnes Deos pugnaturum, neque Deum patrum suorum reputaturum; quæ tamen non possunt intelligi de Antiocho, utpotè quem constat palam coluisse Deos patrum suorum, ut D. Hieronymus in commentariis ostendit: benè

tamen de Anti-Christo, qui extollet se super omne quod dicitur Deus, ut ait Apostolus loco citato.

His locis addo alterum ex Psal. 71. versu 16. 9.
desumptum, ubi vulgata nostra lectio sic habet: *Erit firmamentum in terra, in summis montium:* quæ verba alij ex Hebraïco fonte sic reddunt: *Erit particula frumenti in terra, in capite montium.* Sed Rabbi Jonathas, qui ante Christum natum scribebat, paulò aliter explicat: *Placenta* (inquit) *panis siet sacrificium in capitibus Sacerdotum qui sunt in Ecclesia.* Quibus verbis nihil potuit dici clarius ad sacrificium Missæ increuentum significandum: quomodo enim placenta panis fit sacrificium in capitibus Sacerdotum, nisi cùm hostia ex triticeo pane confecta, consecratur à Sacerdotibus in Ecclesia, & post consecrationem super capita Sacerdotum attollitur, & adoranda populo proponitur?

Tertiò Major principalis probatur: In Ecclesia 10.
Christi datur altare: Ergo & verum & proprium sacrificium. Consequentia patet, quia sacrificia spiritualia, & bona opera, non indigent altari ut fiant, sed solùm sacrificium propriè dictum. Antecedens verò negatur à Calvino, sed docetur ab Apostolo ad Hebræos 13. ubi ait: *Habemus altare*, Græcè θυσιαστήριον, id est sacrificatorium, *de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt:* Ergo verum & proprium, sacrificium in lege nova reperitur. Unde Actuum 13. de Apostolis dicitur λειτουργούντων αὐτῶν τῷ κυρίῳ, id est, ut Erasmus ipse interpretatur, *sacrificantibus ipsis Domino.*

His Scripturæ & Patrum testimoniis succedit 11.
ratio, quâ eadem Major suadetur: Nam Christus Ecclesiam suam instituens, & novam legem condens, non debuit eam destituere eo genere cultûs, quo maximè Deus colitur, & quod omni hominum generi & nationi notissimum fuit: Sed modus colendi Deum per sacrificium est hujusmodi; cùm per illud supremam Dei excellentiam & potestatem, summumque quod habet in vitam & in mortem dominium protestemur. Nulla etiam fuit lex seu religio vera vel falsa, sine sacrificio, ut ex historiæ sacræ ac prophanæ Authoribus liquet, præsertim ex Plutarcho contra Colotonem, dicente fuisse quidem urbes aliquas nullis mœniis occlusas, nullis litteris vel scientiis aut artibus expolitas, à nullis ducibus aut principibus gubernatas; sed nullam hactenus fuisse sine aliquo cultu externo & sacrificio, quo veram aut falsam divinitatem coleret: additque urbes sine fundo potiùs aut terra reperiri posse, quàm sine aliquo visibili cultu & sacrificio, quo cultum seu venerationem divinitatis sive veræ sive falsæ protestetur. Unde Augustinus 19. contra Faustum ait: *In nullum nomen religionis, sive verum sive falsum coadunari homines posse, nisi aliquo sacrificiorum & sacramentorum visibilium consortio colligentur:* Ergo in nova lege & in Ecclesia reperitur aliquod verum & proprium sacrificium.

Confirmatur: Sacrificium est de jure naturæ, 12.
ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 85. art. 1. Sed quod est de lege naturæ, non tollitur, sed confirmatur per legem gratiæ: Ergo in lege gratiæ datur aliquod verum & proprium sacrificium.

Confirmatur ampliùs: Nulla est ratio ob quam 13.
Christiana Respublica careat potiùs sacrificio vero & sibi proprio, quo publicè Deum colat, quàm Synagoga, vel Ecclesia quæ fuit tempore legis naturæ: Ergo non debet illi denegari. Consequentia

Universidad de Deusto
Biblioteca

sequentia patet, Antecedens probatur. Si quæ A
afferri posset ratio, illa esset quam assignant Sectarij, nimirum, quia Christus per sacrificium Crucis plenè satisfecit pro peccatis omnium hominum: Sed hæc ratio non valet: Ergo, &c. Minor probatur: Tum quia Christus in Cruce satisfecit pro peccatis hominum, non solùm in nova lege existentium, sed etiam pro peccatis eorum qui fuerunt in lege naturæ, & in lege scripta; & tamen in utraque illa lege, vera fuerunt sacrificia. Tum etiam, quia licèt Christus in Cruce perfectè quoad sufficientiam pro nobis satisfecerit, tamen quoad efficaciam requiritur ampliùs quod satisfactio illa nobis applicetur per instrumenta & media quibus in nos passio Christi sua merita influat, quæ media sunt sacramenta & Missæ sacrificium. Unde egregiè Cæsarius Arelatensis homiliâ 7. de Paschate: *Quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & sydera ascensurus, necessarium erat ut nobis in hoc die Sacramentum Corporis & Sanguinis consecraret, ut coleretur jugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium; ut quia quotidiana, & indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua etiam esset redemptionis oblatio, & perennis victima viveret in memoria, & semper præsens esset in gratia: verè unica perfecta hostia, fide æstimanda, non specie; non exteriori censenda visu, sed interiori aspectu.*

14. Probatur secundò conclusio: Christus instituendo Eucharistiam, verum Deo obtulit sacrificium: Ergo cùm in Missa illud idem fiat quod ipse fecit, juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem*, Missa est verum in nova lege sacrificium. Consequentia patet, Antecedens verò probatur primò ex SS. Patribus asserentibus Christum in cœna ultima hoc sacramentum instituentem, verè sacrificasse; & sicut Agnus paschalis priùs sacrificabatur, posteaque in cibum dabatur: ita Christum priùs seipsum sacrificasse, & postea se in cibum dedisse. Ita docent Gregorius Nyssenus homiliâ 1. de resurrectione. Hesychius lib. 2. in Leviticum. Cyprianus sermone de cœna, & Epistolâ 63. Leo Papa serm. 7. de D
Passione, & Rupertus lib. 2. in Exodum cap. 6. & alij. Verba Nysseni hæc sunt: *Qui omnia pro Dominica potestate & authoritate administrat, non expectat Pilati judicium; sed per ineffabilem & arcanum sacrificij modum, sua dispositione & administratione præoccupat impetum violentum, ac sese in oblationem, & victimam offerri pro nobis, Sacerdos simul & agnus Dei. Quando hoc accidit? Cùm suum corpus ad edendum, & sanguinem suum ad bibendum familiaribus præbuit. Cuilibet perspicuum est, quòd ove vesci homo non possit, nisi comestionem mactatio præcesserit. Cùm igitur dederit Discipulis suis corpus ad comedendum, apertè demonstravit, jam fuisse perfectam & absolutam immolationem.* Cyprianus verò Epist. citatâ hæc scri- E
bit: *Quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster & Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit; obtulit hoc ipsum quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, hoc est, corpus & sanguinem suum?*

15. Probatur secundò Antecedens: Christus est Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, ut ex Psalmo 109. confirmat Apostolus ad Hebræos 7. & 8. Sed nisi instituendo Eucharistiam obtulerit Deo Patri verum sacrificium, non potest verè talis appellari: Ergo instituendo Eucharistiam verum obtulit Deo sacrificium. Minor probatur: Ut Christus dicatur Sacerdos secundùm ordinem sive secundùm ritum Melchisedech, oportet quod conveniat cum Melchisedech in ritu offerendi verum Sacrificium: Sed non convenit cum eo in tali ritu, nisi instituendo Eucharistiam, obtulerit Deo Patri verum sacrificium; ut enim salvetur hæc convenientia, necesse est quod sicut Melchisedech verè in pane & vino sacrificavit; ita Christus in pane & vino, sive sub speciebus panis & vini, Deo obtulerit verum sacrificium: Ergo, &c.

Hæretici ut vim hujus probationis declinent, dicunt Melchisedech, non in sacrificium, sed ad reficiendos milites Abrahæ, qui fatigati ex prælio redibant, panem & vinum obtulisse. 16.

Sed hæc responsio est contra doctrinam Patrum, Clementis Alexandrini lib. 4. Stromatum circa finem, Cypriani libro 2. Epistolâ 3. Eusebij Cæsariensis libro 5. demonstrationum Evangelicarum, Augustini Epistolâ 95. ad Innocentium Papam, Hieronymi Epistolâ ad Marcellam, Ambrosij libro 5. de Sacramentis cap. 1. & aliorum explicantium locum Genesis 14. de oblatione panis & vini in sacrificium. Eodem modo illum explicant & intelligunt plures veteres ac celebres Rabini, quos refert Genebrardus, Judaïcarum rerum peritissimus, in Chronologia, in exordio tertiæ ætatis. Verba ejus hæc sunt: *Rabbi Moses Haddarsam ad Berisith Rabba, contendit Melchisedech tunc Messiæ ritum incruentæ sacrificationis aliquando introducturi, speciem, & personam sustinuisse. Rabbi Moses & Salomon, ordinarius Hebræorum Interpres, exponens caput 16. Geneseos, & historiam Melchisedech, è veterum Rabinorum scriptis docet protulisse Melchisedech panem & vinum, ut Mosaicæ legis sacrificia farinacea, & libamina repræsentaret. Vult igitur iste Rabbinus, tunc Melchisedech sacrificasse. Cæteras quoque res Melchisedechi, plenas fuisse perfectionis & mysterij, Rabbi Levi a Talmudicis asseverat, quod B. Paulus prosequitur in Epistola ad Hebræos.* C

Præterea, tres loco citato Genesis narrantur actiones Melchisedech, quorum duæ posteriores, sunt planè Sacerdotales, benedicere Abrahæ, & decimas ab eo accipere: Ergo prima ejus actio, quæ ibidem narratur, proferendi panem & vinum, etiam fuit Sacerdotalis, & ad sacrificium pertinens.

Hoc ipsum evidenter patet ex verbis illis proximè adjunctis, *Erat enim Sacerdos Altissimi:* nam illa particula *enim*, cùm sit causalis, denotat, cur Melchisedech protulerit panem & vinum, hanc fuisse causam; quod cùm ille esset Sacerdos Dei, & res illas soleret Deo sacrificare; voluit ex eisdem rebus sacrificium Eucharisticum pro victoria Abrahæ offerre Deo.

Nec obstat quod pro illa particula *enim*, quæ est causalis, aliæ translationes habent particulam *Et*, vel *autem*, hoc modo, *Et ipse erat Sacerdos*, vel *Erat autem Sacerdos*. Nam ut rectè observavit Pererius in Genesin, verba illa exponens: particula copulativa (*vau*) Latinè (*Et*) sepè in Hebraïca lingua usurpatur pro particula *enim*, vel *quia*, quod variis exemplis illustrat & confirmat. Nam Genes. 20. ubi vulgata habet. *En morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim virum*, Hebraïcè est; *Et ipsa habet virum.* Item Genes. 30. ubi sic legitur: *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te*, Hebraïcum habet: *Expertus sum, & benedixit mihi Dominus.* Item

Jansenius

Jansenius exponens verba illa Lucæ 2. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui,* A
observat positum esse *Et*, pro *quia*, idemque multò antea annotaverat Theophilactus. Cùm ergo Latinus Interpres, hujus consuetudinis linguæ Hebraïcæ peritus, animadverteret illud *Et* Hebraïcum, loco citato Genesis, idem significare ac *enim*, vel *quia*, & hujusmodi particulis causalibus æquipollere, sic vertit: *At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, &c.*

17. Demum suaderi potest conclusio: Omnes ad sacrificium propriè sumptum necessariæ conditiones exactè concurrunt in Missa: ibi enim reperitur oblatio rei sensibilis, scilicet corporis & B
sanguinis Christi, sub accidentibus panis & vini Deo facta: nam ut ait Augustinus libro 4. de Trinit. cap. 14. *Quid tam gratè offerri & suscipi posset, quàm caro sacrificij nostri, corpus effecta Sacerdotis nostri?* Non deest etiam Minister legitimus, scilicet Christus, & Sacerdotes, quibus dicendo, *Hoc facite in meam commemorationem*, potestatem ad hoc dedit; est enim usitatum in Scriptura, ut verbum *facere* pro sacrificare usurpetur, Lucæ 2. *Ut facerent secundùm consuetudinem legis*, hoc est ut sacrificarent. Reperitur quoque in Missa sufficiens hostiæ immutatio, non quidem per mortem veram & realem Christi, sed vel per consumptionem specierum, quæ fit à C
Sacerdote celebrante, ad quam corpus & sanguis Christi amittunt esse sacramentale; vel per hoc quod ex vi verborum consecrationis, sanguis ponatur seorsim à corpore, licèt per concomitantiam simul cum eo existat. Tandem in ea est recognitio supremi Dei dominij, cùm ad hoc fiat illa oblatio & immutatio hostiæ: Ergo Missa est verè & propriè sacrificium.

§. III.

Hæreticorum objectiones solvuntur.

18. OBjiciunt primò hæretici: Quod est sacramentum & testamentum, non est sacrificium propriè sumptum: Sed Eucharistia est sacramentum & testamentum: Ergo non est sacri- D
ficium propriè sumptum. Minor est certa, Major verò probatur. Rationes sacramenti & testamenti pugnant cum ratione sacrificij, quandoquidem sacrificium offertur Deo, Sacramentum autem nobis datur à Deo, & testamentum est promissio hæreditatis à Deo habendæ: ridiculum autem est dicere quod hæres det aliquid testatori per testamentum ipsum: Ergo, &c.

19. Respondeo distinguendo Majorem: Quod est sacramentum & testamentum, non est sacrificium, secundùm eandem rationem, concedo Majorem: secundùm diversam, nego Majorem. Similiter concessa Minori, distinguo Consequens: Ergo Eucharistia non est sacrificium, se- E
cundùm eandem rationem quâ est sacramentum, vel testamentum, concedo: secundùm diversam, nego. Quemadmodum enim Agnus Paschalis in lege veteri sacramentum erat & sacrificium: sacramentum, quatenus erat signum visibile invisibilis gratiæ; sacrificium, inquantum Deo offerebatur. Ita Eucharistia, quatenus nobis relicta, ut sit signum nostræ sanctificationis, habet rationem sacramenti; quatenus autem Deo offertur in recognitionem supremi dominij quod habet in vitam & in mortem, habet rationem sacrificij; inquantum verò est portio legati nobis testamento relicti; & pignus accipiendi residuum, nempè gloriæ cœlestis hæreditatem; sive quatenus est instrumentum publicum divinæ voluntatis & promissionis, habet rationem testamenti, seu signaculi voluntatis Christi testatoris: sicut Exodi 24. sanguis victimarum, effusus super populum, fuit simul sacrificium & testamentum.

Neque est repugnantia, illud idem quod à Deo accepimus, ipsi offerri à nobis. Tum quia nihil possumus Deo dare vel offerre, quod ab ipso priùs non acceperimus, juxta illud 1. Paralip. 29. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Tum etiam, quia non repugnat aliquid Deo dari, id est offerri ab hominibus, quatenus ad ipsius majestatem protestandam immutatur, & idem dari hominibus à Deo, quatenus Deus illud ipsum refert ad hominum utilitatem. Sic Christi opera meritoria, Deo donabantur, seu offerebantur à Christo; & tamen ipsi ad gloriam corporis, & nominis sui exaltationem, nobisque ad salutem profuerunt, & eatenus nobis donata sunt. Sic etiam in lege veteri sacrificia multa cedebant in usum Sacerdotum, & aliorum.

Objiciunt secundò: Quod Christus fecit in- 20.
stitutione sacramenti Eucharistiæ, & ejus celebratione, non fuit verè sacrificium: Ergo neque quod fit modò in Missa. Consequentia patet, Antecedens verò probatur, quia alias sacrificium illud quod Christus obtulisset, cùm fuisset valoris infiniti, consummasset nostram redemptionem, atque ita non fuisset opus cruento sacrificio Crucis, ut illam consummaret.

Respondeo negando Antecedens: nam ut 21.
suprà arguebamus, Christus Dominus habet Sacerdotium rigorosè & propriè dictum, secundùm ordinem Melchisedech: Ergo id quod obtulit secundùm ordinem & ritum talis Sacerdotij, est sacrificium propriè dictum; Sacerdotium enim correlativè se habet ad sacrificium propriè dictum, juxta illud Apostoli ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex constituitur ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Ad probationem in contrarium dico, quod sicut alia Christi opera, quamvis infinitè meritoria & satisfactoria, subordinata erant passioni, per quam erant consummanda quoad redemptionem; sic & sacrificium incruentum, ab ipso ante passionem celebratum, fuit juxta Dei pactum & beneplacitum, subordinatum passioni, quâ redemptio nostra consummaretur, juxta illud quod canit Ecclesia: *Qui salutem humani generis in ligno Crucis constituisti*; ideóque suum passioni, & cruento sacrificio Crucis, locum non defuisse.

Objiciunt tertiò: In nova lege nullum est sa- 22.
crificium propriè dictum, saltem ipsi proprium: Ergo Missa non est verè sacrificium. Consequentia patet, Antecedens probatur primò. Christus Dominus Samaritanæ interroganti, an deberet Deus coli & adorari in Templo, vel in monte Garizim? Respondet Joan. 4. *Mulier, crede mihi, quia venit hora quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis, adorabitis Patrem.* Et subdit rationem, *quia veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Spiritus est Deus, eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Ubi adorare idem est ac sacrificare, quæstio enim erat inter Judæos & Samaritanos, quo in loco deberet offerri sacrificium; & ita sumitur adorare Genes. 22. *Postquam adoraverimus, revertemur, ad vos,* & Actorum 8. *Venerat adorare*

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Jerusalem: Ergo Christus pro lege nova solùm constituit sacrificia spiritualia & invisibilia, non externa & visibilia. A

Secundò, Cùm Christus sit Sacerdos in æternum, ut ait Paulus ad Hebræos 7. & in veteri lege ideò solùm multiplicarentur Sacerdotes, quia morte prohibebantur permanere; in lege gratiæ nulli debent esse Sacerdotes Christo succedentes: Ergo nec sacrificia, Sacerdotium enim & sacrificium sibi mutuò correspondent, ut suprà ex eodem Apostolo ostensum est.

Tertiò, Sacrificium Crucis habet vim infinitam & semper manentem, unde Apostolus ad Hebræos 10. *Unâ oblatione* (Christus) *consummavit in sempiternum sanctificatos*. Et Christus Joan. 19. per illam vocem, *Consummatum est*, B satis expressit, uno sacrificio Crucis se complevisse omnia quæ ad nostram salutem necessaria erant: Ergo superfluum est omne aliud sacrificium: imò aliud constituere, videtur esse negare virtutem & sufficientiam sacrificij Crucis.

23. Respondeo negando Antecedens. Ad cujus primam probationem dico, Christum in colloquio illo quod cum Samaritana habuit, solùm declarare voluisse, quod neque in monte illo, neque in Hierusalem, imposterum adoraretur aut coleretur Deus sacrificiis carnalibus Judæorum, non tamen negasse futuram aliam adorationem & sacrificium, quod omnino spirituale esset, quoad suam virtutem & modum existendi rei C oblatæ, nempè sacrificium Eucharistiæ, in quo Christus invisibili & sacramentali modo continetur, licèt sit visibile ex parte specierum quibus continetur, & cæremoniarum quibus celebratur. Unde qui hoc sacrificio Deum colit, in spiritu & veritate adorat.

Ad secundam dicendum quod licèt ex eo quòd Christus sit Sacerdos in æternum, non habeat successores in Sacerdotio, & consequenter non sint modò Sacerdotes paris cum eo potestatis, non tamen inde fit quod nullos habeat Sacerdotes vicarios, ministros, & dispensatores; quin potiùs cùm jam non fungatur suo Sacerdotio, per se & immediatè offerendo, sacrificia, necesse D est quod habeat plures vicarios, per quos hoc faciat, & Sacerdotio fungatur, juxta illud 2. ad Corinth. 5. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos*. Neque repugnat unitati Sacerdotij Christi, plures habere in terris ministros, qui vice ipsius visibile offerant sacrificium: sicut licèt Christus unus sit Doctor & Magister noster, ut dicitur Matth. 23. hoc tamen non impedit, quin plures habeat in terris ministros, qui vice ipsius doceant, & gregem pascant verbo & doctrinâ.

Ad tertiam probationem dico quod licèt sacrificium Crucis habeat vim infinitam & semper manentem ad sanctificandum, ut tamen ejus effectus nobis efficaciter applicetur, egemus alio sa- E crificio quod ab eo dependeat, vimque suam ex ipso habeat, quale est sacrificium Missæ. Verba autem illa, *Consummatum est*, quæ Christus antequam spiritum emitteret, protulit, ab illo dicta sunt, tum ob consummationem Scripturarum, quæ omnes in Christi morte fuerunt verificatæ: tum propter singularem paterno præcepto de morte subeunda obedientiam.

24. Instant Sectarij, & dicunt, effectum sacrificij Crucis nobis sufficienter applicari, per prædicationem verbi, administrationem Cœnæ Domini, & Baptismum.

Sed hæc instantia, si quid valeret, concluderet etiam supervacaneam esse Cœnam Domini, quia fructus Crucis satis applicatur per Baptismum: imò Baptismum inutilem esse, cùm sola prædicatione verbi divini excitari possit fides per quam applicetur fructus Crucis. Licèt ergo, si Deus voluisset potuisset effectus sacrificij Crucis, nobis sufficienter applicare per unicum medium, placuit tamen ipsi varia media instituere, quibus plenius, faciliùs, & suaviùs, effectus ille nobis applicaretur: unum autem ex illis mediis dicimus esse sacrificium Missæ.

Objicies quartò: Hostia quæ in sacrificio of- 25.
fertur, debet occidi: Sed Christus qui in Missa offertur, non occiditur: Ergo Missa non est verum & proprium sacrificium.

Respondeo Majorem esse veram duntaxat in sacrificio cruento, qualia erant sacrificia legis antiquæ, in quibus animalia immolabantur, & quale fuit sacrificium Crucis: sacrificium autem Missæ, non est sacrificium cruentum, sed incruentum, quale fuit sacrificium Melchisedech; quamvis sit etiam repræsentativum sacrificij cruenti, in ara Crucis semel à Christo oblati; quatenus in sacrificio Missæ, sanguis Christi ex vi verborum ponitur separatim à corpore, fitque in eo mystica effusio sanguinis, *per gladium verborum*, ut Cyrillus loquitur. De quo fusiùs articulo sequenti.

§. IV.

Corollarium præcedentis doctrinæ.

EX dictis inferes, unicum esse in Ecclesia Eu- 26.
charistiæ sacrificium, nec posse aliud dari: Sacrificium enim Eucharistiæ, ex parte hostiæ & principalis offerentis, licèt non ex parte rei oblatæ, est infiniti valoris, & repræsentat sacrificium Crucis, imò est idem cum illo ex parte modi & rationis offerendi: Sed Crucis sacrificium ratione infiniti valoris fuit unicum, *unâ enim oblatione consummavit in æternum sanctificatos*, ut inquit Apostolus: Ergo pariter sacrificium Missæ unicum esse debet. Unde Tridentinum sess. 22. in principio, illud *singulare sacrificium* appellat, & Ecclesia oratione secretâ post septimam Dominicam Pentecostes, sic ait: *Deus qui legalium differentiam victimarum, unius sacrificij perfectione sanxisti*. Item Leo Papa serm. de passione sic habet: *Ut uno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum*.

Dices, Sacramenta multiplicantur in Ecclesia, 27.
non obstante quod per illa nobis communicetur efficacia sanguinis & passionis: Ergo etiam potest in ea dari multiplex Eucharistiæ sacrificium, quà-vis illud Christi passionem repræsentet. Unde Ecclesia in benedictione Cerei Paschalis, oblationem incensi sacrificium appellat, dicens: *Suscipe sancte Pater incensi hujus sacrificium vespertinum*.

Respondeo, concesso Antecedente, negan- 28.
do consequentiam & paritatem, diversa enim est ratio de sacramentis & de sacrificio: sacramenta enim primò & per se ordinantur ad sanctificandum nos, & ad dandum nobis effectus gratiæ per redemptionem & sanguinem Christi; unde cùm non repugnet effectus gratiæ & redemptionis multiplicari, etiam si ipsa passio & redemptio non multiplicentur; non repugnat, imò potiùs convenit, sacramenta in lege nova multiplicari; præsertim quia diversæ dispositiones exiguntur ad illos diversos effectus: v. g. ad

obtinendam primam gratiam, alia requiritur dis- A
positio, quàm ad augmentum illius: Sacrificium autem Eucharistiæ ordinatur ad repræsentandam passionem Christi ut in se est, & non solùm in effectu suo, id est in gratia nobis collata, imò est idem in substantia cum illo sacrificio, ut suprà dicebamus. Unde sicut passio illa fuit una in se, ita sacrificium Eucharistiæ unum tantùm esse debet.

Ad illud verò quod subjicitur de oblatione incensi in benedictione Cerei Paschalis, dicendum est, talem oblationem lato & improprio modo sacrificium ab Ecclesia appellari. Quod ex eo patet, quòd sacrificium à solo Sacerdote offerri possit, cùm sacrificium & Sacerdotium correlativa sint; illa verò oblatio incensi in benedictione Cerei Paschalis, à Diacono fieri soleat. B

ARTICULUS II.

In qua actione Missæ essentia sacrificij Eucharistici consistat?

SUpposito quod in Missa verum & proprium sacrificium Deo offeratur, ut contra Sectarios articulo præcedenti fusè ostendimus, superest explicandum, in qua actione Missæ, essentia talis sacrificij consistat?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

29. SUppono primò, sex potissimùm actiones in Missa reperiri, quarum aliquæ præcedunt consecrationem, aliæ sunt consecrativæ ipsarum specierum, aliæ verò ipsam consecrationem subsequuntur. Prima ex illis actionibus est oblatio panis & vini ante consecrationem, quæ Offertorium vocatur. Secunda est consecratio corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini. Tertia est oblatio post consecrationem ejusdem corporis & sanguinis, facta per illa verba: *Unde & memores nos servi tui, sed & plebs tua sancta Catholica, offerimus præclaræ majestati* D *tuæ*. Quarta est fractio hostiæ consecratæ in tres partes, quarum una mittitur in calicem. Quinta est sumptio hujus sacramenti à Sacerdote. Ultima est distributio hujus sacramenti facta populo. Ut autem certiora ab incertioribus separemus,

30. Suppono secundò, certum & indubitatum esse apud Theologos, nec in prima, nec in ultima actione consistere essentialiter Missæ sacrificium. In primis enim quod essentia hujus sacrificij non consistat in oblatione facta ante consecrationem, manifestum est. Primò ex eo quod Christus obtulit sacrificium Missæ perfectum, & tamen non legimus in Scriptura, neque ex ulla traditione E habemus, quod aliquam hujusmodi oblationem consecrationi præmiserit. Secundò, quia hæc cæremonia non semper fuit ab Ecclesia observata. Tertiò, ex eo quòd Ecclesia statim post illam oblationem satis significat, illam esse solùm quandam præparationem materiæ ad futurum sacrificium, ut constat ex aliquibus liturgiis, in quibus, post oblationem illam sic habetur: *Veni Sanctificator omnipotens, æterne Deus, & benedic hoc sacrificium, tuo sancto Nomini præparatum*. Denique ex eo quòd res oblata & immolata in sacrificio Missæ, est ipsummet corpus Christi

Domini, ut definit Tridentinum sess. 22. cap. 2. A
Per illam autem oblationem quæ fit ante consecrationem, non offertur corpus Christi Domini, utpotè nondum positum sub speciebus panis & vini, sed solùm ipsa materia consecranda, & convertenda in corpus & sanguinem Christi.

Denique quod nec in distributione Eucha- 31.
ristiæ sita sit essentia Sacrificij Missæ, non minùs evidens est: Tum quia potest verè & licitè celebrari sacrificium Missæ, absque hoc quod populus communicet, ut docet Tridentinum sess. 22. cap. 6. & can. 8. Tum etiam, quia distributio ista supponit sacrificium jam peractum, siquidem illa distributio est participatio ipsius sacrificij, B juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 10. *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Addo quod sacrificium non potest celebrari nisi à Sacerdote, illa verò distributio aliquando fieri potest à Diacono, ut disp. 10. art. 1. ostensum est: Ergo in illa, essentia sacrificij Eucharistici consistere nequit.

Difficultas ergo solùm superest de aliis quatuor 32.
actionibus, nimirum de consecratione, de oblatione quæ fit post illam, de fractione hostiæ, & de sumptione utriusque speciei; in qua scilicet ex his quatuor actionibus, essentialis ratio sacrificij Missæ consistat? In cujus difficultatis resolutione, tam variè opinantur Authores, ut tot ferè inveniantur placita, quot capita. Scotus C enim in 4. distinct. 13. quæst. 2. & Gabriël ibidem quæst. 1. art. 3. docent essentiam hujus sacrificij in sola oblatione quæ fit post consecrationem consistere. Ledesma in sola sumptione. Alanus, Vasquez, & Coninx, in sola consecratione: Bellarminus, Amicus, Ysambertus, & alij, in consecratione & sumptione: Melchior Cano in consecratione, oblatione, fractione, & sumptione. Nugno demum asserit consecrationem non esse de essentia incruenti Missæ sacrificij, sed ad illum sufficere aliquam ex aliis actionibus quæ consecrationem subsequuntur: Addit tamen, ordinem ad consecrationem esse de essentia sacrificij Missæ, eò quòd sacrificium Missæ sit oblatio Christi existentis sub speciebus Eucharisticis.

§. II.

Rejiciuntur plures ex illis sententiis.

33.

DIco primò: Oblatio quæ fit post consecrationem, non est tota essentia hujus sacrificij, nec pars essentialis, vel etiam integralis illius.

Probatur breviter: Primò, quia per talem oblationem nulla fit immutatio rei oblatæ, quæ tamen est de ratione sacrificij. Secundò, quia non legimus Christum celebrando, talem oblationem adhibuisse. Tertiò, nec Apostoli eam à principio adhibuerunt, secundùm D. Gregorium lib. 7. Epist. 63. ibi enim scribit eos solam orationem dominicam adhibuisse ad verba consecrationis. Quartò ipsa verbalis oblatio post consecrationem fit in persona Ecclesiæ, ut patet ex illis verbis Canonis: *Unde & memores Domine nos servi tui, &c. offerimus præclaræ Majestati tuæ, &c.* Atqui sacrificium debet offerri in persona Christi, qui est principalis Sacerdos: Ergo talis oblatio non est de essentia hujus sacrificij, unde si modò omittatur ex aliquo accidenti, non desinit esse verum sacrificium.

Dico secundò: Fractio hostiæ consecratæ in tres 34.

Universidad de Deusto
Biblioteca

partes, quæ fit à Sacerdote ante sumptionem, non est de essentia hujus sacrificij. A

Probatur : Tum quia fractio ista solùm fit circa species panis : actio autem sacrificativa debet complecti utramque speciem, quia sacrificium Missæ est sacrificium secundùm ordinem Melchisedech, qui panem & vinum in sacrificium obtulit. Tum etiam, quia talis fractio solùm est quædam præparatio ad sumptionem ; frangitur enim hostia, ut possit convenienter sumi. Addo quod, si fractio omittatur, non manebit imperfectum sacrificium, quantùm ad essentiam vel integritatem, ut docet S. Thomas hic art. 6. ad 6. & constat si casu hostia ante fractionem caderet in calicem : tunc enim convenienter non posset frangi, & sic deberet relinqui usque ad sumptionem : Ergo fractio hostiæ consecratæ, non est de essentia hujus sacrificij.

35. Dico tertiò : essentia hujus sacrificij non consistit in sumptione, tanquam in parte intrinseca & essentiali.

Probatur primò : De fide est Christum in ultima cœna verum obtulisse sacrificium, ut colligitur ex Tridentino sess. 21. cap. 1. & ex Patribus articulo præcedenti citatis : Sed non est de fide Christum sacramentales species sumpsisse, licèt id asserat D. Thomas suprà quæst. 81. art. 1. tanquam probabilius : Ergo sacrificium Missæ non consistit essentialiter in sumptione specierum ; non enim potest res certa fundari in principio C dubio.

36. Probatur secundò : Sacrificium fit in persona Christi, qui est principalis offerens & Sacerdos : Atqui sumptio non est actio facta in persona Christi, sed in persona ipsius sumentis, & pro suo beneficio : Ergo non est essentia hujus sacrificij.

37. Probatur tertiò : Sacrificium consistit essentialiter in actione immutativa rei oblatæ : Atqui sumptio non est hujusmodi, nam per hoc quod suscipitur hoc sacramentum, non desinit Christus esse sub speciebus, sed eodem modo sub illis manet, solúmque mutatur localiter, ad motum specierum : Ergo essentia hujus sacrificij non consistit in sumptione.

38. Dices per sumptionem non intelligi solam specierum trajectionem in stomachum, hæc enim sine dubio non habet Christum immutare, sed illarum consumptionem, ratione cujus corpus Christi desinit esse, illis alteratis & corruptis in stomacho.

Sed contra : Actio quæ est essentialis sacrificio, debet fieri in altari, siquidem in altari offertur sacrificium : Sed consumptio illa specierum non fit in altari ; quia tunc solùm fit, quando vi caloris naturalis alterantur & corrumpuntur species in stomacho : Ergo talis consumptio non est essentia, vel pars essentialis sacrificij Missæ.

39. Ex his confutata manet sententia Magistri Cano, asserentis non solùm consecrationem, sed etiam oblationem, fractionem, & sumptionem esse de essentia hujus sacrificij. Constat etiam non posse Missæ sacrificium consistere in quacumque ex tribus illis ultimis actionibus, ut asserit Nugno : præsertim, quia verisimile non est, quod Christus Dominus in designando sacrificio novæ legis, quod excellentissimum est, non determinaverit actionem per quam fieret, cùm tamen in antiquis sacrificiis designandis, minutim explicaverit Scriptura, quomodo, & quibus actionibus essent facienda, ut patet ex toto Levitico.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem : Sacrificium est essentialiter oblatio : Ergo cùm sacrificium Missæ non possit consistere essentialiter in ea oblatione quæ fit ante consecrationem, debet saltem consistere essentialiter in ea quæ fit post consecrationem. 40.

Respondeo, Sacrificium non consistere in simplici oblatione, sed in oblatione realiter immutativa rei oblatæ, qualis non est illa quæ fit post consecrationem, sed solùm ipsa consecratio, unde in illa, ut infrà dicemus, essentialiter consistit Missæ sacrificium. Nec requiritur quod in sacrificio, oblatio fiat verbis expressis, sed sufficit si tantùm fiat re, cùm non in verbis, sed in rebus essentia sacrificij consistat. De quo infrà redibit sermo. B

Objicies secundò contra secundam conclusionem, authoritatem D. Thomæ 2. 2. quæst. 85. art. 3. ad 3. ubi inter actiones quæ sufficiunt ad rationem sacrificij, enumerat fractionem panis. 41.

Sed facilè respondetur, S Doctorem ibi loqui de sacrificio in communi, non autem de sacrificio Missæ in particulari in quo panis non est res oblata, nec subinde fractio panis ejus essentia.

Objicies tertiò : In illa actione consistit essentia hujus sacrificij, quæ repræsentat sacrificium Crucis, nam sacrificium Eucharistiæ est imago quædam repræsentativa passionis Christi : Atqui fractio hostiæ est hujusmodi : Ergo in ea consistit essentia sacrificij. 42.

Respondeo distinguendo Majorem : quæ repræsentat ex institutione Christi, concedo. Ex institutione Ecclesiæ, nego. Divisio autem hostiæ non potest significare sacrificium Crucis, nisi ex institutione Ecclesiæ, quandoquidem illa non est nisi cæremonia ab Ecclesia instituta.

Objicies quartò contra tertiam conclusionem : Consumptio specierum, non ex institutione Ecclesiæ, sed ex se & ex sua propria ratione D repræsentat sacrificium Crucis : Ergo est de essentia hujus sacrificij. Consequentia patet ex jam dictis, Antecedens verò probatur, tum ex illo Pauli : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Tum ex illo Augustini : *Cùm sanguis de calice in ore fidelium funditur, quid aliud nisi corporis in cruce immolatio designatur ?* Quæ verba referuntur in Canone *Cùm frangitur*, de consecrat. dist. 2. 43.

Respondeo sumptionem significare passionem & mortem Christi, non proximè & per se (hoc enim pacto solùm habet significare sepulturam Christi, quæ ad sacrificium cruentum essentialiter non pertinuit) sed tantùm ratione alterius quod præsupponit, scilicet ratione consecrationis ; quia hoc ipso quod manducatur Christus, supponitur per consecrationem mysticè mactatus & immutatus, ex vi verborum ; & hoc solùm volunt Apostolus & Augustinus locis citatis. E

§. IV.

Vera sententia explicatur.

Dico quartò, Consecratio corporis & sanguinis Christi, est de essentia incruenti Missæ sacrificij : imò in ea sola, ut decentè ordinem transcendentalem ad sumptionem, tanquam ad finem & terminum extrinsecum ; tota essentia hujus sacrificij consistit. Ita communiter recentiores Thomistæ, Suarez, & alij.

44. Prima pars hujus conclusionis probatur contra Nugno, qui negat consecrationem esse de essentia hujus sacrificij, eò quòd sacrificium Missæ sit oblatio Christi existentis sub speciebus Eucharisticis ; & quia per consecrationem non immutatur, sed magis producitur victima. Probatur, inquam, hæc pars primò ex Cypriano, vel ex Authore sermonis de cœna apud Cyprianum, dicente ex quo prolata sunt verba formæ, panem & calicem, sacramentum simul, medicamentum, & holocaustum esse. Item ex D. Thoma suprà quæst. 82. art. 4. ad 1. ubi ait *quod consecratio chrismatis, vel cujuscumque alterius materiæ, non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ.* Et art. 10. in corp. docet, Sacerdotes teneri ad sacrificandum, non solùm propter ministranda sacramenta populo, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui in consecratione hujus sacramenti, sacrificium offertur. Et in responsione ad 1. *Hoc sacramentum* (inquit) *perficitur in consecratione Eucharistiæ, in qua sacrificium Deo offertur* : Ergo juxta doctrinam D. Thomæ consecratio est de essentia incruenti Missæ sacrificij. B

45. Probatur secundò eadem pars ratione. Potestas consecrandi est de essentia Sacerdotij novæ legis : Ergo & ipsa consecratio de essentia sacrificij. Antecedens admittit Nugno, dicens totam essentiam nostri Sacerdotij consistere adæquatè in potestate ad consecrandum, & offerendum sacrificium. Et ratio est, quia forma quæ essentialiter constituit Sacerdotem novæ legis, est character Sacerdotalis, qui per se primò est potestas consecrandi. Consequentia verò probatur : Sacerdotium est essentialiter propter Sacrificium, juxta illud Apostoli ad Hebræos. 5. *Omnis Pontifex constituitur ut offerat dona & sacrificia pro peccatis* : Ergo si potestas consecrandi sit de essentia Sacerdotij novæ legis, consecratio debet esse de essentia sacrificij ejusdem legis. C

46. Probatur tertiò : Illa actio est de essentia sacrificij, quæ est immutativa rei oblatæ : Sed consecratio est hujusmodi : Ergo est de essentia incruenti Missæ sacrificij. Major est certa, & patet ex definitione sacrificij : Minor probatur. Actio separans sanguinem à substantia viventis, est immutativa & destructiva illius : Sed consecratio per se loquendo, & ex vi verborum, sanguinem separat à corpore Christi, quia per consecrationem panis, ex vi verborum, ponitur solum corpus ; & per consecrationem calicis, solus sanguis ; ita ut veluti per accidens sit, respectu consecrationis, quòd illâ peractâ, sanguis reperiatur in corpore Christi : Ergo consecratio, quantùm est de se sacramentaliter & mysticè mactat Christum, & in ea fit mystica quædam effusio sanguinis *per gladium verborum*, ut Cyrillus loquitur : sicut sacrificia vetera non sine vera & reali sanguinis effusione, per victimæ materialem occisionem peragebantur. D

47. Confirmatur : Cùm sacrificium incruentum Missæ, sit essentialiter repræsentativum sacrificij cruenti Crucis, illa actio est de ejus essentia, quâ fit repræsentivum mortis & passionis Christi : Sed Missæ sacrificium consecratione corporis & sanguinis Christi, fit repræsentativum mortis & passionis ejus, cùm per eam ex vi verborum ponatur corpus Christi sub speciebus panis, ut exangue & sine anima, subindeque per eam, ut jam diximus, fiat mystica quædam effusio sanguinis Christi : Ergo consecratio corporis & sanguinis Christi, est de essentia incruenti Missæ sacrificij. A

Quod verò illius essentia in ea sola consistat, breviter ostenditur : Tum quia nulla ex aliis actionibus præter consecrationem, est de essentia sacrificij Missæ, ut §. 2. probatum est. Tum etiam, quia ad completam & adæquatam rationem sacrificij duo tantùm requiruntur, oblatio nimirùm, & immutatio victimæ, ut ex sacrificij definitione patet : utrumque verò in consecratione reperitur, immutatio quidem, ut jam ostensum est : oblatio autem, quia ad veram oblationem, non est necessarium ut Sacerdos in actu signato significet se hostiam offerre, dicendo, *ego offero*, vel *offerimus majestati tuæ*, sed sufficit ut in actu exercito victimam sistat & præsentet Deo. Quemadmodum ergo Christus in cruce sacrificium corporis & sanguinis sui obtulit, non tam verbis, quàm factis, moriendo scilicet pro Dei gloria & pro nostra salute : ita Sacerdos consecrans offert opere & reipsa corpus & sanguinem Christi per consecrationem. 48. B

Demum quòd ipsa consecratio, ut constituens adæquatè essentiam incruenti Missæ sacrificij, dicat ordinem transcendentalem ad sumptionem, tanquam ad finem & terminum extrinsecum, ex eo patet quòd hoc sacrificium habeat rationem cibi & potûs, unde sub speciebus panis & vini offertur : Atqui sumptio est finis & terminus extrinsecus alimenti : Ergo pertinet ad hoc sacrificium tanquam finis connotatum extrinsecum ; & licèt non sit pars essentialis illius, ut volunt plures ex Recentioribus, est tamen aliquo modo de ejus integritate. Unde D. Thomas hic art. 6. ad 3. ait quod si contingat in calice consecrato venenum esse, non debet sumi, sed in aliquo vase sanguis Christi reponendus est, & aliud vinum consecrandum, *ut sacrificium perficiatur.* Ipsa etiam Ecclesia in casu quo contingeret Sacerdotem mori ante sumptionem specierum, strictè præcipit, ut alius Sacerdos, etiam non jejunus, propter integritatem sacrificij, species consecratas sumat. Item in Concilio Toletano 12. can. 5. gravis pœna imponitur Sacerdotibus, qui non communicabant, quoties Missam celebrabant : *Nam quale* (inquit) *erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur.* Ex quibus intelligies, non ideò sumptionem ad hujus sacrificij integritatem pertinere, quòd sine illa salvari nequeat immutatio ad rationem sacrificij necessaria ; illa enim, ut suprà ostendimus, in consecratione sufficienter salvatur ; sed quia, ut diximus, cùm hoc sacrificium habeat rationem cibi & potûs, ad sumptionem tanquam ad finem extrinsecum ordinatur, subindeque eam extrinsecè connotat. C

50. Dices, si contingat corpus Christi in altari apparere sub specie carnis, communiter docent Theologi non esse sumendum ; neque tunc teneri Sacerdotem ad aliam hostiam consecrandam. At si consumptio esset de integritate sacrificij, teneretur Sacerdos aliam hostiam consecrare, ne imperfectum maneret sacrificium, cujus perfectio & integritas est de jure divino : Ergo sumptio specierum, non pertinet ad integritatem Sacrificij Missæ.

51. Respondeo, data Majori, negando Minorem : D

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia eo casu miraculoso & extraordinario, censetur Auctor ipse sacrificij Deus, per miraculum dispensare, ob peculiares fines quos per tale miraculum intendit. Consultius tamen videretur, etiam in casu illo extraordinario, aliam hostiam consecrare & sumere ad perficiendum sacrificium. ut docet S. Thomas hic quæst. 82. art. 4. ad 3. his verbis: *Si miraculose corpus Christi in altari sub specie carnis appareat, aut sanguis sub specie sanguinis, non sumendum..... Nec propter hoc Sacerdos transgressor efficitur, quia ea quæ miraculosè fiunt, legibus non subduntur. Consulendum tamen esset Sacerdoti, quòd iteratò corpus & sanguinem Domini consecraret & sumeret.*

§. V.

Solvuntur objectiones.

52. OBjicies primò contra præcedentem conclusionem: Ita se habet consecratio ad incruentum sacrificium Missæ, sicut se habuit incarnatio ad sacrificium cruentum Crucis; nam sicut Deus factus homo, in Cruce oblatus est; ita Christus factus panis vitæ spiritualis, in altari offertur: Sed incarnatio non est de essentia sacrificij Crucis, sed tantùm quid prævium ad ipsum, sive præparatio rei offerendæ & sacrificandæ, juxta illud ad Hebræos 10. *Corpus autem aptasti mihi*: Ergo similiter consecratio non est de essentia sacrificij Missæ, sed quid præsuppositivè requisitum ad ipsum.

53. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Quod sacrificatur, præexistit immolationi: Sed corpus Christi quod sacrificatur in Missa, non præexistit sub speciebus consecrationi, cùm per illam ponatur & producatur: Ergo corpus Christi per consecrationem non immolatur, subindeque illa non est de essentia sacrificij.

54. Ad objectionem respondeo, negando paritatem Majoris universaliter sumptam, triplicemque assignando rationem discriminis. Prima est, quia incarnatio non fuit positio corporis Christi super altare Crucis, subindeque neque oblatio ejus in sacrificium; consecratio verò corporis Christi, utramque rationem sortitur; nam & ponit corpus Christi super altare, & ipsum sistit & offert in sacrificium, ut suprà ostensum est. Secunda est, quia Christus, ut principalis offerens in Missa, præsupponitur consecrationi, quia non offert ut est sub speciebus, sed ut in propria specie existens; offertur autem, ut est sub speciebus. At verò ut principalis offerens in sacrificio Crucis, non potuit præsupponi ad incarnationem. Tertia disparitas est, quia incarnatio non est mutatio aliquo modo destructiva, sicut est ea quæ requiritur ad rationem sacrificij, quæque reperitur in consecratione, modo superiùs explicato, sed mutatio solùm positiva & perfectiva.

55. Ad confirmationem respondeo, quod sacrificatur præexistere debere immolationi, quando per actionem sacrificandi non fit; non implicare tamen quod actio sacrificandi sit simul productio victimæ, & immutatio illius, subindeque quod victima ad eam non præsupponatur, ut magis explicabitur in solutione objectionis sequentis.

56. Objicies ergo secundò: Sacrificium est essentialiter actio victimam immutans & destruens: At in sacrificio Missæ, consecratio non destruit victimam, nimirum corpus Christi, sed potiùs illud ponit & producit sub speciebus: Ergo Missæ sacrificium non consistit in consecratione.

57. Mirum est quantùm hæc difficultas Theologorum ingenia exerceat, & in quàm varios dicendi modos eos abire compellat. In primis Vazquez respondet, quod quamvis de ratione sacrificij absoluti sit quod destruatur victima, non tamen de ratione sacrificij quod non est absolutum, sed solùm commemorativum alterius, cujusmodi est sacrificium Eucharistiæ, quod ait consistere in sola repræsentatione sacrificij Crucis.

58. Verùm hæc solutio & doctrina displicet aliis. Theologis, & breviter confutari potest. Quod enim est de natura sacrificij ut sic, omni sacrificio, quodcumque illud sit, convenire debet: Sed immutatio rei oblatæ est de ratione sacrificij ut sic, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 85. art. 3. ad 3. & colligitur ex nomine Hebræo sacrificij זבח *Zebach*, quod latinè mactatio dicitur, Idipsum constat in sacrificiis veteris legis, in quibus omnibus res oblata destruebatur, vel per occisionem, ut in victimis, quando sacrificabantur viventia; vel per combustionem, ut in immolationibus, in quibus offerebantur inanimata solida, cujusmodi sunt simila, thus, sal, &c. vel per effusionem, ut in libaminibus, in quibus offerebatur aqua, vinum, oleum &c. Ratio verò petitur ex differentia quæ est inter adorationem, oblationem simplicem, & sacrificium: adoratio enim exhibet cultum Deo, quatenus submittit hominem Deo tanquam suo superiori; oblatio quatenus submittit ipsum Deo, tanquam domino rerum omnium exteriorum, & ideò ipsi aliquam rem exteriorem offert, in quo distinguitur ab adoratione; sacrificium verò, quatenus submittit hominem Deo tanquam authori vitæ & necis; ideóque ad hoc significandum debet immutare rem oblatam, eamque quodammodo destruere: Ergo sacrificium quodcumque illud sit, sive absolutum, sive commemorativum, debet esse destructivum victimæ. Unde licèt sacrificium incruentum Missæ, sit repræsentativum sacrificij cruenti Crucis, si tamen non importet immutationem rei oblatæ, non erit, neque dici poterit verum sacrificium, sed duntaxat nuda imago & repræsentatio sacrificij veri.

59. Respondet secundò Suarez objectioni propositæ, quod quando in sacrificio res oblata producitur ex alia substantia quæ destruitur, non est necessarium quòd sacrificium sit immutatio rei oblatæ, & termini ad quem, sed sufficit quòd terminus à quo destruatur; unde cùm in sacrificio Missæ corpus Christi producatur ex substantia panis quæ destruitur; in eo salvatur vera ratio sacrificij, absque eo quod per consecrationem corpus Christi, quod est res oblata, destruatur.

60. Sed in primis hæc solutio destruit definitionem sacrificij in communi, nam sacrificium in communi definitur *oblatio externa religiosa soli Deo facta, alicujus rei permanentis, cum aliqua ejusdem rei immutatione.* In qua definitione apertè declaratur, immutationem debere fieri circa ipsam rem oblatam. Unde D. Thomas 2. 2. quæst. 85. art. 3. ad 3. sic ait: *Sacrificia propriè dicuntur, quando circa res oblatas aliquid fit, sicut quòd animalia occidebantur, & comburebantur; quòd panis frangitur & comeditur.* Quare Suarez novam cudendo definitionem sacrificij, exponit mysteria nostræ fidei risui hæreticorum, præbetque illis ansam cogitandi & dicendi, non posse à Catholicis defendi quod Eucharistia sit verum sacrificium,

cium, nisi essentias rerum immutando, & novas definitiones comminiscendo.

Deinde ex hac solutione sequeretur quod conversio ligni verbi gratiâ in calicem, & ipsa calicis oblatio & consecratio, esset verum sacrificium; esset enim productio rei sacræ, & destrueretur terminus à quo hujus oblationis, nimirum substantia ligni: Sed hoc videtur absurdum: Ergo &c. His ergo solutionibus prætermissis.

61. Ad objectionem respondeo, ad rationem sacrificij sufficere, ut ex modo quo offertur sacrificium, sequi debeat mors victimæ connaturaliter, quamvis de facto non sequatur: Si enim in veteri lege post illatum vulnus lethale, Deus miraculosè conservasset victimam, adhuc verum ibi fuisset sacrificium; quia ex quo vulnus illud fuisset lethale, non minùs illa actio significasset dominium Dei in vitam & mortem, quàm, si de facto sequuta fuisset mors: Quia ergo in proposito consecratio, quantùm est de se, & ex vi verborum, habet separare sanguinem à corpore Christi, quamvis de facto non destruat Christum, est tamen destructiva illius, & ideò habet veram rationem sacrificij, præsertim cùm verba in definitionibus non dicant actum, sed aptitudinem, ut communiter docent Philosophi. Potestque hæc solutio illustrari exemplo Martyrij: multi enim docent, non requiri ad coronam martyrij, quod actu sequatur mors, sed sufficere quod tale vulnus infligatur, quod de facto per se natum est inferre mortem, quamvis ex aliquo accidenti mors impediatur.

62. Instabis: Illa actio quæ est productiva victimæ non est destructiva illius: Sed consecratio est productiva victimæ, cùm per eam corpus Christi sub speciebus panis & vini producatur: Ergo non est destructiva illius.

Respondeo quod quamvis repugnet eandem actionem producere aliquem terminum, & simul ipsum destruere; fieri tamen potest, ut actio quæ efficit aliquem terminum, sit destructiva ejusdem, quando ex modo producendi, ita ipsum attingit, ut quantùm est de se habeat separare corpus à sanguine, sicut contingit in proposito.

63. Urgebis: Actio immutativa & destructiva victimæ, debet supponere illam productam: Sed consecratio etiam ut habet ponere corpus separatum à sanguine, quantùm est de se, non supponit victimam productam, sed potiùs illam producit: Ergo non est immutativa & destructiva illius. Minor probatur; quia victima non est Christus utcumque, sed Christus, ut existens sub speciebus panis & vini: Atqui consecratio producit Christum sub illa ratione: Ergo quantùm est de se non supponit victimam productam.

Respondeo distinguendo Majorem: Actio immutativa & destructiva victimæ, debet supponere illam productam, prioritate rationis, concedo: prioritate reali, nego. Vel sub aliqua formalitate, concedo: Absolutè & simpliciter, nego. Similiter distinguo Minorem: consecratio non supponit victimam productam, sub ea formalitate quâ productiva est corporis Christi sub speciebus, concedo Minorem; sub alia, nego Minorem; & eodem modo distinguo Consequens: Ergo consecratio, quatenus est productiva corporis Christi sub speciebus, non est destructiva illius concedo: sub alia ratione & formalitate, nego. Tres ergo formalitates in eadem consecratione diligenter distinguendæ sunt, quarum una præcedat aliam, prioritate aliquâ rationis. In primis enim habet consecratio quod actio productiva & præparativa victimæ, quatenus est conversio panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Secundò quatenus per eandem actionem victima præsentatur Deo in actu exercito, in honorem & cultum ipsius, habet rationem oblationis. Tertiò quatenus eadem consecratio ex modo quo producit victimam, habet quantùm est de se, constituere corpus separatum à sanguine; & modo quodam mortuo, per modum cibi, habet hæc actio quod sit immutativa victimæ. Cæterùm tres illæ ejusdem actionis formalitates, hunc habent inter se ordinem, ut secunda supponat primam, & utraque antecedat tertiam.

64. Objicies tertiò: In die Parasceves offertur verum sacrificium: Atqui tunc non fit consecratio, sed tantùm consumptio specierum: Ergo non in illa, sed in ista consistit ratio sacrificij. Major probatur, tum quia Sacerdos inter precandum appellat illam cæremoniam sacrificium: tum etiam, quia fideles tenentur illi assistere, si inciderit in diem festum.

65. Respondeo negando Majorem, dicit enim S. Thomas hic art. 2. ad 2. non offerri in die Parasceves sacrificium incruentum, ne passio mystica & expressa eodem die repræsentetur. Unde Hugo Victorinus secundo codice miscellaneorum lib. 5. *Hodie non sacrificamus, dum hostia de manibus tollitur: non sacrificant amici, dum trucidant inimici.* Ad probationem in contrarium dico, cæremoniam illam quæ fit in die Parasceves appellari sacrificium in laiori significatione, quia est complementum sacrificij hesterni, in quo hostia quæ tunc consumitur, fuerat consecrata: unde negamus esse novum & perfectum sacrificium, non solùm quia non fit consecratio, sed etiam quia non sumitur, nisi una species, cùm tamen utraque species sit de essentia sacrificij, ut suprà ostensum est. Fideles verò tenentur illi assistere, si inciderit in diem festum, quia tenentur illi assistere, eodem modo quo fit ab Ecclesia.

66. Dices, Sumptio illa debet pertinere ad aliquam speciem religionis: Non ad aliam quàm ad sacrificium: Ergo talis sumptio est verè sacrificium.

Respondeo poni in specie religionis, in qua ponitur susceptio cujuslibet sacramenti, quamvis indirectè possit reduci ad speciem sacrificij, quatenus est terminus extrinsecus, & consummatio sacrificij oblati in die præcedenti.

67. Pro completa explicatione essentiæ sacrificij Missæ, inquirunt hic Authores, quomodo distinguatur sacrificium Missæ, à sacrificio incruento quod Christus obtulit in nocte cœnæ, & quod moriens obtulit in Cruce? Ad quod breviter respondeo, non distingui nisi numero, à priori: à posteriori verò, in ritu & ratione offerendi, distingui quodammodo specie; quamvis ex parte rei oblatæ, utrumque sit idem numero sacrificium. Primum patet, quia in sacrificio quod Christus obtulit in nocte cœnæ, & in eo quod nos offerimus in Missa, est eadem res oblata, & idem modus offerendi, scilicet transsubstantiatio: Ergo distinguuntur solo numero. Secundum etiam constat, quia in Cruce fuit oblatum sacrificium per actionem cruentam, in altari verò per consecrationem, quæ est actio diversæ rationis: Ergo hujusmodi sacrificia distinguuntur quodammodo

Universidad de Deusto
Biblioteca

quodammodo specie, cùm habeant diversum modum offerendi. Dico *quodammodo*, quia cùm habeant idem motivum formale, & distinctio se teneat solùm ex parte substrati materialis, non est propriè distinctio specifica, si aliundè verum sit, virtutem religionis in Christo, non distingui specie à nostra. Tertium denique probatur, quia est eadem res quæ offertur in sacrificio Missæ, & quæ fuit oblata in Cruce, & in nocte cœnæ: Ergo ex parte rei oblatæ non distinguuntur etiam numero; & hoc volunt tantùm SS. Patres, dum asserunt, utrumque sacrificium, cruentum & incruentum, esse idem; solùm enim volunt idem esse sacrificium, vel quia in utraque est eadem res oblata, vel etiam quia sacrificium Missæ, est imago sacrificij Crucis: imago enim & res repræsentata dicuntur esse idem in esse repræsentativo.

Articulus III.

A quibus & pro quibus possit Missæ sacrificium offerri?

68. DIco primò, in sacrificio Missæ multiplicem esse offerentem. Conclusio indiget solùm explicatione.

Dicimus ergo, primum ac principalem offerentem in sacrificio Missæ, esse Christum Dominum, qui cùm sit supremus Sacerdos, unà cum Sacerdotibus hoc sacrificium offert, & ad actionem sacrificandi concurrit. Unde hoc sacrificium est infinitum, non solùm ex parte rei oblatæ, sed etiam ex parte personæ offerentis, ut infrà dicemus, subindeque quoad utrumque æquiparatur sacrificio Crucis & cœnæ, ut docet Tridentinum sess. 22. cap. 1. his verbis: *Una eademque est hostia, idem nunc offerens, Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ.*

69. Secundi offerentes Missæ sacrificium, sunt Sacerdotes, qui illud in persona Christi, & nomine totius Ecclesiæ Deo offerunt. Diverso autem modo illud offerre dicuntur in persona Christi, & nomine totius Ecclesiæ; nam in persona Christi illud offerunt ut inferiores & ministri, nomine & jussu superioris: nomine verò Ecclesiæ, ut superiores prò inferioribus; est enim Ecclesia prout à Sacerdotibus constituitur, populus fidelis, qui hoc sacrificium offert per Sacerdotem, ut per superiorem & suum advocatum apud Deum. Unde tertiò laici omnes fideles possunt dici hoc sacrificium offerentes, ut docet Innocentius Tertius libro tertio de mysteriis Missæ capite quinto, ubi affirmat ideò Sacerdotem sæpiùs in canone Missæ dicere, *Offerimus*, quia non in sua tantùm, sed in totius Ecclesiæ persona sacrificat, & omnes quodammodo cum illo offerunt. Idem docet Petrus Damianus Epist. 13. ad Leonem inclusum cap. 8. ubi exponens verba illa Canonis: *Unde & memores nos servi tui*, subdit: *In his verbis patenter ostenditur, quod à cunctis fidelibus, non solùm viris, sed & mulieribus, sacrificium illud laudis offertur; licèt ab uno specialiter Sacerdote offerri videatur: quia quæ ille offerendo manibus tractat, hæc multitudo fidelium intenta mentium devotione commendat. Quod illic quoque declaratur, ubi dicitur: Hanc igitur oblationem servitutis nostræ &c. Quibus verbis luce clariùs constat, quia sacrificium, quod à Sacerdote sacris altaribus superponitur, à cuncta Dei familia generaliter offeratur.* Porrò ex omnibus fidelibus, illi magis specialiter dicuntur offerentes, qui propter conjunctionem intentionum suarum cum intentione Sacerdotis, externum quoddam officium exhibent, inserviendo, & necessaria ad sacrificium suppeditando, ut Diaconus, Subdiaconus, Acoliti &c. illique qui peculiarem Eleemosynam tribuunt, ut pro se vel suis Missa celebretur.

Dico secundò, sacrificium Missæ offerri posse pro omnibus viventibus, etiam infidelibus; & pro mortuis fidelibus, pœnam peccatorum in purgatorio luentibus; non tamen pro damnatis, aut pro parvulis defunctis absque baptismo, benè tamen pro beatis.

70. Prima pars quoad fideles clara est, quoad infideles verò probatur, contra Sotum & Vazquem, ex Augustino Epist. 59. ad Paulinum, ubi de orationibus & postulationibus quæ in Missa fiunt, ait: *Ne quisquam existimaret, non esse ista facienda pro his à quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cùm membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda,* Item Prosper lib. 1. de vocat. gentium cap. 12. *Supplicat* (inquit) *ubique Ecclesia Deo, non solùm pro Sanctis & in Christo jam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus, & inimicis Crucis Christi, pro idolorum cultoribus, pro Iudæis &c.* Paulò ante dixerat: *Quam legem supplicationis, ita omnium Sacerdotum, & omnium fidelium devotio tenet.* Idem multò ante docuerat Clemens Romanus lib. 8. Constit. cap. 12. ubi in Missa orare præcipit pro Rege, & pro omnibus qui in sublimitate sunt, proque iis qui foris sunt, & errant.

71. Confirmatur: Sacrificium Missæ est applicatio cruenti sacrificij Crucis: Sed istud oblatum fuit pro omnibus, etiam pro infidelibus, 1. ad Timoth. 2. & 1. Joan. 2. Ergo & illud offerri potest pro omnibus viventibus, etiam infidelibus.

Confirmatur ampliùs: In lege antiqua fuerunt sacrificia pro infidelibus oblata 1. Esdræ 6. & 1. Machab. 12. Ergo & in lege nova Missæ sacrificium pro infidelibus offerri potest. Consequentia patet: nam legi novæ, utpotè legi gratiæ, charitatis, & misericordiæ, id magis videtur conveniens.

72. Neque obstant verba illa Augustini lib. 1. de anima & ejus origine cap. 9. *Quis offerat sacrificium Christi, nisi pro iis qui sunt membra Christi?* Id enim (ut explicat S. Thomas) intelligi debet de membris actu vel potentiâ, cujusmodi sunt omnes homines quandiu vivunt. Ibi enim loquitur Augustinus de parvulis qui moriuntur absque baptismo, quibus nullo modo potest prodesse sacrificium, cùm nec sint, nec esse possint membra Christi. Caput verò *Nobis* 2. & caput *Sacris*, de sententia excommunicationis, tantùm prohibent, ne Sacerdos offerat & oret velut publica persona, nomine Christi, & totius Ecclesiæ, pro infidelibus, vel Apostatis, aut excommunicatis majori excommunicatione; non autem ne privatâ intentione, & oratione, pro ipsis oret inter sacrificandum, ut notant Sylvester, Sylvius, Suarez, & alij. Ex quo inferes, Missam posse multò magis offerri pro Cathecumenis; præsertim cùm talis fuerit usus primitivæ Ecclesiæ, ut testantur Clemens lib. 8. Const. cap. 4. 5. & 6. Chrysostomus in sua Liturgia, & Augustinus Epist. 107. ad Vitalem.

In 4. dist. 12. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 4.

Secunda pars conclusionis, quæ asserit sacrificium Missæ, pro mortuis fidelibus posse offerri, patet

patet ex perpetuo usu Ecclesiæ, quæ pro defunctis semper celebravit, ut constat ex Liturgiis Jacobi, Matthæi, & Marci, & testantur Clemens Romanus lib. 8. Constit. cap. 9. Tertullianus lib. de Corona militis cap. 3. Cyrillus Catech. 5. mystag. Cyprianus lib. 1. Epistol. 9. Chrysostomus homil. 69. ad populum, ubi dicit ab Apostolis id sancitum fuisse. Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 1. & lib. 9. Confess. cap. 12. & 13. Ambrosius in Orationibus de obitu Theodosij, Valentini, & Satyri fratris, ubi se pro illarum animabus sacrificaturum promittit.

74. Ratio etiam suffragatur: Christus enim in sacrificio Crucis, cujus Eucharistiæum est applicatio, obtulit seipsum etiam pro defunctis, scilicet pro omnibus, qui à mundi principio ante illum piè defuncti erant. Item in lege Mosaïca fuerunt sacrificia pro mortuis, ut patet 2. Machab. 12. ubi dicitur, Judam sacrificium pro mortuis, offerendum curasse; ejusque factum Scriptura laudans, subdit: *Sancta ergo & salubris est cogitatio: pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur:* Ergo à fortiori in lege nova sacrificium pro defunctis offerri potest. Unde Tridentinũ sessione 25. in Decreto de purgatorio ait, *Animas in purgatorio detentas, fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili Altaris sacrificio, juvari.* Item Chrysostomus homil. 3. in Epistolam ad Philippenses propè finem: *Non frustra* (inquit) *instituerunt Apostoli; ut cum tremenda mysteria celebrantur, fieret eorum commemoratio qui ex hac vita decesserunt. Sciebant enim magnum inde lucrum, multamque utilitatem eis provenire. Cum enim adsit populus universus, & collegium Sacerdotale manus attollat, & coram posita sit tremenda hostia, quomodo iram Dei non placabimus pro illis orantes?*

75. Tertia pars quæ asserit illud non posse offerri pro damnatis, aut pro parvulis defunctis absque baptismo, non minùs evidens est, cùm damnati, utpotè in termino existentes, nullius sint remissionis capaces, ut ostendimus in Tractatu de peccatis, illique nec actu nec potentiâ sint membra Christi. Unde cap. *Pro absentibus* 13. quæst. 2. prohibetur orare pro damnatis. Nec obstant aliqua exempla quæ afferri solent de anima Trajani, precibus S. Gregorij ab inferis liberata, & de aliis Gentilibus in vitam revocatis, ac tandem salvatis; nam hæc, vel apocrypha sunt, vel cùm sint contra communem legem à Deo statutam, non sunt in exemplum adducenda.

Disp. 8. art. 7.

76. Ultima denique pars quæ affirmat pro beatis Missæ sacrificium posse offerri, id est in eorum honorem, seu in gratiarum actionem pro gloria quâ donati sunt, & fruuntur in cœlis, patet ex variis orationibus Ecclesiæ in Missa recitatis, ut ex oratione secreta Missæ de S. Bartholomæo, ubi sic dicitur: *Quæsumu Domine, ut ejus auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi laudis hostias immolamus.*

Articulus IV.

Utrum missæ sacrificium valorem habeat propitiatorium ad obtinendam remissionem peccatorum, & impetrativum pro obtinendis à Deo beneficiis, & quomodo illos effectus causet?

77. DIco primò, sacrificium Missæ propitiatorium esse, & ad remissionem peccatorum mortalium & venialium, ac pœnarum pro eis debitarum valere. Conclusio est certa de fide, ac definita in Tridentino sess. 22. cap. 2. ubi sic dicitur: *Docet Sancta Synodus sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde & recta fide, cum metu & reverentia, contriti & pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Et can. 3. *Si quis dixerit Missæ sacrificium, tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in Cruce peracti, non autem propitiatorium, anathema sit.*

78. Ratio etiam suffragatur: Nam ut dicitur ad Hebræos 5. Omnis Pontifex constituitur, ut offerat sacrificia pro peccatis: Ergo cùm Sacerdotes novæ legis non nisi Missæ sacrificium offerant, illud tanquam propitiatorium pro peccatis offerunt, non solùm pro seipsis, sed etiam pro populo; Sacerdos enim, ut ibidem ait Apostolus, *debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* Unde in Liturgia D. Jacobi Minoris dicitur, *Offerimus tibi incruentum sacrificium pro peccatis nostris & ignorantiis.* Et Cyprianus serm. de Cœna Domini, ait Eucharistiam esse *holocaustum ad purgandas iniquitates.* Et certè, si propter sacrificium taurorum & arietum, junctum precibus Job, Deus peccata remisit Eliphæ Themanitæ, & ejus sociis, ut dicitur Job 42. quantò credibilius est, Deum hoc sacrificium in quo unigeniti ac dilectissimi filij sui corpus ipsi immolatur, acceptare infallibiliter ad similem effectum? Unde Chrysostomus homil. 3. de incomparabili natura Dei, versùs finem, ait quod *sicut homines ramos olearum gerentes, movere Reges consueverunt, eoque arboris genere, misericordiam commemorant & humanitatem: sic Angeli tunc* (dum Missæ sacrificium celebratur) *pro ramis oleaginis, corpus Domini ipsum protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexisti, ut pro eorum salute mortem obires, animam in Cruce efflares: pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti.* Tandem sic concludit: *His itaque magis magisque animadversis, fratres charissimi, omnes tempore illo in Ecclesiam properemus, ut Dominum ad misericordiam invitemus, & tempestivi adjumenti gratiam comparemus.*

79. Nec solùm pro mortalium, sed etiam pro venialium remissione valet Missæ sacrificium: Tum quia huic mirabili sacrificio concedendum est id omne quod sacramentalibus tribuitur: sacramentalia verò habent vim remittendi culpas veniales, ut dicemus in Tractatu de pœnitentia.

Tum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sect. 6. Tum etiam, quia cùm in lege Mosaïca essent quædam sacrificia quæ expiabant infallibiliter ab immunditiis legalibus, videtur lex gratiæ habere debere aliquod sacrificium quod expiet à culpis levibus, & venialibus quas quotidie committimus. Unde can. *Utrum* de consecrat. dist. 2. Missæ sacrificium quotidie iterari dicitur: *Quia quotidie peccamus, peccatis sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest*, qualia sunt venialia.

Dico secundò, Missæ sacrificium causat remissionem peccatorum mortalium ex opere operato, non quidem immediatè & directè, sicut sacramenta causant gratiam, sed indirectè tantùm & mediatè, impetrando scilicet à Deo auxilium, quo homo excitetur ad contritionem, vel B attritionem cum sacramento, quorum vi immediatè remissio peccatorum obtineatur.

80. Prima pars probatur contra Suarem, Serram, & alios, qui negant Missæ sacrificium causare remissionem peccatorum ex opere operato. Ille effectus causatur ex opere operato ab isto sacrificio, qui causatur ex sola dignitate sacrificij, independenter à merito vel dignitate Sacerdotis, aut ejus pro quo offertur: Sed remissio peccatorum mortalium, hoc modo causatur à sacrificio Missæ: Ergo tale sacrificium eam causat ex opere operato. Major patet, in hoc enim distinguitur effectus ex opere operato, ab effectu ex opere operantis, quòd ille datur intuitu meritorum Christi, & ex institutione ipsius, quia merita C sua tali vel tali operi applicavit: iste verò datur intuitu meriti facientis opus. Minor verò probatur ex Tridentino sess. 22. cap. 2. ubi sic dicitur: *Quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit, declarat Sancta Synodus, sacrificium istud verè propitiatorium esse &c. Hujus quippe oblatione placatur Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens, Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ.* Sed quod convenit sacrificio ratione rei oblatæ, & principalis offerentis, con- D venit ipsi ratione propriæ dignitatis: Ergo remissio peccatorum mortalium causatur à sacrificio Missæ, ex sola dignitate sacrificij, independenter à merito vel dignitate Sacerdotis offerentis, aut ejus pro quo offertur.

81. Secunda pars conclusionis, quæ asserit Missæ sacrificium, non immediatè remittere peccata, sed tantùm mediatè, impetrando auxilium ad actum pœnitentiæ, quo peccata immediatè remittantur, colligitur ex verbis Tridentini jam relatis: Concilium enim explicans modum quo hoc sacrificium nobis peccata remittat: *Hujus*, inquit, *oblatione placatus Dominus, gratiam* (excitantem) *& donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit.* Quibus E verbis apertè docet sacrificium Eucharistiæ non remittere immediatè peccata, ut faciunt sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ, sed tantùm mediatè & remotè, impetrando à Deo gratiam prævenientem, quâ peccatores excitentur efficaciter ad contritionem aut attritionem cum sacramento, quorum vi immediatè remissio peccatorum obtineatur. Idque manifestè colligitur ex differentia quæ est inter sacramentum & sacrificium, in eo consistens, quòd sacrificium immediatè refertur ad cultum Dei, & secundariò A tantùm, ac veluti per redundantiam, ad nostram utilitatem: sacramentum verò primariò est institutum ad nostram sanctificationem: Ergo conveniens est, ut sacramentum quidem gratiam & remissionem peccati causet immediatè; sacrificium verò solummodò Deum placare habeat, eumque impellere ad excitandum in peccatore pœnitentiæ motum. Unde D. Thomas de his pro quibus hoc sacrificium offertur ait in 4. dist. 12. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 4. *Peccata mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed inquantum gratiam contritionis eis impetrat.*

Quod diximus de prima gratia justificante, dicendum est de ejus augmento, illud nimirum mediatè tantùm causari posse per Missæ sacrificium; causare enim immediatè gratiæ augmentum, est effectus proprius Eucharistiæ, ut habet rationem sacramenti, & cibi spiritualis animæ, & aliorum sacramentorum, quæ primam gratiam justificantem in recipientibus prærequirunt, ideóque *sacramenta vivorum* appellantur.

Ex his solutum manet præcipuum fundamen- 82. tum, quo Suarez, & Serra moventur ad negandum Missæ sacrificium causare primam gratiam & remissionem peccati ex opere operato. Quod enim (inquiunt) causat gratiam ex opere operato, potest facere de attrito contritum, vel etiam causare gratiam ultra subjecti dispositionem: Sed Eucharistiæ sacrificium neutrum habet, ut constat ex suprà dictis: Ergo non causat primam gratiam & remissionem peccati ex opere operato.

Confirmatur: Quod causatur per modum im- 83. petrationis, non causatur ex opere operato: Sed remissio peccati & prima gratia, causantur à Missæ sacrificio per modum impetrationis; quia, ut diximus, non dantur nisi quatenus impetratur auxilium quo peccatores ad pœnitetiam excitentur: Ergo non causantur ab illo ex opere operato.

Confirmatur ampliùs: Effectus qui causatur 84. ex opere operato, causatur infallibiliter in non ponentibus obicem: Sed remissio peccati non causatur infallibiliter in his pro quibus Missæ sacrificium offertur; experientiâ enim constat, illud offerri pro multis peccatoribus, qui propterea non convertuntur, sed obstinati manent in suis peccatis: Ergo Missæ sacrificium non causat remissionem peccatorum mortalium ex opere operato.

Verùm, ut dixi, hujusmodi instantiæ facilè 85. dilui possunt ex dictis. Ad primam enim respondeo distinguendo Majorem: Quod causat gratiam ex opere operato, potest facere de attrito contritum, si causet illam immediatè, sicut sacramenta, concedo Majorem. Si causet illam solùm mediatè, impetrando dispositionem ad gratiam, seu auxilium ad ponendam talem dispositionem, ut facit hoc sacrificium, nego.

Ad primam confirmationem, distinguo Ma- 86. jorem: Quod causatur per modum impetrationis, non causatur ex opere operato: si illa impetratio fiat mediâ oratione concedo Majorem. Si illa impetratio fiat ex vi operis meritorij jam à Christo facti & patrati, nego Majorem. Sacrificium verò Missæ non est impetratorium auxilij ad pœnitentiam disponentis & excitantis, mediâ oratione, sed ex vi sua, id est ratione operis quod agitur; & ratione dignitatis, tum rei oblatæ, tum principalis offerentis, ut suprà ex Tridentino ostendimus: unde quamvis offerens minùs principale, nimirum Sacerdos, malus sit, valet tamen ad impetrandum tale auxilium.

Ad

87. Ad secundam, nego Majorem universaliter sumptam: nam sacramentum Extremæ-Unctionis non causat infallibiliter sanitatem corporalem, & tamen illam causat ex opere operato; & sacramentum Eucharistiæ causat ex opere operato auxilium efficax ad perseverandum, licèt non causet illud infallibiliter. Similiter ergo quamvis remissio peccati non causetur infallibiliter in his pro quibus Missæ sacrificium offertur, non sequitur illud non causare remissionem peccatorum ex opere operato, in illis pro quibus offertur; præsertim cùm illi tali effectui sæpè apponant obicem, divinis motionibus & inspirationibus resistendo.

88. Dico tertiò, Hoc sacrificium ex opere operato immediatè remittit pœnas ex condonatis peccatis sive mortalibus sive venialibus relictas.

Est communis inter Theologos, & probatur primò ex eo quod Tridentinum ubi suprà, dicit hoc sacrificium valere ad remissionem pœnæ tam pro vivis quàm pro defunctis in purgatorio existentibus: Sed istis non potest valere mediatè, impetrando scilicet auxilium quo eliciant actum satisfactorium, ut patet, cùm animæ in purgatorio existentes, non sint capaces activæ satisfactionis; alioquin possent seipsas è purgatorio liberare, sed tantùm satis-passionis, vel satisfactionis ab aliis applicatæ: Ergo hoc sacrificium immediatè remittit pœnas ex condonatis peccatis mortalibus sive venialibus relictas.

89. Probatur secundò ex D. Thoma hîc quæst. 79. art. 5. in corp. ubi comparans Eucharistiam, ut habet rationem sacramenti, cum eadem, ut habet rationem sacrificij, dicit quod ut est sacramentum, *non est instituta ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum, per unionem ad Christum, & ad membra ejus, sicut & nutrimentum unitur nutrito, &c. Inquantum verò est sacrificium, habet vim satisfactivam.* Quibus verbis rationem insinuat quâ suaderi potest conclusio: Cùm enim sacramenta essent instituta ad producendam gratiam, conveniens fuit ut sacrificium institueretur ad remittendam pœnam peccatis condonatis debitam: nam quia remissio pœnæ non pertinet ad D intrinsecam hominis sanctitatem, sicut remissio culpæ & justificatio; fieri potest per extrinsecam condonationem, absque intrinseca hominis mutatione; & ita hoc sacrificium est valdè accommodatum ad hujusmodi effectum, quia sacrificium non solùm operatur in offerentibus, sed etiam in his pro quibus offertur, etiam ipsis nihil operantibus aut recipientibus.

90. Dices, D. Thomam loco citato dicere quod hoc sacrificium causat hunc effectum secundùm dispositionem subjecti; *& secundum quantitatem suæ devotionis & fervoris:* Ergo non causat hunc effectum immediatè ex opere operato, eo modo quo sacramenta producunt gratiam.

Respondeo D. Thomam velle, quod sicut sa- E cramenta quæ causant gratiam ex opere operato, conferunt illam in majori quantitate in subjecto magis disposito; ita & hoc sacrificium in subjecto meliùs dispositio, plures gradus pœnæ remittit. Unde si ille pro quo offertur, eliciat actum bonum satisfactorium ut quatuor, remittuntur ipsi octo gradus pœnæ, ex quibus quatuor correspondent actui satisfactorio, & quatuor ipsi sacrificio.

91. Dico quartò, valdè probabile est hoc sacrificium remissionem peccatorum venialium aliquo modo immediatè causare.

A Explicatur conclusio: Dupliciter possumus excogitare quod hoc sacrificium remittat peccata venialia: Primò mediatè, eo modo quo diximus de mortalibus, impetrando scilicet auxilium per quod homo eliciat actum qui sit formalis vel virtualis detestatio venialium; & hoc modo certum est quod saltem remittit venialia: hoc enim ad minus determinavit Tridentinum sess. 22. cap. 1. dum ait quod *per hoc Sacrificium, passionis Christi salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum, applicatur*; hoc enim ad minus intelligi debet de remissione mediata, & per modum impetrationis prædicti auxilij. Secundò immediatè, idque iterùm dupliciter. Primò absque eo quòd homo ponat ullum B actum detestationis formalis aut virtualis, etiam imperfectæ; & hoc modo non existimo probabile posse remitti peccata venialia per hoc sacrificium; quia venialia non tolluntur de via ordinaria, sine aliqua mutatione hominis. Secundò potest fieri hæc remissio, ita ut homo ponat quidem aliquem actum, sed non ita perfectum; ut ex se sufficiat ad remissionem venialium, & tamen ex vi istius sacrificij remittantur, quod sufficit ad hoc ut hoc sacrificium dicatur immediatè remittere venialia; sicut sacramentum pœnitentiæ dicitur remittere mortalia immediatè ex opere operato, quia remittit etiam illi qui non habet nisi actum attritionis, qui de se insufficiens C est ad remittenda mortalia.

Dico ultimò: Sacrificium Missæ non solùm est 92. propitiatorium, sed etiam impetratorium; nec solùm valet ad remissionem peccatorum tam mortalium quàm venialium, sed etiam ad quæcumque beneficia sive spiritualia sive temporalia obtinenda. Ita definitur in Trid. sess. 22. cap. 2. & can. 3. ubi non solùm dicitur hac oblatione placari Deum ad conferendam nobis gratiam, ac dimittenda ingentia & quotidiana peccata, sed etiam posse offerri pro omnibus necessitatibus.

Ratio etiam id suadet: Nam in lege naturæ & 93. in lege Mosaïca, fuerunt sacrificia non modò propitiatoria, sed & pacifica, sive impetratoria, ut ex Genesi & Levitico notum est: Ergo cùm sacrificium Eucharistiæ perfectionem illorum eminenter contineat, & sit (ut docet Tridentinum sess. citatâ cap. 2.) oblatio illa quæ per varias sacrificiorum, naturæ & legis tempore, similitudines figurabatur, utpotè quæ bona illa per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio, complectitur; valere debet, non solùm ad Deum placandum pro peccatis, verùm etiam ad bona spiritualia & temporalia ab ipso impetranda. Unde Chrysostomus homil. 77. in Joan. *Pro infirmis, & terræ & maris, & universi orbis fructibus sacrificamus.*

Ex dictis intelliges, unicum Missæ sacrificium, 94. omnibus antiquæ legis sacrificiis æquivalere, omnesque eorum differentias & species perfectissimo modo continere: nam in lege Mosaïca erant quatuor species sacrificiorum, quorum aliqua vocabantur holocausta, quæ ad solam Dei gloriam, & supremi quod in vitam & mortem habet dominij ostensionem, ordinata erant. Alia propitiatoria dicebantur, quæ pro peccatis præteritis offerebantur. Alia erant Eucharistica, quæ pro gratiarum actione fiebant. Alia demum erant impetratoria, quæ ad nova obtinenda à Deo beneficia referebantur. Verùm Eucharistiæ sacrificium hæc omnia eminentissimo & perfectissimo modo præstat, nam & supremum quod Deus in

Universidad de Deusto
Biblioteca

vitam & mortem habet dominium perfectè ostendit, ut art. 2. declaravimus, & peccatorum remissionem impetrat, ut supra ostensum est: Valet etiam ad reddendas Deo gratias pro acceptis beneficiis, juxta illud Prophetæ Psal. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.* Demum per illud innumera bona & spiritualia & temporalia nobis eveniunt: Ergo omnes differentias & species veterum sacrificiorum perfectissimo modo continet. Unde Ecclesia sic ait Oratione secretâ post septimam Dominicam Pentecostes: *Deus qui legalium differentiam victimarum, unius sacrificij perfectione sanxisti.* Et Leo Papa serm. 7. de Passione: *Ut novo expleretur sacrificio variarum differentia victimarum.* Item Augustinus lib. 17. de civit. cap. 20. *Id sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri.* Idem dicit lib. 6. contra Faustum cap. 5.

Articulus V.

Utrum valor sacrificij Missæ sit infinitus, non solùm intensivè, sed etiam extensivè, subindeque oblatum pro pluribus, æquè prosit cuilibet, ac si pro uno tantùm offerretur?

Dico primò, valor sacrificij Missæ est intensivè infinitus, quantùm ad sufficientiam, licèt quantùm ad efficaciam, seu ex parte effectûs, semper finitus sit.

95. Prima pars probatur ratione fundamentali: Valor sacrificij sumitur præcipuè ex duplici capite, nimirum ex re oblata, & principali offerente; à quo sive immediatè, sive aliorum ministerio, offeratur, eundem semper habet valorem. Sicut & donum collatum à Rege ejusdem valoris est, sive ab ipso Rege immediatè, sive aliorum ministerio conferatur: Sed in Missæ sacrificio, & res oblata, & principale offerens, sunt dignitatis simpliciter infinitæ; nam res oblata in hoc sacrificio est corpus & sanguis Christi, unita hypostaticè Verbo Divino; & principalis offerens, est ipsemet Christus, ut dicitur in Lateranensi sub Innocentio III. in cap. *Firmiter*, & in Tridentino sess. 22. cap. 1. ubi sic habetur: *Idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.* Propterea Christus vocatur Sacerdos in æternum, sive continuò offerens, à principio Ecclesiæ, usque ad finem sæculi: Ergo valor sacrificij Missæ est intensivè infinitus.

96. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Licèt sacrificium seu oblatio non habeat infinitatem præcisè ex sola re oblata, aliàs quando B. Virgo in templo obtulit filium, illa oblatio fuisset infiniti valoris, habet tamen res oblata dare infinitatem sacrificio, quando simul conjungitur cum infinitate principalis offerentis: Sed in Missæ sacrificio infinitus valor rei oblatæ, conjungitur cum infinita dignitate principalis offerentis scilicet Christi: Ergo valor sacrificij Missæ est intensivè infinitus.

97. Probatur secundò eadem pars: Sacrificium Crucis fuit valoris infiniti quantùm ad sufficientiam: Ergo & Missæ sacrificium, valorem intensivè infinitum, quantùm ad sufficientiam continet. Consequentia probatur, tum quia sacrificium Missæ est idem numero cum sacrificio Crucis, ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, quamvis in ritu & ratione offerendi ab ea differat, ut docet Tridentinum suprà relatum. Tum etiam, quia vis satisfactoria ex opere operato est eadem in utroque sacrificio: Christus enim nunc de novo non satisfacit, sed per sacrificium Crucis semel satisfecit; & hæc satisfactio applicatur nobis per sacrificium incruentum Missæ.

98. Secunda verò pars conclusionis, quæ asserit valorem sacrificij Missæ, non esse infinitum quantùm ad efficaciam, seu ex parte effectûs, & fructûs, qui ex eo à fidelibus percipitur, evidens est, non enim remittitur tota pœna Sacerdoti offerenti, vel aliis pro quibus offertur, quia sicut in naturalibus causa universalis agit juxta dispositionem subjecti: ita sacrificium Crucis & Missæ, quæ sunt causæ universales in ordine supernaturali, non agunt nisi juxta mensuram dispositionis subjecti. Unde D. Thomas suprà quæst. 79. art. 5. dicit quod *quamvis hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna.* Quibus verbis S. Doctor reducit determinationem effectûs sacrificii Eucharistici, in dispositionem ejus pro quo offertur, non verò in intentionem Ministri offerentis. Quare diligèter observandum est cum Joanne à S. Thoma disp. 32. art. 3. quod remissio pœnæ ex meritis Christi dupliciter datur in Ecclesia, primò per indulgentias ex thesauro Ecclesiæ, secundò per sacrificium Missæ, quatenus habet vim satisfactoriam ex opere operato intensivè infinitam, fundatam in valore passionis Christi, & sacrificii Crucis, ut diximus. Primo modo determinatur remissio pœnæ, juxta intentionem applicantis, non juxta devotionem recipientis. Unde in concessione indulgentiarum ipsi Pontifices determinant quantitatem hujus remissionis, quia aliquando concedunt plenariam indulgentiam, quæ remittit totam pœnam; aliquando verò concedunt solùm tot annos, vel tot dies: in sacrificio verò Missæ Sacerdos offerens Missam pro aliquo, non determinat quantitatem pœnæ, quæ per hoc sacrificium remittenda est, neque hoc arbitrio ejus relinquitur; aliàs unico sacrificio totam pœnam tollere posset, subindeque applicatio unius Missæ indulgentiæ plenariæ posset æquivalere; sed talis determinatio provenit ex dispositione & devotione illius pro quo celebratur Missæ sacrificium, illique commensuratur.

99. Dico secundò, Missæ sacrificium habet valorem satisfactorium infinitum non solùm intensivè, sed etiam extensivè. Non enim solùm potest satisfacere pro omni pœna debita peccatis sive mortalibus sive venialibus; sed etiam pro pœna debita peccatis infinitorum hominum, si darentur; cùm enim sit idem cum sacrificio Crucis, ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, & vis satisfactoria ex opere operato eadem sit in utroque sacrificio, eandem habet cum illo infinitatem, sive intensivam, sive extensivam. Unde

100. Dico tertiò, hoc sacrificium oblatum pro pluribus, æquè prodest cuilibet, ac si pro uno tantùm offeratur.

Hæc conclusio sequitur ex dictis in præcedentibus: si enim valor sacrificii Missæ intensivè & extensivè infinitus sit, nihil tollitur de fructu debito devotioni illius pro quo offertur, per hoc quod

quod pro aliis offeratur, cùm infinitus valor nunquam exhauriri possit: ut benè expendit Cajetanus tomo 3. opusc. tract. 3. qu. 2. his verbis: *Quoniam ex parte rei oblatæ est infinitas in hoc sacrificio, & per unicam devotionem non exhauritur, nec minuitur, consequens est, ut non solum pluribus, sed infinitis devotionibus, unicum sacrificium sufficienter respondeat, cuilibet certam pariendo satisfactionem. Nihil igitur adimitur alicui facienti pro se offerre hoc sacrificium ex quantitate effectûs hujus sacrificij secundum se, & applicati ad ipsum, ex hoc quod alter procuret eandem pro se dici* (scilicet Missam) *nec è converso, sed unicuique respondet tantumdem, quantum si pro se solo diceretur: quia unicuique sufficienter & efficienter, juxta quantitatem devotionis suæ.* Et hic quæst. 79. art. 5. hæc scribit: *Una Missa non perdit vim satisfactionis suæ pro primo offerente, ex hoc quod pro secundo, tertio, quarto, quinto, &c. offertur: Sicut quantitas devotionis unius, nihil tollit de quantitate devotionis alterius. Unde arguendi, insteruendique simul sunt homines ignoranter petentes, vel exigentes pro sua eleemosyna totam sibi Missam dari, aut suo defuncto: nihil enim minùs ipse habebit, si mille alij petant eandem Missam pro seipsis & aliis defunctis, quàm si pro ipso solo celebrari dicatur: imò ex hujusmodi indevotione sic petentis, damnum videtur incurrere, quòd minùs sibi proderit.*

101. Confirmatur: Quando Sacerdos generaliter offert Missam pro circumstantibus, etiam si circumstantes sint multi, non minùs singulis prodest, quàm si quilibet eorum solus adesset; alioquin procurandum esset audire Missam cui nullus alius assistat, & melius esset audire Missam privatam, cui pauciissimi assistunt, quàm publicam & solemnem cui assistit omnis populus: Ergo similiter, quando Sacerdos applicat Missam pro pluribus nominatim & in particulari, pro se celebrari postulantibus, æquè prodest cuilibet eorum, ac si pro uno tantùm offerretur.

102. Argumenta quæ contra istas conclusiones à quibusdam Recentioribus objici solent, levissima sunt, & ex dictis facilè dilui possunt. Objiciunt enim primò: Sacrificium Missæ non est ita perfectum, ac sacrificium Crucis: Sed si esset infiniti valoris quoad sufficientiam, esset æquè perfectum, unum enim infinitum non est majus sive perfectius altero: Ergo sacrificium Missæ non continet infinitum valorem.

Secundò, Si sacrificium Missæ sit valoris quoad sufficientiam infiniti, sequuntur duo inconvenientia, nempè quòd cùm quis petit plures Missas, sufficit pro illo unam Missam offerre, in infinito enim non est opus multiplicatione. Item posse Sacerdotem pro eadem Missa plura stipendia, lege vel consuetudine taxata, à diversis accipere; nam, ut diximus in tertia conclusione, cuique æquè proderit, ac prodesset uni, si pro eo solo offerretur, & sic nulli in eo casu fiet injuria.

103. Sed ad hæc facilè respondetur: Ad primum enim, nego Majorem, nam cùm perfectio essentialis sacrificij desumatur à re oblata, & à principali offerente, & idem sit principalis offerens, eademque res oblata in sacrificio Crucis & in sacrificio Missæ, mirum videri non debet, si dicantur æqualis perfectionis essentialis, quamvis accidentaliter in modo offerendi differant.

Ad secundum respondeo, quoad primum inconveniens, non sequi ex nostra doctrina; licèt enim sacrificium Missæ sit valoris quoad sufficientiam infiniti, quia tamen ejus effectus limitatur devotione offerentis, & ejus pro quo offertur, prodesse possunt magis plura Missæ sacrificia, quàm unum.

104. Quantùm verò ad secundum inconveniens, nego etiam illud sequi ex nostra doctrina: Tum quia stipendia non dantur celebranti tanquam pretium fructûs sacrificij, sed tanquam eleemosyna ad vitam sustentandam, vel tanquam pretium ministerij quod exhibet, cui tanta compensatio non debetur, sed ea solùm quæ est taxata à lege, vel à consuetudine. Tum etiam quia intentio tribuentis stipendium, non solùm est, ut sibi sacrificij fructus applicetur, sed etiam ut frequentatione Missarum, divinus cultus augeatur, & tam vivorum, quàm defunctorum animæ, plurimorum sacrificiorum suffragiis juventur. De quo plura articulo sequenti.

Articulus VI.

De stipendio Missarum.

105. Dico breviter, Sacerdotes qui suas Missas obligatas non habent, stipendium aliquod pro Missa dicenda accipere posse.

Ratio est, quia lex justitiæ postulat, ut *qui altari deservit, de altari vivat*, ut dicitur 1. ad Corinth. 9. & quod hi qui in bonum aliorum occupantur, spiritualia ministrando, mutuò ab illis sustententur. Unde Glossa Augustini super illud 1. ad Timoth. 5. *Qui benè præsunt Presbyteri, &c.* ait: *Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino.* Ex quo colligit S. Thomas 2. 2. quæst. 87. art. 1. quod dare decimas ministris Dei, in ipsorum vitæ sustentationem, sit de jure naturæ, quamvis determinatio ad certam taxam, sit de jure positivo. Unde sequitur, non solùm Sacerdotes pauperes, sed etiam divites, posse pro Missa stipendium recipere; quia hoc non datur Sacerdoti solùm titulo paupertatis & eleemosynæ necessariæ ad honestam vitæ sustentationem, sed etiam titulo ministerij, quod exercet: unde sicut miles aliàs dives, justè accipit suæ militiæ stipendium, nam *quis militat suis stipendiis unquam?* 1. ad Corinth. 9. & sicu Sacerdotes, quamvis divites, justè accipiunt decimas; ita & Missæ stipendium justè possunt accipere & exigere.

106. Dixi Sacerdotes *qui suas Missas obligatas non habent*, quia illi qui aliquo justo titulo celebrare tenentur, non possunt illis diebus quibus tenentur celebrare, stipendium pro Missa recipere, ut determinavit Sacra Congregatio Concilij anno 1626. his verbis: *Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare, ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij si eleemosynas etiam pro aliis Missis celebrandis susceperint, non possunt eadem Missa utrique obligationi satisfacere.* Ex quo intelliges primò, quod cùm Parochi; diebus saltem festivis, teneantur sacrificium offerre pro suis ovibus, & ad hoc jam habeant stipendium stabile, ratione beneficij, ad hujusmodi Missas celebrandas, non possunt justo titulo stipendium exigere. Nisi fortè illis diebus quibus pro ovibus celebrare tenentur, huic obligationi per alium satisfecerint; tunc enim stipendium pro Missa recipere possunt, sicut & aliis diebus quibus pro suis ovibus celebrare non tenentur.

107. Intelliges secundò, in prædicto Missarum stipendio, nullam interveniri simoniæ labem, quia

Universidad de Deusto
Biblioteca

stipendium non datur pro ipsa Missa, & veluti pretium ejus, sed vel pro sustentatione Ministri, aut pro ipso externo ministerio, quæ sunt aliquid temporale. Pro ministrandis verò aliis sacramentis, non potest, etiam titulo sustentationis, aliquid recipi; quia Ecclesia sustentationem Ministri, in Missarum oblatione, non verò in aliis ministeriis sacris designavit, & pro ministrandis aliis sacramentis, sufficienter provisum est Ministris, per decimas, & primitias, aliosque redditus Ecclesiasticos, vel per generales eleemosynas quæ dantur Regularibus. Unde in Rituali Pauli V. in Rubricis de sacramentis in genere, statuitur quod non possit aliquis recipere quidquam in ministratione Sacramentorum, nisi in casu quo aliquid gratis detur, post administrationem factam, & sit in usu, & non prohibeatur ab Episcopo.

108. Tertiò ex dictis intelliges, justum Missæ stipendium non debere mensurari penes valorem sacrifiij, qui (ut diximus articulo præcedenti) infinitus est; neque penes effectum quem percipit qui dat stipendium, quia illæ res sunt quid spirituale; sed vel ex lege Ecclesiastica taxante, vel ex justa & rationabili consuetudine, vel si hæc deficiunt, ex honesta & frugali Sacerdotis in unum diem sustentatione. Nec placet aliquorum sententia, qui id extendunt, non solùm ad Sacerdotis sustentationem, sed reliquarum etiam personarum, quæ in ejus famulatu occupantur, imò & cognatorum, adduntque posse Sacerdotem exigere stipendium sufficiens, non solùm ad victum, sed etiam ad vestitum, & reliqua vitæ humanæ necessaria, usque ad ipsa Sacerdotis debita solvenda, cùm ista apertè redoleant avaritiam.

109. Quæres primò, an possit quis recipere plura stipendia pro Missis, & postea distribuere aliis, retentâ sibi aliquâ parte, dummodo justum stipendium tribuat? v. g. recipit quis Parisiis triginta asses pro una Missa, & postea jubet alteri illam dicere, dando illi quindecim asses, juxta taxam Diœcesis Parisiensis; quæritur an possit hoc justè fieri? Affirmant Suarez hìc disp. 86. sect. 3. Emmanuël Sa, aliique ex recentioribus Casuistis: quia (inquiunt) nulli fit injuria in hoc, nec danti stipendium, quia assignatur ei una Missa, sicut eam petivit; nec Sacerdoti illam dicenti, quia datur ei justa eleemosyna & stipendium, juxta taxam & consuetudinem Diœcesis Parisiensis.

110. Hæc tamen sententia, neque est probabilis, neque tuta. Primum ex eo patet, quòd Sacerdos ille qui triginta asses pro una Missa recepit, non habet jus retinendi dimidiam partem hujus pecuniæ: nec titulo gratuito, quia illi non fit donatio talis partis à vero domino; neque titulo oneroso, quia ipse non subiit onus dicendi Missam; neque ratione Ministerij in quærendo Sacerdotem, quia suâ voluntate id facit, eò quòd non vult dicere illas Missas; neque ille labor est tanti momenti, ut debeat retinere illam partem; unde facit injuriam & vero domino qui triginta asses pro celebratione Missæ assignavit, & Sacerdoti dicenti illas Missas, quia sine consensu illorum, retinet sibi partem destinatam stipendio Missæ.

111. Secundum verò, nimirum quòd sententia illa tuta non sit, constat ex decisione sacræ Congregationis Concilij die 21. Julij anni 1625. quæ definivit non posse Sacerdotem, majori accepto stipendio pro Missæ celebratione, partem retinere. Verba ejus sunt: *Sacra Congregatio omne damnabile lucrum, ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ celebrandam committat.*

Advertendum tamen est, quod qui habet Beneficium, cui est annexum onus Missarum, si commendat alteri Sacerdoti illas Missas, non tenetur dare stipendium ad rationem redditus Beneficij, sed sufficit quod tribuat eleemosynam congruam, secundùm morem illius loci, nisi aliud in fundatione caveatur. Ita resolvit eadem sacra Congregatio in decretis de celebratione Missarum dubio 8. Ratio verò discriminis inter Beneficiarium & alium simplicem Sacerdotem, alteri Missas commendantem, manifesta est, nam ut suprà dicebamus, simplex Sacerdos cui pingue stipendium pro celebratione unius Missæ tributum est, nullum habet jus ad retinendum sibi partem illius, assignando aliam alteri cui Missam commendavit: Beneficiarius verò ad hoc titulum habet, scilicet Beneficium, cui aliàs est annexum onus recitandi divinum officium, & alia similia onera. Unde quando commendat Missas aliis, tanquam proprius dominus id facit, & sic non tenetur nisi consuetam eleemosynam dare. 112.

Quæres secundò, utrum si petentes Missam, non dant justum stipendium, possit Sacerdos à diversis tot parva stipendia accipere, ut adæquent unum justum, & pro illis unam solùm Missam celebrare? Affirmant multi Casuistæ, quia (inquiunt) tunc fit injuria Sacerdoti, & ipse potest se indemnem servare, quamvis promiserit pro quolibet Missam celebrare: sicut famulus & operarius, cui condigna merces non tribuitur, potest damnum suum, ut potuerit, resarcire; etiam si in principio ob paupertatem coactus sit pacisci, pro injusto & inæquali stipendio; & similiter qui ob necessitatem cogitur triticum emere injusto pretio, potest sine injustitia, aliâ viâ se indemnem servare. 113.

Hæc sententia, attento jure naturali, videtur satis probabilis. Sed post determinationem, seu prohibitionem prædictæ Congregationis Concilij, nec est tuta, nec ad praxim reducenda. Verba prohibitionis hæc sunt: *Deinde pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, plura stipendia, quantumcumque incongrua & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicij mandat ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; alioqui graviter peccant, & ad restitutionem tenentur.* 114.

Quæres tertiò, an possit aliquis anticipatè dicere Missas pro his qui sibi offerent postea stipendia, & ita quando dantur eleemosynæ, satisfacere applicando Missas jam dictas illâ intentione? Affirmant plures ex recentioribus Casuistis, quos refert Martinez à Prado hìc dubio 13. §. 6. ut hac pia opinione (inquiunt) subveniatur paupertati quorundam Sacerdotum, qui dum assignata stipendia non habent, quando Missas celebrant, earum applicationem sibi in futurum reservant, accepturi stipendia ab iis qui in futurum à se Missas petierint; nam in potestate Sacerdotis videtur esse sacrificij fructum suspendere. 115.

Verùm quia multa sunt quæ hanc sententiam periculosam reddunt, examinari cœpta est à Sacra Congregatione Concilij sub Clemente VIII. anno 116.

anno 1605. & postea tempore Pauli V. damnata; scripitque Sacra Congregatio ad Nuntium Apostolicum in Hispania, ubi hæc consuetudo vigebat, ut in omnibus illius regni provinciis, *tanquam pluribus nominibus periculosa, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxia; utque à vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrens, prohiberetur.* Quæ prohibitio extat inter responsa Congregationis.

117. Quæres quartò, an possit Sacerdos duplex stipendium pro unica Missa accipere, unum quidem pro applicatione fructûs medij, quem pro determinatis personis, ex usu Ecclesiæ, celebrans offerre solet, & alterum pro applicando alteri fructu sibi proprio, cui ipse renuntiat, & cedit alteri?

Affirmativè respondent plures ex recentioribus Casuistis, quos referunt Martinez à Prado ubi suprà §. 5. & Angelus Maria Vericelli, quæstionum moralium Tract. 2. quæst. 29. Sed alij communiter hanc sententiam ut falsam & scandalosam rejiciunt: Tum quia valdè incertum est, an possit fructus ille Sacerdoti proprius, qui spiritualis, vel specialissimus dicitur, alteri applicari; videtur enim esse beneficium personale, & alteri incommunicabile. Tum etiam, quia esto applicabilis sit; valdè tamen scandalosum est, quod Sacerdos huic fructui spirituali propter modicam pecuniæ summam renuntiet, & rem spiritualem in avaritiæ turpe lucrum commutet. Unde meritò hæc sententia à Sacra Congregatione Concilij die 25. Januarij anni 1659. proscripta & prohibita fuit, decreto sequenti.

DECLARATIO SACRÆ Congregationis Concilij SS. D. N. Alexandri Papæ VII. jussu edita, super secundo Decreto ejusdem Congregationis, de celebratione Missarum.

» Cum Auctores nonnulli scriptis suis, etiam typis editis, asseruerint, Sacerdoti pro alio » Missam, receptâ eleemosynâ, celebranti, licitum » esse, aliam eleemosynam quoque accipere ab alte» ro, cui partem illam fructus, seu valoris ejus» dem sacrificij, ipsimet celebranti debitam (spe» cialem nuncupatam) applicet; ac proinde hunc » casum sub decreto Sacræ Congregationis Conci» lij, prohibente duplex pro unica Missa stipen» dium, seu eleemosynam recipi, non esse compre» hensum. Propterea Sacra Congregatio Eminen» tissimorum & Reverendissimorum D.D. S.R.E. » Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, » quæ, auctoritate sibi per Apostolicam Sedem » specialiter attributa, sedulò curat, ne à Sacerdo» tibus circa celebrationem Sacrosancti Missæ Sa» crificij, unde in nos uberrima divinæ liberalita» tis munera derivantur, avaritiæ labes ulla, aut » suspicio contrahatur: ante dictam assertionem » maturè examinavit, eademque prorsus reproba» tâ, sub die 25. Januarij 1659. censuit: *Nulli » Sacerdoti licitum esse, præfatâ ratione, sive prætex» tu, aliam eleemosynam accipere, præter illam quam » accipit ab eo, pro quo Missam offerre tenetur. Ac » proinde casum hunc esse comprehensum in Decretis » aliàs per eandem Sacram Congregationem Concilij » editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro » unica Missa recipiatur.*

Quam Sacræ Congregationis sententiam ad Sanctissimum Dominum N. Alexandrum Papam VII. relatam, Sanctitas sua, sub die 29. ejusdem mensis approbavit, & Decretum publicari, atque ad Episcopos, & Generales Regularium Ordinum transmitti jussit, ut ipsi doctrinam hujusmodi per suos Pœnitentiarios, & Confessarios, ac Lectores, respectivè, insinuari, doceri, atque in Tractatibus Moralibus per eosdem imprimendis, evulgari, pastorali vigilantiâ curent.

F. Card. Paulutius Præfectus.

C. de Vecchiis Episcopus Clusinus, Sacræ Congregationis Concilii Secretarius.

Ad majorem hujus perutilis materiæ elucidationem, & aliorum casuum resolutionem, aliqua, quæ ab omnibus ferè Theologis & Casuistis admittuntur, breviter hìc observanda sunt. Primò, eum qui accepit stipendium pro celebranda Missa peculiari B. Virginis, aut alicujus Sancti, satisfacere, si dicat sacrum, quale occurrit eo die; saltem nisi stipendium notabiliter augeatur, propter illam conditionem; meliusque esse sic facere diebus festis, aut duplicibus; quia melius est servare ordinem Missalis, quàm ob privatam devotionem illum invertere. Secundò, eum qui ratione fundationis, aut stipendij, debet alicubi celebrare, satisfacere dummodo alibi celebret, nisi qui stipendium dat, aut fundator id voluerit, propter specialem cultum illius loci, vel commoditatem populi, ut ibi sacrum audire possit, vel ob decus & memoriam suæ familiæ, ad quam talis locus pertinet. Tertiò, posse augeri stipendium, ex rationabili causa, & Sacerdotem illud exigere, ut pro labore extraordinario eundi ad Ecclesiam longinquam, vel expectandi longo tempore, vel celebrandi summo mane, cum suo incommodo. Similiter est in usu rationabili, majus exigere stipendium pro Missa solemni cantanda; quia ultra Missam, debetur eleemosyna pro cantu, & pro assistentia vel Capituli vel Communitatis Religiosorum. 118.

Demum observandum est, quod cùm in suprà relatis Congregationis Concilij decretis, solùm prohibeatur quod accipiantur plura stipendia pro una Missa, non verò quod illa pro pluribus sine stipendio gratis applicetur; Sacerdos obligatus ex stipendio accepto ad celebrandum pro aliquo, potest ex charitate, vel gratitudine, pro parentibus, amicis, vel benefactoribus, eandem Missam applicare. Quod maximè (inquit Lezana) notandum est pro Regularibus, quia ipsi sæpiùs in Conventibus pauperibus tenentur pro aliquibus propter stipendia accepta semper celebrare, & tamen sæpiùs occurrunt causæ propter quas debeant etiam pro aliis, saltem ex charitate, vel ex Constitutionibus Ordinum, aut præceptis Superiorum, Missam offerre: ut contingit si moriantur, aut in gravi aliqua necessitate constituti sint eorum parentes, consanguinei, fratres ejusdem Religionis, amici, protectores, patroni, benefactores, &c. Tunc enim ex charitate vel gratitudine sacrificium offerre possunt pro illis, etsi ab aliis pro Missa celebranda stipendium acceperint. 119. *Verbo Missa num. 22.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICULUS VII.

Præcipuæ Missæ cæremoniæ, breviter explicantur.

120. AD complementum hujus disputationis, & totius Tractatûs de Eucharistia, superest ut præcipuas Missæ cæremonias breviter explicemus; de quibus eruditè ac perspicuè agit S. Thomas art. 4. hujus quæstionis, ubi ostendit, hoc sacramentum majori cum dignitate, quàm cætera omnia celebrari; quia totum salutis nostræ mysterium in eo comprehenditur. Ac primò quidem ante illius celebrationem præmittitur quædam præparatio ad dignè agenda ea quæ sequuntur, juxta illud Ecclesiastici 4. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Domini.* Cujus præparationis una pars est confessio, juxta illud Prov. 18. *Justus in principio accusator est sui.* Altera pars est laus divina, quæ fit in Introïtu, secundùm illud Psalmi 49. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Sumiturque ordinariè ex Psalmis, quia ut ait Dionysius cap. 2. Eccles. Hierarchiæ, Psalmi comprehendunt per modum laudis quidquid in Sacra Scriptura continetur.

121. Secundò fit commemoratio præsentis miseriæ dicendo novies Kyrie aut Christe eleison, ter scilicet pro qualibet Personarum Divinarum, & ad significandum Personas divinas esse in se invicem per circumincessionem. Novies verò contra novem genera peccatorum: originale, veniale, mortale; cogitationis, loquutionis, perpetrationis; fragilitatis, ignorantiæ, malignitatis, ut ait Innocentius III. lib. 2. de mysteriis Missæ cap. 19. Græcè autem dicitur, propter quatuor causas, inquit Albertus Magnus Tract. 1. de Sacrificio Missæ cap. 2. Primò quia sapientia primùm apud Græcos floruit. Secundò, quia leges apud eosdem primò viguerunt. Tertiò, quia primi ex Gentilibus Evangelium audierunt. Quartò, quia ex illis ad nos fides ac religio Christiana derivata est. Vel ut ait Augustinus Epist. 178. ut ostendatur una Dei misericordia universis indifferenter nationibus imploranda; sicut ὁμόσιον ad consubstantialitatem fidei exprimendam, Latinè usurpamus, quia Trinitas est ab omnibus indifferenter confitenda.

122. Tertiò commemoratur cœlestis gloria, ad quam tendimus post præsentem vitam & miseriam, dicendo, *Gloria in excelsis Deo*, qui hymnus cantatur in Festis, in quibus commemoratur cœlestis gloria, non autem in officiis luctuosis, quæ ad commemorationem præsentis miseriæ pertinent.

123. Quartò Sacerdos salutat Populum verbis illis, *Dominus vobiscum*, qui salutandi modus sumitur ex Scriptura Ruth. 2. & 2. Paralipom. 15. & Lucæ 1. Populusque respondet, *Et cum spiritu tuo* quo precatur Deum esse quoque cum spiritu Sacerdotis, illique assistere ad peragendum sacrificium, aut velle se cum illius spiritu conjungi. Quæ cæremonia antiquissima est, ejusque meminit Concilium Braccarense Can. 21. ubi illam à traditione Apostolica fluxisse testatur, & Chrysostomus homil. 18. in Epist. 2. ad Corinth. ubi sic ait: *Benè precatur Sacerdos populo, & benè precatur populus Sacerdoti. Nam (cum spiritu tuo) nihil aliud est quàm hoc*, &c.

124. Quintò Sacerdos Orationem pro populo facit, ut digni habeantur omnes tantis mysteriis: quæ Oratio *Collecta* vocatur, vel quia fit nomine totius Populi in unum collecti cum Spiritu Sacerdotis: vel quia Sacerdos omnium orationes compendiosè colligit. Unde in fine hujus Orationis, seu Collectæ, Populus respondet, *Amen*, id est fiat sicut postulasti.

125. Sextò, cùm Eucharistiæ mysterium sit sacramentum fidei, populus de mysteriis fidei instruitur, primò per doctrinam Prophetarum & Apostolorum, dictam vulgò Epistolam, deinde perfectiùs per lectionem Evangelij, quo finito, recitatur Symbolum fidei diebus Dominicis, & præcipuis Festis, ad profitendum nos credere doctrinæ Christi per Evangelium annuntiatæ.

126. Hæc omnia olim appellabantur Missa Catechumenorum, quia eo usque licebat illis interesse celebrationi Missæ. Unde post verbum Dei prædicatum, & Symbolum recitatum, antequam Sacerdos ad consecrationem se præpararet, à Diacono Catechumeni dimittebantur, verbis illis, *Ite Missa est.* Quibus dimissis secunda pars Missæ inchoabatur, quæ Missa sacrificij appellabatur, & ab offertorio incipiebat, quo Sacerdos sacrificij mox futuri oblationem Deo facit, & postea altare thurificat: quam cæremoniam D. Thomas hîc art. 5. ad 2. ad duo pertinere dicit. Primò quidem ad reverentiam hujus sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur si quid pravi odoris in eo loco fuerit. Secundò ad repræsentandum effectum gratiæ, quâ sicut bono odore Christus plenus fuit, & à Christo derivatur ad fideles, ministerio & interventu Sacerdotum, juxta illud 2. ad Corinth. 2. *Odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco.* Addo ex Philone Carpathio in illud Canticorum: *Ex aromatibus mirrhæ & thuris*, per thurificationem moneri fideles, ad cœlestia ferventi desiderio ascendere, instar fumi è thure incenso ascendentis, & ut ejus verbis utar, *Cor suum ignitum veluti thuribulum coram Deo odoratissimum facere, in quo quidem corde, cùm per amorem virtutes colligimus, quasi carbones in thuribulum congerimus, quibus seipsam mens in conspectu Dei igne charitatis accendat. Dumque ferventes & mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum ex thuribulo exhalat.* Et ex Hilario in Psal. 140. circa illa verba, *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, significari devotionem celebrantis & assistentis debere ad Deum esse directam, puram, & rectam. Et ex Augustino, vel alio apud ipsum, tomo 9. hom. 6. in Apocal. thuribulo Christum significari: *Cujus corpus sanctum* (inquit) *thuribulum aureum est, ex quo Deus Pater passionis incensum, odorem suavitatis accepit.*

127. Thurificato altari, Sacerdos digitos abluit, propter reverentiam hujus sacramenti. *Et hoc dupliciter* (inquit S. Thomas hic art. 5. ad 1.) *Primò quidem, quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus, nisi manibus ablutis, unde indecens videtur quod ad tantum sacramentum aliquis accedat, manibus etiam corporaliter inquinatis. Secundò, propter significationem, quia ut Dionysius dicit cap. 3. Eccles. Hierarchiæ; extremitatum ablutio significat emundationem etiam à minimis peccatis, secundùm illud Joan. 13. Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet: Et talis emundatio requiritur ab eo qui accedit ad hoc sacramentum.* Similia habet Germanus Constantinopolitanus in Theoria seu contemplatione rerum Ecclesiasticarum, tomo 12. Bibliothecæ Patrum: *Ablutio manuum* (inquit) *est ejus vice qui se lavit innocentes manus, Innocens sum: Nobis autem Sacerdotibus insinuat, ut puri mente, conscientiâ, cogitatione, (quæ sunt manus nostrarum animarum) cum timore, mansuetudine, ac moderatione accedamus ad mensam sanctam &c.* Alludit porro ad Pilatum, qui ante Christi crucifixionem, quam Sacramentum istud velut memoriale repræsentat, *lavit manus coram populo dicens, innocens ego sum à sanguine justi hujus*, Matthæi 17.

128. Ablutis digitis Sacerdos præparat se ad consecrationem, quæ cùm sit actio supernaturalis, totiusque naturæ vires transcendens, auxilium precum ad illam ritè peragendam petit à fidelibus, convertens se ad populum ait: *Orate fratres ut meum ac vestrum pariter in conspectu Domini sit acceptum sacrificium*, & orans paululum secretò, per præfationem excitat populum ad fervorem devotionis & ad mentem sursum attollendam, & finitâ præfatione, devotè laudat Divinitatem Christi, cum Angelis dicens: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, & humanitatem cum pueris, subdens: *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

129. His peractis inchoat Canonem in quo fit commemoratio Summi Pontificis, Episcopi, Regis, aliorumque qui in sublimitate sunt constituti, & specialiter eorum pro quibus offertur sacrificium: deinde Sanctorum, quorum patrocinia Sacerdos implorat pro prædictis, cùm dicit, *Communicantes & memoriam venerantes*, & petitionem concludit dicens: *Ut hæc oblatio sit illis pro quibus offertur salutaris.* Postea ad ipsam consecrationem accedit, in qua primò petit consecrationis effectum, cùm dicit: *Quam oblationem tu Deus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris.* Quæ verba (ut exponunt Alcuinus, Innocentius III. Hugo Victorinus, D. Thomas, & alij significant, Sacerdotem à Deo petere, ut ipse oblationem ejus consecrando, benedictam ex prophana efficiat; eandemque approbando, faciat adscriptam, id est adscribat & numeret inter dona quæ ipsi probantur: confirmando ratam efficiat, id est stabilem & firmam, ut fructum certum, & perpetuum ad nos referat: rationabilem quoque faciat, ut non solùm bona, sed etiam benè, rationabiliter, & prudenter offeramus, ac sit rationabile obsequium nostrum, juxta Apostolum ad Roman. 12. Denique acceptabilem faciat, id est, ita undique benè se habentem, non solùm ex parte doni, sed etiam est parte ministri offerentis, ut digna sit quæ à Deo acceptetur. Secundò Sacerdos consecrationem peragit per verba Salvatoris, cùm dicit: *Qui pridie quam pateretur.* Tertiò excusat præsumptionem, per obedientiam ad mandatum Christi, subdens: *Unde & memores.* Quartò petit hoc sacrificium peractum esse Deo acceptum, cùm ait: *Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, &c.* Quintò petit hujus sacrificij & sacramenti effectum, cùm sibi & aliis communicantibus, vel assistentibus, tum etiam mortuis, ut illis prosit ad refrigerium & levamen pœnarum.

130. Notandum verò est, Sacerdotem multiplex signum Crucis facere super oblata, ante & post consecrationem, de quo fusè D. Thomas art. 5. ad 3. Alcuinus in libro de celebratione Missæ, Amalarius lib. 3. de Officiis Ecclesiasticis cap. 24. Innocentius III. lib. 3. de officio Missæ cap. 11. & Micrologus cap. 14. ubi observat ejusmodi signa fieri semper aut semel aut numero impari, ter scilicet, aut quinquies. *Semel propter essentiæ unitatem. Ter propter Trinitatê personarum. Quinquies propter vulnera Christi Domini, & expressam repræsentationem passionis ipsius.* Notat etiam Sanctus Thomas, signa Crucis quæ fiunt super oblata ante consecrationem, fieri ad benedicendum & consecrandum materiam, ea verò quæ fiunt super ipsum corpus & sanguinem Christi post consecrationem, non fieri ad benedicendum materiam, quæ jam consecrata est, sed solùm ad commemorandum virtutem Crucis; & modum passionis ejus. Porro usum signi Crucis in sacramentorum celebratione antiquissimum esse, constat ex Cypriano, vel alio ejus contemporaneo, in libro de baptismo Christi, ubi sic ait: *In Cruce Domini gloriamur, cujus virtus omnia peragit sacramenta: sine qua nihil aliud est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum.* Et ex Chrysostomo homiliâ 55. in cap. 16. Matthæi, ubi hæc scribit: *Hoc signo Crucis consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons Baptismatis, initiantur etiam Presbyteri, & cæteri gradus Ecclesiastici, & omnia quæcunque sanctificantur, hoc signo Dominicæ Crucis, cum invocatione Christi nominis, consecrantur.* Augustinus etiam Tractatu 118. in Joan. ait quod nisi signum Crucis adhibeatur, *sive ipsi aquæ, quâ Fideles regenerantur; sive oleo, quo Chrismate unguntur; sive sacrificio, quo aliuntur, nihil eorum ritè perficitur.*

131. Insuper notandum est, duplicem fieri à Sacerdote hostiæ elevationem, unam quidem ante consecrationem, in Offertorio, ut vocant, cujus mentio fit in omnibus ferè liturgiis, valdeque convenit sacrificio: qua de causa solebant in testamento veteri elevari coram Deo ea quæ ipsi offerebantur in sacrificium, ut videre est Leviti. 8. & 9. aliisque locis. Alteram verò post consecrationem, tum ut hostia populo ostendatur, & adoranda proponatur; tum etiam ad repræsentandum Christum in Cruce exaltatum & mortuum, ut ait S. Germanus Constantinopolitanus in Theoria. Ad hanc porrò hostiæ elevationem plures referunt illud Psalmi 71. *Et erit firmamentum in terra, in summis montium*, id est juxta Hebræum, *Erit pugillus vel particula frumenti in capite montium*; & juxta interpretationem Rabbi Jonathæ, qui vixit ante Christum, *Placenta panis fiet sacrificium in capitibus Sacerdotum qui sunt in Ecclesia.* De quo suprà. *Art. 1. §. 2.*

132. Tertiò observandum est ex D. Thoma hîc art. 4. ad 9. quod quando Sacerdos post consecrationem ait: *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum:* Non petit neque quod species sacramentales deferantur in cœlum, neque corpus Christi verum, quod ibi esse non desinit; sed petit hoc pro corpore mystico, quòd scilicet orationes Sacerdotis & populi, Angelus assistens divinis mysteriis, Deo repræsentet secundùm illud Apocalypsis 8. *Ascendit fumus incensorum de oblationibus Sanctorum, de manu Angeli.* Sublime autem altare Dei dicitur, vel ipsa Ecclesia triumphans, in quam transferri petimus, vel ipse Deus cujus participationem petimus; De hoc enim altari dicitur Exodi 20. *Non ascendes ad altare meum per gradus*; id est) secundùm Glossam) *in Trinitate gradus non facies.* Vel per Angelum intelligitur ipse Christus, qui est *Magni Consilij Angelus*, qui corpus suum mysticum Deo Patri conjungit & Ecclesiæ triumphanti. Quam interpretationem indicat etiam Author Gemmæ animæ lib. 1. de antiquo Missarum ritu cap. 106. alteram verò de angelico

Universidad de Deusto
Biblioteca

ministerio preces nostras ad Deum transmittente, Christique ad nos missione, tradit Innocentius III. lib. 5. de mysteriis Missæ cap. 6. his verbis: *Per manus Angeli tui, hoc est per ministerium Angelorum, secundùm illud quod ait Angelus ad Tobiam: Quando orabas Deum cum lachrymis, obtuli orationem tuam Domino.* Et paulò infrà: *Hinc etiam evidenter apparet, quod Angeli semper in sacrificiis præsentes assistunt.* Quod paulò ante ostenderat ex Gregorio lib. 4. Dialogorum cap. 58. dicente: *Quis fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio, Angelorum choros adesse, terrena cœlestibus jungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri?*

133. Denique ad pleniorem Canonis intelligentiam, Advertendum est, quod quando Sacerdos in commemoratione defunctorum orat pro animabus fidelium, *qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*, & à Deo petit, ut *locum refrigerij lucis, & pacis* obtineant, non petit ut obtineant quod jam asseruerat illas habere, ut ineptè objiciunt Sectarij; sed postulat ut animæ fidelium defunctorum, quæ jam quandam pacem & quietem habent, utpotè à bello tentationum immunes, & de præmio æternæ felicitatis securæ, locum perfectæ pacis & beatitudinis obtineant, & quietem habeant à tormentis, & à desiderio visionis divinæ, quo præcipuè anguntur & cruciantur. Illud verò quod ait Ecclesia in Offertorio Missæ pro defunctis: *Ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscura*, dicitur de animabus illis consideratis quatenus mox è corpore egressuris, & coram tremendo Dei judicio sistendis: similique prosopopœiâ, quâ etiam nunc Ecclesia Christum interdum considerat, ut ante adventum, quando has voces Prophetarum usurpat: *Veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ Israël. Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Usurpatur autem ab Ecclesia illa prosopopœia, ut magis excitet fideles ad commiserationem hujusmodi animarum, & ad apprehensionem divini judicij.

134. Peractâ defunctorum commemoratione, Sacerdos ad communionem se disponit, & alios communicantes, tum per Orationem Dominicam, cujus una petitio est de pane quotidiano & supersubstantiali: tum etiam per osculum pacis quod datur paulò post, ut significetur Eucharistiam esse sacramentum unitatis & pacis. Quam cæremoniam antiquam esse liquet ex Dionysio lib. de Eccles. hierarchia cap. 3. Clemente lib. 8. Constit. cap. 5. Tertulliano lib. de Oratione cap. 14. & Chrysostomo lib. 1. de compunctione cordis cap. 3. cujus verba sunt: *Osculum pacis porrigere, tempore quo sacramenta celebrantur in usu Ecclesia est.* Et homil 51. ad populum Antiochenum: *Propterea & in mysteriis alter alterum amplectitur, ut unum multi fiamus.* Olim autem in primitiva Ecclesia, ut refert Clemens citatus, secernebantur viri à fœminis, quoad osculum pacis, imò & quoad locum in templo; & viri viros, fœminæ fœminas osculabantur, modestiæ causâ, & ad vitandam omnem impudicitiam.

A Nunc verò, crescente malitiâ, & refrigescente charitate, non datur osculum immediatè, sed tantùm mediante patenâ, vel imagine, aut aliâ re sacrâ. In Missis verò defunctorum, in quibus sacrificium offertur non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur.

135. Ante communionem Sacerdos hostiam in tres partes dividit, & unam in calicem immittit, & sanguini immergit. Cujus cæremoniæ mentio fit in Canone *Cum frangitur*, sumpto ex libro sententiarum Prosperi, de consecrat. dist. 2. ubi sic dicitur: *Cùm frangitur hostia, quid aliud quàm Dominici corporis in Cruce immolatio designatur?* Ejusdem fractionis meminit Paschasius libro de corpore & sanguine Christi cap. 18. ubi sic ait: *Itaque in tres partes hostia dividitur, eaque divisio super calicem fieri consuevit.* Et Stephanus Eduensis libro de Sacramento altaris capite 18. *Frangitur* (inquit) *hostia, & in tres partes dividitur sanctæ Trinitati dedicata. Quarum una in calicem demissa, sanguini immergitur, pro illa parte Ecclesiæ, quæ naufragio hujus sæculi agitata, multis perturbationibus passionum concutitur. Aliæ duæ extra calicem, sunt pro illis, quarum una igne examinatur, quæ est fidelium; altera est sanctorum, quæ cum Christo regnat in æternum.* Similia docet D. Thomas hîc art. 5. ad 7. & 8.

136. Deinde sequitur perceptio sacramenti, primò percipiente Sacerdote, & postmodum aliis dante, juxta illud Dionysij in libro de Ecclesiastica hierarchia versùs finem: *Ipsa mysteriorum perceptio, mysticam eorundem distributionem antecedit; hic enim rerum divinarum ordo ac distinctio generalis est, ut prius ipse sacer Antistes communicet, ac iis donis quæ per ipsum cæteris divinitus distribuenda sunt, satietur, ac deinde aliis ea tradat.* Unde meritò plures viri docti improbant præposterum quorundam usum, qui sibi sacram exhiberi communionem ab initio Missæ petunt, & nimiam facilitatem & indulgentiam aliquorum Sacerdotum, qui eorum importunæ petitioni, citra necessitatem, acquiescunt.

137. Peractâ communione tota Missæ celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterij (quod significat cantus post communionem) & Sacerdote per orationem gratias offerente, sicut & Christus celebratâ cœnâ cum Discipulis, hymnum dixit Matthæi 20. Tandem Diaconus populum dimittit, per hæc verba, *Ite Missa est*, cui à ministro, nomine populi, respondetur, *Deo gratias*, & sic gratiarum actione cuncta concluduntur, & sacrum perficitur Eucharistiæ sacrificium; *quod dum peragimus* (inquit Gregorius) *necesse est, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo verè pro nobis hostia erit Deo, cùm nosmetipsos hostiam fecerimus* (quod per contritionem & pœnitentiam peccatorum præstamus) *carnem pro carne reponentes, pro sancta sanctificatam, pro casta castigatam; pro effuso sanguine in ara Crucis, effusum sanguinem in rubore confessionis*, ut bellè Petrus Cellensis ait. Sed de hoc fusè Tractatu sequenti, in quo de sacramento Pœnitentiæ disseremus. *Lib. 4. Dialog. cap. 59.*

TRACTATUS QUINTUS.
DE POENITENTIA.

Ad quæstionem 85. Divi Thomæ, & alias sequentes.

PRÆFATIO.

EA est (AMICE LECTOR) *humanæ naturæ vitioque propagatæ infirmitas, & in scelera omnia, quibus penè suâ origine destinatur, proclivitas; ut pluribus remediis egeat, nec uno duntaxat, aut sanitatem recuperet, aut recuperatam tueatur. Curatur equidem genialis morbus cœlesti lavacro, & revocatur unius Parentis noxâ perdita salus: Sed non adeò integra curatio fit, nec ita pristina valetudo redit, ut non veteris morbi, & qui intima quæque, medullas, fibrasque pervaserat, reliquiæ plures supersint; animi languor, effrænis in bonum sensibile, & sæpiùs rationi adversum, pronitas, impetus, & ardor, quibus iterum in infirmitates relabimur, eò graviores, quòd primæ succedant, & iis omnibus partibus, in quibus patere poterat vulneri locus, naturam vulneratam inveniant. Condonatur equidem, cùm in sortem filiorum, regenerationis lavacro coaptamur, injuria olim in Deum admissa, unius crimine quo posterorum voluntates regebantur: sed iterum injuriis, sceleribusque Deum provocamus, eò minùs ferendis, quòd jam amantissimum Patrem petant, à quo è servorum & mancipiorum infimâ sorte, ad statum juraque liberorum fueramus provecti. Sacri equidem Baptismatis unda, velut aurea clavis, feliciorem quàm innocenti Adamo concessus fuisset, paradisum aperit, tribuitque jus adeundi hæreditatem, & cœleste regnum ipsâ adoptione debitum: Sed iterum novis criminibus felicis hujus terræ, deliciisque plenissimæ, viam in æternos ignes deturbandi nobis occludimus. Demùm in Baptismo fractæ navis tabula è naufragio evasuris relicta fuerat, post dissipatam innocentiæ navim, integram sanè quandiu felix status viguit; securam etiam, nisi clavum Adamus ultro abjecisset: sed in media pericula, mediosque vortices, iterum certo naufragio perituri, sponte cæci, præcipites imus.*

Non puto (AMICE LECTOR) *te miraturum, si unicum hominis peccatum, tot nominibus nuncupem; tot enim fœditatibus deforme est, tot malis naturam inficit, ut uno duntaxat nomine, minimè describi possit, & meritò animi morbus, è sublimi filiorum statu, & adoptione prolapsio, è paradiso in exilium ejectio, certumque naufragium dici possit. Sed quod erit tandem his ingentibus hominum malis morbo, servituti, exilio, naufragio, paratum remedium? Sanè non aliud, præter unam pœnitentiam, quâ in pristinam sanitatem, Dei amicitiam, filiorum libertatem, jus regni, & spem salutis revocamur. Quid enim aliud esse putes pœnitentiam, quàm* probaticam piscinam, *veterique meliorem, quâ totius naturæ morbi sanentur; aut patentem non* domui Jacob, *sed toti Ecclesiæ, totique humano generi, in* ablutionem sceleris *fontem? Pœnitentia, si Tertulliano credas, integra est injuriæ divinæ, &*

læsi

Universidad de Deusto
Biblioteca

læsi divini juris reparatio, siquidem in peccatorem pronuntians, pro indignatione Dei fungitur, *& exosum antea Deo hominem, omnino in gratiam revocat:* cùm enim provolvit hominem, magis relevat; cùm squallidum facit, magis mundatum reddit; cùm accusat, excusat; cùm condemnat, absolvit. *Ea est pœnitentiæ vis, ut unicâ lacrymâ hominis, quem suorum scelerum recordatio, & dolor pungit, & qui lacrymas velut* legatos *supplices, suæ reconciliationis negotium pertractaturos mittit, ut cum Cypriano loquar, vel unâ Christi sanguinis guttâ, quem sacramentum copiosè effundit, gehennæ ignem omnem extinguat,* & temporali afflictione *(ut Tertullianus dixit)* æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat; *reparetque ad Dei gloriam, velut* indemne, *ut vocat D. Ephrem,* Dei marsupium, quod hominum animas ne pereant tuetur. *Demum non immeritò pœnitentiam, secundam post naufragium tabulam Hieronymus nuncupat, quâ hinc inde jactatis fluctibus, spei & timoris, condonatæ injuriæ, vel denegatæ veniæ, inter medias procellas, inter scopulos ad patriæ portum tendimus: hæc enim, ut inquit iterum Tertullianus,* peccatorum fluctibus mersum prolevat, & in portum divinæ clementiæ protelat.

*Sed non gravabor referre plura, nec tu molestè feres (*AMICE LECTOR*) si in hujus sacramenti virtutisque pœnitentiæ laudes, quæ habet Chrysostomus serm. de pœnit. hîc scribam.* O pœnitentia, quæ peccata Deo miserante remittis, & paradisum reseras, contritum sanas, omnem tristitiam exhilaras, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam das, vires reformas, gratiam abundantiorem refundis. Omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu custodis, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. Per te, ô pœnitentia, David afflictus, vel contritus, factus est sanctus. Per te filius prodigus, paternum amplexum meruit. Per te Petrus, postquam ter Dominum negavit, indulgentiam recipit. Per te, ô pœnitentia, latronem subitò Christus ad regnum æternum rapuit.

*Hæc ad manum habui, quæ in hujus tractationis initio de pœnitentia tum ut virtute, tum ut sacramento, præfationis loco scriberem. De cæteris, methodo, ordine, Authore, nihil dico. Unum tamen moneo, Angelicum Præceptorem ad quæstionem duntaxat nonagesimam hujus tertiæ partis pervenisse. Hanc enim cùm absolvisset Sanctissimus Vir, labori vitæque finem imposuit, & præmaturâ morte occupatus, terras cum cœlis commutavit. Reliquit equidem non absolutam suorum omnium studiorum summam: Sed quid putas (*AMICE LECTOR?*) feliciùs vivebat, quàm scriberet, & citiùs virtutis, quàm studiorum spatia decurrit. Absoluta suis numeris priùs vita, quàm Summa fuit, & jam matura cœloque digna sanctitas, reliquum Summæ, Ecclesiæ invidit, & maluit tantùm opus ab Ecclesia desiderari, quam sanctissimo Viro sua præmia differri.*



DISPUTATIO

DISPUTATIO PROOEMIALIS.

De Pœnitentia, ut est Sacramentum.

Ad quæstionem 84. Divi Thomæ.

LICET ordine generationis priùs secundùm se sit pœnitentia virtus, quàm pœnitentia sacramentum; quia pœnitentia virtus esset necessaria, etiam si non esset sacramentum; unde quoad rationem virtutis in omni statu extitit, licèt non semper fuerit sacramentum, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 1. Quia tamen virtus est pars hujus sacramenti, proindeque ab eo dependet in esse & cognosci, tanquam à termino suæ habitudinis, priùs de pœnitentia ut de sacramento, quàm ut virtute, cum S. Thoma disserimus.

Variis autem nominibus sacramentum hoc insignitur. Vocatur in primis *manuum impositio*, sumpto nomine à quadam cæremonia externa, quæ olim in usu fuit, & nunc etiam fit, ut scilicet quando absolvitur pœnitens, Sacerdos illi manus imponat. Verùm ritus ille denominans sacramentum, neque necessarius est, ut infrà cum D. Thoma ostendemus, neque huic sacramento peculiaris, cùm etiam in Ordinatione & Confirmatione usurpetur. Secundò appellatur *Secunda post naufragium tabula:* Hieronymus Epist. ad Salvinam: *Nec statim nobis pœnitentiæ subsidia blandiantur, quæ sunt infelicium remedia. Cavendum est vulnus quod dolore curatur. Aliud est integrâ nave, & salvis mercibus, portum salutis intrare, aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum concursibus ad asperrima saxa collidi.* Tertiò appellatur *exomologesis*, id est confessio, seu communicatio & pax, eò quòd nimirum pœnitentes qui peccata sua confitentur, Ecclesiasticæ communioni restituuntur. Unde Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 12. dicit peccatoribus *esse adhuc in exomologesi secunda subsidia.* Quartò dicitur *sacramentum absolutionis*, ab absolutione sacerdotis, quæ in hoc sacramento habet rationem formæ. Quintò vocatur *baptismus laboriosus*, propter dolorem & rigorem satisfactionis, quem exigit hoc sacramentum: ut patet ex Tridentino sess. 14. cap. 2. ubi sic habetur: *Alius est præterea baptismi, alius pœnitentiæ fructus: per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram omnium peccatorum remissionem consequemur; ad quam tamen novitatem & integritatem per sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus, divinâ id exigente justitiâ, pervenire nequaquam possumus, ut meritò pœnitentia, laboriosus quidam baptismus, à SS. Patribus dictus fuerit.* Demum vocatur pœnitentia, *quod nomen sumpsit à pœna, quâ anima satiatur, & caro mortificatur,* ut ait Isidorus lib. de officiis Ecclesiasticis, & declaratur Can. *pœnitentia* dist. 3. de pœnit. his verbis: *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse: continuò dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus: Pœnitere enim est pœnam tenere.*

Habet & alia plura nomina satis usitata apud SS. Patres: dicitur enim mysterium reconciliationis, medicina, remedium, indulgentia, remissio, crucifixio hominis interioris, cordis confractio & comminutio, ac veteris hominis in pulverem redactio. De hoc ergo utilissimo sacramento nobis in præsenti agendum est, ejusque existentia, institutio, natura, & necessitas, breviter hîc sunt explicandæ. Unde sit

ARTICULUS PRIMUS.

An detur in Ecclesia remedium aliquod, quo peccata post Baptismum commissa remittantur, illudque sit verum sacramentum à Baptismo distinctum?

§. I.

Recensentur tres Hæreticorum errores.

1. CUM pœnitentiæ sacramentum Ecclesiæ utilissimum sit, & ex eo uberrimi fructus in fidelium animas jugiter oriantur, nihil mirum quòd diabolus, nostræ salutis invidus, illud destruere sæpè molitus fuerit, varioque circa illud hæreticorum errores suscitarit. Primus fuit Montanistarum, qui existimarunt nullum esse in Ecclesia remedium, quo peccantes post baptismum possint Deo reconciliari, ut testatur D. Hieronymus Epist. 54. ad Marcellam, ubi de Montanistis loquens sic ait: *Illi ad omne pene delictum Ecclesiæ obserant fores: nos quotidie legimus, malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem. Nunquid qui cadet, non resurget, dicit Dominus? & convertimini ad me filii convertentes, ego curabo contritiones vestras. Rigidi autem sunt, non quòd ipsi pejora non peccent, sed hoc inter nos & illos interest, quòd illi erubescunt confiteri peccata, quasi justi, nos dum pœnitentiam agimus, facilius veniam promeremur.* Porrò Montanistæ à Montano primo hujus hæresis Authore appellati sunt. Dicti quoque sunt Cataphryges, ex eo quod natione Phrix esset, & Pepusiani à Pepusa vico Phrygiæ. De illo hæc scribit Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem cap. 2. *Montanus immundi spiritûs prædicator, multas Ecclesias per Priscillam & Maximillam, nobiles & opulentas fœminas, auro corrupit, deinde hæresi polluit. Stupendum quòd non solùm rudes & idiotæ ab illo decepti fuerint, sed & ipsi qui magâ videbantur præditi sanctitate atque doctrinâ; quos inter ipsum Tertullianum annumerari dolemus.* Viguit circa annum Christi 173. Abscissus est, unde & semivir appellatus ab eodem Hieronymo Epist. 54. ad Marcellam.

In

Universidad de Deusto
Biblioteca

In hunc errorem incidisse Tertullianum, testatur Hieronymus mox relatus, & constat ex libro de pudicitia cap. 1. ubi potestatem remittendi graviora peccata Ecclesiæ concessam à Christo negat, ob idque Mœchis asserit patere non posse pœnitentiæ aditum, seu veniam ipsis & communionem tribui non posse ab Ecclesia. Item cap. 2. delicta dividit in remissibilia & irremissibilia, & in secundo ordine Mœchiam collocat, aliaque graviora, contenditque Deum solum illa remittere posse, non Ecclesiam, subindeque Ecclesiæ denegat claves à Christo collatas, ad omnium peccatorum remissionem. Et cap. 21. docet, Apostolos, si graviorum peccatorum veniam pœnitentibus concesserint, id fecisse extraordinaria duntaxat potestate, qualis erat potestas miraculorum patrandorum, quæ eorum successoribus communicata non est, nec in Ecclesiam transfusa. Unde hic Author libro illo de pudicitia revocat pristinam suam sententiam de clavibus Ecclesiæ à Christo datis, ad omnium remissionem delictorum, quam in libro de pœnitentia adhuc Catholicus propugnaverat, ut annotavit idem Hieronymus epist. 146. ad Damasum, ubi hæc scribit: *Vehementer admiror Tertullianum, in eo libro quem de pudicitia adversùs pœnitentiam scripsit, & sententiam veterem nova opinione dissolvit, hoc voluisse sentire &c.*

2. Secunda hæresis priori similis, fuit Novatianorum asserentium eos qui à susceptione baptismi in aliquod grave peccatum incidissent, non esse ampliùs recipiendos ad Ecclesiam & fidelium communionem, neque penes Ecclesiam esse jus ullum ac potestatem reconciliandi peccatores. Unde crudeles à SS. Patribus appellati sunt: *Quis ante crudelissimum Novatianum* (inquit Vincentius Lirinensis) *crudelem Deum dixit, eò quod mallet mortem morientis, quam ut revertatur & vivat.* Et Cyprianus epist. adversùs Novatianos hæc scribit: *Ecce obortus alius hostis, & ipse paternæ pietatis adversarius hæreticus Novatianus, qui non tantum, ut in Evangelio significatum est, sicut Sacerdos vel Levites, jacentem vulneratum præteriret, sed ingeniosa & nova crudelitate, sanciatum potius occideret.*

Exordium habuit ista hæresis anno Christi 254. hoc est primo Cornelij, primusque ejus author fuit Novatus Carthaginensis, de quo Eusebius lib. 6. cap. 35. *Novatus Romanæ Ecclesiæ Presbyter, arrogantiâ quâdam & fastidio contra eos elatus qui in persecutione lapsi fuerant, asseruit non ampliùs illis, quamvis omnia quæ viderentur ad veram pœnitentiam, ad conversionem animorum, ad puram denique confessionem spectare, omnino peragerent, spem illam salutis omnino reliquam fieri. Unde propriæ cujusdam sectæ & erroris eorum, qui præ inflata quadam mentis insolentia, seipsos καθαροὺς esse, id est puros & vacuos à labe peccati asseruerant, author & dux fuit.* Ille Carthagine egressus, & Romam profectus, in erroris socium assumpsit Novatianum, etiam Romanæ Ecclesiæ Presbyterum, qui incredibili ambitione incensus, se in Romanum Episcopum ordinare fecit, Cornelio in Cathedra Petri sedente, ut testatur Hieronymus in Novatiano, his verbis: *Novatianus Romanæ urbis Presbyter, adversùs Cornelium Cathedram Sacerdotalem conatus invadere.* Item Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 15. de illo hæc scribit: *Episcopatûs amissi dolore succensus Novatianus, schisma composuit.* Notum est etiam ex Epistolis Cypriani & A & Dionysij Alexandrini, quod nunquam sancti illi voluerint cum eo communicare, tanquam cum Romano Pontifice: illum Cyprianus appellat *interfectorem pœnitentiæ.* Et Socrates lib. 4. hist. cap. 13. de eo hæc scribit: *Cùm Novatianus ordinatus fuisset Romæ pseudo-pontifex, omnibus ubique Ecclesiis scripsit, ut eos qui simulacris immolassent, minimè ad mysteria admitterent, sed hortaretur ad pœnitentiam, remissionemque permitteret Deo, qui potest & habet authoritatem remittendi.* Ex quo liquet, Novatianos non existimasse eos omnes qui post baptismum gravioris peccati noxam contraherent, ab omni spe æternæ salutis excludi, sed sensum eorum duntaxat fuisse, illos qui à susceptione baptismi in aliquod mortale peccatum incidissent, non esse ampliùs recipiendos ad Ecclesiam & fidelium communionem, neque penes Ecclesiam esse jus ullum ac potestatem reconciliandi tales peccatores. Unde Ambrosius libro 1. de pœnitentia cap. 2. *Ajunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent.* Quibus verbis innuit, quod Novatiani ita distinguebant, ut Christo Domino potestatem remittendi peccata concederent, sed illam Ecclesiæ denegarent. B

Adverte etiam, in hoc Novatianos à Novato discrepasse, quòd Novatus negabat in Ecclesia jus esse vel potestatem remittendi quodcumque peccatum post baptisma commissum; ejus verò C Discipuli ita sententiam illam temperarunt, ut voluerint esse in Ecclesia potestatem remittendi leviora, sed non graviora. Ita discimus ex Sancto Ambrosio libro 1. de pœnitentia capite citato, ubi hæc scribit: *Sed aiunt* (Novatiani) *se excepti gravioribus criminibus, veniam relaxare levioribus. Non hoc quidem Author erroris vestri Novatus, qui nemini pœnitentiam dandam putavit. . . . . In eo igitur patrem vestrum propriâ damnastis sententiâ, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda à vobis puteris, & quæ sine remedio esse arbitremini. Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit.* Hanc pœnitentiæ distinD ctionem mutuati sunt fortè Novatiani à Montanistis, nam ut suprà vidimus Tertullianus libro de Pudicitia cap. 2. errorem Montanistarum amplexus, dividit peccata in remissibilia & irremissibilia: *Hæc* (inquit) *dividimus in duos exitus, alia erunt remissibilia, alia irremissibilia.*

Tertius error est Lutheranorum & Calvinistarum, qui admittunt quidem contra Montanistas & Novatianos dari in Ecclesia remedium aliquod à Christo institutum, pro remittendis peccatis baptizatorum, sed volunt tale remedium nihil aliud esse, nisi memoriam baptismi jam susceptI, cum fide remissionis peccatorum. Unde dicunt pœnitentiam, vel non esse sacramentum novæ legis, propriè dictum, vel non esse distinctum E à baptismo. Ita Lutherus libro de Captivitate Babylonica, titulo de sacramento Baptismi, Kemnitius in examine Canone 10. de baptismo & ad Canonem 1. de pœnitentia, & Calvinus libro 4. institutionum capite 19. paragrapho 15. & 17. 3.

§. II.

Tribus sequentibus assertionibus, tres prædicti errores confutantur.

4. DIco primò: Datur in Ecclesia Christi, remedium aliquod quo peccata post baptismum commissa remittuntur.

Probatur primò ex illis verbis Christi Matth. 18. *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis* &c. quo testimonio utuntur Patres Concilij Carthaginensis apud Cyprianum Epist. 54. ut probent lapsos non nisi diu pœnitentiâ actâ, esse admittendos ad pacem, nisi fortè periculum infirmitatis urgeret. *Statueramus* (inquit) *participato invicem nobis consilio, ut* B *qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario & lapsi fuissent, & sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam; & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus, spei salutaris subsidium denegari, & de sæculo recedentes, sine communicatione & pace ad Dominum dimitterentur: quando permiserit ipse qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata essent: solvi autem possent illic, quæ hic priùs in Ecclesia solverentur.*

5. Probatur secundò ex aliis Scripturæ locis, quibus baptizati incitantur ad pœnitentiam: Actuũ 8. Petrus dixit ad Simonem Magum, qui ut C ibi dicitur jam crediderat, & baptizatus erat: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Et Paulus 1. Corinth. 5. & 2. Corinth. 7. alibique passim, Corinthium fornicarium, & alios Christianos ad pœnitentiam & salutem quærendam hortatur. Ipseque Christus Matth. 6. præcipit omnibus etiam baptizatis & Christianis, ut sic orent: *Dimitte nobis debita nostra* &c. frustra verò id præciperet, si peccata post baptismum commissa, essent irremissibilia, nullumque in Ecclesia daretur remedium, institutum pro eorum remissione.

6. Ratio etiam suffragatur: Cùm enim magna sit in hominibus, etiam baptizatis, ad peccandum proclivitas, & ad peccati remissionem, vi perfectæ contritionis procurandam, magna difficultas; neque minus periculum salutis sit in peccatis quæ baptismum sequuntur, quàm in illis quæ illum præcedunt, ad suavem Christi providentiam pertinuit, ut remedium aliquod institueret, & Ecclesiæ suæ relinqueret, quo lapsi post baptismum, possent à peccatis resurgere. Unde Leo Papa Epist. ad Theodorum: *Multiplex misericordia ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ; ut qui re-* E *generationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent.* Et Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 7. *Hæc venena* (inquit) *prævidens Deus* (id est peccata per baptismum committenda) *intinctionis* (id est baptismi) *serâ obstructâ*, quia non potest iterari, neque valet ad illa peccata delenda, *aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Et rursus cap. 12. *Igitur cum scias adversùs gehennam, post prima illa intinctio-*

A *nis Dominicæ monimenta* (id est post baptismum) *esse adhuc in exomologesi secundæ subsidia, cur salutem tuam deseris? cur cessas aggredi quod scias mederi tibi?* Demum Augustinus de agone Christiano cap. 31. sic in Novatianos insurgit. *Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Isti sunt qui viduas, si nupserint, tanquam adulteras damnant, & super doctrinam Apostolicam, se præcant esse mundiores. Qui nomen suum si vellent agnoscere, mundanos se potius, quam mundos vocarent. Nolentes enim, si peccaverint, corrigi; nihil aliud delegerunt, nisi cum hoc mundo damnari. Nam quibus veniam peccatorum negant, non eos aliqua sanitate custodiunt, sed ægris subtrahunt medicinam, & viduas suas uri cogunt, quas nubere non permittunt.*

Dico secundò, remedium illud quo Ecclesia Romana utitur ad obtinendam remissionem peccatorum post baptismum commissorum, esse sacramentum propriè dictum.

Probatur primò ex SS. Patribus, qui tale re- 7.
medium, appellant sacramentum: Augustinus enim in expositione Psalmi 146. versum illum interpretans: *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Quæ sunt* (inquit) *ista alligamenta, nisi temporalia sacramenta?* Et in exemplum adducit Eucharistiam, & manûs impositionem, quâ per Presbyterum peccatores reconciliantur. Unde patet ipsum loqui de sacramento propriè dicto. Item Gregorius Nissenus in libro de vita Moysis, sic ait: *Moyses per lapidem imundare aquis eremum fecit: quæ res quantum, qualeque sit pœnitentiæ sacramentum docet.* Et Victor Cartennensis Episcopus, qui vixit anno 460. lib. de pœnit. cap. 20. *Dominum* (inquit) *audi in Evangelio, quibus jaculis feriat peccatorem, ut intelligas quanti faciat pœnitentiæ sacramentum.*

Probatur secundò ratione desumptâ ex verbis 8.
illis Christi Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. Nam ubi est signum externum perpetuum, à Christo Domino institutum, collativum gratiæ sanctificantis, ibi est D sacramentum novæ legis propriè dictum: Atqui hæc sunt in pœnitentia, prout fit in Ecclesia; Ergo illa est sacramentum novæ legis propriè dictum. Major patet, Minor verò probatur quoad singulas partes. Et in primis quod talis pœnitentia sit signum externum ex eo probatur, quod Christus verbis relatis contulit Apostolis, eorumque successoribus potestatem remittendi peccata: verisimile autem non est, eam contulisse exercendam per actus merè internos, tam ex parte absolventis, quàm ex parte absolvendi, nam hic modus non est hominum proprius, qui interna nosci non per externa. Deinde quòd talis pœnitentia sit perpetua in Ecclesia, evidens est, quia per hæc verba datur Apostolis, eorumque successoribus potestas ista; & præterea verba hæc *quorum remiseritis*, illud docent, nam per ea significatur potestas respectu illorum omnium qui peccaturi sunt à susceptO baptismate. Tertiò, quod sit collativa gratiæ sanctificantis, patet, nam remissio peccatorum non fit, nisi collatione gratiæ habitualis. Quartò denique, quod eadem sit ex institutione Christi Domini, docet series contextus: *Sicut misit me vivens*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.

9. Confirmatur ratione D.Thomæ hìc art. 1. in corp. Sacramentum est signum rei sacræ sanctificantis hominem: Sed in pœnitentia quæ fit in Ecclesia significatur aliquid sacrum, hominem sanctificans, tam ex parte pœnitentis peccata confitentis, quàm Sacerdotis absolventis: Ergo illa est sacramentum propriè dictum. Minor probatur, quia actus pœnitentis, quibus dolorem suum declarat, & peccatum suum confitetur, cor ejus significant à peccato recessisse, actus etiam Sacerdotis absolventis à peccatis, aliquid sanctum significat prout sanctum, seu prout sanctificans nos, scilicet remissionem peccatorum: Ergo &c.

Dico tertiò, Remedium institutum à Christo Domino pro reconciliatione lapsorum post baptisma, non est memoria baptismi jam susceptì, sed aliquod sacramentum à baptismate omnino distinctum.

10. Probatur primò: Si sacramentum pœnitentiæ non distingueretur à baptismo, sed esset (ut docent Calvinistæ) ipsum baptisma solâ apprehensione & memoriâ repetitum, Christus non dedisset Apostolis, eorumque successoribus, potestatem retinendi peccata: At hoc repugnat verbis Christi Joan. 20. dicentis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt:* Ergo &c. Sequela Majoris patet, non enim Christus dedit Apostolis, eorumque successoribus potestatem quâ facerent ut baptizati, vel non essent baptizati, vel eis non occurreret memoria baptismi, quâ excitarentur & crederent sibi remissa esse peccata: Ergo si pœnitentiæ sacramentum esset ipsum baptisma, ut apprehensione & memoriâ repetitum, Christus non dedisset Apostolis, eorumque successoribus, potestatem retinendi peccata.

11. Probatur secundò: Si pœnitentia sit ipsum baptisma, ut apprehensione & memoriâ repetitum, lapsi post baptismum, facilius Deo reconciliarentur, quàm ante baptismum; facilius enim est cogitare de baptismo quàm ipsum suscipere: Consequens autem videtur absurdum, & rationi prorsus dissonum; nulla siquidem ratio patitur, ut Deus facilius ignoscat iis qui scienter post fidem & baptismum peccarunt, quàm iis qui ignoranter in incredulitate deliquerunt: Ergo pœnitentia non est ipsum baptisma, ut apprehensione & memoriâ repetitum, sed aliquod sacramentum à baptismate omnino distinctum. Unde SS. Patres de baptismo & pœnitentia, ut de sacramentis omnino diversis, loquuntur: Chrysostomus enim libro 3. de Sacerdotio sic ait: *Non solùm Sacerdotes regenerant, sed etiam condonandorum peccatorum obtinent potestatem.* Cyrillus Alexand. lib. 12. in Joan. paulò post medium. *Duobus modis* (inquit) *Dei spiritu pleni vel affati homines, peccata remittunt ac retinent, vel cùm dignos admittunt ad baptismum, ac indignos excludunt; vel cùm filios Ecclesiæ peccantes corripiunt, ac pœnitentibus ignoscunt.* Ambrosius libro 1. de pœnitentia cap. 7. *Non interest utrum per pœnitentiam an per lavacrum, hoc jus* (remittendi peccata) *sibi datum vendicent Sacerdotes: idem in utroque mysterio est &c.* Augustinus Epistolâ 180. *An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema* (id est cùm omnes periclitantur, hostibus urbem subitò invadentibus) *quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu* A *concursus? aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem* (id est Sacerdotalem absolutionem) *aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem* (id est injungi sibi pœnitentiam & satisfactionem obeundam) *omnibus consolationem, & sacramentorum confectionem & erogationem.* Quibus verbis apertè distinguit sacramentum Pœnitentiæ à sacramento Baptismi. Demùm Leo Papa Epist. 91. ad Theodorum: *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent; sic* B *divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.*

§. III.

Solvuntur objectiones.

12. COntra primam conclusionem objiciebant Montanistæ & Novatiani duo Apostoli testimonia, quibus videtur docere, nullum pro peccatis post baptismum commissis dari in Ecclesia Christi remedium, quo expiari & deleri possint. Primum habetur ad Hebræos 6. ubi sic ait Apostolus: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, &* C *participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Secundum sumitur ex capite 10. ejusdem Epistolæ, ubi sic dicitur: *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicij, & ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios.*

13. Verùm ad hæc facilè respondetur: Nam sensus verborum Apostoli in primo testimonio est, impossibile esse semel illuminatos, id est baptizatos, rursus renovari ad pœnitentiam, id est iterum baptizari, ut exponunt Chrysostomus, D Theodoretus, & Theophilactus, in eundem locum, & D. Thomas hic art. 10. ad 1. ubi hæc scribit: *Ad primum dicendum quod quia apud Judæos erant secundùm legem quædam lavacra instituta, in quibus pluries se ab immunditiis purgabant, credebant aliqui Judæorum quod etiam per lavacrum baptismi aliquis pluries purificari possit. Ad quod excludendum Apostolus scribit ad Hebræos 6. quod impossibile est eos qui semel sunt illuminati, scilicet per baptismum, rursum renovari ad pœnitentiam, scilicet per baptismum, qui est lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, ut dicitur ad Titum 3. Et rationem assig-* E *nat ex hoc quod per baptismum, homo Christo commoritur, unde subdit, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Eodemque sensu voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, non relinquitur hostia pro peccatis, hoc est alia Christi mors, quæ per baptismum repræsentetur, & iterum applicetur ad integram remissionem culpæ totius & pœnæ. Videtur etiam Paulus loqui in secundo loco de Judæis vacillantibus in fide, volentibusque legem Mosis & Christi conjungere, asserereque id genus hominibus nullam jam restare hostiam pro peccato: quia neque deficientibus à Christo ad Moysem, jam

jam prodest hostia in Cruce oblata; neque etiam illæ quæ offerebantur in lege veteri, quippe quæ jam abolitæ sunt per legem Christi, & per hostiam in Cruce oblatam. A

14. Objiciebant secundò: *Facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi,* ut ait Ambrosius Conc. 8. in Psalmum 118. Si ergo Deus veniam frequenter præbet per pœnitentiam, & remedium instituit pro peccatis post baptismum commissis, videtur quod ipse hominibus tribuat incentivum delinquendi: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

15. Huic objectioni egregiè respondet Augustinus homil. 27. ex 50. ubi impugnans quosdam Ethnicos qui pœnitentiam rejiciebant, eò quòd eam dare occasionem & motivum peccandi existimarent, sic ait: *Dicunt nos dare peccatis licentiam, quia portum pœnitentiæ pollicemur. Si clauderetur aditus pœnitentiæ, nonne ille peccator tantò magis adderet peccata peccatis, quantò magis sibi desperaret ignosci? Diceret enim sibi, Ecce peccavi, ecce scelus admisi, jam mihi veniæ nullus est locus, pœnitentia infructuosa est. Damnatus sum, quare jam non vivo ut volo? Quia ibi non invenio charitatem, hìc saltem pascam cupiditatem meam. Quare enim abstineam? Ibi enim* B *locus mihi clausus est. Hìc quod non fecero, perdo, quia quæ post hanc futura est vita, mihi non dabitur. Quare ergo non servio libidinibus meis, ut eas impleam & saturem, & faciam quidquid non* C *licet, sed libet? &c. Ergo si tuleris portum pœnitentiæ, augebuntur peccata. Ecce nihil dicunt illi qui putant augeri peccata, quia portus pœnitentiæ in Christiana proponitur fide.*

16. Objicitur tertiò contra secundam conclusionem: Ad omne sacramentum requiritur verbum & elementum ab aliquo ministro adhibitum, juxta illud Augustini Tract. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum:* Sed in pœnitentia nullum est elementum: Ergo illa non est verum sacramentum.

17. Respondeo primò, Divum Augustinum non loqui de sacramento quolibet, sed de baptismo tantùm, ut ex textu manifestum est; sic enim D habet: *Quare non ait, Mundi estis propter baptismum quo loti estis, sed ait propter verbum quod locutus sum vobis: nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum &c.*

18. Respondeo secundò, quod si dictum illud Augustini extendatur ad alia novæ legis sacramenta, non debet sumi elementum strictè & propriè; alioquì nequidem Eucharistia esset sacramentum, nam panis & vinum, quæ sunt ipsius materia, non sunt elementum strictè & propriè, sed per ly, *elementum*, intelligenda est quæcumque res sensibilis à Christo instituta, in quo sensu pos- E sumus dicere, verbum in sacramento pœnitentiæ accedere ad elementum, scilicet ad confessionem pœnitentis.

19. Objicitur quartò: In lege veteri pœnitentia non erat sacramentum: Ergo nec in nova. Consequentia videtur legitima, ex eo quod non magis sit necessarium istud sacramentum in una lege quàm in alia.

20. Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam, in lege enim veteri non fuit dictum sicut in nova, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Ad probationem verò in contrarium dico, quòd licèt pro remissione peccatorum obtinenda, absolutè loquendo, & præscindendo à sacramenti pœnitentiæ institutione, non magis sit necessarium istud sacramentum in una lege quàm in alia, sed sufficiat pœnitentia interna, in lege tamen Evangelica, Christus speciali favore & dilectione filios talis legis prosecutus, ipsum voluit instituere.

Objicies quintò contra tertiam conclusionem: D. Augustinus lib. de nuptiis & concupiscentia cap. 33. ait quod *lavacro regenerationis non tantum peccata præterita, sed etiam posteriùs admissa remittuntur*: Ergo non indigemus sacramento Pœnitentiæ, distincto à Baptismo, ad obtinendam remissionem peccatorum, sed ad hoc sufficit Baptismus in memoriam revocatus, per quam B excitetur fides quâ peccata remittuntur. Unde Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 30. vocat Baptismum, *sacramentum fidei & pœnitentiæ*, juxta quod in Evangelio scribitur de Joanne Lucæ 3. quod *venit prædicans Baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.* 21.

Respondeo D. Augustinum tribuere Baptismo non solùm præterita, sed etiam post ejus susceptionem admissa peccata tollere, non proximè, sed remotè & radicaliter, quatenus per Baptismum, qui est janua omnium sacramentorum, capaces reddimur ad recipiendum sacramentum Pœnitentiæ, si peccavimus, Quod verò hæc interpretatio legitima sit, patet tum ex his verbis quæ addit ibidem: *Quid enim prodesset vel ante* C *Baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet?* Tum etiam, quia Epist. 23. aperte docet, aliquod sacramentum à Baptismo distinctum, necessarium esse ad delenda peccata, post baptismum commissa, ait enim: *Si parvulus baptizatus grandævus factus, propria incœperit habere peccata, per quam gratiam remittentur? Non regeneratione, sed aliâ curatione resarciri possunt.* 22.

Ad Fulgentium verò facilè respondetur, ideò appellare Baptismum, sacramentum Pœnitentiæ, quia actus aliquis virtutis pœnitentiæ, necessarius est ad legitimam illius susceptionem, respectu adultorum qui mortaliter peccarunt antequam baptizarentur, ut colligitur ex Act. 2. ubi Petrus ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrùm*, &c.

23. Objicies sextò: Sacramenta novæ legis non differunt ut talia, nisi ex diversitate gratiæ quam significant & causant: Sed gratia quam significat & causat sacramentum Pœnitentiæ, non est diversa ab illa quam significat & causat Baptismus, est enim sicut ipsa, regenerativa, quandoquidem tribuit vitam peccatori, ipsam non habenti: Ergo pœnitentia non est sacramentum distinctum à baptismo.

24. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dico, gratiam quæ est effectus sacramenti Pœnitentiæ, reduplicativè ut talem, non esse regenerativam animæ ad vitam supernaturalem: Quare sicut generatio & suscitatio, sive resurrectio, differunt essentialiter; ex diverso modo communicandi eandem vitam; Ita Baptismus & pœnitentia differunt ex diverso modo communicandi eandem entitativè gratiam, sive vitam spiritualem, scilicet regenerando & suscitando animam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICULUS II.

An Christus sit Author & Institutor Sacramenti Pœnitentiæ, & quo tempore facta fuerit ejus institutio?

I.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententiæ.

25. CErtum est sacramentum Pœnitentiæ, quale nunc habemus in Ecclesia, non fuisse institutum in lege naturæ, vel in lege Mosaïca; quia ut ait Divus Thomas hic art. 7. ad 2. *Nondum erat instituta potestas clavium, quæ à passione Christi derivatur, & per consequens nondum erat institutum quod aliquis doleret de peccato, cum proposito subjiciendi se per confessionem & satisfactionem clavibus Ecclesiæ, sub spe consequendæ veniæ, virtute passionis Christi.* Unde quamvis in lege naturæ, & in lege Mosaïca fuerit aliquod sacramentum institutum in remedium peccati actualis, ne deficeret medicina contra morbum quotidianum, ut docet idem S. Doctor in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 2. illud tamen erat diversæ rationis & speciei à sacramento Pœnitentiæ legis gratiæ. Hoc posito, duo in præsenti resolvenda sunt. Primum est, quis sit Author & Institutor hujus sacramenti Pœnitentiæ quod nunc habemus in lege Evangelica, an Christus vel Ecclesia, aut Apostoli? Secundum, supposito quod Christus illud instituerit, quo tempore facta sit ejus institutio?

26. Circa primum Hæretici nostri temporis absolutè negant sacramentum Pœnitentiæ institutum fuisse à Christo Domino. Alensis verò 4. part. qu. 18. art. 2. D. Bonaventura in 4. dist. 17. parte 2. art. 1. quæst. 3. & Marsilius in 2. quæst. 2. art. 2. docent sacramentum Pœnitentiæ fuisse quidem à Christo institutum, quantùm ad formale, seu quantùm ad potestatem absolvendi, sed non quoad materiale, seu quantùm ad ipsam peccati confessionem, ex qua sacramentum integratur; quam dicunt fuisse tantùm insinuatam à Christo Domino, & ab Ecclesia & Apostolis institutam, atque à Jacobo promulgatam verbis illis: *Confitemini alterutrum peccata vestra*, Jacobi 5.

27. Quantùm verò ad secundum, scilicet quoad determinatum tempus in quo celebrata fuit hujus sacramenti institutio, diversa sunt Theologorum placita: Armacanus enim lib. 11. de quæstionibus Armenorum cap. 14. & 15. ait illud fuisse institutum Matth. 12. & Lucæ 6. dum Christus misit Apostolos prædicare Evangelium, ne diminutâ potestate incederent. Author verò de operibus Cardinalibus apud Cyprianum, serm. de ablutione pedum, insinuat fuisse institutum in nocte Cœnæ. Alij existimant fuisse institutum dum præcipitur à Christo Matth. 4. Alij quando declaratur medium necessarium ad salutem Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Alij demum cùm Christus post resurrectionem dixit Discipulis Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c.

§. II.

Prima pars quæsiti resolvitur.

Dico primò: Sacramentum pœnitentiæ immediatè à Christo institutum est, non solùm quantùm ad formale, seu quantùm ad potestatem absolvendi à peccatis; sed etiam quantùm ad materiale, seu quantùm ad confessionem peccatorum.

28. Probatur primò ex Tridentino sessione 14. cap. 1. & canone 1. ubi sic dicitur: *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse verè & propriè sacramentum, a Christo Domino institutum, anathema sit:* At si aliqua pars hujus sacramenti, non esset immediatè à Christo instituta, non posset totum sacramentum dici à Christo institutum: Ergo &c. Nec obstat quòd Concilium non dicat hoc sacramentum esse à Christo Domino immediatè institutum: licèt enim explicitè non utatur particulâ *immediatè*, ex ejus tamen doctrina evidenter colligitur, tum quia non agnoscit alium Authorem sacramentorum, quàm Christum; tum etiam quia confessionem ipsam, de qua præcipuè est controversia, docet ibidem cap. 5. & can. 6. esse ex Christi mandato.

29. Probatur secundò ratione quam insinuat D. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 5. ubi sic discurrit: *Ministri Ecclesiæ instituuntur in Ecclesia divinitùs fundata, & ideo institutio Ecclesiæ præsupponitur ad operationem ministrorum, sicut opus creationis præsupponitur ad opus naturæ. Et quia Ecclesia fundatur in fide & sacramentis, ideò ad ministros Ecclesiæ nec novos articulos fidei edere, aut editos removere, aut sacramenta nova instituere, aut instituta removere pertinet, sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum.*

30. Confirmatur: Si quæ pars sacramenti pœnitentiæ esset ab Ecclesia instituta, in ea dispensare posset, quia dispensare potest in omnibus quæ ex ipsius potestate dependent: At in nulla parte sacramenti pœnitentiæ Ecclesia dispensare potest: Ergo nulla pars talis sacramenti fuit ab Ecclesia instituta, sed ejus institutio à solo Christo facta est, nullique alteri debuit committi, cùm illa excellentiam maximam præ se ferat, scilicet omnipotentiam, quæ in remissione peccatorum refulget, juxta id quod in quadam collecta canit Ecclesia: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas:* cujus dicti tres egregias affert rationes D. Thomas 1. parte quæst. 25. art. 3. ad. 3. his verbis: *Dei omnipotentia ostenditur maximè in parcendo & miserendo, quia per hoc ostenditur Deum habere summam potestatem, quòd liberè peccata dimittit; ejus enim qui superioris legi astringitur, non est liberè peccata condonare. Vel quia parcendo hominibus, & miserendo, perducit eos ad participationem infiniti boni, qui est ultimus effectus divinæ virtutis. Vel quia effectus divinæ misericordiæ est fundamentum omnium divinorum operum; nihil enim debetur alicui, nisi propter id quod est datum ei à Deo non debitum: in hoc autem maximè divina omnipotentia manifestatur, quod ad ipsum pertinet prima institutio omnium bonorum.*

31. Contra istam conclusionem objicit primò Calvinus: Primus qui confessionem instituit fuit Innocentius III. electus anno 1198. ille enim in cap. *Omnis utriusque sexûs*, annuam confessionem

sionem præcipit omnibus Christi fidelibus, sub pœna quod vivens arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & moriens Christianâ careat sepulturâ: Ergo sacramentum pœnitentiæ, saltem quantùm ad confessionem peccatorum, non fuit immediatè à Christo institutum. Secundò objicit factum Nectarij Episcopi Constantinopolitani, qui ex Sozomeno confessionem abrogavit: Ergo confessio non est à Christo instituta. Tertiò objicit Chrysostomum successorem Nectarij, qui multis in locis confessionem abrogare videtur, præcipuè homil. 2. in Psalmum 50. ubi sic habet: *Peccata tua dicito, ut deleat illa: si confundaris alicui dicere quæ peccasti, dicito ea quotidie in anima tua; non dico ut confitearis ea conservo tuo qui exprobret, dicito Deo, qui curat ea.*

32. Ad primum respondeo Innocentium III. solùm determinasse tempus annuæ confessionis, ejusque usum multò antea viguisse in Ecclesia, ut constat ex SS. Patribus: Irenæus enim lib. 1. adversùs hæreses cap. 9. de quibusdam fœminis à Marco hæretico circumventis ait: *Hæ sapissimè conversæ ad Ecclesiam Dei confessæ sunt.* Et lib. 3. cap. 4. *Cerdon sæpè in Ecclesiam conveniens, exomologesim faciens, sic consummavit modò quidem latenter docens, modò verò exomologesim faciens,* Tertullianus libro de pœnitentia cap. 9. *Is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologesis est, quâ delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione dispontur, confessione pœnitentia Deus mitigatur:* Unde sic concludit: *Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem.* Et quòd loquatur de confessione coram Sacerdote facienda constat ex his: *Plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari.* Cyprianus serm. 5. de lapsis fideles hortatur, ut antequam vel ex hac vita discedant, vel ad sacram synaxim accedant, peccata sua Sacerdoti confiteantur: *Confiteantur singuli quæso vos fratres delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admissi confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotem, apud Dominum grata est.* Et paulò superiùs de aliquibus peccatoribus ait: *Apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentur, exomologesim conscientiæ faciunt: animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licèt & modicis vulneribus exquirunt.* Basilius in regulis brevioribus regulâ 229. *Ut vitia corporis nequaquam quibusvis temerè homines aperiunt, sed iis tantummodo qui rationem quâ ea curanda sunt teneant, eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare.* Et regulâ 288. explicat quinam sint hi qui possint à peccatis absolvere: *Iis peccata aperire debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Idque confirmat exemplo Apostolorum, ad quos (ut Actor. 19. legitur) *multi credentes veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos.* Ambrosius lib. 2. de pœnit. cap. 6. *Si vis justificari, fatere delictum tuum, solvit enim criminum nexus, verecunda confessio peccatorum.* E cap. 9. scribit multos fuisse qui libenter confitebantur privatim Sacerdotibus, sed publicè in Ecclesia id facere recusabant. Augustinus homil. 12. inter 50. docet peccatorum confessionem esse à Christo præceptam, his verbis: *Deus noster, quia pius est & misericors, vult ut peccata confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis postmodum confundamur in futuro.* Et homil. 41. probat hominem debere abstinere à peccatis, *quia* (verba ejus sunt) *si ad ultimum vita steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo & Sacerdoti peccata sua confiteri poterit.* Denique Chrysostomus, quem hæretici totum in hac materia suum esse gloriantur, apertè veritatem Catholicam docet: nam homil. 30. in Genesim expressam mentionem facit de sacramentali confessione, quæ in hebdomada Sancta fieri solebat: *Quia* (inquit) *in magnam hanc hebdomadam pervenimus, Dei gratia, nunc maximè & jejunij cursus intendendus & magis continuanda sunt preces, faciendaque diligens & pura confessio peccatorum.* Quod verò ad illam Sacerdotis ministerium requirat, constat ex libro 2. de Sacerdotio, ubi sic ait: *Quamobrem multâ quidem arte opus est, ut qui laborant Christiani, ultro sibi persuadeant, Sacerdotum curationi sese submittere oportere.* Et lib. 3. dicit Sacerdotes leviticos non purgasse à lepra corporali, sed tantùm de sanata lepra judicium tulisse: Sacerdotes autem Evangelicos, non declarare solùm, sed planè sanare à lepra spirituali.

Plura etiam sunt Concilia ante Lateranense celebrata, in quibus fit expressa mentio de confessione sacramentali, nempè Concilium Laodicense sub Sylvestro Papa celebratum; Cabilonense sub Vitaliano; Turonense, & Rhemense, sub Leone III. Moguntinum sub Leone IV. Vormatiense sub Adriano II. Ex quibus liquet, quam falsò scripserit Calvinus in Antidoto Tridentini sess. sextâ cap. 15. per mille annos nullum fuisse usum confessionis sacerdotalis in Ecclesia, *donec* (inquit) *Innocentius III. cum paculis cornutis bestiis* (sic mille ducentos Patres qui Concilio Lateranensi interfuerunt, sanctitate & doctrinâ conspicuos, impudens hæresiarcha appellat) *laqueum hunc populo Christiano induit, quem Tridentini Patres astringunt.*

33. Ad secundum respondent aliqui, Nectarium à Novatianis hæreticis deceptum, quorum consilio in rebus ad fidem pertinentibus sæpè utebatur (teste Socrate apud Baronium anno 56. num. 28.) confessionem è sua Ecclesia sustulisse. Sed meliùs respondetur, Nectarium abrogasse solùm quandam consuetudinem ad pœnitentiam publicam pertinentem, in eoque consistentem, quòd manifestatio aliquorum criminum fieret de consensu ipsorum pœnitentum à quodam pœnitentiario ad hoc munus ab Ecclesia designato. Cùm enim ex hac consuetudine laudabili, utpotè ad correptionem & humiliationem pœnitentis, atque aliorum ædificationem instituta, ortum fuisset nihilominus scandalum quoddam ingens, tempore Nectarij, quia nimirum nobilis cujusdam matronæ, publicè pœnitentiam agentis, crimen quod cum Diacono commiserat, manifestatum fuit; Nectarius prudenter munus illud pœnitentiarij, delicta scandalosa populo detegentis, sustulit. Vel ut alij volunt, publicam abrogavit confessionem, eo tempore coram multis fieri solitam, ut legimus apud Cassianum Collat. 2. cap. 11. & testantur Origenes homil. 2. in Psalm. 37. & Augustinus lib. 50. homiliarum, homil. ultimâ cap. 11. Hunc etiam sustulit Leo Magnus Epist. 80. ad Episcopos Campaniæ, his verbis: *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicitâ usurpatione committi, modis omnibus*

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnibus constituo submoveri : ne de singulorum peccatorum genere, libellis scripta Confessio, publicè recitetur, cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari, confessione secretâ. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter timorem Dei apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium sunt hujusmodi peccata, ut qui pœnitentiam poscunt non timeant publicare; removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, &c. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.

34. De eadem publica confessione intelligendus est Chrysostomus, dum solam coram Deo factam confessionem admittere videtur. Quod verò hæc interpretatio legitima sit, & ad mentem illius, patet ex verbis illis : *Non dico ut confitearis ea conservo tuo, ne exprobret :* Hæc enim verba apertè significant, Chrysostomum loqui de confessione publica, ex qua opprobrium & confusio pœnitentium sequi solebat. Id etiam constat ex homilia 4. de Lazaro, circa medium, ubi hæc scribit : *Cave enim homini dixeris, ne tibi exprobret, Neque enim conservo confiteris, ut in publicum proferas; sed ei qui dominus est, ei qui tui curam gerit, ei qui humanus est, ei qui medicus est, ostendis vulnera.* Et infrà inducit Deum sic cum pœnitente loquentem : *Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes : mihi soli dic peccatum privatim, ut sanem ulcus, teque dolore liberabo.* Et homil. 31. in Epistolam ad Hebræos, sic loquitur : *Non tibi dico, ut ea* (scilicet peccata) *tanquam pompam in publicum proferas, neque ut te accuses; sed ut pareas Prophetæ dicenti, Revela Domino viam tuam. Apud Deum ea confitere, apud Judicem confitere peccata tua, orans, si non linguâ, saltem memoriâ.* Quibus locis solùm intendit publicam confessionem abrogare, non verò secretam & auricularem.

35. Dices : Chrysostomus ita asserit confessionem non esse conservo faciendam, ut etiam addat soli Deo eam debere fieri : Ergo excluditur omnem confessionem homini faciendam, subindeque etiam secretam & auricularem.

Respondeo Chrysostomum dum ait confessionem soli Deo esse faciendam, non excludere Sacerdotem, quia cùm Sacerdos confessionem audiat, & à peccatis absolvat, ut Christi vicarius, non condistinguitur ab ipso Christo, unde confessio facta Sacerdoti, soli Deo censetur fieri, ut apud Tertullianum lib. de pœnit. cap. 9. & 10. & Augustinum in Psalm 66. videre est. Vel etiam dici potest cum Bellarmino, Chrysostomum non loqui de confessione prout ordinatur ab absolutionem sacerdotalem, sed quatenus habet rationem cujusdam satisfactionis pro pœna debita peccato, ad quem finem instituta erat publica confessio, ut nimirum pœnitens lueret partem pœnæ peccatis à se commissis debitæ, ratione illius solemnis confusionis quæ oriebatur ex publica criminum confessione. Vult ergo Chrysostomus, ad hanc satisfactionem faciendam, non esse necessarium ut homini peccatum aperiatur, sed sufficere ut Deo cum dolore & lachrymis exponatur.

§. III.

Altera difficultas expeditur, & quo tempore Christus sacramentum pœnitentiæ instituerit, breviter declaratur.

36. DIco secundò, sacramentum pœnitentiæ institutum fuit à Christo post resurrectionem, cùm verba illa protulit : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata* &c. Ioannis 20.

Hæc etiam conclusio est de fide, definitur enim expressè à Tridentino sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 1. his verbis : *Dominus autem sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos dicens, Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

37. Ratio etiam id suadet, cùm enim sacramentum pœnitentiæ sit spirituale judicij tribunal, tunc verè instituitur cùm Sacerdotibus confertur judiciaria potestas ad absolvendum vel condemnandum, juxta merita delinquentis : Sed potestas illa traditur Joan. 20. verbis allegatis : Ergo tunc solùm instituitur sacramentum Pœnitentiæ, & non antea.

38. Si autem quæras, cur Christus hujus sacramenti institutionem post resurrectionem suam differre voluerit, cùm tamen alia sacramenta ante mortem & passionem suam instituerit ? Respondeo illam aliam posse assignari rationem à priori, quàm voluntatem ipsius instituentis, aliquas tamen posse afferri congruentias quarum præcipua est, quia resurrectio Christi est typus & exemplar perfectæ justificationis, quâ homo per pœnitentiam resurgit à morte peccati. Unde Paulus ad Romanos 4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*; id est ut perfectum justificationis exemplar nobis exhiberet. Sicut enim Christus citò, verè, & perfectè, seu non iterum moriturus, resurrexit : ita peccator debet per pœnitentiam citò à peccatis resurgere, neque eam differre, & verâ ac sincerâ pœnitentiâ ad Deum converti, atque ad vitam gratiæ per eam revocatus & restitutus, non mori iterum morte peccati, nec peccatum illi ultra dominari, juxta illud ejusdem Apostoli : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.*

39. Contra istam conclusionem objici potest. Tunc institutum fuit sacramentum Pœnitentiæ, cùm potestas clavium Apostolis collata est : Sed talis potestas fuit ipsis collata Matthæi 18. ubi Christus illis dixit : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo :* Ergo tunc fuit à Christo institutum sacramentum Pœnitentiæ.

40. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, & ad testimonium Matthæi dico tunc solùm promissam fuisse Apostolis potestatem clavium ad remittenda vel retinenda peccata, nec de facto fuisse illis collatam usque post resurrectionem, cùm Christus per insufflationem Apostolis tribuit Spiritum Sanctum, dicens : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Cùm enim (ut expendit S. Thomas Joannis 20. remissio peccatorum fiat mediâ charitate, & Spiritus Sanctus sit charitas, non fuit conveniens Apostolos recipere virtutem remittendi

tendi peccata, quousque per mysticam illam Christi insufflationem Spiritum Sanctum recepissent. Quod si aliquis contendat Apostolos Matthæi 18. ligandi atque solvendi judiciariam potestatem recepisse de præsenti, ut verba sonare videntur, dici poterit talem potestatem judiciariam, non esse potestatem remittendi vel retinendi peccata in foro interno, sed esse potestatem ferendi sententiam in foro exteriori, & ad puniendos rebelles pœnis & censuris Ecclesiasticis, ut docet S. Thomas super verba illa Matthæi, & colligit ex ipso contextu : nam ibi Christus posito præcepto ordinis servandi in correctione fraterna, addit : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, id est separatus & excommunicatus, per sententiam excommunicationis latam ab Ecclesia. Ut autem appareat efficacia potestatis Ecclesiasticæ ad hanc pœnam inferendam, immediatè subjungit Christus : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram*, &c. Subdit S. Doctor : *Sic dicitur alligare, quia non solvit, vel quia excommunicat.*

Articulus III.

Quæ sit materia & forma Sacramenti Pœnitentiæ ?

D ICo primò, actus pœnitentis, nimirum dolorem de peccato & ejusdem confessionem ac pro eo satisfactionem, esse materiam proximam hujus sacramenti : materiam verò remotam illius esse peccata actualia post baptismum commissa.

41. Prima pars hujus conclusionis docetur expressè à Tridentino sess. 14. cap. 3. his verbis. *Sunt quasi materia hujus sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempè contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, plenamque & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Et Canone 4. *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema sit.* Nec te moveat quod Concilium non appellat hos actus materiam, sed quasi materiam, nam ut ait Catechismus Romanus de sacramento Pœnitentiæ numero 14. *Non ideò hi actus quasi materia à Sancta Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sint quæ extrinsecùs adhibeatur, ut aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione.*

42. Potest insuper eadem pars ratione suaderi : nam cùm hoc sacramentum sit institutum per modum actûs judicialis, ut colligitur ex Joannis 20. & Matthæi 18. & docetur à Tridentino sessione 14. cap. 2. & 5. sicut in foro civili & externo judicio, unus quidam est actus judicialis constans ex rei accusatione & defensione, & ex Judicis sententia : in quo actu sententia habet quandam rationem formæ perficientis & complentis negotium in accusatione & defensione inchoatum : ita sacramentum Pœnitentiæ est aggregatum quoddam ex actibus pœnitentis, reum & testem contra seipsum agentis, id est, seipsum sincerè accusantis, & per dolorem aptum ad reconciliationem, seipsum quodammodo defendentis apud Deum; & ex sententia Sacerdotis absolventis : in quo actus pœnitentis habent rationem partis imperfectioris & præsuppositæ, subindeque materiæ; actus verò Sacerdotis absolventis habet rationem perficientis & complentis, adeóque formæ.

Addo ex D. Thoma in 4. sentent. dist. 14. q. 1. art. 1. ad 1. *quod sicut in corporalibus medicinis quædam sunt quæ consistunt in sola passione vel receptione curari : ut sectio vulneris, vel emplastri : quædam verò quæ consistunt in actu laborantis, sicut exercitationes, & hujusmodi : ita etiam in sacramentis quædam non requirunt actum ejus qui sanctificatur, quantum ad substantiam sacramenti, nisi per accidens, sicut removens prohibens : sicut patet in Baptismo, & Confirmatione, & hujusmodi. Quædam autem requirunt essentialiter & per se actum ejus qui sacramentum recipit, ad essentiam sacramenti, sicut patet in pœnitentia & matrimonio.*

43. Dices, Quod habet rationem materiæ, debet præsupponi formæ : Sed satisfactio non præsupponitur formæ sacramenti Pœnitentiæ, sed potius eam subsequitur : Ergo non est materia proxima hujus sacramenti.

Respondeo distinguendo Majorem : Quod habet ratioocm materiæ, tanquam pars essentialis, concedo Majorem. Tanquam pars integralis, nego Majorem : Nam etiam in naturalibus, partes integrales nonnunquam superveniunt materiæ per formam actuatæ, ut patet in nutritione & augmentatione : satisfactio autem non est pars nisi integralis sacramenti Pœnitentiæ, ut constabit ex dicendis articulo sequenti. Addunt aliqui, satisfactionem, quatenus in voto & proposito in contritione includitur, præcedere absolutionem. Sed in hoc sensu satisfactio non est pars integralis, sed essentialis, quia est ipsa contritio.

44. Secunda pars hujus conclusionis, quæ asserit peccata post baptismum commissa esse materiam remotam hujus sacramenti, sequitur ex dictis in præcedenti : Tum quia materia remota alicujus sacramenti illa dicitur circa quam versatur materia proxima : Sed actus pœnitentis jam dicti, qui sunt materia proxima sacramenti Pœnitentiæ, versantur circa peccata actualia : Ergo illa sunt materia remota sacramenti Pœnitentiæ. Tum etiam, quia crimen vel negotium de quo agitur in judicio civili & politico, dicitur materia illius : Sed pœnitentia, ut suprà dicebamus, est quoddam judicium : Ergo peccata de quibus in illo tractatur, sunt ipsius materia, non ex qua, vel in qua, ut aqua in baptismo, & lignum in cathedra, sed materia circa quam, vel contra quam operatur sacramentum, eam delendo seu destruendo, sicut panis & vinum dicuntur materia Eucharistiæ; vel potiùs sicut morbi dicuntur materia medicinæ.

45. Dixi autem peccata actualia post baptismum commissa, quia nec peccatum originale nec peccata actualia ante baptismum commissa, sunt hujus sacramenti materia; illud enim pro personis, & causis Ecclesiæ jurisdictioni subjectis institutum est : At personæ nondum baptizatæ non subduntur jurisdictioni Ecclesiæ, juxta illud Pauli 1. Corinth. 5. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare ?* & istud Tridentini sess. 14. cap. 2. *Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non prius ipsam per baptismi januam fuerit ingressus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

gressus. Peccata quoque ante Baptismum commissa non pertinent ad Ecclesiæ jurisdictionem ; quia sunt iis similia , quæ committuntur à non subjectis alicui regno vel provinciæ, extra ipsius territorium , de quibus non potest judex illius regni vel provinciæ judicare ; unde Ecclesia talium peccatorum confessionem non admittit, nec pro illis ullam injungit pœnitentiam. Quæ verò peccata actualia post baptismum commissa, sint materia necessaria , vel sufficiens hujus sacramenti , dicemus infrà , cùm de confessione agemus.

46. Dico secundò:Forma sacramenti Pœnitentiæ, sunt verba absolutionis à Sacerdote prolata. Ita definitum est à Florentino in decreto unionis , ubi sic dicitur : *Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis , quæ Sacerdos profert , cùm dicit : Ego te absolvo à peccatis tuis , &c.* Et à Tridentino sessione 14. cap. 3. his verbis : *Docet præterea Sancta Synodus , Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est,in illis Ministri verbis positam esse : Ego te absolvo à peccatis tuis, &c.*

47. Ratio etiam id suadet , nam, ut suprà dicebamus , sacramentum Pœnitentiæ est institutum per modum judicij : At in judicio sententia Judicis se habet tanquam forma , quia est veluti complementum & consummatio illius : Ergo & absolutio Sacerdotalis, quæ gerit vices sententiæ in foro pœnitentiæ , habebit rationem formæ.

Disp.11. De hac fusè infrà disseremus , & varias ac graves quæ circa illam versantur difficultates , discutiemus ac resolvemus.

Articulus IV.

Utrùm absolutio Sacerdotis , & actus pœnitentis , sint partes intrinsecè componentes sacramentum Pœnitentiæ ?

48. PArtem negantem tenent aliqui Theologi : Scotus enim, Major , & Gabriël , existimant solam formam esse partem intrinsecam hujus sacramenti ; contritionem verò & confessionem , dispositiones tantùm , & satisfactionem fructum illius. E contra Soto vult formam non esse nisi complementum hujus sacramenti, ejusque essentiam in solis actibus pœnitentis adæquatè consistere. Durandus verò fatetur quidem absolutionem & confessionem esse partes intrinsecas Pœnitentiæ sacramenti , sed hoc negat de contritione , quia (inquit) non est aliquid sensibile , sed spirituale ; & de satisfactione , quia non supponitur ad absolutionem , sed ad ipsam sequitur. Quam opinionem quoad satisfactionem docuit etiam Marsilius. Pro explicatione veræ & communis sententiæ , sit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

49. DIco breviter : Sacramentum Pœnitentiæ componitur intrinsecè ex absolutione,confessione , dolore interno, & satisfactione.

Hæc conclusio quantùm ad omnes partes colligitur ex dictis in præcedenti : nam in ea ostendimus , sacramentũ Pœnitentiæ constare ex actibus pœnitentis & absolutione Sacerdotis , tanquam ex materia & forma : At in omni composito etiam artificiali materia & forma se habent ut partes intrinsecæ & essentiales, ut in Tractatu de Sacramentis in communi contra Cabreram ostendimus : Ergo sacramentum Pœnitentiæ componitur intrinsecè ex absolutione, confessione, dolore interno , & satisfactione. *Disp. 1. art. 7. Conc. 3.*

Probatur insuper conclusio quantùm ad singulas partes. Et in primis quòd absolutio Sacerdotis sit pars intrinseca hujus sacramenti , manifestum videtur : Tum quia ut articulo præcedenti ostendimus , omne judicium intrinsecè constat ex accusatione rei, & ex sententia judicis ; unde cùm in foro pœnitentiæ absolutio Sacerdotalis gerat vices sententiæ,non potest non esse pars intrinseca illius. Tum etiam, quia Sacerdos absolvens , verè conficit Sacramentum Pœnitentiæ : Sed si ex absolutione Sacerdotis illud non componeretur intrinsecè , Sacerdos absolvens non verè ipsum conficeret : Ergo, &c. Major est certa , Sacerdos enim absolvens , est verè minister sacramenti Pœnitentiæ. Minor verò probatur : Qui nihil facit pertinens ad intrinsecam constitutionem alicujus compositi , non verè ipsum conficit : Sed cùm Sacerdos absolvens nihil faciat in sacramento Pœnitentiæ , quàm absolvere,nihil ad intrinsecam ejus constitutionem pertinens faciet , si non componatur intrinsecè ex absolutione Sacerdotis : Ergo Pœnitentiæ sacramentum non conficiet , si ex absolutione Sacerdotis illud intrinsecè non constet. 50.

Deinde quòd etiam confessio & dolor internus intrinsecè ad constitutionem hujus sacramenti pertineant , non minùs videtur certum : Si enim non essent de intrinseca ejus constitutione , sed tantùm se haberent , ut docet Scotus , tanquam dispositiones ad illud ; quemadmodum qui sine debita dispositione baptizatur , verè suscipit baptismum , licèt indignè , quia talis actus baptizati , non est de essentia baptismi , nec de intrinseca ejus constitutione ; sic qui sine dolore & confessione peccatorum reciperet à Sacerdote absolutionem , verum & totum sacramentum pœnitentiæ susciperet ; quod tamen est absurdum & erroneum. 51.

Demum quod etiam satisfactio intrinsecè ad constitutionem hujus sacramenti concurrat , sic ostenditur : Omne compositum constat intrinsecè ex partibus sui, non tantùm essentialibus , sed etiam integrantibus ; pedes siquidem & digiti constituunt intrinsecè corpus humanum , licèt sint tantùm de ejus integritate : Atqui satisfactio est pars saltem integralis sacramenti pœnitentiæ, ut determinavit Tridentinum sess. 14. cap. 3. & colligitur ex eo quod licèt sacramentum pœnitentiæ non sit primariò & essentialiter, nisi judicium reconciliatorium peccatoris cum Deo , secundariò tamen & integraliter sit insuper judicium vindicativum juris divini læsi , in quo differt à baptismate , quod est sacramentum puræ reconciliationis : vindicatio autem & ultio, sine pœna & sine satisfactione esse non possit : Ergo, &c. 52.

Adverte tamen , quòd licèt satisfactio non sit pars essentialis , sed tantùm integralis sacramenti pœnitentiæ, ac proinde non possit dici de essentia ejus , per modum partis , sed tantùm de integritate ; verum tamen est dicere quod est de essentia ejus per modum connotati & obliqui , sive per modum termini habitudinis transcendentalis & essentialis ipsius ; omne enim compositum, sive substantiale, sive accidentale , essentialem 53.

tialem dicit habitudinem ad partes suas , etiam præcisè integrantes. Ex quo sit quod licèt absque satisfactione , nondum in re exhibita , sed nec etiam imposita , possit aliquando salvari essentia sacramenti pœnitentiæ ; imò & absque voto explicito satisfactionis , sive desiderio eam adimplendi : quando nimirum moribundus confessus absolvitur sine imposita pœnitentia , non tamen absque voto implicito satisfactionis , sive ordine ad illam.

§. II.

Solvuntur objectiones.

54. COntra primam partem conclusionis , pro sententia Soti objicitur primò : D.Thomas infrà quæst. 90. numerans omnes partes sacramenti pœnitentiæ , ex quibus intrinsecè constat, non meminit absolutionis. Item quæst.84. art.1. vocat absolutionem complementum sacramenti pœnitentiæ ; quod tamen falsum videtur, si absolutio sit de intrinseca ipsius constitutione ; id enim habebit per modum formæ , atque adeò partis essentialis , quæ omnino distinguitur à complemento.

Respondeo D. Thomam loco primùm citato numerare partes hujus sacramenti , non omnes absolutè , sed eas duntaxat quibus adæquata ipsius materia conficitur : cum quo stat quod alia sit præterea habens rationem formæ essentialis, physicè ipsum componentis , scilicet absolutio, quam secundo loco vocat quidem complementum, sed intrinsecum & essentiale (nempè in genere formæ , quæ præbet primam rationem speciei, sicut anima homini) non verò extrinsecum & accidentale.

56. Contra secundam & tertiam partem conclusionis , pro sententia Scoti objicitur secundò : Si pœnitentiæ sacramentum non consisteret in sola absolutione Sacerdotis , sed insuper ex actibus pœnitentis, contritione scilicet , confessione , & satisfactione,intrinsecè constitueretur,sequeretur quod Sacerdos non efficeret tale sacramentum, subindeque quod non esset ejus minister : Sed hoc dici nequit : Ergo nec illud. Sequela Majoris manifesta videtur, nam actus pœnitentis non efficiuntur à Sacerdote ministrante sacramentum pœnitentiæ , sed tantùm absolutio : Ergo si pœnitentiæ sacramentum non consistat in sola absolutione , sed insuper ex actibus pœnitentis intrinsecè componatur , Sacerdos non poterit dici illud efficere.

57. Confirmatur : Illud omne ex quo intrinsecè componitur sacramentum pœnitentiæ , causat physicè gratiam ei propriam : Atqui sola absolutio hoc præstat, tum quia id docet D.Thomas in 4. distinct. 22. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2. & 3. tum etiam quia ratio id suadet : si enim actus pœnitentis physicè causarent gratiam in sacramento pœnitentiæ , pœnitens diceretur seipsum justificare, dare sibi gratiam, & remittere peccata , imò & seipsum absolvere ; quandoquidem sacerdos ideò solùm dicitur pœnitentem absolvere , quia gratiam peccati remissivam in eo physicè causat , per verba absolutionis quæ profert : Ergo sacramentum pœnitentiæ in sola absolutione consistit.

58. Ad objectionem respondeo , negando sequelam Majoris : quemadmodum enim agens naturale, licèt non producat materiam, imò aliquando neque formam , eo tamen ipso quod eam introducat in materiam, dicitur producere compositum ; v. g. homo dicitur genetare hominem, ex eo solùm quòd animam uniat corpori ; efficere album, præcisè ex eo quod introducat albedinem in subjecto ; sic Sacerdos verè dicitur ministrare hoc sacramentum , illudque efficere , non obstante quod materiam ejus , in actibus pœnitentis consistentem , non efficiat ; ex eo præcisè quòd formam in absolutione consistentem , vel physicè , vel moraliter , tali materiæ uniat.

Ad confirmationem , concessâ Majori , nego Minorem , nam ut docet D. Thomas hic art. 1. ad 3. & quæst. 28. de verit. art.8. ad secundum, sacramentum pœnitentiæ ratione utriusque partis materiæ & formæ causat gratiam. Neque oppositum docet in quarto sent. citato in argumento, sed tantùm ait solam formam hujus sacramenti habere per se primò virtutem efficiendi gratiam , cum quo stat quod actus pœnitentis , secundariò,& minùs principaliter, & ratione alterius, scilicet formæ absolutionis, gratiam ex opere operato producant , ut idem S. Doctor hic quæst. 86. sequenti art. 6. manifestè declarat, his verbis : *Actus humani qui sunt ex parte peccatoris , materialiter se habent in sacramento pœnitentiæ : omne autem sacramentum producit effectum suum , non solùm virtute formæ , sed etiam virtute materiæ , ex utroque enim est unum sacramentum : unde sicut remissio culpæ fit in baptismo non solùm virtute formæ , sed etiam virtute materiæ , scilicet aquæ , principaliter tamen virtute formæ , ex qua ipsa aqua virtutem recipit ; ita etiam & remissio culpæ est effectus pœnitentiæ , principaliùs quidem ex virtute clavium , quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id quod est formale in hoc sacramento ; secundariò autem ex vi actuum pœnitentis , pertinentium ad virtutem pœnitentiæ , tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ.* Per quod patet ad primam probationem Minoris. 59.

Ad secundam verò nego sequelam , quia propositiones illæ, *homo se justificat, sibi dat gratiam* absolutè prolatæ, ex vi terminorum, & ex modo loquendi,significant virtutem propriam & principalem in homine ad sui justificationem ; si tamen proferrentur cum addito , & intelligerentur de causa instrumentali , possent concedi : in nullo tamen sensu verum est dicere , quod pœnitens seipsum possit absolvere ; non enim ideò præcisè minister sacramenti pœnitentiæ dicitur verè & propriè absolvere pœnitentem, quòd habeat rationem instrumenti physici in causalitate gratiæ, sed quia insuper per modum Judicis causat remissionem peccatorum , quod pœnitenti nullâ ratione potest competere, cùm in tribunali pœnitentiæ , non sit Judex, sed reus, & accusator sui.

Objicies tertiò : Partes componentes totum, requirunt aliquam conjunctionem : Sed contritio & confessio nullam cum absolutione conjunctionem requirunt,cùm eam multo tempore præcedere possint : Ergo cum ea sacramentum pœnitentiæ componere nequeunt. 60.

Respondeo ad constitutionem compositi physici , requiri physicam partium conjunctionem, ad constitutionem verò compositi moralis , quale est sacramentum pœnitentiæ , sufficere conjunctionem moralem , qualis intercedere solet inter accusationem Rei & sententiam Judicis ; vel qualis inter consensum conjugum requiritur

&

Universidad de Deusto
Biblioteca

& sufficit in matrimonio, in quo consensus A
unius multo tempore præcedere potest consensum alterius.

61. Objicies quartò : Potest dari sacramentum pœnitentiæ sine confessione, per signa tantùm, ut de moribundis docet Rituale Pauli V. Item potest dari sacramentum pœnitentiæ validum, sed informe, defectu contritionis seu doloris sufficientis : Ergo confessio & contritio non constituunt intrinsecè & essentialiter sacramentum pœnitentiæ.

Respondeo negando Antecedens, quoad utramque partem, nam in moribundo cùm signa subeant vicem verborum (sicut nutus in matrimonio) eorum exhibitio rationem locutionis & confessionis habet. Ad illud quod additur, nego posse absque ullo dolore dari sacramentum pœnitentiæ validum, cùm hujus sacramenti forma cadere nequeat nisi in peccata aliquo dolore affecta : quinam verò ad illius valorem requiratur, & sufficiat, dicemus infrà cùm de contritione agemus. B

62. Objicies quintò pro sententia Durandi : Omnis pars compositi sensibilis, quale est sacramentum, debet esse sensibilis : Sed contritio non est sensibilis : Ergo non est pars sacramenti pœnitentiæ.

Respondeo primò, Majorem non esse universaliter veram, nam homo est aliquod totum corporeum, & sensibile, tamen una ex partibus C
ex quibus constat, nimirum anima, neque corporea est, neque sensibilis.

Respondeo secundò, sufficere quod totum sacramentum sit sensibile per se, & quælibet ejus pars sit sensibilis per se, vel per aliud : quamvis autem contritio non sit sensibilis per se, sit tamen sensibilis per confessionem exteriorem, quæ nobis significat confitentem sua peccata, de illis aliquem dolorem concipere.

63. Objicies sextò pro sententia Marsilij : Si satisfactio esset pars integralis sacramenti pœnitentiæ, ei corresponderet partialis forma, sicut quia in sacramento Extremæ-Unctionis distinguuntur plures unctiones ipsum integrantes, cuilibet correspondet partialis forma : Sed consequens non videtur posse admitti, quandoquidem unica est in isto sacramento absolutionis forma : Ergo nec Antecedens. D

Respondeo primò, negando sequelam Majoris, & paritatem probationis ei adjunctæ : licèt enim in Ordine & in Extrema-Unctione, ex peculiari Christi institutione, contingat singulis partibus materiæ, correspondere singulas formas partiales ; non tamen hoc est necessarium in aliis sacramentis, sed unica forma in sacramento pœnitentiæ, quæ est absolutio, cadit supra omnes actus pœnitentis ; eos vel physicè, ratione sui, aut effectûs ; vel moraliter, actuans & determinans in tratione unius adæquati signi E
gratiæ.

Responderi potest secundò, satisfactioni in sacramento pœnitentiæ correspondere formam partialem, nimirum sententiam per quam injungitur à Sacerdote ; sicut enim satisfactio injuncta virtute clavium, est de integritate materiæ hujus sacramenti, ita sententia per quam injungitur, est de integritate formæ consistentis essentialiter in absolutione.

§. III.

Corollaria notatu digna.

64. EX dictis hactenus constat primò, sacramentum pœnitentiæ supponere in recto pro actibus pœnitentis, & absolutione Sacerdotis, nam ex his partibus fit sensibile signum gratiæ sanantis & remissivæ peccatorum.

65. Constat secundò, hoc sacramentum appellari reconciliationis ab effectu, absolutionis à forma, confessionis à notiori parte materiæ, pœnitentiæ ab ipsa contritione ; nunquam verò dicitur sacramentum satisfactionis, quia hæc, licèt sit de integritate, non est tamen de essentia. B

66. Constat tertiò, impositionem manuum non requiri necessariò in hoc sacramento, tum quia nullibi in declaratione actuum ex quibus hoc sacramentum constat, mentio fit impositionis manuum ; & licèt olim in usu fuerit, & nunc etiam sit, nunquam tamen habita fuit pro simpliciter necessaria, imò nec semper & ubique adhibita ab omnibus. Tum etiam, quia ut discurrit D.Thomas hic art. 4. impositio manuum in sacramentis Ecclesiæ fit ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum, quo illi quibus manus imponuntur quodammodo per quandam similitudinem continuantur ministris in quibus copia gratiæ esse debet. Et ideò manûs impositio fit in sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritûs Sancti ; & in sacramento C
Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in divinis mysteriis. Sacramentum autem pœnitentiæ non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiæ, sed ad remotionem peccatorum : unde ad hoc sacramentum non requiritur manuum impositio, sicut nec etiam ad Baptismum, in quo tamen fit plenior remissio peccatorum.

67. Quartò ex dictis intelliges, duplicem posse dari definitionem sacramenti pœnitentiæ, alteram physicam, alteram metaphysicam. Physicè enim sic potest definiri : *Sacramentum pœnitentiæ est confessio exterior peccatorum, post baptismum commissorum, ab interna contritione vel attritione proveniens, sub præscripta absolutionis forma.* In definitione enim physica entis artificialis, quale est sacramentum, ponitur materia ejus in recto, & forma in obliquo, licèt forma etiam sit de essentia ejus in recto ; aliud enim est esse de essentia rei in recto, aliud prædicari de ipsa in recto. Metaphysicè verò consideratum definiri sic potest : *Pœnitentia est sacramentum novæ legis, à Christo Domino institutum, ad significandam & conferendam gratiam sanantem, & ad remittenda peccata post Baptismum commissa.*

68. Demum ex dictis infertur, quod cùm juxta omnium Theologorum sententiam debeat sacramentis assignari aliquid quod sit res tantùm, id est effectus sacramenti ; aliquid quod sit sacramentum tantùm, id est signum externum & sensibile ; & aliquid quod sit res & sacramentum, id est effectus, & simul signum ulterioris effectûs ; etiam in hoc sacramento hæc tria reperiri debent. Et quidem de re tantùm hæc est difficultas, illa enim est gratia remissiva peccati ; sicut nec de sacramento tantùm, illud enim est aggregatum ex actibus pœnitentis, & absolutione Sacerdotis. Sed difficile est assignare quid in hoc sacramento sit res & sacramentum simul, nam varia circa hoc sunt Authorum placita. Capreolus

Ius enim & Paludanus existimant hoc sacramentum præter gratiam sanctificantem efficere quendam ornatum in anima, qui ipsam gratiam antecedat, & significet, subindeque qui sit res & sacramentum simul. Delugo verò disp. 2. de sacramentis in genere sect. 8. docet, in hoc sacramento rem & sacramentum simul, esse conscientiæ pacem & serenitatem, quæ cum vehementi spiritûs consolatione consequi solet, ut ait Tridentinum sess. 14. cap. 3. Sicut in Extrema-Unctione res & sacramentum est sanitas corporis, si animæ expedierit ; vel, ut alij malunt, hilaritas mentis, & confortatio ad sustinentiam dolorum, & luctam tentationum. His tamen relictis sententiis, utpotè à mente & doctrina D. B
Thomæ penitùs alienis.

69. Dicendum est cum S.Doctore hîc art.1. ad 3. & in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 2. quod interior pœnitentia, seu contritio, est in hoc sacramento res & sacramentum simul, quia partim significat gratiam remissivam peccati, partim ipsa significatur ab actibus externis pœnitentis ; qui dum humiliter se accusat, & submittit absolutioni & satisfactioni, significat se de peccato dolore.

70. Verùm contrà hanc D.Thomæ sententiam, duplex fieri potest instantia difficilis. Prima est : Ut aliquid sit res & sacramentum simul, debet esse effectus causatus ab eo quod est sacramentum tantùm, sicut character causatur à Baptismo ; C
unde supponit id quod est sacramentum tantùm, esse in se constitutum & compositum, ut possit causare talem effectum : At interior pœnitentia seu contritio, non supponit constitutum sacramentum pœnitentiæ à quo causetur, quia est pars constitutiva illius, ut suprà ostensum est : Ergo interior pœnitentia seu contritio, non est in hoc sacramento res & sacramentum simul.

71. Secunda est : Id quod est res & sacramentum simul, non est causa illius quod est sacramentum tantùm, nec illud antecedit, sed subsequitur : At interior pœnitentia, seu contritio, est causa illius quod est sacramentum tantùm, nimirum ipsius confessionis sensibilis & externæ, illamque antecedit, quia confessio est expressio quædam doloris interni de peccatis : Ergo non potest contritio esse res & sacramentum simul. D

72. Huic duplici instantiæ duplex potest adhiberi solutio. Prima traditur à Soto in 4. distinct. 14. quæst. 1. ubi docet contritionem duobus modis posse considerari : Primò quatenus sit sensibilis per signa exteriora, & quodammodo concipitur ut informis, seu nondum formata per gratiam sacramentalem quam significat, quâ ratione est prior gratiâ & causa ipsius, tanquam pars sacramenti. Secundò ut formata gratiâ sacramentali, quâ ratione posterior est sacramento, & effectus ipsius. Unde ad primam instantiam, distinguo Majorem : Illud quod est res & sacramentum E
simul, debet causari ab eo quod est sacramentum tantum, sub aliqua formalitate, concedo. Sub omni, nego. Sicut in matrimonio, vinculum inter virum & uxorem, non est res & sacramentum simul, prout præcisè oritur ex contractu naturali, sed quatenus elevatur à sacramento, ad significandum conjunctionem Christi & Ecclesiæ ; & corpus Christi, non absolutè in se, sed quatenus, ut ita dicam, sacramentatum, seu conjunctum speciebus sacramentalibus, est res & sacramentum Eucharistiæ, effectusque ipsorum verborum, & sacramenti. Quidni ergo pariter contritio, considerata ut informis, poterit A
esse pars sacramenti pœnitentiæ, illudque intrinsecè constituere ; ut formata verò per gratiam sacramentalem, esse effectus ab eo causatus, illoque sub hac ratione posterior ? Per quod patet ad secundam instantiam.

73. Aliter aliqui recentiores Thomistæ ab hac difficultate sese expediunt, dicunt enim, quod quando S.Thomas docet quod interior pœnitentia est res & sacramentum simul, per pœnitentiam interiorem, non intelligit pœnitentiam actualem, seu contritionem, sed magis habitum pœnitentiæ, qui se habet ut proprietas respectu gratiæ. Unde facilè occurrunt instantiis propositis, nam confessio & contritio verè antecedunt B
& causant hujusmodi habitum ; vel absolutè & quoad substantiam, si pœnitens accedat cum sola attritione ; vel quantum ad aliquam ejus perfectionem & augmentum, si pœnitens cum contritione ad sacramentum accedat ; sicut enim sacramentum pœnitentiæ tunc non causat gratiam simpliciter, sed augmentum ipsius ; ita nec producit habitum pœnitentiæ quoad substantiam, sed solùm quoad majorem ejus intensionem & augmentum. Plura de hac re Joannes à S.Th. hic art. 5. sed in re levi & ferè arbitraria, magisque ad modum loquendi pertinente, quàm ad rem ipsam explicandam, non est diutiùs immorandum. C

ARTICULUS V.

Utrum sacramentum Pœnitentiæ in re, vel saltem in voto, sit medium necessarium ad delenda peccata post Baptismum commissa ?

§. I.

Quibusdam præmissis, duplici conclusione difficultas resolvitur.

74. NOtandum primò, sacramentum pœnitentiæ, sicut & quodlibet aliud duobus modis susci pi posse, in re scilicet & in voto. Suscipitur in re, quando quis reipsâ confitetur peccata, & ab illis absolvitur. Suscipitur verò in voto ab eo qui cùm reipsâ non possit confiteri & absolvi, habet tamen desiderium confitendi. D

75. Notandum secundò, duplex esse posse votum alicujus sacramenti ; unum explicitum, quando scilicet aliquis directè & formaliter intendit ejus susceptionem ; aliud implicitum, quando nimirum directè & formaliter non desiderat sacramentum, vult tamen aliquid in quo includitur votum sacramenti. His positis, pro resolutione quæstionis propositæ.

Dico primò, sacramentum pœnitentiæ, in re, vel in voto, necessarium esse necessitate medij, ad delenda peccata post Baptismum commissa.

76. Probatur primò ex SS. Patribus : Augustinus enim Epist. 18. ad Honoratum, loquens de imminente periculo mortis ex irruptione hostium, cùm dixisset, ex tali circunstantia temporis, alios baptismum, alios reconciliationem seu pœnitentiam flagitare, subjicit : *Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati ? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt ?* Et lib.1. de adulterinis

Universidad de Deusto
Biblioteca

rinis conjugiis cap. ultimo : *Quæ autem baptismatis eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentiam finiendæ vitæ periculum præoccupaverit, nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Quibus locis apertè docet, quod ut baptismus est necessarius absolutè hominibus, ita pœnitentia est necessaria fidelibus, supposito quod post Baptismum prolapsi fuerint in peccatum mortale.

77. Idem asserit Leo Papa Epist. 91. cap. 2. & 3. his verbis : *Multiplex misericordia Dei, ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis domum violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent, sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei hominum homo Christus Jesus, hanc Ecclesiæ præpositis tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sanctorum, per januam reconciliationis admitterent.* Et posteà : *Si autem aliqui eorum pro quibus Domino supplicamus, quocunque interceptus obstaculo, à munere indulgentiæ præsentis exciderit, & prinsquàm ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam, humanâ conditione finierit ; quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nos, eorum qui sic obierint merita actusque discutere ; cùm Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit ; ita potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis, aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multùm enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus, ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur.*

78. Probatur secundò ex Trident. sess. 14. cap. 2. in fine, ubi ait, *Sacramentum pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem est necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus :* Ergo sicut postquam à Christo constitutum & promulgatum fuit, *Nisi renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei,* Baptismus, vel in re, vel in voto, necessarius est, ad justificationem, juxta doctrinam ejusdem Concilij sess. 6. cap. 4. Sic ubi decretum & promulgatum fuit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt,* sacramentum pœnitentiæ, vel in re, vel in voto, necessarium est adultis baptizatis ad obtinendam remissionem peccatorum, quæ post baptismum commiserunt ; ita quod licèt aliquando per contritionem deleantur extra usum sacramenti pœnitentiæ, non deleantur tamen sine voto illius, quod in ipsa contritione includitur, ut expressè declarat sess. 14. cap. 4. his verbis, *Docet præterea (Sancta Synodus) etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquàm hoc sacramentum (pœnitentiæ) actu suscipiatur : ipsam nihilominus reconciliationem, ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

79. Ex his probata manet conclusio, peccatum enim post Baptismum commissum non potest remitti, nisi per contritionem, vel per sacramentum pœnitentiæ ; cùm in lege nova nullum aliud sit institutum, ad tollendum peccata Baptismum subsequentia : Atqui si peccata post Baptismum commissa remittuntur per sacramentum pœnitentiæ, remittuntur per ipsum in re susceptum ; si verò deleantur per contritionem, remittuntur per sacramentum pœnitentiæ in voto susceptum ; cùm in ipsa contritione, ut jam ex Tridentino visum est, includatur votum sacramenti pœnitentiæ : Ergo sacramentum pœnitentiæ, in re, vel in voto, necessarium est ad delenda peccata post Baptismum commissa. Quod insinuatur Matth. 16. per metaphoram clavium, sub qua potestas remittendi aut retinendi peccata, D. Petro, ejusque successoribus concessa est. Sicut enim nullus ingredi potest domum, quandiu clausa fuerit janua, nisi clavis eam aperiat ; ita etiam nemo à peccato lethali post Baptismum commisso potest absolvi, nisi per potestatem spiritualem remittendi peccata, Sacerdotibus concessam ; subindeque nisi per sacramentum pœnitentiæ, in re, vel saltem in voto, susceptum.

80. Quæres, quo pacto votum sacramenti pœnitentiæ includatur in contritione de peccatis post Baptismum commissis ?

Respondent primò aliqui, ideò in contritione contineri votum sacramenti pœnitentiæ, quia per contritionem non remittitur peccatum, nisi sub conditione recipiendi sacramentum ; ita ut remissio suspensa maneat, donec susceptum fuerit sacramentum.

Sed contra : Contritio est dispositio ultima ad gratiam, quam ex natura rei & necessariò comitatur gratia : Ergo cùm gratia sit incompossibilis cum peccato, saltem de lege ordinaria, contritio non expectat absolutionem Sacerdotis, ut remittat peccata. De quo fusiùs infrà disputatione 3. art. 3.

81. Respondent secundò alii, ideò in tali contritione includi votum sacramenti pœnitentiæ, quia contritio includit votum & propositum virtuale servandi omnia præcepta ; unde cùm extet præceptum divinum de recipiendo sacramento pœnitentiæ à lapsis post Baptismum, consequenter contritio includit votum talis sacramenti.

Sed hæc etiam responsio insufficiens est, quia oportet explicare modum aliquem specialem quo contritio contineat votum sacramenti pœnitentiæ, quo non contineat votum aliorum sacramentorum : Sed hæc responsio id non explicat : Ergo, &c. Major patet, quia alias peccatum non deberet dici magis remitti per votum pœnitentiæ, quàm per votum alterius sacramenti. Minor verò probatur, quia non minùs est præcepta aliorum sacramentorum susceptio, quàm istius : Ergo si contritio ex eo tantùm includit votum sacramenti pœnitentiæ, quòd includit propositum servandi omnia præcepta, eodem modo includet votum sacramenti pœnitentiæ, quo continet votum aliorum sacramentorum.

82. Respondeo ergo contritionem de peccatis Baptismum subsequentibus, remittere illa peccata, in voto sacramenti pœnitentiæ, ex eo quod hoc sacramentum est institutum in remedium talium peccatorum ; ex quo etiam fit ut contritio illa, speciali modo contineat votum istius sacramenti, quo non continet alia.

83. Dico secundò, ad obtinendam remissionem peccati post baptismum commissi, non requiri necessariò votum explicitum sacramenti pœnitentiæ, sed sufficere implicitum.

Probatur

Probatur : Ad remissionem peccati mortalis post baptismum commissi, sufficit vera contritio : Sed vera contritio potest esse sine voto explicito sacramenti pœnitentiæ, quamvis non absque implicito : Ergo & remissio peccati post Baptismum commissi. Major est certa, vera enim contritio, cùm sit ultima dispositio ad gratiam justificantem, non est absque ea, subindeque nec absque remissione peccati. Minor verò probatur. Fieri potest ut homo in peccato existens, eliciat actum contritionis, & tamen tunc non cogitet de confessione sacramentali, vel ex oblivione, vel ex ignorantia invincibili, in quo casu non haberet votum explicitum sacramenti pœnitentiæ, sed duntaxat implicitum : Ergo vera contritio potest esse sine voto explicito sacramenti pœnitentiæ, quamvis absque implicito esse nequeat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

84. Objicies primò contra primam conclusionem : Sacramentum pœnitentiæ institutum est à Christo solùm in favorem & utilitatem fidelium, & salutem animarum : Sed magis faveret utilitati fidelium, & saluti animarum, si fideles possent ad illud recurrere, si vellent, non tamen ad id tenerentur, uti fit in peccatis venialibus, quæ possumus, si volumus subjicere clavibus Ecclesiæ, non tamen tenemur, cùm sint alia media ad illa expianda : Ergo videtur quod sacramentum pœnitentiæ, non est medium necessarium ad obtinendam remissionem peccatorum, quæ post Baptismum commisimus.

85. Confirmatur : Nullum factum fuisset privilegium Ecclesiæ per hoc sacramentum, sed potiùs arduum impositum onus, si non possemus justificari, nisi per sacramentum pœnitentiæ ; imò in lege Evangelica, arctior esset via salutis quàm antea ; quandoquidem absque susceptione sacramenti pœnitentiæ, vel voto ejus, justificari & salvari poterant homines ante Evangelium : At hæc videntur absurda : Ergo, &c.

86. Ad objectionem respondeo, negando Majorem, non enim solùm institutum est sacramentum pœnitentiæ in favorem fidelium, sed etiam & præcipuè in favorem honoris divini, ut nimirum per illud condigna fiat injuriæ Deo per peccatum illatæ vindicatio & reparatio.

87. Ad confirmationem, nego etiam Majorem, nam magnum privilegium est, posse cum sola attritione in hoc sacramento justificari ; multóque facilius est habere attritionem, & cum ea confiteri exteriùs, quàm habere solum actum internum perfectæ contritionis, sine qua circumcisus in lege veteri, lapsus in peccatum mortale, salvari non poterat.

88. Objicies secundò. Remissio peccati post Baptismum commissi, potest obtineri sine sacramento pœnitentiæ in re vel in voto : Ergo illud non est necessarium necessitate medij, ad delenda peccata post Baptismum commissa. Consequentia patet, Antecedens probatur. Martyrium cum sola attritione remittit peccatum mortale, & justificat ex opere operato non solùm parvulos, sed etiam adultos, ut in Tractatu de Baptismo ostensum est : Ergo remissio peccati post Baptismum commissi, potest obtineri sine sacramento pœnitentiæ, in re, vel in voto. *Disp. 1. art. 7.*

89. Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem, concesso Antecedente, nego Consequentiam ; nam in ipso martyrio continetur implicitè votum sacramenti pœnitentiæ : Tum quia si per otium liceat Martyri, vel peccata subjicere clavibus Ecclesiæ, vel saltem contritionis actum elicere, ad id tenetur : Tum etiam, quia si subitò ad martyrium rapiatur, aut inter dormiendum occidatur, etiam in eo casu, ratione attritionis antea elicitæ, & voluntatis suscipiendi martyrium, censetur votum habere implicitum sacramenti pœnitentiæ, in attritione inclusum, licèt non ita perfectè, sicut in contritione, quia attritio non est ita efficax.

90. Objicies tertiò : Non magis includitur in contritione votum implicitum sacramenti pœnitentiæ, quàm sacramenti Eucharistiæ, cùm contritio non magis implicitè includat propositum servandi unum ex divinis mandatis, quàm alia ; At licèt votum Eucharistiæ in contritione implicitè includatur, Eucharistia in voto non dicitur necessaria necessitate medij ad obtinendam remissionem peccatorum quæ post Baptismum commisimus : Ergo nec sacramentum pœnitentiæ in voto, ad id debet dici necessarium, necessitate medij.

91. Respondeo negando Majorem, ex eo enim quod sacramentum pœnitentiæ & non Eucharistiæ est institutum ad remittenda peccata baptizatorum, specialiter includitur votum implicitum sacramenti pœnitentiæ, non autem Eucharistiæ, in contritione de peccatis post Baptismum commissis : sicut in contritione de peccatis ante Baptismum commissis, continetur speciali quodam modo votum Baptismi, ob eandem rationem.

DISPUTATIO II.

De Pœnitentia ut virtute.

Ad quæstionem 85. D. Thomæ.

DE virtute Pœnitentiæ differunt non solùm Scholastici cum Magistro in 4. distinctione 14. & cum Divo Thoma hìc quæstione 85. sed etiam plures ex SS. Patribus, inter quos præcipuè sunt Tertullianus & Ambrosius, in libris quos de ea scripserunt, Cyprianus in sermone de lapsis, Chrysostomus duobus libris de compunctione cordis, & duodecim sermonibus de Pœnitentia, & apud Augustinum tomo 4. Auctor libri de vera & falsa pœnitentia. Quæ illi fusiori & eleganti stylo de hac virtute scripserunt, breviter & compendiosè expendemus, ejusque naturam, causas, & effectus explicabimus.

Illius originem Deus ostendit, cùm statim atque primi parentes peccarunt, eos de paradiso expulit. Ex quo primi Christiani didicerunt pœnitentes ejicere ex Ecclesia. Unde Tertullianus in libro de pœnitentia, subtiliter ait, Deum *pœnitentiam in seipso dedicasse*, quia antequam Deus diceret, *pœnitet me fecisse hominem*, non erat auditum nomen pœnitentiæ.

Porro licèt veteres Philosophi & Poëtæ pœnitentiam ut est sacramentum non agnoverint, eam tamen quatenus est virtus, aut aliquid simile virtuti non ignorarunt. Finxerunt enim Deam esse quandam, quam vocarunt Nemesin & Adrastiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

stiam, quæ sumeret pœnas de malefactis: quam pinxerunt gubernaculum manu unâ tenentem, alterâ frænum, ut ostenderent hanc virtutem gubernare veram vitam humanam, & injicere hominibus veluti frænum quoddam quo à peccando cohibeantur ac refrænentur.

ARTICULUS PRIMUS.

An Pœnitentia sit virtus?

§. I.

Hæreticorum error refellitur.

1. PRiusquàm propositam difficultatem resolvamus, & pœnitentiam veram esse virtutem demonstremus, refellendus est error hæreticorum hujus temporis, pœnitentiæ nomine abutentium: cùm enim omnia aspera fugiant, & mollia quæque sectentur, pœnasque & satisfactiones pro peccatis commissis aversentur; consequenter docent, pœnitentiam, dolorem & detestationem peccatorum non importare, sed significare tantùm propositum novæ vitæ inchoandæ, & simplicem resipiscentiam & vitæ novitatem, doloris de peccatis, & pœnæ omnis expertem. Ita Lutherus, Beza, Erasmus, & Laurentius Valla, qui vocem μετάνοια, quæ in textu græco Bibliæ habetur, & significat pœnitentiam, C vertunt *resipiscentiam*, quæ solam propositi vel mentis emendationem significat.

2. Sed peccant manifestè contra Scripturam, contra Sanctos Patres, & contra optimos quosque latinitatis Authores. Nam in primis Scriptura longè aliam nobis pœnitentiam describit, & commendat, quàm mollem illam resipiscentiam Lutheranorum: Job ultimo: *Idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Ioel 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra*, &c. Matth. 11. *Si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* Item Genes. 6. ubi Deo pœnitentia tribuitur, non tribuitur sine dolore, quasi ab eo separari non possit, salvâ vocis proprietate: *Pœnituit eum quod hominem fecisset, & tactus dolore cordis intrinsecùs.* &c.

Demum qui illos Sanctorum clamores consideraverit: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Psal. 6. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, Isaiæ 38. & alios hujusmodi, facilè intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione, manasse.

3. Secundo SS. Patres, conformiter ad Scripturam, pœnitentiam per dolorem, & alios actus illi dolori consentaneos explicant: Gregorius homil. 34. in Evangelia: *Pœnitentiam agere* (inquit) E *est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.* Cyprianus lib. de lapsis: *Convertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat, illi mœstitia satisfaciat, illi spes omnis incumbat. Iram & offensam ejus, jejuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus..... si quem de charis tuis mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolemer & fleres, facie inculta, veste mutata, neglecto capillitio, vultu nubilo, ore dejecto, indicia* A *mœroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti, spiritualiter mortua supervivere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti, & non acriter pangis? non jugiter ingemiscis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abscondis?* Augustinus serm. 3. in Natali Domini, post initium: *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei; quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita; & quod te priùs oblectabat in corpore, ipsum te cruciet in mente.* Et in lib. quinquaginta homiliarum, homil. 50. *Ascendat* (inquit) *homo adversùm se tribunal mentis suæ..... Atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor.* B *Inde quidam sanguis animi confitentis per lachrymas profluat &c.* Demum infra: *Non enim sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Quibus verbis pœnitentiam non solùm resipiscentiam, & vitæ novitatem, sed etiam odium, displicentiam, & dolorem de peccatis præteritis importare, apertissimè docet.

Tertiò ipsimet Authores ethnici, pœnitentiam per dolorem & pœnam describunt: Cicero enim in 4. Tusculana, prope finem, de Alexandro loquens, qui cùm interemisset Clytum familiarem suum, vix à se manus abstinuit propter displicentiam & dolorem: *Tanta vis fuit* (inquit) C *pœnitendi.* Et Orat. pro Celio: *Id nunquam tam acerbè ferret, ut eum pœniteat.* Item Ovidius lib. 1. de Ponto Eleg. 1.

Pœnitet, ô si quid miserorum creditur ulli:
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.
Cùmque sit exilium, magis est mihi culpa dolori:
Estque pati pœnam, quàm meruisse minus.

Nec verò metanœa (seu μετάνοια) sic propositi emendationem, vel mentis animadversionem dicit, ut non etiam detestationem ac dolorem vel pœnam & castigationem peccatorum includat: Basilius enim Orat. 3. de siccitate, pœnitentiam Ninivitarum, quæ in cinere, sacco, & jejunio D fuit, ut dicitur lonæ 3. μετάνοιαν appellat. Lactantius lib. 6. divinarum institutionum cap. 24. tametsi μετανοιαν latinè reddat resipiscentiam, sic tamen bono sensu explicat: *Resipiscit quem errati piget, ac se ipsum castigat dementia, confirmatque subinde ad rectius vivendum.* Item apud Ausonium, pœnitentia in proprio Epigrammate sic loquitur.

Sum Dea quæ facili, non factique exigo pœnas:

Id est eorum quæ perperam commissa vel omissa fuerunt.

Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor.

4. Quartò Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. prædictum hæreticorum errorem, his verbis proscribit; *Declarat Sancta Synodus contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud Ezechiel. 18. Projicite à vobis iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum.*

5.

6. Demum idem error hoc discursu confutari potest: Impossibile est accedere ad terminum ad quem, nisi recedendo à termino a quo: unde cùm accessus ad novam vitam, & recessus à peccato, fieri debeat per actus voluntatis, & in actibus voluntatis fuga seu recessus nihil sit aliud, quàm odium & detestatio, impossibile erit ad novam vitam bonâ accedere, nisi à vitio & peccato recedendo,

recedendo, per odium & detestationem illius: A Pœnitentia ergo non solùm resipiscentiam & vitæ novitatem, sed etiam odium, displicentiam, & dolorem de peccatis præteritis importat.

§. II.

Quæstioni propositæ respondetur, & pœnitentiam veram esse virtutem, ostenditur.

DIco breviter, habitum pœnitentiæ esse virtutem. Ita D. Thomas hìc art. 1. & Theologi communiter.

7. Probatur primò ratione quam habet in argumento *sed contra*: Cùm proprium Legislatoris sit facere homines virtuosos, ut docet Aristoteles B 2. Ethic. præcepta legis non dantur nisi de actibus virtutum, quibus etiam solis promittitur præmium: Sed de actibus pœnitentiæ extat præceptum divinum, eisque promissum est præmium, dicitur enim Matth. 4. *Pœnitentiam agite.* Et Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vitâ vivet:* Ergo pœnitentia est virtus.

8. Probatur secundò ratione quam insinuat in corpore ejusdem articuli. Virtus est habitus in materia difficili electivus secundùm rectam rationem, inter duo extrema in mediocritate consistens: Sed habitus pœnitentiæ est hujusmodi: Ergo est virtus. Major continet omnes conditiones necessarias ad rationem virtutis. Minor verò C probatur discurrendo per singulas. Et in primis quòd habitus pœnitentiæ sit electivus secundùm rectam rationem, patet, quia recta ratio dictat dolendum esse de peccatis, ut sunt offensæ Dei. Quod autem versetur circa materiam difficilem, non minùs evidens est; fugere enim & odisse ea quæ maximè delectant, & quæ carni & sanguini pergrata sunt, non parùm difficultatis habet. Denique quod in mediocritate consistat, facilè potest suaderi: Sicut enim contingit quod aliqui homines de peccatis commissis, plus nimiò delectentur, juxta illud Proverb. 2. *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis*; ita & quod alij immoderatè & usque ad desperationem de illis doleant & tristentur; sicut Cain & Judas, quorum D alter in desperationem lapsus, dixit, *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*: alter verò pœnitentiâ ductus, laqueo se suspendit: habitus autem pœnitentiæ, medium tenet inter illa extrema. Hanc rationem insinuat Catechismus Conc. Trident. de Sacramento pœnit. num. 9. ubi hæc habet: *Interdum enim evenit ut ex admissis sceleribus minorem quam par est dolorem homines capiant, quin etiam ut a Salomone scriptum est, nonnulli sunt qui cùm malefecerint, lætantur; rursus verò alii ita se mœrori animi & ægritudini dedunt, ut de salute prorsus desperent: qualis Cain videri potest, qui ait: Major est iniquitas mea quam ut veniam merear. Et qualis certè Judas fuit,* E *qui pœnitentiâ ductus suspendio vitam, & animam amisit. Ut igitur modum in dolore tenere possimus, pœnitentiæ virtute adjuvamur.*

9. Confirmatur ex alia definitione virtutis, quam tradit Aristoteles 2. Ethic. cap. 6. his verbis: *Virtus est habitus, qui bonum facit habentem, & opus ejus reddit bonum.* Pœnitentia enim bonum facit habentem, imò sæpè illum meliorem & sanctiorem reddit, quàm esset ante lapsum, juxta illud Apostoli ad Roman. 5. *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Unde Gregorius lib. 11. Moral. cap. 19. vel aliàs 26. ut in editione Parisiensi 1619. *Discretus quisque ex eo quod mala se egisse intelligit, ad discretionis regulam reducitur; & inde altiùs ad justitiam proficit, unde ad tempus a justitia cecidisse videbatur:* Et paulò post: *Nonnunquam culpa, occasio virtutis fit.* Et alibi: *Et plerunque gratior Deo, amore ardens vita post culpam, quam in securitate torpens innocentia.* Item Ambrosius in serm. Cathedræ S. Petri: *Fidelior* (inquit) *profectò factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse flevit, atque ideò majorem gratiam reperit, quam amisit.* Habitus quoque pœnitentiæ opus suum reddit bonum, utpotè Deo acceptum, & vitæ æternæ meritorium; & innumeras pœnitenti offert utilitates & fructus spirituales, quos eleganter expendit Chrysostomus serm. de pœnitentia, his verbis: *O pœnitentia, quæ peccata Deo miserante remittis, & Paradisum reseras, contritum sanas, omnem tristitiam exhilaras, vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam das, vires reformas, gratiam abundantiorem effundis. Omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu custodis, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. Per te, ô pœnitentia, David afflictus, vel contritus, factus est sanctus. Per te filius prodigus paternum amplexum meruit. Per te Petrus postquam ter Dominum negavit, indulgentiam recepit. Per te, ô pœnitentia, latronem subitò Christus ad regnum æternum rapuit.*

§. III.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò: Virtus est propter se expetenda: Atqui pœnitentia non expetitur propter se, sed propter malum culpæ quod tollit: Ergo non est virtus. 10.

Confirmatur: Virtus non consistit in fuga mali, sed in prosecutione boni: At pœnitentia consistit in fuga mali: Ergo non est virtus.

Ad objectionem respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, pœnitentia enim expetitur propter se, id est propter suum finem proprium: & non propter aliquem alium à suo proprio fine 11. distinctum: finis autem proprius pœnitentiæ est delere malum culpæ, & Deo offenso satisfacere. Unde ad confirmationem, nego etiam Minorem, licet enim pœnitentia includat fugam mali, in ea tamen sola non consistit, sed in eo quod per eam satisfaciat Deo offenso, quod est boni maximi prosecutio.

Objicies secundò: Virtus habet per se delectationem: Sed pœnitentia non habet delectationem, sed potius excitat dolorem & tristitiam: Ergo non est virtus. 12.

Respondeo virtutem non habere semper delectationem de suo objecto, sed solùm de suo actu: quamvis autem pœnitentia doleat de peccato, quod est suum objectum, delectatur tamen de suo actu, quia gaudet se dolere. Solutio est D. Thomæ quæst. unicâ de spe art. 1. ad 14. ubi sic ait: *Duplex est delectatio, una quidem de objecto, alia verò de ipso actu: prima autem delectatio non est propria virtuti, quia est aliqua virtus ad quam pertinet dolere de suo objecto, scilicet pœnitentia; sed secunda delectatio quæ est de actu; est propria virtutis, quia unicuique habenti virtutem, est delectabilis operatio quæ est secundum proprium habitum, unde etiam pœnitens de dolore gaudet.* Hinc apud Job cap. ultimo, ubi vulgata habet, *Ago pœnitentiam in favilla & cinere* in textu originali legitur. *Ago solatium in favilla in cinere.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Addo, delectationem essentialem virtuti, consistere in promptitudine quadam & affectu, quo voluntas elicit alacriter actum virtutis; & hæc reperitur in pœnitentia; nec ei tristitia quam includit illa virtus opponitur, quia opponitur tantùm renisui & repugnantiæ voluntatis, quâ refugit elicere talem actum virtutis.

13. Objicies tertiò: Cùm virtus sit essentialiter dispositio perfecti ad optimum actum, non potest dari propter solos actus imperfectos, quales sunt conditionati de objecto impossibili: Sed affectus detestationis quo pœnitentia circa peccatum præteritum versatur, non est absolutus, sed tantùm conditionatus; quia nimirum pœnitens vellet se non commisisse peccatum, si hoc esset possibile: Ergo pœnitentia non est virtus.

14. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, nam affectus ille detestationis quo pœnitentia circa peccatum præteritum versatur, ex parte subjecti est absolutus, quia de præsenti actuat voluntatem; ex parte verò objecti est mixtus ex conditionato & absoluto; quatenus enim est circa id quod præteriit de peccato, est conditionatus, & congruenter explicari debet per hujusmodi verbum de futuro imperfecto, *Vellem non commisisse peccatum, si possibile foret*: quatenus verò respicit effectum relictum ex peccato præterito, scilicet offensam Dei habitualiter permanentem, & reatum pœnæ, est absolutus & efficax, cùm efficaciter retractet & removeat talem effectum; & ratione hujus secundi respectûs, potest explicari per verbum de præsenti hoc modo: *Doleo me peccasse*, vel, *Displicet mihi peccatum.*

15. Objicies quartò: Verecundia non est virtus: Ergo nec pœnitentia. Antecedens expresè docetur à D. Thoma 2. 2. qu. 144. art. 1. Consequentia verò probatur: Ideò enim verecundia non est virtus, quia est de turpi facto: Atqui etiam pœnitentia est de turpi facto, scilicet peccato: Ergo si verecundia non sit virtus, pœnitentia quoque virtus non erit.

16. Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam, & ad illius probationem dico quod licèt pœnitentia sit de turpi facto, sicut & verecundia, diversimodè tamen, nam ut ait D. Thomas hîc artic. 1. ad 2. *Verecundia respicit turpe factum, ut præsens, pro quo timet confundi; pœnitentia verò, ut præteritum:* hoc est, pœnitentia non patitur secum affectum peccati, imò odio habet illud atque destruit; verecundia autem potest compati cum affectu peccati, est enim timor vituperii seu opprobrii quod imminet vel nascitur, si turpe factum committatur, ut docet idem S. Doctor 2. 2. quæst. 144. artic. 2. qui timor non tollit affectum peccandi, sed tantùm vel externam ejus executionem impedit, vel saltem publicam, licèt non occultam: & per accidens est illi, quòd peccatum destruatur, dum ponitur; per se verò pœnitentiæ.

ARTICULUS II.

An pœnitentia sit virtus aliqua specialis, & quodnam sit ejus objectum materiale & formale?

17. ALtisiodorensis, Major, & quidam alii antiqui Theologi existimant quod pœnitentia non sit virtus specialis ab aliis distincta, sed quædam conditio generalis, aut prædicatum transcendens omnes virtutes, ad eum modum quo injustitia sive iniquitas dicitur conditio generalis omnium peccatorum, & justitia generaliter dicta, conditio & prædicatum omnium virtutum, juxta illud Matth. 3. *Sic decet nos implere omnem justitiam*, id est omnem virtutem. Alensis verò fatetur quidem pœnitentiam esse virtutem specialem simpliciter, sed addit esse generalem quodammodo; specialem, quoad actum punitionis ipsius pœnitentis in compensationem delicti; generalem verò, in ordine ad actum odii, sive detestationis peccatorum omnium. Cùm enim ad actum odii omnium peccatorum concurrant aliæ omnes virtutes, saltem imperando illud; ex amore enim objecti alicujus virtutis, oritur odium objecti ipsi contrarii, quod est peccatum, pœnitentia consequenter potest dici virtus generalis, non quidem per modum conditionis quæ per omnes virtutes divagatur, ut Altisiodorensis, & Major existimant, sed per concomitantiam & aggregationem omnium virtutum.

§. I.

Vera & communis sententia duplici conclusione statuitur.

DIco primò, pœnitentia est virtus specialis, non autem conditio generalis omnium virtutum. Ita D. Thomas hîc art. 2. & alii Theologi communiter.

18. Probatur primò: Virtus cujus objectum formale non est commune per modum prædicati transcendentis objecta aliarum, sed speciale, non est generalis per modum prædicati transcendentis omnes virtutes, sed specialis: Atqui objectum virtutis pœnitentiæ, non est commune per modum prædicati transcendentis objecta omnium aliarum virtutum, sed speciale: Ergo pœnitentia non est conditio generalis omnium virtutum, sed aliqua virtus specialis. Major constat, Minor verò probatur. Objectum virtutis pœnitentiæ est offensa Dei, ut expiabilis per satisfactionem, quæ non sit ad æqualitatem perfectam: Sed hæc ratio non transcendit objecta aliarum omnium virtutum, ut constat: Ergo objectum virtutis pœnitentiæ non est commune per modum prædicati transcendentis objecta omnium aliarum virtutum.

19. Probatur secundò ratione D. Thomæ loco citato, ubi sic discurrit: *Species habituum distinguuntur secundum species actuum, & ideò ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis: manifestum est autem quod in pœnitentia invenitur specialis ratio actûs laudabilis scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, inquantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis: unde necesse est ponere quod pœnitentia est specialis virtus.*

Probatur

20. Probatur tertiò: Virtus in cujus objecto est difficultas quæ non reperitur in objectis aliarum virtutum, non est generalis per modum prædicati transcendentis alias virtutes, sed specialis; ubi enim est specialis difficultas, ibi constitui debet specialis virtus: At in offensa Dei, ut expiabili per satisfactionem, quæ est objectum pœnitentiæ, ut infrà patebit, reperitur difficultas, quæ non est in objectis aliarum virtutum, in eo sita, quòd is qui peccati voluptatem jam expertus est, pro illo satisfacere & pœnam substinere velit: Ergo pœnitentia non est virtus generalis per modum prædicati transcendentis alias virtutes, sed specialis.

21. Dico secundò, Virtus pœnitentiæ non est generalis, aggregatione multarum virtutum.

Probatur primò destruendo fundamentũ Alensis: Ideò enim dicit pœnitentiam esse generalem virtutem per concomitantiam seu aggregationem aliarum omnium, quia detestatur mala illis omnibus contraria, detestando omne omnino peccatum: Sed hæc ratio nulla est: Ergo &c. Minor probatur: Licèt pœnitentia detestetur omnia omnino peccata, non tamen ea detestatur ut contraria aliis virtutibus (ad id enim præstandum sufficiunt aliæ omnes virtutes, quandoquidem quælibet ex amore boni proprii, habet per seipsam detestari malum sibi oppositum) sed ut explanda per satisfactionem, cùm objectum pœnitentiæ, ut infrà dicemus, sit peccatum, quatenus est offensa Dei expiabilis per pœnam voluntariè assumptam: Ergo &c.

22. Probatur secundò: Si virtus pœnitentiæ esset generalis, aggregatione multarum virtutum, non posset pœnitens unico actu elicito à virtute pœnitentiæ detestari omnia peccata: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Minor patet, nam sicut omnia peccata conveniunt in ratione offensæ contra Deum, ita omnia debent posse unico actu à virtute pœnitentiæ elicito detestari. Sequela verò Majoris probatur: Si pœnitentia non est una specialis virtus, sed aggregatio multarum, unaquæque habebit suum objectum limitatum, & distinctum ab objecto alterius: Ergo non poterit una se extendere ad detestandum peccatum alteri oppositum: v. g. temperantia non poterit se extendere ad detestandum peccatum injustitiæ, nec è contra justitia ad detestandum peccatum intemperantiæ, & sic de reliquis; unde ad detestanda peccata contra omnes virtutes, requirerentur actus omnium virtutum; atque ita peccator non posset unico instanti per pœnitentiam justificari; quia non potest justificari, nisi detestetur omnia peccata: non posset autem omnia peccata detestari, nisi exercendo actus omnium virtutum, quos homo in instanti exercere nequit; cùm nequeat voluntas, saltem naturaliter, ad plura objecta & motiva specie diversa, per diversos specie actus simul intendere.

§. II.

Solvuntur objectiones.

23. OBjicies primò contra primam conclusionem: Illa virtus non est specialis, sed generalis, quæ se extendit ad objecta omnium aliarum virtutum: Sed pœnitentia ad objecta omnium aliarum virtutum se extendit: Ergo non est virtus specialis, sed generalis. Major videtur manifesta, Minor verò sic ostenditur. Pœnitentia respicit omne peccatum, operando ad illius destructionem: Sed peccatum in tota sua latitudine amplectitur materias omnium virtutum, ad omnes enim pertinet odisse peccatum unicuique oppositum & displicere de illo: v. g. ad temperantiam spectat per se primò prosequi bonum temperantiæ, & secundariò fugere & odio prosequi peccatum intemperantiæ: Ergo pœnitentia ad objecta omnium aliarum virtutum se extendit.

24. Respondeo distinguendo Majorem: Illa virtus non est specialis, sed generalis, quæ se extendit ad objectum omnium aliarum virtutum, sub motivo quo ab eis respicitur, concedo Majorem. Sub motivo quo à nulla ex aliis virtutibus respicitur, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem Pœnitentia se extendit ad objectum omniũ aliarum virtutum, sub motivo quo ab eis respicitur, nego. Sub motivo quo à nulla illarum respicitur, scilicet sub ratione offensæ Dei, ut expiabilis per satisfactionem, concedo Minorem, & nego Consequentiam. Non enim est contra rationem specialis habitûs, quòd versetur circa objecta plurium aliorum habituum, dummodo illa respiciat sub aliqua ratione sibi propria; ut patet in Metaphysica, quæ omnia objecta aliarum scientiarum respicit sub ratione entis.

25. Objicies secundò: Virtus specialis non potest opponi omni vitio aut peccato; quia sicut habet determinatum bonum à quo specificatur, ita & determinatum malum cui opponitur: At pœnitentia omnibus omnino vitiis & peccatis contrariatur, nullum enim ex eis est, cum quo sit compatibilis: Ergo non est virtus specialis.

26. Respondeo primò, negando Majorem universaliter sumptam; charitas enim est virtus specialis, & tamen contrariatur cuilibet peccato mortali.

Respondeo secundò, non posse virtutem specialem opponi omni vitio, sub motivo speciali, sub quo unum vitium distinguitur ab alio, & singula opponuntur diversis virtutibus; posse tamen opponi sub motivo universali, in quo omnia conveniunt sub una ratione contra aliquam honestatem objectivam. Et hoc modo opponitur pœnitentia omni vitio, & peccato quatenus omnia vitia & peccata conveniunt sub ratione læsionis juris divini, ut constabit ex infrà dicendis.

27. Objicies tertiò: Cùm omnis virtus contrarietur vitio & peccato sibi opposito, unumquodque autem per suum contrarium destruatur; ad delendum peccata, non est necessaria aliqua virtus, quæ sit habitus distinctus ab aliis: Sed pœnitentia ordinatur ad delendum peccata commissa: Ergo illa non est habitus aliquis specialis distinctus ab aliis virtutibus.

28. Respondeo quod licèt omnis virtus contrarietur peccato sibi opposito, considerato secundùm rationem sub qua specialiter ei opponitur, v. g. fides destruat peccatum infidelitatis, ut infidelitas est; non tamen contrariatur peccato, considerato secundùm rationem sub qua non habet oppositionem specialem cum ea, nempè sub ratione offensæ Dei; unde ad hanc contrarietatem vincendam & ad destruendum peccatum, quatenus est offensa Dei, & satisfaciendum Deo pro tali offensa, datur locus virtuti speciali, quæ dicitur pœnitentia.

29. Objicies quartò: Ad appetendum bonum in communi non datur virtus aliqua specialis: Ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

neque ad declinandum ab omni malo, quod intenditur à pœnitentia, virtus specialis poni debet.

30. Respondeo quod licèt ad declinandum à malo ut sic, non requiratur virtus specialis, tamen ad declinandum à malo, quatenus est offensa Dei, & destruendum est per satisfactionem, necessaria est virtus specialis.

31. Objicies quintò contra secundam conclusionem: Illa virtus est generalis per concomitantiam, ad cujus actum concurrunt cæteræ omnes virtutes, ipsum imperando: Sed ad actum virtutis pœnitentiæ, qui est detestatio omnis peccati, concurrunt omnes aliæ virtutes, ipsum imperando; ex eo enim quod temperantia, fortitudo, justitia, &c. ament sua objecta, imperant pœnitentiæ ut detestetur peccata ipsis adversa: Ergo pœnitentia est virtus generalis per concomitantiam sive per agregationem aliarum virtutum.

32. Respondeo, datâ Majori, negando Minorem; licèt enim aliæ virtutes concurrant ad odium peccati, secundùm quod opponitur bono proprio cujusque virtutis; quia ejusdem virtutis est immediatè prosequi bonum, & odio habere malum sibi adversum, odium tamen peccati consideranti, ut est offensa Dei, delebilis per satisfactionem, sub qua ratione est à pœnitentia, nec elicitivè, nec imperativè procedit ab aliis virtutibus, sed oritur solùm à pœnitentia; quia sub hac ratione non cadit sub objecto aliarum virtutum, sed solùm spectat ad objectum pœnitentiæ.

§. III.

Alia difficultas resolvitur, & quodnam sit objectum materiale & formale virtutis pœnitentiæ, breviter explicatur.

33. Dico tertiò, objectum materiale virtutis pœnitentiæ esse peccatum, quatenus est offensa Dei expiabilis per satisfactionem.

Patet hæc conclusio, virtus enim pœnitentiæ versatur circa peccata, non sub particulari aliqua ratione, quandoquidem versatur circa omnia; nec prout opponuntur bono divino, sic enim respiciuntur à charitate, ut dicemus articulo sequenti: Ergo solùm ut sunt offensæ & injuriæ Dei, expiabiles per satisfactionem; proprium enim ejus motivum est dolere de peccato ex intentione destruendi & removendi illud, ut est injuria Dei, quod fit per satisfactionem. Ex quo

34. Inferes primò, peccatum duntaxat præteritum, esse objectum ut sic dicam primarium virtutis pœnitentiæ; quia offensa ut expiabilis, consideratur ut præterita; neque enim est expiabilis, nisi postquam commissa est; secundariò tamen & minùs principaliter pœnitentia fertur circa peccata futura, quia proponit nulla imposterum committere.

35. Inferes secundò, peccata aliena non pertinere ad objectum materiale pœnitentiæ, quia pœnitentia non respicit peccatum, nisi ut expiabile, seu quod idem prorsus est, ut per satisfactionem compensandum: Sed purus homo non potest satisfacere pro culpa aliena, esto possit satisfacere pro pœna temporali; cujus differentiæ ratio est, quia satisfactio pro pœna temporali, fit veluti per externam quandam solutionem debiti, quam potest unus præstare pro alio; at verò satisfactio pro culpa fit per internam offendentis erga offensum subjectionem, quam non potest unus pro alio facere: Ergo &c.

36. Inferes tertiò, quod licèt culpa mortalis, cùm habeat propriè rationem offensæ, sit veluti principale objectum pœnitentiæ, tamen peccatum veniale, cùm participet imperfectè rationem culpæ & offensæ, erit etiam objectum saltem secundarium & minùs principale illius. Idem cum proportione dicendum est de peccato exteriori, quod non addit malitiam supra interius. Peccatum verò originale, nullo modo pertinet ad objectum pœnitentiæ, quia tale peccatum est malum naturæ, & non personæ: unde non potest privati alicujus hominis satisfactione expiari.

37. Inferes quartò, non solùm malum culpæ, sed etiam malum pœnæ, pertinere ad objectum materiale pœnitentiæ, quia per pœnam voluntariè assumptam peccator satisfacit Deo, & compensat quantùm est de se jus divinum læsum.

38. Dico quartò, objectum formale pœnitentiæ esse jus divinum læsum per offensam, ut reparabile per satisfactionem & compensationem quandam.

Patet etiam hæc conclusio, tum quia per tale objectum distinguitur pœnitentia ab aliis virtutibus, tum etiam quia attingere peccatum sub illa ratione, est aliquis actus laudabilis maximam habens difficultatem: Ergo debet pertinere ad aliquam virtutem: Sed non potest pertinere ad aliam, quàm ad pœnitentiam, ut constabit ex dicendis articulo sequenti: Ergo objectum formale pœnitentiæ est jus divinum læsum per peccatum ut reparabile per satisfactionem.

ARTICULUS III.

An pœnitentia sit virtus à cæteris distincta, vel ad aliquam ex illis reducatur?

39. Licèt Theologi communiter doceant, pœnitentiam esse virtutem aliquam specialem, aliqui tamen non distinguūt illam à reliquis virtutibus, sed reducunt ad aliquam ex iis quæ erga Deum versantur, vel ex illis quæ ad justitiam pertinent. Unde cùm dicunt pœnitentiam esse virtutem specialem, non sumunt ly *specialem*, prout distinguitur contra omnem aliam virtutem particularem, sed prout distinguitur contra aggregationem multarum virtutum. Aliqui ergo quos refert Alensis 4. p. quæst. 54. membro 1. art. 2. existimant pœnitentiam reduci ad charitatem, quatenus ex amore Dei detestatur peccatum; ejusdem enim virtutis est diligere objectum, & detestari oppositum. Alij cum Cajetano asserunt eam pertinere ad virtutem religionis, quatenus honorem Deo debitum, per peccatum sublatum, restituit. Alij verò docent quod pœnitentia est eadem virtus ac justitia, vel commutativa, ut Durandus & Marsilius; vel vindicativa, ut Scotus; vel distributiva, ut Gabriel.

§. I.

Rejicitur prima sententia.

40. Dico primò, pœnitentiam esse virtutem distinctam à charitate.

Probatur ratione fundamentali: Virtutes quæ habent distincta objecta formalia, distinguuntur inter se: Sed charitas & pœnitentia respiciunt distincta objecta formalia: Ergo inter se distinguuntur. Minor probatur: Objectum formale pœnitentiæ

pœnitentiæ est jus divinum læsum, ut reparabile per satisfactionem, ut articulo præcedenti ostensum est: objectum verò formale charitatis est bonum divinum, seu Deus ipse ut in se est, unde charitas est virtus Theologica, non verò pœnitentia: Ergo habent diversa objecta formalia.

Confirmatur: Respicere jus divinum competit solùm virtuti justitiæ, cùm jus sit proprium ejus objectum: Sed charitas est virtus distincta à justitia: Ergo jus divinum non respicit.

41. Probatur secundò conclusio, destruendo præcipuum fundamentum adversæ sententiæ. Licèt charitas opponatur peccato, illudque destruere conetur, sicut pœnitentia; diversimodè tamen illud respiciunt, & in ejus destructionem tendunt: Ergo inter se distinguuntur. Consequentia patet, Antecedens probatur, advertendo peccatum dupliciter posse considerari, nimirum prout est malum oppositum bono hominis, quem privat rectitudine rationis, gratiâ, charitate, & aliis virtutibus ac donis supernaturalibus, ipsiusque Dei fruitione; & prout est malum quodammodo oppositum Deo, idque dupliciter. Primò ut contrarium bono divino, quia cùm per peccatum mortale, de quo præcipuè loquimur, homo constituat suum ultimum finem in creatura, ut in Tractatu de peccatis ostendimus, fit inde ut quodlibet peccatum mortale quodammodo sit contra bonum divinum, quod solus est verus ultimus finis, & vera beatitudo hominis, qua ratione omne peccatum contrariatur charitati; cujus proprium munus est inclinare voluntatem in Deum, tanquam in summum bonum & ultimum finem. Secundò potest considerari peccatum, ut opponitur divino juri & dominio proprietatis quod habet Deus in homines, eorumque actiones; & sub hac ratione est offensa & injuria, & respicitur à virtute pœnitentiæ, quæ per satisfactionem, talem injuriam reparare conatur. Licèt ergo charitas & pœnitentia adversentur peccato, illudque destruere intendant, diversimodè tamen; nam Charitas illud respicit, ut contrarium bono divino; pœnitentia verò, ut juri divino oppositum.

Disp. 9. art. 2.

42. Objicies: Virtus pœnitentiæ non distinguitur à charitate, si actus proprius pœnitentiæ, qui est contritio, eliciatur à charitate: Atqui contritio à charitate elicitur: Ergo virtus pœnitentiæ non distinguitur à charitate. Major patet, Minor probatur primò: Dolor de peccatis propter Deum summè dilectum, est actus contritionis: Sed talis dolor elicitur à charitate, cùm ejusdem virtutis sit gaudere de bonis amici, & de malis ejus dolere & tristari: Ergo contritio à charitate elicitur. Secundò probatur eadem Minor. Actus contritionis dicitur ille per quem deletur peccatum: Sed posito quod quis diligat Deum super omnia, impossibile est quod remaneat peccatum: Ergo &c.

43. Respondeo concessâ Majori, negando Minorem, & ad primam illius probationem dico quod quamvis dolere de peccato per simplicem displicentiam peccati, pertineat ad charitatem; dolere tamen de illo cum intentione illud destruendi, & satisfaciendi Deo offenso, non pertinet ad charitatem, sed ad aliam virtutem. Solutio est D. Thomæ hic art. 2. ad 1. ubi sic ait: *Si in actu pœnitentis consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediatè ad charitatem pertinet, sicut & gaudere de bonis præteritis: sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti, requirit specialem virtutem sub charitate.*

44. Instabis: Habitus qui intendit aliquod bonum, consequenter etiam operatur ad destructionem mali oppositi: Sed charitas intendit Deum ut summum bonum, cui peccatum opponitur: Ergo dolere de peccato, etiam cum intentione illud destruendi pertinet ad charitatem.

45. Respondeo distinguendo Majorem: Operatur ad destructionem mali oppositi, sub illa ratione sub qua opponitur bono à tali habitu intento, concedo. Sub alia, nego. Unde fatemur charitatem dolere de peccato cum intentione illud destruendi sub ea ratione, sub qua opponitur bono divino, quod respicitur à charitate: dolere autem de peccato cum intentione illud destruendi, sub ratione offensæ, & quatenus opponitur juri divino, non est charitatis, sed pœnitentiæ, ut in secunda probatione conclusionis declaravimus.

Ad secundam verò probationem Minoris principalis dico, quod licèt prorumpens in actum dilectionis Dei, eo ipso non habeat, ampliùs peccatum, ideò tamen res ita se habet, aut quia simul elicit mediante habitu pœnitentiæ actum contritionis, distinctum ab actu charitatis, si tunc instet obligatio ad eum, & peccatum memoriæ occurrat; aut quia licèt nullus alius actus præter dilectionem habeatur, eò quòd nimirum vel nullius peccati recordetur; vel si recordetur, tempus tamen adimplendi præceptum de contritione formali adhuc non urgeat: nihilominus dilectio perfecta quæ tunc habetur, includit saltem implicitè votum eliciendi actum contritionis formalis, quando postea recordabitur alicujus peccati, & tempus de eo dolendi instabit.

§. II.

Sententia Cajetani refellitur.

Dico secundò, pœnitentiam esse virtutem distinctam à religione.

Probatur primò ex D. Thoma in 4. dist. 14. qu. 2. art. 1. quæstiunc. 5. ubi sic ait: *Aliquis efficitur Deo debitor, per hoc quod ab eo aliquid recipit: & hac ratione Deo reddit debitum honorem latria sive religio. Alio modo ex hoc quod contra Deum peccavit; & sic reddit Deo debitum pœnitentia.* Quibus verbis manifestè distinguit religionem & ejus debitum, à pœnitentia & illius debito. Et dist. 15. quæst. 4. art. 7. quæstiunc. 1. ad 2. dicit non esse inconveniens actum unius virtutis imperari ab alia, sicut actus latriæ seu religionis imperatur à pœnitentia.

46. Probatur secundò ratione: Virtus cujus actus supponit necessariò offensam, distinguitur ab ea cujus actus non supponit, necessariò saltem, offensam: Atqui pœnitentia est virtus cujus actus necessariò supponit offensam, ut constat, non verò religio; potest enim & debet ejus actus exercèri etiam ab innocente: Ergo pœnitentia à religione distinguitur.

47. Probatur tertiò: Tunc una virtus realiter distinguitur ab alia, quando in actu illius est major difficultas, quàm in actu alterius: Sed in actu pœnitentiæ major est difficultas, quàm in actu religionis: Ergo pœnitentia à religione distinguitur. Major patet, virtus enim requiritur ad vincendam difficultatem quæ in actu ejus reperitur, Minor verò sic ostenditur. Proprius actus religionis est exhibere debitum cultū Deo, proprius autem actus pœnitentiæ est operari ad destructio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem offensæ contra Deum commissæ, puniendo illam in seipso : Sed major est difficultas in hoc secundo actu, quàm in primo, quia cùm homo maximè diligat propriam excellentiam, cum magna difficultate considerat suos defectus, & illos puniendos per satisfactionem ; cùm tamen valde suave sit exhibere Deo reverentiam, ad ejus excellentiam significandam : Ergo major reperitur difficultas in actu pœnitentiæ, quàm in actu religionis.

48. Demum suaderi potest conclusio ratione fundamentali. Illæ virtutes distinguuntur realiter, quæ respiciunt diversa objecta formalia: Sed pœnitentia & religio diversa objecta formalia respiciunt : Ergo distinguuntur realiter. Major patet, Minor probatur. Objectum formale religionis est specialis illa honestas quæ reperitur in eo quod supremæ Dei excellentiæ reddatur honor & cultus illi conveniens, ut in Tractatu de quatuor virtutibus Cardinalibus declaravimus: objectum verò formale pœnitentiæ est jus divinum læsum per offensam, & reparabile per satisfactionem, ut constat ex dictis articulo præcedenti : Sed hæc realiter inter se differunt : Ergo pœnitentia & religio diversa objecta formalia respiciunt. *Disp. 3. art. 1.*

49. Dices cum Cajetano, objectum formale pœnitentiæ non esse jus divinum læsum per offensam, sed jus divinum in tota sua latitudine, quod etiam respicitur à religione, ad quam subinde pertinet reparare jus divinum læsum, & satisfacere pro peccato per contritionem.

Sed contra objectum formale alicujus virtutis, nequit latiùs patere quàm objectum materiale, aliàs reperiretur objectum formale sine materiali : quod implicat : At si jus divinum in tota sua latitudine esset objectum formale pœnitentiæ, latiùs pateret quàm objectum ejus materiale : Ergo &c. Major constat, Minor probatur. Objectum materiale pœnitentiæ (ut articulo præcedenti ostendimus) sunt peccata, ut offensæ Dei, reparabiles per satisfactionem : Sed jus divinum in tota sua latitudine latiùs patet quàm peccata &c. nam etiam reperitur in cultu debito Deo tanquam supremo domino & benefactori nostro : Ergo si jus divinum in tota sua latitudine esset objectum formale pœnitentiæ, latiùs pateret quàm objectum materiale illius.

§. III.

Solvuntur objectiones.

50. Objicies primò : In humanis eadem virtus justitiæ commutativæ quæ respicit jus proximi in voluntariis commutationibus, putà emptione & venditione, respicit etiam jus læsum per offensam, satisfaciendo injuriæ alteri illatæ. Item eadem virtus pietatis nedum satisfacit Patri pro beneficiis acceptis, sed etiam pro injuriis in ipsum commissis : Ergo similiter eadem virtus religionis poterit pro beneficiis acceptis, Deo cultum debitum exhibere, & pro injuriis illatis ei satisfacere.

51. Respondeo, dato Antecedente, quod negant Soto & Valentia (existimant enim etiam inter homines requiri specialem virtutem ad satisfaciendum pro injuriis illatis, diversam ab ea quâ in voluntariis commutationibus satisfaciunt pro rebus acceptis, vel quâ restituunt ablata, & debita reddunt) negando Consequentiam & paritatem. Ratiò verò disparitatis, quantùm ad primum est, quia hominis ad hominem potest esse perfecta æqualitas, sub qua tanquam sub eadem ratione formali indivisibili, potest eadem virtus respicere & rem debitam ut restituendam, & injuriam illatam ut compensandam. At verò Deo nequit homo reddere æquale, sive pro beneficiis acceptis, sive pro injuriis illatis ; atque adeò non potest unica virtus ista respicere sub ratione perfectæ æqualitatis; nec etiam sub ratione inæqualitatis, quia inæqualitas, cùm multis modis contingat, per excessum scilicet & per defectum, non est una ratio omnino indivisibilis, quæ possit unam specificare virtutem ; unde aliunde petenda est ejus specificatio, ita ut diversæ inæqualitates, juxta diversas earum causas, distinguantur. Unde inæqualitas proveniens ex beneficiis acceptis, specificabit unam virtutem, & inæqualitas ex injuriis illatis aliam.

52. Quantùm verò ad secundum duplex assignari potest ratio discriminis. Prima est, quia virtus reddens cultum patri, & compensans injurias ipsi illatas, respicit semper idem jus & debitum, scilicet jus paternum, in quo diversæ illæ rationes adunatæ, possunt unam specificare virtutem. Virtus autem reddens cultum debitum Deo pro beneficiis, & virtus satisfaciens pro injuriis, respiciunt diversum debitum ; nam prior respicit jus dominij, posterior verò jus proprietatis ; ex eo enim quòd Deus est primum omnium principium, habet jus dominij in omnes creaturas, & earum actiones ; ex eo verò quòd est ultimus finis creaturæ rationalis, habet jus ut ad ipsum tanquam ultimum finem creatura ordinet omnes suas actiones ; quod jus appellatur jus proprietatis, ipsique opponitur peccatum in ratione offensæ.

Secunda ratio discriminis est, quia offensa filiorum in parentes, non est alia, quàm impietatis, aut ingratitudinis, quam proinde opposita virtus pietatis aut gratitudinis sufficienter potest reparare : At verò offensa gravis in Deum, habet specialem rationem injustitiæ, distinctam ab ea quæ contraria est cuilibet virtuti, & ei superaddita, proindeque reparandam virtute distinctâ à religione, & à qualibet alia.

53. Objicies secundò : Actus proprius virtuti pœnitentiæ, est etiam proprius virtuti religionis : Ergo pœnitentia non distinguitur à religione. Consequentia patet, Antecedens probatur primò. Actus principalis pœnitentiæ est subjectio hominis ad Deum : Sed per religionem homo subjicitur Deo : Ergo actus proprius virtuti pœnitentiæ, est etiam proprius virtuti religionis. Secundò, Satisfacere Deo pro injuria, qui est actus proprius virtuti pœnitentiæ, est exhibere cultum & reverentiam Deo, cùm talis satisfactio maximè cedat in ejus honorem, eique per affectum restituat honorem per peccatum ablatum : Sed exhibere cultum & reverentiam Deo, ad religionem spectat, & est proprius actus illius : Ergo actus proprius virtuti pœnitentiæ, est etiam proprius virtuti religionis. Tertiò, Actus proprius pœnitentiæ est ille per quem expiatur peccatum : Sed per actum religionis expiatur peccatum, quandoquidem in lege veteri peccata expiabantur sacrificiis, & modò in lege nova expiantur sacramentis : sacramenta autem & sacrificia sunt actus religionis, imò Psal. 50. actus contritionis appellatur sacrificium, dicitur enim: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Demum, sicut pro beneficiis acceptis debetur Deo gratiarum actio, ita & pro offensis recompensatio : Sed gratiarum actio pro beneficiis à Deo acceptis, est actus religionis : Ergo & recompensatio pro offensis, quæ est actus proprius pœnitentiæ.

54. Respondeo negando Antecedens, & ad primam illius probationem, distinguo Majorem. Actus principalis pœnitentiæ est subjectio hominis ad Deum, ut offensum, & ex motivo compensandi injuriam ei illatam, concedo Majorem. Ad Deum, ut supremum rerum omnium dominum, & ex motivo reverendi & profitendi supremam ejus excellentiam, nego. Similiter distinguo Minorem : Per religionem homo subjicitur Deo, ut rerum omnium domino, & ob supremam ejus excellentiam & majestatem, concedo Minorem. Ut offenso, & ex motivo compensandi injuriam ei illatam, nego Minorem, & Consequentiam. Diversæ enim virtutes possunt tendere in idem objectum diversimodè consideratum, seu ex diverso motivo & ratione sub qua. Sicut diversæ scientiæ per diversa media eandem attingunt conclusionem : *Eandem enim conclusionem demonstrat Astrologus & naturalis ; putà quod terra est rotunda : Sed Astrologus per medium mathematicum, id est à materia abstractum ; naturalis verò, per medium circa materiam consideratum:* inquit S. Thomas 1. p. quæst. 1. art. 1.

Ad secundam, distinguo Majorem : Satisfacere Deo pro injuria, est exhibere illi cultum aliquem generalem, qui includitur in quolibet actu virtutis, quatenus omnis actus virtutis cedit in honorem Dei, concedo. Est exhibere specialem illum cultum à quo specificatur religio, nego ; quia talis cultus consistit in professione quadam dominij quod Deus habet ut primum rerum omnium principium : satisfacere autem pro peccato, non est talis professio, ut patet ex dictis, & quamvis possit quis hanc satisfactionem peccati ordinare in cultum divinum propriè dictum, si nimirum fiat ex intentione significandi supremum Dei dominium; hoc tamen solùm arguit quod actus ille pœnitentiæ possit imperari à religione, non verò quod eliciatur ab illa ; ad hoc enim necessarium esset ut talis actus per se & ex propria ratione significaret excellentiam & dominium quod Deus habet supra omne creatum, ut patet in omnibus actibus religionis: v. g. in sacrificio, immutatio enim rei oblatæ, quæ est essentialis sacrificio, significat per se, & ex propria ratione, Deum esse suprenum vitæ & necis dominum.

Ad tertiam respondeo expiationem à peccatis quæ fit mediante sacramento, pertinere ad duplicem virtutem, nimirum ad religionem, cujus est sacramentum ipsum, & ad pœnitentiam, ad quam voluit Deus, instituendo sacramenta, quòd actus & cæremoniæ religionis ordinarentur : ex eo autem quod una virtus cum subordinatione ad aliam, concurrat ad ejus effectum, non sequitur quod actus ejus, sit actus illius. Ad locum autem Psalmistæ dico, in eo quidem contritionem sive dolorem cordis de peccatis appellari sacrificium, sed metaphoricè tantùm, non verò propriè ; constat enim sacrificium propriè dictum, esse actum externum, non verò internum, qualis est dolor cordis.

Ad quartam, nego Consequentiam, licèt enim recompensatio pro offensis, quæ fit propter recognitionem excellentiæ Dei, sive supremi ejus dominij, sit, quemadmodum gratiarum actio, actus religionis, non tamen recompensatio pro offensis, quæ fit immediatè propter destructionem peccati sive offensæ, secundùm quam rationem duntaxat habet quod sit actus pœnitentiæ.

§. IV.

Tres aliæ sententiæ breviter confutantur.

55. Dico tertiò, pœnitentiam distingui à justitia commutativa.

Probatur contra Durandum, primò quia hominis ad Deum non datur justitia commutativa, ut communiter docent nostri Thomistæ, & colligitur ex D. Thoma 1. 2. quæst. 114. art. 1. ubi sic ait : *Manifestum est, non posse esse omnino ad Deum* (non verò, à Deo, ut aliqui corrupti codices habent) *justitiam secundum perfectam æqualitatem.* Idem habet in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 6. Favet etiam Aristoteles in libris Ethicorum, ubi docet inter patrem & filium, dominum & servum, non dari justitiam commutativam ; quia justitia commutativa non est nisi inter æquales, nam sicut justitia legalis est partis ad totum, & distributiva, totius ad partes ; ita commutativa est partis ad partem, id est æqualis ad æqualem. Ex quo

56. Probatur secundò conclusio ratione à priori : Virtutes quæ habent diversa objecta formalia sunt realiter inter se distinctæ ; Sed pœnitentia & justitia commutativa diversa objecta formalia respiciunt : Ergo distinguuntur realiter. Major patet, Minor probatur. Justitia commutativa respicit jus strictum ad æqualitatem, per proprium actum compensandum : Sed pœnitentia non respicit tale jus : Ergo distinguitur à justitia commutativa. Major est certa, Minor probatur. Pœnitentia respicit jus divinum læsum per offensam, ut reparandum per proprium actum : Sed non potest pœnitentia reparare tale jus ad æqualitatem, quia offensa contra Deum commissa, est malitiæ simpliciter infinitæ, ut in Tractatu de peccatis ostendimus ; dignitas autem satisfactionis quam pœnitentia exhibet, est finita simpliciter : Ergo pœnitentia non respicit jus strictum, ut compensandum ad æqualitatem. *Disp. 9. art. 6.*

57. Respondet Durandus, in habitu pœnitentiæ duplicem actum esse distinguendum, unum primarium, & alium secundarium. Primarius est ille quo homo servat jus divinum illæsum, observando mandata, seu vitando peccata : secundarius verò est ille quo punit peccatum in seipso, & pro illo satisfacit. Quamvis ergo (inquit) pœnitentia non possit hunc actum secundarium à quo sumit nomen pœnitentiæ, perficere ad æqualitatem, ut probat nostra ratio, benè tamen actum primarium à quo specificatur.

58. Sed contra : Constituere perfectam æqualitatem est actus primarius justitiæ, constitutam verò servare, est actus solùm secundarius, ut colligitur ex D. Thoma, 2. 2. quæst. 79. art. 1. ad 3. quia impossibile est conservare illam, nisi priùs constituta sit ; quod enim non est, conservari non potest : Ergo hæc solutio Durandi falsum supponit, nimirum quod servare jus divinum illæsum sit actus primarius pœnitentiæ, & illud per satisfactionem reparare, actus duntaxat secundarius.

59. Confirmatur : Actus secundarius non addit novam difficultatem supra primarium: Sed in hoc quod est reparare jus divinum læsum, specialis & major est difficultas, quàm in hoc quod est vitare peccatum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatum, & conservare jus divinum illæsum: Ergo reparare jus divinum læsum per peccatum, est actus primarius pœnitentiæ; servare autem illud illæsum, actus duntaxat, secundarius. Major patet, Minor probatur, tum ad hominem contra Durandum, asserentem hominem posse ad æqualitarem servare jus divinum illæsum, non tamen reparare læsum. Tum etiam, quia major exigitur submissio & humiliatio in primo actu, quàm in secundo, unde illo supposito, nulla est difficultas in eliciendo isto; qui enim per veram contritionem de peccato dolet, facilè proponit ab omni peccato cavere.

Dico quartò, virtutem pœnitentiæ distingui à justitia vindicativa.

60. Probatur primò: Proprium est justitiæ vindicativæ pœnas & supplicia pro delictis taxare, servando proportionem & commensurationem inter pœnam & culpam: Sed nulla potest esse proportio inter pœnam quam pœnitentia exigit à peccatore, pro delicto peccati mortalis, & tale delictum, est enim illa pœna simpliciter finita, delictum verò ipsum, malitiæ simpliciter infinitæ, finiti autem ad infinitum nulla est proportio: Ergo pœnitentia non est justitia vindicativa.

61. Secundò, Justitiæ vindicativæ finis immediatus non est emendatio delinquentis, aut ejus reconciliatio cum parte læsa, sed solùm illius punitio: Sed pœnitentia habet pro fine immediato satisfactionis quam exigit à pœnitente, emendationem peccantis, & ejus reconciliationem cum Deo: Ergo non est justitia vindicativa.

62. Tertiò, Vindicatio quam facit vel petit justitia vindicativa, est involuntaria respectu patientis; ea verò quam facit pœnitentia, est voluntariè sumpta ab ipso suscipiente, utpotè actus virtutis in ejus voluntate existentis: Ergo idem quod

63. priùs.

Demùm, Justitia vindicativa non subjectatur in patiente vindictam, neque in Judice ordinante punitionem; ut enim rectè explicat D. Thomas 2. 2. quæst. 108. & Cajetanus ibidem, vindicatio, quæ est actus vindicativæ, est appetitus rationalis ulciscendi injurias, non intentione nocendi, sed intentione removendi nocumenta; unde hoc est speciale in hac virtute, quòd non potest consummare in proprio subjecto actum externum, quia ad illam solùm spectat intendere punitionem, ad justitiam verò commutativam ex imperio legalis residentis in judice, pertinet consummare actum vindicationis, seu punitionis: Atqui actus punitionis qui reperitur in pœnitentia, consummatur in ipso subjecto in quo est talis virtus: Ergo pœnitentia non est justitia vindicativa.

Dico quintò, virtutem pœnitentiæ distingui

64. à justitia distributiva.

Probatur primò: Justitiæ distributivæ proprium est, distribuere bona & pœnas, cum proportione ad actus laudabiles, & culpas: Sed nulla, ut suprà dicebamus, est proportio inter culpam peccati mortalis, & satisfactionem pro ea, per pœnitentiam exhibitam: Ergo pœnitentia à justitia

65. distributiva distinguitur.

Secundò, Justitia distributiva est superioris ad inferiores, siquidem pertinet ad superiorem distribuere inferioribus de communis bonis & pœnis, unicuique proportionaliter ad suum meritum vel demeritum: pœnitentia autem est potiùs inferioris, scilicet creaturæ ad superiorem, vi-

A delicet ad Deū: Ergo non est justitia distributiva. 66.

Tertiò, Justitia distributiva non inducit in distribuente debitum aliquod simpliciter, ortum ex eo quod aliquid acceperit vel abstulerit ab alio, benè tamen pœnitentia in pœnitente; inducit enim in eo debitum ex eo quod peccando graviter rationem ultimi finis Deo abstulerit, si non de facto, saltem quoad affectum: Ergo pœnitentia à justitia distributiva differt.

Denique Justitia distributiva pœnas vel bona 67.
taxat uni, per respectum ad alium quem etiam punit vel præmiatur, putà militi per respectum ad ducem; pœnitentia verò non punit unum pœnitentem, per respectum ad alium, sed per res-
B pectum ad culpam in Deum ab eo commissam: Ergo idem quod priùs.

§. V.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò contra tertiam conclusionem: Ad justitiam commutativam duo requiruntur, & sufficiunt, scilicet stricta obligatio ad solvendum debitum, & perfecta æqualitas in compensatione illius: Sed pœnitentia utrumque habet: Ergo est justitia commutativa. Major est certa, Minor probatur. Et in primis quod pœnitentia habeat strictum debitum ad satisfaciendum Deo pro injuria ipsi per peccatum irrogata manifestum est, cùm in Deo sit strictum jus talem satisfactionem exigendi à peccatore. Quod verò pro peccato satisfaciat Deo ad æqualitatem, sic ostenditur. Actus contritionis, qui est pœnitentiæ, reddit Deo æquale pro injuria illata: Ergo pœnitentia satisfacit Deo ad æqualitatem. Consequentia patet, Antecedens probatur. Illa satisfactio reddit æquale, quæ personæ læsæ exhibet aliquid, tantùm ei placens, quantùm displicet injuria: Sed per actum contritionis exhibetur Deo aliquid tantùm ei placens, quantùm ei displicet peccatum: Ergo actus contritionis reddit Deo æquale pro injuria illata. Major constat, Minor probatur. Tanta est bonitas
D actûs contritionis, quanta est malitia peccati; Ergo per actum contritionis exhibetur Deo aliquid tantùm ei placens, quantùm ipsi displicet peccatum. Consequentia manifesta est, Antecedens verò ex eo probatur, quòd sicut peccatum avertit à Deo ut ultimo fine, ita & contritio convertit hominem ad Deum tanquam ultimum finem, ipsique proinde restituit totum quod abstulerat per peccatum, quantùm ad affectum, scilicet rationem ultimi finis.

Respondeo, concessâ Majori, negando Mi- 69.
norem, quoad secundam partem, & ad illius probationem, nego Antecedens, ad cujus probationem, distinguo Minorem: Actus contritionis si consideretur in ratione bonitatis moralis
E præcisè, tantùm Deo placet, quantùm ei displicet peccatum, transeat. Consideratus in ratione satisfactionis, seu quantùm ad valorem quem habet ille actus ad satisfaciendum, nego. Ratio solutionis est, quia bonitas moralis actûs petitur ex ipsamet entitate actûs, & habitudine ad proprium objectum; valor autem satisfactorius sumitur ex dignitate personæ satisfacientis, non autem ab objecto circa quod talis actus versatur, cùm tamen malitia peccati in ratione offensæ, peti debeat ex dignitate personæ læsæ; & ideò licèt per actum contritionis restituatur Deo tantùm bonum, in ratione boni moralis, quantum

quantum fuerat per peccatum ablatum, non tamen in ratione satisfactionis quia peccatum in ratione offensæ est infinitum simpliciter, ex eo quod persona offensa est infinita; actus verò contritionis non est infinitus in ratione satisfactionis, quia persona satisfaciens non est infi-
Disp. 4. art. 1. nita. De quo plura diximus in Tractatu de Incarnatione.

70. Objicies secundò: Ab eadem virtute procedere debet satisfactio Christi & nostra: Sed satis-
Disp. 4. art. 5. factio Christi à justitia commutativa processit, ut in Tractatu de Incarnatione ostensum est: Ergo & nostra à justitia commutativa oriri debet; unde cùm procedat à pœnitentia, virtus pœnitentiæ non distinguetur à justitia commutativa.

71. Respondeo negando Majorem, ideò enim B Christus satisfecit Deo per justitiam commutativam, quia potuit reddere illi æquale pro peccato, nos autem id præstare non possumus, unde pœnitentia per quam Deo satisfactionem pro culpis exhibemus, deficit à stricta ratione justitiæ, non defectu strictissimi debiti & obligationis, sed propter impotentiam offerendi Deo satisfactionem condignam & æqualem pro peccatis.

72. Dices, Hæc impotentia non tollit quin verè ex justitia commutativa Deo satisfaciamus: Ergo propter illam pœnitentia non deficit à stricta ratione justitiæ. Consequentia patet, Antecedens C probatur, quia primarius actus virtutis consistit in electione quâ quis eligit ejus honestatem; per accidens verò est quòd actum externum nequeat elicere. Unde sicut licèt pauper, actus exteriores liberalitatis & magnificentiæ exercere nequeat, habitus tamen illarum virtutum habere potest; quia potest eligere honestatem illarum, & elicere actum conditionatum illas exercendi, si haberet facultatem. Ita puro homini justitia commutativa in ordine ad Deum competere potest, quia similiter potest velle satisfacere Deo ad æqualitatem, si posset.

73. Respondeo, impotentiam esse duplicem, alia est quæ se habet per accidens, & se tenet præ-
D cisè ex parte subjecti, & hæc impotentia ut plurimum non impedit actum virtutis, nec ejus habitum; alia est per se, & se tenet ex parte objecti, & ista impedit habitum & actum virtutis: talis autem impotentia reperitur in homine puro, ad exhibendum Deo æqualem satisfactionem pro peccato; nam æqualitas cum jure divino læso, impossibilis est puræ creaturæ ex objecto & per se, ita ut implicet contradictionem; impotentia verò quæ reperitur in paupere ad actum exteriorem liberalitatis & magnificentiæ exercendum, ptimi generis est, quia non repugnat ut fiat dives, & habeat multas pecunias quas aliis distribuat.

74. Objicies tertiò: Ad eandem virtutem pertinet E servare jus illæsum, & læsum reparare, ut patet in justitia humana: Atqui servare jus divinum illæsum, non potest pertinere ad pœnitentiam: Ergo & reparare jus læsum non erit actus pœnitentiæ, sed justitiæ commutativæ, vel distributivæ, aut vindicativæ. Major certa videtur, Minor probatur. Si servare jus divinum illæsum ad pœnitentiam pertineret, & esset actus illius, pœnitentia posset esse in Christo & in Angelis; possent enim actum illum elicere, scilicet jus divinum illæsum servare: Sed hoc dici nequit, ut infrà patebit: Ergo nec illud.

75. Respondeo datâ Majori, negando Minorem, &

A ad illius probationem, distinguo Majorem. Si servare jus divinum illæsum ad pœnitentiam pertineret, & esset actus illius primarius, pœnitentia posset esse in Christo & in Angelis, concedo Majorem. Si esset actus illius tantùm secundarius, nego Majorem: habitus enim virtutum non ponuntur in potentiis propter actus tantùm secundarios, sed solùm propter actus primarios, à quibus specificantur: unde cùm servare jus divinum illæsum, sit actus tantùm secundarius pœnitentiæ, licèt reperiatur in Christo & in Angelis, in illis tamen habitus virtutis pœnitentiæ esse nequit.

Dices, Actus secundarius alicujus virtutis, 76.
non potest elici, nisi ab illa virtute: Ergo si servare jus divinum illæsum sit actus secundarius pœnitentiæ, & ille in Christo & in Angelis reperiatur, in illis etiam erit habitus virtutis pœnitentiæ, à quo eliciatur talis actus.

Respondeo negando Antecedens, nam expe- 77.
ctatio gloriæ corporis, quæ in nobis est actus secundarius spei, eliciebatur per virtutem charitatis à Christo, & modò etiam per eandem virtutem elicitur à beatis, in quibus non est spes, defectu actûs primarij quem non possunt elicere. Similiter etiam dicendum est, quòd propositum vitandi peccata, ut sunt offensæ contra Deum, & servandi jus divinum illæsum, in subjectis incapacibus pœnitentiæ, procedit ab alia virtute, C putà à justitia commutativa in Christo, & à justitia legali in Angelis; cum quo stat, absolutè illum actum dicendum esse actum secundarium pœnitentiæ, quia in subjectis capacibus pœnitentiæ procedit secundariò ab illa.

Urgebis, Actus secundarius alicujus virtutis 78.
debet attingi sub eadem ratione formali, sub qua attingitur primarius: Sed actus de quo est sermo non attingitur sub eadem ratione formali, sub qua attingitur actus primarius pœnitentiæ: Ergo non debet dici actus ejus secundarius. Major est certa, Minor probatur. Pœnitentia non potest elicere actum primarium ad æqualitatem, & tamen istum actum, nempè servare jus divinum
D illæsum, ad æqualitatem elicit: Ergo sub eadem ratione formali non attingit utrumque. Consequentia patet, Antecedens etiam, quoad primam partem, est manifestum; probatur verò quoad secundam. Ad servandum jus divinum illæsum ad æqualitatem, sufficit quod Deus nihil jure possit expostulare tanquam pars læsa: Sed hoc ita erit, si evitetur omnis injuria contra Deum: Ergo &c.

Respondeo, concessâ Majori, negando Mi- 79.
norem, & ad ejus probationem, nego pœnitentiam posse illum actum, nempè servare jus divinum illæsum, exercere ad æqualitatem; quia servare jus ad æqualitatem, supponit priùs factam esse perfectam æqualitatem; quod enim non est, E conservari non potest; neque ille dicitur jus alienum ad æqualitatem conservare, qui cùm sit debitor curat solùm ne nova debita contrahat. Unde ad probationem in contrarium, nego Majorem, quia potest Deus tale propositum acceptare pro aliis titulis, putà titulo gratitudinis, & ideò nullum actum possumus respectu Dei ad æqualitatem exercere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. VI.

Corollaria notatu digna.

80. EX dictis inferes primò, pœnitentiam non esse virtutem Theologicam, sed moralem: virtus enim Theologica habet pro objecto formali Deum: pœnitentia verò non respicit immediatè Deum, sed compensationem juris divini læsi, quam ingreditur Deus in obliquo, ut finis *cui*, non in recto, ut finis *qui*: sicut cùm quis ex affectu justitiæ compensat injuriam Regi factam, Rex non ingreditur compensationem ut finis *qui*, sed ut finis *cui*; finis verò *qui* est compensatio, ut adæquativa juris læsi. Unde D.Thomas in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 4. ad 2. observat virtutes esse in triplici differentia: aliæ habent pro objecto & fine proximo Deum, ut Theologicæ. Aliæ nec pro objecto nec pro fine proximo Deum habent, ut temperantia, & fortitudo, quæ pro materia habent passiones appetitûs sensitivi, pro fine proximo animi quietem, pro fine ultimo & remoto Deum. Aliæ verò sunt quæ licèt non habeant Deum pro objecto, habent tamen ipsum pro fine *cui*, seu pro fine proximo ad quem omnes earum actus diriguntur: tales sunt religio & pœnitentia, quarum actus *proximè ordinantur ad Deum*, quæ propterea propinquissimæ sunt Theologicis, à quibus imperantur.

81. Inferes secundò, virtutem pœnitentiæ ad justitiam reductivè pertinere, partemque potentialem ipsius rectè appellari, quia licèt deficiat à vera justitia, inquantum scilicet non potest reddere Deo æquale, tamen imitatur & æmulatur quodammodo rationem justitiæ, sicut religio, pietas, & observantia, quæ idcirco etiam partes potentiales justitiæ solent appellari. Quia verò non versatur in distributione bonorum communium, sed in compensatione offensæ Deo per peccatum illatæ, & insuper vindicatio quam facit, voluntariè assumitur ab ipso pœnitente, & in ejus emendationem ordinatur, justitia ad quam reducitur, non est distributiva, neque vindicativa, ut docet S. Thomas hic art. 3. ad 3. his verbis: *Sicut est commutatio quædam in beneficiis (cùm scilicet aliquis pro beneficio accepto gratiam rependit) ita etiam est commutatio in offensis, cùm aliquis pro offensa in alterum commissa, vel invitus punitur, quod pertinet ad vindicativam justitiam, vel voluntariè recompensat emendam, quod pertinet ad pœnitentiam, quæ respicit personam peccatoris, sicut justitia vindicativa personam judicis.*

82. Inferes tertiò, habitum pœnitentiæ residere in voluntate, non verò in appetitu sensitivo; quia pœnitentia, ut jam ostendimus, est pars potentialis justitiæ: omnis verò justitia est in voluntate, Tum quia ex Ulpiano lege *justitia* ff. de justitia & jure, *Justitia est perpetua & constans voluntas, jus suum unicuique tribuens.* Tum etiam quia omnis virtus respiciens bonum alterius, est in voluntate, non verò in appetitu, utpotè determinato ad bonum proprium: Sed omnis justitia respicit bonum alterius, scilicet debitum, ut alteri compensandum: Ergo omnis justitia residet in voluntate, non verò in appetitu sensitivo.

83. Quæres, utrum sicut in quibusdam virtutibus dantur aliqui habitus in appetitu sensitivo, ultra eum qui est in voluntate, qui habitus existens in appetitu, perficit & consummat rationem virtutis: ita etiam duplex sit admittenda virtus pœnitentiæ, una in appetitu sensitivo, & alia in rationali? Ratio dubitandi est, quia ad eliciendum actum pœnitentiæ est difficultas non solùm in voluntate, sed etiam in parte sensitiva: Sed pœnitentia existens in voluntate, non potest tollere difficultatem quæ est in appetitu sensitivo Ergo præter virtutem pœnitentiæ in voluntate residentem, datur alia in appetitu sensitivo, quæ hujusmodi difficultatem vincat.

Confirmatur: Quamvis liberalitas sit pars potentialis justitiæ, nihilominus Theologi communiter ponunt duplicem liberalitatem, unam in voluntate & aliam in appetitu sensitivo; quia ad eliciendum actum liberalitatis duplex difficultas superanda est; oportet enim primùm moderari amorem divitiarum in appetitu sensitivo, & deinde inclinare voluntatem ad largiendas alteri divitias: Ergo similiter, licèt pœnitentia sit pars potentialis justitiæ, duplex debet admitti pœnitentia, quarum una in voluntate; altera in appetitu sensitivo residеat. 84.

Confirmatur amplius, Dolor de peccato qui subjectatur in appetitu sensitivo, est bonus & laudabilis, sæpè enim in Scriptura laudantur lachrymæ pro peccatis effusæ: Ergo debet esse ab aliqua virtute: Sed non potest esse à virtute pœnitentiæ existente in voluntate, cùm non possit habitus existens in una potentia, producere actum alterius potentiæ: Ergo debet produci à virtute pœnitentiæ, existente in appetitu, subindeque, præter virtutem pœnitentiæ, in voluntate residentem, alia debet admitti in appetitu sensitivo. 85.

Dicendum tamen est, quod licèt pœnitentia ut passio, sit in appetitu sensitivo, sumpta tamen pro virtute non existit, etiam completè, nisi in sola voluntate. Primò, quia in ea solùm potentia subjectari debet immediatè, cujus actus possunt immediatè attingere ejus objectum: tales autem non sunt actus appetitûs sensitivi, utpotè cùm sint corporei, objectum autem pœnitentiæ sit quid spirituale, scilicet jus divinum læsum, & reparabile per satisfactionem. Secundò, quia dolor existens in appetitu sensitivo, licèt regulariter loquendo sequatur ad actum pœnitentiæ, imò sæpiùs tantò major sit, quantò major est pœnitentia cordis; tamen neque est essentialis pœnitentiæ, neque simpliciter ei necessarius. Tertiò, quia difficultas quæ est in appetitu sensitivo ad eliciendum actum pœnitentiæ, sufficienter tollitur per virtutem temperantiæ cujus proprium est omnes delectationes & tristitias moderari: Ergo ad vincendam illam difficultatem, non requiritur virtus pœnitentiæ in appetitu sensitivo; quamvis in eo poni debeat virtus liberalitatis, quæ amorem inordinatum pecuniarum moderetur, quia in eo nulla præsupponitur virtus, quæ talem affectum cohibeat. Ex quo patet responsio ad rationem dubitandi, & ad primam confirmationem illius. 86.

Ad secundam verò, nego Minorem, & ad probationem illius dico, in dolore illo sensibili & laudabili, qui subjectatur in appetitu, duo esse distinguenda, scilicet substantiam actûs, & rationem formalem virtutis, quamvis autem non possit pœnitentia existens in voluntate producere actum alterius potentiæ, quantùm ad substantiam, benè tamen quoad modum virtutis; cùm enim ille dolor non sit actus virtutis secundùm suam

suam substantiam, sed solùm quatenus ordinatur ad satisfaciendum pro culpa, & hanc ordinationem non possit habere ab aliqua virtute existente in appetitu sensitivo, quia nulla talis potest attingere Deum, aut aliud objectum spirituale, fit inde quod ipsa pœnitentia existens in voluntate eliciat hunc actum, quatenus habet rationem virtutis. Hujus rei habemus exemplum in oratione, quæ secundùm suam substantiam est actus intellectûs, in illo existens, & tamen ut habet rationem virtutis, est elicitivè à religione in voluntate existente; quia nimirum oratio non habet rationem virtutis, nisi quatenus ordinatur ad cultum divinum: hanc autem ordinationem non habet, nisi à religione, cujus proprium objectum est cultus divinus. Licèt ergo una potentia non possit producere actus alterius v. g. intellectus volitionem, aut voluntas intellectionem; benè tamen habitûs existens in una potentia, actum alterius habitûs in alia potentia existentis; quia nimirum in eo differt habitus à potentia, quòd potentia est principium actûs quoad substantiam, unde si intellectus produceret actum voluntatis, unus & idem actus simul esset intellectio & volitio: habitus verò virtutis aut vitij, non est principium actûs in esse naturæ, sed tantùm in esse moris, id est secundùm rationem boni & mali: non implicat autem quod habitus existens in una potentia, bonitatem aut malitiam moralem producat in actu alterius habitûs existentis in alia potentia, ei nimirum communicando ordinationem in proprium finem quem respicit.

88. Inferes quartò; quod licèt in Christo potuerit esse actus iste conditionatus, *Si ego per impossibile peccarem, Deo pro peccato meo satisfacerem*, nullatenus tamen in eo fuit virtus pœnitentiæ, quidquid dicat Suarez. Deficiente enim possibilitate objecti primarij alicujus virtutis, atque adeo actûs absoluti circa illud, impossibile est talem virtutem existere propter solos actus conditionatos circa illud objectum simpliciter impossibile: cùm enim virtus sit essentialiter dispositio perfecti ad optimum actum, non potest dari propter solos actus imperfectos, quales sunt conditionati de objecto simpliciter impossibili: primarium autem objectum virtutis pœnitentiæ, nempè peccatum commissum ab eo qui eam habet, erat omnino Christo impossibile, cùm esset ab intrinseco impeccabilis ratione unionis hypostaticæ, ut in Tractatu de Incarnatione visum est. Disp. 20. art. 1.

89. Dices, Licèt Christus non potuerit habere nisi actum conditionatum satisfaciendi pro peccato suo, cùm ab intrinseco esset impeccabilis, potuit tamen elicere & de facto elicuit actum absolutum satisfaciendi pro peccatis hominum: Sed talis actus à nullo alio habitu, quàm à pœnitentia potuit elici; quia attingere peccatum sub ratione offensæ, ut compensabile per satisfactionem, est proprium habitûs pœnitentiæ: Ergo talis habitus fuit in Christo.

90. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem; cùm enim Christus potuerit pro peccatis hominum satisfacere Deo ad æqualitatem, & de facto ei satisfecerit, volitio absoluta quam habuit satisfaciendi pro peccatis nostris, non potuit elici à virtute pœnitentiæ, quæ est pars potentialis justitiæ, sed à justitia commutativa, quæ est vera & stricta justitia, compensans debitum ad æqualitatem, & satisfaciens de toto rigore justitiæ. Unde ad probationem in contrarium, in qua dicitur quod attingere peccatum sub ratione offensæ, ut compensabilis per satisfactionem, est proprium pœnitentiæ; dicendum est, hoc esse verum, cùm peccatum attingitur ut compensabile per satisfactionem inæqualem; falsum verò, cum respicitur ut compensabile per satisfactionem condignam & æqualem; nam sub hac ratione non potest attingi à pœnitentia, sed solùm à justitia commutativa, quæ proinde non potest esse in homine puro in ordine ad Deum, cùm purus homo non possit pro peccato satisfacere ad æqualitatem; sed solum in Christo, qui per actiones Theandricas, & valoris simpliciter infiniti, condignam & rigorosam satisfactionem pro peccatis hominum Deo exhibuit, ut in Tractatu de Incarnatione fusè ostendimus. Disp. 4. art. 2.

91. Inferes quintò, habitum pœnitentiæ repugnare Angelis: cùm enim immobiliter adhæreant objecto semel electo, non possunt retractare actum elicitum, nec per consequens de illo pœnitere. Unde Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. ait quod *omnes illi prævaricatores Angeli, nec malâ possunt unquam voluntate carere, nec pœnâ.* Et Gregorius 34. Moral. cap. 6. *Cor antiqui hostis* (inquit) *ut lapis indurabitur, quia nullâ unquam conversionis pœnitentiâ mollietur.* Et rursus cap. 14. *Appetitum celsitudinis vertit in rigorem mentis, ut damnatus jam per duritiam se male egisse non sentiat.*

92. Inferes sextò, habitum pœnitentiæ remanere in beatis, tum quia cùm hanc virtutem habuerint in via, non est cur eam amittant in patria magis quàm alias virtutes, quæ versantur circa passiones, & à suis actibus in patria omnino cessant. Tum etiam, quia stante absolutâ possibilitate objecti primarij, & actûs circa illud, meritò ponitur habitus virtutis in subjecto, propter alios actus secundarios quos in illo potest exercere: cùm autem beati non sint impeccabiles absolutè, sive ex natura, sed tantum ex gratia, objectum primarium pœnitentiæ, & ejus actus, absolutè, possibilia sunt, respectu eorum: possunt insuper exercere & de facto exercent actus secundarios talis virtutis, primò gratias agendo Deo offenso pro misericordia quâ relaxavit eorum peccata; neque enim iste actus pertinet ad virtutem gratitudinis, ut docuit Vazquez, cùm gratudo Deum ut benefactorem, non verò ut offensum respiciat: secundò gaudendo de actibus ejusdem virtutis habitis in via; ejusdem enim virtutis est (ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 59. articul. 4.) gaudere de propriis actibus, cujus est operari illos. Ex quibus etiam sequitur à fortiori Adamum, etiam in statu innocentiæ, habuisse talem virtutem, utpotè cùm status justitiæ originalis relinqueret eum liberum ad peccandum, & esset sic dispositus, ut pœniteret, si peccaret. Imò licèt Beata Virgo, ex privilegio speciali, fuerit præservata à peccatis, etiam venialibus; tamen quia ex conditione sui status, præscindendo à tali privilegio, poterat peccare; aliunde verò habuerit gratiam justificantem, ad quam suâpte naturâ omnes virtutes morales infusæ cum pœnitentia consequuntur, non est (quidquid dicat Nugno) cur in ea, gratiam à virtute pœnitentiæ sejungamus. Denique loquèdo de parvulis, cùm in ipsis maneat libera facultas peccandi, licèt ob defectum usûs rationis

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab exercitio suo per accidens impedita; aliunde verò pœnitentia cùm cæteris virtutibus supernaturalibus, naturaliter sequatur ad gratiam; sicut sunt capaces gratiæ, ita & pœnitentiæ. Unde Augustinus lib. 1. de peccat. meritis cap. 19. hanc quæstionem propositam, *Quomodo & ipsi infantes vocantur in pœnitentiam? Nunquid tantillus potest aliquid pœnitere?* ita solvit: *Si propterea pœnitentes dicendi non sunt, quia sensum pœnitendi nondum habent, nec fideles dicendi sunt, quia similiter sensum credendi nondum habent. Si autem propterea rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur: cur non prius etiam pœnitentes habentur, cùm per eorumdem verba gestantium, Diabolo & huic sæculo renuntiare monstrantur?*

94. Inferes septimò, præter habitum pœnitentiæ supernaturalis, dari habitum pœnitentiæ naturalis. Naturaliter enim cognoscitur peccatum esse contrarium rationi, subindeque primæ regulæ & legi æternæ, cujus ratio naturalis est participatio: Ergo potest voluntas viribus propriis illud detestari, ut rationi & legi æternæ contrarium, nec hoc excedit ipsius vires: igitur ex talibus actibus gigni potest habitus facilitàs voluntatem ad consimiles actus eliciendos. Hinc sequitur quòd in statu naturæ puræ potuisset esse verus habitus pœnitentiæ naturalis, cùm in eo statu potuisset homo dolere sæpè de peccatis in Deum ut authorem naturæ commissis, cum spe veniæ; plures enim ex Gentilibus, lumine fidei destituti, solo rationis naturalis ductu, offerebant olim Deo sacrificia ad placandum ipsum pro peccatis, ut scribit Plato lib. 10. de legibus. Unde Ovidius 1. de Ponto, de diis suis ait:

Sæpè levant pœnas, ereptaque lumina reddunt,
Dum benè peccati pœnituisse vident.

DISPUTATIO III.

De remissione peccatorum mortalium.

Ad quæstionem 86. D. Thomæ.

EXplicatâ naturâ pœnitentiæ, tam in ratione virtutis, quàm in ratione sacramenti consideratæ, agit D. Thomas de præcipuis ejus effectibus: Primò quidem de remissione peccatorum mortalium quæstione 86. Deinde de venialium remissione quæst. 87. Postea horum effectuum irrevocabilitatem explicat, & peccata per pœnitentiam remissa non redire per subsequens peccatum ostendit. Demùm quæst. 89. de alio differit pœnitentiæ effectu, nimirum de recuperatione virtutum, ac revivíscentia meritorum per peccatum præcedens mortificatorum. De his omnibus in hac & tribus sequentibus disputationibus nos etiam breviter differemus.

ARTICULUS PRIMUS.

An per Pœnitentiam omnia peccata mortalia, quantumcumque gravia, remitti possint?

NOtandum primò, hanc quæstionem non solùm esse de sacramento pœnitentiæ, sed etiam de virtute pœnitentiæ, quæ per contritionem extra sacramentum vim habet justificandi, & remittendi peccata, ut infrà dicemus. 1.

Notandum secundò, dupliciter intelligi posse, quòd aliqua peccata non possint remitti per pœnitentiam, Primò quia non possint subjici pœnitentiæ, defectu auxilij ad pœnitendum necessarij. Secundò, quia licèt illi subjiciantur non est in illa virtus sufficiens ad delenda ejusmodi peccata. Et in hoc tantùm sensu præsentem difficultatem movemus, quia in primo sensu eam in Tractatu de prædestinatione plenè resolvimus: ibi enim cum duobus Illustrissimis Cardinalibus, Cajetano scilicet, & Bellarmino, docuimus, Deum peccatoribus excæcatis ac induratis subtrahere interdum, in pœnam præcedentium peccatorum, omnia auxilia supernaturalia, & sui desertores ita deserere, ut omni tam sufficienti quàm efficaci gratiâ, saltem per aliquod tempus, priventur, juxta illud Isidori lib. 2. de summo bono cap. 15. *Nonnulli ita despiciuntur à Deo, ut deplorare mala sua non possint, etiam si velint.* Et istud Augustini de natura & gratia cap. 67. *Illud est peccati pœna justissima, ut qui rectum facere cùm posset noluit, amittat posse cùm velit.* Hanc sententiam expresè docet Aravius hîc art. 2. dubio 1. ubi licèt admittat auxilia ad pœnitendum sufficientia omnibus offerri à Deo; negat tamen illa semper, & pro omni tempore, & in omnibus adultis, intrinsecè recipi, & citat pro hac sententia Sotum, Bannem, & Nugno. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ, contra Novatianos, Montanistas, & alios antiquos hæreticos asserentes nullam pœnitentiam esse validam pro peccatis quæ committuntur post baptismum, & quædam esse peccata adeò gravia, ut nullâ valeant pœnitentiâ deleri. 2.

Dico breviter, tam in virtute, quàm in sacramento pœnitentiæ, esse efficaciam sufficientem ad delenda quæcumque peccata, illi ritè subjecta; ita ut nullum sit peccatum, quod remitti non possit; si vera de illo habeatur pœnitentia. 3.

Conclusio est certa de fide, & probatur primò ex iis Scripturæ testimoniis, in quibus absque ulla limitatione aut restrictione promittitur verè contritis remissio omnium peccatorum: Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et statim subdit: *Nunquid voluntatis meæ, est mors impij, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* Et cap. 33. *Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem impij*, id est nullius impij volo mortem, quacumque impietate fuerit reus. Item de sacramento pœnitentiæ Joan. 20. absolutè & sine ulla limitatione asseritur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et Matth. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Et cap. 19. Christus ait Petro: *Non dico tibi septies, sed septuagies septies,*

septies, hoc est in quantocumque numero fuerint peccata, remittenda esse per potestatem traditam sacerdotibus in sacramento pœnitentiæ. Idemque significatur in Parabola filii prodigi, qui post multa crimina in se reversus, veniam à parente consequutus est. Unde Chrysologus serm. 3. *Delicta non videt vis amoris, & ideo pater peccata filij redemit osculo, clausit amplexu, &c. Certè si absessimus, si substantiam patris totam luxuriosè dispersimus, si quid unquam commisimus facinoris & delicti, si ad impietatis præruptum totum, totam venimus ad ruinam, furgamus aliquando, & ad talem patrem, tali invitati redeamus exemplo.*

4. Probatur secundò conclusio ex decretis Conciliorum, nam in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Firmiter* de summa Trinit. sub finem, & in Trident. sess. 14. can. 1. sine exceptione asseritur, fideles, post baptismum in peccatum prolapsos, per veram pœnitentiam posse semper reparari, & hoc sacramentum institutum fuisse pro ipsis Deo reconciliandis, quoties in peccatum post Baptismum inciderint. Item in decreto dist. 1. de pœnitentia cap. *Nemo.* desumpto, ex Ambrosio lib. 1. de pœnit. cap. 1. sic dicitur: *Deus autem nullum crimen excepit, qui peccata omnia donavit.*

5. Tertiò probatur, quia opposita sententia derogat non solùm divinæ fidelitati, ut ostensum est, sed etiam pugnare videtur cum summo illo amore, quo *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat*, Joan. 3. & quo *proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ad Roman. 8. Nam quo pacto pro nobis omnibus tradidisset illum, ut omnis qui in eum crederet, non periret, si non omnia peccata possent per fidem & conversionem in Christum deleri? Valde etiam derogat copiosæ redemptioni Christi, à qua nullus mortalis, quantumcumque peccator, excluditur, & ad quam pertinet ut sit universalis redemptio omnium peccatorum, juxta illud 1. Joan. 2. *Si quis peccaverit* (hoc est quocumque genere peccati) *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Item, *Vinceretur quodammodo Deus ab homine, si homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet*, ut ait S. Thomas hîc artic. 1. in corpore. Unde Novatianorum & Montanistarum error, multum derogat misericordiæ Dei, de quo dicitur Joël. 2. quod *benignus & misericors est, & patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia*, quod ad præstantiam bonitatis divinæ peccatori parcentis quidam Interpretes referunt, nempè ut *præstabilis* eo sensu dicatur, quo excellens: Græcè porro est μετανοῶν ἐπὶ ταῖς κακίαις, id est *super malitiis pœnitens*: quod sic explicat ibi Hieronymus, *ut si nos egerimus pœnitentiam super peccatis, ipsum quoque comminationis pœniteat, & mala quæ comminatus est non inferat, nostræque mutatione sententiæ ipse mutetur.* Quod intelligi debet de mutatione extrinseca, & ex parte effectuum quos ad extra producit; Deus enim per nostram pœnitentiam non mutatur intrinsecè, sed tota mutatio se tenet ex parte nostri; quamvis de nostra ad Deum conversione perinde loquamur, ac si Deus ad nos converteretur. Non secùs ac ij qui fune marinæ petræ injecto, quia per illum & seipsos & naviculam ad rupem attrahunt, ob imperitiam ejus rei, non se putant ad rupem accedere, sed rupem paulatim ad seipsos appropinquare. Quo exemplo utitur Simplicius in cap. 38. Enchiridii Epicteti quæst. 3.

Contra istam conclusionem, præter testimonia ex capite 6. & 10. Epistolæ ad Hebræos, à Novatianis opposita, & disp. 1. art. 1. explicata, objicitur primò quòd Esaü non invenit pœnitentiæ locum, licèt cum lachrymis quæsivisset eam: ad Hebræos 12. & Antiochus pœnitens misericordiam consecutus non fuerit, 2. Machab. 9. 6.

Sed respondetur cum D. Thoma hîc art. 1. ad 1. quòd *Esaü non verè pœnituit, quod patet ex hoc quod dixit, Venient luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum. Similiter etiam nec Antiochus verè pœnituit; dolebat enim de culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.* 7.

Dici etiam potest, prioris loci sensum esse, non potuisse Esaü lachrymis suis efficere, ut patrem suum Isaac pœniteret benedictionis datæ Jacob, cujus retractationem consternatus & rugiens postulabat Genes. 27. 8.

Objicitur secundò: Christus Matth. 12. Marci 3. & Lucæ 12. ait peccatum in Spiritum Sanctum nunquam remitti, neque in hoc sæculo, neque in futuro, & 1. Joan. 5. sic dicitur: *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis*, quia scilicet non potest remitti: Ergo sunt aliqua peccata, pro quibus nulla sufficiens est pœnitentia. 9.

Ad primum respondeo peccatum in Spiritum Sanctum vocari illud quod committitur scienter & patenter contra divinitatem ut colligitur ex toto proposito Christi. Pharisæi enim quos accusat peccati in Spiritum Sanctum, nihil aliud dixerant, quam eum in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia, quod erat negare divinitatem Christi. Et ex Marco cap. 3. qui hunc locum magis exposuit, reddens rationem cur Christus ita respondisset, quia (inquit) dixerant, *Spiritum immundum habet.* 10.

Quæret aliquis cur ergo vocatur peccatum in Spiritum Sanctum, cùm dictum sit contra divinitatem totam, præsertim autem Christi? Respondeo dici tale per attributionem, non quod non sit contra Patrem & Filium, sed quia peccatum quod committitur contra divinitatem quatenus nobis remittit peccata, committitur contra bonitatem, quæ est maxima causa cur nobis peccata remittuntur; & quia bonitas tribuitur Spiritui sancto, vocatur peccatum in Spiritum sanctum. Cur verò illud dicatur irremissibile, explicat S. Thomas 2. 2. quæst. 14. art. 3. his verbis: *Sicut aliquis morbus dicitur incurabilis secundum naturam morbi; per quem tollitur id per quod morbus potest curari, puta cùm morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit fastidium cibi vel medicinæ, licèt talem morbum Deus possit curare. Ita etiam peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam, inquantum excludit ea per quæ fit remissio peccatorum.* (nimirum auxilia divinæ gratiæ, quorum largitio specialiter Spiritui Sancto tribuitur) *Per hoc tamen non præcluditur via remittendi & sanandi omnipotentiæ & misericordiæ Dei, per quam aliquando tales quasi miraculosè spiritualiter sanantur.* Unde idem est hoc peccatum non remitti, ac difficilè remitti; quod enim difficilè fit, impossibile moraliter reputatur. Addit S. Doctor hîc art. 1. ad 3. dici hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatum irremissibile in hoc sæculo, & in futuro, quia punitur in hoc sæculo, & in futuro.

Ad secundum respondeo cum D. Augustino lib. 1. Retr. cap. 19. & Beda in locum citatum Epistolæ D. Joannis, ibi sermonem esse de peccato impœnitentiæ finalis, quod specialiter vocatur *peccatum ad mortem*, quia & cum morte temporali conjungitur, & infallibiliter adjunctam habet mortem æternam; De quo peccato dicit Joannes, *Non pro illo dico ut roget quis*, quia extenditur extra statum viæ, in quo de lege ordinaria non fit remissio. Vel, ut alij volunt, per peccatum ad mortem, intelligit peccatum aliquod gravissimum, à quo homines rarissimè & difficillimè convertuntur; pro quo non prohibetur absolutè ut nullus oret, sed ut non quicunque, sed aliquis magnæ sanctitatis vir; cùm enim tale delictum gravissimum sit, magno eget deprecatore. Unde Augustinus loco citato docet de nullo quamvis pessimo in hac vita esse desperandum, *Quia pro illo* (inquit) *non imprudenter oratur, de quo non desperatur*. Tertiò idem S. Doctor serm. 59. de tempore interpretatur peccatum ad mortem, infidelitatem, non quamlibet, sed ejus qui ante fuisset Christianus: nam qui Christianus est, etiamsi peccator sit, adhuc est quodammodo vivus; qui autem fidem deserit, omnino mortuus est, & sibi omnem spem salutis præcidit. Propterea Joannes tanquam pro homine desperato dicit non esse orandum.

ARTICULUS II.

Utrum peccatum mortale sine pœnitentia deleri nequeat, nec unum peccatum remitti sine alio?

11. DIco primò, regulariter & per se loquendo, ad remissionem peccatorum mortalium extra sacramentum, requiri in adultis actum pœnitentiæ formalem, nimirum contritionem, qui doleant de peccatis commissis. Ita D. Thomas hic art. 2. ubi dicit ad remissionem offensæ requiri (scilicet regulariter) quod voluntas detestetur peccatum, cum proposito emendæ, quod pertinet ad pœnitentiam formalem. Idque constat manifestissimis Scripturæ testimonijs, quibus asseritur non dimitti peccatum absque pœnitentia: Eccli. 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidamus in manus Domini.* Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.*

12. Extat etiam definitio Tridentini sess. 14. cap. 1. sic dicentis: *Fuit pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi sacramento ablui petivissent.* Et rursus cap. 4. *Fuit quovis tempore* (inquit) *ad impetrandam veniam peccatorum, is contritionis motus necessarius.* Loqui autem Concilium de contritione formali liquet, tum ex ejus definitione, quam ibi tradit; tum etiam, quia loquitur de contritione ad sacramentum pœnitentiæ necessaria, quam formalem esse debere, nemo dubitat.

13. Ratio etiam suffragatur: Homo enim qui se convertit in Deum, non solùm tenetur recedere à peccato, ut est malum Dei, & quatenus opponitur bono divino, sed etiam debet recedere ab illo, ut est Dei injuria, & quatenus violat jus divinum; ratio enim naturalis postulat, ut qui injuriam intulit, de ea doleat, & inquantum fieri potest, eam compensare conetur: Sed dolor de peccato, ut est injuria Dei, & quatenus opponitur juri divino, pertinet ad pœnitentiam, & non ad charitatem, quæ solùm habet detestari peccatum, inquantum est malum Dei, & prout bono divino contrarium, ut disput. præcedenti art. 3. ostendimus: Ergo regulariter & per se loquendo ad justificationem adulti requiritur actus formalis pœnitentiæ.

Dico secundò, per accidens, & in aliquo casu 14.
extraordinario, ad remissionem peccatorum sufficere pœnitentiam virtualem.

Probatur breviter conclusio, contra Melchiorem Canum, & Petrum à Soto, existimantes ad justificationem & remissionem peccatorum, semper & indispensabiliter requiri contritionem, quâ voluntas doleat de peccato, illudque detestetur. Si aliquis ita subitò raperetur ad martyrium, ut non haberet tempus recogitandi peccata, & eliceret actum charitatis, vel etiam actum attritionis cum actuali martyrio, reciperet gratiam, & justificaretur: Tum quia, ut in Tractatu de Baptismo *Disp. 1. art. 7.* ostendimus, passio pro Christo susceptа, obtinet vim baptismi, & confert gratiam ex opere operato: Tum etiam, quia actus charitatis, cùm sit actus amicitiæ, haberi nequit sine gratia; amicitia enim requirit mutuum amorem, amor verò Dei erga nos, in ordine ad finem supernaturalem, nequit esse sine gratia sanctificante, ut in *Disp. 2. art. 1.* Tractatu de gratia demonstravimus; unde si aliquis in peccato existens, ex oblivione omnino inculpabili existimet se nullum habere peccatum mortale, & actum charitatis eliciat, sine dubio ei remittetur peccatum, & justificabitur sine ullo actu formali pœnitentiæ, per solam virtualem pœnitentiam in actu charitatis tãquam in aliquo eminentiori contentam. *Charitas enim operit multitudinem peccatorum*, ut dicitur 1. Petri 4. Et 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet*: Non ergo ille qui elicit actum dilectionis super omnia, manet in peccato; aliàs haberet tunc duos ultimos fines, nempè Deum, ratione charitatis, & *Disp. 2. art. 6.* creaturam, ratione peccati mortalis; quod implicat, ut in Tractatu de ultimo fine ostensum est.

Addo non esse improbabile, posse peccatorem 15.
actum dilectionis Dei super omnia elicere, subindeque justificari; non tantùm si martyrium subeat, aut peccatorum oblitus sit, aut non advertat ad eorum detestationem, sed etiam licèt actu de illis cogitet, si tunc non urgeat necessitas exercendi formalem actum contritionis, nec instet præceptum procurandi justificationem per pœnitentiam formalem. Nam si formalis pœnitentia non est pro illo instanti necessaria ex præcepto, nulla est ratio cur sine illa nequeat actus formalis dilectionis exerceri: Atqui non constat quod sit ita necessaria ex præcepto, ut debeat adhiberi quotiescumque quæritur peccatorum remissio; præceptum enim pœnitentiæ (ut communiter docent Theologi) non obligat statim post peccatum commissum, aut aliquo tempore determinato, nisi sit extrema necessitas, ut quando imminet periculum mortis, aut obligatio recipiendi vel administrandi aliquod sacramentum: Ergo &c. Si tamen nollet peccator conteri, & præceptum contritionis pro illo instanti urgeret, neque sine gravi peccato ulteriùs differri posset, tunc peccator verum Dei amorem super omnia habere non posset, nisi haberet formalem pœnitentiam & dolorem de peccato, quia

quia repugnat aliquem verum Dei amorem super omnia habere, nisi habeat voluntatem implendi omnia ejus præcepta, quando urget eorum obligatio, juxta illud Christi ad Discipulos Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate.*

16. Ex dictis in hac conclusione intelliges, quod quando pœnitentia dicitur necessaria necessitate medii ad salutem, hoc debet intelligi de pœnitentia formali aut virtuali, nonnunquam enim, ut ostendimus, ad justificationem & salutem sufficit sola pœnitentia virtualis, nimirum attritio, cum actuali martyrio, vel actus charitatis, in quo tanquam in aliquo eminentiori tota virtus & efficacia pœnitentiæ continetur, ideóque virtualis pœnitentia dicitur.

Dico tertio, de potentia Dei absoluta, peccata remitti possunt, absque ullo actu pœnitentiæ tam formalis quàm virtualis. Ita ex Thomistis docent Ledesma, Nugno, & alii, contra Petrum Soto, & Dominicum Soto, id repugnare existimantes.

17. Probatur primò conclusio: Potest Deus peccatorem dormientem, ac proinde nullum pœnitentiæ formalis aut virtualis actum elicientem, justificare, infundendo gratiam & charitatem: Atqui in tali casu peccata remitterentur: Ergo de potentia Dei absoluta, peccata remitti possunt, absque ullo actu pœnitentiæ tam formalis quam virtualis. Minor constat, nam gratia & charitas ex natura rei repugnant cum peccato, quia habent effectus formales oppositos; gratia enim reddit hominem Dei amicum, & ipsi gratum & acceptum, & charitas ipsum in Deum tanquam in ultimum finem convertit: At verò peccatum reddit hominem Deo exosum, & ejus inimicum, ab eoque ut ab ultimo fine ipsum avertit. Major autem probatur: Tum quia actus pœnitentiæ formalis aut virtualis, non est forma justificans formaliter hominem, sed tantùm dispositio ad formam justificantem, scilicet gratiam, *Disp. 1. art. 3.* ut in Tractatu de justificatione contra Vazquem ostendimus: Deus autem potest de potentia absoluta producere & communicare formam sine dispositionibus, ut patet in naturalibus. Tum etiam, quia Deus in sacramento Baptismi de facto infundit gratiam parvulis sine ipsorum consensu, & absque ullo actu ab ipsis elicito: Ergo id quoque poterit etiam extra sacramentum, respectu adultorum.

18. Probatur secundò conclusio: Potest Deus naturam hominis peccatoris assumere ad suam personam, etiam ipso homine nihil operante, nec actum pœnitentiæ formalis aut virtualis elicente: Sed in tali casu peccatum non maneret in illa natura sic assumpta: Ergo de potentia Dei absoluta potest tolli peccatum absque ullo actu pœnitentiæ tam formalis quàm virtualis. Major constat, Minor etiam est manifesta. Tum quia repugnat peccatum esse in homine qui est Deus, sic enim Deus, seu persona divina diceretur aversa à Deo, habendo humanitatem aversam per peccatum. Tum etiam, quia si gratia habitualis est incompossibilis cum peccato, quia est participatio divinæ naturæ, & sanctitatis increatæ, à fortiori gratia unionis, quæ est ipsamet Dei natura, & sanctitas increata, expellit peccatum, & *Disp. 20. art. 1.* cum eo stare nequit. De quo fusè in Tractatu de Incarnatione.

19. Probatur tertiò conclusio: Deus potest hominem peccatorem elevare ad visionem beatificam, in hoc enim nulla videtur esse repugnantia: Sed hoc ipso ille homo justificaretur & mundaretur à peccatis; si enim peccatum non compatitur cum gratia, multominus cum beatitudine, quæ est gratia consummata, & perfecta unio cum Deo: Ergo sine pœnitentia potest tolli peccatum.

Objicies primò contra istam conclusionem: 20.
D. Thomas hìc artic. 2. ait quod *impossibile est sine pœnitentia remitti peccatum*: Sed non loquitur ibi de potentia Dei ordinaria: Ergo vult non posse, etiam de potentia absoluta, remitti peccatum sine pœnitentia. Minor probatur: si loqueretur de potentia ordinaria, nulla esset differentia quam ibi statuit inter pœnitentiam ut est virtus, & inter pœnitentiam ut est sacramentum; dicens impossibile esse remitti peccatum sine virtute pœnitentiæ, non autem sine sacramento pœnitentiæ. Sequela patet, quia etiam sine sacramento pœnitentiæ non potest remitti peccatum, de potentia ordinaria.

Respondeo negando Minorem, & ad ejus pro- 21.
bationem, nego sequelam; differentia enim quam ibi statuit D. Thomas, consistit in eo quod sine pœnitentia ut est virtus, in nullo statu potest remitti peccatum, de via ordinaria, cùm tamen sine sacramento pœnitentiæ possit in aliquo statu remitti, in illo scilicet qui fuit ante legem Evangelicam: *Sicut* (inquit) *remisit Christus mulieri adulteræ, ut legitur Ioan. 8. & peccatrici, ut legitur Lucæ 7. quibus tamen non remisit peccata sine virtute pœnitentiæ.*

Objicies secundò: Culpa est malum volun- 22.
tarium: Ergo non potest tolli, nisi voluntate mutatâ.

Respondeo, concesso Antecedente, distinguendo Consequens: nisi voluntate mutatâ, per infusionem habitûs gratiæ & charitatis, concedo. Per actum pœnitentiæ, nego. Si enim Deus peccatori dormienti habitum gratiæ & charitatis infunderet, hoc ipso illum justificaret, & peccati maculam ab eo tolleret; cùm macula peccati in privatione gratiæ habitualis consistat, ut in Tractatu de peccatis ostensum est, & impos- *Disp. 8. art. 3.* sibile sit remanere privationem cum forma oppositа.

Dices, In eo casu tolleretur quidem macula 23.
peccati, ut est quid physicum, non verò ut est quid morale & voluntarium: Ergo non tolleretur ut habet rationem peccati habitualis.

Respondeo, negando Antecedens, nam quando aliqua fiunt, etiam nobis nescientibus, in nostram utilitatem, censemur virtualiter seu interpretativè eis consentire; atque adeò talis peccator dormiens, censeretur virtualiter & interpretativè infusioni habitûs gratiæ & charitatis, subindeque destructioni maculæ peccati, seu peccati habitualis, consentire; unde statimatque excitatus esset, aut intra breve tempus, eliceret actum contritionis & charitatis; quia hoc ad suavem Dei providentiam pertinet, quæ non vult destruere naturas rerum.

Objicies tertiò: Implicat peccatum remitti 24.
adulto, nisi liberè convertatur in Deum: Sed non potest liberè converti in Deum, sine actu pœnitentiæ formalis aut virtualis: Ergo nec ipsi peccatum remitti, sine formali aut virtuali pœnitentia. Major probatur: Non potest libera aversio à Deo tolli, nisi per liberam conversionem in Deum: Sed peccatum adulti est libera aversio à Deo: Ergo non potest peccatum remitti adulto, nisi liberè convertatur in Deum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

25. Respondeo distinguendo Majorem, nisi liberè convertatur in Deum, actu, vel habitu, concedo. Actu semper nego. Sicut enim aversio à Deo, quæ in peccato habituali reperitur, non est nisi habitualis (actualis enim cum peccato actuali transiit) ita & per conversionem habitualem ipsi oppositam potest tolli: talis autem conversio habitualis fit per habitus gratiæ & charitatis à Deo infusos, unde ad illam actus pœnitentiæ formalis aut virtualis non requiritur.

26. Dico quartò, pœnitentiam ita remittere omnia peccata, ut non possit, etiam de potentia absoluta, unum remitti sine alio. Ita D. Thomas hic art. 3. & Thomistæ communiter, contra Scotum, Suarem, & alios, existimantes, Deum posse remittere peccata, per solam extrinsecam condonationem, absque infusione gratiæ, & sine ulla intrinseca hominis mutatione, quos in Tractatu de justificatione fusè impugnavimus. Unde ex principiis ibi statutis prob. tur breviter nostra conclusio. Non potest Deus, etiam de potentia absoluta, in statu elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, remittere peccatum, nisi infundendo gratiam: Sed non potest, etiam de eadem potentia, gratia simul stare cum aliquo peccato: Ergo non potest, etiam de potentia absoluta, remitti unum peccatum sine alio. Major loco citato, §. 4. fuit probata. Minorem etiam ibidem art. 5. variis rationibus demonstravimus: unde ad prædictum de justificatione Tractatum, Lectorem remittimus, ne eadem hic inutiliter repetamus.

Disp. 1. art. 4.

ARTICULUS III.

An contritio perfecta semper habeat conjunctam remissionem peccati mortalis, etiam ante receptionem actualem sacramenti?

27. PArtem negantem tenent aliqui Recentiores, existimantes contritionem charitate perfectam, non semper, imò nec frequenter, annexam habere remissionem peccatorum ante susceptionem sacramenti, nisi in articulo mortis, & in casu necessitatis, in quo nequit pœnitens adire Confessarium. Quam sententiam docuit Sylvius in editione prima Tractatûs de pœnitentia, facta Duaci anno 1618. sed postea in tertia editione ejusdem operis, eam retractavit, seu correxit, dicens se id non intellexisse de contritione perfecta, sed de imperfecta, quæ communiter attritio appellatur, & quæ ante susceptionem sacramenti non affert secum gratiam justifican- & remissionem peccatorum. Et certè jure meritò eximius ille Doctor, & de Schola Thomistica optimè meritus, hanc retractavit sententiam; cùm ea nedum omnibus Scholasticis, sed etiam variis Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum testimoniis, nec non Summorum Pontificum decretis, apertissimè contradicat, ut patebit ex dicendis assertione sequenti.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

DIco igitur: Contritio perfecta, quæ peccata detestatur propter Deum summè dilectum, statim infallibiliter secum affert remissionem omnium peccatorum.

Probatur primò ex Scriptura & SS. Patribus, 28.
A dicitur enim Isaïæ 30. juxta versionem Septuaginta, *Cùm reversus ingemueris, tunc salvus eris.* Ubi notanda est particula *tunc*, quæ significat nullam interponi moram inter reversionem peccatoris, per contritionis gemitum, & salutem ejusdem, per justificationis gratiam collatam, ut interpretantur SS. Patres, nam Leo Papa Epist. 91. ad Theodor. sic ait: *Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire: apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam, cùm ingemueris, tunc salvus eris.* Item Cœlestinus Papa in Epistola ad Episcopos Galliæ cap. 2. *Vera* (inquit)
B *conversio, mente potiùs, quàm tempore metienda est, dicente Prophetâ, si conversus fueris, salvus eris.* Unde 2. Regum 12. vix David ad Deum per pœnitentiam conversus profert duo verba, *Peccavi Domino*, cùm statim audit à Nathan, *Dominus quoque transtulit peccatum tuũ.* Ubi nota non dixisse Prophetam, *Dominus transferet peccatum tuum*, de futuro, sed *transtulit*, de præterito; ut significaret, statim actum contritionis sequutam fuisse peccati remissionem. Quò alludens ipse David Psalm. 31. sic ait: *Dixi confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* In quem locum Augustinus loquens in persona Davidis: *Confessio* (inquit) *mea ad òs nondum venerat, & Deus audivit vocem cordis mei.*
C *Vox mea in ore nondum erat, & auris Dei jam in corde erat.* Addit Propheta: *Pro hac* (id est, phrasi Hebraïca, propter hoc) *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno:* ut nimirum similiter veniam peccatorum statim obtineat, & resurgat statim per contritionem, si labatur. Quod diximus de contritione, idem de charitate dicendum est; cùm enim actus charitatis totam vim & efficaciam contritionis eminenter contineat, statim animam purgat ab omnibus peccatis. Unde Chrysostomus homil. 7. in 2. ad Timoth. post medium: *Sicut ignis ubi sylvam occupaverit, omnia purgare consuevit, ita & charitatis fervor*
D *quocumque inciderit, omnia perimit, atque perrumpit, quæ divinam segetem demoliuntur, emundatque humum suscipiendis atque fovendis altè seminibus.* Pergit: *Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala.* Et infrà: *Plenitudo legis est charitas: cuncta nempè scelera quæ pacem perturbant, ubi charitas fuerit, solvuntur.*

Probatur secundò Conclusio ex Tridentino 29.
sess. 14. cap. 4. ubi dividit contritionem latè sumptam, in eam quæ est charitate perfecta, id est quæ procedit ex motivo charitatis, quæ strictè & magis propriè contritio dici solet; & in eam quæ imperfecta est, diciturque attritio, procedens ex motivo turpitudinis peccati, aut metu gehennæ; & hoc inter eas ponit discrimen, quòd quando contritio est charitate perfecta, hominem Deo reconciliat, priusquàm sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur, tametsi non sine voto sacramenti, in ipsa contritione incluso: contritio verò imperfecta, sive attritio, non potest per se & sine sacramento, perducere peccatorem ad justificationem, sed tamen ad gratiam in sacramento pœnitentiæ obtinendam disponit. Quæ doctrina Concilij cum Adversariorium sententia directè pugnare videtur.

Probatur tertiò ex Bulla Pij V. & Gregorij 30.
XIII. contra Michaëlem Baium, hujus erroris Authorem, in ea enim damnatur hæc propositio

Baij num. 67. *Per contritionem, & cum charitate*
A *perfecta, & cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut martyrij, sine actuali susceptione sacramenti.* Et ista num. 31. *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.* Item hæc num. 32. *Charitas illa quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

31. Nec valet quod aliqui respondent, nempè in his propositionibus Pontifices solùm damnare, *posse habitualem charitatem stare cum peccato.* Nam Baius quem damnare intendunt, in citatis pro-
B positionibus loquitur præcipuè de charitate actuali; de ea enim charitate loquitur, quæ ut dispositio prærequiritur ad remissionem peccatorum in sacramento obtinendam, ut constat ex propositione 67. Sed hæc est actualis, cùm ad sacramenta suscipienda non disponamur per habitus, sed per actus: Ergo loquitur de charitate actuali. Item loquitur de charitate, quâ lex & præcepta adimplentur, ut liquet ex propositione 32. Hæc autem non est habitualis, sed actualis, cùm non per habitus, sed per actus, præcepta adimpleantur: Ergo, &c.

32. His accedit Catechismus Romanus, qui de sacramento pœnitentiæ §. *Sed quoniam*, docet contritionem statim peccata remittere, hominemque Deo perfectè reconciliare; *quin etiam*
C *statim, ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis à Deo tribui.* Idque ibidem confirmat, tum ex verbis Psalmistæ suprà relatis: *Dixi, confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Tum exemplo decem Leprosorum, qui Lucæ 17. à Christo ad Sacerdotes missi, ut à lepra mundarentur, mundati sunt, antequam ad illos pervenirent. Ex quo colligit, *eam vim esse contritionis, ut illius beneficio, omnium delictorum veniam statim à Domino impetremus*, etiam antequàm perveniamus ad sacramentalẽ absolutionẽ.

33. Probatur quartò conclusio ex duplici usu Ecclesiæ, quæ primò permittit ut peccatores sibi conscii peccati mortalis, accedant ad sacramenta, etiam illa quæ vivorum appellantur, quia D
supponunt statum gratiæ, dummodo præmittant actum contritionis, exceptâ Eucharistiâ, de qua tamen id etiam permittit in casu necessitatis: Ergo Ecclesia supponit eos per contritionem justificari, sine sacramento pœnitentiæ. Item Summi Pontifices indulgentias sæpè concedunt solis contritis, & non confessis: Ergo hâc concessione supponunt, posse peccatores per solam contritionem consequi remissionem peccatorum, & statum gratiæ, qui necessarius est ad fructum indulgentiarum percipiendum.

34. Demum suaderi potest conclusio quatuor ra-
E tionibus. Prima est: Contritio est ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, quam ex natura rei & necessariò comitatur: Sed gratia est incompossibilis cum peccato, saltem de lege Dei ordinaria: Ergo contritio secum defert infallibiliter remissionem omnium peccatorum, nec ad illam obtinendam, absolutionem Sacerdotis expectat.

35. Secunda est: Charitas est perfecta amicitia inter Deum & hominem, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 1. & nos fusè ostendimus in Tractatu de virtutibus Theologicis; unde im-
A possibile est quod peccator actum charitatis eliciat, nisi ex parte Dei respondeat actus amicitiæ erga illum, juxta illud Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo:* Sed amor Dei erga hominem, infallibiliter adjunctam habet remissionem omnium peccatorum: Tum quia talis amor nequit esse sine gratia habituali, quæ cum peccato incompossibilis est: Tum etiam, quia talis amor reddit hominem Deo gratum & acceptum, quod non posset præstare, nisi haberet infallibiliter adjunctam remissionem omnium peccatorum, cùm peccatum reddat hominem Deo exosum & abominabilem: Ergo actus charitatis adjunctam habet infallibiliter remissionem omniũ peccatorum.

Tertia ratio: Deus non minùs pronus est ad 36.
B præmiandum, quàm ad puniendum: Ergo sicut nullâ interpositâ morâ, statim post peccatum auferur à justo justitia; ita nullâ interpositâ morâ, statim post contritionem restituitur peccatori justitia seu gratia justificans, quæ fuerat per peccatum sublata, subindeque ipsi remittuntur peccata, quæ cum tali gratia & justitia incompossibilia sunt.

Quarta ratio: Contritio non minorem habet 37.
C virtutem in lege Evangelica, & post institutionem sacramenti pœnitentiæ, quàm habuerit in lege naturæ, & in lege Mosaïca, ante hujus sacramenti institutionem: Sed in lege naturæ, & in lege Mosaïca, contritio habebat vim statim justificandi & remittendi peccata; tunc enim nullum erat sacramentum, quod redderet de attrito contritum: Ergo contritio eadem virtute pollet in lege Evangelica, subindeque ad obtinendam remissionem peccatorum, Sacerdotis absolutionem non expectat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicitur primò: Christus Lucæ 7. post- 38.
quam asseruit Magdalenam dilexisse multùm, ait: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm:* Ergo præcessit tempore dilectio remissionem peccatorum, subindeque non eo-
D dem instanti quo est dilectio, vel contritio, est peccatorum remissio.

Respondeo cum Bellarmino lib. 2. de pœni- 39.
tentia cap. 14. Verba illa Christi de Magdalena non cogere nos ut dicamus, illo ipso tempore peccata fuisse fœminæ illi dimissa, quo verba illa Dominus pronuntiavit; nam etiam postea interjecto aliquo temporis spatio, iterum Christus ait, *Remittuntur tibi peccata tua*, &c. Nec tamen debemus dicere bis eadem peccata fuisse remissa. Verba igitur Domini: *Remittuntur ei peccata multa*, &c. nihil aliud significant, nisi magnam dilectionem causam fuisse magnæ indulgentiæ, & ut S. Gregorius ait homil. 33. in Evang. magnam rubiginem peccati, magno charitatis igne fuisse purgatam. Addunt aliqui, Christum verbis illis confirmasse remissionem antea factam in instanti dilectionis & contritionis: Sicut cùm Marci 5. dixit mulieri quam jam sanaverat à fluxu sanguinis: *Esto sana à plaga tua*, eo verbo eam non curavit, sed curationem jam factam confirmavit.

Objicitur secundò illud D. Augustini Tract. 40.
13. in Joan. *Quantumcunque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat. Non illi dimittitur, nisi cùm venerit ad Baptismum. Quomodo non caruit populus Israël populo Ægy-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

priorum, nisi cùm veniſſet ad mare rubrum; ſic A *nec peſſuris peccatorum nemo caret, niſi cùm ad fontem Baptiſmi pervenerit:* Sed par ratio eſt, ut peccata poſt Baptiſmum commiſſa non remittantur, antequam perveniatur ad ſacramentum pœnitentiæ: Ergo &c.

41. Reſpondeo, D. Auguſtinum intelligi poſſe primò de eo quod communiter fit, quia nimirum pauci Cathecumeni habent ante Baptiſmum actum perfectum contritionis, ideóque communiter, & ferè omnes, manent in peccatis, donec baptizentur. Vel ſecundò intelligi poſſe de perfecta remiſſione peccatorum, quoad culpam, & quoad pœnam integram, quam non habent ante Baptiſmum, tametſi contriti ſint; quamvis B enim per contritionem liberentur à reatu culpæ, manet tamen communiter aliquis reatus pœnæ. Tertiò dici poteſt cum Bellarmino ſuprà citato, Auguſtinum ibi loqui de Catechumenis, qui ad Baptiſmum accedere negligunt: hi enim ne quidem verum votum Baptiſmi habere poſſunt. Colligitur verò hæc reſponſio ex ipſo textu, ait enim: *Ne quis arrogans, eò quòd habeat abundantiam alicujus gratiæ, dedignaretur baptizari Baptiſmo Domini:* poſt quæ ſtatim ſubdit; *Quantumcunque enim Catechumenus proficiat* &c.

42. Objicies tertiò: Si ſola contritio peccata delet, hominemque juſtificat, cur Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 7. ad Euchariſtiam dignè ſuſcipiendam, præter contritionem, ſacramentalem requirit confeſſionem, cùm ſatis ſit ad illam accedere in ſtatu gratiæ, per contritionem obtentæ?

43. Reſpondeo: meritò Concilium ad dignam ſuſceptionem Euchariſtiæ, non eſſe contentum ſolâ contritione in eo qui conſcius eſt peccati mortalis, ſed requirere inſuper ſacramentalem confeſſionem, propter reverentiam tanto ſacramento debitam; cùm enim incertum valde ſit, an ſemper peccator attingat illam contritionis perfectionem, quæ ad juſtificationem extra ſacramentum requiritur, ob maximam difficultatem quam in ſe continet, meritò Concilium, ob reverentiam tanti ſacramenti, certiorem viam ſtatuit, ut fideles per ſacramentalem confeſſionem, in qua minor dolor requiritur, juſtificati, ad hoc ſacra- D mentum accederent.

ARTICULUS IV.

In quo genere cauſæ contritio expellat peccatum?

44. IN hujus difficultatis reſolutione varia ſunt Authorum placita: Vazquez enim exiſtimans actum contritionis non diſpoſitivè ſed formaliter ad juſtificationem concurrere, conſequenter aſſerit, contritionem non diſpoſitivè ſed formaliter concurrere ad expulſionem peccati. Scotus verò & ejus Diſcipuli docent contritionem diſpoſitivè ſolùm, non verò effectivè concurrere ad remiſſionem peccatorum mortalium. Ex Thomiſtis Soto & Nugno cauſalitatem effectivam, tam phyſicam, quàm moralem in ordine ad expulſionem peccati, contritioni attribuunt. Alij verò Diſcipuli D. Thomæ, admittunt quidem efficientiam moralem in ordine ad illum effectum, ſed phyſicam negant.

§. I.

Duplici concluſione difficultas reſolvitur.

DIco primò, contritionem non concurrere formaliter ſed tantùm diſpoſitivè, ad expulſionem peccati.

Probatur primò ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. 45.
dicente, *contritionis motum præparare ad remiſſionem peccatorum, ſi conjunctus ſit cum fiducia divinæ miſericordiæ.* Quibus verbis apertè docet contritionem eſſe diſpoſitionem ad remiſſionem peccatorum: Sed forma non poteſt eſſe diſpoſitio ad ſeipſam, cùm inter diſpoſitionem & formam exerceatur aliqua cauſalitas, ſubindeque inter illas reperiatur realis diſtinctio: Ergo contritio non concurrit formaliter ad remiſſionem peccatorum.

Probatur ſecundò: Illud ſolùm expellit formaliter peccatum habituale ab anima, quod ipſi formaliter opponitur: Sed contritio non opponitur formaliter peccato habituali; cùm enim illud conſiſtat in privatione gratiæ habitualis, ut *Diſp. 8. art. 3.*
in Tractatu de peccatis oſtendimus, ſola gratia habitualis ipſi opponitur formaliter: Ergo contritio non expellit formaliter peccatum habituale ab anima, ſed tantùm diſpoſitivè.

Probatur tertiò: Eo modo concurrit contritio 47.
ad remiſſionem ſeu expulſionem peccati, quo C concurrit ad juſtificationem peccatoris: Atqui non concurrit formaliter ad juſtificationem impij, ſed tantùm diſpoſitivè: Ergo nec ad remiſſionem ſeu expulſionem peccati. Major patet, juſtificatio enim remiſſionem ſeu expulſionem pec- *Diſp. 1. art. 3. & 4.*
cati importat. Minor verò in Tractatu de juſtificatione variis rationibus contra Vazquem demonſtrata fuit, quæ ibidem videri poterunt, ſicut & argumenta Vazquezij, quæ ibi ſoluta ſunt.

Dico ſecundò, contritionem in genere cauſæ efficientis moralis, non verò phyſicæ, expellere peccatum mortale.

Prima pars manifeſta videtur: Contritio enim 48.
per modum ſatisfactionis & compenſationis ad remiſſionem peccati concurrit: Atqui ſatisfa- D ctio pertinet ad genus morale, quia reſpicit peccatum ſub ratione debiti remittendi, & offenſæ expiandæ, quod totum fit ſecundùm moralem æſtimationem, & exigentiam juris, non ſecundùm aliquam phyſicam actionem deſtruentem ipſum debitum, ut videre eſt in ſatisfactionibus humanis: Ergo contritio in genere cauſæ efficientis moralis concurrit ad remiſſionem peccati,

Dices, Si peccatum remitteretur à Deo intuitu ſatisfactionis, non remitteretur merè gratis, atque adeò juſtificatio non eſſet purè gratuita, contra illud Apoſtoli ad Roman. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.*

Reſpondeo quod licèt peccatum, prout eſt E malum hominis, remittatur merè gratis à Deo gratiam infundente; tamen prout eſt malum Dei, & ejus offenſa, non remittitur merè gratis, ſi ly *gratis*, excludat ſatisfactionem, benè tamen ſi excludat tantùm meritum.

Secunda verò pars concluſionis, quam Soto 50.
& Nugno negant, exiſtimantes contritionem effectivè phyſicè concurrere ad remiſſionem peccati, hac ratione ſuadetur. Nulla cauſa efficiens, phyſicè expellit aliquam formam, niſi producendo aliam, quæ formaliter expellit illam: Sed pœnitentia ſeu contritio non producit effectivè

effectivè formam expellentem formaliter peccatum: Ergo neque effectivè phyſicè illud expellit. Major eſt certa, quia expulſio ſeu corruptio eſt effectus ſecundarius agentis, non primarius; ſiquidem corrumpere eſt deſtruere, nulla autem cauſa effectiva primò & per ſe deſtruit, ſed primò & per ſe facit, & ex conſequenti deſtruit; quia ſi ſolùm deſtrueret, nihil efficeret. Minor verò probatur: Forma expellens peccatum habituale, eſt gratia habitualis in eſſentia animæ reſidens, ut patet ex dictis in ſecunda probatione præcedentis concluſionis: Sed pœnitentia ſeu contritio non producit effectivè gratiam habitualem, illa enim fit à ſolo Deo effectivè & phyſicè, ut in Tractatu de gratia oſtenſum eſt: Ergo pœnitentia ſeu contritio non pro- *Diſp. 4. art. 1.* B ducit effectivè formam expellentem formaliter peccatum.

51. Dices, quod quamvis pœnitentia ſeu contritio effectivè phyſicè non producat gratiam, diſponit tamen ſubjectum ut illi infundatur & uniatur, & conſequenter phyſicè expellit peccatum oppoſitum gratiæ; ſicut homo dicitur effectivè generare hominem, & expellere oppoſitam formam à materia, quia diſponit illam ad recipiendam animam rationalem, licèt illam non producat.

Sed contra: Homo generans, licèt non producat animam, tamen phyſicè unit illam materiæ; pœnitentia verò ſeu contritio non unit gratiam ſubjecto, hæc enim ex potentia obedientiali animæ à Deo educitur, & ipsâ eductione ei per inhærentiam unitur. Item gratia infunditur miſericorditer & gratuito beneficio pœnitenti, non verò ex debito naturali, ſicut infunditur anima corpori diſpoſito & organizato: Ergo licèt homo dicatur concurrere effectivè phyſicè ad generationem hominis, & ad expulſionem formæ oppoſitæ à materia; pœnitens tamen non poteſt dici concurrere per contritionem effectivè phyſicè ad productionem gratiæ, & expulſionem peccati.

§. II.

Solvuntur objectiones.

52. COntra hanc partem noſtræ concluſionis aliquæ fieri poſſunt inſtantiæ, quæ breviter hic proponendæ & diluendæ ſunt, ut nihil remaneat inſolutum. Objicitur ergo primò: D. Thomas hic art. 2. ad 3. dicit pœnitentiam effectivè expellere omne peccatum, inquantum operatur ad deſtructionem peccati: quotieſcumque autem (inquit Nugno) loquitur D. Thomas de efficientia, intelligitur in genere phyſico, ut patet de Chriſti humanitate, & ſacramentis, de quibus ſolùm dicit D. Thomas quòd efficienter cauſant gratiam, & tamen explicatur communiter à
53. Thomiſtis de efficientia phyſica.

Secundò, Inter actum & habitum charitatis E ex una parte, & habitum atque actum pœnitentiæ ex alia, debet quoad expulſionem peccati aſſignari diſcrimen: Sed nullum eſt aſſignabile, ſi pœnitentia & ejus actus non expellant efficienter phyſicè peccatum; cùm enim dilectio Dei ſupernaturalis non minùs ſit ſatisfactoria pro offenſa, quàm dolor elicitus à pœnitentia, habitus & actus charitatis efficienter moraliter concurrunt ad illam expulſionem, æquè ac habitus & actus pœnitentiæ.

54. Tertiò, Docent Thomiſtæ communiter 2. 2. quæſt. 24. art. 10. quod omne peccatum mortale A expellit charitatem & gratiam, non ſolùm efficienter moraliter, ſive meritoriè, ſed etiam efficienter phyſicè: Ergo cùm ſicut peccatum opponitur gratiæ, ita contritio opponatur peccato, ipſum expellit efficienter phyſicè.

Quartò, Qui effectivè phyſicè cauſat ultimam diſpoſitionem phyſicam ad expulſionem 55.
peccati, & productionem gratiæ, efficienter phyſicè cauſat gratiam, & expellit peccatum: Sed pœnitentia cauſat efficienter phyſicè ultimam diſpoſitionem ad gratiam, & expulſionem peccati, ſcilicet contritionem: Ergo efficienter phyſicè cauſat gratiam, & expellit peccatum. Minor eſt certa, Major probatur. Qui efficit ultimam diſpoſitionem ad formam, cenſetur efficere ipſam formam: Ergo qui effectivè phyſicè cauſat ultimam diſpoſitionem ad gratiam, & expulſionem peccati, efficienter phyſicè cauſat gratiam, & expellit peccatum.

Ad primum dicendum quod quando S. Tho- 56.
mas hic art. 2. ad 3. dicit pœnitentiam effectivè expellere omne peccatum, manifeſtè loquitur de efficientia morali, non verò de phyſica, ſubdit enim, *inquantum operatur ad deſtructionem peccati, prout eſt remiſſibile ex divina gratia, homine cooperante.* Operari verò ad deſtructionem peccati, prout eſt remiſſibile ſeu ſub ratione remiſſionis, quæ eſt condonatio, eſt ſolùm effectivè moraliter illud expellere; quia remiſſio & condo- C natio, non phyſicè, ſed ſolùm moraliter expellit peccatum; cùm remiſſio & condonatio non ſit actio phyſica, ſed moralis, ſicut ſatisfactio & compenſatio.

Ad ſecundum, nego Minorem, & ejus pro- 57.
bationem; actus enim charitatis ex proprio motivo ſolùm habet diligere Deum ſuper omnia, & conſequenter odio habere peccatum, non verò pro ipſo ſatisfacere, ſaltem ex proprio motivo; at verò actus pœnitentiæ habet de ſe formaliter ex proprio motivo ſatisfacere pro peccato.

Ad tertium, nego paritatem: diſparitas eſt 58.
quòd peccatum actuale producit in anima effectum oppoſitum gratiæ, ſcilicet maculam, ſeu D peccatum habituale, quod gratiæ & charitati privativè opponitur; at verò contritio nullum effectum oppoſitum peccato producit in anima.

Ad quartum, nego Majorem, & ad illius pro- 59.
bationem, diſtinguo Antecedens: Qui efficit ultimam diſpoſitionem ad formam, cenſetur efficere ipſam formam, quando forma reſultat ex tali diſpoſitione, concedo Antecedens: ſic enim in naturalibus, quia forma ignis v. g. reſultat ex poſitione ultimæ diſpoſitionis, agens attingens per alterationem ultimam diſpoſitionem, attingit etiam ſecundariò ordine executionis ipſam formam. Quando forma non reſultat ex illa diſpoſitione, nego Antecedens, & Conſequentiam; gratia enim non reſultat ex actu contritionis, ſicut forma ignis ex calefactione: cùm enim per ſe petat infundi non reſultat ex noſtris actibus qui ad illam diſponunt, ſed educitur à *Diſp. 4. art. 2.* Deo ex potentia obedientiali animæ, ut in Tractatu de gratia oſtenſum eſt.

ARTICULUS

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICULUS V.

An remissa per pœnitentiam culpâ peccati mortalis, & reatu pœnæ æternæ, maneat tamen aliquando reatus pœnæ temporalis?

§. I.

Quibusdam præmissis veritas Catholica defenditur.

60. DUo ut certa & ob omnibus admissa supponimus. Primum est, remissâ culpâ mortali per pœnitentiam, de facto & semper remitti reatum pœnæ æternæ: nunquam enim remittitur culpa, nisi infundatur gratia: gratia verò ex Tridentino sess. 6. cap. 4. constituit hominem filium Dei adoptivum, subindeque hæredem regni cœlestis, juxta illud Pauli ad Rom. 8. *Si autem filij, & hæredes:* Sed repugnat, saltem de lege ordinaria, ut aliquis sit hæres regni cœlestis, & simul addictus pœnæ æternæ, alioquin simul esset dignus vitâ & morte æternâ: Ergo repugnat, saltem de lege ordinaria, quòd remissâ per pœnitentiam culpâ peccati mortalis, remaneat in justificato reatus pœnæ æternæ.

61. Secundò ut certum & indubitatum supponimus, aliquando saltem, videlicet per contritionem excellentem, qualis fuit in D. Paulo, & in B. Magdalena, tolli posse reatum pœnæ etiam temporalis; cùm enim debitum talis pœnæ finitum sit, potest ab aliqua perfectissima satisfactione, atque adeò contritione, adæquari; cùm nullum sit finitum, quod ab alio finito exæquari non possit.

62. Difficultas ergo solùm restat, quoad reatum istum pœnæ temporalis, an aliquando saltem, in justificato remaneat, remissâ per pœnitentiam in illo culpâ peccati mortalis, & reatu pœnæ æternæ? Lutherani enim & Calvinistæ negant culpâ remissâ ullum unquam remanere reatum pœnæ temporalis, luendæ in vindictam peccati præteriti. Ex quo inferunt, nullum esse purgatorium, nulla sacrificia, nullas indulgentias pro defunctis concedendas. Ut hic error confutetur, & veritas Catholica stabiliatur & explicetur.

63. Dico breviter: Dimissâ per pœnitentiam culpâ peccati mortalis, & pœnæ æternæ reatu, peccatorem sæpè remanere obnoxium pœnæ temporali luendæ, vel in hac vita, per actus satisfactorios; vel in alia, per supplicium purgatorij.

Conclusio est certa de fide, ac definita in Tridentino sess. 6. can. 30. his verbis: *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum pœnæ æternæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit.* Item sess. 14. cap. 8. sic habetur: *Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur: perspicua enim & illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem hic error quam manifestissimè revincitur.* Illa verò exempla, ut notatur in margine, habentur Genes. 3. ubi Adam mortem dicitur subijsse propter peccatum inobedientiæ, licèt ante mortem obtinuerit peccati remissionem, fueritque è delicto suo eductus, ut dicitur Sapient. 10. Et Numer. 12. ubi soror Moysis ad illius orationem à peccato murmuris absolvitur, sed separari septem diebus extra castra jubetur. Item Numer. 20. ubi terram promissionis ingredi prohibetur Moyses, propter diffidentiam quandam, licèt ei remissa esset. Demum 2. Regum 12. Davidi peccatum adulterij & homicidij ita remissum fuit, ut tamen morte filij ex adulterio nati, aliisque pœnis gravissimis punitus fuerit; non tantùm ut caveret in futurum, vel ad terrorem aliorum, vel ad virtutis & patientiæ exercitium, ut respondent Hæretici, sed ut Scriptura loquitur, propter peccatum, & scandalum datum: *Veruntamen quoniam blasphemare fecisti, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Inferre autem pœnam peccatori, quia peccavit, est punire propriè peccatum, & infligere pœnas castigatorias, & non tantùm medicinales. Unde Augustinus in Psal. 50. circa illa verba, Ecce enim veritatem dilexisti: *Veritatem* (inquit) *dilexisti, id est delicta impunita, etiam eorum quibus ignoscis, non reliquisti.*

64. Hujus veritatis nulla ratio à priori assignari potest, quia hoc pendet ex sola ordinatione Dei per fidem nobis cognita, qui sicut pœnam æternam unà cum culpa mortali gratis semper remittit, ita posset, si vellet, semper omnem pœnam remittere. Non decuit tamen semper ita fieri, sed potiùs oppositum: Primò propter majorem ingratitudinem peccantis post Baptismum, & fidem Christo datam. Secundò ut gravitas peccati mortalis magis appareret: quam rationem insinuat Augustinus tract. 124. in Joan. his verbis: *Productior est enim pœna, quam culpa; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc..... temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.* Tertiò, ad frænandam peccati licentiam, quæ major esset, si tam facilè omnis pœna remitteretur. Unde Chrysostomus homil. de pœnitentia: *Ne peccantes & inulti manentes, efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium, sed vidit hoc manifestè, quod peccatis ipsis non minùs damnosum sit non puniri; & propter hoc imponit pœnam.* Quartò, quia per actus satisfactorios, quibus temporalem pœnam exsolvimus reliquias peccatorum, vitiosasque habitus malè vivendo contractos, per contrarios actus tollimus.

65. Has rationes eleganter exponit Tridentinum sess. 14. cap. 8. his verbis, *Sanè & divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter à Deo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò, qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritûs Sancti dono, scientes, templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione acceptâ, peccata leviora putantes, veluti injurij & contumelioso Spiritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnoperè à peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus malè vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt..... Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes formes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur.*

66. Præter has rationes, seu congruentias, duæ aliæ assignari possunt. Prima est: Deus non solùm per peccatum offenditur ut privatus amicus, sed etiam ut publicus legislator & Princeps: Ergo licèt ut privatus amicus gratis cum offensa remittat pœnam æternam, quæ cum amicitia stare non potest; tamen ut publicus legislator relinquit aliquam pœnam temporalem in ultionem commissi sceleris, propter bonum commune luendam. Sicut in humanis, remissâ totâ offensâ per acceptationem in amicitiam, adhuc potest offensus ab offendente exigere aliquam satisfactionem, ad resarciendum jus læsum publicæ justitiæ.

67. Alia ratio seu congruentia adducitur à D. Thoma hic art. 4. & alibi, sicque potest breviter proponi. Sicut in peccato mortali duo sunt, scilicet aversio à Deo, & conversio ad creaturam; ita & duplex pœna ipsi debetur; una æterna, quæ correspondet peccato ex parte aversionis; nam sicut peccatum ex hac parte est quodammodo infinitum, ita debetur ipsi pœna quodammodo infinita; altera temporalis, quæ correspondet conversioni, quæ finita est, & major vel minor pro qualitate objecti, vel actûs; quo peccator erga illud afficitur: cùm ergo in justificatione peccatoris, quando remittitur culpa per gratiam, tollatur semper aversio à Deo, anima enim semper per gratiam Deo conjungitur, consequenter semper tollitur reatus pœnæ æternæ; è contra verò, cùm in justificatione non semper tollatur conversio illa inordinata, quam peccator habet ad creaturam, non semper tollitur reatus pœnæ temporalis, huic inordinatæ conversioni correspondens.

68. Verùm in hac ratione D. Thomæ, difficile est explicare, quid intelligat nomine inordinatæ conversionis; si enim dicamus intelligere habitualem conversionem ad creaturam ut ad ultimum finem, impossibile erit salvare quod ablatâ aversione, remaneat hæc conversio, cùm impossibile sit, hominem habere duos ultimos fines. Si verò dicamus, per conversionem intelligi inclinationem habitualem quam facit habitus vitiosus ad particulare objectum, non poterit verificari universaliter in quolibet peccato mortali reperiri inordinatam conversionem ad creaturam, quæ se habeat veluti materiale illius, ut ait S. Thomas; quia certum est, peccatum mortale non semper importare habitum vitiosum etiam de materiali, ut patet in eo qui post acquisitum habitum temperantiæ, committit peccatum mortale intemperantiæ; quia nullus habitus voluntatis, sive bonus, sive malus, acquiritur

69. unico actu, sicut habitus intellectûs, v. g. scientiæ. Respondeo cum Cajetano hic art. 4. & Soto in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 4. D. Thomam per inordinatam conversionem intelligere inordinationem relictam ex conversione ad creaturam. Pro cujus, intelligentia, notandum est, duplicem inordinationem esse in actu peccaminoso: prima est illa quâ homo constituit suum ultimum finem in bono creato, quæ inordinatio potiùs se tenet ex parte aversionis, consistit enim in hoc quod homo relinquat Deum, qui verè est ultimus finis, ut adhæreat alicui creaturæ. Secunda est, quâ homo percipit delectationem illicitam, in objecto peccati plus nimiùm sibi indulgendo; & hæc se tenet potiùs ex parte conversionis, quia delectatio illa ex objecto sumitur; & de hac loquitur S. Thomas, cùm ait reatum pœnæ temporalis inordinatæ conversioni correspondere.

70. Adverte autem ad majorem hujus rationis intelligentiam, quod quando S. Thomas distribuit prædictas pœnas damni & sensûs aversioni & conversioni quæ in peccato mortali reperiuntur, hoc solùm facit per quandam analogiam & accommodationem; nam quia conversio est quædam inordinata adhæsio voluntatis ad bona creata, tribuitur illi pœna sensûs, quæ infligitur mediis creaturis; aversioni verò tribuitur pœna damni, quia utraque consistit in recessu & separatione à Deo; cùm tamen revera unicuique ex illis malitiis seu formalitatibus quæ in peccato mortali reperiuntur, utraque hæc pœna simul correspondeat; sicut in divinis potentia tribuitur Patri, sapientia Filio, & amor Spiritui Sancto, quamvis hæc attributa his tribus personis communia sint.

§. II.

Solvuntur objectiones hæreticorum.

71. COntra veritatem Catholicam paragrapho præcedenti explicatam, objiciunt primò hæretici ex Scriptura illud Ezechiel. 18. ubi narratâ peccatoris pœnitentiâ subditur: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius.* Item istud cap. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab iniquitate sua.* Præterea hunc locum Apostoli ad Romanos 8. *Nihil ergo nunc damnationis est in iis qui sunt in Christo Jesu.* Sed inquiunt Sectarii, recordaretur Deus iniquitatum peccatoris, ipsaque impietas noceret impio, & aliquid damnationis in iis qui sunt in Christo Jesu remaneret, si culpâ eis remissâ, supereset pœna temporalis luenda: Ergo remissâ per pœnitentiam culpâ peccati mortalis, & pœnæ reatu, non remanet reatus pœnæ temporalis. Unde Tertullianus lib. de Baptismo cap. 5. ait, *Exempto reatu, eximitur & pœna.*

72. Respondeo in duobus prioribus Scripturæ locis, Prophetam comparare justum & impium in ordine ad vitam æternam: quare sensus eorum est, quòd quemadmodum si justus peccaverit, justitia ejus non proderit ei ad vitam æternam, & Deus quasi illam obliviscetur: ita similiter, si peccator agat pœnitentiam, Deus non recordabitur iniquitatis ejus, nec ipsa ei nocebit, in ordine ad vitam æternam. Cum quo stat, quod Deus adhuc illius recordetur, in ordine ad debitum pœnæ temporalis.

73. Ad locum Apostoli dicendum, quod licèt remissâ per pœnitentiam culpâ peccati mortalis, & pœnæ æternæ reatu, maneat aliquando reatus pœnæ temporalis, nihil tamen damnationis est in justificatis; pœna enim temporalis ad salutem relicta, ut scilicet homines ejus consideratione cautiores fiant, & peccandi licentiam cohibeant, damnatio dici non debet; quomodo enim damnatio dici potest id quod est causa salutis, & evasionis ipsius damnationis?

74. Ad Tertullianum verò respondeo ipsum loco citato loqui de Baptismo in quo remittitur omnis pœna, etiam temporalis, peccatis ipsum præcedentibus debita, sic enim habet: *Nunc quotidie populos conservant* (aquæ Baptismi) *deletâ morte per ablutionem delictorum. Exempto scilicet reatu, eximitur & pœna.*

75. Objicitur secundò: Christus plenissimè pro nobis satisfecit, ejus enim satisfactio non solùm fuit

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuit condigna & æqualis offensæ, sed etiam superabundans & excedens, ut in Tractatu de Incarnatione fusè ostendimus: Sed obligatio ad pœnam temporalem, non obstante justificatione peccatoris, plenitudini & superabundantiæ Redemptionis & satisfactionis Christi derogare videtur; ad eam enim pertinet quod non solùm culpam & pœnam æternam peccato mortali debitam, sed etiam pœnam temporalem pro ea in hac vita vel in purgatorio luendam tollat: Ergo remissâ per pœnitentiam culpâ, & pœnâ æternâ illi debitâ reatus pœnæ temporalis non remanet. Unde Christus in hac vita legitur Magdalenæ & Latroni pœnitenti, multisque aliis remisisse peccata, nulli tamen injunxisse aliquam satisfactionem ad luendum pœnam temporalem peccatis illorum debitam.

Disp. 4. art. 2.

76. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem; ad perfectionem enim & plenitudinem satisfactionis Christi solùm pertinet, quod sit plenissima quoad sufficientiam remissionis omnium peccatorum, quoad culpam, & pœnam æternam, non autem quòd pœnam etiam temporalem de facto tollat, nisi quando plenè applicatur, ut contingit in Baptismo & martyrio. Christus enim satisfecit pro nobis ut causa satisfactoria universalis, applicanda singulis per propriam cooperationem: modus autem proportionatus liberæ naturæ est, ut sicut liberè deliquit, ita liberè sibi applicet causam satisfactionis.

77. Ad illud quod subditur de Christo, dicendum est, Christum sic egisse cum aliquibus, putà cùm Magdalena & Latrone pœnitente, tum quia talem de peccatis eis contritionem inspiraverat, quæ sufficiebat ad remissionem omnis pœnæ, etiam temporalis, tum etiam quia ad clementiam & mansuetudinem Christi declarandam, decebat, ut aliquibus peccata, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, etiam temporalem, liberaliter remitteret; sed hanc specialem prærogativam noluit ad omnes pœnitentes extendere, ob rationes seu congruentias suprà ex Tridentino adductas.

78. Objiciunt tertiò: Pœnitentia vim habet remittendi pœnam æternam: Ergo multò magis habet vim remittendi omnem pœnam temporalem, quod facilius est. Præsertim cùm Baptismus & martyrium tale privilegium habeant, nec solùm culpam & pœnam æternam peccato mortali debitam tollant, sed etiam omnem pœnam temporalem, ut docuimus in Tractatu de Baptismo; unde baptizandis nulla ab Ecclesia injungitur satisfactio vel pœnitentia pro peccatis ante Baptismum commissis; quia ut ait Ambrosius ad Roman. 11. *Gratia Dei in Baptismo omnia condonat, & non quærit gemitus aut planctum, aut opus aliquod, nisi solam ex corde professionem.*

Disp. 4. art. 1.

79. Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam; contritio enim aut sacramentum Pœnitentiæ, non habet vim remittendi pœnam æternam, præcisè ex natura sua, sed dependenter à voluntate Dei & institutione Christi, qui non necessariò si remittit unum debet remittere & alterum. Ex quo patet responsio ad exemplum de Baptismo, ratio enim cur Baptismus prædicto privilegio gaudeat, est sola voluntas Dei, & institutio Christi, qui tantam voluit gratiam conferre Baptismo, ut omnem culpam & pœnam etiam temporalem auferret; quia nimirum instituit hoc sacramentum per modum regenerationis spiritualis; atque adeò sicut in generatione corporali (in sententia D. Thomæ & Discipulorum ejus) fit resolutio usque ad materiam primam, ita ut nullum accidens, quod erat in corrupto, maneat in genito; ita & nullum accidens ad generationem spiritualem pertinens, debet remanere in homine per Baptismum regenerato, sive quoad culpam, sive quoad pœnam. Unde Chrysost. homil. 24. in Joan. *In aqua Baptismi tanquàm in sepulchro caput immergenibus, vetus homo sepelitur, emergentibus inde novus resurgit.*

Idem privilegium tribui voluit Deus martyrio, tum quia est opus maximè arduum & difficile, & actus excellentissimæ dilectionis, tum etiam quia cùm sit perfecta imitatio passionis Christi, ei specialiter applicare voluit Christus virtutem suæ passionis.

80. Objiciunt quartò: Sublatâ causâ tollitur effectus: Sed culpa peccati est causa reatûs pœnæ tam æternæ quàm temporalis, remittiturque omnino per pœnitentiam peccatum quoad culpam: Ergo & quoad pœnam, sive temporalem, sive æternam.

81. Respondeo peccatum esse quidem causam reatûs pœnæ temporalis, sed præcisè quoad fieri ipsius, non verò quoad ejus conservationem, quare non est mirum, quod peccato omnino quoad culpam remisso, ejusmodi reatus relinquatur & conservetur: sicut mirum non est, quòd sublato & defuncto patre, filius adhuc remaneat & vivat.

DISPUTATIO IV.

De remissione peccatorum venialium.

Ad quæstionem 87. D. Thomæ.

QUm pœnitentia, non solùm peccata mortalia, sed etiam venialia remittere valeat, ut omnes ejus effectus explicemus, præcedenti disputationi istam subjungimus, in qua de remissione peccatorum venialium breviter disseremus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ad remissionem peccatorum venialium, necessaria sit aliqua pœnitentia interior, eaque debeat esse formalis, vel sufficiat virtualis?

§. I.

Referuntur sententiæ, & vera eligitur, & duplici conclusione explicatur.

1. IN hujus difficultatis resolutione duæ sunt extremæ sententiæ, & alia media. Scotus enim, Gabriel, & alii, negant esse necessarium ullum actum pœnitentiæ, etiam virtualis, ad remissionem peccatorum venialium, & ad eam sufficere existimant quemcunque actum bonum, qui magis placeat Deo, quàm displiceat peccatum veniale, licèt ad ejus remissionem non ordinetur. Durandus è contra asserit necessarium esse actum pœnitentiæ formalis ad remissionem peccati venialis. Alii verò Theologi, tam domestici, quàm extranei, cum S. Doctore hic art. 1. docent, ad remissionem

remissionem peccatorum venialium, necessarium quidem esse aliquem actum pœnitentiæ, illum tamen non debere esse actum pœnitentiæ formalis, sed sufficere actum pœnitentiæ virtualis. Pro hac opinione, & contra præcedentes.

2. Dico primò, ad remissionem peccatorum venialium non sufficere quodcunque opus bonum & meritorium vitæ æternæ, sed requiri necessariò aliquem actum pœnitentiæ. Ita D. Thomas hic art. 1. ubi sic discurrit: *Remissio culpæ fit per conjunctionem hominis ad Deum, a quo aliqualiter separat culpa: Sed hæc separatio perfectè quidem fit per peccatum mortale, imperfectè autem per peccatum veniale; nam per peccatum mortale mens omnino à Deo avertitur, utpote contra charitatem agens; per peccatum veniale retardatur affectus hominis, ne promptè in Deum feratur. Et ideò utrumque peccatum per pœnitentiam remittitur, quia per utrumque deordinatur voluntas hominis, per immoderatam conversionem ad bonum creatum. Sicut enim peccatum mortale remitti non potest, quandiu voluntas peccato adhæret; ita etiam nec peccatum veniale, quia manente causâ, manet effectus.* Quibus verbis hanc insinuat rationem, quâ probatur primò nostra conclusio. Peccatum veniale causat aliquam deordinationem in voluntate hominis, non quidem circa ultimum finem, sed circa media conducentia ad talem finem, per immoderatam conversionem ad bonum creatum; unde ad remissionem peccati venialis requiritur quod talis deordinatio reparetur sive tollatur: Sed tolli nequit, nisi per aliquam pœnitentiam sive displicentiam de illa, tum quia nihil expellitur nisi à suo contrario: tum etiam, quia quandiu voluntas actu aut virtute per actum pœnitentiæ non retractat inordinatum illum affectum ad creaturam, semper moraliter censetur perseverare in illo; nam quandiu non retractat actum quem semel elicuit, semper censetur velle illum: Ergo ad remissionem venialium, aliquis actus pœnitentiæ requiritur.

3. Probatur secundò conclusio: Cùm peccatum sive mortale sive veniale non remittatur, saltem de facto, per solam non imputationem sive intrinsecam condonationem, sed per actum vel formam ipsi contrariam, sive cum eo incompossibilem, illi actus duntaxat sufficiunt in homine justificato ad remissionem venialium, qui sunt incompossibiles cum peccatis illis: Sed non quodlibet opus meritorium est incompossibile cum peccato veniali, aliàs enim remanens in tali peccato, nihil omnino mereretur: Ergo ad remissionem peccatorum venialium, non sufficit quodcunque opus bonum & meritorium vitæ æternæ, sed requiritur necessariò aliquis actus pœnitetiæ.

4. Confirmatur: Si quodcumque opus meritorium sufficeret ad remissionem peccati venialis, vel quia æquè aut magis placet Deo, quàm peccatum veniale displiceat, ut dicit Scotus; vel quia facit hominem magis amicum Deo, & dignum majori gratiâ & gloriâ? Non primum, aliàs enim aliquando aut nullum remitteretur peccatum veniale, aut innumera, si essent, remitterentur uno tantùm actu meritorio; quia non est major ratio quare hoc potiùs quàm illud remittatur, præsertim quando sunt æqualia inter se; quod tamen nec de actu quocumque charitatis concedunt Doctores. Nec etiam secundum, quia quantumcumque gratia sit intensa non habet incompossibilitatem cum peccato veniali.

5. Dico secundò, ad remissionem venialium non requiritur necessariò pœnitentia formalis, sed sufficit virtualis. Ita S. Thomas articulo citato, ubi post verba superiori conclusione adducta, subdit: *Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis, perfectior pœnitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. Non tamen sufficit habitualis displicentia, quæ habetur per habitum charitatis, vel pœnitentiæ virtutis; quia sic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum. Unde sequitur quòd requiratur quædam virtualis displicentia, putà cùm aliquis hoc modo fertur secundùm affectum in Deum & res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se hæc commisisse, etiam si actu de illo non cogitaret.* Quibus verbis apertè docet, ad remissionem venialium non requiri necessariò pœnitentiam formalem, sed sufficere virtualem.

6. Ratio etiam id suadet: Primò, quia sola pœnitentia virtualis sufficienter opponitur veniali; nam sicut in veniali est recessus non quidem ab amicitia, sed à familiaritate Dei, & conversio aliqua inordinata ad creaturam; ita in pœnitentia virtuali, qualis est actus charitatis, est accessus ad familiaritatem Dei, & recessus à creatura.

7. Secundò, Multò plus requiritur ad remissionem peccati mortalis, quàm ad remissionem peccati venialis: Sed ad remissionem peccati mortalis sufficit pœnitentia virtualis, saltem per accidens, ut disputatione præcedenti ostensum est: Ergo eadem sufficiet ad remissionem peccati venialis, etiam per se & ex natura rei. *Art. 2. concl. 2.*

8. Tertiò, Peccata venialia non sunt de necessitate confessionis, nec per consequens etiam de necessitate contritionis: Ergo remittuntur sine ordine ad contritionem, atque adeò sine pœnitentia formali.

9. Quartò, Sacramentalia aliqua cum devotione susceptа, habent vim ad remittendum peccata venialia, ut infrà dicemus: Ergo à fortiori remittuntur peccata venialia per actum charitatis vel devotionem ad res divinas. Patet Consequentia, actus enim charitatis magis opponitur venialibus peccatis, quàm sacramentalia. *Dixi per actum charitatis, vel devotionem ad res divinas,* quia nomine pœnitentiæ virtualis, intelligitur non solùm actus charitatis quo movemur in Deum, sed etiam omnis motus quo quis ita fertur in res divinas, ut venialia displicerent, si memoriæ occurrerent; talis enim motus potest dici pœnitentia virtualiter aut æquivalenter, totque remittet peccata venialia, quot formaliter aut virtualiter displicebunt, & omnia, si omnia displiceant sub aliqua ratione communi omnibus, putà sub ratione divinæ offensæ.

§. II.

Solvuntur objectiones.

10. OBjicies primò contra primam conclusionem: D. Thomas hic art. 1. ad 2. affirmat martyrium & baptismum purgare ab omni culpa tam veniali quàm mortali, si non inveniant voluntatem actu adhærentem peccato: Ergo censet ad remissionem venialium non requiri necessariò actum pœnitentiæ.

11. Respondeo S. Thomam in eo qui ad martyrium vel ad baptismum accedit cum peccatis venialibus aut mortalibus, supponere præcessisse

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquem actum attritionis, quo posito, ut deinde martyrium aut baptismus peccata remittant, sufficit, si inveniant voluntatem Martyris vel baptizandi actu peccato non adhærentem. Quod autem hoc supponat, patet tum ex corpore articuli, ubi ad utraque peccata dimittenda requirit pœnitentiam : tum quia eodem modo loquitur de remissione mortalium & venialium, per martyrium & baptismum : nemo autem dicet, de facto martyrium vel baptismum mortalia remittere sine attritione.

12. Dices, *Si* baptismus & martyrium non remittant peccata venialia, sine attritione formali aut virtuali de illis, poterit prudenter dubitari, an aliquibus baptizatis ad peccata venialia valde propensis, talia peccata per baptismum remissa fuerint, subindeque conveniens satisfactio poterit pro illis imponi, quod in Ecclesia inauditum est. Poterit quoque Ecclesia prudenter orare pro aliquibus Martyribus, ut Deus illis remittat pœnas peccatorum venialium, cum quibus decesserunt. Quod est contra sensum & praxim Ecclesiæ, & contra illud S. Augustini, *Injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre.*

13. Respondeo negando utramque sequelam, cùm enim ea sit vis baptismi & martyrij, ut remittat omnia peccata tam mortalia quam venialia ante ipsum commissa, quoad reatum culpæ, & totius pœnæ, nisi sit obex, si quis baptismum suscepit, aut martyrium passus est, cum obice negativo circa venialia, defectu attritionis de illis, cùm primùm postea ponitur attritio, tolluntur omnia venialia quoad culpam & quoad pœnam integram : quare non est imponenda satisfactio baptizatis cum tali obice, sed tantùm hortandi sunt, ut quamprimùm atterantur, & obicem tollant. Similiter non est orandum pro Martyre post ejus mortem, ut à pœnis liberetur, quia in instanti separationis animæ à corpore, vel paulò ante, prorumpit in actum ferventissimum contritionis vel charitatis, quo liberatur ab omni pœna peccatis venialibus debita, quæ ante mortem non expiavit.

14. Objicies secundò : Omnis actus dilectionis, etsi non sit virtualis displicentia de venialibus, est meritorius gloriæ æternæ : Ergo à fortiori meretur remissionem venialium ; qui enim potest id quod est majus, à fortiori potest id quod est minus : Ergo ad remissionem venialium non requiritur necessariò actus pœnitentiæ formalis aut virtualis.

15. Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam, quia actus charitatis per se ordinatur ad promerendam vitam æternam, non autem ad remissionem venialium, nisi cum illis habeat oppositionem, quam non habet, si non sit virtualis saltem eorum displicentia. Illud verò axioma, *qui potest majus, potest & minus*, habet locum solùm in his quæ sunt ejusdem rationis, aut subordinata, qualia non sunt remissio culpæ venialis, & meritum vitæ æternæ.

16. Objicies tertiò : Qui meretur finem, meretur tolli impedimenta ad finem : Sed venialia sunt impedimenta ad gloriam : Ergo qui meretur gloriam, meretur etiam remissionem peccatorum venialium, subindeque ad illam sufficit quodcumque opus bonum & meritorium vitæ æternæ.

17. Respondeo distinguendo Majorem : Qui meretur finem, meretur tolli impedimenta essentialia ad finem, concedo. Meretur tolli impedimenta accidentalia, nego. Alioquin qui meretur gloriam, mereretur totius pœnæ temporalis remissionem, nam hæc etiam est impedimentum ad illam. Cùm igitur venialia solùm sint impedimentum accidentale, retardans, non tollens gloriam, non sequitur, quod qui meretur gloriam, mereatur semper remissionem venialium : possumus enim elicere opus bonum & meritorium vitæ æternæ, retinendo affectum ad aliquod veniale : peccatum autem veniale (ut infrà dicemus) non potest remitti, saltem de via ordinaria, quandiu homo retinet affectum ad illud.

Objicies quartò cum Soto : Macula peccati venialis consistit in obligatione ad pœnam temporalem : Sed pœna temporalis debita peccato veniali, sine actu pœnitentiæ remitti potest : Ergo & tolli macula peccati venialis. Minor videtur certa, Major verò ex eo probari potest, quòd cùm peccatum veniale non causet privationem gratiæ, nec convertat hominem ad creaturam tanquam ad ultimum finem, transacto actu peccati venialis, nihil ex eo remanere potest, quod habeat rationem maculæ, seu peccati habitualis, nisi reatus seu obligatio ad pœnam temporalem. 18.

Respondeo negando Majorem, tum quia obligatio ad pœnam est quid consequens culpam ; ideò enim aliquis dignus est pœnâ, quia peccavit, & veniale est propriè culpa, cùm sit materia confessionis, quæ non versatur nisi circa culpas. Tum etiam, quia alioquin posset veniale remitti ei qui haberet actuale propositum illud in futurum committendi ; nam posset solvere pro præterito, & simul habere propositum committendi aliud in futurum. Ad probationem in contrarium, respondent aliqui, maculam peccati venialis consistere in conversione inordinata ad bonum commutabile, non quidè quæ sit contra ipsum Deum simpliciter loquendo, sicut ea in qua consistit peccatum mortale, sed tantùm præter Deum, atque adeò retardans affectum, ne promptè in eum feratur. Cui responsioni manifestè favet D. Thomas hîc art. 2. ad 3. ubi ait *quod sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter : uno modo per privationem ejus quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris, aut debitæ proportionis membrorum ; alio modo per inductionem alicujus impedientis decorem, puta luti aut pulveris : ita etiam animæ inducitur macula, uno modo per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale ; alio modo per inclinationem affectûs inordinatam ad aliquid temporale, & hoc fit per peccatum veniale.* Alij verò censent, quod sicut macula peccati mortalis non consistit in aliquo positivo, sed in privatione gratiæ sanctificantis, in anima peccatoris ex præterito actu peccati resultante, ut in Tractatu de peccatis cum Carmelitis Salmanticensibus docuimus : ita macula peccati venialis non consistit in aliquo positivo, sed in privatione fervoris charitatis, seu illius habilitatis quam habet charitas, ut promptè feratur in Deum. Et hæc etiam solutio probabilis est, & his quæ loco citato Tractatûs de peccatis docuimus, omnino consona. *D. Tp. 8. art. 3.*

Dices, Ex hoc sequeretur, quod peccatum veniale non posset tolli seu remitti nisi per actum charitatis, privatio enim non potest tolli nisi per formam oppositam. Sequeretur etiam non posse remitti unum veniale sine alio : si enim macula peccati venialis opponatur privativè actuali fervori charitatis, non poterit sine fervore charitatis remitti : Sed charitatis fervor quodcumque peccatum veniale excludit : Ergo non poterit unum peccatum veniale remitti, nisi simul omnia deleantur. 20.

Respondeo

21. Respondeo negando sequi duo illa inconvenientia. Non quidem primum, cùm enim macula peccati venialis consistat in privatione aut diminutione illius fervoris & promptitudinis quâ anima fertur in Deum, ei non solùm opponitur actus charitatis, sed etiam actus religionis & aliarum virtutum, quo quis ita fertur in Deum vel res divinas, ut venialia displicerent, si memoriæ occurrerent : unde per illos actus (ut suprà dicebamus) peccata venialia remitti possunt, quia actus illi, sunt actus pœnitentiæ virtualiter, aut æquivalenter, ut colligitur ex D. Thoma hîc art. 1. ubi docet peccata venialia posse remitti per virtualem displicentiam, *Sicut (inquit) cùm aliquis hoc modo fertur secundùm affectum in Deum, & res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se hæc commisisse.*

22. Secundum etiam inconveniens non sequitur ex nostra doctrina, cùm enim fervor charitatis habeat quandam latitudinem, fieri potest ut aliquis fervor charitatis opponatur solùm aliquibus peccatis venialibus, non tamen omnibus (quia non tantus est, ut formalem aut virtualem omnium displicentiam includat) subindeque licèt per illum charitatis fervorem aliqua peccata venialia remittantur, non tamen omnia.

23. Objicies quartò cum Durando contra secundam conclusionem : Peccatum veniale non tollitur nisi per suum oppositum : Sed pœnitentia virtualis illi non opponitur : Ergo peccatum veniale non remittitur per pœnitentiam virtualem, sed solùm per displicentiam & pœnitentiam formalem. Major patet, Minor probatur. Tum quia actus fervidus charitatis potest esse cum peccato veniali : Tum etiam quia devotio ad res divinas, & mendacium jocosum v. g. nullam habent oppositionem ; mendacio enim solùm opponitur veritas, non verò devotio aut charitas. Præterquam quod devotio & charitas afferunt gaudium, subindeque non important dolorem requisitum ad remissionem peccati.

24. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, & ad primam ejus probationem dico, quod quamvis possit esse actus fervidus charitatis cum aliquo veniali, cujus non est virtualis pœnitentia & retractatio, nequit tamen esse cum veniali, cujus est virtualis pœnitentia aut retractatio. Ad secundam dicendum, quod licèt charitas aut devotio non opponatur mendacio jocoso, secundùm ejus rationem specificam,) sic enim ei tantùm opponitur veritas) opponitur tamen ei secundùm rationem genericam peccati venialis ; cùm enim promptè tendat in Deum, opponitur retardationi tendentiæ in illum, quam retardationem peccatum veniale secundùm rationem genericam importat. Gaudium verò illud quod affert devotio est virtualis displicentia peccati venialis, cùm sit delectatio de ejus contrario.

§. III.

Tria corollaria ex præcedenti doctrina.

25. EX dictis colliges primò, hoc inter peccatum mortale & veniale reperiri discrimen, quòd ad remissionem mortalis requiritur per se formalis pœnitentia, licèt per accidens sufficiat pœnitentia virtualis ; ad remissionem verò peccati venialis, per se tantùm requiritur pœnitentia virtualis, nec requiritur pœnitentia formalis, nisi ad melius esse.

Colliges secundò aliud discrimen inter peccata mortalia & venialia ; cùm enim peccata mortalia non tollantur nisi per gratiam sanctificantem, quæ cum quolibet peccato mortali incompossibilis est, repugnat unum peccatum mortale remitti sine alio, ut disputatione præcedenti art. 2. conclus. 4. docuimus. E contra verò cùm peccata venialia remittantur per charitatis fervorem, qui interdum tantus non est, ut omnia venialia excludat, ac virtualem eorum displicentiam importet, unum vel plura peccata venialia possunt remitti sine aliis. 26.

Colliges tertiò, quod quandiu quis est affectus aliquo modo circa peccatum aliquod veniale, tale peccatum non potest remitti, saltem de via ordinaria ; quia talis affectus excludit omnem pœnitentiam tam formalem quàm virtualem de illo, utpote ipsi contrarius : peccatum autem veniale non potest remitti sine pœnitentia formali aut virtuali, ut in prima conclusione ostensum est. 27.

ARTICULUS II.

Utrum ad remissionem venialium requiratur gratia ?

§. I.

Quibusdam præmissis difficultas resolvitur.

NOtandum primò, hanc quæstionem tam de gratia habituali quàm de actuali procedere, inquirimus enim, utrum non solùm auxilium aliquod supernaturale movens liberum arbitrium, sed etiam gratia habitualis hominem justificans & sanctificans, ad remissionem peccatorum venialium requiratur ? 28.

Notandum secundò, ad remissionem venialium gratiam habitualem posse requiri tribus modis. Primò antecedenter, ut persona sit capax talis remissionis. Secundò concomitanter, quia quodlibet opus remissivum venialis, est etiam meritorium gratiæ. Tertiò formaliter, quia non potest veniale expelli, nisi per gratiam habitualem, ut per formam oppositam. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ. 29.

Dico primò, remissionem peccatorum venialium non posse fieri sine gratia actuali, seu auxilio supernaturali divinæ gratiæ. Est contra Scotum, Gabrielem, Majorem, & alios, existimantes ad remissionem venialium sufficere actum virtutis naturalis, subindeque ad illam auxilium supernaturale divinæ gratiæ non requiri. Est tamen D. Thomæ hîc art. 2. ad 3. ubi ait, *quod ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quem removeatur inordinata adhæsio ad rem temporalem.* Et art. 4. ad 2. dicit *quod licèt ad remissionem peccati venialis non requiratur nova infusio habitualis gratiæ, requiritur tamen aliquis gratiæ actus.* 30.

Ratio etiam id suadet : Peccatum enim veniale est quoddam malum pertinens ad ordinem gratiæ, cùm retardet affectum ne promptè tendat ad Deum ut finem supernaturalem, & causet aliquam deordinationem circa media ad talem finem : Sed malum pertinens ad ordinem gratiæ, non potest tolli nisi per gratiam, seu ex auxiliis divinæ gratiæ, unumquodque enim tollitur à suo contrario : Ergo peccatum veniale non potest remitti sine auxilio supernaturali divinæ gratiæ. 31.

Universidad de Deusto
Biblioteca

32. Confirmatur : Veniale retardat ab ingressu gloriæ : Ergo ejus remissio non fit sine gratia ; quidquid enim conducit ad gloriam, nobis conceditur per Christum ; nam ipse est causa totius nostræ prædestinationis, quæ dicit certam seriem mediorum, quæ sunt in ordine gratiæ.

33. Dico secundò, semper ad remissionem venialium requiritur gratia habitualis antecedenter. Est etiam D. Thomæ hîc art. 4. ubi docet ei qui est in peccato mortali, nullum remitti veniale, quia ille caret gratiâ habituali, quæ ad cujuscumque culpæ remissionem prærequiritur. Ratio est, quia offensa non tollitur, nisi per satisfactionem factam personæ læsæ : Sed non potest esse satisfactio hominis ad Deum læsum per peccatum mortale aut veniale, sine gratia habituali : Ergo sine illa nulla offensa sive mortalis sive venialis tolli seu remitti potest. Major patet, Minor probatur. Omnis satisfactio hominis ad Deum debet esse amicabilis, & fundata in gratia ; cùm enim sit infinita distantia hominis ad Deum, nulla potest esse satisfactio hominis ad Deum, nisi ex acceptatione divina ; nullum autem opus peccatoris carentis gratiâ sanctificante, est acceptum Deo, cùm sit opus inimici : Ergo omnis satisfactio hominis ad Deum, debet supponere gratiam, & in ea fundari.

34. Confirmatur : Peccatum veniale diminuit fervorem charitatis, unde sine charitatis fervore non remittitur : Sed charitatis fervor supponit in subjecto gratiam & charitatem : Ergo ad remissionem venialium gratia habitualis in subjecto antecedenter requiritur.

35. Dico tertiò, gratia habitualis non requiritur formaliter ad remissionem venialium. Ita D. Thomas hîc art. 2. ad 3. ubi sic discurrit : *Sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter : uno modo per privationem ejus quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris, aut debitæ proportionis membrorum : alio modo per inductionem alicujus impedientis decorem, puta luti aut pulveris : Ita etiam animæ inducitur macula, uno modo per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale ; alio modo per inclinationem effectûs inordinatam ad aliquid temporale. Et hoc fit per peccatum veniale. Et ideò ad tollendam maculam peccati mortalis : requiritur infusio gratiæ ; sed ad tollendam maculam venialis peccati, requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam removetur inordinata adhæsio ad rem temporalem.* Quibus verbis Sanctus Doctor conclusionem nostram & docuit & probavit : id enim requiritur formaliter ad remissionem venialis, quod requiritur ut forma tollens maculam ex eo provenientem : Sed gratia habitualis non est forma tollens maculam peccati venialis, cùm ea non consistat in privatione gratiæ habitualis, sicut macula peccati mortalis, sed vel in conversione aliqua inordinata ad bonum commutabile, retardante affectum voluntatis ne promptè in Deum feratur ; vel in privatione fervoris charitatis, seu illius habilitatis quam habet charitas ut promptè feratur in Deum, sicut art. præced. §. 2. in solutione tertiæ objectionis declaravimus, Ergo gratia habitualis non requiritur formaliter ad remissionem peccati venialis.

36. Dico quartò, remissio venialium non semper habet adjunctam gratiæ habitualis infusionem, quæ subinde ad remissionem venialium non requiritur concomitanter, sed solùm antecedenter. Hanc etiam conclusionem docet & probat Divus Thomas hîc art. 2. in corp. his verbis : *Peccatum veniale non contrariatur habituali gratiæ vel charitati, sed retardat actum ejus ; inquantum nimis inhæret homo bono creato, licèt non contra Deum ; & ideò ad hoc quod peccatum veniale tollatur, non requiritur quod infundatur aliqua habitualis gratia, sed sufficit aliquis motus gratiæ vel charitatis ad ejus remissionem.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

37. Objicies primò contra primam conclusionem : Omne contrarium tollitur per suum contrarium : Sed veniale est actus naturalis contra aliquam virtutem naturalem, v. g. mendacium contra veracitatem, excessus in cibo aut potu contra temperantiam : Ergo remitti potest per contrarium actum naturalem, subindeque ad ejus remissionem non requiritur auxilium divinæ gratiæ.

38. Confirmatur primò : Peccatum veniale non tollit ordinem ad ultimum finem, sed solùm nimis inhæret creaturæ, salvo tali ordine : Sed naturaliter & absque auxiliis gratiæ potest quis tollere hanc nimiam adhæsionem ad creaturam, per actum scilicet amoris Dei Creatoris super omnia (qui est actus merè naturalis, ac proinde possibilis naturaliter sine gratia) accedendo namque ad Deum, recedituri à creatura : Ergo naturaliter & absque auxilio divinæ gratiæ, potest quis obtinere remissionem venalium peccatorum.

39. Confirmatur secundò : In pura natura fuissent venialia : Sed in eo statu potuissent remitti per actum naturalem oppositum peccato : Ergo etiam in hoc statu.

40. Ad objectionem respondeo, veniale in statu elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, non solùm esse contra aliquam virtutem naturalem, sed etiam opponi alicui perfectioni supernaturali, nimirum fervori charitatis, & familiaritati ejus cum Deo, subindeque tolli non posse nisi per aliquem charitatis fervorem ; aut actum aliquem supernaturalem aliquo modo convertentem hominem ad hanc familiaritatem, veniali amissam.

41. Ad primam confirmationem dicendum quod licèt peccatum veniale non tollat ordinem ad ultimum finem, dicit tamen deordinationem circa media ad talem finem : suppositâ autem elevatione creaturæ intellectualis ad ordinem gratiæ, sicut ultimus finis est supernaturalis, ita & media ad illum conducentia, supernaturalia sunt, & consequenter deordinatio circa talia media per peccatum veniale, reductivè supernaturalis est ; unde non potest tolli nisi per actum supernaturalem ipsi contrarium, qui proinde ex auxilio aliquo supernaturali procedere debet. Deinde, quamvis daretur, quod hujusmodi deordinatio seu nimia adhæsio ad creaturam, posset tolli per actum naturalem amoris Dei Creatoris super omnia, argumentum non urgeret ; quia talis actus, in statu naturæ lapsæ, elici nequit sine auxilio divinæ gratiæ, ut in Tractatu de gratia ostensum est. *Disp. 1. art. 4.*

42. Ad secundam confirmationem concedo in pura natura futura fuisse venialia, sed diversæ rationis à nostris, eò quòd tunc non fuissent opposita fervori charitatis, & familiaritati cum Deo, sicut ea quæ committuntur in statu elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem ; ideóque remitti potuissent per actum naturalem, cum aliquo tamen auxilio naturali indebito naturæ.

Objicies

43. Objicies secundò contra secundam conclusionem : Remissio venialium quæ fit simul cum remissione mortalium, non supponit gratiam habitualem, quia hæc non supponitur ad remissionem mortalium : Ergo ad remissionem venialium non semper gratia habitualis antecedenter requiritur.

44. Respondeo, remissionem venialium quæ fit simul cum remissione mortalium, non supponere quidem gratiam habitualem, ordine durationis, eam tamen supponere ordine naturæ ; priùs enim naturâ remittuntur mortalia, per restitutionem gratiæ habitualis, quàm venialia per restitutionem specialium auxiliorum, cùm priùs restituamur in amicitiam Dei, quàm in ejus familiaritatem.

45. Objicies tertiò : Peccatum veniale remittitur in inferno : Sed in inferno non est gratia habitualis : Ergo illa ad remissionem venialium non semper requiritur. Minor patet, Major probatur, quia aliàs peccatum veniale puniretur pœnâ æternâ, quod videtur nimis rigidum.

46. Respondeo negando Majorem, & ad ejus probationem, distinguo Antecedens : peccatum veniale puniretur pœnâ æternâ, per se, quasi illa esset debita veniali secundùm se, nego. Per accidens, ex eo quod subjectum non est gratum Deo, nec proinde capax illi satisfaciendi pro peccato sive mortali sive veniali, concedo.

47. Dices, Deus non punit ultra condignum, etiam per accidens : Sed si puniret veniale in inferno pœnâ æternâ, illud puniret ultra condignum, cùm peccato veniali non debeatur pœna æterna : Ergo veniale, etiam per accidens, non punitur à Deo pœnâ æternâ.

48. Respondeo negando sequelam Minoris, & ad probationem ei subjunctam, dico quod licèt peccato veniali ex propria ratione formali, seu ex malitia sibi propria, non debeatur pœna æterna ; ex conditione tamen subjecti, non habentis gratiam ad remissionem culpæ venialis necessariam, per accidens pœna æterna illi debetur. De quo plura diximus in Tractatu de peccatis disp. 8. art. 7. ad quem locum Lectorem remittimus.

49. Objicies quartò contra tertiam conclusionem : Gratia habitualis est forma incompossibilis cum peccato veniali : Ergo requiritur formaliter ad venialium remissionem. Consequentia patet ex suprà dictis, Antecedens probatur. Gratia habitualis est participatio naturæ divinæ : Ergo ex sua natura pugnat cum quocumque peccato, sive mortali, sive veniali, sicut ipsa natura divina, cujus est participatio.

Confirmatur : Gratia habitualis in patria expellit formaliter omne veniale : Ergo id etiam præstat in via, cùm sit eadem in utroque statu.

Ad objectionem respondeo, negando Antecedens, ad cujus probationem, concesso Antecedente, nego Consequentiam : nam licèt gratia habitualis sit participatio naturæ divinæ, est tamen participatio accidentalis, diminuta, & imperfecta, infinitè distans à sanctitate increata divinæ naturæ, cum qua pugnat peccatum veniale.

50. Ad confirmationem, nego Antecedens, non enim gratia habitualis, sed visio Dei, & amor beatificus, expellunt peccatum veniale in patria ; visio quidem radicaliter, amor verò beatificus formaliter.

51. Objicies ultimò contra ultimam conclusionem : Actus charitatis & contritionis, quibus peccatum veniale remittitur, merentur augmentum gratiæ habitualis : Ergo remissio venialium, illius infusionem semper habet adjunctam.

52. Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam ; licèt enim actus charitatis & contritionis quibus peccatum veniale remittitur, mereantur augmentum gratiæ habitualis, non tamen semper fit infusio gratiæ, quando peccatum veniale per illos actus remittitur ; quia augmentum gratiæ & charitatis non statim confertur, nisi quando ponuntur actus habitu intensiores ; quando verò ponuntur actus minùs intensi, quibus remittitur peccatum veniale, tunc gratia non augetur in esse habitûs, sed solùm in esse gratiæ ; quia nimirum tunc subjectum acceptatur ad majorem gratiam, quando producetur actus intensior, vel in fine vitæ, conferendam, ut fusè explicuimus in Tractatu de virtutibus Theologicis. *Disput. ultima art. 8.*

53. Adverte autem, quod licèt in remissione peccatorum venialium, non fiat semper infusio gratiæ, nunquam tamen gratia infunditur, nisi fiat remissio aliquorum venialium, ut docet D. Thomas hîc art. 2. in corp. his verbis : *Ad hoc quod peccatum veniale tollatur, non requiritur quod infundatur aliqua habitualis gratia, sed sufficit aliquis motus gratiæ & charitatis ad ejus remissionem. Quia tamen in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiæ, sine actuali motu liberi arbitrii in Deum & in peccatum ; ideò quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur.* Quod intelligi debet per se, & quantùm est ex parte causæ remittentis ; interdum enim per accidens, ob impedimentum se tenens ex parte subjecti, contingere potest, quod gratia alicui infundatur, & tamen ei non remittantur peccata venialia ; ut cùm aliquis mente distractus, aut cum affectu ad peccatum veniale, accedit ad aliquod sacramentum ; tunc enim ipsi quidem infunditur gratia habitualis, vel ejus augmentum ; sed non remittuntur peccata venialia, quia tali remissioni ponit impedimentum : sicut licèt verum sit dicere, quod in omnibus sacramentis detur gratia, tamen ex aliquo impedimento, & per accidens, potest contingere, quod non detur, ut constat in sacramento pœnitentiæ informi.

ARTICULUS III.

An, & quomodo peccata venialia remittantur per sacramenta, & sacramentalia?

§. I.

Quibusdam præmissis, triplici conclusione, utraque difficultas resolvitur.

54. CErtum est, sacramentum pœnitentiæ habere vim remittendi peccata venialia, ex opere operato : Tum quia non solùm peccata mortalia, sed etiam venialia, sunt hujus sacramenti materia, ut dicemus infrà, cùm agemus de confessione : Tum etiam, quia rationi consentaneum non est, existimare sacramentum pœnitentiæ posse quidem delere peccata mortalia post baptismum commissa, sed non venialia, quæ sunt minoris momenti, & faciliùs remitti possunt. Unde solùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

lùm difficultas eſt, an virtus hæc remittendi peccata venialia, competat etiam aliis ſacramentis, & quibuſdam rebus & actionibus ſacris, quæ à Theologis *ſacramentalia* appellantur, & præcipuè ſunt ſex, hoc verſu expreſſa.

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Orans, id eſt oratio Dominica, in qua petimus culpas quotidianas, ſeu veniales, quas quotidie committimus, nobis dimitti. Vel oratio in Eccleſia conſecrata: 3. Regum 4. *Qui oraverit in loco iſto, dimitte Domine peccata populi. Tinctus*, ſupple aquâ benedictâ, cujus meminit Clemens lib. 7. Conſtitutionum Apoſtolicarum, cap. 47. & Alexander I. relatus in cap. *Aquam ſale*, de conſecrat. diſt. 3. ejuſque decem eximios effectus recenſet Henriques lib. 4. de ſacramentis cap. 15. *Edens*, id eſt panis benedictus, qui in B locum Euchariſtiæ dabatur Catechumenis, vel etiam fidelibus non communicantibus. *Confeſſus*, id eſt confeſſio generalis, quæ fit in Prima, Completorio, & in principio Miſſæ, ad quam refertur tunſio pectoris, quæ internum animi dolorem declarat; & de qua dicit Auguſtinus lib. de pœnit. cap. 2. *Pro levibus peccatis pectora noſtra tundimus, & dicimus, dimitte nobis debita noſtra.* Additur *Dans*, ſupple Elemoſynam, quæ peculiarem vim habet ad obtinendam à Deo miſericordiam & remiſſionem peccatorum. *Benedicens*, id eſt, Epiſcopi vel Abbatis conſecrati benedictio. Quibus aliqui addunt unctionem ſacram, quâ Sacerdotes, & Reges unguntur. His præmiſſis, pro reſolutione difficultatis C propoſitæ.

Dico primò, omnia ſacramenta novæ legis habent vim remittendi peccata venialia ex opere operato, id tamen ſpecialiter aliquibus ſacramentis competit, nimirum Baptiſmo, Confirmationi, Euchariſtiæ, & Extremæ-Unctioni.

55. Prima pars eſt D. Thomæ hìc art. 3. in corp. ubi ſic ait: *Per omnia ſacramenta novæ legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur:* utique ex opere operato, quia cùm cauſent gratiam ex opere operato, & ad infuſionem gratiæ ſequatur (ut ibidem ait S. Doctor) remiſſio venialium, hanc etiam ex opere operato cauſant.

Ratio etiam id ſuadet: nam omnia ſacramenta novæ legis habent virtutem remittendi ex opere operato peccata omnia mortalia, quædam ex vi primariæ inſtitutionis Chriſti inſtituentis, & hæc dicuntur *ſacramenta mortuorum*; alia verò ex vi ſecundariæ inſtitutionis ejuſdem Chriſti, & hæc appellantur *ſacramenta vivorum*, ut in Tractatu de ſacramentis in communi diſp. 3. fusè oſtendimus: Ergo cùm peccata venialia faciliùs remittantur; ſacramenta novæ legis remittunt peccata venialia ex opere operato, eaque maximè, quæ ſpeciali cujuſque fini magis opponuntur, ut matrimonium, ea quæ repugnant E ſpecialiter caſtitati & ſtatui conjugali: Ordo, quæ religioni & ſtatui clericali: Confirmatio, quæ fidei: Euchariſtia, quæ charitati & unioni cum Deo & cum proximo.

Confirmatur: Omnia ſacramenta, ut inſtrumenta paſſionis Chriſti ſunt inſtituta ad ſanctificandas animas, eaſque perfectè diſponendas ad gloriæ conſecutionem: Ergo & ad tollenda omnia impedimenta, quæ aliquo modo poſſunt à gloriæ conſecutione impedire: Cùm igitur venialia retardent nos à conſecutione gloriæ, debent per ſacramenta ritè ſuſcepta remitti.

A Secunda pars concluſionis probatur diſcurrendo ſigillatim per hujuſmodi ſacramenta. In primis de Baptiſmo id manifeſtum eſt, cùm enim ſit quædam ſpiritualis regeneratio, gratia quæ in eo datur eſt regenerativa, ſubindeque omnino tranſmutat hominem, & delet omnem maculam vitæ præteritæ, quæcumque illa ſit, ut definit Tridentinum ſeſſ. 5. can. 5. ubi ait Baptiſmum tollere in eo quem regenerat, quidquid veram habet & propriam peccati rationem. Et Florentinum in decreto unionis dicit, effectum hujus ſacramenti eſſe remiſſionem omnis culpæ, tam actualis, quàm originalis: ſub culpa autem actuali, continetur peccatum veniale. Idem patet de Confirmatione, cùm enim proprius ejus effectus ſit robur animæ, & incrementum vitæ B ſpiritualis, debet ex opere operato remittere peccata venialia, quæ perfectioni & incremento vitæ ſpiritualis opponuntur. De Euchariſtia verò probatur: Tum quia eſt inſtituta per modum cibi & nutrimenti ſpiritualis, unde propriâ virtute reſtaurat quod deperditur per calorem concupiſcentiæ, ex qua ſunt peccata venialia. Tum etiam, quia proprius hujus ſacramenti effectus eſt excitare fervorem charitatis, quo peccata venialia remittuntur. Unde Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. affirmat illud eſſe antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, id eſt à venialibus, & à mortalibus præſervemur. Demum de Extrema-Unctione facilè ſuadetur, tum ex forma ipſius, in qua ſic dicitur, *Dimittat tibi Deus quid-* C *quid peccaſti per viſum* &c. quæ verba præcipuè de peccatis venialibus intelligenda eſſe, ſuo loco dicemus. Tum etiam, quia cùm hoc ſacramentum inſtitutum ſit ad perfectè diſponendum hominem ad gloriæ ingreſſum & conſecutionem, debet, ex vi ſua & inſtitutione, tollere peccata venialia, quæ ab introitu ad gloriam, & ab ejus conſecutione retardant.

Dico ſecundò, non ſolùm ſacramenta, ſed etiam nonnulla ſacramentalia, remittere peccata venialia ex opere operato. Ita communiter docent Thomiſtæ, contra Recentiores.

Probatur primò: Nonnulla ſacramentalia di- 57. cuntur ex benedictione Eccleſiæ ſanctificare & D mundare nos, non quidem à peccatis mortalibus (ſic enim deberent gratiam infundere) ſed à venialibus, quia non datur alia ſanctificatio atque mundatio, niſi à peccatis mortalibus, vel venialibus; non datur enim in lege Evangelica ſanctificatio ſeu purificatio à legalibus immunditiis, cùm legalia illa jam ceſſaverint: Sed hæc meliùs & convenientiùs explicantur, ſi dicatur illa ſacramentalia remittere peccata venialia ex opere operato: Ergo ita ſentiendum eſt. Major eſt expreſſa in jure in cap. *Aquam ſale*, de conſecrat. diſt. 3. ubi Alexander I. qui fuit quintus poſt D. Petrum Pontifex ſic ait: *Aquam ſale conſperſam in populis benedicimus, ut eâ cuncti aſperſi ſanctificentur, quod omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Si enim cinis vitulæ aſperſus ſanctificabat atque mundabat, multò magis aqua ſale conſperſa, divinisque precibus ſacrata, populum ſanctificat atque mundat. Et ſi ſale aſperſo per Eliſeum Prophetam, ſterilitas aquæ ſanata eſt, quantò magis divinis precibus ſacratus ſal, ſterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos ſanctificat & purgat, &c. hoc eſt multiplicat, & inſidias diaboli avertit, & à phantaſmatis verſutiis homines defendit.* Minor verò ſuadetur: Ideò Theologi colligunt ex doctrina Patrum, ſacramenta novæ

novæ legis cauſare gratiam ex opere operato, A quia dicunt Patres abſolutè & ſimpliciter, quòd ſanctificant & purificant animas: Ergo ſimiliter quando Patres dicunt ſacramentalia nos ſanctificare & mundare à peccatis venialibus, id meliùs & convenientiùs intelligitur & explicatur de remiſſione venialium ex opere operato, quàm ſolùm ex opere operantis.

Probatur ſecundò: Sacramenta legis novæ per hoc differunt à ſacramentis legis antiquæ, quòd iſta ſolùm ex opere operantis, illa verò etiam ex opere operato remittant peccata mortalia: Ergo ſimiliter differentia inter ſacramentalia legis Moſaicæ, & ſacramentalia legis Chriſti, in eo conſiſtit quòd iſta ex opere operatò, illa verò ex opere ſolùm operantis eſſent remiſſiva venia- B lium.

Addo, hoc maximè pertinere ad Chriſti magnificentiam, quòd poteſtatem Eccleſiæ ſuæ tradiderit inſtituendi ſigna aliqua ſenſibilia & cæremonias, in quarum uſu ex opere operato remitterentur hominibus peccata venialia; idque affectum & devotionem magis erga cæremonias illas Eccleſiæ excitare.

58. Dixi autem, Nonnulla ſacramentalia remittere peccata veniale ex opere operato, quia inter ſacramentalia quædam ſunt quæ remittunt peccata venialia, ſolum ex opere operantis, quatenus ipſa in ſe aliquem bonum motum includunt, vel fervorem charitatis extrinſecè ſaltem & objectivè excitant, ut docet S. Thomas quæſt. 7. de C de malo art. 12. his verbis: *Voluntas, ad quam pertinet fervor ſeu actus charitatis, tripliciter ad aliquid inclinatur; aliquando quidem ex ſola ratione alicujus demonſtrante; aliquando ex ratione ſimul & aliquo interiori inſtinctu; aliquando autem ex inclinatione habitûs inhærentis; & illa cauſant charitatis fervorem, atque adeò remiſſionem peccati venialis, ſecundum tria prædicta, ut ſacramenta novæ legis, quia ea ratio conſiderat ut ſalutares medicinas, & divina virtus in eis ſecretius operatur ſalutem, & per ea confertur habitualis gratiæ donum. Quædam verò ſunt, quæ cauſant remiſſionem venialis peccati ſecundum duo prædicta; non enim cauſant gratiam, ſed excitant rationem ad aliquid conſiderandum, quod excitet charitatis* D *fervorem; & etiam piè creditur quod virtus divina interiùs operatur, excitando dilectionis fervorem; & hoc modo aqua benedicta, benedictio Pontificalis, & hujuſmodi ſacramentalia cauſant remiſſionem peccati venialis. Quædam verò ſunt, quæ cauſant remiſſionem venialis, ſolùm excitando charitatis fervorem, per modum conſiderationis, ſicut oratio Dominica, tunſio pectoris, & alia hujuſmodi.*

59. Itaque in his ſacramentalibus diſtinguimus ea quæ ſpecialem conſecrationem & benedictionem Eccleſiæ habent ad ſanctificationem noſtram, ut aqua benedicta, benedictio Epiſcopalis, & ſimilia; & alia quæ talem conſecrationem non ha- E bent, ſed ipſa de ſe motum aliquem bonum, & fervorem charitatis includunt, ut oratio Dominica, quæ petit remiſſionem peccatorum, pia & devota tunſio pectoris, confeſſio generalis, &c. De prioribus docet S. Thomas, quod non ſolùm remittunt venialia, excitando rationem ad conſiderandum aliquid quod excitet charitatis fervorem, in quo maximè conſiſtit id quod fit ex opere operantis; ſed etiam, quia piè creditur virtutem divinam interiùs id operari; quod utique ad virtutem ex opere operato pertinet: eiſdem

A enim verbis idem S. Doctor in hac parte quæſt. 62. art. 1. explicat modum quo ſacramenta novæ legis cauſant gratiam, & remittunt peccata ex opere operato, ſcilicet quia virtus divina in eis ſecretiùs operatur.

Dico tertiò, nec ſacramenta, nec ſacramentalia, remittere peccata venialia ex opere operato immediatè, ſed mediatè tantùm, quatenus ſcilicet ex meritis Chriſti, vel ex orationibus Eccleſiæ, à Deo obtinent dignè ea recipientibus, auxilia quædam ſupernaturalia ad eliciendos actus ſupernaturales, quibus formaliter aut virtualiter peccata venialia diſpliceant, & retractentur.

Probatur primò ex D. Thoma hic art. 5. in 60. corp. ubi ſacramentalia dicit valere ad remiſſionem venialium, *inquantum ſunt cum motu deteſtationis peccatorum, vel cum motu reverentiæ in Deum, aut res divinas*, ſupple, qui ſit virtualis diſplicentia de peccato. Et in reſp. ad 1. ait, *ea cauſare remiſſionem peccatorum venialium, inquantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ, qui eſt deteſtatio peccatorum, vel implicitè, vel explicitè.* Item in reſp. ad 3. aſſerit: *per illa tolli peccata venialia quantùm ad culpam, virtute charitatis, cujus motus per ea excitatur.* Demum de ſacramentis docet in 4. ſent. diſt. 16. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 3. omnia ſacramenta remittere venialia, quia nata ſunt excitare fervorem charitatis, quo venialia remittuntur. Specialiter id C affirmat de Euchariſtia in hac parte quæſt. 79. art. 4. Ergo cenſet ſacramenta & ſacramentalia non remittere peccata venialia immediatè, ſed mediatè tantùm, quatenus ſcilicet ex meritis Chriſti, in actuali & devota eorum ſuſceptione conferuntur à Deo auxilia ſupernaturalia, ad eliciendos actus ſupernaturales, quibus formaliter aut virtualiter peccata venialia diſpliceant & retractentur.

Ratio etiam id ſuadet, cùm enim venialia op- 61. ponantur fervori charitatis, & ejus privationem cauſent, nullaque privatio poſſit tolli, niſi per poſitionem formæ oppoſitæ; ſacramenta, vel ſacramentalia, non poſſunt aliter remittere peccata venialia, quàm obtinendo ex meritis Chriſti, D vel ex orationibus Eccleſiæ, auxilia ſupernaturalia, quibus homo applicetur à Deo ad eliciendos actus ferventes charitatis vel pœnitentiæ, per quos talia peccata formaliter aut virtualiter retractentur. Ex quo patet differentia inter peccata mortalia & venialia, & ratio cur per ſacramenta, peccata mortalia remittantur ex opere operato immediatè, non autem venialia; quia nimirum ſacramenta cauſant immediatè gratiam habitualem, cui macula mortalis privativè opponitur, non autem actualem charitatis fervorem, cui opponitur peccatum veniale.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam concluſio- 62. nem: Qui confitetur aliquod peccatum veniale, & alia ex intentione tacet etiamſi nullam complacentiam habeat ad ea, remiſſionem ipſorum non aſſequitur; aliàs enim impertinens eſſet illa confiteri, quandoquidem per hoc præcisè quod peccator unum ex eis confiteretur, remiſſionem aliorum etiam obtineret: Ergo per alia ſacramenta, nulla peccata venialia ex opere operato remittuntur; cùm enim in aliis ſacra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentis nulla fiat confessio peccatorum venialium, ita se habent respectu eorum omnium, sicut sacramentum pœnitentiæ se habet ad illa quæ pœnitens non confitetur.

63. Respondet Nugno, negando suppositum Antecedentis, nimirum quòd ille qui confitetur aliquod peccatum veniale, & alia ex intentione reticet, non retineat eo ipso affectum ad illa; cùm enim proprius modus hujus sacramenti sit remittere peccata, mediâ confessione, non velle illa confiteri, est (inquit) habere virtualem quandam complacentiam in illis. Hæc solutio probabilitate non caret.

64. Respondeo tamen secundò, dato Antecedente, negando Consequentiam & paritatem; Confessio enim peccatorum, sive mortalium, sive venialium, est pars sacramenti pœnitentiæ, non verò aliorum sacramentorum: unde licèt in sacramento pœnitentiæ non remittantur peccata venialia, quæ voluntariè & ex intentione reticentur; in aliis tamen sacramentis obtinetur eorum remissio, licèt nulla fiat in receptione talium sacramentorum mentio de illis peccatis.

65. Objicies secundò: Si quid suaderet, quod sacramenta remittunt peccata venialia ex opere operato, maximè quia causant infusionem gratiæ ex opere operato, quæ est ratio D. Thomæ hic art. 3. Sed hæc ratio nulla est, quia peccata venialia non sunt incompossibilia cum gratia, cùm reperiantur in sanctis & justis; unde sicut non excluduntur gratiam dum committuntur, sic nec excluduntur à gratia, dum infunditur: Ergo sacramenta non remittunt peccata venialia ex opere operato.

66. Confirmatur: Ut sacramenta remitterent venialia ex opere operato, necesse esset quod causarent aliquid incompossibile cum hujusmodi peccatis: Sed nequit assignari quidnam sit illud incompossibile; non enim est intensio gratiæ & charitatis, quandoquidem cum gratia & charitate quantumcumque intensa, est compossibile peccatum veniale, & affectus ad ipsum; neque aliud videtur assignabile: Ergo sacramenta remittere nequeunt peccata venialia ex opere operato.

67. Ad objectionem respondeo concessa Majori, negando Minorem, nam ratio D. Thomæ est optima, benè intellecta. Verum quidem est, quòd peccata venialia non opponuntur perfectè gratiæ habituali vel charitati, opponuntur tamen ejus fervori, qui excitatur per infusionem gratiæ, in devota susceptione sacramentorum; & hoc sufficit ad hoc ut sacramenta remittant ex opere operato peccata venialia. Licèt ergo peccata venialia non excludant gratiam quam inveniunt in subjecto, excluduntur tamen à gratia quæ in devota susceptione sacramentorum infunditur, ratione fervoris charitatis, qui in illa excitari solet. Unde D. Thomas hìc art. 2. sic ait: *Quia in habentibus usum liberi arbitrij, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrij in Deum & in peccatum; ideò quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur.*

68. Ex his patet responsio ad confirmationem, dicendum enim est, illud incompossibile cum peccatis venialibus, quod sacramenta devotè suscepta causant instrumentaliter & ex opere operato, esse auxilium efficax ad actum ferventem pœnitentiæ vel charitatis, quo talia peccata formaliter aut virtualiter detestantur & retractantur, ut in tertia conclusione declaravimus.

69. Objicies tertiò: Si sacramenta cum attritione de venialibus susceptа, talia peccata ex opere operato remitterent, vel omnia, vel aliqua tantùm delerent? Non omnia, quia sacramentum matrimonij v. g. non habet contrarietatem cum omnibus. Neque aliqua duntaxat, quia fieri potest quod attritio cum qua aliquis ad sacramentum accedit, non sit potiùs de uno, quàm de alio, sed de omnibus: Ergo sacramenta cum attritione de venialibus susceptа, ea non remittunt ex opere operato.

70. Respondet Nugno, sacramenta cum attritione de venialibus susceptа, ea duntaxat remittere, quæ speciali cujusque fini opponuntur: v. g. sacramentum Eucharistiæ venialia tantùm, quæ charitati; matrimonium, quæ castitati conjugali contrariantur &c. Meliùs tamen respondetur, quod licèt sacramenta novæ legis ea præcipuè remittant ex opere operato peccata venialia, quæ speciali cujusque fini magis opponuntur, ut primâ conclusione declaravimus, nihilominus quodlibet sacramentum cum attritione de omnibus peccatis venialibus susceptum, remittit omnia venialia, inquantum scilicet excitat ex opere operato, atque adeò efficaciter, ad actum charitatis ita fervidum, ut repugnet cum eo omni quod potest ipsum retardare; atque adeò cum omni peccato veniali. Dixi autem, cum attritione de omnibus venialibus susceptum, quia si attritio sit tantùm de aliquibus, illa duntaxat remittit, non verò alia.

71. Objicies quartò contra secundam conclusionem: Si sacramenta remitterent venialia ex opere operato, Ecclesia habens potestatem instituendi sacramentalia, posset eo ipso instituere signa sensibilia, ex opere operato peccatorum venialium destructiva: Sed hoc admitti nequit; tum quia Ecclesia non potest virtutem rebus tribuere ad ejusmodi peccatorum remissionem; tum etiam, quia in re gravi (inquit Suarez) non est affirmandum nisi quod constat ex Scriptura, vel traditione, vel usu Ecclesiæ, vel saltem urgenti ratione: nihil autem horum reperitur in proposito, non quidem authoritas Scripturæ, siquidem ex ea solùm habemus illa verba Joan. 20. *Quorum remiseritis*, &c. Et ista Matth. 16. *Quæcumque solveritis super terram*, &c. priora autem sufficienter intelliguntur de potestate remittendi peccata per sacramentum pœnitentiæ; posteriora verò de potestate remittendi pœnas per indulgentias, nec non ligandi & solvendi per censuras Ecclesiasticas. Neque traditio vel usus Ecclesiæ (ex quo solùm colligitur Ecclesiam instituisse sacramentalia in remissionem venialium) suadent illam remissionem fieri ex opere operato, quandoquidem ex illis nihil de modo isto causalitatis indicatur. Neque urgens aliqua ratio aut necessitas; Christus enim instituit sacramenta, quæ ex opere operato remittunt venialia: Ergo sacramentalia non remittunt venialia: ex opere operato.

72. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, & ad primam illius probationem dico quod licèt Ecclesia non possit tribuere rebus virtutem ad causandam remissionem peccatorum, habet tamen potestatem designandi, determinandi, & consecrandi aliquas res, quibus sic determinatis & consecratis, Christus qui eas elevat, virtutem tribuat peccatorum venialium ex opere operato

operato remissivam. Idque probabiliter colligitur ex Scriptura & traditione: ex Scriptura quidem, quia Doctores nostræ sententiæ adhærentes explicant verba illa Christi. *Quorum remiseritis peccata* &c. etiam de remissione venialium, mediis sacramentalibus. Ex traditione verò, quia in decretis Pontificum dicitur simpliciter quod sacramentalia sanctificant & purificant, ut patet ex verbis Alexandri primi, in secunda conclusione relatis: verba autem *purificare & sanctificare*, applicata rebus corporeis in nova lege, absque restrictione vel modificatione, intelliguntur de purificatione & sanctificatione facta ab illis rebus ex opere operato. Per quod patet ad secundam probationem Minoris.

73. Objicies quintò: Sacramentalia non remittunt ex opere operato peccata venialia quoad pœnam: Ergo neque quoad culpam. Consequentia videtur manifesta, si enim non remittant quoad id quod minus est in peccato, scilicet pœna, à fortiori non remittent quoad id quod majus est, scilicet culpa.

74. Respondeo negando Antecedens, nam ut ait S. Thomas hic art. 3. ad 3. *Licèt per quodlibet prædictorum* (sacramentalium) *non semper tollatur totus reatus pœnæ; quia sic qui esset omnino immunis à peccato mortali, aspersus aquâ benedictâ, statim evolaret*, supple, in cœlum. *Tamen reatus pœnæ remittitur per prædicta, secundum modum fervoris in Deum, qui per prædicta excitatur, quandoque magis, quandoque autem minus.*

75. Objicies sextò: Cùm sacramentalia ex æquo se habeant ad omnia venialia, siquidem non magis unum quàm alterum, quantùm est de se respiciunt, si ex opere operato causarent eorum remissionem, omnia prorsus remitterent; & sic illi qui sunt absque peccato mortali, aspersi aquâ benedictâ, dicere possent, *Peccatum non habemus*, quod est contra id quod habetur 1. Joan. 1. imò si tunc moterentur, statim evolarent in cœlum: Sed hæc videntur absurda: Ergo &c.

76. Respondeo negando sequelam Majoris, nam ut ait D. Thomas quæst. 7. de Malo art. 12. ad 4. *Quamvis sacramentalia æqualiter se habeant ad omnia peccata venialia, tamen fervor ab eis excitatus, non æqualiter semper se habet ad omnia, sed quandoque respicit aliqua in speciali, & contra ea efficacius operatur. Et si in generali respiciat ea, potest contingere quod non habet eundem effectum in omnibus, eò quòd affectus hominis aliquando habitualiter est inclinatus ad aliqua peccata venialia committenda, ita scilicet quod si in memoria haberentur, non displicerent, vel forte si opportunitas adesset, committerentur. Et raro contingit homines in hac mortali vita viventes, ab hujusmodi affectibus liberos esse. Etsi etiam homo ad horam per hujusmodi remedia ab omnibus venialibus immunitatem consequatur quantum ad culpam, non tamen sequitur quod sit liberatus quantum ad totam pœnam, nisi forte sit tantus fervor dilectionis, quod sufficiat ad totius pœnæ remissionem.*

77. Addo quod, argumentum illud esset quidem efficax, si diceremus sacramentalia remittere ex opere operato aliqua venialia, absque attritione de illis, sed cùm hoc non dicamus, facilè respondetur, quod omnia venialia remittuntur, quando attritio est de omnibus; aliqua verò duntaxat, & non alia, quando atteritur justus de aliquibus, & non de aliis; nulla autem, defectu sufficientis dispositionis, quando suscipiens sacramentale aliquod, de nullis atteritur. Unde

78. Objicies ultimò contra tertiam conclusionem: Si sacramenta & sacramentalia, mediatè solùm peccata venialia remitterent, excitando scilicet fervorem charitatis, nulla esset differentia inter illa & sacras imagines, cùm illæ etiam excitent in nobis pios motus & affectus, nec non charitatis fervorem: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

79. Respondeo negando sequelam Majoris, & ad ejus probationem dico, aliter sacramenta, vel sacramentalia, & aliter imagines sactas excitare in nobis fervorem charitatis; imagines enim sacræ illum excitant solùm objectivè, sacramentalia verò, & sacramenta, impetrativè; quatenus ex meritis Christi, vel precibus Ecclesiæ, impetrant à Deo auxilia supernaturalia, quibus homo in actus ferventes charitatis prorumpit, ut conclusione 3. declaravimus.

ARTICULUS IV.

An, & quomodo, remittantur justis post hanc vitam peccata venialia?

80. HUgo Victorinus, & nonnulli alij apud S. Bonaventuram in 4. dist. 21. quæst. 2. existimarunt fieri non posse, quod aliquis decedat cum solis peccatis venialibus, subindeque quod venialia post hanc vitam quoad culpam remittantur. Vel enim (inquiebant) antequam moriatur justus, agit quod potest ad illorum expiationem, vel non? Si primum, ea peccata tolluntur, saltem quoad culpam, ante mortem. Si secundum, grave peccatum eo ipso committit; siquidem cùm videat peccatis venialibus suam beatitudinem retardari, & tamen ea impedimenta tollere negligat, suam salutem contemnit.

81. Verùm hæc sententia ab aliis Theologis communiter rejicitur. Primò, quia SS. Patres relati à S. Thoma quæst. 7. de malo art. 11. in argumento *sed contra*, docent peccata venialia post hanc vitam remitti quoad culpam: Gregorius enim 4. Dialog. cap. 39. expendens verba illa Christi Matth. 12. *Qui peccavit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro*, sic ait: *In hac sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari.* Augustinus etiam dicit quod *illo transitorio igne, non capitalia, sed minuta peccata purgantur*: quod debet intelligi de purgatione venialium, non solùm quoad pœnam, sed etiam quoad culpam; cum peccata capitalia seu mortalia, in hac vita quoad culpam remissa, possint quoad pœnam igne purgatorij expiari. Item Glossa in illud Matth. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, sic habet: *Spiritus in præsenti abluit, post, si qua macula surrexerit, igne purgatorio ad purum exurit.*

Secundò, Potest quis ignorare bonâ fide se habere venialia, aut existimare inculpabiliter se de illis sufficienter conteri, quamvis non ita sit: potest etiam prævenire phrenesi, aut morte repentinâ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tinâ, ita ut non habeat tempus cogitandi & dolendi sufficienter de venialibus : Ergo cùm venialia non excludant in perpetuum à regno cœlesti, in quod nihil coinquinatum intrare potest, dicendum est, illa post hanc vitam remitti, non solùm quoad pœnam, sed etiam quoad culpam.

Tertiò, gratis omnino dicitur, illum contemnere suam salutem, qui ante mortem negligit elicere actus pœnitentiæ, quibus peccata venialia priùs commissa remittantur : sicut enim venialia non sunt materia necessaria confessionis sacramentalis, ita nec virtutis pœnitentiæ, & consequenter nulla est necessitas præcepti ad pœnitendum de ipsis, nec proinde omissio retractationis eorum, verus contemptus salutis. Alioquin pari facilitate dici posset, eum contemnere salutem suam, & mortaliter peccare, qui non satisfacit pro pœna peccatorum in hac vita (cùm per hujus pœnæ obligationem & reatum, beatitudo retardetur) ac proinde non esse purgatorium; quod hæreticum est.

82. In hoc omnes ferè Theologi conveniunt, sed in explicando modo quo peccata venialia post hanc vitam remittuntur, inter se discrepant. Alensis enim 4. parte quæst. 57. membro 8. docet illam remissionem fieri, non per aliquem actum ipsius animæ separatæ, sed per solam finalem gratiam habitualem, quæ licèt tunc non sit summa secundùm intensionem, benè tamen secundùm statum, cùm sit in termino : ex vi enim termini (inquit) redditur potentior quàm antea, proindeque potest omnem culpam venialem ab anima excludere.

83. Sed hic modus dicendi probabilitate caret, & ex eo impugnatur, quòd gratia nondum consummata per visionem beatificam (qualis est ea cum qua homo decedit, in primo instanti separationis animæ) non sit incompossibilis aut pugnans cum peccato veniali; alias enim etiam in præsenti vita illud secum non admitteret; quandoquidem hoc quod est esse in primo instanti separationis animæ, sive esse gratiam finalem hujus vitæ, nihil ipsi extra statum beatitudinis addit, nisi conjunctionem cum morte, quod certè non est remedium contra peccatum veniale : non fit ergo illa remissio per habitum gratiæ, sed per aliquem ejus actum.

84. Non minùs à veritate aliena est sententia Scoti in 4. distinctione 21. quæstione 1. Majoris & Gabrielis ibidem, existimantium peccata venialia cum quibus moritur justus, remitti quoad culpam, vel duntaxat in purgatorio, per condignam pœnæ solutionem, vel in primo instanti separationis animæ, propter opera bona præterita, ex intentione quasi ad hoc reservata usque ad illud tempus. Non minùs, inquam, hæc opinio à veritate aberrat, nam prima pars hujus dicti falsum supponit, quòd nimirum ex peccato veniali actuali præterito, solùm remaneat deputatio hominis ad pœnam, & consequenter quod idem sit, peccatum veniale remitti quoad culpam, & quoad remissionem pœnæ, falsum, inquam, supponit ex peccato enim veniali actuali, præter deputationem ad pœnam remanet quædam habitualis macula & inordinatio in anima, quæ priùs tolli debet, quàm pœna illi debita remittatur, ut suprà art. 1. §. 2. in solutione 4. objectionis ostensum est.

85. Nec minùs falsa est secunda pars ejusdem dicti: vel enim opera illa meritoria præcedentia instans mortis, sufficiebant in præsenti vita ad remissionem venialium, vel non : si sufficiebant, ergo ante mortem illa remiserunt : si non sufficiebant, ergo neque etiam in instanti separationis animæ sufficiunt.

Addo quod fieri potest, ut quis paulò post 86.
suam justificationem per Sacramentum Baptismi, moriatur in peccato veniali, nullo adhuc opere meritorio facto : Ergo falsum est dicere generatim, venialia deleri post mortem per opera meritoria præcedentia. His ergo sententiis rejectis.

Dicendum est, remissionem venialium post hanc vitam fieri per actus contritionis, vel charitatis, quibus anima peccata illa detestatur & retractat. Ita S. Thomas quæst. 7. de malo art. 11. in corp. ubi sic ait : *Venialia remittuntur post hanc vitam quantùm ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis in Deum repugnantem venialibus in hac vita commissis.* Et in resp. ad 9. *Remittitur* (inquit) *in purgatorio peccatum veniale, quantum ad culpam, virtute gratiæ, non solùm secundùm quòd est in habitu, quia sic compatitur veniale peccatum, sed prout exit in actum charitatis detestantis veniale peccatum.*

Ratio etiam id suadet, non potest enim veniale 87.
remitti, etiam in alia vita, nisi per aliquam formam ipsi oppositam, & cum eo repugnantem, quæ alia esse nequit, quàm actus contritionis vel charitatis, quibus anima peccata illa detestatur & retractat, ut ex suprà dictis manifestum relinquitur : præterquam quod, generales assertiones Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, affirmantium peccata non remitti sine aliquo actu pœnitentiæ, temerè & sine sufficienti ratione restringendæ & limitandæ non sunt : nulla autem ratio urgens aut sufficiens ab adversariis adducitur, ut patebit solvendo objectiones ipsorum.

Objiciunt ergo primò : Cùm status alterius 88.
vitæ, non sit status viæ, sed termini, nullus actus hominis justi post hanc vitam potest esse meritorius vel satisfactorius, vel consequenter causare remissionem culpæ venialis.

Sed ad hoc dici potest primò, quod licèt post 89.
hanc vitam non possit esse meritum præmij essentialis, benè tamen alicujus præmij accidentalis, quandiu manet adhuc anima aliquo modo in via ad beatitudinem, sicut manet quandiu est in Purgatorio. Ita S. Thomas in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 3. ad 4. ubi hæc scribit: *Dicendum quod post hanc vitam non potest esse meritum respectu præmij essentialis, sed respectu alicujus accidentalis potest esse, quandiu manet homo in statu viæ aliquo modo, & ideò in purgatorio potest esse actus meritorius, quantùm ad remissionem culpæ venialis.*

Vel dici potest secundò cum eodem S. Doctore quæst. 6. de malo art. 11. ad finem corporis articuli, actum aliquem animæ justi à corpore separatæ, culpas veniales remittere, non sicut in præsenti vita per modum meriti vel satisfactionis, sed per modum condignæ retractationis & displicentiæ, removentis prohibens.

Objiciunt secundò, si actus contritionis & 90.
charitatis quos animæ à corpore separatæ eliciunt, valeant ad remissionem culpæ venialis, valebunt etiam pro remissione pœnæ : Sed hoc dici nequit, alioquin animæ illæ quàm citissimè liberarentur ab omni pœna, per actus frequentes & ferventes, quos vinculis & impedimentis corporis expeditæ, sensuque pœnarum, & desiderio beatitudinis excitatæ, promptissimè exercent : Ergo &c.

91. Respondeo negando sequelam Majoris : Ratio est, quia beneficium remissionis culpæ est illis necessarium; debent enim, ut fruantur aliquando beatitudine, ad quam jus habent per gratiam sanctificantem, purgari à culpa venialium; & non possunt ab ea purgari, nisi per remissionem, ad quam Deus prærequirit dispositionem aliquam, per detestationem sufficientem peccati : at beneficium remissionis pœnæ non est illis necessarium, cùm possint rigidè satis-pati, id est solvere totam pœnam debitam peccato veniali. Unde licèt per actus charitatis quos in instanti separationis, vel in purgatorio eliciunt, remissionem culpæ venialis consequantur, non tamen remissionem pœnæ illi debitæ, sed illam in purgatorio per condignam satisfactionem solvunt.

92. Quæres, quandonam animæ à corpore separatæ eliciant actum illum contritionis & charitatis, quo peccata venialia detestantur & retractant, eorumque remissionem consequuntur.

Respondent aliqui, talem actum elici ab anima separata, in ipso instanti separationis animæ, à corpore, quia anima, statim à corpore separata, agnoscit suas culpas ut impedimentum ad gloriam, & perfectam familiaritatem cum Deo, unde statim eas detestatur, & in ferventem charitatis vel contritionis actum prorumpit, antequam ingrediatur purgatorium, in quo tantùm purgantur pœnæ ex præteritis peccatis relictæ. Hæc responsio & sententia probabilitate non caret.

Probabilior tamen videtur alia opinio, quam approbare videtur S. Thomas quæst. 6. de malo art. 11. ad 16. ubi innuit animam è corpore separatam actum illum charitatis vel contritionis quo peccata venialia detestatur elicere in ingressu purgatorij, rationemque insinuat in illo argumento cui respondet, sic enim ibi discurrit: *Quando est aliquod magnum bonum quod differtur, & magnum malum quod imminet, excitatur intensum desiderium ad consequendum bonum, & evadendum malum : Sed anima separata quæ est purgatorio obnoxia, imminet magnum malum, scilicet acerba purgatorij pœna, & differtur à maximo bono, scilicet à vita æternâ: Ergo statim excitatur in ea fervens desiderium &c.*

DISPUTATIO V.

De perfectione remissionis peccatorum.

Ad quæstionem 88. D. Thomæ.

EXPLICTA naturâ & principali effectu pœnitentiæ, qui est remissio peccatorum mortalium & venialium, differit S. Thomas de perfectione hujus effectûs, ostenditque peccata semel per pœnitentiam remissa, per subsequens peccatum non redire. De quo breviter in hac disputatione agendum est. Unde sit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum peccata semel per pœnitentiam remissa, per subsequens peccatum redeant, vel redire possint?

§. I.

Quibusdam præmissis, triplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

NOtandum primò, peccata remissa duobus 1.
modis redire dici posse, primò quoad esse physicum, si nimirum idem numero peccatum jam omnino destructum reproduceretur; secundò quoad modum essendi moralem, si nempè propter peccatum subsequens Deus rescindat præcedentem condonationem, & peccata remissa rursus in memoria retineat in ordine ad odium peccatoris propter illa, & in ordine ad pœnam illis debitam.

Notandum secundò, dupliciter adhuc intelligi 2.
posse, peccata remissa redire quoad modum essendi moralem, nimirum simpliciter & secundùm quid. Ut redeant primo modo, requiritur quòd peccatum subsequens remissionem, virtualiter contineat totum reatum præcedentium delictorum; ut verò redeant secundo modo, sufficit quod peccatum subsequens fiat gravius intuitu præcedentis remissionis aliorum peccatorum.

Notandum tertiò, non hic solùm esse quæstio- 3.
nem de reditu peccati quoad culpam, sed etiam quoad pœnam; neque solùm procedere de lege & potentia Dei ordinaria, sed etiam de extraordinaria & absoluta. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ.

Dico primò, secundùm legem Dei ordinariam 4.
peccata semel per pœnitentiam remissa, non redeunt simpliciter & propriè, nec quoad esse physicum, nec quoad modum essendi moralem, neque secundùm reatum culpæ, neque secundùm reatum pœnæ, ita quod eorum macula reponatur in homine, aut quod propter illa à Deo puniatur. Est contra nonnullos ex antiquis Theologis, qui putarunt peccata dimissa redire quoad modum essendi moralem, (teste D. Thomâ hîc art. 1. in corp. & S. Bonaventurâ in 4. dist. 22. art. 1. quæst. 1.) quorum aliqui, ut Hugo Victorinus lib. 2. de sacram. parte 14. cap. 9. generatim redire asserebant per quodcumque peccatum sequens : alij verò, ut Præpositivus quidam à D. Bonaventura citatus, non per quodlibet generatim, sed tantùm, per hæc quatuor, odium fraternum, apostasiam à fide, contemptum confessionis, & retractationem pœnitentiæ priùs factæ : Unde illud distichum,

Fratres odit, apostata fit, sperniique fateri.
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

Prima pars quæ asserit non redire peccata se- 5.
cundùm esse physicum, manifesta est, peccata enim non possunt redire secundùm esse physicum, nisi redeat idem numero actus per quem commissa sunt : At talis actus redire nequit, saltem secundùm potentiam Dei ordinariam; quod enim semel defiit, nequit idem numero secundùm potentiam Dei ordinariam reproduci : Nec possunt actus vitales reproduci à Deo, sine influxu vitali voluntatis, quæ sine dubio experiretur in seipsa reproductionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

reproductionem illam, non minùs quàm experta sit primam productionem: Ergo secundùm legem Dei ordinariam, peccata semel per pœnitentiam remissa, quoad esse physicum redire nequeunt.

6. Quod verò etiam non redeant secundùm modum essendi moralem, sive quoad culpam, sive quoad pœnam, ostenditur primò ex Scriptura & SS. Patribus, dicitur enim Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor.* Et Nahum. 1. ubi Vulgata habet, *Non consurget duplex tribulatio*, Septuaginta vertunt: *Non vindicabit Dominus bis idipsum in tribulatione.* Si autem peccata secundùm modum essendi moralem redirent per sequens peccatum, Deus recordaretur eorum, & bis ea puniret: Ergo peccata per pœnitentiam remissa, sive quoad culpam, sive quoad pœnam, non redeunt. Unde Prosper in resp. ad 2. objectionem Gallorum: *Qui recedit à Christo; & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed tamen non in id quod remissum est recidit, neque in originali peccato damnabitur; qui tamen propter postrema crimina eâ morte afficitur.* Et Gelasius Papa in cap. *Finali.* de pœnit. dist. 4. *Divina* (inquit) *clementia, dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur.*

7. Ratio etiam suffragatur: Primò, quia remissio peccatorum, prout nunc fit, est talis ut peccata quoad esse morale aboleantur absolutè, id est sine ulla conditione, vel suspensione, vel dependentia à peccato futuro: Ergo peccatum sequens non potest esse causa ut redeant secundùm modum essendi moralem. Patet Consequentia, quia si peccatum sequens revocaret priora, id faceret propter decretum divinum, quia scilicet Deus constituit, ut qui post remissionem peccaret, reus fieret omnium peccatorum præteritorum. Antecedens verò probatur, tum ex Scriptura in qua absolutè pœnitenti promittitur remissio peccatorum; tum ex formis Sacramentorum, quæ etiam absolutam peccatorum remissionem significant.

8. Secundò, si quis peccavit peccato infidelitatis, & postea pœniteat, & iterum labatur in peccatum luxuriæ; vel per tale peccatum redit prior infidelitas, vel non? Si non redit, habetur intentum; si redit: ergo amittit fidem, per peccatum luxuriæ; quod est omnino absurdum, cùm ex vi talis peccati, nullo articulo fidei discredat. Ita egregiè discurrit Joannes à S. Thoma hìc disp. 39. art. 1.

9. Addit, quod si redirent peccata remissa, non possent iterum tolli, nisi per aliquod Sacramentum: Non aliud quàm pœnitentiæ: Ergo teneretur homo iterum confiteri peccata illa, quod est absurdum, & à Benedicto XII. Extravaganti *Inter cunctas* damnatum. Ibi enim definit, *absurdum esse, ut quis peccata per pœnitentiam dimissa, rursus debeat confiteri; & ut debitor liberatus, adhuc maneat ad solvendum obligatus.*

10. Confirmatur: Si peccata actualia per pœnitentiam remissa redire possent, etiam peccatum originale per baptismum sublatum posset redire: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris videtur manifesta, est enim eadem ratio quoad hoc de peccato originali, ac de actualibus. Minor verò suadetur, si enim rediret peccatum originale, deberet rursùm tolli per aliquod sacramentum: Non per pœnitentiam, quia illa non est instituta in remedium peccati originalis, sed solùm peccatorum actualium post Baptismum commissorum: Ergo per Baptismum; & sic Baptismus deberet iterari, quod est hæreticum.

11. Hæc argumenta probant, peccata semel per pœnitentiam remissa, non redire etiam quoad pœnam; cùm enim pœna non debeatur nisi propter culpam, si non redeat peccatum quoad culpam, non redibit etiam quoad reatum seu obligationem ad pœnam.

Dico secundò, Licèt peccata semel remissa non redeant simpliciter propter peccatum subsequens, redire tamen secundùm quid. Primò, quia frequenter, & vulgari loquendi modo, dicitur aliquid redire, quando ei succedit aliquid simile; sic enim dicimus redire febrim, redire pluviam, redire hyemem, & similia: At peccata mortalia quæ de novo committuntur, quantùm ad privationem gratiæ, & reatum pœnæ æternæ, similia sunt illis quæ fuerant per pœnitentiam remissa: Ergo peccata semel remissa, redeunt secundùm quid propter peccatum subsequens. In hunc sensum D. Thomas hìc art. 1. intelligit illud Jacobi 2. *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*; quia scilicet privatur omni gratiâ, & beatitudine, ac mercede operum, proinde ac si nullum mandatum servasset.

Secundò, peccata semel remissa, propter peccatum subsequens redeunt secundùm quid, quia peccatum subsequens fit gravius, ob circunstantiam ingratitudinis, in hoc consistentis, quòd homo post acceptum beneficium remissionis divinæ, peccat.

12. Est autem magna differentia inter hunc modum redeundi, & alium purum & simplicem quem præcedenti conclusione negavimus; nam in simplici reditu, plura essent peccata, præter illud sequens; in isto autem non est nisi peccatum illud quod de novo committitur, sed aggravatum ex peccatis prioribus, sive potiùs ex eorum remissione. Sicut autem quædam peccata sunt, quæ magis pugnant contra beneficium remissionis, ita majorem in se continent ingratitudinem, & magis aggravantem; hujusmodi sunt ea quatuor quæ recensèt D. Thomas hìc art. 2. scilicet odium fraternum, apostasia à fide, contemptus confessionis sacramentalis, & retractatio pœnitentiæ priùs factæ.

Dico tertiò, peccata semel remissa nequeunt, etiam de potentia Dei absoluta, redire quantùm ad esse physicum, benè tamen quantum ad modum essendi moralem.

13. Probatur prima pars: Licèt possit Deus de potentia absoluta, alia à peccato jam destructo reproducere, non tamen ipsum peccatum: Sed per pœnitentiam peccatum jam omnino destructum est: Ergo à Deo, etiam de potentia absoluta, reproduci nequit, nec per consequens redire quantùm ad esse physicum. Major probatur, quia aliàs Deus esset author peccati, esset enim causa proxima & principalis illius, ex eo quod causa secunda non posset esse nisi instrumentum ad reproductionem peccati, illa enim non habet virtutem innatam ad reproducendum rem semel destructam.

14. Secunda quoque pars suadetur, cùm enim Deus sit supremus & absolutus Dominus, posset de potentia extraordnina remittere alicui peccatum, sub ea conditione, ut si postea iterum peccaret, tantam culpam & reatum pœnæ contraheret

traheret, quantam contraxisset ex utroque peccato, si priùs non fuisset remissum, in quo casu culpa & reatus pœnæ rediret quoad esse morale: Ergo peccata semel remissa, de potentia Dei absoluta, redire possunt quantùm ad modum essendi moralem.

§. II.

Solvuntur objectiones.

15. CONtra primam conclusionem objiciuntur in primis quædam Scripturæ & SS. Patrum testimonia, quibus significari videtur quod peccata jam remissa redeant, dicitur enim Psal. 108. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini.* In quem locum Augustinus, *Si ergo Iudas teneret illud ad quod vocatus est, nullo modo ad eum vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret: sed quia non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem vetusti generis, rediit iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, ut in eo etiam ipse puniretur.* Scriptura etiam docet, Deum datâ occasione recordari peccatorum quæ jam remissa sunt, ea scilicet puniendo, ut patet ex verbis illis mulieris Sarephtanæ ad Eliam 3. Regum 17. *Quid mihi & tibi vir Dei? Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* Item Matth. 18. licèt Dominus servo nequam omne debitum dimisisset, tamen postea auditâ ejus crudelitate in conservum, illud revocavit dicens: *Non exeat inde donec reddat universum debitum:* Ergo per subsequens peccatum revixit debitum quod ei dimissum fuerat. Unde Augustinus de sermone Domini cap. 6. ait in persona Domini: *Si non dimiseris, revocabo te, & quidquid tibi dimiseram replicabo.* Similia dicunt Ambrosius, Gregorius, Beda, Rabanus, & alij.

16. Ad locum Psalmi 108. respondeo quod iniquitates parentum dicuntur redire in memoriam Dei pro filiis, non quantùm ad culpam, sed quantùm ad aliquam pœnam temporalem, quâ Deus solet castigare peccata parentum. De qua etiam intelligi debent verba viduæ ad Eliam, loquebatur enim de memoria iniquitatum quantùm ad punitionem aliquam temporalem, quâ Deus castigabat illam in morte filij; vel fortasse illa mulier habebat peccata non remissa, & loquebatur de illis.

17. Ad parabolam verò Matth. 18. dicendum est quod à servo illo exigitur totum debitum, propter peccatum sequens, quia debitum illud rediit secundùm quid, & per quandam æquivalentiam, propter immisericordiam & crudelitatem, quâ erga conservum usus est. Unde per parabolam illam Christus significare tantùm voluit, Deum gravissimè offendi ex eo quod nolimus remittere injurias nobis illatas, & peccatum illud immisericordiæ severissimè puniturum, juxta illud Jacobi 2. *Iudicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam:* id est judicium durissimum illi fiet. Quo documento plurimùm egebant Judæi, vindictæ cupidissimi.

18. Ad sanctos Patres respondeo eos loqui de reditu peccatorum, quoad circunstantiam ingratitudinis, modo in secunda conclusione explicato: vel de reditu peccatorum quoad culpam & pœnam æquivalentem; quia per subsequens peccatum contrahitur similis pœna æterna sensûs, & privatio ejusdem beatitudinis objectivæ; juxta quem sensum, ut suprà annotavimus, explicatur illud Jacobi 2. *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.*

19. Objicitur secundò: Bona opera per peccatum mortificata, redeunt per pœnitentiam: Ergo similiter peccata per gratiam occultata & tecta, redeunt per peccatum subsequens. Antecedens constabit ex dicendis disp. sequenti. Consequentia verò probatur, quia non videtur major ratio, cur per pœnitentiam redeant merita per peccatum mortificata, & non redeant per subsequens peccatum mortale peccata priùs remissa, cùm faciliùs mala reviviscant, quam bona. Unde Deus Ezechiel 18. eodem modo dicit se non recordaturum ampliùs bonorum operum quæ quis in peccatum cadens, anteà egerat; sicut dicit se non recordaturum peccatorum de quibus egit pœnitentiam.

20. Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem; quadruplex enim assignari potest ratio discriminis. Prima est, quia Deus pronior est ad benefaciendum & miserendum, quàm ad puniendum: & ipse est author meritorum, & non peccatorum: unde non mirum, si merita per peccatum mortificata, maneant in divina acceptatione, & sublato peccato, quod impedit eorum effectum, reviviscant: peccata verò remissa non maneant in indignatione divina; ut per sequens peccatum mortale redeant in se formaliter quoad culpam, vel pœnam æternam. Quamvis ex parte hominis ad malum proni faciliùs esset mala reviviscere, quàm bona.

Secunda est, quia promissiones debent amplè & favorabiliter intelligi, è contra verò comminationes, utpotè odiosæ, debent potiùs restringi, & intelligi quantùm fieri potest, cum moderatione favorabili: Atqui promissio est quòd Deus dicat se non ampliùs recordaturum omnium iniquitatum pœnitentis; comminatio verò, quòd dicat se non recordaturum bonorum operum justi in peccatum lapsi: Ergo debent rationabiliter diversimodè intelligi; illa quidem amplissimè, ista verò cum favorabili restrictione. Per quod patet ad locum Ezechielis.

Tertia est, quia peccata de facto Deus absolutè delet, ut suprà ostendimus, merita verò non nisi sub conditione; unde in Scriptura aliter loquitur de meritis & de peccatis, nusquam enim ait merita justi post lapsum exinaniri, aboleri, projici in profundum maris, & similia quæ dicit de peccatis per pœnitentiam remissis.

Quarta assignatur à D. Thoma in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 1. ad 6. ubi sic discurrit: *Remissio peccatorum est principaliter opus Dei, sed mortificatio meritorum præcedentium est opus hominis: Homo autem suâ actione non potest evacuare simpliciter opus Dei, quamvis possit impedire ne sibi prosit: Et ideò homo per peccatum sequens non potest remissionem præcedentium peccatorum annullare: potest autem suâ actione evacuare quod per ipsum factum est: Et ideò potest mortificationem præcedentium meritorum, per merita sequentia penitus annullare, præcipuè gratia adjutus.*

21. Objicitur tertiò: Si alicui per pœnitentiam remittatur culpa mortalis, & pœna æterna illi debita, relicto reatu pœnæ temporalis luendæ in purgatorio, illeque postea antequam pro pœna illa temporali satisfecerit, incidat in aliud peccatum mortale, & statim moriatur, non solùm torquebitur pœnâ æternâ, debitâ tali peccato, sed etiam debitâ priori remisso; quia pœna temporalis in quam fuit commutata, per subsequens

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatum sit æterna ; cùm enim in inferno nulla sit redemptio, aut pœnarum alleviatio, nulla in eo est pœna temporalis: Ergo in aliquo casu peccatum per pœnitentiam remissum, redit per subsequens peccatum, saltem quantùm ad pœnam æternam, quæ in temporalem commutata fuerat in justificatione peccatoris.

22. Respondet Franciscus Amicus hîc disp. 7. sectione 1. in fine, in casu posito pœnam illam temporalem freddi æternam per accidens, quia ille homo per peccatum sequens, cum morte conjunctum, constituit se incapacem satisfactionis temporalis pro aliqua pœna, & sic impossibile est illam pœnam finiri, non ex eo quod Deus imputet culpam jam remissam, sed ex illo statu in quem incidit ille homo per damnationem æternam. Hæc solutio probabilitate non caret; quia tamen hoc videtur valde durum, & contra justitiam, ut pro culpa jam remissa, sine novo reatu subeat quis pœnam æternam, cùm solùm debeat temporalem.

23. Melius respondetur cum S. Thoma in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. ad 5. ubi relatâ hac priori solutione, & rejectâ, subdit: *Et ideò alij dicunt quòd pœnâ cujus aliquis est debitor post culpam remissam, in inferno punietur temporaliter. Nec propter hoc sequitur quod in inferno sit redemptio, quia pœna quæ solvitur, non redimitur: Nec est inconveniens, quod quantum ad aliquid accidentale, pœna inferni minuatur, usque ad diem judicij, sicut etiam augetur:* ex consortio scilicet damnatorum.

DISPUTATIO VI.

De revivíscentia meritorum.

Ad quæstionem 89. D. Thomæ.

DUo sunt præcipui effectus pœnitentiæ, nimirum remissio peccatorum, & revivíscentia meritorum. Primus convenit illi per se, alter verò solùm per accidens; nam per se pœnitentia solùm removet peccatum, quo remoto statim merita revivíscunt, & effectum suum qui per peccatum impediebatur sortiuntur. De primo effectu tribus disputationibus præcedentibus fusè egimus, in hac verò de altero disseremus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum merita seu bona opera, per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviscant?

§. I.

Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuitur.

1. MAnifestum est, per pœnitentiam recuperari gratiam sanctificantem, cùm justificatio peccatoris fiat per infusionem talis gratiæ. Constat etiam, per illam recuperari virtutes infusas, cùm illæ sint proprietates gratiæ, eamque subinde inseparabiliter committentur. Unde Lucæ 15. Pater filio prodigo redeunti & resipiscenti, jubet reddi stolam primam, & annulum, & calceamenta, id est gratias & virtutes ante infusas, & per peccatum deperditas, ut interpretantur Hieronymus Epist. 146. ad Damasum, Ambrosius lib. 7. in Lucam ad caput 15. aliique Patres.

2. Solùm potest esse dubium de aliquibus virtutibus, quæ videntur irrecuperabiles, sicut est virginitas, & innocentia; illa quidem, quia consistit in totali inexperientia rei veneræ; ista verò, quia consistit in immunitate ab omni peccato. Sed dicendum breviter, istas etiam virtutes per pœnitentiam recuperari, quantum ad formale, id est quantùm ad ipsum habitum, & inclinationem quam habent ad suos actus, licèt non semper restituantur, quoad id quod in ipsis de materiali importatur, quia aliquando materia circa quam versantur, est irrecuperabilis; ut constat in virginitate, quæ habet pro materia inexperientiam veneris; implicat autem illam recuperari ab his qui voluptates venereas experti sunt, ut de se patet. Unde S. Thomas 2. 2. quæst. 152. art. 3. ad 3. *Virginitas reparari potest per pœnitentiam, quantum ad id quod est formale in virtute, non autem quoad id quod est materiale in ipsa; non enim si quis magnificus absumpserit divitias, per pœnitentiam peccati restituuntur divitiæ; & similiter ille qui virginitatem perdidit, per pœnitentiam non recuperat virginitatis materiam, sed recuperat virginitatis propositum.*

C Hæc sunt certa & indubitata apud omnes, sed difficultas est, an per pœnitentiam merita, seu bona opera mortificata, reviviscant, seu recuperent vim quam habebant perducendi hominem ad vitam æternam. Quod ut magis explicetur,

3. Sciendum est, opera quæ homo per extrinsecam Dei ordinationem ad finem supernaturalem elevatus potest elicere, esse in quadruplici differentia; alia enim sunt viva, alia mortua, alia mortifera, & alia mortificata. Viva sunt, quæ homo ex principio vitali, gratia scilicet & charitate, operatur. Mortua, quæ ex genere suo & proprio objecto bona sunt, sed ab homine existente extra statum gratiæ elicita, vitæ principio

D omnino carent. Mortifera, quæ mortem causant in anima, privando eam gratiâ, quæ quantùm ad vitam supernaturalem se habet ad animam, sicut anima ad corpus, quantùm ad naturalem, ut egregiè expendit Augustinus Sermone quinto de verbis Domini, his verbis: *Sicut anima est vita corporis, sic animæ vita est Deus* (unitus illi per gratiam & charitatem) *Sicut expirat corpus, cùm animam emittit; ita expirat anima, cùm Deum amittit. Deus amissus, mors animæ. Anima emissa, mors corporis.* Demum opera mortificata ea dicuntur, quæ à gratia & charitate elicita, per subsequens peccatum dicuntur mortificari, ex eo quod impediuntur ne habeant vim & effi-

E caciam perducendi hominem ad vitam æternam; metaphorâ ductâ à membris corporis animalis, quæ tunc dicuntur mortificata, quando sunt impedita à suis effectibus, sive ab exercitio suarum operationum.

Præsens ergo difficultas non procedit de operibus vivis, quia illa non egent revivíscentiâ, ut patet; neque de mortiferis, quia potiùs illa per pœnitentiam destruuntur; neque de mortuis, quia hæc cùm nunquam fuerint viva, non possunt intelligi revivíscere; nam revivíscere est iterum vivere, unde supponit vivere, seu vixisse. Tota igitur quæstio devolvitur ad bona opera

& merita mortificata per peccatum, de quibus A inquirimus, an per pœnitentiam reviviscant, seu recuperent vim & efficaciam perducendi hominem ad vitam æternam, quâ fuerant privata per peccatum? Pro resolutione,

Dico breviter, merita seu bona opera, per peccatum mortificata, revivíscere per pœnitentiam. Ita D. Thomas hîc art. 5. & Theologi cum illo, qui hanc conclusionem adeò certam existimant, ut oppositum errorem esse affirment.

4. Probatur primò ex illo Joël. 2. *Reddam vobis annos quos comedit locusta & bruchus.* Quæ verba interpretantur SS. Patres de revivíscentia meritorum; ac si diceret Scriptura, reddam vobis mercedem præteritarum actionum, quas locusta & bruchus vestrorum peccatorum, suo privaverant præmio. Unde Glossa interlinearis, ex Hieronymo sumpta, ibidem ait: *Confide terra & lætare quæ prius dominicum semen tuâ ariditate perdideras, quia magnificavit Dominus ut faceret tecum misericordiam, & lignum Crucis afferret fructum suum, & Spiritus Sancti dona dulcissima, suam cunctis tribuerent largitatem. Vos quoque quos post pœnitentiam justè voco filios Sion & Ecclesiæ, lætamini atque gaudete, quia tribuit vobis Deus Pater Doctorem justitiæ* (vel alimenta justitiæ, sicut Septuaginta legunt) *Et non solum hoc dedit, sed fecit vos novis virtutum frugibus abundare.* Tum deinde mox: *Et annos quos*

C *perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis, quando opera vestra, locusta, bruchus, rubigo, eruca que* (peccati) *consumpserat, Deus vobis perire non passus est.* Indeque infert: *Si post pœnitentiam autem tantam ubertatem Deus pollicetur, quid respondebit Novatus, negans pœnitentiam, & reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fecerint opera pœnitentiæ?*

5. Probatur secundò conclusio ex illo Pauli ad Hebræos 6. *non enim est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* Terruerat Apostolus Hebræos lapsos, per illa verba: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste.....*

D *& prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Deinde verò, ut eos excitet ad resipiscentiam, consolatur ipsos dicens, Deum non esse injustum, quia si à peccato per pœnitentiam resurgant, Deus bona eorum opera præcedentia compensabit præmio vitæ æternæ. Ita hunc locum explicant SS. Patres, Chrysostomus homil. 10. Athanasius oratione de blasphemia in Spiritum Sanctum, Epiphanius hæresi 59. Augustinus de fide & operibus cap. 14. D. Thomas lect. 3. in hunc locum, & Glossa ordinaria, ibidem dicens: *Sicut enim priora bona per sequentia mala*

6. *mortua fuerunt, & irrita facta; ita ipsa eadem per pœnitentiam, & alia bona sequentia revivíscunt.*

E Favet etiam Tridentinum sess. 6. cap. 16. ubi sic ait: *Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri boni, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Quibus verbis Tridentinum distinguit duo hominum genera: Unum eorum, qui in accepta gratia perpetuò perseverant, quos ad præmium laborum sperandum hortandos esse ait

verbis illis Apostoli 1. Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono &c.* Alterum eorum, qui gratiam amissam recuperant, ad quos pertineat locus posterior Apostoli ad Hebræos 6. *Non est injustus Deus &c.* Alioquin Concilium partem illam assertionis suæ sine confirmatione relinqueret, frustraque diceret, proponenda esse verba illa iis qui amissam gratiam recuperaverint, ut intelligant Deum non oblivisci bonorum operum quæ fecerunt ante lapsum.

In confirmationem ejusdem veritatis adducit Hugo Cardinalis verba illa Jeremiæ 2. *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ.* Quid (inquit) est Deum miserantem recordari adolescentiæ & charitatis

B nostræ, quàm pristina opera in charitate facta, & peccato interrupta, oblivioni non tradere. In eundem sensum explicant SS. Patres Ambrosius, Hieronymus, Anselmus, Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, & D. Thomas, illud Apostoli ad Galat. 3. *tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.* Quasi dicat Apostolus Galatis, post magna merita in peccatum & Judaismum prolapsis: in vestra situm est potestate efficere ut ea sitis passi frustra, id est sine fructu, si maneatis in peccatis vestris; aut etiam cum fructu, si à peccatis resurgatis.

Probatur tertiò conclusio ex Tridentino citato quod post verba suprà relata, paulò post addit:

C *Nihil justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene, illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo tempore; si tamen in gratia decesserint, consequendam promeruisse censeantur.* Ubi tres innuit conditiones requiri, ut opera nostra sint meritoria, & reipsa consequantur suum præmium; nimirum ut sint opera hominis justificati, ut sint facta in Deo, sive ex Dei gratia & auxilio, & ut qui ea fecit, in gratia decedat; & quod valde notandum est, ait, *Nihil amplius deesse credendum est.* Atqui merita mortificata habent duas priores conditiones, ut constat; & tertiam recuperant virtute pœnitentiæ, utpotè in qua datur pœnitenti gratia habitualis, cum qua potest decedere: Ergo merita mortificata, per pœnitentiam reviviscunt.

Ratio etiam id suadet: Causa enim carens aliquo suo effectu, præcisè propter impedimentum, debet, secluso impedimento, illum habere v. g. lapis in aere suspensus, & fune impeditus, ne deorsum feratur, præciso fune, & sublato obice, redit ad centrum: Sed merita antiqua, per subsequens peccatum, tantùm fuerunt impedita à suo effectu, qui est tribuere homini jus ad vitam æternam: Ergo cùm virtute pœnitentiæ tollatur illud impedimentum, debent effectum illum homini tribuere, in quo eorum revivíscentia consistit. Hanc rationem insinuat S. Thomas in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 2. ubi inquit, *quòd sicut ventus auferens nubem, nobis Solem restituit; ita pœnitentia tanquam removens prohibens gratiam gratum facientem, & omnes virtutes nobis restituit.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

10. OBjicies primò: Quod omnino moritur seu destruitur, non potest per pœnitentiam revivíscere seu reparari: Sed merita præcedentia per subsequens peccatum omnino extinguuntur &

Universidad de Deusto
Biblioteca

destruuntur: Ergo non reviviscunt per pœnitentiam. Major patet, Minor probatur. Æquè, imò magis potens est peccatum ad destructionem meritorum præcedentium, quàm gratia ad destructionem peccatorum sive demeritorum antecedentium; habet enim peccatum infinitam malitiam, gratia verò è contra finitam bonitatem: Sed gratia ita destruit peccatum, ut nihil ipsius vel physicum vel morale remaneat: Ergo à fortiori peccatum ita præcedentia merita destruit, ut illa nec physicè, nec moraliter, nec in se, nec in divina acceptatione remaneant.

Confirmatur: Ideò per gratiam destruitur omnino peccatum sive demeritum, quia est forma ei contraria, & cum ipso incompossibilis: Sed peccatum superveniens est etiam forma contraria & incompossibilis cum valore meritorum: Ergo per illud talis valor omnino destruitur.

Confirmatur ampliùs: Idcirco gratia omnino destruit peccatum, quia tollit fundamentum reatûs sive obligationis ad pœnam æternam, videlicet rationem maculæ ex præterito peccato relictæ: Atqui similiter per peccatum destruitur fundamentum valoris & condignitatis, quam habent merita ad gloriam, nimirum ipsa gratia sanctificans: Ergo per peccatum destruitur omnino valor & condignitas ad gloriam quam habebant merita præcedentia, seu bona opera ante ipsum peccatum elicita.

11. Ad objectionem respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dico quod etsi gratia secundùm se præcisè non sit fortior ad destructionem demeritorum, quàm peccatum ad destructionem meritorum, benè tamen ut subest legi divinæ misericordiæ volentis acceptare merita præterita ad præmium, licèt mortificata, & nolentis punire delicta semel dimissa, licèt delinquens iterum peccet. Quod si quæras fundamentum asserendi talem legem, dico esse in primis loca Scripturæ & Concilij Tridentini, nec non SS. Patrum, ex quibus §. præcedenti deduximus merita mortificata reviviscere. Secundò esse proclivitatem Dei majorem ad præmiandum quàm ad puniendum, ratione cujus semper punit citra & præmiat ultra condignum.

Ad primam confirmationem similiter nego Minorem, peccatum enim sequens merita, & illa mortificans, non est contrarium eorum valori, sed tantum impedimentum ipsius effectui, sive juri ad præmium ei correspondens; unde cùm causa carens aliquo suo effectu, propter impedimentum, secluso obice, illum habeat; sublato peccato per pœnitentiam, & restitutâ gratia habituali, antiqua merita, per peccatum mortificata, recuparant jus ad præmium illis correspondens, ut in ultima probatione nostræ conclusionis declaravimus.

Ad secundam dico quod licèt merita in fieri dependeant à gratia tanquam à radice & fundamento, sui valoris, non tamen in conservari, sed solùm à divina voluntate ad gloriam acceptare volente, quæ voluntas remanet, etiam post pecatū.

12. Objicies secundò: Quando contractus aliquis non est absolutus, sed conditionatus, & deficit conditio, omnino destruitur: Sed contractus quo Deus promisit remunerare merita nostra, est conditionatus, & conditio à qua dependet, est, si non adsit obex ex parte hominis: Ergo adveniente tali obice per peccatum, omnino extinguitur contractus, & merita destruuntur, subindeque per pœnitentiam non reviviscunt: nam ut suprà dicebamus, quod semel verè & totaliter destructum est, non potest reviviscere, saltem de potentia Dei ordinaria, & citra miraculum.

13. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, quoad secundam partem, quòd nimirum conditio contractûs de remuneratione nostrorum meritorum sit ista, si non apponat homo impedimentum; ab hac enim conditione non dependet talis contractus, sed ab ista, si non tollat tandem impedimentum semel appositum, vel si apponat perpetuum: unde non quodlibet peccatum, sed solùm illud quod conjungitur cum morte, sive impœnitentia finalis, extinguit contractum prædictum, & tollit remunerationem meritorum.

14. Objicies tertiò: Merita mala, seu peccata per pœnitentiam remissa, non redeunt: Ergo nec merita bona per peccatum mortificata, reviviscunt. Antecedens constat ex dictis disputatione præcedenti. Consequentia verò probatur, tum ex paritate rationis; tum etiam, quia sicut dicitur Ezechiel. 18. de peccatore pœnitentiam agente, *Omnium iniquitatum ejus non recordabor*, sic dicitur de justo qui commisit crimen lethale, *Omnes justitiæ ejus non recordabuntur*.

15. Respondeo, concesso Antecedente; negando consequentiam & paritatem, quatuor enim inter reditum peccatorum & reviviscentiam meritorum disputatione præcedenti, in solutione sedæ objectionis, discrimina assignavimus. Nec obstant verba prædicta Ezechielis; cùm enim, ut suprà dicebamus, Deus sit pronior ad miserendum quàm ad puniendum, verbum *non recordari*, applicatum peccatis, significat totalem eorum remissionem quoad culpam, & pœnam æternam; applicatum verò ad merita, solùm significat impedimentum effectûs valoris eorum, quod per pœnitentiam tollitur, subindeque per illam merita mortificata reviviscunt.

16. Objicies quartò: Si merita reviviscerent, vel omnia redirent, vel solùm aliqua? Neutrum dici potest: Non quidem primum, docet enim D. Thomas art. 2. hujus quæstionis, eum qui à peccato resurgit, interdum ad minorem, interdum verò ad majorem charitatem & gratiam resurgere, quod verum non esset, si merita omnia redirent. Neque etiam secundum, quia non videtur esse major ratio, cur aliqua merita, potiùs quàm alia reviviscant. Ut hæc difficilis objectio plenè solvatur, & modus quo merita mortificata reviviscunt, explicetur, sit

ARTICULUS II.

In qua proportione, & quantitate, reviviscant per pœnitentiam, opera mortificata per peccatum?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

17. LIcèt certum & indubitatum sit apud Theologos, merita mortificata, per pœnitentiam resurgere, celebris tamen est difficultas & controversia apud illos circa modum & quantitatem in qua reviviscunt, an scilicet resurgant secundùm omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum, & homo per pœnitentiam statim recuperet omnem gratiam quam habebat ante peccatum: an verò solùm juxta quantitatem seu intensionem

intensionem contritionis per quam resurgit? Sed antequam resolvatur, pro intelligentia diversarum de ea opinionum, Recolendum est illud quod diximus in Tractatu de virtutibus Theologicis; agendo de augmento charitatis, & in Tractatu de Incarnatione, disserendo de gratia Christi, gratiam posse dupliciter considerari, nimirum in esse physico, seu ut est qualitas & habitus, reddens nos participes divinæ naturæ, & filios Dei adoptivos; & in esse morali, sive in esse gratiæ, quatenus per eam justus acceptatur ad gloriam, mediis bonis operibus, vel præsentibus, vel præteritis, sed remanentibus in divina acceptatione. Hoc præmisso

18. Prima sententia asserit omnia omnino merita per peccatum mortificata, beneficio pœnitentiæ ita perfectè reviviscere, ut præter gratiam & gloriam correspondentem dispositioni in qua homo resurgit, dentur insuper tot gradus gratiæ, & jus ad tot gradus gloriæ, quot habuisset per merita præcedentia, si non fuissent mortificata. Ita Nominales, Major, Gabriel, Ocham, quos sequuntur communiter Recentiores extra Scholam D. Thomæ, præsertim Suarez in opusculo de reviviscentia meritorum, ubi quæstionem istam fusissimè pertractat.

Secunda huic immediatè opposita, existimat nullum gratiæ gradum pœnitenti conferri, præter eum qui præsenti contritioni correspondet; ita ut nullo alio modo opera mortificata reviviscere intelligenda sint, quam quia idem præmium essentiale quod gratiæ hic & nunc collatæ correspondet, pluribus titulis conferatur, nempè & ratione præsentis dispositionis, & intuitu meritorum antecedentium. Addit tamen, novum aliquod præmium accidentale esse conferendum, nempè gaudium majus de operibus in prima charitate factis, non tamen distinctum præmium essentiale. Ita Bannez 2. 2. quæst. 24. articul. 6. citans pro hac sententia Alensem, D. Bonaventuram, Capreolum, Paludanum, & Cajetanum.

Tertia docet contritionem quâ aliquis resurgit esse dispositionem ad duplicem gratiam, ad eam scilicet quæ de novo datur in vi præsentis dispositionis, juxta quantitatem illius, & ad restituendam antiquam in eadem intensione & quantitate; ita quod si aliquis resurgat per contritionem ut octo, recipit gratiam ut sexdecim, octo nempè gradus juxta præsentem dispositionem, & octo de gratia antiqua; & per peccatum præcedens deperdita, qui præsenti contritioni ut causæ per accidens correspondent. Ita Joannes à S. Thoma hic disp. 36. art. 2.

Quarta & ultima, ac in Schola D. Thomæ communior, asserit quod resurgens à peccato semper accipit novum aliquem gradum gratiæ in esse gratiæ, ratione præcedentium meritorum, & consequenter novum gradum etiam gloriæ essentialis eis correspondere; non tamen semper totam gratiam, etiam præcisè in esse gratiæ, recuperare, nec per consequens totum jus ad gloriam meritis præcedentibus correspondens, sed secundùm proportionem ad præsentem contritionem per quam resurgit; ita ut si Petrus antequam peccet mortaliter, habuerit merita ut viginti v. g. & resurgat per contritionem ut quatuor, detur ei gratia in esse gratiæ, & jus ad visionem beatificam, usque ad octavum gradum, quatuor gradus propter præsentem contritionem, & quatuor alij, propter præcedentia merita. Ita Soto, Ledesma, Nugno, Alvarez, Candidus, Valentia, & alij qui addunt gratiam deperditam per peccatum, nunquam in esse qualitatis & habitûs recuperari, donec homo in actum ferventiorem prorumpat, qui sit dispositio ad ejus augmentum; & quia potest contingere quod homo in hac vita non eliciat talem actum ferventiorem; vel si illum eliciat, ille habebit augmentum gratiæ, sibi correspondens, non verò meritis præcedentibus debitum; ideò dicunt augmentum gratiæ, meritis remissè vivificatis debitum, non dari nisi in instanti separationis animæ à corpore, in quo anima actum ferventissimum charitatis aut contritionis elicit, quo se disponit ad recipiendum physicè augmentum gratiæ & gloriæ, meritis remissè vivificatis debitum; qui actus, cùm sit extra statum viæ, non est meritorius, sed tantùm dispositivus ad tale augmentum.

§. II.

Rejiciuntur tres primæ sententiæ, & quarta statuitur.

DIco primò, per pœnitentiam non semper homo recuperat totam gratiam in esse qualitatis & habitûs, quam habebat ante peccatum, sed gratia quæ in justificatione ei infunditur, cõmensuratur præsenti dispositioni per quã resurgit.

19. Probatur primò authoritate D. Thomæ hic art. 2. dicentis: *Pœnitens quandoque resurgit in majori gratia quàm prius habuerat, quandoque autem in æquali, quandoque verò in minori*: At hoc falsum esset, juxta Suaris & aliorum Recentiorum sententiam, quia juxta illam homo semper resurgit in majori gratia, quàm haberet antea, quia ultra præteritam quam totam recuperat, aliam habet correspondentem propriæ dispositioni per quam resurgit: Ergo &c.

20. Probatur secundò ratione quam ibidem insinuat: Quantitas formæ intensibilis & remissibilis, mensurari debet secundùm quantitatem dispositionis: Sed gratia est forma intensibilis & remissibilis, & contritio per quam pœnitens ad eam se disponit, & à peccato resurgit, interdum remissa est, & non adæquat in intensione gratiam quam pœnitens habebat ante peccatum: Ergo per pœnitentiam non semper homo recuperat totam gratiam in esse qualitatis & habitûs, quam habebat ante peccatum.

21. Confirmatur: Eodem modo loquendum est de meritis mortificatis, & per contritionem remissam reviviscentibus, quo de actibus remissis charitatis, qui merentur augmentum habitûs: Atqui & gratia & charitas in esse habitûs & qualitatis non augentur statim per actus habitu remissiores, sed tale augmentum datur solùm suo tempore, quando homo prorumpit in actum ferventiorem, ut in Tractatu de virtutibus Theologicis disp. ultimâ art. 8. ostensum est: Ergo similiter quãdo homo resurgit à peccato per actum remissum contritionis vel charitatis, non statim recuperat totam gratiam in esse qualitatis & habitûs, quam habebat ante peccatum, sed solùm quando ponit actum ferventiorem, & adæquantem, vel superantem in intensione graduali gratiam & charitatem quam per peccatum amisit.

22. Confirmatur ampliùs ex Tridentino sess. 6. cap. 7. dicente, quod unusquisque recipit justitiam, id est gratiam justificantem) *secundum suam mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cu-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

jusque dispositionem. Ubi Concilium non loquitur de dispositione morali seu meritoria, quia loquitur de prima infusione gratiæ, quæ non cadit sub merito dispositionum præcedentium: Ergo loquitur de dispositione physica, & physicè subjectum ad gratiam præparante. Si autem in prima infusione quantitas gratiæ quæ infunditur, mensuratur penes dispositionem, eadem ratione cùm postea augetur, mensurabitur illud augmentum penes dispositionem subjecti, quia non est major ratio de uno quàm de alio.

23. Dico secundò, quando pœnitens resurgit per actum contritionis vel charitatis ut quatuor, non recipit octo gradus gratiæ in esse physico, nimirum quatuor de novo, juxta præsentem dispositionem, & quatuor de gratia antiqua, per præcedens peccatum amissa.

Probatur breviter contra Joannem à S. Thoma, ut enim conclusione præcedenti dicebamus ex Tridentino, unusquisque recipit gratiam in esse physico, juxta propriam dispositionem: Sed ille qui elicit actum contritionis vel charitatis ut quatuor, non est dispositus ad gratiam ut octo in esse physico, sed solùm ad gratiam ut quatuor, ut de se patet: Ergo non recipit octo, sed duntaxat quatuor gradus gratiæ in esse physico.

24. Respondet Joannes à S. Thoma, negando Minorem, quia (inquit) actus ille contritionis habet duplicem causalitatem dispositivam, unam per se, respectu gratiæ de novo dandæ; aliam per accidens, respectu gratiæ antiquæ restituendæ & vivificandæ.

Sed contra: Licèt ille actus, in sententia Thomistarum, sit dispositio physica respectu gratiæ de novo dandæ, est tamen solùm dispositio moralis & meritoria, respectu gratiæ antiquæ restituendæ: Sed gratia non datur in esse physico, nisi juxta proportionem dispositionis physicæ subjecti: Ergo habenti actum contritionis vel charitatis ut quatuor, solùm dantur quatuor gradus gratiæ in esse physico.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Contritio quam elicit pœnitens dum resurgit à peccato, & præcedentia merita recuperat, duo habet munia & officia, nimirum rationem dispositionis physicæ & moralis; in ordine enim ad gratiam de novo dandam, est dispositio physica; in ordine verò ad restitutionem gratiæ antiquæ per peccatum deperditæ, est solùm dispositio moralis: At dispositio moralis non exigit nisi ut forma resultet in esse moris, non autem in esse physico, alioquin effectus suæ causæ non responderet: Ergo habenti actum contritionis ut quatuor, solùm de novo dantur quatuor gradus in esse physico, & de gratia antiqua alia quatuor solùm in esse moris conferuntur, ut magis patebit ex infrà dicendis.

25. Dico tertiò, merita mortificata sic reviviscunt per pœnitentiam, ut ultra gratiam quam pœnitens recipit, & gloriam ad quam habet jus ex vi præsentis contritionis, insuper recuperet statim aliquid de gratia deperdita, in esse gratiæ considerata; nec non de jure ad gloriam essentialem correspondentem præcedentibus meritis.

Probatur conclusio ratione fundamentali. Meritorum reviviscentia debet cum proprietate salvari: At si ultra gratiam quam pœnitens recipit, & gloriam ad quam habet jus, ex vi præsentis contritionis, non recuperet aliquid de gratia deperdita, in esse gratiæ considerata, & de jure ad gloriam essentialem, præcedentibus meritis correspondentem, meritorum reviviscentia non salvabitur cum proprietate, sed erit res de solo nomine & titulo: ponamus enim duos homines, quorum alter post longam meritorum & bonorum operum seriem, putà postquam quotidie per centum annos ferventissimos actus charitatis elicuit, incidat in mortale, & deinde resurgat per contritionem v.g. ut quatuor; alter verò post consumptam totam in impietatibus & sceleribus vitam, convertatur in hora mortis, & justificetur per actum charitatis etiam intensum ut quatuor, quid habebit ille prior præ isto, ratione reviviscentiæ meritorum, si per illam non recuperet aliquid de gratia deperdita, & de jure ad gloriam essentialem, præcedentibus meritis correspondentem? 26.

Respondet Bannez, illum habiturum quod pluribus titulis ipsi gloria essentialis conferatur, & simul gloriam aliquam accidentalem, nimirum gaudium majus de operibus in prima charitate factis, recepturum.

Sed contra primò: Hi tituli solùm faciunt ad denominationem extrinsecam, non verò ad substantiam præmij; quid enim prodest merenti, quod præmium uno sive pluribus titulis ei detur?

Secundò, Si quis in vinea alterius per decem dies laborasset, eique postea merces laboris unius duntaxat diei, decem titulis diversis conferretur, sine dubio fieret ei injuria, & labor illius, quantùm justitia exigit, non compensaretur: Ergo similiter, si habenti meritum ut octo, Deus tantùm præmium ut unum, octo diversis titulis tribuat, præmiabit ipsum citra condignum, nec in ea præmij retributione servabit justitiam distributivam, quæ exigit ut habenti plus de meritis, plus de præmio tribuatur.

Tertiò, Ezechiel. 33. dicitur: *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua:* At multùm noceret, si vir ille qui per centum annos ferventissimos charitatis actus elicuit non haberet majorem gloriam essentialem quàm alter; esset enim procul dubio magnum nocumentum proveniens ex peccato commisso, quòd ille qui alioquin fuisset alteri superior in gloria essentiali, esset ei tantùm æqualis: Ergo &c.

Quartò, Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 16. docet merita mortificata reviviscere ad vitam æternam, ait enim: *Nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quo minus plenè illis quidem operibus quæ in Deo sunt facta divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfeciſſe, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint consequendam, verè promeruisse censeantur:* Sed vita æterna significat præmium essentiale: Ergo opera mortificata, per pœnitentiam reviviscunt ad præmium essentiale; subindeque plura habenti merita per pœnitentiam vivificata, plus de præmio essentiali & non solùm major gloria accidentalis, nimirum gaudium majus de operibus in prima charitate factis, confertur.

Probatur secundò conclusio argumento ad hominem: Adversarij enim nobiscum fatentur, gratiam sacramentalem per peccatum mortale amissam, ita reparari, per virtutem pœnitentiæ, ut præter gradum gratiæ & gloriæ essentialis, qui respondet præsenti contritioni, conferatur novus gradus gratiæ in esse gratiæ, & jus ad 27.

ad novam gloriam essentialem: Ergo idem dicendum de gratia non sacramentali, per peccatum enim mortale utraque æquè amittitur, & per actum contritionis æquè reparatur.

28. Negant consequentiam Adversarij, rationemque disparitatis assignant, quòd cùm gratia sacramentalis, & jus ad gloriam ei correspondens, conferatur ex opere operato, eorum quantitas potest excedere quantitatem præsentis contritionis sive dispositionis. At verò è contra gratia non sacramentalis, jusque ad visionem beatificam quod ei correspondet, tribuitur solùm ex opere operantis, subindeque nequit illam excedere.

Sed contra: Licèt gratia quam sacramentum causat, conferatur à principio ex opere operato, si tamen amittatur per peccatum, non recuperatur per actum contritionis, nisi ex opere operantis; postquam enim sacramentum semel ex opere operato produxit totum suum effectum, non amplius ita eum producit; atque adeò eadem est ratio, quantùm ad præsentem difficultatem, de gratia sacramentali, & de gratia non sacramentali.

Dico quartò, quando merita mortificata, per actus remissos contritionis vel charitatis reviviscunt, non reviviscunt secundùm omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum, sed juxta quantitatem præsentis contritionis sive dispositionis per quam pœnitens resurgit: verbi gratiâ si quis ante peccatum habuit decem opera meritoria intensa ut octo, & cadat in peccatum mortale, & postea resurgat contritione ut unum, quodlibet opus resurget ut unum, & manebit pœnitens cum merito ut undecim.

29. Probatur primò ex D. Thoma hìc art. 5. ad 3. ubi sic loquitur: *Dicendum quod ille qui per pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequitur quidem præmium essentiale, secundum quantitatem charitatis in qua invenitur:* At hoc esset falsum, si per actus remissos charitatis, merita mortificata, secundùm omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum reviviscerent; consequeretur enim ille qui in minori charitate resurgit præmium essentiale, sive jus ad illud, non secundùm quantitatem charitatis in qua inveniretur, sed in mensura ipsam excedente, ut manifestum est: Ergo juxta doctrinam D. Thomæ, quando merita mortificata per actus remissos charitatis reviviscunt, non reviviscunt secundùm omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum, sed juxta quantitatem præsentis contritionis sive dispositionis per quam pœnitens resurgit.

30. Ratio etiam id suadet: Contritio enim non solùm est dispositio physica ad gratiam in esse physico ei correspondentem, sed insuper dispositio moralis ad reviviscentiam meritorum per peccatum mortificatorum, sive ad gratiam in esse gratiæ, quæ meritis illis correspondet; sicut enim gratia in esse physico requirit dispositionem physicam, ita in esse morali requirit subjectum moraliter dispositum: Sed forma dependens à dispositionibus subjecti, nunquam in ipsum introducitur, nisi juxta proportionem & mensuram earum: Ergo merita mortificata, & gratia in esse gratiæ illis correspondens, non reviviscunt, nisi juxta mensuram contritionis vel charitatis, per quam pœnitens à peccato resurgit.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio, simulque præcipuum Adversariorum fundamentum convellitur. Ex duplici capite provenire potest quod merita mortificata & gratia in esse gratiæ illis correspondens, non reviviscant totaliter, sive secundùm omnem gradum illis correspondentem, scilicet ex impedimento peccati, & ex defectu proximæ dispositionis moralis: licèt autem quotiescumque peccator resurgit per pœnitentiam, removeat peccatum à se, & ita nihil sit jam impediens quominus omnia merita per peccatum mortificata, omnisque gratia in esse gratiæ illis correspondens redeant; si tamen actus contritionis per quem resurgit à peccato, sit minoris intensionis, quàm merita per peccatum mortificata, defectu sufficientis dispositionis, merita mortificata, & gratia in esse gratiæ illis correspondens, non redeunt secundùm omnem gradum quem habuerunt, sed solùm juxta mensuram intensionis talis actûs. 31.

Confirmatur & magis adhuc illustratur exemplo satis accommodato, quod Alvarez disp. 61. de auxiliis adducit ex Augustino, explicante verba illa Psalmi 125. *Converte Domine captivitatem nostram sicut torrens in Austro.* Quemadmodum enim aqua torrentis cursu suo ad mare properando, interdum frigore hyemis aut Aquilonis congelatur, & adhærens pavimento, atque adeò impedita ne ad suum terminum perveniat, Austro postea flante, resolvitur, non quidem semper in toto, sed interdum in toto, interdum in parte, juxtæ calorem Austri, & consequenter movetur sicut antea; ita proportionaliter gratia & merita nostra, quæ sunt veluti aqua tendens in vitam æternam, juxta illud Joan. 4. *Fiet in eo fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam*, congelata frigore subsequentis peccati mortalis, de quo Jeremiæ 6. dicitur: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, ita frigidam fecit Israël iniquitatem suam:* Spiritu Sancto flante per pœnitentiam, veluti resolvitur, ut iterum fluat, juxta illud Psalmi 141. *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea, flabit spiritus ejus, & fluent aquæ*; proportionaliter tamen ad quantitatem fervoris in quo homo resurgit. Verba Augustini citati hæc sunt: *Quomodo frigus ligat aquam ne currat, ita & nos illigati frigore peccatorum gelavimus. Auster autem calidus ventus est. Quando flat Auster, liquescit glacies, & implentur torrentes..... Gelaveramus ergo in captivitate, constringebant nos peccata nostra: flavit Auster Spiritus Sanctus, dimissa sunt nobis peccata, soluti sumus à frigore iniquitatis, tanquam glacies in sereno, sic solvuntur peccata nostra. Curramus ad patriam, quasi torrens in Austro.* 32.

Dico ultimò, pro meritis remissis, seu remissè vivificatis, non recipiet homo in hac vita augmentum gratiæ in esse physico, ipsi debitum, sed in alia, nempè in instanti separationis animæ à corpore, vel in primo instanti glorificationis. 33.

Probatur breviter ex D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 8. ad 3. ubi sic ait: *Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut & gratiæ consummationem, quæ est vita æterna: Sed sicut vita æterna non statim redditur, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cùm scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum:* Sed homo non disponitur sufficienter in hac vita ad augmentum gratiæ in esse physico, meritis remissis, seu remissè vivificatis debitum, sed solùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

lùm quando in alia vita prorumpit in actum ferventiorem : Ergo in hac vita non recipit augmentum gratiæ in esse physico actibus remissis, seu remissè vivificatis debitum, sed solùm in alia, &c. Major patet ex dictis in prima conclusione, gratia enim, ut ibi ostendimus, non recipitur physicè in subjecto, nisi juxta proportionem dispositionis talis subjecti. Minor verò probatur : Quando homo in hac vita prorumpit in actum ferventiorem contritionis vel charitatis, ille actus est etiam meritorius, & accipit gratiam sibi correspondentem : Ergo homo carebit dispositione ferventiori per quam se disponat ad augmentum gratiæ in esse physico, meritis remissis aut remissè vivificatis debitum, quousque ponatur aliquis actus intensior, qui non sit meritorius, sed solùm dispositivus ad tale augmentum, quod solùm invenitur in alia vita, nempè in instanti separationis animæ à corpore, vel in primo instanti glorificationis, in quo homo prorumpit in actum ferventissimum charitatis, qui non est meritorius, cùm homo tunc sit extra statum viæ, sed tantùm dispositivus ad augmentum gratiæ in esse physico, meritis remissis, aut remissè vivificatis debitum. De quo plura diximus in Tractatu de virtutibus Theologicis disputatione ultimâ art. 8. ad quem locum Lectorem remittimus.

§. III.

Solvuntur objectiones.

34. OBjicies primò : Gratia ad quam habent jus antiqua merita, per pœnitentiam reviviscentia, nullum habet impedimentum quominus statim detur, etiam in esse physico ; non enim est sicut gloria, quæ ratione mortalis vitæ & statûs merendi, usque ad tempus alterius vitæ differtur : Ergo per pœnitentiam homo statim recuperat totam gratiam in esse qualitatis & habitûs, quam per peccatum amiserat.

35. Respondeo quod etiam si gratia ad quam reviviscunt antiqua merita per pœnitentiam, nullum habeat impedimentum quominus statim detur etiam in esse physico, eo ipso tamen quod pœnitens careat dispositione quam ex natura rei requirit in ipso, est incapax eam recipiendi in esse qualitatis & habitûs, donec per actum ferventiorem, & ejus augmento commensuratum & proportionatùm, ad illud recipiendum se disponat.

36. Dices, quando pœnitens accedit ad sacramentum pœnitentiæ contritus, majorem recipit gratiam, tum in esse gratiæ, tum in esse qualitatis, quàm reciperet cum sola contritione extra sacramentum ; utpotè cùm sacramenta novæ legis causent gratiam ex opere operato, & consequenter majorem gratiam conferant in re suscepta, quàm in solo voto ; & tamen hæc gratia non commensuratur præsenti dispositioni, ut constat : Ergo similiter quando per contritionem reviviscunt merita, gratia in esse physico quam recipit pœnitens, non debet necessariò commensurari præsenti dispositioni, subindeque poterit esse major & intensior, quàm sit contritio per quam resurgit.

37. Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem : Ratio verò discriminis est quia Author sacramentorum, sicut supplet defectum dispositionis ad gratiam in parvulis recipientibus baptismum, ita in adultis A supplet defectum majoris dispositionis, dum illis per sacramenta confert ex opere operato majorem gratiam, quàm alioquin consequerentur ex opere operantis extra sacramentum, ex vi talis ac tantæ dispositionis. Quando verò per contritionem extra sacramentum reviviscunt merita, Deus non supplet defectum majoris dispositionis, sed gratiam per præcedens peccatum amissam in esse physico restituit, *secundùm propriam cujusque dispositionem*, ut Concilium Tridentinum suprà citatum ait.

38. Objicies secundò contra secundam conclusionem, cum Joanne à S. Thoma : Contritio quâ pœnitens à peccato resurgit, est dispositio ad duplicem gratiam, ad eam scilicet quæ de novo datur & in justificatione infunditur, & ad recuperandam antiquam per peccatum præcedens deperditam : Ergo si aliquis resurgat per contritionem ut octo, recipiet sexdecim gradus gratiæ, octo scilicet de gratia nova, seu in justificatione de novo infusa ; & octo de gratia antiqua, seu per peccatum præcedens deperdita ; cùm forma commensurari debeat dispositioni, & juxta ejus augmentum & intensionem augeri seu infundi.

39. Respondeo contritionem quâ pœnitens à peccato resurgit, esse quidem dispositionem ad duplicem gratiam suprà dictam, sed diversimodè ad illas disponere ; est enim dispositio physica respectu gratiæ de novo dandæ, respectu verò gratiæ antiquæ, ut recuperandæ, dispositio solùm moralis ; unde cùm dispositio moralis non exigat nisi ut forma resultet in esse moris, resurgenti per actum contritionis ut octo, dantur solum octo gradus gratiæ in esse physico, & totidem de gratia in esse moris considerata, ut conclusione secundâ & quartâ declaravimus.

40. Objicies tertiò cum Banne contra tertiam conclusionem : D. Thomas in 3. dist. 31. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 3. cùm sibi objecisset : *Pœnitentia vivificat merita per peccatum mortificata : Ergo pœnitens tantam habebit gloriam, quantam ante peccatum meruerat : Sed tantum meruerat, quantum de charitate habuerat : gloria ergo quam pœnitens habebit, proportionatur charitati quam ante peccatum habuit : proportionatur autem charitati, in qua in morte invenitur post pœnitentiam, quia lignum ubi ceciderit, ibi erit, Eccles. ult. penult. Ergo charitas in qua resurgit pœnitens, est equalis charitati à qua cecidit.* Sic respondet : *Ad quartum dicendum quod (sicut ex prædictis patet) per priora merita merebatur sibi tantam gloriam, quantam charitatem habebat ; sed ipse per peccatum factus est aliter, & non plenariè ad pristinum gradum restitutus ; & ideò non plenariè recipiet effectum priorum meritorum, nisi quantum ad præmium accidentale.* Idem docet hìc art. 5. ad 3. his verbis : *Ille qui per pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequitur quidem præmium essentiale secundùm quantitatem charitatis in qua invenitur ; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quàm de operibus quæ in secunda fecit, quod pertinet ad præmium accidentale :* Ergo juxta D. Thomam, merita mortificata non reviviscunt per pœnitentiam, in ordine ad gloriam essentialem, sed solùm per respectum ad præmium aliquod accidentale, nimirum ad gaudium majus de operibus in prima charitate factis.

41. Respondeo hæc testimonia non favere sententiæ Bannis, nec militare contra tertiam conclusionem,

sionem, sed solùm statuere quartam ; ibi enim S. Thomas solùm docere intendit, quod per pœnitentiam recipit quidem pœnitens respectu præcedentium meritorum charitatem & gratiam, ac jus ad præmium essentiale, juxta tamen quantitatem contritionis seu charitatis quâ convertitur (ut patet ex illis verbis : *Ille qui per pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequitur præmium essentiale, secundùm quantitatem charitatis in qua invenitur :*) nihilominus, quia tale jus ad præmium essentiale, & talis gratia potest esse minor, quàm illa quæ fuit ante peccatum, ob defectum dispositionis & contritionis per quam resurgit, quæ interdum valde remissa est ; ideò pro illo excessu, & pro illis meritis non perfectè per pœnitentiam reviviscentibus, solùm recipiet præmium aliquod accidentale, nimirum gaudium majus de operibus in prima charitate factis ; nisi per subsequentes actus contritionis & charitatis se sufficienter disponat, ut totum jus quod ante habebat ad præmium essentiale respectu præcedentium meritorum acquirat.

42. Objicies quartò : Gratia etiam in esse gratiæ, & jus ad gloriam, non habentur nisi secundùm quantitatem præsentis dispositionis : Ergo quando dispositio sive contritio est solùm ut quatuor, præter quatuor gradus gratiæ & juris ad gloriam, ei correspondentes, nihil de gratia, etiam in esse gratiæ, nec de jure ad gloriam, præcedentibus meritis correspondente, recuperatur.

43. Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam, nam actus contritionis per quem pœnitens resurgit à peccato, non solùm est dispositio physica ad gratiam quæ ei correspondet, sed etiam dispositio moralis ad eam quæ correspondet præcedentibus meritis, inquantum scilicet Deus acceptat eam dispositionem, sive subjectum ipsâ affectum, ad illam ; quare dummodo pœnitens habens illam contritionem, non recipiat præter quatuor gradus gratiæ in esse physico ei correspondentes, nisi quatuor alios gradus gratiæ in esse gratiæ, correspondentes præcedentibus meritis, sufficienter salvatur quod gratia, etiam in esse gratiæ, & jus ad gloriam, non habentur nisi juxta quantitatem præsentis dispositionis.

44. Objicies quintò : Omnia quæ meruit Christus, meruit pluribus titulis, & ex Tridentino sess. 6. cap. 16. eadem gloria datur justis & ut hæreditas & ut præmium : Ergo idem dici poterit de gloria quæ debetur meritis & bonis operibus per pœnitentiam reviviscentibus, nimirum quod eadem pluribus titulis concedatur.

45. Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem : Ratio discriminis est, quia cùm quodlibet opus meritorium Christi esset infinitum in ratione meriti, nihil restabat quod per subsequens opus posset de novo mereri, ideóque idem variis titulis merebatur, quia aliter fieri non poterat. Quod verò nobis eadem gloria & ut hæreditas & ut præmium concedatur, ex eo provenit quòd per gratiam constituimur filij Dei adoptivi, atque adeò debetur nobis hæreditas, quam Deus tamen non vult nobis conferre nisi propter merita, quia talis modus eam acquirendi, nobilior est, & nobis gloriosior ; nam ut eleganter Cassiodorus ait, *Parùm laudis habet virtutum corona, quæ ex labore non descendit ; potest quidem habere palmam, sed non habet gloriam, &c.* Unde non est inconveniens quod duplici titulo diversæ rationis eadem gloria conferatur : at verò tituli illi de quibus in objectione fit mentio, non sunt diversæ, sed ejusdem rationis.

§. IV.

Solvuntur objectiones contra quartam conclusionem.

46. OBjicies primò contra quartam conclusionem : Remoto impedimento sequitur effectus sicut antè, si non fuisset impedimentum, quia causa prohibens nihil aufert de vi & efficacia rei quam impedit ; sicut columna lapidem detinens ne deorsum tendat, nihil aufert de gravitate illius : Sed peccatum mortale per quod mortificata sunt opera præcedentia, est solùm impedimentum obstans ne opera illa reviviscant, & ne merita antiqua redeant : Ergo illo per actum contritionis quantumvis remissum sublato, omnia merita antiqua redeunt, & opera per peccatum mortificata, secundùm omnem gradum meriti quem antea habebant, reviviscunt. Unde D. Thomas in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 4. sic ait : *Opera ex charitate facta, etsi transeant actu, manent tamen quantum ad meritum in divina acceptatione : per peccatum autem ab illis operibus nihil demitur, & ideò remotâ indispositione à peccatore per pœnitentiam, opera illa præcedentia effectum suum in ipso iterum habere incipiunt, & secundùm hoc vivificari dicuntur.*

47. Respondeo negando Minorem, peccatum enim non se habet solùm ut impedimentum respectu meritorum præcedentium, eo modo quo columna lapidem detinens ne deorsum tendat, verùm etiam ut destructivum dispositionis & conditionis ex parte subjecti requisitæ, ut merita illa suum effectum sortiantur ; unde pœnitentia subsequens non se habet solùm ut removens prohibens, sed simul etiam est dispositio mensurans quantitatem in quo resurgunt opera mortificata ; sicut calor non solùm removet duritiem quâ impeditur aqua, frigore congelata, ne fluat, sed etiam aquam disponit, ut in toto resolvatur vel in parte. Et quamvis daretur quod pœnitentia se haberet solùm ut removens prohibens, non tamen propterea per quamcumque pœnitentiam, & actus contritionis remissos, redirent omnia merita præcedentia, & omnis antiqua gratia restitueretur ; quia causa removens prohibens, non unico & indivisibili modo semper illud removet, sed aliquando plus, aliquando minus ; sicut aperiens ostium, potest plus vel minùs aperire, & sic plura vel pauciora admittere ; vel sicut ventus aliquando plus, aliquando minùs removet nubes, & sic plus vel minùs Solis restituit. Quo exemplo utitur D. Thomas in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 2. ubi inquit quod *sicut ventus auferens nubem, nobis Solem restituit ; ita pœnitentia tanquam removens prohibens, gratiam gratum facientem & omnes virtutes nobis restituit.* Unde quando ibidem art. 3. docet, remotâ indispositione à peccatore per pœnitentiam, opera præcedentia ex charitate facta vivificari, solùm vult opera illa per pœnitentiam reviviscere ; non tamen quantùm ad omnem gradum meriti quem antea habebant, sed juxta mensuram & intensionem contritionis, per quam pœnitens resurgit, & se ad meritorum reviviscentam disponit.

48. Dices, Si per actum contritionis quem pœnitens elicit, non tantùm removeret prohibens, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed etiam ad meritorum reviviſcentiam ſe diſponeret, cùm hoc non haberet actus contritionis ex natura rei, ſed tantùm ex divina acceptatione; Deus autem illũ licèt minùs intenſum poſſit acceptare non minùs ad totam gratiã & gloriam correſpondentes præcedentibus meritis, quàm præcisè ad partem earum ipſi proportionatam; deberet aſſignari fundamentum aſſerendi quod potiùs acceptetur ad partem ſibi correſpondentem, quàm ad totum: v. g. ſi ſit intenſa contritio ſolùm ut duo, & merita mortificata fuerint intenſa ut octo, cur potiùs acceptetur illa contritio ad gratiam & gloriam ut duo, quàm ad gratiam & gloriam ut octo: Sed nullum eſt aſſignabile tale fundamentum: Ergo, &c.

49. Reſpondeo, conceſsâ Majori, negando Minorem, plures enim rationes ſeu congruentiæ aſſignari poſſunt, cur potiùs acceptetur illa contritio ad gratiam & gloriam ut duo, quàm ut octo. Prima eſt, ut in reviviſcentia meritorum non ſic ſplendeat divina miſericordia, quin detur aliquis etiam locus ſplendori divinæ juſtitiæ, quæ videtur exigere, ut non per qualemcumque pœnitentiam, licèt veram, peccator reſtituatur in priſtinum gradum gratiæ & gloriæ, ſed ſolùm per eam quæ ipſi proportionatur. Secunda, ne detur occaſio tepiditatis & facilitatis ad peccandum hominibus juſtis, videndo ita facilem eſſe per pœnitentiam præcedentium meritorum reviviſcentiam, quoad totum præmium eſſentiale. Tertia, ut juſtificati per hoc inducantur ad eliciendum ferventiores actus contritionis & charitatis, quibus opera mortificata magis reviviſcant, quouſque in integrum reſtituantur quoad omne meritum. Certè Adverſariorum opinio dum nimiâ ſuâ benignitate peccatores pœnitentes conſolatur, multùm videtur injicere tepiditatis & facilitatis ad peccandum juſtis, utpotè qui non tantò peccatum formidabunt, ſi exiſtiment poſtmodum qualicunque pœnitentiâ, quantumvis remiſsâ, omnes priſtinæ gratiæ & gloriæ gradus ſe ſtatim recuperaturos.

50. Objicies ſecundò: Si merita per peccatum mortificata, reviviſcant per pœnitentiam, ſolùm juxta menſuram contritionis, per quam pœnitens reſurgit, ſequitur hominem qui à gratia ut octo decidit, & poſtea per contritionem ut duo reſurgit, non majorem fructum conſequi, quàm illum qui à gratia ut duo decidit, & per æqualem poſtea contritionem reſurgit: Sed hoc videtur abſurdum & injuſtum, æquum enim eſt, ut qui plura & majora habuit merita, majorem illorum partem recuperet per pœnitentiam, quàm qui pauciora habuit & minora: Ergo, &c.

51. Reſpondeo, conceſsâ Majori, negando Minorem, & ad ejus probationem dico quod ille qui plura & majora habuit merita, majorem eorum partem recuperare debet per pœnitentiam, quàm qui pauciora vel minora habuit, ſi ad hoc ſufficienter ſe diſponat; ſecùs verò, ſi diſpoſitionem ſufficientem non ponat: nam, ut ſuprà oſtenſum eſt, gratia tam in eſſe phyſico, quàm in eſſe moris, datur à Deo juxta menſuram diſpoſitionis ſubjecti, & contritionis per quam pœnitens à peccato reſurgit. Unde qui plura vel majora habuit merita, eatenus alteri qui pauciora vel minora habuit præferendus eſt, quatenus ſi meliùs, ſe diſponat, plura etiam illius merita reviviſcent, & major ei gratia in eſſe gratiæ conferetur, quàm alteri, qui pauciora vel minora merita habuit.

52. Dices, ex hac doctrina duo ſequi videntur inconvenientia: Primum eſt, quòd pœnitens qui non haberet tantam contritionem, quanta fuiſſent merita ejus præcedentia, ſi ſtatim poſt actam pœnitentiam moreretur, perpetuò puniretur, propter peccatum præteritum, atque adeò etiam tunc cùm in cœlo eſſet beatus; ſemper enim propter peccatum maneret privatus eo gradu gloriæ quem alioquin habuiſſet. Secundum eſt, quòd Deus non tribuendo totum præmium correſpondens præcedentibus meritis, videretur eo ipſo illorum obliviſci, ſaltem quoad partem, contra illud Apoſtoli ad Hebræos. 6. *Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri.*

53. Reſpondeo neutrum ex his duobus inconvenientibus ſequi ex noſtra doctrina: non quidem primum, quia privatio illa juris ad aliquem gradum gloriæ eſſentialis quem homo meruit ante peccatum, non eſt propriè pœna peccati præteriti, quaſi Deus adhuc intendat per illam punire peccatum per pœnitentiam deletum, ſed eſt tantùm defectus conſequens ex alio defectu, videlicet ſufficientis diſpoſitionis. Neque etiam ſecundum, quòd enim meritis præcedentibus non tribuat Deus totum præmium, præcisè ob defectum ſufficientis ad hoc diſpoſitionis, non eſt eum obliviſci talium operum, etiam præcisè quoad partem, ſed ad hoc verificandum opus eſſet, quòd pœnitenti ſufficienter ad hoc diſpoſito, ipſum tamen denegaret.

54. Objicies tertiò: Tridentinum ſeſſ. 6. can. 32. diſertè ait, juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſequutionem, atque etiam gloriæ augmentum. Et cap. 16. dicit, nihil ampliùs deeſſe juſtis, poſitis tribus illis, quominus vitam æternam promeruiſſe cenſeantur, ſuo tempore, ſi in gratia deceſſerint, conſequendam: Ergo ex Tridendentino quæcumque bona opera per peccatum mortificata reviviſcunt, & augmentum gratiæ & gloriæ, ſi homo in gratia deceſſerit, conſequuntur.

55. Reſpondent aliqui, Tridentinum iis locis non loqui de reviviſcentia meritorum, ſed intendere ſolùm damnare Lutherum, & alios hæreticos, qui putant non ſufficere homini ad merendum, quòd ſit juſtus, quòd ſit vivum Chriſti membrum, quódque operetur in Deo, ut ſolent juſti operari; ſed exiſtimant ut homo mereretur, fore neceſſarium, ut non eſſet Deo debitor, & ut ejus opera æquarent operum Chriſti puritatem.

56. Meliùs tamen reſpondetur, dato quod ibi loquatur Concilium de reviviſcentia meritorum, hoc ſolùm intendere, quod omnia bona opera in charitate facta, & per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviſcunt, & in quovis decedente in gratia, aliquem fructum vitæ æternæ conſequuntur: quomodo autem fiat talis reviviſcentia, & à quibus conditionibus vel diſpoſitionibus dependeat, & an bona illa opera, per quamcumque pœnitentiam, quantumvis remiſſam, totaliter & quoad omnem gradum meriti, vel ſolùm juxta menſuram præſentis contritionis ſive diſpoſitionis per quam pœnitens reſurgit, reviviſcant, nihil docere aut definire Concilium, ſed id relinquere diſputationi Theologorum. Imò cùm dicat, gratiam dari unicuique juxta ejus diſpoſitionem, non obſcurè videtur innuere, merita

merita per peccatum mortificata, reviviſcere ſolùm juxta menſuram contritionis & diſpoſitionis, per quam pœnitens reſurgit, ut in quarta concluſione docuimus.

§. V.

Solvuntur duæ inſtantiæ contra ultimam concluſionem.

57. Contra ultimam concluſionem, in qua diximus, meritis remiſſis, ſeu remiſsè vivificatis, non dari augmentum gratiæ in eſſe phyſico in hac vita, ſed in alia, nempè in inſtanti ſeparationis animæ à corpore, in quo anima in actum ferventiſſimum charitatis prorumpit, objiciunt Adverſarij, quod aſſerimus vel ſupponimus rem valde dubiam & incertam: unde enim conſtat animam ſeparatam prorumpere in actum ferventiorem omnibus remiſſis quos habuit in hac vita, v. g. ſi aliquis exercuit mille actus meritorios remiſſos, & alius centum, unde conſtat quod anima ſeparata unius eliciat actum intenſum ut mille, & alia actum intenſum ſolùm ut centum?

58. Addunt poſſe aliquando contingere, quod aliquis qui habuit plures actus remiſſos in hac vita, quando moritur, exeat ita purgatus, vel per martyrium, vel per ſacramenta, quòd in ipſo inſtanti ſeparationis videat Deum: in quo caſu (inquiunt) actus ferventiſſimus charitatis, quem in primo inſtanti glorificationis elicit, non poteſt eſſe diſpoſitio ad augmentum gloriæ; quia cùm talis actus non reguletur per fidem, quæ in patria non remanet, ſed per viſionem beatam, priùs intelligitur lumen gloriæ, ſeu viſio beatifica in ſubjecto, quàm talis actus charitatis in voluntate; & aliundè viſio illa ſemel data, cùm ſit immutabilis, & æternitate participatâ menſuretur, non poteſt ampliùs augeri.

59. Ad primum reſpondeo, id quod aſſerimus vel ſupponimus, non eſſe incertum & dubium, ſed probabiliſſimis niti principiis & conjecturis: nam ex una parte certum eſt, animam ſeparatam, præſertim in gloria, multò perfectiùs & intenſiùs operari, quàm dum eſt in corpore, retardante illam in ſuis actibus; *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam*, ut dicitur Sapient. 9. Ex alia verò etiam conſtat, quod Deus qui merita remiſſa, ſeu remiſsè vivificata, acceptavit, eiſque præmium debitum reddere ſtatuit, conſequenter debet dare omnia quæ ad talem meritorum præmiationem ſunt neceſſaria: unde cùm ſit valde conſonum rationi, quod formæ recipiantur juxta diſpoſitionem ſubjecti, etiam conveniens eſt, quod Deus det diſpoſitionem illam requiſitam ad augmentum gratiæ in eſſe phyſico, ne merita illa tali præmio defraudentur: Sed talis diſpoſitio in hac vita haberi nequit, quia ut ſuprà in probatione ultimæ concluſionis dicebamus, quando homo prorumpit in hac vita in actum ferventiorem contritionis vel charitatis, talis actus non ſolùm eſt diſpoſitivus, ſed etiam meritorius augmenti gratiæ, & accipit gratiam ſibi correſpondentem: Oportet ergo quod ferventior actus qui requiritur, ut merita remiſſa, aut remiſsè vivificata, aſſequantur augmentum gratiæ in eſſe phyſico & qui ſit tantùm diſpoſitivus ad ipſum, non verò meritorius illius, detur in alia vita, in qua ceſſat omne meritum; ſubindeque eliciatur vel in inſtanti ſeparationis animæ à corpore, vel in primo inſtanti glorificationis.

Unde

60. Ad ſecundam inſtantiam dicendum eſt, quod licèt actus charitatis quem homo in inſtanti glorificationis elicit, & per quem ad recipiendum augmentum gratiæ & gloriæ, meritis remiſſis aut remiſsè vivificatis debitum, phyſicè ſe diſponit, non reguletur per fidem, ſed per viſionem beatam, nihilominus poteſt eam in genere cauſæ diſpoſitivæ præcedere, ſubindeque ad augmentum luminis gloriæ diſponere: ſicut quælibet diſpoſitio ultima, præcedit formam in genere cauſæ diſpoſitivæ, & nihilominus ab illa procedit, ac in genere cauſæ formalis & efficientis dependet; *Calor enim, qui eſt diſpoſitio ad formam ignis, eſt effectus profluens a forma ignis*, inquit S. Thomas ſuprà quæſt. 7. art. 13. ad 2. & organizatio corporis eſt diſpoſitio ad receptionem animæ, & tamen corpus non habet eſſe organicum, niſi ab anima, ut docet idem S. Doctor 1. p. quæſt. 76. art. 4. ad 1. Eſt aliud exemplum magis ad rem, in anima Chriſti, quæ in primo inſtanti creationis actum intenſiſſimum charitatis elicuit, quo ad gratiam habitualem & ad gloriam ſe diſpoſuit, & tamen ille actus proceſſit à viſione beatifica, quâ anima Chriſti à primo inſtanti conceptionis gaudebat, vel à ſcientia infuſa, quæ ad viſionem conſequitur, tanquam à regulante; unde talis actus in diverſo genere cauſæ fuit prior & poſterior viſione beatificâ; illam enim præceſſit in genere cauſæ diſpoſitivæ, & fuit poſterior in genere cauſæ efficientis, vel regulantis: nullum ergo eſt inconveniens, quòd actus charitatis quem anima in primo inſtanti glorificationis elicit, ſequatur ad viſionem beatificam regulativè vel effectivè, & eam præcedat diſpoſitivè.

Ex dictis inferes, quod non ſolùm augmentum gratiæ, quod homo juſtus per actus charitatis promeretur, ſed etiam gratia deperdita, quam abſque meritis pœnitens ante peccatum fuerat conſecutus per primam contritionem, reſtituitur per pœnitentiam, juxta menſuram contritionis per quam homo reſurgit; quia etiam iſta gratia datur dependenter à diſpoſitione ſubjecti, & juxta quantitatem ipſius. Idem dicendum de gratia ſacramentali, ante peccatum recepta, & amiſſa ratione illius, utpotè quæ licèt conferatur à principio ex opere operato; ſi tamen amittatur, non recuperatur, niſi ex opere operantis. 60.

61. Quærunt hic aliqui, utrum merita mortificata reviviſcant per pœnitentiam ex juſtitia vel ex miſericordia?

Reſpondeo breviter ea reviviſcere partim ex miſericordia, & partim ex juſtitia: Eſt enim magna Dei miſericordia quòd Deus propter peccatum mortale hominem non privet in perpetuum jure per merita præcedentia acquiſito, & non moraliter aboleat merita; ſicut in juſtificatione non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter abolet peccata, & eorum ampliùs non recordatur in ordine ad culpam vel ad pœnam æternam, ut diſputatione præcedenti viſum eſt. Eſt etiam inſignis Dei miſericordia, quòd Deus hominem lapſum in mortale, excitet ad pœnitentiam & contritionem, per quam removetur obex peccati, & ad reviviſcentiam meritorum diſponitur. Item miſericordia eſt, quòd Deus homini pœnitenti conferat gratiam, quæ eſt cauſa formalis remotionis impedimenti peccati; gratis enim & miſericorditer à Deo juſtificamur, quia nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

retur, ut ait Tridentinum sess. 6. cap. 8. Suppositis autem istis misericordiis, justitiæ quodammodo est quòd merita reviviscant & sortiantur effectum suum, positâ conditione à Deo requisitâ pro mercede reddenda ejusmodi bonis operibus. Propter quod Paulus ad Hebræos 6. ait: *Non enim est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.* Dixi *justitiæ quodammodo*, quia sicut justitia quâ Deus bona opera justorum remunerat, fundatur magis in promissione & fidelitate Dei, quàm in ipsis operibus; ita & illa quâ præcedentia merita per peccatum mortificata restituit, & ad præmium vitæ æternæ acceptat; fundatur in Dei fidelitate & lege quâ misericorditer statuit non punire hominem irreparabili meritorum amissione. Observat etiam Deus in reviviscentia meritorum hanc justitiam, ut non per qualemcumque pœnitentiam, licèt veram, peccatorem in pristinum gradum gratiæ & gloriæ restituat, sed solùm per eam quæ ipsi proportionatur, ut §. 4. in responsione ad primam objectionem annotavimus. In reviviscentia ergo meritorum non sic splendet divina misericordia, quin etiam in ea detur aliquis locus splendori divinæ justitiæ: *universæ enim viæ Domini misericordia & veritas*, ut dicitur Psalm. 24.

62. Circa quæstionem nonagesimam, nihil occurrit dicendum, suprà enim disputatione 1. ostendimus contritionem, confessionem, & satisfactionem, esse pœnitentiæ partes, idque passim docent Concilia & SS. Patres: Tridentinum enim sess. 14. can. 4. sic ait: *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur, &c. anathema sit.* Easdem partes enumerat Florentinum in Decreto Eugenij: *Prima est* (inquit) *cordis contritio, ad quam pertinet ut pœnitens doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero: Secunda est oris confessio, ad quam pertinet ut peccator omnia peccata quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter: Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per orationem, jejunium, & eleemosynam.* Earum etiam meminit Chrysostomus in Sermone de pœnitentia, ubi sic habet: *Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre; in corde ejus contritio, in ore confessio, in opere toto humilitas; ut quibus modis Deum offendimus (corde, ore, & opere) iisdem reconciliemur Deo; corde quidem per contritionem; ore per confessionem, ac opere per satisfactionem.* Gregorius item lib. 6. in 1. Regum cap. 15. fictam Saiilis confitentis peccatum quidem, sed honorari desiderantis, pœnitentiam reprehendens: *Quid prodest* (inquit) *confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentiæ? Tria quippe in unoquoque consideranda sunt veraciter pœnitente; videlicet conversio mentis* (qualis est contritio) *confessio oris, & vindicta peccati* (sive satisfactio) nempè *cùm delere nititur, dignâ afflictionis austeritate, quod loquendo confitetur*, ut inferiùs addit. Quidpiam porrò tale in Magdalenæ pœnitentia notari potest; in lacrymis nimirum *contritio*, in osculis *confessio*, in unguenti effusione *satisfactio*, ut innuit Chrysologus serm. 93. Demum tres istas pœnitentiæ partes, tribus attributis Divinarum Personarum adaptari posse, docet D. Thomas in supplemento quæst. 7. art. 3. ad 3. & fusiùs Albertus magnus in 4. sent. dist. 16. art. 18. his verbis: *Pœnitentia in tribus partibus suis configuratur Trinitati increatæ; compunctio enim sive contritio: qua ex modica pœna commutat æterna tormenta, tota innititur bonitati, quæ attribuitur Spiritui Sancto: Confessio autem, quæ legitima est & prudens computatio peccatorum ut æstimetur ad pœnitentiam, respondet sapientiæ, quæ attribuitur Filio; & satisfactio, quæ secundùm vires amplectitur injuncta, fulcitur potentiâ, quæ Patri appropriatur.*

De his tribus pœnitentiæ, partibus sigillatim nobis incumbit agendum, tribus sequentibus disputationibus; deinde de absolutione Sacerdotali, quæ est altera pars Sacramenti pœnitentiæ, gerens vicem formæ, fusè disseremus, ac celebres quæ de illa agitantur quæstiones, breviter ac dilucidè resolvemus. Unde sit

DISPUTATIO VII.

De Contritione.

Ad quinque primas quæstiones supplementi.

CUM D. Thomas morte præventus non potuerit de partibus pœnitentiæ in particulari, nec de tribus ultimis Sacramentis, Extrema-Unctione, Ordine, & Matrimonio scribere, ejus Discipuli, ad complementum hujus tertiæ partis, & totius Summæ Theologicæ ejusdem Doctoris Angelici, ex scriptis ejus in quartum librum sententiarum, quæstiones quæ deerant, in unum opus collegerunt, quod supplementum Summæ appellarunt, in quo primò agitur de contritione, quæ est prima pars Sacramenti pœnitentiæ, de qua etiam in hac disputatione nobis erit agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

An in dolore de peccato, vel in ejus odio, aut in utroque simul, consistat essentialiter ratio contritionis?

§. I.

Quibusdam præmissis, referuntur sententiæ, & verior seu probabilior eligitur.

1. SUppono primò ex D. Thoma hîc quæst. 1. art. 1. hoc nomen *contritio*, derivari à verbo *contero*, quod significat rem duram in minutissimas partes dividere seu reducere: nam quia peccatum cor & voluntatem hominis obdurat, actus ille quo hæc duritia tollitur, & peccatum deletur, meritò à Theologis *contritio* appellatur. Hinc Guillelmus Parisiensis pœnitentiam à qua oritur contritio, sic describit: *Pœnitentia est cordis confractio, & comminutio, ac veteris hominis in pulverem redactio.*

2. Suppono secundò ex eodem S. Doctore ibidem, varias tradi solere contritionis definitiones, seu descriptiones. Primò dicitur *dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi.* Secundò, *dolor voluntarius pro peccato, puniens quod dolet se commisisse.* Tertiò ab Isidoro sic describitur: *Contritio est compunctio & humilitas mentis cum lacrymis, veniens de recordatione peccati, & in timore judicij.* Quarta definitio quæ est Augustini sic habet: *Contritio est dolor remittens peccatum.* Quinta quæ est Gregorij magni talis est: *Contritio est humilitas spiritus, annihilans peccatum, inter spem & timorem.* Demum contritio à Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. definitur *animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* In qua definitione tres recensentur actus, ad contritionem perfectam concurrentes, nimirum dolor de peccato, ejus odium seu detestatio, & propositum ampliùs non peccandi.

3. Suppono tertiò, ex his tribus actibus, ultimum non esse de essentia contritionis, utpote cùm sit actus ab ea distinctus, & contingere possit, quod aliquis dolens de peccatis propter Deum summè dilectum, justificetur sine tali proposito explicito; quia nimirum non cogitat de vita futura, sed tantùm de divina bonitate, & gravitate offensæ in Deum commissæ. Fateor tamen tale propositum esse propriam passionem actûs contritionis, cùm ex eo quod quis de peccato doleat, ipsumque detestetur, sequatur ex natura rei, quod velit ampliùs non peccare. Restat ergo difficultas solùm de aliis duobus actibus, nimirum de odio peccati, & de dolore sive tristitia de ejus commissione, in quonam scilicet ex illis ratio contritionis essentialiter consistat?

4. Prima sententia, quæ est Cajetani tomo 1. opusc. tract. 4. quæst. 1. docet quod illa consistit essentialiter in actu odij de peccato, & quod dolor se habet tantùm ut propria ejus passio. Secunda quam tenet Suarez quæst. 85. disp. 4. sect. 1. asserit illam esse essentialiter detestationem peccati, quam vult esse actum distinctum tam ab odio quàm à dolore peccati. Tertia verò existimat, illam tam in actu odij de peccato, quàm in actu doloris consistere essentialiter. Ita Ægidius Conink in tract. de pœnit. disput. 1. dub. 2. Pro resolutione

Dico primò, Contritio non consistit essentialiter in aggregato actuum odij seu detestationis peccati, ac doloris de ipso, quamvis utrumque necessariò includat.

5. Probatur prima pars: Actus primarius cujuscunque virtutis specialis debet esse unus tantum, & non aggregatum ex pluribus; cùm enim debeat immediatè ab illa elici, & per ordinem ad ipsum talis virtus specificetur, debet necessariò esse illi similis in specie, subindeque cùm virtus specialis sit simplex qualitas unius speciei, actus ejus primarius, debet esse simplex actus unius speciei, & non quid aggregatum ex multis actibus: Sed contritio est actus primarius pœnitentiæ, quæ est virtus specialis, ut disp. 2. art. 2. ostensum est: Ergo contritio non consistit essentialiter in aggregato actuum odij seu detestationis de peccato, ac doloris de ipso, sed in uno solùm ex illis duobus actibus.

Quòd verò utrumque necessariò includat, manifestum est, quia ad destructionem peccati ad quam pœnitentia ordinatur essentialiter, requiritur odium & detestatio peccati, ac simul dolor & tristitia de ipso; nam odium & detestatio per se causant dolorem de ipso, & dolor per se supponit odium & detestationem mali præsentis, non enim quis dolet, nisi de malo quod displicet

6. Dico secundò, Contritio consistit essentialiter in dolore de peccato, ut est offensa Dei, & præsuppositivè tantùm in odio sive detestatione ipsius. Probatur primò ex D. Thoma hîc art. 1. ubi definiens contritionem *dolorem de peccatis*, &c. dicit dolorem poni in hac definitione tanquam genus.

7. Probatur secundò conclusio ratione fundamentali: Contritio consistit essentialiter in illo actu voluntatis quo peccatum destruitur in ratione offensæ, seu quo exhibetur Deo satisfactio pro injuria: Atqui ille actus non est odium sive detestatio peccati, sed dolor de illo: Ergo contritio consistit essentialiter in dolore de peccato, non verò in odio sive detestatione ipsius. Major constat nam sicut pœnitentia respicit peccatum sub ratione offensæ, ut per satisfactionem compensabilis, ita & ejus actus principalis & primarius, qui est contritio. Minor verò probatur: Actus quo homo exhibet Deo satisfactionem, debet aliquid auferre ab homine, & illud quodammodo tribuere Deo, à quo per peccatum abstulit, quantùm in se est, honorem, puniendo in seipso offensam: Atqui per odium seu detestationem peccati hoc non fit, benè autem per dolorem; per simplicem enim detestationem nullum homo malum patitur, sed potiùs maximum recipit bonum, nempè bonum honestum; è contra verò qui dolet de peccato, patitur quoddam malum pœnæ, scilicet tristitiam: Ergo per dolorem de peccato, non verò per ejus odium seu detestationem, exhibetur satisfactio pro injuria.

8. Confirmatur: Contritio materialis est divisio sive comminutio rei in minimas partes, & propterea contritio spiritualis ex materiali translata importat divisionem sive comminutionem cordis aut affectûs in peccato indurati, in minima, ut in prima suppositione annotavimus: Sed hæc perfecta divisio & comminutio cordis aut affectûs, non potest intelligi in actu odij seu detestationis de peccato, cùm tunc solùm incipiat peccatum displicere, benè tamen in dolore de peccato, cùm talis dolor importet tristitiam & afflictionem spiritûs, quâ spiritus in se conteritur, & quodammodo comminuitur: Ergo contritio non consistit in actu odij vel detestationis peccati, sed in dolore de ipso; quamvis talis dolor actum odij vel detestationis ut prævium connotet, quia ut suprà dicebamus, fieri non potest ut quis doleat de aliquo, nisi priùs, saltem ordine naturæ, illud odio habeat & detestetur tanquam malum.

9. Probatur tertiò conclusio ex absurdo & inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia: si enim contritio consisteret essentialiter in odio peccati, cùm in beatis sit perfectissimè & propriè tale odium, esset in eis proptiè actus contritionis: Sed hoc dici nequit, ut fatentur Adversarij: Ergo nec illud.

10. Dices cum Adversariis: Licèt dolor in exercitio habitus, non sit de essentia contritionis; est tamen de essentia actûs in quo consistit contritio, quòd ab illo fluat dolor ex natura rei, atque adeò non quodcumque odium peccati est essentialiter contritio, sed tale odium cui ex natura rei potest convenire dolor tanquam proprietas; quale tamen non est odium beatorum, sed tantùm odium nostrum.

Sed contra: Licèt gratia quæ erat in Christo non esset talis cui posset convenire fides, aut pœnitentia, erat tamen vera gratia: Ergo similiter licèt tale sit odium peccati in beatis, ut ab eo

Universidad de Deusto
Biblioteca

fluere non possit aliquis dolor ; si tamen contritio non consistat essentialiter in dolore, sed in odio, erit verè & propriè in beatis, licèt doloris omnis expertibus ; quamvis enim privaretur dolore consequenti per modum proprietatis, hoc tamen non impediret, quin esset verè & essentialiter contritio.

11. Demum specialiter confutari potest opinio Suaris, ex eo quod falsum supponat, nimirum detestationem esse actum realiter distinctum ab odio : in voluntate enim circa bonum & malum sunt tantùm illi actus qui correspondent passionibus appetitûs sensitivi : Sed odium & detestatio correspondent eidem passioni, quæ etiam denominatur odium ; nullusque unquam dixit, odium & detestationem esse duas passiones realiter distinctas : Ergo detestatio peccati non est actus distinctus ab ejus odio.

§. II.

Solvuntur objectiones.

12. OBjicies primò contra primam conclusionem : Tridentinum sess. 14. cap. 4. definiens contritionem, ait illam esse detestationem & dolorem de peccato : Ergo in utroque actu consistit essentialiter.

Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam, Concilium enim definiens seu potiùs describens contritionem, vocat illam detestationem & dolorem de peccato, non quòd existimet illam consistere essentialiter in utroque actu ; sed ut significet detestationem peccati esse quid prævie requisitum ad dolorem de illo, & talem dolorem à detestatione seu odio peccati procedere, sicut gaudium oritur ab amore. Unde etiam in eadem contritionis descriptione subdit, illam esse dolorem & detestationem de peccato commisso, *cum proposito non peccandi de cætero*, ut declaret tale propositum esse quid consequens ad contritionem, ac veluti ejus proprietatem, ut in tertia suppositione dicebamus.

13. Objicies secundò contra secundam conclusionem : D. Thomas in hac quæstione & alibi sæpè ait, contritionem esse displicentiam de peccato : Sed displicentia de peccato est formaliter odium peccati : Ergo contritio consistit essentialiter in actu odij de peccato.

Respondeo D. Thomam ibi accipere displicentiam pro dolore, ut aliquando solet accipi, sicut & complacentia accipitur aliquando pro gaudio.

14. Objicies tertiò : In eo consistit essentialiter contritio, quod per se primò opponitur peccato : At quod primò opponitur peccato, non est dolor, sed odium : Ergo in odio non verò in dolore consistit essentialiter contritio. Major est certa, cùm enim pœnitentia per se primò opponatur peccato, contritio in qua formaliter consistit, debet per se primùm opponi peccato. Minor verò probatur : Peccatum est amor inordinatus creaturæ : Sed odium peccati per se primò opponitur amori inordinato creaturæ : Ergo per se primò opponitur peccato.

15. Confirmatur : Cùm nomen contritionis significet actum illum qui est divisio cordis, & aversio à peccato, metaphorâ deductâ à verbo *conterere*, quod significat rem aliquam duram in minutissimas partes dividere, per id essentialiter constitui debet, per quod primùm homo verè separatur à peccato : Sed verè & primùm separatur à peccato, per ejus odium : Ergo in eo essentialiter consistit. Major constat, Minor verò probatur. Odium peccati est verè fuga à peccato, atque adeò separatio ab eo. Item præcedit dolorem, subindeque priùs separat quàm dolor.

16. Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem : In eo consistit essentialiter contritio, quod per se primò opponitur peccato, ut est offensa contra Deum, concedo Majorem. Ut est amor contra Deum summum bonum, nego Majorem. Cùm enim pœnitentia sit virtus justitiæ annexa, & à charitate distincta, ut disp. 2. ostensum est, actus ejus primarius & principalis, qui est contritio, non nisi præsuppositivè adversatur peccato ut est contra Deum summum bonum, quem charitas respicit ; formaliter verò sive essentialiter opponitur peccato, ut est summa injuria in Deum. Similiter distinguo Minorem : Primum quod opponitur peccato, ut amori contra Deum summum bonum, est odium, concedo Minorem. Primum quod opponitur peccato, ut injuriæ Deo illatæ, & puniendæ per satisfactionem, est odium, nego Minorem, est enim actus quo peccator dolet de tali offensa : Unde

17. Ad confirmationem, distinguo Majorem : Per id essentialiter constitui debet contritio, quod est verè & primùm separatio à peccato, tanquam à summo malo, nego ; hæc enim separatio se habet præsuppositivè ad contritionem : quod est separatio à peccato, tanquam ab injuria facta contra Deum, exhibendo ei debitam satisfactionem, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem : per odium peccati verè & primùm peccator separatur à peccato, tanquam à summo malo, concedo Minorem. Tanquam ab offensa contra Deum, exhibendo ipsi recompensationem, nego Minorem ; hoc enim est proprium doloris, unde nego etiam Consequentiam.

18. Objicies ultimò : Si quis diligat Deum super omnia, & consequenter odio habeat peccatum, absque eo quod cogitet de dolore habendo, hic erit verè contritus : Ergo contritio non consistit essentialiter in dolore de peccato.

Respondeo illum virtualiter tantùm esse contritum, sed non formaliter ; imò si advertens nolit dolere, statim peccabit mortaliter, & cessabit amor Dei, ac verum odium de peccato.

ARTICULUS II.

Utrum contritio differat essentialiter ab attritione ?

19. DIvidi solet à Theologis contritio in perfectam, quæ simpliciter dicitur contritio ; & est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum ; & in imperfectam, quæ appellatur attritio, & est dolor de peccatis ex alio motivo quàm charitatis, id est ex aliquo motivo honesto, quod non sit ipse Deus, quatenus in seipso est summum bonum, à quo peccatum mortale avertit. Hujusmodi verò attritio duplex est, una oritur ex metu gehennæ & aliarum pœnarum, altera ex peccati fœditate, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 4. Quæ divisio adæquata & sufficiens est, nulla enim est species attritionis, quæ non contineatur sub aliqua illarum duarum. Nam dolor de peccato, ut est contra rectam rationem, vel ut est contra justitiam, aut aliam quamlibet virtutem, est species detestationis peccati propter ejus fœditatem ; quandoquidem esse contra rectam rationem, est generalis

generalis fœditas peccati ; esse verò contra justitiam, aut religionem, vel aliam virtutem, est specialis ejus fœditas. Illa verò attritio, quæ habetur ob amorem vitæ æternæ, reducitur ad eam quæ oritur ex metu pœnarum ; quia sicut ad eandem virtutem spei pertinent hi duo actus, amor vitæ æternæ, & timor pœnæ æternæ ; sic etiam ejusdem virtutis aut quasi virtutis, sunt attritio concepta ex amore vitæ æternæ, & attritio concepta ex odio pœnæ æternæ. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ,

Dico breviter, Contritionem perfectam distingui essentialiter ab attritione.

20. Probatur conclusio ratione fundamentali : Actus qui diversa objecta formalia respiciunt, distinguuntur essentialiter : Sed contritio & attritio respiciunt diversa objecta formalia : Ergo distinguuntur. Major patet, distinctio enim specifica actuum sumitur ex ordine ad objecta formalia quæ respiciunt. Minor etiam manifesta est, nam objectum formale contritionis est peccatum sub ratione formali injuriæ Deo illatæ ; objectum verò attritionis est idem objectum sub formali ratione mali ipsius peccatoris, vel sub ratione turpis & inhonesti, ac rectæ rationi repugnantis, ut ex suprà dictis patet.

21. Confirmatur : Illi actus specie differunt, qui eliciuntur ab habitibus specie diversis : Sed contritio perfecta & attritio procedunt à virtutibus specie diversis ; contritio enim elicitur à virtute pœnitentiæ, & est actus ejus primarius & principalis ; attritio verò vel est à virtute spei, quando dolet de peccato ex metu gehennæ, vel ob amorem vitæ æternæ, ut constat ex suprà dictis ; vel ab aliqua virtute morali infusa, quando dolet de peccato, ob turpitudinem propriam ; cùm enim quælibet virtus habeat amare bonum quod respicit, & detestari malum oppositum, ad virtutem infusam temperantiæ v. g. pertinet nedum amare honestatem temperantiæ, sed etiam detestari peccatum intemperantiæ, ut opponitur tali honestati, seu quod idem est, secundùm propriam deformitatem quam habet, & quæ non reperitur in aliis peccatis. Idem cum proportione dicendum de aliis virtutibus : Ergo, &c.

22. Dices, Quando homo est in peccato, non habet virtutes morales infusas ; acquisitæ verò, cùm sint naturales, non sufficiunt ad actum supernaturalem eliciendum, cujusmodi est attritio, de qua loquimur : Ergo, &c.

Respondeo quod tunc attritio elicitur à voluntate elevata per auxilium supernaturale, non autem per aliquem habitum ; semper tamen manet, illam attritionem distingui essentialiter à contritione, quia dolet de peccato ex diverso motivo, suprà explicato.

23. Ex hac differentia essentiali sequuntur aliæ. Prima est, quòd omnis contritio necessariò cadit super omnia peccata, cùm omnia peccata sint offensæ Dei ; non autem attritio, quæ esse potest de peccato vel ut causativo peculiaris pœnæ à Deo inflictæ, vel ut continente specialem deformitatem alicui virtuti oppositam.

Ex hoc oritur alia differentia, nimirum quod contritio semper excludit omnem affectum peccandi ; quia cùm detestetur omnia peccata sub aliqua ratione communi, nequit retinere affectum ad aliquod particulare ; secùs verò attritio, quæ cùm interdum procedat ex motivo speciali contra unum peccatum, non semper opponitur cuilibet peccato. Unde attritio procedens ex deformitate speciali alicujus peccati, non sufficit ad justificationem peccatorum in sacramento obtinendam, si peccator alia peccata specie diversa commiserit, sed tot debent multiplicari attritiones, quot sunt peccata specie diversa ; cùm tamen una contritio semper sufficiat pro omnibus peccatis, quia illa, ut diximus, est ex motivo universali cadente super omnia peccata.

24. Tertia differentia : Contritio habet convertere hominem in Deum ut ultimum finem, non verò attritio ; quia contritio cùm sit dolor de peccato ut est offensa Dei, facit hominem recedere à peccato, & accedere ad ipsum Deum ; impossibile enim est recedere à termino à quo, & non accedere ad terminum ad quem : At verò attritio, cùm sit dolor de peccato ex metu gehennæ, vel ob turpitudinem peccati, facit quidem recedere à peccato, sed non facit accedere ad Deum immediatè & efficaciter, sed tantùm ad vitationem pœnarum, vel ad honestatem virtutis cui opponitur propria turpitudo peccati.

25. Ex hoc oritur quarta differentia, nimirum quòd attritio potest procedere ex timore servili, contritio verò semper imperatur à charitate ; cùm enim accedere ad Deum ut ultimum finem, sit proprium charitatis, nulli alteri potest competere, nisi ex imperio charitatis.

26. Quinta differentia est, quòd attritio potest esse informis, contritio nunquam ; quia attritio neque ex natura sua, neque ex divina promissione, affert secum infallibiliter gratiam justificantem ; contra verò contritio, cùm à charitate imperetur, & ad Deum ut ultimum finem convertat, semper & infallibiliter disponit ad justificationem, & habet annexam amicitiam & perfectam conversionem Dei ad peccatorem, per infusionem gratiæ sanctificantis.

27. Sextò in eo contritio & attritio differunt, quòd contritio detestatur peccatum supra omne malum pœnæ, non verò attritio, quæ est ex motivo gehennæ ; nullus enim actus excedit motivum sub quo fertur in objectum, cùm ab eo habeat totam suam vim & efficaciam : Ergo qui detestatur peccatum solùm propter malum pœnæ, non detestatur plus peccatum, quàm malum pœnæ.

28. Demum contritio est dolor perfectus de peccatis commissis, attritio verò est solùm imperfecta quædam de illis displicentia, ut declarat D. Thomas hîc art. 2. ad 2. his verbis : *Attritio non dicit accessum ad perfectam contritionem, unde in corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquo modo diminuta sunt, sed non adhuc perfectè sunt comminuta. Sed contrita dicuntur, quando omnes partes tritæ sunt simul per divisionem ad minima. Et ideò attritio significat in spiritualibus quandam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam : contritio autem perfectam.*

29. Ex dictis inferes contra Cajetanum, attritionem nunquam posse fieri contritionem formaliter, quia cùm differant essentialiter, & non tantùm penes intensionem, aut durationem, vel aliud accidentale, non potest una fieri altera per accessionem novi gradûs, aut quid simile, sed opus esset mutatione essentiæ, quæ impossibilis est : nulla enim res potest esse aliud quàm id quod est essentialiter secundùm suam speciem vel naturam. Dixi non posse fieri contritionem *formaliter*, quia in Sacramento pœnitentiæ attritio fit contritio virtualiter seu æquivalenter, nam ut adjuncta tali Sacramento, habet vim contritionis, & obit quodammodo munus illius, eique

Universidad de Deusto
Biblioteca

æquivalet; quia disponit hominem ad effectum Sacramenti, seu ad justificationem, sicut ipsa contritio, ut art. sequenti ostendemus. Et in hoc sensu intelligi debet commune illud Theologorum axioma, Sacramentum pœnitentiæ de attrito facit contritum; quia nempè attritio, ut juncta tali Sacramento, contritioni æquivalet. Vel ut alij volunt, hæc propositio non est intelligenda de contrito actualiter, sed tantùm de contrito habitualiter, quia nimirum licèt qui solùm attritus ad Sacramentum pœnitentiæ accedit, non habeat actum formalem contritionis, habet tamen cum gratia sanctificante infusum habitum pœnitentiæ, qui cùm sit ex propria ratione principium actûs contritionis, licèt actum non eliciat, sufficiens tamen est ad denominandum habitualiter contritum. Unde notat Soto in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 5. concl. 2. significantiùs dici, homo ex attrito fit contritus, adveniente gratiâ, quàm attritio fit contritio; quia hic posterior modus loquendi significat mutationem intrinsecam attritionis in contritionem; prior verò solùm denotat mutationem extrinsecam ex parte subjecti, quod de attrito in actu, fit contritum habitu.

ARTICULUS II.

An attritio ex metu gehennæ sit actus bonus, & sufficiat ad dignè & fructuosè recipiendum Sacramentum pœnitentiæ?

30. LUtherani damnant dolorem ex timore pœnæ conceptum, asseruntque illum facere homines hypocritas, & magis peccatores. Quidam verò Doctores Catholici, inter quos Estius, Sylvius, & Jansenius præcipui sunt, fatentur quidem attritionem quâ quis dolet de peccato ex solo timore pœnarum infernalium, esse actum bonum & honestum, sed negant illam esse sufficientem dispositionem ad dignè suscipiendum Sacramentum pœnitentiæ, ejusque effectum consequendum. Eandem sententiam tenent multi Doctores, qui ante Tridentinum scripserunt. Verùm post Tridentinum magis communiter Scholastici docent, attritionem ex metu gehennæ, non solùm esse actum bonum & honestum, sed etiam ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere, eique sententiæ apertè videtur favere Concilium sess. 14. cap. 4. ut patebit ex infrà dicendis.

§. I.

Lutheranorum error refellitur.

31. DIco primò, attritio ex metu gehennæ, est actus bonus & laudabilis, ac utilis ad salutem. Conclusio est certa de fide, ac definita in Tridentino sess. 6. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccatis abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.* Et sess. 14. cap. 4. definit, dolorem ex gehennæ & pœnarum metu conceptum, *si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.*

32. Probatur primò conclusio ex Scriptura: Proverb. 1. *Timor Domini principium sapientiæ*, quod SS. Patres explicant de timore servili, nam hic est, qui sapientiam inchoat; non filialis, qui illam perficit & consummat Eccles. 1. *Timor Domini expellit peccatum*, inchoativè scilicet & dispositivè, quia ad justificationem & expulsionem peccati disponit. Unde Isaiæ 26. ubi Vulgata habet: *Concepimus & quasi parturivimus, & peperimus spiritum: salutes non fecimus in terra:* Septuaginta legunt: *A timore tuo Domine concepimus, & peperimus spiritum salutis*, id est *pœnitentiæ salutaris*, ut explicat D. Thomas 3. p. quæst. 85. art. 5. in argumento *sed contra*. Huc pertinere potest, quod Augustinus Tract. 8. in Epist. 1. Joan. ait: *Cœpit aliquis credere diem judicij: Si cœpit credere, cœpit & timere: Timendo corrigit se, vigilat adversus hostes suos, id est peccata sua; incipit reviviscere interius, &c.* Et Tract. 9. in Epist. Joan. *Opus est* (inquit) *ut intret timor primò, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas.* Adhibetque ad id confirmandum similitudinem setæ, per quam linum introducitur: *Si nullus est timor* (subdit) *non est quâ intret charitas: sicut videmus per setam introduci linum, &c.* Item in Ps. 127. apertè docet hunc timorem servilem, bonum esse & utilem: *Ille timor nondum castus* (inquit) *præsentiam Domini, & pœnas timet; timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, utilis est.* Et certè, nisi bonus esset & utilis, Christus ad illum non hortaretur Matth. 10. sic dicens: *Timete eum qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Nec Joannes Baptista Lucæ 3. ex timore pœnæ homines ad pœnitentiam excitasset, his verbis: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Nec etiam tantopere SS. Patres timorem illum commendarent & laudarent, sicut illum extollunt, nam Clemens Alexandrinus illum *fidei coadjutorem* appellat; Ambrosius, *clavum animæ fluctuantis*: Gregorius Magnus: *Anchora mentis* (inquit) *pondus timoris.* Tertullianus de cultu fœmin. cap. 2. *Timor fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum timoris.* Demum Petrus Cellensis lib. de panibus cap. 14. *Quasi quidam custos super innumerabiles gazas, sic timor in ultimo carismatum ponitur, ad conservandas incomparabiles gratias. Gemma pretiosissima pietas, sed facilè ab impietate subripitur, nisi timore custodiatur ..... Habeamus bonas & pulchras gratiarum puellas, sed sub custodia diligentissimi pædagogi, scilicet timoris.*

33. Potest etiam conclusio hac ratione suaderi. Timor est quædam fuga mali; fuga verò mali rationem suam sumit ex bono cui opponitur istud malum, cùm malum odio haberi & fugi non possit, nisi quia adversatur bono: Sed bonum cui adversatur gehenna tanquam malum, nempè cœlestis gloria & beatitudo, licito, bono, rectoque desiderio appeti potest: licitum ergo bonum, & rectum est, gehennam, tanquam oppositum ei malum, timendo fugere, subindeque attritio ex metu gehennæ est actus bonus & laudabilis.

34. Confirmatur: In attritione ex metu gehennæ tria solùm reperiuntur, nempè intentio finis, videlicet voluntas fugiendi pœnam; mediũ, scilicet detestari

detestari peccatum; & ordinatio talis medij ad illum finem: Sed quodlibet ex illis tribus est bonum & honestum: Ergo & attritio ex metu gehennæ bona & honesta est. Major patet, Minor verò quoad singulas partes suadetur. Et in primis quòd voluntas fugiendi pœnam bona sit, manifestum est, utpotè cùm illa pœna quam intendit fugere, verbi gratiâ pœna inferni, sit mala, & ex se odio digna. Quòd etiam detestatio peccati sit bona, per se constat. Demum quòd ejus ordinatio ad vitandam pœnam, bona sit, ex eo patet, quod nullum est medium aptius ex natura rei ad vitandum pœnam, quàm vitare culpam; & licèt culpa sit malum altioris ordinis quàm pœna, dummodo tamen detestatio peccati ordinetur ad fugam pœnæ præcisè tanquam ad finem proximum, ita ut non excludat peccator ultiorem ejus relationem ad Deum, non est mala talis ordinatio, sed bona; Deus enim ipse interdum ordinat bonum excellentioris ordinis ad bonum inferioris ordinis, quando utrumque in gloriam suam cedit, ut patet in Incarnatione & passione Christi, quam ordinavit ad nostram salutem, tanquam ad finem proximum, juxta illud Symboli Nicæni: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis, & incarnatus est.*

§. II.

Solvuntur objectiones Hæreticorum.

35. COntra istam conclusionem objiciunt hæretici: Qui ex solo metu gehennæ dolet de peccatis, peccat: Ergo attritio ex metu gehennæ non est actus bonus & laudabilis. Consequentia patet, Antecedens probatur multipliciter. Primò ex Augustino dicente quod si fur desinat furari ex eo solùm quod videtur, furti est conscius: Ergo similiter qui dolet de peccato, & desinit peccare ex eo solùm, quod timet gehennam, peccati conscius est.

Secundò, Actus quo quis magis dolet de pœna quàm de culpa, est malus & vituperabilis, utpotè contra rationem naturalem dictantem magis esse dolendum de majori malo, quàm de minori: Sed qui ex solo metu gehennæ dolet de peccatis suis, magis dolet de pœna, quàm de culpa, dolet enim de culpa propter pœnas: propter quod autem unumquodque tale, & illud magis: Ergo qui ex solo metu gehennæ dolet de peccatis, peccat.

Tertiò, Actus virtualiter & implicitè includens voluntatem moraliter malam, est malus: Sed dolor de peccatis ex metu gehennæ, includit voluntatem moraliter malam; nam implicitè & virtualiter includit hunc affectum, peccata non detestarer, si nulla esset eis imposita pœna: Ergo talis dolor malus & vituperabilis est.

Quartò, Ordinare majus bonum ad minus bonum, malum ac vituperabile est, cùm in eo fiat injuria majori bono, quòd ordinetur ad minus: Sed ille qui dolet de peccatis propter solum gehennæ metum, ordinat majus bonum, scilicet vitationem culpæ ad minus bonum, nimirum vitationem pœnæ: Ergo malè agit, & peccat.

Quintò, Si timor servilis bonus sit, erit etiam bonus timor mundanus: At hic bonus non est, quippe qui homines malos facit: Ergo nec timor servilis subindeque nec dolor ex illo proveniens.

Denique, Si attritio ex metu gehennæ esset bona & laudabilis, esset actus virtutis: Sed hoc dici nequit, ut innuit S. Thomas hic art. 2. ad 2. Ergo nec illud.

36. Respondeo negando Antecedens, & ad primam illius probationem, concesso Antecedente, nego Consequentiam & paritatem; nam D. Augustinus dum ait quod si fur desinat furari ex eo quod videtur, peccati est conscius, supponit quod talis fur habeat intentionem furandi, & quod retineatur solùm ab externa executione ex timore aliorum: qui autem detestatur peccatum propter pœnas inferni, non retinet ampliùs voluntatem peccandi; quia cùm motivum illud ad omnia peccata se extendat, virtualiter omni peccato adversatur, & est virtualis dolor de omnibus peccatis.

Ad secundam, distinguo Majorem: Actus quo quis magis dolet de pœna, quàm de culpa, faciendo illam expressam comparationem, & dicendo positivè, volo dolere magis de pœna quàm de culpa, malus est, concedo. Actus quo quis in re quidem magis dolet de pœna quam de culpa, sed tamen nullam inter utrumque facit comparationem, est malus, nego. Similiter distinguo Minorem: Qui ex solo metu gehennæ dolet de peccatis suis, magis dolet de pœna quàm de culpa, faciendo comparationem inter utrumque, nego Minorem. Absque comparatione inter utrumque, concedo Minorem, & nego Consequentiam. Nam quando fit comparatio inter malum culpæ & malum pœnæ, & tamen magis odio habetur istud quàm illud, eo ipso malum pœnæ præfertur malo culpæ, quod certè vitiosum est, quia perversum. At verò quando quis non faciendo comparationem inter utrumque, dolet de culpa propter pœnam, licèt eo ipso magis doleat de pœna quàm de culpa, non tamen propterea malum pœnæ præfert malo culpæ; quia actus ille doloris de culpa propter pœnam, non excludit quin homo simpliciter loquendo, & propter alias rationes, possit magis detestari culpam, quàm pœnam; putà quia culpa magis contrariatur Deo, quàm pœna. Unde falsum est, in illo actu virtualiter includi hunc affectum, peccata non detestarer, si nulla eis esset imposita pœna; tum quia ille actus, ut diximus, non excludit positivè omne aliud motivum ad detestandum peccatum, sed tantùm ipsum non includit. Tum etiam, quia in eo motivo non sistit ultimò affectus, sed tantùm proximè; quare virtute tendit etiam ad Deum ut finem ultimum, sicut actus spei proximè & formaliter tendit ad Deum, ut bonum ipsi speranti; virtute autem & implicitè ad Deum secundùm se. Per quod patet ad tertiam probationem.

Ad quartam distinguo Majorem: Ordinare majus bonum ad minus bonum, ut ad finem ultimum, malum ac vituperabile est, concedo Majorem. Ordinare majus bonum ad minus bonum, tanquam ad finem proximum, nego Majorem. Deus enim ipse, ut suprà dicebamus, interdum ordinat bonum excellentioris ordinis ad bonum inferioris ordinis, ut cùm Incarnationem & Passionem Christi, in nostram salutem & gloriam ordinavit. Similiter distinguo Minorem: qui dolet de peccatis propter solum gehennæ metum, ordinat majus bonum ad minus bonum, tanquam ad finem proximum, concedo Minorem. Tanquam ad finem ultimum, nego Minorem & Consequentiam. Sicut ergo nulla est inordinatio vel peccatum, ordinare sacrificia & orationes ut

Universidad de Deusto
Biblioteca

media ad obtinendam sanitatem corporalem, vel aliquid aliud temporale ; ita nec ordinare attritionem ad vitandam pœnam, tanquam ad finem proximum, quamvis attritio sit quid perfectius vitatione pœnarum. Solùm ergo esset peccatum ordinare attritionem ad vitandam pœnam tanquam ad finem ultimum, quod faceret ille qui detestando peccata propter pœnam, ita esset actualiter aut virtualiter affectus, ut si non essent pœnæ, nullo modo doleret de peccato ; sed tunc talis dolor non esset attritio de qua loquimur.

Dices, Attritio non tendit in Deum ut ultimum finem : Ergo vitatio pœnarum est ultimus finis illius. Consequentia patet, Antecedens etiam ex eo constat, quòd homo eliciens attritionem, non justificatur per illam, atque adeò B semper manet in peccato, subindeque ad creaturam ut ad ultimum finem conversus, unde cùm non possit habere plures ultimos fines, non tendit in Deum ut in ultimum finem.

Respondeo distinguendo Antecedens : Non tendit in Deum efficaciter, concedo : inefficaciter, nego. Ad probationem in contrarium similiter dico, non repugnare hominem habere unum ultimum finem, & ad alium inefficaciter tendere, ut in Tractatu de ultimo fine disp. 1. art. 6. §. 4. ostensum est ; alioquin, ut ibi dicebamus, sequeretur opera moraliter bona hominis existentis in peccato mortali, putà eleemosynam, vel jejunium, esse peccata mortalia ; quia cùm non C tendant efficaciter in Deum ut ultimum finem, creaturam pro ultimo fine haberent.

Ad quintam principalis Antecedentis probationem, nego sequelam Majoris, nam timor mundanus est timor creaturæ, affectu cujus non veretur homo offendere Deum : timor verò servilis est timor Dei, quem timet offendere metu pœnæ quam peccatis infligit ; quo fit ut ille non tollat affectum peccandi, sed potiùs sit causa peccati ; iste verò tollat peccatum & affectum peccandi.

Ad sextam nego etiam sequelam Majoris, attritio enim, licèt bona, non est tamen actus virtutis, sicut contritio ; tum quia non facit homi- D nem bonum simpliciter, sed tantùm secundùm quid, cùm sit ante gratiam & charitatem ; tum etiam, quia non est, sicut contritio, detestatio peccati perfecta, nec consequenter dispositio perfecti ad optimum. Nec obest si dicas, quod actus fidei & spei sic se habent, & tamen sunt actus virtutum. Nam licèt fides & spes sint via ad majorem perfectionem, sunt tamen perfectæ in sua linea ; fides quidem, ex eo quod sit cognitio, quâ nulla certior ; spes, ex eo quod sit tendentia in beatitudinem, quâ nulla securior & firmior ; attritio verò non est dolor de peccato, quo nullus major sive perfectior.

E

§. III.

Alia difficultas resolvitur.

DIco secundò, attritionem ex metu gehennæ, esse dispositionem sufficientem ad justificationis gratiam in sacramento pœnitentiæ obtinendam.

37. Probatur primò ex Tridentino sess. 14. cap. 4. ubi apertè nostram conclusionem docet nam postquam circa medium capitis divisit contritionem in perfectam, quæ ex charitate procedit, & imperfectam, quæ attritio dicitur, *quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex ge-* A *hennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ*, subdit, *illam non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat* (sicut facit contritio perfecta) *tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Quibus verbis Sancta Synodus inter utramque contritionem duplex assignat discrimen. Unum quòd attritio tendit in peccatum ex motivo inferiori, quàm contritio perfecta ; nimirum ex motivo turpitudinis peccati, aut metu gehennæ, non autem ex consideratione Dei summè dilecti propter se. Alterum quòd contritio perfecta per se sufficit ad justificationem obtinendam, id est sine sacramento, cum solo illius voto : attritio verò disponit quidem ad illam in sacramento impetrandam, sed sine sacramento reipsa percepto non sufficit.

38. Respondent primò Adversarij, Concilium ibi non loqui de dispositione ultima sufficiente cum sacramento, sed de dispositione remota, & insufficiente.

Sed contra primò : Concilium ibi docet attritionem ex gehennæ metu, si voluntatem peccandi excludat, ad justificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, eodem modo disponere, quo contritio, priusquàm hoc sacramentum suscipiatur, ad eam disponit : Sed contritio ultimò & sufficienter disponit ad gratiam justificationis extra sacramentum obtinendam : Ergo Tridentinum intendit attritionem simili modo, id est proximè & sufficienter, in sacramento disponere ad justificationem.

Contra secundò : Ex Tridentino attritio aliter in sacramento & aliter extra sacramentum ad justificationem disponit : Sed extra sacramentum remotè & insufficienter ad justificationem dispo- 39. nit, quando aliquis ab illa ad contritionem perfectam ascendit : Ergo ex Tridentino in sacramento proximè & sufficienter disponit ad justificationem.

Respondent secundò, Concilium cùm ait attritionem in sacramento ad justificationem disponere, non loqui de illa attritione quæ est ex metu pœnarum, sed de illa quæ est ex amore Dei super omnia, licèt imperfecto, sive de illa quæ est verè & essentialiter contritio, quamvis imperfecta ; illam enim attritionem (inquit Sylvius) vocat idem Concilium contritionem licèt imperfectam.

40. Verùm hæc interpretatio apertè repugnat Concilio, & ab ejus mente prorsus aliena est. Primò, quia Concilium de illa attritione, quam ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere asserit, ait quod illa vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur : Ergo non loquitur de attritione quæ est ex amore Dei imperfecto & inchoato, sed de illa quæ est ex metu Pœnarum.

41. Secundò, De illa attritione loquitur Concilium, de qua statim ibidem ait, non facere hominem hypocritam, sicut docuerat Lutherus : Sed attritio quam docuerat Lutherus facere hominem hypocritam, non erat illa quæ procedit ex charitate imperfecta & inchoata, sed ea quæ ex

ex solo metu pœnarum oritur, ut constat ex dictis §. 1. Ergo de ista duntaxat loquitur Tridentinum loco citato. A

42. Tertiò, Concilium ibidem ait attritionem illam quæ ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam disponit, *esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed animam moventis* : Atqui attritio ex amore Dei super omnia, licèt imperfecto, est impulsus Spiritus Sancti jam inhabitantis animam, inhabitat enim Spiritus Sanctus animam per gratiam : charitas autem, quantumvis debilis & remissa, nunquam est sine gratia, ut infrà patebit : Ergo idem quod priùs.

43. Quartò, De eadem attritione subdit statim Concilium : *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit* : Sed nulla est contritio ex charitate, sive ex amore Dei super omnia, quantumvis imperfecto & remisso, quæ non possit etiam extra sacramentum perducere peccatorem ad justificationem, cùm sit essentialiter ultima dispositio ad eam : Ergo non loqitur Concilium loco citato de illa contritione, sed de attritione quæ est præcisè ex metu pœnarum. B

44. Demum Concilium postquam dixit attritionem esse actum bonum, & ex impulsu Spiritus Sancti conceptum, atque ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere, in fine ejusdem capitis sic concludit : *Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium, gratiam conferre : quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.* Atqui Hæretici ex eo solùm occasionem captarunt calumniandi Catholicos Scriptores &c. quòd existimarunt attritionem quæ est ex metu pœnarum, non esse actum bonum, sed malum, atque reddere hominem hypocritam : Ergo attritionem conceptam ex metu gehennæ & pœnarum docet Concilium disponere ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam. Et ta- D citè sic argumentatur : Attritio concepta ex metu gehennæ, est actus bonus : Ergo gratia non confertur in Sacramento Pœnitentiæ sine actu bono suscipientium, etiam tunc quando sacramentum recipitur cum sola attritione : Atque ita Catholici Scriptores qui dicunt gratiam conferri in Sacramento pœnitentiæ cum sola attritione, non propterea tradunt conferri gratiam in tali sacramento absque bono motu suscipientium, ut quidam calumniantur. Certè si ultra attritionem requireretur contritio ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, non erat quòd Concilium probaret attritionem esse actum bonum, ut inde inferret Sacramentum Pœnitentiæ non E conferre gratiam sine bono motu suscipientis ; sufficit enim ad hoc inferendum quod contritio perfecta sit actus bonus, si Sacramentum Pœnitentiæ non potest sine illa gratiam conferre, ut rectè observavit Anti-Jansenius disp. 19. sect. 8.

45. Ad id verò quod subdit Sylvius, nempè Concilium attritionem illam quam dicit ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam disponere, *contritionem imperfectam* appellare. Respondet P. Nicolaï in Scholiis ad quæst. 9. Supplementi art. 2. quod non appellatur imperfecta Jansseniano sensu, propter defectum gradûs tantùm ; sicut puer vir imperfectus dicitur, quia totam perfectionem viri nondum habet ; sed imperfecta vocatur, propter defectum essentiæ contritionis, in qua charitas actu includitur ; sicut vir imperfectus embrio est, quia essentiam humanam nondum habet, sed est dispositio ad illam habendam.

Probatur secundò ex D. Thoma in 4. dist. 6. qu. 1. art. 3. ad 5. ubisic habet : *Ad hoc ut homo se præparet ad gratiam in baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio* : Sed eadem est ratio quantùm ad hoc de pœnitentia, ac de baptismo, cùm utrumque sit sacramentum mortuorum : unde Adversarij probant suam sententiam ex Tridentino sess. 6. cap. 6. ubi inter dispositiones quibus peccatores paulatim disponuntur ad justificationem per baptismum recipiendam, recensetamorem, quo Deum tanquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt, ut infra patebit : Ergo ad obtinendam gratiam justificationis in sacramento pœnitentiæ, non requiritur actus contritionis vel charitatis, sed sufficit attritio ex aliquo motivo supernaturali concepta.

§. IV.

Duplici ratione conclusio nostra suadetur.

PRima sumitur ex institutione & natura Sa- 46. cramenti Pœnitentiæ, quod cùm sit Sacramentum mortuorum, ad causandam primam gratiam institutum est : Sed sacramentum ad causandam primam gratiam institutum, non exigit subjectum per contritionem dispositum : Ergo attritio est dispositio sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ. Major constat, tum ex Conciliis & Patribus, à quibus duo mortuorum sacramenta assignantur ; alterum regenerativum, nempè baptismus ; alterum reparativum, scilicet pœnitentia ; tum ex forma hujus sacramenti, quæ gratiam peccatorum remissivam significat. Minor verò probatur. Sacramentum institutum ad causandam primam gratiam, debet aliquando eam causare : Sed si necessaria esset contritio ex parte subjecti, nunquam illam causaret ; quia præsupponeret illam semper causatam ex vi ipsius contritionis, quæ, ut suprà disp. 3. contra Bajum ostendimus, est ultima & infallibilis dispositio ad gratiam & peccatorum remissionem, etiam extra sacramentum, obtinendam : Ergo sacramentum ad causandam primam gratiam institutum, non exigit subjectum per contritionem dispositum. D

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio ex 47. S. Thoma 3. p. quæst. 80. art. 4. ad 2. hoc sacramentum est institutum ut medicina ad tollendum peccatum : At medicina non supponit morbum sublatum, sed tollit : Ergo pœnitentia non supponit peccatum per contritionem sublatum, sed illud tollit. Unde qui dicunt contritionem esse dispositionem necessariam ut absolutio recipiatur, & Sacramentum Pœnitentiæ operetur in nobis remissionem peccatorum, illius naturam prorsus ignorant, idemque asserunt ac qui diceret, medicinam aliquam à prudente aliquo & perito medico institutam fuisse ad tollendum genus morbi, quod nunquam ipsa tolleret, sed semper & necessariò sublatum esse præsupponeret ; quod plane ridiculum & absurdum est, & Christi sapientiâ sacramentorum institutoris

Universidad de Deusto
Biblioteca

prorsus indignum. Illi etiam coguntur asserere, Sacerdotem absolventem à peccatis, ea non remittere, sed illa esse jam remissa solùm declarare; quod prorsus erroneum esse patebit infrà, cùm de absolutione sacramentali agemus. Unde meritò Facultas Parisiensis duas Seguenoti assertiones hac censurâ notavit 1. Junij anno 1638. *Quæ tradit de attritionis insufficientia, & contritionis ex perfecta charitate absoluta necessitate ad recipiendum sacramentum pœnitentiæ, & quæ addit & approbat de absolutione, quòd nihil aliud sit, quàm declaratio juridica peccati jam remissi; damnavit quoque Facultas, & censuit has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi & omnino tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ sacramenti imminutivas, & insuper temerarias, ac erroneas.*

48. Confirmatur ampliùs: Sacramentum pœnitentiæ, juxta commune Theologorum axioma, facit ex attrito contritum: At si subjectum per contritionem dispositum exigeret nunquam faceret de attrito contritum, sed tale semper supponeret: Ergo ad sacramentum pœnitentiæ non requiritur contritio, sed sufficit sola attritio, quæ adjunctâ absolutione sacerdotali, contritioni æquivalet, & tam benè confert gratiam & remissionem peccati, quàm ipsa contritio.

49. Secunda ratio sumitur ex absurdo & inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia. Si enim vera esset opinio Jansenij, & aliorum existimantium, attritionem non esse sufficientem dispositionem ad justificationis gratiam in sacramento pœnitentiæ obtinendam, sed hoc sacramentum exigere necessariò contritionem in pœnitente, sacramentum pœnitentiæ, quo lex gratiæ præstat antiquæ, non esset beneficium, nec medium efficax, quo impedimenta ad salutem semoverentur, sed onus lege antiquâ gravius; non enim afferret facilitatem assequendæ remissionis peccatorum, sed potiùs eam longè difficiliorem redderet; nam cùm in lege veteri, ad eam obtinendam solus actus contritionis sufficeret, nunc ulteriùs requiritur confessio omnium peccatorum mortalium post baptismum commissorum, secundùm speciem & numerum & circunstantias, saltem mutantes speciem; quo onere nullum in lege nova gravius ac difficilius est plerisque Christianorum.

50. Ut ab his argumentis sese expediant Adversarij, distinguunt duplicem contritionem; unam perfectam, ad quam necessariò requiritur charitas actualis perfecta; aliam imperfectam, ad quam non requiritur necessariò charitas actualis perfecta, sed sufficit inchoata & imperfecta; adduntque primam contritionem habere vim excludendi peccatum per se solam, & sine sacramento, non verò alteram. Ita Jansenius lib. 5. de gratia Christi Salvatoris cap. 34.

51. Verùm hæc solutio & doctrina facilè potest convelli. Primò quia distinctio hujus duplicis contritionis nullum habet fundamentum sive in Scriptura, sive in Conciliis, aut Patribus, sed potiùs repugnat Tridentino suprà citato, asserenti contritionem perfectam à charitate procedere; imperfectam verò, ex gehennæ metu, aut turpitudinis peccati consideratione oriri; unde, juxta Tridentinum, nulla datur contritio imperfecta ex charitate procedens.

52. Secundò, Adversarij hac distinctione duplicis contritionis, non possunt se tueri vel expedire ab inconvenientibus quæ adduximus, neque salvare quod Sacramentum Pœnitentiæ ex sua natura & institutione habeat causare primam gratiam, & reddere hominem de attrito contritum. Si enim exigat subjectum per contritionem aliquam & charitatem inchoatam & imperfectam dispositum, nunquam remittit peccata, sed ea semper per talem contritionem & charitatem imperfectam remissa supponit. Nam quæcumque charitas, quantumvis parva, & remissa, omne peccatum mortale excludit, & cum eo incompossibilis est, ut colligitur ex D. Thoma 3. p. quæst. 70. art. 4. in corp. ubi sic ait: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri & argenti.*

Ratio etiam suffragatur: Nam de ratione & essentia charitatis est, quòd sit inclinatio in Deum tanquam in ultimum finem, unde nulla potest dari charitas, quantumvis parva & remissa, quæ hominem non inclinet & convertat in Deum tanquam in finem ultimum, subindeque quæ excludat omne peccatum mortale, per quod homo à Deo ut ab ultimo fine avertitur; alioquin idem homo simul esset conversus & aversus à Deo ut ultimo fine, quod implicat.

§. V.

Convelluntur præcipua fundamenta Jansenij.

54. Objicit primò Jansenius contra præcedentem conclusionem: Dolor qui sufficienter disponit ad justificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam, debet esse supernaturalis, & ex gratia Christi Salvatoris: Sed attritio ex metu gehennæ non est supernaturalis; licèt enim timor gehennæ ex quo procedit, supponat fidem, ipsâ tamen suppositâ, ex naturalibus voluntatis viribus pullulare potest. *Quid est enim* (inquit) *timor gehennæ, nisi timor cruciatuum, quibus post hanc vitam, naturalis corporis atque animi constitutio, integritas, & salus tollitur; quam sicut omnis homo naturaliter diligit, simul atque sibi vel divinâ fide, vel humana opinatione vitam aliquam corporis atque animæ futuram esse persuaserit; ita quoque naturaliter violationem ejus per dolores atque cruciatus exhorrescit. Nihil enim vetat ex supernaturali aliqua cognitione præeunte, naturaliter aliquos timores, tristitiasque sequi, dummodo objectum eorum naturalis ordinis fuerit.* Similiter timor gehennæ non est ex gratia Christi Salvatoris: *Nam ista gratia* (inquit) *effectum prorsus oppositum in voluntate facit: est enim inspiratio cœlestis delectationis, quâ Deus incipit dulcescere, quem timebat; quâque dulcedine perfusus animus, jam non formidine pœnæ, sed justitiæ dilectione, operatur bonum* &c. Ergo attritio ex metu gehennæ non est dispositio sufficiens ad justificationis gratiam in sacramento pœnitentiæ obtinendam.

55. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem; ad timorem enim pœnarum inferni, qui sit efficax ad retrahendum affectum à peccato, qualis est ille omnis quem vera attritio ob pœnas inferni importat, necessaria est specialis gratia ex parte voluntatis, distincta à gratia fidei ex parte intellectûs. Hoc enim manifestè colligitur ex Concilio Arausicano 2. can. 6. dicente *hæretico fallí spiritu eum qui dicit, per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ,*

næ, cogitare ut expedit, aut eligere nos posse, absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti. Cùm ergo timor ille de quo loquimur, sit bonum aliquod ad salutem vitæ æternæ pertinens, planum est, illum non posse concipi per solum naturæ vigorem, sine illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, hoc est sine gratia Christi propriè dicta, de qua sine dubio loquitur Arausicanum, quippe de qua erat illi controversia cum Semipelagianis, quos ibi damnat. Unde Tridentinum sess. 6. cap. 5. ait *ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Iesum Christum præveniente gratiâ sumendum esse.* Et cap. sequenti inter actus quibus pœnitens ad justificationis gratiam se disponit, numerat actum fidei, *& actum timoris divinæ justitiæ, quo utiliter concussi peccatores, ad considerandum Dei misericordiam se convertant.* Ergo ex Tridentino timor ille est ex gratia Christi Salvatoris. Falsum ergo est quod ait Jansenius, veram Christi gratiam non esse aliam nisi delectationem charitatis; non enim solùm desiderio aut delectatione boni, sed etiam timore mali Deus nos à peccatis retrahit; imò ut ait Augustinus lib. de catechizandis rudibus cap. 5. *Rarissimè accidit, imò verò nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo timore Dei perculsus.*

56. Objicit secundò Jansenius: Ille actus non sufficit ad dignè suscipiendum sacramentum pœnitentiæ, qui non tollit affectum ad peccatum: Sed attritio ex metu gehennæ non tollit affectum ad peccatum; Nam timor ille (inquit) manus quidem coercet, ne homines faciant malum, at non malè faciendi voluntatem intus vigentem, quæ tunc in opere quoque sese proderet, si pœna comminata tolleretur. Unde Augustinus Tract. 9. in Epist. Joan. peccatores ita timentes, atque à peccato ex tali metu abstinentes comparat adulteræ, quæ habens animum adulterandi, abstinet solùm ab opere, timens ne à marito deprehendatur, & severè puniatur: vel lupo invadenti ovile, & metu canum & pastorum recedenti sine præda quidem, sed non sine affectu auferendi, si potuisset: *Lupus enim venit, & lupus redit: venit fremens, & redit tremens: lupus est tamen & tremens & fremens*, ut ait serm. 19. de verbis Apost. cap. 9.

Duplicem verò ait Jansenius esse hujus doctrinæ radicem, prima est, quia qui nudo timore pœnæ peccatum fugit, invitus & animo repugnante fugit, ideoque non fugit peccatum, sed aliud quippiam. Nam ex sententia omnium Philosophorum, quæ purè aguntur ex metu, sunt involuntaria secundùm quid, sive mixta ex voluntario & involuntario; ex quo fit, ut qui aliquid facit ex metu, istum voluntatis actum conjunctum habeat, Nollem hoc facere, nisi mali impendentis metu urgèrer: verbi gratiâ mercator, qui ex metu naufragij merces projicit in mare, retinet voluntatis repugnantiam, quâ nollet id facere, si periculum tolleretur.

Alteram radicem ait esse, quia timor pœnæ non potest mutare voluntatem malam, sed solus amor justitiæ: *Impossibile est* (inquit) *eum qui peccandi voluntate detinetur, solo pœnæ timore mutare voluntatem: sed hoc proprium officium est charitatis, quâ animus à peccati tanquam injustitiæ dilectione, ad justitiæ dilectionem transfertur. Timor enim pœnæ premit, non exhaurit cupiditatem; continet manum, non animum, qui eodem modo ac si non timeret, peccato alicui affixus manet:* Ergo &c.

57. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem: Tridentinum enim suprà citatum, manifestè supponit aliquem esse timorem pœnarum & gehennæ, qui voluntatem peccandi excludit; dicit enim, *illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse &c.* Quibus verbis, *si voluntatem peccandi excludat*, manifestè insinuat, vel supponit, talem metum, talemque attritionem ex illo conceptam dari posse, quæ tollat affectum ad peccatum. Ad primam probationem in contrarium ex Augustino desumptam, dico S. Doctorem locis citatis loqui de timore propter pœnas, quarum fugam sibi proponit metuens, tanquam finem ultimum, qualis tamen non est ille quem importat vera attritio, fugam enim pœnarum inferni non sibi proponit pœnitens in illo actu tanquam ultimum finem, sed solùm tanquam finem proximum, quia non excludit positivè ulteriorem relationem ipsius ad Deum, sed merè negativè sive præcisivè quoad hoc se habet.

58. Ad secundam probationem respondeo, non semper ea quæ fiunt ex metu esse mixta ex voluntario & involuntario, sed solùm quoties voluntas in contrarium aliquo modo fertur, vel per actum nolitionis inefficacis illius quod facit ex metu, vel per actum amoris inefficacis illius quod rejicit ex metu: unde cùm regulariter Christiani doleant de peccato, ex solo metu inferni, absque aliquo actu amoris ad peccatum, & absque actu nolitionis talis doloris, non est actus attritionis de peccatis quem habent, ullo modo involuntarius.

Ad tertiam probationem nego, timorem pœnæ non posse mutare voluntatem, sed solùm amorem justitiæ, qui est proprius charitatis, nam licèt timor aliquis sit ejusmodi quòd amorem rei deserendæ secum admittat, & in voluntate simul vivere patiatur; datur tamen alius, qui omnem rei priùs dilectæ amorem, omnemque affectum ad peccatum prorsus excludit, ut patet ex Tridentino citato, & expresè docetur ab Augustino serm. 214. de tempore, his verbis: *Cum timetur pœna quam Deus minatur, discitur amari præmium quod pollicetur; ac sic per timorem pœnæ, bona vita retinetur; per bonam vitam, bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere: discat ad tempus esse solicitus, qui semper vult esse securus.* Et in Psal. 127. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se à peccato. Habent timorem, & per timorem continent se à peccato.*

59. Objicit tertiò Jansenius: Licèt dolor de peccatis ex timore gehennæ secundùm se sit bonus, si tamen qui eum habet, in eo, vel in amore sui ex quo provenit, ultimò quiescat, eo ipso redditur malus, & consequenter nequit esse dispositio ad dignè & fructuosè suscipiendum Sacramentum pœnitentiæ: Sed attritio ex metu gehennæ sic se habet, cùm enim sit dolor de peccatis, tantùm propter pœnas inferni, qui eam habet, in tali timore, sive in puro sui amore, ultimò quiescit: Ergo per illam nequit homo ad gratiam justificationis in Sacramento pœnitentiæ obtinendam se disponere.

Respondeo

Universidad de Deusto
Biblioteca

60. Respondeo eum qui dolet de peccatis solum propter pœnas inferni, dupliciter in amore sui ex quo dolor ille nascitur, posse ultimò quiescere; primò positivè & contrariè, excludendo nimirum relationem talis amoris & sui ipsius in Deum; secundò negativè tantùm, sive præcisivè, non referendo illum amorem, & actum doloris de peccatis ex eo provenientem, in Deum. Qui primo modo dolet de peccatis, fateor quod illum actum de se bonum vitiat, opponendo ei pravam circunstantiam, sed nego quod pœnitens de peccatis secundo modo, qualis est qui veram attritionem de illis habet propter solum gehennæ metum, sic se habeat, atque ita malè operetur.

61. Objicit quartò: Tridentinum multis in locis evidenter significat, nunquam justificationis gratiam, sive extra Sacramentum, sive in Sacramento pœnitentiæ, adultis dari, nisi contritio antecedat: nam sess. 14. cap. 3. docet materiam Sacramenti pœnitentiæ esse contritionem, eamque ad peccatorum remissionem ex Dei institutione requiri. Et can. 4. damnat eos anathemate, qui negaverint contritionem, confessionem, & satisfactionem, esse tres partes pœnitentiæ. Item ibidem cap. 6. dicit eum cui nulla adest contritio, non verè absolvi in Sacramento pœnitentiæ; quod tamen falsum esset manifestè, si attritio sufficeret ad dignè suscipiendum illud Sacramentum: Ergo ex Tridentino sola attritio non sufficit ad justificationis gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam.

62. Respondeo Concilium iis locis loqui de contritione generatim sumpta, pro eo quod commune est contritioni & attritioni; non verò de contritione specialiter sumpta pro eo dolore qui distinguitur ab attritione, & est propter Deum summè dilectum. Quod verò hæc interpretatio legitima sit, ex eo patet, quòd Concilium ibidem cap. 4. dividit contritionem in perfectam, & imperfectam, quæ attritio dicitur, istamque ait, ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere, quod de dispositione ultima intelligendum esse, suprà §. 3. ostensum est.

63. Objiciunt quintò Adversarij alium Tridentini locum, desumptum ex sessione 6. cap. 6. ubi loquendo de dispositionibus ad justificationem, disertis verbis pronuntiat disponi hominem ad justitiam, non tantùm per actus fidei, timoris, & spei, sed etiam dilectionis ex qua nascitur odium peccati, per propositionem novæ vitæ, ac denique observationis mandatorum divinorum. *In spem eriguntur* (inquit Concilium) *fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque, tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata, per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.* Ubi Concilium ad justificationem quæ fit per Baptismum, dilectionem inchoatam requirit, ut constat ex illis verbis, *illumque tanquam justitiæ fontem diligere incipiunt:* unde cùm non minor requiratur dispositio ad justificationem quæ fit per pœnitentiam, quàm ad illam quæ fit per Baptismum, ex illo Tridentini testimonio manifestè constare putant Adversarij, ad justificationem quæ fit per pœnitentiam, charitatem inchoatam & imperfectam necessariò requiri.

64. Verùm hæc parùm urgent, si enim hic Tridentini locus attentè perpendatur, manifestum erit, ibi sermonem esse de justificatione quæ fit extra Sacramentum, & per solum Baptismi votum & desiderium, ad quam non negamus actum contritionis & dilectionis requiri, sicut & ad illam quæ fit per votum pœnitentiæ, quando tale Sacramentum in re & de facto suscipi nequit; unde illud testimonium cui præcipuè nituntur Adversarij, nequaquam militat contra nostram sententiam, quæ solùm affirmat ad justificationem quæ fit in Sacramento Baptismi & Pœnitentiæ, sufficere attritionem de peccatis ex motivo aliquo supernaturali. Quod verò interpretatio nostra legitima sit, & ad mentem Tridentini, patet ex verbis illis, *dum proponunt suscipere Baptismum* &c. ex illis enim liquet, Concilium ibi non loqui de justificatione quæ fiat in actuali susceptione Baptismi, sed de illa solùm quæ fit per votum & desiderium illius, quando nimirum aliquis non valens suscipere Baptismum, per actus fidei, timoris, spei, dilectionis, & per votum & desiderium ipsius Baptismi, ad justificationem se disponit.

65. Eodem modo intelligenda & explicanda sunt aliqua SS. Patrum testimonia, quibus asseritur, sine charitate neminem justificari: vel enim loquuntur de justificatione quæ fit extra Sacramentum; vel si de justificatione quæ fit in Sacramento fiat sermo, solùm intendunt charitatem concomitanter ad justificationem requiri; quia nimirum licèt dum peccator justificatur in Sacramento non supponatur necessariò diligens Deum super omnia, ex vi tamen Sacramenti constituitur talis, non actu, sed habitu, quia in ejus susceptione charitas habitualis ei infunditur. Vide alias explicationes hujus loci ex Tridentino desumpti, in Manuali Thomistarum Tomo 6. vel 3. parte Tract. de pœnit. cap. 4. §. 4.

§. VI.

Corollarium præcedentis doctrinæ.

66. EX dictis confutata manet aliquorum sententia, qui asserunt, attritionem sufficere quidem ad valorem Sacramenti, non tamen ita ut ex ea sequatur immediatè justificatio, sed quia vi Sacramenti pœnitens ex actu imperfecto attritionis transit infallibiliter ad actum perfectum contritionis, ut ad proximam dispositionem ad gratiam. Nam Tridentinum suprà citatum non dicit attritionem esse sufficientem ad obtinendam contritionem, sed ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere, quod de proxima dispositione intelligendum esse suprà ostendimus; quia alioquin non benè compararet attritionem in Sacramento, cum contritione extra Sacramentum. Addo quod, Concilium loquitur de impetratione infallibili, qualis est illa quæ habetur per Sacramentum: At omnis qui cum attritione accedit ad Sacramentum, non elicit infallibiliter actum contritionis, ut experientiâ constat, plures enim cum sola attritione ad Sacramentum accedentes, post absolutionem à peccatis, majorem de illis dolorem non sentiunt quàm antea: Ergo &c.

67. Refellitur etiam ex dictis aliorum opinio, qui existimant requiri ad hoc Sacramentum attritionem quæ existimetur contritio. Nullus enim tenetur ad Sacramentum accedere cum majori dispositione, quàm de facto requiratur, ut paret in

in Baptismo, Eucharistia, & aliis Sacramentis: Sed reipsa sola attritio requiritur ad Sacramentum pœnitentiæ, ut suprà ostensum est: Ergo non est necessaria putata contritio, sed sufficit attritio etiam cognita & putata attritio.

68. Confirmatur: Si ad hoc Sacramentum necessaria esset attritio existimata contritio, illud non esset Sacramentum mortuorum, quia homini sibi conscio peccati mortalis nunquam liceret ad illud accedere, sed semper requireretur quod existimaret se esse vivum per gratiam.

69. Confirmatur ampliùs: Illa existimatio falsa ad hoc solùm potest deservire, ut homo accedendo ad hoc Sacramentum cum sola attritione, excusetur à transgressione præcepti: At nullibi extat præceptum de non accedendo ad hoc Sacramentum cum sola attritione: Ergo non requiritur quod attritio existimetur contritio. Major patet, cùm enim existimatio illa sit error, non potest esse dispositio, vel per se conducere ad disponendum hominem ad gratiam: Ergo ad hoc solùm potest deservire, ut homo accedendo cum sola attritione, excusetur à transgressione præcepti. Minor verò suadetur, quia tale præceptum nullibi habetur, neque in Scriptura, neque in Conciliis, neque in Patribus, neque in Traditione, neque ex ipsa hujus Sacramenti institutione colligitur, imò potiùs oppositum; cùm enim hoc Sacramentum sit institutum ad conferendam primam gratiam, ac propterea Sacramentum mortuorum appelletur, verisimile non est, Christum voluisse nos obligare ut ad illud accederemus cum contritione putata. Addo quod, si Christus pœnitentem obligaret ad contritionem putatam obligaret ad falsum, cùm talis existimatio falsa sit, ac difformis objecto: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

70. Demum ex suprà dictis colligitur, præceptum confessionis in lege Evangelica, successisse præcepto contritionis, non illud abrogando, sed in seipsum commutando, ita ut præceptum contritionis non obliget, quandiu præceptum confessionis servari potest. Patet hoc corollarium ex Tridentino loco suprà §. 3. citato, ubi dicitur quod contritio quæ charitate perfectâ hominem reconciliat Deo, priùs quàm Sacramentum pœnitentiæ actu suscipiatur, omni tempore fuit necessaria ad impetrandam veniam peccatorum: attritio verò, quæ per se peccatorem ad justificationem perducere nequit, eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere. Quibus verbis non obscurè innuitur, contritionem perfectam, quæ peccatorem etiam sine Sacramento actu suscepto justificat, necessariam fuisse ante institutionem Sacramenti pœnitentiæ, eique in lege nova successisse attritionem, quæ cum Sacramento pœnitentiæ præstat quod antea præstabat contritio.

ARTICULUS IV.

Qualis requiratur attritio ad effectum hujus Sacramenti?

71. DICO primò, ad effectum hujus Sacramenti requiritur attritio vera, & non sufficit apparens seu existimata.

Probatur breviter: Attritio est materia hujus Sacramenti, sicut aqua est materia Baptismi: Sed ad valorem Baptismi requiritur vera aqua, & non sufficit apparens seu existimata: Ergo pariter ad valorem & effectum Sacramenti pœnitentiæ necessaria est vera attritio, & non sufficit apparens seu existimata. Ex quo inferes, falsam esse aliquorum Casuistarum sententiam, qui docent ad hoc Sacramentum sufficere posse voluntatem confitendi, & recipiendi absolutionem, absque formali dolore, dummodo pœnitens nullum actum habeat quo formaliter vel virtualiter adhæreat peccato: voluntas enim confitendi, & recipiendi absolutionem, præcisè sumpta, non est vera attritio.

Dicò secundò, ad recipiendum effectum hujus Sacramenti, necessaria est attritio supernaturalis, quæ revera sit talis; unde non sufficit attritio naturalis, quæ supernaturalis existimetur.

72. Prima pars probatur tum ex Tridentino sess. 14. cap. 4. dicente attritionem quæ peccatorem disponit ad gratiam in hoc Sacramento impetrandam, esse donum Dei, & Spiritûs Sancti impulsum: quæ non conveniunt attritioni naturali. Tum etiam ratione fundamentali: Attritio enim ad hoc Sacramentum requisita, potest considerari, vel ut remotio peccati, vel ut dispositio ad gratiam: Sed quocumque ex his duobus modis consideretur, debet esse supernaturalis: Ergo &c. Major quoad secundam partem evidens est, quia dispositio debet esse ejusdem ordinis cum forma ad quam disponit. Probatur verò quantùm ad primam: Attritio enim ut est remotio peccati, debet retractare omnem aversionem quam per peccatum peccator contraxit; unde cùm in statu elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, homo per peccatum avertatur à Deo non solùm ut à fine naturali, sed etiam supernaturali, illius retractatio debet esse aliquo modo conversio ad finem etiam supernaturalem, subindeque supernaturalis.

73. Ex his probata manet secunda pars, cum enim attritio supernaturalis sit dispositio necessaria ad recipiendum effectum hujus Sacramenti, ut jam ostensum est, hinc fit quod quantumcumque quis existimet se habere attritionem supernaturalem, si tamen revera illam non habeat, non sit sufficienter dispositus: Atqui Sacramenta non conferunt gratiam nisi sufficienter dispositis: Ergo, quantumcumque quis existimet se habere attritionem supernaturalem, si tamen illâ careat, non recipit gratiam ex vi hujus Sacramenti. Licèt enim ei non ponat obicem positivè, quia propter ignorantiam invincibilem excusatur, benè tamen negativè, quia caret dispositione necessariâ.

74. Dices, Ille qui habet attritionem naturalem, habet motum contrarium peccato, scilicet aliqualem ejus detestationem: Ergo est sufficienter dispositus.

Respondeo negando Antecedens, quia (ut suprà dicebamus) peccatum avertit à Deo, etiam ut à fine supernaturali; attritio verò naturalis, non convertit in Deum ut finem supernaturalem, etiam imperfectè. Ex quo infertur, motivum attritionis quæ ad recipiendum hujus Sacramenti effectum disponit, debere esse supernaturale; nec sat esse ad effectum Sacramentalem obtinendum motivum naturale: Tum quia tale motivum assignat Tridentinum loco citato, ut scilicet concipiatur vel ex turpitudinis peccati consideratione (intelligit autem de turpitudine opposita alicui honestati supernaturali) vel ex gehennæ & pœnarum metu, nempè quatenus infliguntur

Universidad de Deusto
Biblioteca

infliguntur à Deo authore supernatnrali. Tum etiam, quia tale motivum est necessarium ad sufficienter retractandum peccatum in hoc statu commissum. Ex quo inferes, dolorem de peccatis propter Deum authorem naturæ elicitum, non esse sufficientem ad justificationis gratiam in hoc Sacramento obtinendam: tum quia talis dolor non est sufficiens ad tollendam aversionem à Deo ut authore supernaturali: tum etiam, quia cùm sit quoad substantiam naturalis, non est proportionatus & ejusdem ordinis cum gratia, subindeque non potest ad illam disponere, quia (ut supra dicebamus) dispositio debet esse ejusdem ordinis cum forma ad quam disponit.

75. Dico tertiò, Attritio Sacramentalis debet esse B universalis circa peccata mortalia commissa; non tamen est necesse ut sit universalis circa venialia.

Ratio est, quia nullum mortale in hoc Sacramento remitti potest sine attritione, cùmque nullum mortale remitti possit sine cæteris, necessariò sequitur attritionem ad hoc Sacramentum requisitam, debere esse universalem de omnibus mortalibus, è contra verò cùm unum veniale remitti possit sine alio, hæc universalis attritio non est necessaria in confessione venialium, sed sat erit atteri de uno tantùm, ne frustretur Sacramentum, quod pro materia essentialiter requirit dolorem.

76. Non desunt tamen aliqui Authores qui affir- C ment, accedere ad hoc Sacramentum sine attritione omnium venialium, saltem quæ clavibus subjiciuntur, esse mortale: quia (inquiunt) qui non dolet de omnibus venialibus à se confessis, proponit pro materia Sacramenti aliquid quod non potest esse illius materia: Ergo sicut graviter peccaret ille qui hostiam papyraceam proponeret cum triticeis ad consecrandum; sic ille qui proponit in confessione aliqua venialia, de quibus non dolet, peccat mortaliter

77. Verùm hæc sententia videtur nimis rigida, adeóque improbabilis; sicut enim peccata venialia non tenemur confiteri, ita ea possumus sine debito dolore Sacerdoti manifestare, non ad petendam absolutionem de illis, sed ad majorem D nostri confusionem & erubescentiam, dummodo ad validitatem Sacramenti, de aliquo sufficientem dolorem afferamus. Unde ad probationem in contrarium, nego Antecedens; ille enim qui sine dolore aliqua venialia in confessione manifestat, ea non proponit pro materia Sacramenti, nec confitetur de illis propriè, sed illa potiùs inter confitendum exponit; quod, ut diximus, licitè facere potest ad sui confusionem vel humiliationem, vel majorem sui notitiam Confessario dandam; sicut etiam potest habitus suos vitiosos, propensiones naturales, & peccandi occasiones, ac tentationes sibi occurrentes, aliaque multa quæ peccata non sunt, nec materia absolutionis, exponere licitè & laudabiliter. Ex quo patet disparitas ad exemplum quod adducitur, consecratio enim Eucharistiæ refertur solùm ad transubstantiationem, & effectionem Sacramenti, unde non potest proponi aliquid ut consecrandum, quod materia consecrationis non est, nec proinde hostiæ papyraceæ cum triticeis misceri, & ad consecrandum offerri. E contra verò confessio non solùm refertur ad absolutionem à peccatis, sed etiam tendit ad medendum infirmitatibus pœnitentis, ad regimen conscientiæ, novæque vitæ custodiam, ut A ait Tridentinum sess. 14. cap. 8. Ex quo fit quod in confessione aliqua peccata venialia declarari possint, quæ non proponuntur ut materia Sacramenti pœnitentiæ; subindeque etsi pœnitens de ipsis non doleat, non peccat mortaliter, dummodo atteratur & doleat de aliis, ne frustretur Sacramentum, quod pro materia habet dolorem, seu peccata cum contritione vel attritione confessa.

Dices, Ille qui non dolet de omnibus venia- 78.
libus de quibus confitetur, reddit formam Sacramenti falsam, & Sacramentum irritum ex parte, quatenus frustrat illud virtute & effectu remissionis illorum: Ergo peccat mortaliter.

Respondeo negando Antecedens, quoad utram- B que partem: Licèt enim aliquis non doleat de omnibus venialibus de quibus confitetur, non propterea reddit formam Sacramenti pœnitentiæ falsam, quia sensus illius est, Absolvo te à peccatis, quantùm est ex me, secundùm Christi institutionem, id est à peccatis quæ ritè confessus es cum sufficienti dolore & proposito. Neque etiam propterea Sacramentum est irritum ex parte, quia nihil deest quod sit necessarium ad illius valorem quamvis non habeat tantum effectum quantum habere posset; quod non est contra reverentiam Sacramenti, neque malum per se, cùm non teneamur accedere ad Sacramenta cum dispositione necessaria ad habendum effectum C quantum habere possunt, putà accedere ad Eucharistiam cum summa dispositione, ut conferat gratiam, quantam conferre potest.

Ex dictis in hac conclusione intelliges, attri- 79.
tionem sufficientem ad gratiam justificationis in hoc Sacramento obtinendam, debere quidem omnem peccandi mortaliter voluntatem excludere, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 4. non tamen omnem affectum peccandi venialiter, quia nimirum licèt gratia justificans nullum peccatum mortale compati possit, potest tamen simul stare cum peccatis venialibus, & cum affectu ad illa.

Dico quartò, attritionem sufficientem ad Sacramentum pœnitentiæ, debere necessariò præ- D cedere absolutionem, non tamen necessariò debere quoque præcedere confessionem.

Ratio primæ partis est, quia absolutio Sacra- 80.
mentalis est per modum sententiæ judicialis, quæ necessario supponit accusationem rei: accusatio autem rei in hoc judicio, integratur ex confessione & dolore pœnitentis; cùm enim sit judicium voluntarium, & reconciliativum peccatoris cum Deo, necessariò supponit utrumque, quia nec sine notitia peccatorum, potest Sacerdos pœnitentem absolvere, nec sine cognitione doloris ipsum cum Deo reconciliare. Ex quo inferes, absolutionem datam sine prævia contritione vel attritione, esse invalidam, & confessiones ita fa- E ctas esse necessariò repetendas.

Probatur etiam secunda pars ex communi pra- 81.
xi fidelium, nam pœnitentes credunt se suo muneri satisfecisse, dummodo atterantur, vel conterantur ante absolutionem: Confessarij quoque post audita peccata, pœnitentes excitant ad dolorem & propositum imposterum non peccandi; & antequam ipsis absolutionem impendant eos hortantur, ut actum contritionis vel attritionis eliciant; quod frustra fieret, si contritio vel attritio, deberet necessariò confessionem præcedere.

ARTICULUS

ARTICULUS V.

An, & quo jure, teneatur ille qui est in peccato mortali, elicere actum contritionis, & quandonam obliget tale præceptum?

§. I.

Prima pars quæsiti duplici conclusione resolvitur.

DIco primò, speciali præcepto tenentur omnes qui sunt in peccato mortali, actum contritionis elicere; in lege tamen nova, sufficit attritio cum sacramento. B

82. Prima pars probatur, nam ut rectè annotavit S. Thomas 3. part. quæst. 85. art. 5. ad 2. recta ratio dictat ex triplici capite debere nos peccati pœnitere. Primò ex lege justitiæ, ut satisfaciamus quantùm possumus pro injuria illata. Secundò ex lege charitatis erga Deum, quæ nos obligat ad Deum amandum super omnia, ac detestandum quidquid illi displicet, atque ad ipsius amicitiam recuperandam, si per peccatum eam perdidimus. Tertiò ex lege amoris proprij boni, quà tenemur nostris spiritualibus necessitatibus subvenire, æternamque animæ nostræ ruinam vitare. Prior obligatio est ex vi præcepti pœni- C tentiæ per se, aliæ duæ sunt ex præcepto charitatis, & ex præcepto spei, id est amoris boni nostri supernaturalis: Ergo omnes qui sunt in peccato mortali, actum contritionis elicere tenentur, speciali præcepto.

83. Confirmatur: Omnes tenemur speciali præcepto charitatis ad procurandam salutem spiritualem proximo; in hoc enim fundatur præceptum fraternæ charitatis, & correctionis: Ergo à fortiori ad procurandam salutem spiritualem nobis, quia arctiori vinculo tenemur nostram quàm proximi salutem procurare: At contritio est necessaria ad salutem omnibus qui sunt in peccato mortali, quia salus nostra consistit in perfecta reconciliatione cum Deo, ad quam ne- D cessaria est contritio: Ergo speciali præcepto tenentur omnes qui sunt in peccato mortali actum contritionis elicere.

84. Secunda pars patet ex dictis suprà art. 3. ubi ostendimus in lege nova attritionem cum Sacramento æquivalere contritioni, & reddere hominem de attrito contritum: unde si ille qui est in peccato mortali posset suscipere Sacramentum pœnitentiæ, & justificari ac reconciliari Deo per attritionem, cum Sacramento, non obligatur ad contritionem, nisi fortè in articulo mortis, de quo infrà.

85. Dico secundò, præceptum contritionis non esse tantùm positivum, id est à sola Dei libera E voluntate profectum, sed etiam naturale, ita ut jure ipso naturali obliget. Ita D. Thomas 3. p. quæst. 84. art. 7. ad 1. ubi ait, *De jure naturali esse quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit.* Et quæst. 86. art. 6. ad ultimum, dicit pœnitentiam esse de jure naturali.

Ratio etiam id suadet. Primò quia jure naturali tenetur quisque satisfacere quantùm potest pro injuria alteri illata: Ergo multò magis tenetur peccator per contritionem Deo satisfacere pro injuria quam peccando ipsi intulit. Secundò, quia sicut jure naturali tenemur jus divinum illæsum servare, ita & læsum, quoad fieri potest, A per pœnitentiam reparare. Tertiò, quia sicut jure naturæ tenemur amare Deum, ita & ejus amicitiam conservare, ac recuperare, quando illam per peccatum mortale amisimus. Quartò, quia jure naturæ tenetur homo amare proprium bonum, ac proinde se liberare a tanto malo, quantum est peccatum, & æternæ damnationis periculum. Demum, si ægroto corpori quisque necessariam adhibere medicinam naturali lege præcipitur, non minùs naturali homini consonum est, ut medicinam pœnitentiæ ægro animo adhibere teneamur, cùm corpore magis animum diligere debeamus. Quam rationem eleganter prosequitur Tertullianus in libro de pœnitentia: *Mutæ* (inquit) *animæ & irrationales, medicinas sibi divinitùs attributas in tempore agnoscunt. Cervus sagitta transfixus, ut ferrum & irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum: hirundo si pullos exæ- verit, scit eos rursus oculare de sua chelidonia. Peccator restituendo instrutam sibi à Domino exomologesin, sciens præteribit illam, quæ Babilonium Regem in regna restituit?*

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò contra primam conclusio- 86.
nem: Præcepto speciali opponitur speciale peccatum: Atqui finalis impœnitentia quæ opponitur pœnitentiæ seu contritioni, non est speciale peccatum, sed tantùm quædam circunstantia peccati illius, in quo peccator permanet atque perseverat: Ergo non datur speciale præceptum de pœnitentia seu contritione.

Respondeo, impœnitentiam finalem intelligi 87.
posse duplicem, Prima, quæ est sola & nuda in peccato permanentia seu continuatio, abstrahendo ab eo quod peccator nolit de eo conteri actu positivo nolitionis, formali, vel virtuali; & hæc est impœnitentia finalis impropriè dicta, quæque non importat malitiam specie distinctam à malitia peccati quod continuatur, sed solùm circunstantiam temporis, quæ accidentariò tantùm auget peccati malitiam. Secunda est, quæ ultra permanentiam in peccato, dicit formale vel saltem virtuale propositum voluntatis, nunquam pœnitendi; & hæc est speciale peccatum, oppositum speciali præcepto contritionis. Solutio est D. Thomæ in 2. dist. 43. qu. 1. art. 3. ad 3. ubi sic ait: *Sicut perseverantia dicitur dupliciter. Uno modo est virtus specialis, prout dicit propositum perseverandi in bono inchoato usque ad finem. Et alio modo est circunstantia aliarum virtutum usque ad mortem. Ita etiam & impœnitentia, secundum quod dicit propositum non pœnitendi, est species peccati in Spiritum Sanctum: secundum autem quod dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, negando peccati pœnitentiam, sic est accidens & circunstantia aliorum peccatorum.*

Objicies secundò: Non sunt multiplicandæ 88.
obligationes sine necessitate: Atqui nulla est necessitas inducendi specialem obligationem ad eliciendum actum contritionis; satis enim est, si homo doleat de peccatis commissis ex motivo charitatis: Ergo non debet admitti speciale præceptum pœnitendi, & eliciendi actum contritionis, supposito quod incidamus in peccatum mortale.

Respondeo, concessa Majori, negando Mino- 89.
rem, ratio enim naturalis dictat, dolendum esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

de peccato, non solùm ut opponitur bono divino, quod pertinet ad charitatem, sed etiam in- A
quantum lædit jus divinum, & movet ad illud detestandum, quatenus est offensa Dei, quod spectat ad pœnitentiam, & per actum contritionis adimpletur.

90. Objicies tertiò contra secundam conclusionem: Omnia præcepta naturalia continentur in præceptis Decalogi, vel formaliter, vel virtualiter: Sed præceptum contritionis neutro modo continetur in præceptis Decalogi; non quidem formaliter, ut constat evidenter ex eorum inductione; nec etiam virtualiter, cùm per evidentem consequentiam ex nullo eorum possit inferri esse conterendum de peccatis: Ergo præceptum contritionis non est naturale.

91. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, præceptum enim contritionis continetur B
virtualiter in primo Decalogi præcepto; ex hoc enim quod quis tenetur Deum colere, tenetur ex consequenti dolere de peccatis ut sunt injuria Deo facta. Item eo ipso quod tenemur ad diligendum Deum super omnia, obligamur ad detestandum quidquid illi displicet, atque ad recuperandum ejus amicitiam, si per peccatum eam amiserimus.

92. Objicies quartò: Deus non potest in præceptis naturalibus dispensare: Sed in nova lege dispensavit in præcepto contritionis; ut enim diximus in prima conclusione in lege nova ad implendum præceptum pœnitentiæ sufficit attritio cum sacramento: Ergo præceptum contritionis C
non est naturale, sed positivum.

93. Respondeo primò, quod licèt Deus non possit dispensare in præceptis naturalibus negativis, & permittere quod homo eliciat aliquem actum lege naturæ prohibitum, v. g. odium Dei, vel mendacium, quia illi actus sunt intrinsecè mali; benè tamen in præceptis affirmativis, & quantùm ad cessationem actûs; potest enim dispensare quod homo per totam vitam non eliciat actum religionis verbi gratiâ; & hoc modo dispensavit in lege gratiæ, quod attritio cum sacramento sufficiat loco contritionis.

94. Respondeo secundò, quod cùm satisfactio hominis ad Deum, exigat ipsam acceptari à
Deo, potuit Deus non quidem dispensare in D
præcepto satisfactionis pro peccatis, seu contritionis, sed esse contentus minori, scilicet attritione, cum Sacramento; unde potiùs mutatum est mediũ, manente semper obligatione præcepti.

95. Ex dictis inferes, quod in omni statu naturæ humanæ qui fuit ab initio mundi huc usque, id est tam in lege naturæ, quàm in lege Mosaica, homines qui in peccatum mortale inciderunt, fuerunt obligati ad actum contritionis; quia obligatio quæ oritur ex jure naturali, ad omnem statum naturæ humanæ se extendit. Unde Tridentinum sess. 14. cap. 4. sic ait: *Fuit autem quovis* E
tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius. Similiter in statu naturæ, citra ullum præceptum Dei positivum, & citra elevationem ad statum gratiæ; peccator obligatus fuisset per actum contritionis naturalis, Deo ut authori naturæ pro peccato satisfacere, eique reconciliari.

§. III.

Alia difficultas expeditur.

Dico tertiò, neque statim ac peccatum commissum est, neque statim ac occurrit memoriæ peccatum commissum, tenetur homo actum contritionis elicere. Est contra Alensem, D. Bonaventuram, Paludanum, Sylvestrum, & alios, existimantes peccatorem teneri ad eliciendum actum contritionis, quoties peccata menti occurrunt.

Probatur conclusio quoad primam partem: 96.
Præceptum de contritione est affirmativum: Atqui ea est conditio præceptorum affirmativorum, ut non obligent semper ac pro semper, sed tantùm aliquo determinato tempore, & positis quibusdam circunstantiis: At non potest assignari circunstantia propter quam peccator teneatur conteri statim atque peccatum commisit, ut patebit ex solutione objectionum: Ergo peccator non tenetur conteri statim atque peccatum commissum est. Ex quo etiam probatur secunda pars, nam peccatum commissum occurrere memoriæ, non est circunstantia, quâ posità, statim obliget præceptum affirmativum contritionis.

Confirmatur: Non minùs præceptum charita- 97.
tis obligat ad diligendum Deum, quàm contritionis ad detestandum peccatum: At sola memoria seu recordatio Dei, non obligat ad actualem illius dilectionem: Ergo nec sola recordatio peccati, ad actualem ejus detestationem.

Dico quartò, præceptum contritionis non 98.
obligat ad detestandum peccata nondum remissa, diebus festis. Est contra Martsilium, Angelum, & Gabrielem, existimantes, præceptum contritionis saltem diebus dominicis, & festivis obligare; quia in his tenemur vacare cultui divino, auditioni Missæ, aliisque orationibus, ad quod necessarium est affectum peccati deponere, & Deo per contritionem reconciliari. Pro hac sententia solet etiam citari Scotus in 3. dist. 38. qu. unicâ §. *quantum ad secundum*, qui tamen loquitur de actu dilectionis, sed videtur par esse ratio de contritione in peccatore.

Probatur breviter conclusio, quam docent 99.
communiter Theologi: Ex usu fidelium & consuetudine satisfit præcepto de sanctificandis festis, si & ab operibus servilibus abstineatur, & missa ac officium divinum audiatur, quorum neutrum exigit contritionem. Unde de omissione præcepti contritionis in diebus festis, nec se accusant fideles in confessione, nec Confessarij de illo interrogare solent, quod non leve indicium est, nequaquam extare tale præceptum. Nec obstat quod finis præcepti colendi dies festos, sit animam Deo sanctificare, nam ut communiter dicitur: non semper finis præcepti cadit sub præcepto.

Confirmatur: Non semper diebus festis tenemur elicere actum dilectionis Dei, cum quo connectitur detestatio peccatorum nondum remissorum, menti occurrentium: Ergo nec actum contritionis quo peccata nondum remissa expressè & formaliter detestemur.

Dico quintò: præceptum contritionis per se obligat in quibusdam casibus, & per accidens in aliis.

Probatur conclusio recensendo & explicando 100.
illos casus in quibus per se & per accidés obligat tale præceptum. In primis ergo per se obligat in articulo

articulo mortis vero vel præsumpto; quia tunc A
unusquisque tenetur, & ratione charitatis erga se, & ratione satisfactionis, dilectionisque erga Deum, perfectam agere pœnitentiam, Deoque perfectè reconciliari, cùm aliud tempus ad pœnitendum non supersit. Unde de Augustino narrat Possidius, quod solebat dicere, *neminem, etsi nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere, ut sine pœnitentia migraret è vita.* Quapropter cùm ipse discessum è vita sibi instare intelligeret, Psalmos David qui ad pœnitentiam pertinent, in conspectu positos, profusis lachrymis legebat.

101. Secundo hoc præceptum per se obligat in morali periculo vitæ, non in quo uni aut alteri, B
sed in quo plerisque solet mors contingere, ut in bello, peste, vel in longa & periculosa navigatione; quia morale periculum vitæ, æquivalet supremo articulo mortis.

102. Tertiò obligat per accidens in multis casibus. Primus est, quando homo tenetur recipere aliquod Sacramentum vivorum; quia talia sacramenta nequeunt recipi nisi à justificatis, & consequenter à contritis vel attritis simul confessis. Secundus, quoties sunt administranda Sacramenta, nam tunc tenetur minister in sanctitate se conformare Deo ut principali agenti cum quo concurrit ut instrumentum ad productionem gratiæ. De quo plura diximus in Tractatu de Sacra- C
mentis in communi disp. 6. art. 4. Tertius, in casu quo currit præceptum annuæ confessionis, & deest Confessarius, nam tunc tenetur contritione supplere defectum Sacramenti, quia præceptum confessionis in lege Evangelica est subrogatum præcepto contritionis. Quartus, cùm urget gravis aliqua tentatio, quam sine contritione homo moraliter non potest superare; tunc enim obligatur per accidens ad contritionem, ex præcepto virtutis contra quam est tentatio. Demum præceptum contritionis obligat per accidens in casu publicæ necessitatis, quando probabiliter timetur, Deum punire populum ob peccata particularia. Nam tunc unusquisque tenetur per contritionem se disponere ad placandam di- D
vinam justitiam, ne propter sua peccata Deus totum populum puniat, sicut propter solum peccatum Achan punivit totum exercitum Israël, Josue 7.

103. Quæres, utrum in mortis articulo teneatur homo elicere actum contritionis, quando habet copiam Confessoris, & potest suscipere Sacramentum pœnitentiæ, per quod cum sola attrione justificari potest?

Respondeo illum ad id non obligari, ex vi præcepti pœnitentiæ, benè tamen ex vi præcepti charitatis?

Prima pars patet ex suprà dictis, ostendimus E
enim §. 1. concluf. 1. in lege nova hominem satisfacere præcepto pœnitentiæ per actum attritionis conjunctum cum Sacramento. Secunda verò probatur, quia cùm præceptum charitatis obliget saltem in articulo mortis, homo tunc ex vi hujus præcepti tenetur actum charitatis elicere, ut incipiat actuali charitate Deo conjungi ad quem properat, in æternum post modum duraturâ: Sed moraliter impossibile est, quòd pœnitens recordatus suorum peccatorum, diligat Deum, & non conteratur de illis: Ergo tunc per accidens, & ex vi præcepti charitatis tenetur actum contritionis elicere. Obligatur etiam homo ex charitate sibi subvenire meliori & tutiori modo quo potest; præsertim in articulo mortis, in quo æternitatis jacitur alea, & in tanto periculo salutis æternæ perdendæ irreparabiliter, & damnationis tam gravis incurrendæ: unde cùm non sit omnino certum ac indubitatum, attritionem solam cum Sacramento justificare, & plures Theologi non contemnendæ authoritatis, non solùm id esse incertum, sed etiam falsum existiment; quamvis opposita opinio probabilior sit, & Tridentino conformior; nihilominus debet tunc pœnitens tutiorem partem eligere, & uti medio certissimo & tutissimo, nimirum contritione, ac eâ supplere quidquid incertum aut dubium esse potest. Adde quod, quamvis opinio asserens attritionem solam cum Sacramento justificare, esset omnino certa, tamen non est adeò certum, an pœnitens sit Sacramenti pœnitentiæ capax, vel ritè absolvatur. Quid enim si ipse non est ritè baptizatus, vel si Sacerdos non est verè ordinatus, aut non habet intentionem absolvendi? Debet ergo tunc elicere actum contritionis, ut sibi in periculo damnationis æternæ, meliori modo possibili subveniat, juxta illud Gregorij magni: *Nulla satis magna securitas, ubi periclitatur æternitas.*

§. IV.

Solvuntur objectiones.

C Objicies primò contra primam conclusio- 104.
nem: Eccl. 5. dicitur: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Et Apocal. 2. dictum est Angelo, id est Episcopo, Ephesino: *Age pœnitentiam: sin autem, veniam tibi citò, & movebo candelabrum tuum de loco tuo.* Idem dictum est Angelo Pergamensi: Ergo non est licitum pœnitentiam differre, sed peccator tenetur mox ut peccavit, aut saltem statim ac occurrit memoriæ peccatum commissum, de eo pœnitere, & actum contritionis quo Deo reconcilietur elicere. Unde SS. Patres graviter reprehendunt eos qui differunt pœnitentiam usque ad tempus mortis: Augustinus enim serm. 57. de tempore sic ait: *Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est; quæ autem à moriente petitur, timeo ne & ipsa moriatur.* Et serm. 71. ad fratres in eremo: *Satis alienus est à fide* (inquit) *qui ad agendam pœnitentiam, tempus senectutis expectat.* Seneca quoque in quadam Epistola, non minùs eleganter, quàm verè scribit: *Quàm stulta mortalitatis abusio, usque ad quinquagesimum vel sexagesimum differre consilia, & ibi velle benè vivere, ubi desinendum est. Cogitavi in juventute benè vivere, ut in senectute benè morerer.* Cui conformiter ait Eucherius Lugdunensis: *Stultissimum est, ut causa quâ de necessitatibus agitur æternis, mutabilibus vitæ deficientis committatur extremis.*

Ad primum Scripturæ locum respondeo pri- 105.
mò, quod licèt illa verba sacræ Scripturæ, quantùm ad substantiam conversionis per contritionem ad substantiam conversionis per contritionem, importent præceptum; quantùm ad modum tamen, & circunstantiam temporis, ejusque accelerationem, continent solùm consilium. Secundò dico, dato etiam quod verbis illis præceptum contineatur, illa non facere ad propositum; nam ille non tardat qui differt, seu qui non statim facit quod potest, sed qui non facit eo tempore quo faciendum est. Sic 2. Petri 3. dicitur Deus non tardare suam promissionem, etiamsi eam non impleat statim atque potest, quia tempore convenienti implet, nec ultra differt, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

deceat. Sic etiam dicitur ille non tardare proficiſci ad ſcholas, non qui ſtatim atque poteſt, ſed qui horâ convenienti eò proficiſcitur, cùm poſſet citiùs.

Ad ſecundum reſpondeo ad ſummum concludi ex hoc loco Epiſcopos illos fuiſſe obligatos ad agendam pœnitentiam ex vi præcepti ipſius. Vel per hæc verba, *Veniam tibi citò*, diem mortis intelligi, imminente autem mortis periculo, peccator tenetur conteri, ut in tertia concluſione dictum eſt.

106. Ad teſtimonia SS. Patrum dicatur eos locis citatis reprehendere peccatores qui pœnitentiam uſque ad mortem differunt, quia licèt præceptum pœnitentiæ non obliget ex vi ſua niſi in B articulo aut periculo mortis, per accidens tamen durante vitâ, ob varias tentationes & pericula occurrentia, vel propter alia præcepta quæ ſine contritione impleri non poſſunt, obligat peccatores, ut in ultima concluſione declaravimus.

107. Objicies ſecundò: Si homo non pœniteat ſtatim poſt peccatum, peccat mortaliter: Ergo præceptum contritionis obligat ſtatim poſt peccatum commiſſum. Conſequentia patet; Antecedens probatur. Velle ſtatum peccati mortalis, eſt mortaliter peccare: Sed exiſtens in mortali, & omittens contritionem, virtualiter & interpretativè vult ſtatum peccati, cùm nolit adhibere medium per ſe neceſſarium ad tollendum peccatum: Ego peccat.

108. Reſpondeo negando Antecedens, & ad illius probationem, nego Minorem; effectus enim ex omiſſione ſequens, non cenſetur virtualiter & interpretativè voluntarius, niſi illi qui poteſt, tenetur, & non facit, ut fusè oſtendimus in Tractatu de actibus humanis diſp. 1. art. 3. variiſque exemplis declaravimus: peccata enim non cenſentur Deo voluntaria, quia licèt poſſit ea impedire & non impediat, non tenetur tamen ea impedire, nec dare auxilia efficacia ad ea evitanda. Item *gubernator non dicitur cauſa ſubmerſionis navis, ex hoc quod non gubernat navim, niſi quando ſubtrahit gubernationem, potens & debens*, ut inquit S. Thomas 1. 2. quæſt. 79. art. 1. Similiter exiens quis ab Eccleſia, relinquit fores D apertas, ex quo accidit furem intrare in Eccleſiam, & furtum committere: tale furtum ipſi non imputatur ut voluntarium, quia non tenebatur fores claudere, benè tamen oſtiario, quia tenetur fores claudere & cuſtodire. Cùm ergo ille qui peccavit mortaliter, non teneatur ſtatim conteri & pœnitere, non cenſetur virtualiter & interpretativè velle ſtatum peccati.

109. Objicies tertiò: Lex juſtitiæ obligat ad reſtituendum ſtatim rem furto ablatam, & reſarciendum damnum illatum proximo: Ergo ſimiliter quando peccavimus, tenemur ſtatim ſatisfacere Deo per pœnitentiam & contritionem.

110. Reſpondeo, conceſſo Antecedente, negando E conſequentiam & paritatem: Ratio diſcriminis eſt, quia homo per furtum patitur damnum in bonis ſibi utilibus, & ideò qui eſt in mora culpabili reſtituendi, eſt cauſa cur homo novum damnum percipiat, unde de novo peccat, quoties menti occurrit reſtitutio facienda, & poteſt eam facere, & non facit: Deus verò non patitur injuriam in bonis ſibi utilibus, nihil enim ipſi utile aut neceſſarium aufertur per peccatum; & ideo ex dilatione noſtrarum ſatisfactionum, nullum ei de novo advenit nocumentum.

111. Dices, Si quis lædat alium in fama per detra- A ctionem, tenetur ſtatim damnum reparare, licèt non lædat in bonis utilibus: Ergo ſimiliter, licèt homo per peccatum nihil utile aut neceſſarium Deo auferat, quia tamen ipſi irrogat injuriam, & debitum honorem ei aufert, tenetur ſtatim ei ſatisfacere per contritionem.

Reſpondeo diſtinguendo Antecedens, tenetur ſtatim reparare, per ſe nego: per accidens (id eſt ſi ſit periculum ne res divulgetur, & majus detrimentum in fama adveniat proximo) concedo. Idem dicendum eſt de Deo, ſi enim ex dilatione noſtræ pœnitentiæ & ſatisfactionis, periclitetur honor & fama Dei apud homines, majorque ut ita loquar infamatio Dei ſequatur, in eo caſu tenetur homo, ſtatim per pœnitentiam ei ſatisfacere; ut contingit cùm quis pravam doctrinam diſſeminavit, tunc enim tenetur ſtatim pœnitere, & retractare quod dixit.

Objicies quartò: Cùm homo in morbum in- 112.
cidit, aut vulnus aliquod recepit, ſtatim tenetur adhibere medicamenta, ne ſalus corporis periclitetur: Ergo multò magis cùm peccavit, tenetur ſtatim adhibere medicamentum pœnitentiæ, ne periclitetur ſalus animæ.

Reſpondeo illum qui in morbum incidit aut 113.
vulnus lethale recipit teneri ſtatim adhibere medicamenta, quando ex dilatione veriſimiliter timetur mors eventura, aut aliquod aliud notabile damnum, cui poſtea occurri non poſſit: non C tamen ſi nullum tale periculum probabile timetur; idem cum proportione dicendum eſt de eo qui peccavit, eadem enim eſt ratio quantùm ad hoc de ſalute animæ & corporis. Solutio eſt D. Thomæ infrà quæſt. 6. art. 5. ubi quærit, *utrum ſtatim teneatur quis confiteri?* & reſpondet negativè, ac ſecundò in contrarium ſibi objicit: *Quilibet tenetur plus facere ad evadendum morbum ſpiritualem, quam ad evadendum morbum corporalem: Sed aliquis infirmus corporaliter, non ſine detrimento ſalutis medicum requirere tardat: Ergo videtur quod non poſſit eſſe ſine detrimento ſalutis, quod aliquis Sacerdoti cujus copiam habet, non ſtatim de peccato confiteatur.* Cui argumento ſic reſpondet: *Ad ſecundum dicendum quod non eſt de neceſſitate ſalutis corporalis ut ſtatim medicus quæratur, niſi quando neceſſitas curationis incumbit; & ſimiliter eſt de morbo ſpirituali.*

Objicies quintò: Ex præcepto charitatis ſta- 114.
tim tenemur corripere fratrem delinquentem, ut eum à peccato eruamus: Ergo à fortiori, quando peccavimus, ſtatim obligamur nos à peccato per contritionem liberare.

Reſpondeo primò, negando Antecedens, non 115.
tenemur enim ad correctionem fraternam ſtatim poſtquam frater peccavit, ſed datâ opportunitate, niſi vel timeatur periculum novi peccati, vel non ſperetur ſimilis opportunitas in qua ſaltem ita commodè poſſimus fratrem noſtrum corrigere. Idem cùm proportione dicendum eſt de correctione propria.

Reſpondeo ſecundò, dato Antecedente, ne- 116.
gando conſequentiam & paritatem. Ratio diſcriminis eſt, quia noſtra ſalus ſemper eſt in poteſtate noſtra, non verò ſalus proximi; unde cùm non poſſit nobis conſtare correctionem habituram effectum in fratre, tempore neceſſitatis, quo ipſe ſibi ex novo præcepto tenetur ſalutem procurare, ſtatim poſtquam peccavit, vel datâ opportunitate, ex præcepto charitatis, tenemur ipſum corrigere.

Objicies ſextò: Privatus gratiâ habituali non 117.
poteſt

Diſp. 1. art. 6. poteſt diu omnia peccata vitare, ut docuimus in A
Tractatu de gratia: Ergo tenetur ſtatim gratiam recuperare, ne ſe conſtituat ſub morali periculo in alia peccata incidendi. Nam teſte Gregorio homil. 11. in Ezechiel. *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere trahit ad aliud.* Vel ut ait Proſper lib. 5. de vocat. gent. cap. 2. *Voluntas mutabilis quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tantò citiùs appropinquat iniquitati, quanto acriùs intenditur actioni.*

118. Reſpondeo, conceſſo Antecedente negando Conſequentiam; cùm enim tempus quo poteſt homo privatus gratia habituali, abſtinere à peccato, incertum & indeterminatum ſit, etiam periculum peccandi in quo verſatur, eſt indeterminatum & incertum; licèt autem unuſquiſque B teneatur evitare determinatam peccandi occaſionem, determinatumque periculum, ſecùs tamen ſi hæc certa & determinata non ſint.

119. Objicies ſeptimò contra ſecundam concluſionem, in qua diximus, præceptum contritionis non obligare ad deteſtanda peccata nondum remiſſa, diebus feſtis. In diebus feſtivis tenemur Deo vacare: At homo exiſtens in peccato mortali, non poteſt Deo vacare, niſi priùs de peccatis conteratur, & per contritionem Deo reconcilietur, Ergo exiſtens in peccato mortali, tenetur, ſaltem diebus feſtivis, actum contritionis elicere. Unde Levitici 23. dicitur: *Sabbatum requietionis eſt, affligetiſque animas veſtras.* Et C paulò poſt: *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit.*

120. Reſpondeo, conceſſa Majori, negando Minorem; præceptum enim colendi dies feſtos, ſolùm obligat ad vacandum Deo, & exhibendum illi debitum cultum, per opera religionis, & ceſſationem ab operibus ſervilibus: hæc autem fieri poſſunt etiam à peccatore. Unde ad locum Levitici reſpondent aliqui, illum non intelligi de contritione interna, ſed de afflictione externa per abſtinentiam à voluptatibus. Sed eſto intelligatur de contritione interna, quod probabilius eſt; erat enim inſtitutum ſemel in anno die decimâ menſis ſeptimi feſtum propitiationis ſeu D expiationis, in quo Sacerdos ſacrificabat & orabat pro peccatis populi, ut Deus illis peccata remitteret: unde tunc obligabat præceptum contritionis de peccatis nondum remiſſis: ille tamen locus non urget; quia tale præceptum in lege Evangelica commutatum eſt in præceptum annuæ confeſſionis, quod, ut ſuprà diximus, non obligat ad contritionem, ſed duntaxat ad attritionem ſupernaturalem; quia in lege Evangelica attritio juncta ſacramento, æquivalet contritioni, & reddit hominem de attrito contritum.

E

DISPUTATIO VIII.

De præcepto Confeſſionis.

Ad quæſt. 6. ſupplementi.

DE præcepto contritionis egimus diſputatione præcedenti, in hac diſſeremus breviter de præcepto tam divino quàm Eccleſiaſtico confeſſionis, quæ eſt ſecunda pars materialis ſacramenti pœnitentiæ, de qua S. Tho- A mas diſputat quæſt. 6. ſupplementi, & quinque ſequentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

An Confeſſio ſacramentalis ſit jure divino poſitivo præcepta, & quas perſonas, quove tempore, obliget tale præceptum.

CErtum eſt confeſſionem ſacramentalem non 1.
eſſe de jure naturali, ut docet D. Thomas hic art 2. Tum *quia ſacramenta* (inquit) *non ſunt de jure naturæ, ſed de jure divino, quod eſt ſupra naturale.* Tum etiam, quia natura non inclinat ad confeſſionem peccatorum præſertim occultorum. Tum denique, quia quod eſt de jure naturali, eſt commune apud omnes gentes, cùm ſit in omnibus illis eadem natura rationalis, & idem rationis dictamen. Unde Tullius lib. 2. de invent. *Ius naturale eſt* (inquit) *quod non opinio genuit, ſed innata quædam vis inſeruit.* Solùm ergo difficultas eſt, an confeſſio ſacramentalis ſit de jure divino poſitivo, & an fideles habeant præceptum à Chriſto peccata ſua ad ſacerdotes deferendi? Pro reſolutione

Dico primò, confeſſionem ſacramentalem 2.
eſſe jure divino præceptam. Concluſio eſt certa C de fide, ac definita in Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 6. & 7. contra hæreticos noſtri temporis.

Probatur primò: Chriſtus Joan. 20. dedit Apoſtolis, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, poteſtatem abſolvendi fideles à peccatis, eaque juxta ipſorum arbitrium retinendi: At Sacerdotes non poſſunt habere poteſtatem peccata fidelium retinendi, ſi ipſi fideles præceptum à Chriſto non habeant ſua peccata ad Sacerdotes deferendi: Ergo confeſſionis ſacramentalis uſus, ab ipſo Chriſto præceptus & inſtitutus eſt.

Probatur ſecundò: Chriſtus ſacramentum pœ- 3.
nitentiæ quoad omnes ſuas partes inſtituit, ut diſp. 1. oſtenſum eſt: Ergo uſum ejus, ſubindeque ſacramentalem confeſſionem, præcepit. Probatur Conſequentia, tum exemplo Baptiſmi, quod quia inſtitutum eſt à Chriſto, voluit Chriſtus ad illud ſervandum peculiari præcepto omnes obligare. Tum etiam ratione, nam ſapientis ac providi legiſlatoris munus eſt, non modò ſanctiſſimis legibus cives inſtruere, ſed ad eas etiam ſervandas, quantùm fieri poteſt, eos obligare.

Probatur tertiò: Præceptum confeſſionis in 4.
lege Evangelica ſucceſſit præcepto contritionis; alioquin Chriſtus per præceptum confeſſionis non alleviaſſet, ſed aggravaſſet onus, nam præter præceptum contritionis, addidiſſet præceptum confeſſionis: Sed ante legem Evangelicam præceptum contritionis jure divino obligabat peccatores, ut diſputatione præcedenti articulo ultimo oſtenſum eſt: Ergo pariter in lege Evangelica confeſſio ſacramentalis eſt jure divino præcepta. Unde ſicut ante legem Evangelicam contritio obligabat peccatorem ex triplici capite; primò ex lege juſtitiæ, ut nimirum homines ſatisfacerent Deo pro injuria illata, juſque divinum læſum repararent; ſecundò ex lege charitatis erga Deum, quæ nos obligat ad ipſum amandum ſuper omnia, ac deteſtandum quidquid ei diſplicèt; tertiò ex lege amoris proprij, quâ tenemur noſtris ſpiritualibus neceſſitatibus ſubvenire,

Universidad de Deusto
Biblioteca

æternamque animæ noſtræ ruinam vitare, ut loco citato declaravimus; ita triplici illo titulo tenentur Chriſtiani in lege nova, peccata ſua Sacerdotibus confiteri.

5. Demum ſuaderi poteſt concluſio ex regula quam tradit Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo cap. 34. ubi ſic ait: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſimè creditur.*: Sed neque in Conciliis, neque in Pontificum decretis, ullum extat initium hujus præcepti; nam licèt in Lateranenſi annua confeſſio cunctis fidelibus præcepta fuerit, in eo tamen non confeſſio ipſa, ſed ſolùm tempus quo fieri debet, præſcriptum eſt, ut docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. his verbis: *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis pervenìſſent, impleretur*: Ergo cenſendum eſt, præceptum Confeſſionis Sacramentalis eſſe de jure divino, & manaſſe immediatè à Chriſto, & per Apoſtolos Eccleſiæ communicatum fuiſſe. Et certè, cùm præceptum illud tam arduum ac difficile ſit, niſi à Chriſto immediatè manaſſet, difficillimè perſuaderi potuiſſent fideles, ut ipſum acceptarent, ac tot ſæculis inviolabiliter obſervarent: maximè quia non poſſet Eccleſia gravitatem hujus præcepti lenire, ſicut illam Deus lenit internis conſolationibus, nec humana providentia impedire poſſet plura inconvenientia ex tali confeſſione oriunda, quæ nunc Deus mirabili ſuâ providentiâ impedit. Unde plures Theologi exiſtimant, quod Eccleſia non poſſet ſimpliciter & abſolutè præcipere fidelibus Confeſſionem Sacramentalem, ſecluſo præcepto divino de illa.

Dico ſecundò, hoc præceptum non obligare infideles, ſed duntaxat baptizatos, habentes conſcientiam peccati mortalis, non verò eos qui ſunt confirmati in gratia.

6. Ratio primæ partis eſt, quia cùm Baptiſmus ſit janua ad alia Sacramenta, ante ſuſceptum in re Baptiſmum, nullus eſt capax alicujus Sacramenti; unde cùm præcepta divina eos ſolùm obligent qui poſſunt ea implere, infideles nondum baptizati non obligantur ad Sacramentum pœnitentiæ, ſed duntaxat fideles poſt ſuſceptum Baptiſma, cùm materia Confeſſionis Sacramentalis ſint peccata poſt baptiſmum commiſſa.

7. Dices, quamvis infideles nondum baptizati non obligentur immediatè ad Confeſſionem Sacramentalem, ad eam tamen obligari mediatè; quia ſi habuerunt ſufficientem notitiam de myſteriis noſtræ fidei, tenentur eam amplecti, & Baptiſmum ſuſcipere; unde ſi non impleant præceptum de Baptiſmo, omiſſio præcepti pœnitentiæ eis imputatur ad culpam.

8. Sed contra primò: Qui ex voto tenetur ad ingreſſum alicujus Religionis, licèt teneatur eam amplecti, nihilominus antequam illam ingrediatur, non tenetur obſervare leges & præcepta illius, ut communiter docent Theologi: Ergo ſimiliter, licèt infideles de myſteriis noſtræ fidei ſufficienter inſtructi, teneantur ſuſcipere Baptiſma, non tamen ante illius receptionem, & priuſquam Eccleſiam ingrediantur, tenentur obſervare præcepta quæ Chriſtus dedit Eccleſiæ, qualia ſunt præcepta circa Sacramenta. Unde Tridentinus ſeſſ. 14. cap. 2. ait quod *Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non priùs ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus.*

Contra ſecundò: Omnia peccata ante Baptiſmum commiſſa, remittuntur per ſuſceptionem Baptiſmi, independenter à Sacramento pœnitentiæ, non enim baptizati tenentur peccata ante Baptiſmum commiſſa clavibus ſubjicere; nec tenentur poſt Baptiſmum ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ, niſi labantur in novum mortale: Ergo non poſſunt ad illud obligari medio Baptiſmate; alioquin obligarentur ad novum mortale committendum, cùm non poſſint ad Sacramentum pœnitentiæ obligari, niſi ratione mortalis poſt Baptiſmum commiſſi. Unde quamvis daretur quod infideles obligarentur ad Euchariſtiam, mediante Baptiſmo, ut medio diſponente & habilitante ſubjectum ad ejus receptionem; non poſſunt tamen eo modo obligari ad Sacramentum pœnitentiæ. 9.

Secunda pars concluſionis, quæ aſſerit præceptum iſtud obligare omnes baptizatos habentes conſcientiam mortalis, evidens eſt, cùm Sacramentum pœnitentiæ ſit inſtitutum à Chriſto ut medium neceſſarium ad remittenda omnia mortalia poſt Baptiſmum commiſſa. Ex quo probata manet tertia pars, nam confirmati in gratia non habent materiam neceſſariam hujus Sacramenti, quæ ſunt mortalia, propter quæ tantùm fideles obligantur ad illud ſuſcipiendum, ut definit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. ſed ad ſummum tantùm habent materiam ſufficientem, quæ ſunt venialia, propter quæ non eſt hoc Sacramentum primariò inſtitutum, cùm hæc aliâ viâ, multiſque aliis remediis expiari poſſint, ut conſtat ex dictis diſp. 4. Ex quo. 10.

Inferes, B. Virginem, utpotè non ſolùm confirmatam in gratia, ſed etiam ab omni peccato immunem, præcepto confeſſionis non fuiſſe obligatam, imò nec hujus ſacramenti capacem. Unde falſum & temerarium eſt quod aliqui dicunt, B. Virginem quotidie fuiſſe confeſſam S. Joanni Evangeliſtæ. Quod Fagundes de ſecundo præcepto Eccleſ. lib. 1. cap. 2. num. 10. falsò tribuit D. Thomæ 3. part. quæſt. 37. art. 4. ibi enim S. Doctor ſolùm agit de antiqua cæremonia, quâ ſolebant mulieres poſt partum accedere ad templum purgandæ. 11.

Dices, Baptiſmus poteſt impendi immuni à peccato originali, unde B. Virgo fuit à Chriſto baptizata, ut diximus in Tractatu de Baptiſmo: Ergo ſimiliter Sacramentum pœnitentiæ poteſt impendi illi qui nullum unquam commiſit peccatum actuale. 12.

Sed nego conſequentiam, & paritatem, materia enim Baptiſmi non conſtat ex confeſſione peccati originalis, ſed ex ablutione perſonæ baptizandæ, materia verò pœnitentiæ conſtat ex proprij peccati confeſſione, & dolore de illo. Unde ſicut repugnat Baptiſmum adminiſtrari ſine aqua, & Euchariſtiam confici ſine pane & vino; ita & ſacramentum pœnitentiæ impendi ei qui nullum unquam commiſit peccatum actuale; licèt interdum impendi poſſit ſubjecto nullum habenti peccatum, quia ad hoc ſufficit, ut ſaltem aliquando peccatum habuerit, ut ex præſenti confeſſione, & dolore illius, confici poſſit hoc ſacramentum.

Dico tertiò, præceptum divinum confeſſionis, per ſe obligat tantùm in articulo vel periculo mortis, per accidens verò in multis aliis caſibus obligare poteſt. 13.

Probatur

Probatur breviter: Cùm præceptum divinum confeſſionis in lege Evangelica ſucceſſerit præcepto contritionis, non obligat, niſi quando obligat contritio: Sed contritio per ſe non obligat niſi in articulo vel periculo mortis, licèt per accidens poſſit frequentiùs & in multis aliis caſibus obligare, ut diſp. præcedenti articulo ultimo declaravimus: Ergo & præceptum divinum de confeſſione.

ARTICULUS II.

Reſolvuntur breviter quædam difficultates ſeu caſus conſcientiæ de præcepto Eccleſiaſtico annuæ confeſſionis.

14. PRæter divinum præceptum de confeſſione Sacramentali, articulo præcedenti expoſitum, datur præceptum Eccleſiaſticum de confeſſione annua proprio Sacerdoti facienda, & de Euchariſtia in Paſchate ſuſcipienda, quod habetur in capite, *Omnis utriuſque ſexûs*, de pœnitentiis & remiſſionibus, ſub his verbis: *Omnis utriuſque ſexûs fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio ſacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum.* Circa hoc præceptum plures proponi ſolent difficultates ſeu caſus conſcientiæ, quos breviter hic proponemus ac reſolvemus.

15. Quæritur ergo primò, utrum hoc ſtatutum Concilij Lateranenſis ſit exhortatio ſive conſilium Eccleſiæ, an verò formale præceptum obligans ſub mortali?

Reſpondeo eſſe præceptum obligans ſub mortali, ita enim definitur in Tridentino ſeſſ. 14. can. 8. & patet ex pœna graviſſima quæ ſtatuitur contra ejus tranſgreſſores, ejectio ſcilicet ab Eccleſia, & carentia Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Addo quod præceptum illud Eccleſiaſticum de annua confeſſione, eſt determinatio præcepti divini, quantùm ad tempus: Sed præceptum divinum obligat ad mortale: Ergo & Eccleſiaſticum.

16. Dices, Confeſſio Sacramentalis dolorem de peccatis exigit & includit: Sed dolor, cùm ſit actus purè internus, non poteſt cadere ſub præcepto Eccleſiæ; actus enim purè interni, cùm per ſe non cadant in notitiam ſenſibilem, non poſſunt eſſe intra ſphæram humanæ gubernationis, ſed illi ſoli ſubjiciuntur qui omnium hominum ſecreta novit: Ergo Confeſſio Sacramentalis non poteſt cadere ſub præcepto Eccleſiæ.

17. Reſpondeo primò, hoc argumentum ſolùm probare confeſſionem, ut includit actum internum doloris de peccatis, non poſſe cadere ſub præcepto Eccleſiæ, non tamen id oſtendere de Confeſſione, ut dicit actum purè externum, quo peccata Sacerdoti manifeſtantur.

Reſpondeo ſecundò, dato quod Eccleſia non poſſit directè & primariò præcipere actum internum, indirectè tamen & ſecundariò illum jubere poteſt, quando ſcilicet actus interior eſt neceſſarius, ut exterior ſit bonus & honeſtus. Unde per ſe loquendo habet poteſtatem ſuper actus exteriores, ſuper actum verò interiorem, per accidens, & ratione actûs exterioris, inquantum eſt forma illius.

Tertiò reſponderi poteſt, quod licèt Eccleſia præcipiat ſolùm confeſſionem externam de peccatis, ſuppoſito tamen hoc præcepto, obligatur pœnitens jure divino, propter reverentiam quam debet huic Sacramento, ne illud irritum reddat, ſimul cum externa Confeſſione actum internum doloris elicere; ſicut ex ſuppoſitione quod ex præcepto Eccleſiæ teneamur vocaliter orare, jure divino, & virtute religionis, obligamur ex reverentia quam in orando Deo debemus, internam attentionem adhibere.

Quæres ſecundò, an præceptum Confeſſionis ſit diſtinctum à præcepto communionis, vel ſolùm obliget per accidens, & in ordine ad ſumptionem Euchariſtiæ? 18.

Reſpondeo eſſe præceptum diſtinctum, & obligare per ſe ac independenter à præcepto Euchariſtiæ, ut conſtat ex fine propter quem factum eſt, nempè propter maximam neceſſitatem & utilitatem, quam ſecum affert Sacramentum pœnitentiæ, independenter à Sacramento Euchariſtiæ, nimirum ſalutem animarum, & juſtificationem peccatoris. Qui finis non ſolùm militat in iis qui ſunt ad Euchariſtiam idonei, ſed in reliquis omnibus qui mortalis poſt Baptiſmum capaces ſunt. Ex quo

Inferes primò, eum qui per annum eſſet legitimè impeditus à ſuſceptione Euchariſtiæ, teneri nihilominus ad Sacramentalem Confeſſionem. Unde Tridentinum ſeſſ. 14. can. 8. anathemate damnat eos qui dixerint ad Confeſſionem Sacramentalem *non teneri omnes & ſingulos utriuſque ſexûs Chriſti fideles, juxta magni Concilij Lateranenſis conſtitutionem, ſemel in anno.* Ubi loquitur independenter à præcepto Euchariſtiæ, cujus nulla ibi fit mentio. 19.

Inferes ſecundò, præceptum confeſſionis annuæ, non ita præcepto communionis Paſchalis eſſe annexum, ut pro eodem tempore obliget; unde ſi quis in Natali Domini, aut alio quovis anni tempore, confiteatur, præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis annuæ ſatisfaciet; poſtea verò in Paſchate, ſi non habeat conſcientiam peccati mortalis, non tenebitur confiteri, ſed ſolùm communicare; ſi verò conſcientiam mortalis habeat, tenebitur quidem priùs confiteri, quàm communicare, ad id tamen non obligabitur ex vi præcepti Eccleſiaſtici annuæ confeſſionis, ſed ex vi præcepti divini prohibentis ne quis indignè ad Euchariſtiam præſumat accedere. Hinc orta eſt conſuetudo fidelium confitendi in Quadrageſima, vel in Paſchate; cùm enim teneantur ad dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem, confeſſionem præmittere, illam differunt ad Quadrageſimam, non quòd putent eo tempore determinato ſe ad Confeſſionem obligari, ſed ne ſi alio tempore confiterentur, deberent poſtea, ratione ſacræ ſynaxis, iterum confiteri. 20.

Quæres tertiò, An Eccleſia obliget ad annuam Confeſſionem eum qui habet ſolùm peccata venialia? 21.

Reſpondeo negativè, cum S. Thoma hîc art. 3. ad 3. Primò, quia in prædicta Concilij Lateranenſis Conſtitutione dicitur, *Omnes fideles omnia peccata ſua ſemel in anno confiteantur*: Sed hoc de venialibus intelligi nequit, quia moraliter loquendo impoſſibile eſt, nedum illa omnia confiteri, verùm etiam propter eorum multitudinem in memoriam reducere: Ergo hoc præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceptum de solis mortalibus est intelligendum.

Secundò, In illo statuto præcipitur ut omnia peccata sua Sacerdoti proprio confiteantur: Sed peccata venialia non sunt necessariò proprio Sacerdoti confitenda, cùm ab illis quilibet simplex Sacerdos possit absolvere: Ergo tale præceptum non obligat ad annuam confessionem eum qui solùm habet peccata venialia.

Tertiò, in dicto capite, *Omnis utriusque sexûs*, gravissima pœna infligitur iis qui tale præceptum non implent, nempè ejectio ab Ecclesia, & privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, ut suprà diximus: Sed non videtur æquum, aut rationi consentaneum, ei qui peccata venialia confiteri recusaret, pœnam adeò gravem infligere: Ergo idem quod priùs.

Demum, ut suprà ostendimus, præceptum Ecclesiasticum de annua confessione, est determinatio præcepti divini: Atqui præceptum divinum non obligat nisi ad confitenda mortalia: Ergo nec Ecclesiasticum. Nec refert quod subditi teneantur singulis annis à suis Pastoribus agnosci, ac proinde etiam si non habeant mortalia, teneantur proprio Sacerdoti suam conscientiam confessione aperire; nam ut notat D. Thomas loco citato sufficit quod in tali casu pœnitens ostendat se sacerdoti, dicendo se nullam habere conscientiam mortalis.

22. Quæres quartò, utrum quando quis certò scit aut probabiliter timet, quod si modò non confiteatur, ante finem anni non poterit confiteri, quia nimirum navigaturus est in longinquam patriam, in qua non habebit copiam Confessarij, teneatur confessionem anticipare, & statim confiteri, antequam annus compleatur?

Respondeo affirmativè: duo enim (ut annotavit Cano relect. de pœnit. p. 5.) sunt genera præceptorum; quædam obligant hominem determinatè pro aliquo certo & determinato tempore, ut præceptum jejunij, auditionis Missæ, recitationis officij, &c. & impletio istorum præceptorum non debet necessariò prævenire, licèt prævideatur fore impedimentum tempore quo obligabunt; quia quod cadit sub hujusmodi præceptis, est onus temporis, aut diei determinatio: alia verò sunt præcepta sine aliqua temporis determinatione obligantia, quæ videlicet aliquo tempore indeterminato implenda sunt, quia id quod præcipitur est medium necessarium ad salutem, ut patet in præcepto de Baptismo communione, &c. Cùm ergo præceptum confessionis sit hujus secundi generis, & ejus obligatio oriatur ex eo quod confessio sit medium necessarium ad salutem, hinc fit quod in casu posito teneatur pœnitens tempus anticipare; sicut etiam in eo casu tenetur communicare, priusquàm discedat, & mari se committat. Hujus enim Sacramenti perceptio non est tempore Paschali præcepta, solùm ob venerationem temporis, sed maximè propter Christi præceptum, quo aliquoties in vita, non minùs quàm præcepto confessionis, voluit fideles obligari. Unde sicut Ecclesia vagam illam & indeterminatam obligationem, quam sacramentum pœnitentiæ ex præcepto divino habebat, suo præcepto determinavit ad certum tempus: ita vagam quoque & indeterminatam obligationem, quam Eucharistia ex præcepto Christi habebat, ad tempus Paschale determinavit, propter memoriam institutionis hujus Sacramenti, quæ hoc tempore facta fuit à Christo.

23. Quæres quintò, an qui non est confessus intra annum, teneatur statim confiteri initio sequentis?

Respondeo affirmativè: Quando enim tempus non ponitur ut terminus, quo præceptum expirat, sed ultra quod differri non debeat executio præcepti, adhuc elapso tempore, præceptum obligat; ut quando præfigitur certum tempus debitori ad solvendum, adhuc eo tempore transacto, debitor manet obligatus ad debitum solvendum; quia tempus non fuit illi præfixum ut in eo debitum expiraret, sed ne ultra illud debiti solutio differretur: At in dicta constitutione Concilij Lateranensis, tempus anni non ponitur ut terminus quo præceptum expiret, sed ultra quod differri non debeat adimpletio præcepti confessionis, ut colligitur ex verbis illis, *Ut saltem semel in anno confiteatur*, quæ æquipollent istis: *Ne ultra annum confiteri differat*: Ergo adhuc elapso anno, præceptum illud obligat.

Confirmatur: Finis hujus præcepti est ne tam salubre ac necessarium medium differatur ultra annum: Ergo non adimpletum intra annum, semper obligat, donec impleatur.

24. Quæres sextò, utrum ex vi hujus præcepti pœnitens teneatur confiteri scripto, vel per interpretem, quando aliter non potest?

Respondeo ipsum teneri quidem confiteri scripto, sed non per interpretem.

Ratio primæ partis hujus resolutionis est, quia præcepta Ecclesiæ obligant, quando in eorum impletione non est magna difficultas, nec grave aliquod damnum ex ea provenit: Sed in eo quod pœnitens scripto confiteatur, nec est gravis difficultas, nec grave damnum inde emergit: Ergo tenetur pœnitens confiteri scripto, quando aliter non potest.

Quod verò non teneatur confiteri per interpretem, colligitur ex cap. *Omnis utriusque sexûs*, ubi præcipitur, *ut omnis fidelis omnia sua peccata solus confiteatur proprio sacerdoti*. Nam per ly *solus*, apertè excluditur interpres.

Confirmatur ex Tridentino sess. 14. cap. 5. ubi definitur non esse Divino vel Ecclesiastico præcepto mandatum, ut delicta sint publicâ confessione aperienda: At per interpretem delicta fierent aliquo modo publica: Ergo fideles non obligantur confiteri per interpretem, quando aliter non possunt.

Confirmatur amplius: Si scirem Confessarium vel uni tantùm, meum peccatum esse revelaturum, non tenerer illud confiteri: Ergo neque teneor illud confiteri per interpretem. Excipiendus tamen est articulus mortis, tunc enim tenemur ex præcepto charitatis erga nos ipsos, si aliter non possumus, confiteri per interpretem, imò & coram aliis, etiam cum notabili detrimento famæ; quia cùm eo articulo agatur de æterna animi salute, quæ præponenda est omni temporali bono, non debemus propter amissionem temporalis famæ, quæ ex peccatorum confessione sequitur, dubiam reddere æternam nostram salutem.

25. Quæres septimò, an præceptum Ecclesiasticum de annua confessione impleatur per confessionem invalidam, vel saltem per confessionem validam, sed informem, quam posse dari magis communiter docent Theologi, & patebit ex dicendis disputatione sequenti?

Respondeo hoc præceptum non impleri per confessionem invalidam, benè tamen per confessionem validam, sed informem.

Ratio

Ratio primæ partis hujus resolutionis evidens est, quidquid in contrarium dicant aliqui novi Casuistæ: Confessio enim invalida, seu quæ fit illegitimo ministro, potiùs prohibetur quàm præcipiatur ab Ecclesia: Ergo per eam non adimpletur præceptum Ecclesiasticum de annua confessione, sed solùm per confessionem validam, seu ministro legitimo factam. Unde in capite, *Omnis utriusque sexûs*, sæpè citato, dicitur, *Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti*. Ubi per ly *proprio sacerdoti*, intelligitur Parrochus, vel alius minister legitimus, & ab Episcopo approbatus.

Quòd verò per confessionem validam, sed informem, hoc præceptum impleatur, sic ostenditur. Tunc impletur præceptum alicujus rei, quando omnia ad essentiam rei præceptæ requisita adhibentur: Sed per confessionem validam, quamvis informem, adhibentur omnia pertinentia ad confessionem Sacramentalem, alioquin non esset valida: Ergo per illam impletur præceptum Ecclesiæ de annua confessione.

Confirmatur: Finis præcepti non cadit sub præcepto: Sed gratia per Sacramentum recipienda, cujus privatio reddit Sacramentum informe, est finis præcepti confessionis Sacramentalis: Ergo non cadit sub præcepto.

Confirmatur amplius: Pœnalia potiùs sunt restringenda, quàm amplianda: Sed præceptum confessionis pœnale est: Ergo non debet ampliari ad actum confessionis formatæ, sed potiùs stringi ad actum informis, modò quoad essentiam Sacramenti sit valida.

26. Quæres octavò, an aliquando pœnitens teneatur bis confiteri de iisdem peccatis?

Respondeo ad id teneri in quatuor casibus. Primus est, quando pœnitens priusquàm absolveretur à peccatis, non fuit absolutus ab excommunicatione quam incurrerat. Secundus quando pœnitens vovit se facturum confessionem generalem omnium peccatorum quæ priùs confessus est. Tertius, quando quis non potest sufficienter explicare malitiam præsentium peccatorum, nisi repetendo peccata aliqua jam manifestata in aliis confessionibus. Quartus, quando urgente præcepto, vel gravi necessitate, pœnitens habens peccata reservata, confitetur inferiori Sacerdoti; tunc enim peccata reservata quæ Sacerdoti inferiori, ob integritatem confessionis, declaravit, tenetur iterum superiori cui sunt reservata confiteri, ut communiter docent Theologi; quia à Sacerdote inferiori indirectè tantùm & per accidens ab illis peccatis absolutus fuerat, & cum obligatione ea confitendi superiori, suo tempore.

27. Dices, in eo casu pœnitens non tenetur confiteri Sacerdoti inferiori peccata reservata superiori, cùm ab illis absolvere non possit, & confessio ad absolutionem ordinetur.

Sed contra: *Etiam si Sacerdos non possit de omnibus absolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoscat, & de illis de quibus non potest absolvere, ad superiorem remittat*, ut ait S. Thomas quæst. 9. supplem. art. 2. ad 3.

28. Quæstione 7. supplementi agit D. Thomas de quidditate confessionis, & in primis ostendit, illam sic rectè definiri ab Augustino: *Confessio est per quam latens morbus, spe veniæ aperitur*. Deinde demonstrat illam esse actum virtutis, esseque elicitivè à pœnitentia, & non à veritate, ut quidam dicunt, imperativè autem ad multas virtutes pertinere posse. Quæ omnia patent ex dictis disp. 2. explicando naturam & quidditatem virtutis pœnitentiæ. Unde solùm hic explicanda est alia definitio Confessionis, quæ à Theologis communiter traditur, sub hac verborum serie: *Confessio Sacramentalis est legitima & Sacramentalis accusatio de propriis peccatis, ad eorum remissionem, virtute clavium obtinendam*.

Dicitur primò *accusatio Legitima*, id est coram legitimo judice facta, quia in hoc convenit confessio cum aliis accusationibus judicialibus. Additur *Sacramentalis*, quia licet confessio peccatorum extra Sacramentum possit esse actus virtutis pœnitentiæ, si fiat ex motivo ipsius, tamen de ea ut sic non loquimur in præsenti. Tertiò declaratur propria materia hujus accusationis, dum dicitur *de propriis peccatis*. Demum explicatur ejus causa finalis, ac proprius illius effectus, nimirum remissio peccatorum obtinenda.

DISPUTATIO IX.

De Ministro confessionis.

Ad quæstionem 8. Supplementi.

QUIA minister hujus Sacramenti aliquo modo ad ejus essentiam pertinet, ut enim docet Florentinum, Sacramenta tribus perficiuntur, materiâ, formâ, & intentione Ministri, meritò S. Thomas explicatâ essentiâ ac definitione confessionis Sacramentalis, statim disserit de ejus Ministro, de quo etiam in hac disputatione agemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum solus Sacerdos sit minister confessionis Sacramentalis?

PArtem negantem tenuit Vvicleff, ut refert Thomas Vvaldensis tomo 2. de Sacrament. cap. 135. asserebat enim potestatem absolvendi à peccatis, seu reconciliandi Deo peccatores, tam laicis quàm Sacerdotibus communem esse. Idem docuit Lutherus in libro de abroganda Missa. Ut hic error refellatur, & veritas Catholica stabiliatur,

1. Dico breviter, solus Sacerdos est minister confessionis Sacramentalis, unde ille solus potest absolvere à peccatis, & peccatores cum Deo reconciliare. Conclusio est certa de fide, ac definita in Concilio Constantiensi in Bulla Martini V. contra Vviclef, in Florentino in decreto unionis, & in Trident. sess. 14. cap. 6. ubi nullus minister alius nisi sacerdos assignatur. Et can. 10. dicitur solos sacerdotes esse ministros absolutionis, & verba illa Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. solis sacerdotibus esse dicta, atque illis solis potestatem remittendi peccata fuisse concessam.

2. Idem passim docent SS. Patres, præsertim Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. ubi ait inter

Universidad de Deusto
Biblioteca

inter alia, Sacerdotes Evangelicos habere potestatem, quam neque habent Angeli, neque Archangeli neque terreni Principes, quoniam ad hos omnes dictum non est, *Quodcunque solveris*, &c. Indeque concludit Christianis omnibus persuasum esse debere, ut Sacerdotum curationi se submittant. Item Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 25. jus ligandi & solvendi solis Sacerdotibus dicit esse concessum. Idem docet Hieronymus in cap. 16. Matthæi, ubi addit hoc in veteri lege præfiguratum fuisse, quando judicium inter lepram & lepram solis Sacerdotibus reservatum fuit. Et Leo magnus Epist. 91. ad Theodorum, ait indulgentiam Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum obtineri non posse. Loquitur autem de confessione & absolutione Sacramentali, ut ex contextu manifestum est. Augustinus vel Author libri de vera & falsa pœnitentia, de peccatore loquens: *Repræsentet* (inquit) *vitam suam Deo per Sacerdotem, præveniat judicium Dei per confessionem.* Demum Tertullianus lib. de pœnitent. cap. 9. testatur pœnitentes sui temporis, non tantùm lachrymari & ingemiscere solitos, *sed & Presbyteris advolvi & aris Dei adgeniculari.*

3. Addo cum D. Thoma hîc art. 1. conveniens fuisse, ut illi soli haberent potestatem in corpus Christi mysticum, qui potestatem habent in corpus Christi verum, quales sunt soli Sacerdotes, unde in nullius alterius ministri consecratione dicitur: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis.* Item Sacramentum pœnitentiæ se habet per modum judicij unde absolutio à peccatis est actus judicialis: Sed non est conveniens quod in republica benè ordinata, qualis est Ecclesia, omnes sint judices; cùm multa requirat actus judicialis, quæ non facilè possunt in quolibet reperiri, ut scientiam, prudentiam, justitiæ zelum, &c. Ergo nec quod omnes sint confessionis Sacramentalis ministri.

4. Objicies primò: Jacobi 5. dicitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra*, quod de confessione quæ fit in Sacramento pœnitentiæ intelligit Augustinus lib. 50. homiliarum, homil. 12. ubi sic ait: *In omnibus Scripturis divinis utiliter ac salubriter admonemur, ut peccata nostra debeamus jugiter & humiliter, non solùm Deo, sed etiam Sanctis & Deum timentibus confiteri; sic enim per Jacobum Apostolum nos admonet Spiritus Sanctus, Confitemini alterutrum peccata vestra, &c.* Ergo licitum est cuilibet, etiam laïco, confiteri Sacramentaliter, subindeque solus Sacerdos non est minister confessionis Sacramentalis.

5. Respondeo sensum horum verborum esse, quod homines debent confiteri non solùm Deo, sed etiam hominibus, non quibuscumque, sed habentibus potestatem absolvendi, ac proinde solis Sacerdotibus. Unde ibi Venerabilis Beda: *In hac sententia* (inquit) *illa debet esse discretio, ut quotidiana leviaque peccata, coæqualibus alterutrum confiteamur; porro gravioris lepræ immunditiam Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter, & quanto tempore jusserit, purificari curemur.* Alludit ad legem lepræ, quæ leprosum jubebat ostendere se Sacerdoti, ut eam judicare ac discernere posset.

6. Objicies secundò: capite *Fures*, extra de furtis, sic habetur: *Fures & latrones, si in furando & deprædando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi, aut vulnerati, Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, Communionem ei non negamus:* Ergo Diaconus potest esse minister confessionis Sacramentalis. Unde Cyprianus epist. 13. de lapsis hæc habet: *Si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectatâ præsentiâ nostrâ, apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint.* Item in Concilio Toletano 1. can. 2. prohibetur ne Diaconi qui ex pœnitentibus ordinati sunt, manus imponant, id est ne pœnitentes à peccatis absolvant. Ex quo non obscurè colligitur, Diaconis potestatem remittendi peccata committi solitam.

7. Ad primum respondeo primò mendum esse in textu, & legendum esse loco istarum vocum, *Presbytero vel Diacono, Presbytero & Deo*, prout habetur in Canone 31. Concilij Triburiensis, ex quo caput istud *Fures* desumptum notatur. Sic enim habetur in hoc Concilio: *Si autem ille fur, vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se mysteriis sacrosanctis, habitu corporis, & voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque & Sacerdoti, comite vita, emendatione morum & actuum confitetur, Communionis gratiam non negamus tribuendam.*

8. Respondeo secundò, quod etsi legatur *vel Diacono*, nihil contra nos, quia hoc non debet intelligi, de confessione & absolutione Sacramentali, sed de canonica reconciliatione cum Ecclesia. Unde sensus hujus capitis est, quod absente Sacerdote possit Diaconus, furem vulneratum, & peccatum suum agnoscentem & detestantem, reconciliare cum Ecclesia, eique communionem Eucharisticam impertiri, cùm Diaconus possit ministrare Eucharistiam.

9. Ad secundum similiter dico, *Exomologesis* nomine, quam lapsi, ut ait Cyprianus, apud Diaconum, absente sacerdote, facere poterant, non intelligi Sacramentalem confessionem, & condonationem peccatorum in foro interiori, vi sacramentalis absolutionis, concessam, sed remissionem eorumdem in foro exteriori, & quoad pœnas Canonicas, quas relaxare Diaconi, de mandato Episcoporum poterant, cùm hoc non sit actus ordinis, sed jurisdictionis, quam Episcopus Diacono conferre potest.

10. Dices, Cyprianus verbis supra relatis, idem videtur concedere Diaconis in absentia Presbyteri, quod tribuit ipsi Presbytero: At Presbyter habet potestatem reconciliandi non solùm in foro exteriori, & quoad pœnas Canonicas, sed etiam in foro interiori, & quantùm ad remissionem peccatorum: Ergo & Diaconus.

Respondeo quod licet idem videatur concedere Cyprianus Diacono, absente Presbytero, quod ipsi Presbytero præsenti, hoc tamen intelligendum est accommodatè ad potestatem utriusque, ut scilicet Diaconus præstet pœnitentibus, absente Presbytero, quod ex vi sui Ordinis potest, nec non ex vi jurisdictionis sibi ab Episcopis tunc commissæ: Constat verò Diaconos à peccatis absolvere peccatorem non posse, ex vi sui Ordinis, sed duntaxat in casu necessitatis illi ministrare sacramentum Eucharistiæ, & illi pœnas canonicas relaxare, ex jurisdictione & potestate sibi ab Episcopo commissa & concessa: Ergo id tantùm illis tribuit Cyprianus loco citato, non verò potestatem absolvendi peccatores in

in foro interiori, & illis remittendi peccata. Hanc enim potestatem solis Sacerdotibus concessam esse, constat ex ipso Cypriano, in prædicto libro de lapsis, ubi sic ait: *Pœnitenti operanti, roganti, potest clementer ignoscere* (Deus) *potest in acceptum referre quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.*

11. Ad tertium respondeo per manûs impositionem, Diaconis qui ex pœnitentibus ordinati erant, in prædicto Canone Concilii Toletani prohibitam, non intelligendam esse absolutionem sacramentalem à peccatis, sed impositionem manuum cæremonialem in pœnitentia solemni, de qua S. Cyprianus loquitur cùm ait: *Pœnitentes per manûs impositionem Episcopi & Cleri jus fraternitatis accepisse.* Constat enim quod manuum illa impositio, neque Confirmatio erat, neque Ordinatio, quia neutra Clericis quibuscumque committi potest. Nec etiam erat absolutio sacramentalis, quia illa ab uno confertur, non à pluribus impenditur: Erat ergo ritus quidam, ad plenam pœnitentium cum Ecclesia reconciliationem, præmitti solitus.

12. Quæres, an in casu necessitatis v. g. in evidenti periculo alicujus naufragij, deficiente Sacerdote, peccator humilitatis & devotionis causâ, & ad excitandam contritionem de peccatis, possit Laïco confiteri?

Respondeo id ex natura rei esse licitum & laudabile, dummodo possit fieri sine scandalo, & pœnitens non credat Laïcum posse absolvere à peccatis, atque statuat eadem peccata suo tempore confiteri Sacerdoti, & clavibus Ecclesiæ subjicere. Ita docent Augustinus vel Author libri de vera & falsa pœnitentia cap. 10. dicens: *Tanta vis est confessionis, ut si deest Sacerdos, confiteatur Laïco.* Magister sententiarum in 4. dist. 17. & D. Thomas hic art. 1. ubi sic ait: *Quando necessitas imminet, debet facere pœnitens quod ex parte sua est, scilicet conteri & confiteri cui potest: qui quamvis Sacramentum perficere non possit, ut faciat quod ex parte Sacerdotis est, absolutionem scilicet, defectum tamen Sacerdotis Summus Sacerdos supplet. Nihilominus confessio ex defectu Sacerdotis Laïco facta, Sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit Sacramentum perfectum, quia deest ei id quod est ex parte Sacerdotis.* Quibus verbis apertè docet, in casu necessitatis confessionem illam licitam esse & laudabilem, atque utilem, quia Christus Summus Sacerdos, intuitu humilitatis ac devotionis pœnitentis, supplet defectum Sacramenti, & facit quod pœnitens justificetur per votum illius. Hanc verò confessionem S. Doctor vocat *quodamodo Sacramentalem*, non quòd sit verum Sacramentum, & ex opere operato justificet, sed quia est quædam imitatio confessionis Sacramentalis, & ex ejus voto ac desiderio proficiscitur; illamque vellet facere pœnitens in Sacramento, si minister adesset Sacramenti.

13. Frequentem olim fuisse in primitiva Ecclesia hujusmodi confessionis usum, constat ex Authore citato libri de vera & falsa pœnitentia, & confirmatur facto cujusdam Exorcistæ, qui vocatus ad exercitium sui officij, cùm aliàs premeretur conscientiâ peccati mortalis, & copiam Confessoris non haberet, accessit ad laïcum ut confiteretur, timens ne dæmon peccata inconfessa propalaret; quod factum sic ei profuit, ut dæmon nullum ejus peccatum manifestare potuerit, solúmque dixerit, se non posse de ejus peccatis loqui, quia antequam intraret in Ecclesiam, cum aliquo secretò sermonem habuerat, prædictam confessionem non obscurè indicans. Nunc autem propter exortam Lutheri hæresim, usus hujusmodi confessionis cessavit in Ecclesia; unde non debet fieri nisi rarò, & cum præmissis cautionibus. Si verò aliquando contingat fieri, non debet laïcus verba formæ Sacramentalis proferre, dicendo *Ego te absolvo*, &c. sed solùm uti verbis deprecativi modi, dicendo, *Absolvat te Deus*, vel *Absolvat te Summus Sacerdos, Christus.* Tenebitur autem ad servandum secretum, idque majori vinculo, quàm obligatione secreti naturalis; quia hujusmodi confessio, licèt non sit Sacramentalis, tamen dicit ordinem ad Sacramentum, & gerit similitudinem aliquam cum confessione Sacramentali. Unde grave peccatum mortale committeret quicumque illam revelaret, & esset dignus supplicio, non tamen eodem prorsus modo, quo Sacerdos violans sigillum confessionis.

ARTICULUS II.

Utrum in Ministro confessionis necessaria sit potestas jurisdictionis, eaque sit omnino distincta à potestate ordinis?

§. I.

Duplici conclusione duplex hæc difficultas resolvitur.

14. Dico primò, in ministro confessionis jurisdictionem esse planè necessariam, non solùm ut licitè, sed etiam ut validè à peccatis absolvat. Ita D. Thomas hic art. 4. ubi sic ait: *Sicut ille qui non est Sacerdos non potest hoc Sacramentum conferre, ita nec ille qui non habet jurisdictionem, & propter hoc oportet sicut Sacerdoti, ita proprio Sacerdoti confessionem fieri: cùm enim Sacerdos non absolvat nisi ligando ad aliquid faciendum ille solus potest absolvere, qui potest per imperium ad aliquid faciendum ligare.* Quæ veritas definita fuit in Concilio Lateranensi cap. *Omnis utriusque sexûs*, ubi dicitur alienum Sacerdotem non posse solvere vel ligare sine licentia proprij. In Florentino in decreto unionis, ubi asseritur ministrum hujus Sacramenti esse Sacerdotem habentem authoritatem absolvendi ordinariam vel delegatam. Ac demum in Tridentino sess. 14. cap. 7. ubi sic habetur: *Quoniam natura & ratio judicij illud exposcit, ut sententia in subditos tantùm feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse hac Synodus confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse quam Sacerdos in eum profert in quem non habet ordinariam aut subdelegatam potestatem.* Quibus verbis Concilium non solùm conclusionem nostram apertè docet, sed etiam rationem fundamentalem quâ probetur insinuat: Hoc enim Sacramentum essentialiter est quoddam judicium, & absolutio Sacramentalis nihil aliud est quàm prolatio sententiæ: Atqui natura & ratio judicij illud exposcit, ut sententia non nisi in subditos feratur: Ergo in ministro hujus Sacramenti requiritur jurisdictio.

15. Dico secundò, potestas jurisdictionis est omnino distincta à potestate ordinis, quam quilibet sacerdos recipit in impositione manuum Episcopi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

copi, cum prolatione horum verborum: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.*

Hæc conclusio est contra plures Theologos, existimantes potestatem jurisdictionis non distingui à potestate ordinis, qui tamen diversimodè explicant suam sententiam. In primis enim Armacanus lib. 11. de quæstionibus Armenorum cap. 4. censet quemlibet sacerdotem hoc ipso quod est ordinatus posse validè absolvere, sed per Ecclesiæ prohibitionem fieri, ut non possit licitè nisi eos quibus Ecclesia id permittit. Quo fit ut si quis sciens confiteatur sacerdoti non habenti potestatem audiendi confessiones, confessio ejus invalida sit & nulla, non defectu potestatis absolvendi, sed ratione obicis quem apponit pœnitens dum contra prohibitionem Ecclesiæ confitetur ei cui non debet. Si verò bonâ fide & ignorans faciat, valida erit confessio; tenetur tamen illam proprio sacerdoti repetere, ut præceptum Ecclesiæ servet de confitendo proprio sacerdoti.

Sed hic modus dicendi videtur erroneus, & repugnans Conciliis suprà citatis, asserentibus non quemlibet sacerdotem, sed eum tantùm qui habet jurisdictionem, posse à peccatis absolvere, *& absolutionem eam nullius esse momenti, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem*, ut loquitur Tridentinum suprà relatum. Ex quo manifestè sequitur, quod si quis bonâ fide confiteretur peccata sua sacerdoti non habenti potestatem audiendi confessiones, non absolveretur validè, defectu potestatis absolvendi.

16. Secundò, Cajetanus tomo 1. opusc. tract. 7. docet ad validè absolvendum, nihil interdum requiri ampliùs, quàm ut pœnitens se voluntariè subjiciat sacerdoti habenti solam ordinis potestatem, sine jurisdictione ordinaria, vel delegata. Sicut in arbitro habente potestatem judicandi à partibus, nulla requiritur nova potestas judicandi ex parte Principis, quia nullam possunt partes in arbitrum conferre jurisdictionem; requiritur tamen ex parte ipsorum, qui se arbitro submittunt judicandos.

At hoc quoque repugnat manifestè Conciliis suprà citatis, quæ requirunt in Confessario, ut vel sit ordinarius pastor pœnitentis, vel si non est pastor ejus ordinarius, nec ex officio curam regiminis ipsius habeat, licentiam seu delegationem ordinarij habeat: At subjectio voluntaria pœnitentis, neque est ordinaria jurisdictio, neque delegata; neque enim illa subjectio est potestas regendi animas ex officio; neque etiam est delegatio, delegare enim est actus superioris; Ergo ad validè absolvendum non sufficit ut pœnitens se voluntariè subjiciat Sacerdoti.

17. Tertiò Navarrus in cap. *Placuit* dist. 6. existimat sacerdotes in sua ordinatione accipere totam potestatem jurisdictionis, sed eam ligari ab Ecclesia, ita ut neque licitè neque validè possit in actum exire, nisi illâ permittente. Unde licèt initio nascentis Ecclesiæ, omnes sacerdotes jure divino possent quoscunque pœnitentes voluntariè se submittentes à quibuscunque peccatis absolvere, modò tamen id non possunt, propter prohibitionem Ecclesiæ.

Sed hic etiam modus dicendi repugnare videtur verbis Tridentini suprà relatis, apertè supponentibus aliquos esse Sacerdotes, qui non habent jurisdictionem neque ordinariam neque subdelegatam, adeóque nullam: Ergo falsum est, Sacerdotem accipere in sua ordinatione totam potestatem jurisdictionis. Deinde aliæ potestates à Christo immediatè concessæ, non possunt ita per Ecclesiam ligari, ut validè in actum exire nequeant; ut patet de potestate consecrandi corpus Christi, confirmandi, ordinandi, quæ per nullam Ecclesiæ prohibitionem potest impediri ne validè operetur: Ergo si potestas jurisdictionis cuilibet sacerdoti ex vi suæ ordinationis immediatè à Christo conferatur, nullum est fundamentum asserendi, quod possit per Ecclesiam ita ligari, ut validè in actum exire non possit.

Quartò Vazquez qu. 93. art. 1. dubio 2. Angelus, Petrus de Ledesma, & alij docent, quemlibet Sacerdotem in ipsa ordinatione jure divino accipere completam potestatem absolvendi à peccatis, quantùm est ex parte principij, sed deesse illis materiam, quæ per authoritatem Ecclesiæ eis designatur. Quod explicat Ledesma exemplo Episcoporum titularium, quibus licèt in sua consecratione potestas Episcopalis conferatur, desunt tamen illis subditi in quos jurisdictionis usum exerceant. Aliud exemplum adducit Vazquez, quod à Paludano desumpsit; comparat enim Sacerdotes judicibus quibusdam dictis Chartulariis, qui olim ab Imperatore constituebantur, nullis subditis assignatis, sed solùm cum authoritate judicandi de litibus eorum qui vellent se illorum judicio submittere. Sicut enim illi totam potestatem judiciariam & authoritatem judicandi accipiebant ab Imperatore, quamvis determinatio materiæ non fieret ab illo, sed à litigantibus se sponte submittentibus; sic Sacerdotes accipiunt totam authoritatem & potestatem absolvendi à Christo, per Sacramentum ordinis, quamvis determinatio materiæ, id est personarum absolvendarum, non fiat à Christo, sed ab Ecclesia. 18.

Sed hæc etiam sententia displicet. Primò quia falsum est, quemlibet sacerdotem in ipsa ordinatione jure divino accipere completam potestatem absolvendi à peccatis, sicut Episcopi titulares in sua consecratione accipiunt completam potestatem conferendi Confirmationem, & Ordines; aliàs sicut Episcopi titulares validè ordinant, quamvis illicitè; sic etiam quilibet Sacerdos quemlibet validè, quamvis illicitè, absolveret, quod est incidere in sententiam Armacani, suprà impugnatam.

Secundò, quia hæc sententia menti & doctrinæ Tridentini non videtur consona, nam Tridentinum suprà citatum hæc duo sumit tanquam æquivalentia, habere subditos, & habere jurisdictionem, cùm sic ait: *Quoniam igitur natura & ratio judicij illud exposcit, ut sententia in subditos tantùm feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, nullius momenti esse absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem*; id est in eum qui non est ei subditus: Atqui Sacerdotes per Sacramentum Ordinis, nullos accipiunt subditos, ut fatentur Adversarij: Ergo neque accipiunt jurisdictionem, juxta mentem & modum loquendi Concilij Tridentini.

§. II.

§. II.

Solvuntur objectiones.

19. OBjicies primò contra primam conclusionem: Si quis Presbyter baptizet eum qui non pertinet ad suam Ecclesiam, & quis Episcopus ordinet aliquem alterius diœcesis, sine facultate Episcopi illius, quamvis uterque peccet, tamen alter verè baptizat, alter verò ordinat: Ergo & Sacerdos absolvens eum in quem non habet jurisdictionem, quamvis peccet, tamen verè absolvit, & sic ad validè absolvendum, præter potestatem ordinis, non est necessaria potestas jurisdictionis.

Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiã, & paritatem, quia comparatio non fit inter paria. Nam in cæteris sacramentis, etsi requiratur jurisdictio, non tamen requiritur ex ipsa vi & natura illorum, sed ex disciplina Ecclesiastica. In Sacramento autem pœnitentiæ, non est necessaria propter Ecclesiasticam disciplinam tantùm, sed propter ipsam naturam Sacramenti, quod per modum judicij institutum est.

20. Objicies secundò: Si ad validè absolvendum, præter potestatem Ordinis, necessaria esset jurisdictio, nullus posset Summum Pontificem validè absolvere: Sed hoc est absurdum: Ergo, &c. Sequela Majoris probatur. Nullus potest habere jurisdictionem in Summum Pontificem, quia non potest illam accipere ab ipso Pontifice, qui sicut non habet jurisdictionem supra seipsum, ita nec potest illam alteri conferre; neque etiam ab alio, cùm Pontifex nullũ in terris superiorem agnoscat.

Respondent Paludanus, Cano, & plures alij, jurisdictionem à Christo immediatè conferri ei quem Summus Pontifex in Confessarium eligit, ipsam verò Pontificis electionem, esse conditionem tantùm requisitam, ut immediatè à Christo jurisdictio illi conferatur. Hæc solutio probabilitate non caret.

Melius tamen respondetur, Confessarium electum à Pontifice, ab ipso immediatè accipere jurisdictionem; ad hoc enim non requiritur quod Pontifex immediatam jurisdictionem habeat in seipsum, sed sufficit quod sicut habet à Christo potestatem subjiciendi quoscunque fideles cuilibet Sacerdoti; ita & habeat ab eodem Christo potestatem subjiciendi seipsum cui volet; ex qua subjectione conferre censetur Sacerdoti electo jurisdictionem in seipsum, non ut Pontificem, sed ut peccatorem. Unde S. Thomas hìc art. 4. ad 4. ait quod *Prælatis concessum est, quod possint eligere proprios Sacerdotes Confessores, qui quantùm ad hoc sunt eis superiores; sicut etiam unus medicus ab alio curatur, non inquantum medicus, sed inquantum infirmus.* Quamvis ergo Summus Pontifex non possit dare jurisdictionem in seipsum in foro externo, propter excellentiam & prærogativam suæ dignitatis majoris omni aliâ humanâ, quam non decuit submitti authoritati purè humanæ Judicum ipsâ inferiorum; secùs tamen de foro interno favorabili, cujus judicium omnibus post Baptismum lapsis est ad salutem necessarium.

21. Objicies tertiò: Quilibet Sacerdos potest quemlibet in articulo mortis existentem ab omnibus peccatis absolvere; imò & quemlibet alium, à peccatis venialibus, & mortalibus aliàs confessis: Ergo in ministro confessionis non requiritur jurisdictio, ut validè à peccatis absolvat.

22. Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam, quilibet enim Sacerdos ex Ecclesiæ concessione, per usum continuum declarata, habet jurisdictionem ad absolvendum quemlibet in articulo mortis existentem, ut declarat Trid. sess. 14. cap. 7. ubi postquam docuit necessariam esse jurisdictionem in Sacerdote, ut validè à peccatis absolvat, & quemlibet Episcopum in sua diœcesi causas aliquas criminum graviores suo posse peculiari judicio reservare, subdit: *Veruntamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* Ubi per articulum mortis intelligi debet non modò tempus illud in quo mors jam proximè imminet, estque moraliter certa, & ferè inevitabilis, sed etiam illud in quo est probabile mortis periculum, eò quòd mors frequenter in tali casu eveniat; ut si prægnanti partus instat, si bellum actu aggrediendum est, aut periculosa navigatio suscipienda. Neque enim putandum est, Ecclesiam in tanto periculo, pio matris officio deesse voluisse, ac permittere ut aliquis tunc exponatur morti, sine prævia confessione, defectu jurisdictionis.

Ad illud quod subditur de peccatis venialibus & mortalibus jam remissis, similiter dicendum est, quemlibet sacerdotem toleratum habere ex concessione Ecclesiæ facultatem & jurisdictionem absolvendi ab illis peccatis, ut patet ex eo quod Ecclesia privat excõmunicatum vitandum potestate absolvendi à venialibus, ut communiter docent Theologi. Aliqui tamen existimant, ad absolvendum ab illis peccatis, nullam requiri jurisdictionem, eò quòd prælati Ecclesiæ neminem ad illorum confessionem cogere possint. 23.

Objicies quartò: Potestas jurisdictionis est aliquid morale tantùm, ut infrà patebit: Sed ad effectum physicum, qualis est remissio peccatorum, mediante gratiâ, non requiritur aliquid morale: Ergo potestas jurisdictionis non est necessaria in Sacerdote, ad hoc ut remittat peccata, & ab illis sacramentaliter absolvat, sed ad id sufficit potestas ordinis, quæ physica & realis est.

Respondeo quod licèt ad effectum physicum modo præcisè physico causandum, non requiratur aliquid morale, benè tamen ad effectum physicum, non tantùm modo physico, sed etiam morali, producendum: remissio autem peccatorum mediante gratiâ in Sacramento pœnitentiæ, non tantùm physicè, sed etiam moraliter causatur, quia causatur modo judiciali, qui est moralis. 24.

Objicies quintò contra secundã conclusionem: Nullus est Sacerdos cui in sua ordinatione non detur potestas absolvendi à peccatis, in ordinatione enim sacerdotali Episcopus in persona Christi profert verba illa Joan. 20. *Accipite Spiritũ Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* &c. quibus & nõ aliis Christus contulit Apostolis integram potestatem jurisdictionis in foro interiori: Ergo potestas jurisdictionis, nihil importat præter potestatem ordinis, sive characterem. 25.

Respondeo Sacerdotes, ex vi suæ ordinationis, & illorum verborum, *accipite Spiritum Sanctum,* &c. recipere potestatem absolvendi à peccatis, non moralem, in qua consistit potestas jurisdictionis, sed physicam, in qua consistit potestas ordinis. Ad probationem in contrarium dico, quod licèt Apostoli simul cũ ordinatione Sacerdotali & Episcopali, jurisdictionem universalem in Christianos omnes acceperint, eam tamen non 26.

Universidad de Deusto
Biblioteca

receperunt ex vi talis ordinationis, nec ex vi illorum verborum, *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. sed ex speciali privilegio ratione necessitatis, & Apostolicæ dignitatis, illis concesso, subindeque nec simplicibus Sacerdotibus, nec ipsis etiam Episcopis communicato; nam Episcopi merè titulares alicujus loci in quo nullus Christianus existit, sicut nullos habent subditos, ita nec ullam jurisdictionem, quæ sine subditis esse non potest. Et idem est de Episcopis illis qui absolutè privantur suo Episcopatu, aut cum summi Pontificis venia, illi renuntiant; hi enim omnes sunt quidem Episcopi quoad characterem, & potestatem ordinis, tametsi careant jurisdictione, quam vel nondum acceperunt, vel ea spoliati sunt.

27. Instabis: Sacerdotes ex vi illorum verborum, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. constituuntur judices, subindeque potestatem judiciariam recipiunt: Sed potestas judiciaria est potestas moralis & non physica: Ergo ex vi illorum verborum Sacerdotes recipiunt potestatem moralem absolvendi à peccatis, ac proinde ipsam jurisdictionem.

28. Confirmatur: Potestas physica ad absolvendum à peccatis, consistit in charactere sacerdotali: Sed antequam Episcopus proferat illa verba, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. Sacerdos charactere sacerdotali insignitus est: Ergo antequam illa verba proferat, habet potestatem physicam ad absolvendum à peccatis, subindeque ex vi horum verborum non recipit potestatem physicam ad absolvendum à peccatis, sed duntaxat potestatem moralem, quæ est ipsa potestas jurisdictionis.

29. Ad instantiam respondeo Sacerdotes ex vi illorum verborum constitui judices aptitudine, quatenus accipiunt potestatem ordinis, ratione cujus deputantur tanquam apti ad ferendam sententiam: constituuntur autem actu judices, quando actu ipsis conferuntur subditi, quia tunc primò habent jus ad ferendam sententiam.

30. Ad confirmationem dico, potestatem physicam ad absolvendum, non consistere in charactere sacerdotali, sed in quodam modo reali & intrinseco majoris perfectionis & extensionis ipsius, ratione cujus character est potentia physica non tantùm supra corpus Christi reale ad consecrandum ipsum, sed etiam supra corpus Christi mysticum, sive supra fideles pœnitentes ad physicè causandum in Sacramento pœnitentiæ eorum sanctificationem per gratiam: licèt autem antequam Episcopus in consecratione Sacerdotum proferat hæc verba, *Accipite Spiritum Sanctum*, &c. jam sint charactere sacerdotali insigniti, secundùm quod character importat præcisè potentiam physicam supra corpus Christi naturale, non tamen secundùm quod, ratione prædicti modi, est insuper potentia physica supra corpus morale & mysticum; illum enim modum recipit solùm in prolatione illorum verborum: *Accipite Spiritum sanctum*, &c.

31. Objicies sextò: Initio nascentis Ecclesiæ omnes Sacerdotes poterant quoscumque pœnitentes voluntariè se submittentes, à quibuscumque peccatis absolvere: Ergo quilibet Sacerdos habebat jurisdictionem ex vi suæ ordinationis. Consequentia videtur legitima, Antecedens verò probat Navarrus ex cap. *Placuit*, de pœnitent. distinct. 6. in quo Urbanus II. qui floruit circa annum 1100. prohibet, ne deinceps ulli Sacerdoti liceat, quemlibet alteri Sacerdoti commissum, ad pœnitentiam recipere, sine ejus consensu, cui priùs se commisit: Nam dictio *Deinceps* (inquit) & similes, denotant constitutiones in quibus ponuntur, præterita non comprehendere, subindeque ante illam constitutionem Urbani II. consuevisse fideles alteri quàm proprio Sacerdoti confiteri.

Respondeo primò, negando Antecedens, nam longo tempore ante Urbanum II. non licebat fidelibus alteri quàm proprio Sacerdoti confiteri, ut colligitur ex Epistola 2. decretali Calixti I. quæ habetur in Decreto Gratiani 9. qu. 2. can. 1. ubi sic dicitur: *Nemo alterius terminos usurpet, nec alterius parrochianum judicare præsumat, quia talis sententia irrita erit, nec ullas vires habebit.* Unde particula illa *deinceps*, quâ Urbanus II. in sua constitutione usus est, non significat antea fuisse lictum confiteri cuilibet Sacerdoti, sed est confirmatio prohibitionis antiquæ: sæpè enim solent confirmari ordinationes antea factæ, vel ut habeant majorem vim, vel quia antiquæ incipiunt à plerisque negligi, & in desuetudinem abire.

Respondeo secundò, dato Antecedente, negando Consequentiam, nam quamvis initio nascentis Ecclesiæ, usque ad tempora Urbani II. fuisset illa consuetudo, ut quilibet Sacerdotes, quoscunque pœnitentes absolverent, habuissent tunc Sacerdotes potestatem jurisdictionis absolvendi quoslibet, non præcisè vi suæ ordinationis, sed ex concessione Ecclesiæ ita volentis; sicut nunc vult ut Sacerdos quilibet possit quemlibet in articulo mortis existentem ab omnibus peccatis absolvere, imò & quemlibet alium à peccatis venialibus, & mortalibus aliàs confessis, ut in solutione secundæ objectionis declaravimus.

§. III.

Corollaria notatu digna.

EX dictis inferes primò, potestatem jurisdictionis in foro pœnitentiali esse quid morale, nimirum deputationem legitimam ad exercendum officium Confessoris, absolvendo à peccatis, modo judiciali; sicut potestas jurisdictionis in foro externo, consistit solùm in deputatione legitima ad exercendum officium judicis, sive ad absolvendum seu damnandum modo judiciali. Hoc tamen inter has duas potestates discrimen intercedit, quòd potestas jurisdictionis in foro externo, non præsupponit necessariò aliam potestatem physicam, quæ sit fundamentum illius, nihil enim physicum habet judex in foro externo, ratione suæ dignitatis, quod non habeant vel habere possint cæteri cives, dignitate judicis destituti: è contra verò potestas jurisdictionis in foro pœnitentiali, necessariò supponit aliquam potentiam physicam ordinis supernaturalis, nimirum characterem Sacerdotalem, cum modo reali & intrinseco extensionis supra corpus Christi mysticum, ut suprà diximus: unde carentes charactere Sacerdotali, non possunt ab Ecclesia deputari ad exercendum officium Confessoris, & absolvendum à peccatis, modo judiciali.

Inferes secundò, potestatem jurisdictionis in foro pœnitentiali duplicem esse, sicut in aliis judiciis, ordinariam nimirum, sive ex officio, & delegatam, sive ex commissione. Ordinaria dicitur illa quam quis habet ex vi proprij muneris & officij, qualis est ea quam habet Summus Pontifex in omnes fideles, Episcopi in sua diœcesi. Parochi

rochi intra limites suæ parochiæ, & prælati Religionum in suos subditos; illi enim omnes ex officio sunt pastores animarum. Delegata verò ea dicitur, quam quis habet non ex officio, sed tantùm ex commissione alterius qui habet jurisdictionem ordinariam.

36. Inferes tertiò, potestatem jurisdictionis in multis differre à potestate ordinis. Primò quia potestas ordinis confertur cuilibet Sacerdoti, per sacram ordinationem; potestas verò jurisdictionis per deputationem legitimam ad exercendum officium Confessoris, & absolvendum à peccatis. Secundò, quia Sacerdotes omnes in potestate ordinis æquales sunt, non verò in potestate jurisdictionis. Tertiò, potestas ordinis invariabilis est ac indelebilis; secùs verò potestas jurisdictionis, quæ potest augeri vel minui, imò & totaliter auferri, etiam in Summo Pontifice, qui licèt suam jurisdictionem supremam & amplissimam immediatè à Deo habeat, potest tamen si velit illi renuntiare, ut à Cœlestino IV. factum est. Demum potestas ordinis non potest delegari, benè tamen potestas jurisdictionis.

37. Quæres ad complementum hujus disputationis, an approbatio Episcopi sit conditio necessariò requisita, ad hoc ut Sacerdos in foro pœnitentiali habeat jurisdictionem, & validè à peccatis absolvere possit?

Respondeo affirmativè, quamvis enim jure antiquo illa non esset necessaria, sed sola superiorum licentia sufficeret, jure tamen novo, in Concilio Tridentino edito, illa necessariò requiritur, nam Sess. 23. cap. 15. de reformat. sic habetur: *Decernit sancta Synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Ubi duo modi approbationis assignantur: alter per collationem Parochialis beneficij, alter per examen Episcopi, si illis videatur esse necessarium. Prior modus antiquus est, posterior novus, & à Concilio introductus. Sicut ergo idem Concilium sess. 24. cap. 1. de reform. statuit ad validitatem matrimonij requiri præsentiam Parochi cum duobus vel tribus testibus, quæ tamen antea non requirebatur: ita decrevit ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ, requiri necessariò in ministro approbationem Episcopi, quæ antea requisita non erat. Unde sicut post Tridentinum, matrimonium clandestinum invalidum est; ita & absolutio data à Sacerdote ab Episcopo non approbato. Quare pœnitens, etiamsi bonâ fide confiteatur Sacerdoti ab Episcopo non approbato, tenebitur iterum confiteri approbato, cùm primùm id noverit: atque ita ferunt declarasse Congregationem Cardinalium, qui authoritatem habent explicandi Concilium.

38. Ex his inferes primò, eos qui obtinent parochiale beneficium, id est cui animarum cura annexa est, non egere Episcopi approbatione, ut possint audire confessiones, quia Concilium illos excipit, his verbis: *Nisi aut parochiale beneficium obtineat.*

37. Inferes secundò, Episcopos, vel Abbates Episcopalem, vel quasi Episcopalem jurisdictionem habentes, non egere approbatione, cùm sit eadem vel potior ratio de his ac de Parochis; benè tamen superiores Religionum, cùm hi nullo modo eximantur à Concilio. Idem dicendum de publicis Theologiæ Doctoribus, ut anno 1571. definivit Pius V. qui tamen vetat eos prævio examine approbandos esse, ut refert Henriquez lib. 6. de Sacram. cap. 6. Aliqui tamen existimant eos ab illa lege excipi, eo ducti argumento, quòd approbatio publicæ Academiæ suppleat approbationem Episcopi. Sed standum est declarationi Pontificis.

Inferes tertiò, non posse Parochos deputare ad audiendas suorum Parochianorum confessiones, eum qui neque est approbatus ab Episcopo, neque parochiale beneficium obtinet; ille enim à Concilio non reputatur idoneus hujus Sacramenti minister.

Inferes quartò, Episcopum non posse sibi eligere in Confessarium Sacerdotem sibi non subditum, à proprio Ordinario non approbatum, ut determinavit Congregatio Cardinalium, Concilij Tridentini interpretum, circa cap. 15. sessionis 23. Verba ejus sunt: *S. D. N. auditâ relatione Congregationis, declaravit Episcopum vigore privilegij de quo in cap. fin. de pœnit. & remiss. non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam hujus decreti* (Tridentini Concilij) *admissus, seu approbatus, ad audiendas confessiones.*

Inferes quintò, ad audiendas Confessiones Regularium, non esse necessarium habere Episcopi approbationem, quia Concilium limitat suum decretum ad eos qui audiunt Confessiones sæcularium, his verbis: *Nullus etiam Regularis, possit confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire.* Unde non tenentur Superiores Religionum, cùm Confessarios assignant suis subditis, eos Episcopo præsentare, ut ab eo approbentur. Ex quo

Inferes sextò, quod quando Superior concedit subdito licentiam eligendi sibi Confessorem in itinere, potest sibi eligere quemcumque, etiam ab Ordinario non approbatum; nam hoc ipso quod licentia non limitatur, censetur concessa in sua amplitudine.

Inferes septimò, ad audiendas Confessiones non sufficere approbationem, petitam ab Episcopo, & ab illo injustè negatam. Concilium enim requirit, ut Confessarius sit approbatus. Quod etiam declarant plures Summi Pontifices, præsertim Innocentius X. in Brevi Apostolico in causa Palafoxii, Episcopi Angelopolitani, & Jesuistarum Provinciæ Mexicanæ; Alexander VII. in Brevi ad Episcopum Andegavensem; & Clemens X. in Bulla data anno 1670. sic incipiente: *Superna magni Patrisfamilias præordinatione.* At ille non est approbatus, qui tantùm petit & non obtinet approbationem, sive justè negetur, sive injustè: Ergo non potest audire Confessiones. Unde inter propositiones à præfato Alexandro VII. damnatas die 24. Septembris anni 1665. hæc est decima-tertia: *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis qui confitetur regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.*

Quæres secundò, utrum ministrans Sacramentum cum jurisdictione tantùm probabili, validè absolvat?

Respondeo validam esse absolutionem, si Sacramentum ministret in casu necessitatis. Licèt enim in materia & forma Sacramentorum non

Universidad de Deusto
Biblioteca

ticeat sequi opinionem probabilem, benè tamen in jurisdictione. Ratio est, quia in primo casu exponit quis se periculo faciendi Sacramentum nullum, non autem in secundo, cùm enim materia & forma Sacramentorum, non dependeat ab Ecclesia & consensu ejus, sed ab institutione Christi, Ecclesia non potest, etiam in casu necessitatis, illarum defectum supplere: è contra verò, cùm jurisdictio ab Ecclesia pendeat, quando probabiliter existimans se habere jurisdictionem, quam tamen de facto non habet, ministrat Sacramentum pœnitentiæ in casu necessitatis, tunc Ecclesia censetur supplere jurisdictionem; ut constat de Parocho, cujus acta omnia valida sunt, si communiter habeatur ut Parochus. Dixi, si ministret Sacramentum in casu necessitatis, B quia nunquam Ecclesia supplet jurisdictionem, nisi sit necessitas.

DISPUTATIO X.

De qualitate & integritate confessionis.

Ad quæstionem 9. Supplementi.

Celebris est hæc disputatio, in ea siquidem plures agitari solent graves difficultates & controversiæ, sequentibus articulis discutiendæ & resolvendæ.

Articulus Primus.

An, & in quibus casibus, confessio possit esse informis, & tamen valida?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1. Notandum primò, hîc nos non loqui de informitate quæ proveniat ex defectu formæ Sacramentalis: Sed de ea quæ provenit ex defectu gratiæ, & remissionis peccatorum. Unde nomine Confessionis informis, sed tamen validæ, intelligimus eam quæ caret effectu ob quem fit, videlicet gratiâ & peccatorum remissione, per quam tamen conficitur verum pœnitentiæ Sacramentum, adveniente formâ absolutionis. Ratio autem hujus denominationis est, quia cùm ultima forma Sacramenti pœnitentiæ veluti extrinseca, sit gratia, quæ significatur & causatur virtute ipsius, si detur Confessio Sacramentalis, quæ non obstante suo valore cum forma absolutionis non producat gratiam, dicitur informis; sicut è contra quando illam producit, vocatur formata.

2. Notandum secundò, quod quamvis facilè concipi possit, alia Sacramenta posse esse valida, & tamen informia, quia possunt habere omnia quæ ad eorum substantiam requiruntur, materiam scilicet, & formam, atque intentionem ministri, & nihilominus ob indispositionem subjecti non causare in eo gratiam sanctificantem; difficilè tamen concipitur quod Sacramentum pœnitentiæ possit esse informe, & tamen validum; non enim est par ratio de Sacramento pœnitentiæ, ac de aliis, quia in nullo alio contritio ipsa A vel attritio, quæ est dispositio ad gratiam, & removet obicem, est essentialis pars Sacramenti: Secùs autem in isto, quod idcirco non videtur posse confici, quin recipiatur à subjecto dispositio ad gratiam, & consequenter nisi in illo sortiatur effectum. Unde plures Theologi hoc fundamento ducti, existimant in nullo casu posse contingere, quod Confessio Sacramentalis sit valida, & nihilominus sit informis, seu careat effectu ob quem fit, videlicet gratiâ & peccatorum remissione. Ita Gabriel, Major, Adrianus, Vega, & Sylvius, quos ex Patribus Societatis sequuntur Vazquez, Conink, Amicus, & Martinonus. Thomistæ verò, Suarez, & alij, è contra docent posse dari Confessionem validam, licèt informem, differunt tamen in assignandis & determinandis casibus in quibus hoc accidat. Illi verò casus de quibus est controversia, ad tres præcipuè reduci possunt.

Primus est, quando contingit aliquem facere Confessionem non integram, defectu sufficientis examinis, quod tamen pœnitens credit esse sufficiens ex ignorantia invincibili, vel etiam vincibili, quamvis non crassa & affectata; si enim ex tali ignorantia affectata ignoraret esse insufficiens, concedunt omnes, Confessionem fore formaliter non integram, subindeque Sacramentum nullum; quia quando ignorantia est affectata vel crassa, ita se habet homo ac si sciret C se commisisse peccata de quibus non recordatur, & consequenter ac si ea sciens & valens non confiteretur.

Secundus est, quando pœnitens habet attritionem excludentem quidem formale propositum peccandi ampliùs, non tamen virtualem seu implicitam quandam & secretam peccandi voluntatem; licèt quia mentitur iniquitas sibi, ipse pœnitens id non cognoscat.

Tertius est, quando attritio non est generalis, atque adeò non se extendit ad peccata ex oblivione naturali & inculpabili pœnitentis in Confessione omissa, verbi gratiâ, quando quis habens quatuor peccata lethalia, perjurium, furtum, D adulterium, & homicidium, solùm tria posteriora declarat in Confessione, & de ipsis habet attritionem supernaturalem ex motivo particularis deformitatis eorum; quartum verò ex oblivione naturali & inculpabili non declarat, nec proinde de illo dolet, quia existimat se illud non commisisse.

Plures ergo ex nostris Thomistis existimant in his tribus casibus dari confessionem validam, sed informem. Alij solùm in primo & secundo casu. Alij verò solùm in tertio. Primum tenent Ledesma, Nugno, & Candidus, secundum docet Joannes à S. Thoma. Tertium asserit Philippus à S. Trinitate. Pro resolutione sit E

§. II.

Verior & probabilior sententia, sequentibus conclusionibus statuitur & explicatur.

3. Dico primò, posse dari Confessionem Sacramentalem validam, & tamen informem.

Probatur primò ex D. Thoma hîc art. 1. ubi sic loquitur: *Confessio potest esse in eo qui non est contritus, quia potest peccata sua pandere Sacerdoti, & clavibus Ecclesiæ se subjicere, & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione, percipere incipiet, unde non*

non tenetur postmodum nisi suam fictionem confiteri: Ergo ex mente D. Thomæ potest dari Confessio valida, & tamen informis. Probatur consequentia, tum quia nemo percipit fructum absolutionis præteritæ, nisi illa valida fuerit: Sed ex D. Thoma recedente fictione percipit homo fructum absolutionis antea datæ: Ergo absolutio illa, quam constat esse informem, valida erat. Tum etiam, quia si Sacramentum omnino fuisset invalidum, non sufficeret fictionem confiteri, sed repetenda esset Confessio: Atqui in illo casu non est repetenda Confessio, ut ait S. Doctor: Ergo in eo casu Sacramentum non fuit invalidum.

4. Probatur secundò: Plus est Confessionem esse simul validam & formatam, quàm esse tantùm B validam; esse enim validam tantùm, est solùm habere quæ sunt de ejus essentia & quidditate; esse verò insuper formatam, est habere præterea suum effectum: Ergo plus requiritur ad istud, quàm ad illud, & consequenter licèt confessio non sit formata, sive licèt careat suo effectu, poterit tamen esse valida, sive habere quæ sunt de essentia & quidditate Confessionis Sacramentalis.

5. Confirmatur: Cùm effectus sit extra essentiam & quidditatem suæ causæ, potest causa ab eo separari, sive potest eo carere, ipsum non causando actualiter, ob aliquam subjecti indispositionem, quamvis ex se sit sufficienter causativa ipsius, ut patet in igne non semper producente de C facto calorem, ob subjecti indispositionem: Sed Confessionem esse validam, licèt informem, nihil aliud est, quàm eam separari à suo effectu, sive eo carere, ipsum non causando actualiter, ob subjecti indispositionem, licèt ex se sit sufficienter causativa ipsius: Ergo Confessio potest esse valida, & tamen informis.

Dico secundò, Confessionem non esse validam & informem in duobus primis casibus suprà adductis. Id est quando contingit aliquem facere Confessionem non integram, defectu sufficientis examinis; vel habere attritionem excludentem quidem formale propositum peccandi, non tamen virtuale & implicitum.

6. Probatur primò quoad primum casum: Vel D pœnitens bonâ fide & inculpabiliter credit se diligens sufficiensque suæ conscientiæ examen confessioni præmisisse, vel culpabiliter, & cum ignorantia vincibili & mortaliter culpabili, id sibi persuadet? Si primum, nullo modo ponit obicem gratiæ, & remissioni peccatorum, subindeque peccatum inculpabiliter omissum indirectè ipsi remittitur; sicut quando oblivione naturali excidit è memoria aliquod peccatum: nam ut ait Tridentinum sess. 14. cap. 5. *Peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt in universum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur; pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine*, quæ mundatio non fit sine E remissione peccatorum: Ergo si in eo casu confessio sit valida, non erit informis, sed formata. Si verò dicatur, quod pœnitens ex ignorantia vincibili & mortaliter culpabili sibi persuadet sufficiens suæ conscientiæ examen se confessioni præmisisse, tunc confessio non solùm erit informis, sed etiam invalida, quod sic ostendo. Integritas formalis confessionis est de substantia Sacramenti pœnitentiæ, ut fatentur Adversarij: At si ignorantia sit vincibilis & mortaliter culpabilis, confessio non erit integra formaliter: Ergo Sacramentum pœnitentiæ tunc non habebit quidquid requiritur ad ejus substantiam, subindeque erit invalidum. Minor probatur: Ut omittens aliquod peccatum, dicatur facere confessionem formaliter integram, oportet quod illud ex rationabili causa omittat: Sed qui omittit illud ex ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, non omittit ex causa rationabili, ut patet; quia rationabilis causa est tantùm impotentia physica, aut moralis, vel grave aliquod nocumentum sui vel proximi: Ergo qui omittit aliquod peccatum in confessione ex ignorantia vincibili & mortaliter culpabili, non censetur facere confessionem formaliter integram.

Probatur secundò conclusio quoad secundum 7.
casum: Sine parte essentiali non potest Sacramentum in suo valore consistere: Sed attritio omnem affectum peccati mortalis excludens, est pars Sacramenti pœnitentiæ, ut definit Tridentinum sess. 24. cap. 4. Ergo qui peccata confitetur cum attritione non excludente omnem affectum ad peccatum mortale, retinetque secretam quandam & implicitam peccandi voluntatem, facit Sacramentum, non solùm informe, sed etiam invalidum.

Dices primò cum Joanne à S. Thoma, Con- 8.
cilium ibi loqui de attritione, ut est dispositio ad effectum Sacramenti, non verò ut est pars illius, unde licèt ad obtinendam gratiam & remissionem peccatorum, requiratur attritio excludens C omnem voluntatem peccandi, cum spe veniæ, non tamen ut Sacramentum sit validum, & constet omnibus partibus ad sui essentiam vel integritatem requisitis.

Sed contra primò: Concilium ibidem cap. 3. loquitur de partibus hujus Sacramenti in communi, aitque illas esse tres, quæ sunt quasi materia hujus Sacramenti, nempè contritionem, confessionem, & satisfactionem; & postea tribus capitibus sequentibus disserit in particulari de qualibet parte; primò quidem de contritione, quam dividit in perfectam, quæ contritio simpliciter appellatur, & imperfectam, quæ attritio dicitur, &c. Ergo ibi loquitur de attri- D tione, non solùm ut est dispositio ad effectum Sacramenti, sed etiam ut est pars intrinsecè illud componens.

Contra secundò, si valeret hæc solutio, eadem facilitate posset quis dicere, quod quando Concilium ibidem docet, contritionem illam imperfectam, quæ attritio dicitur, esse supernaturalem, verumque Dei donum, & Spiritus sancti impulsum, loquitur de attritione ut est dispositio ad effectum Sacramenti, non verò ut est pars illius; subindeque ad valorem Sacramenti non requiri dolorem supernaturalem, sed naturalem sufficere, licèt requiratur supernaturalis ut infundatur gratia: Sed hoc dici nequit, ut fatentur Joannes à S. Thoma, & alij Thomistæ communiter: Ergo nec illud.

Dices secundò, quod licèt ad obtinendum ef- 9.
fectum hujus Sacramenti requiratur attritio, quæ de facto omnem peccandi affectum excludat, ad ejus tamen valorem sufficit quod pœnitens existimet, & invincibiliter putet, se habere attritionem, omnem peccandi affectum excludentem, quamvis revera attritio ejus talem affectum non excludat.

Sed contra: Quando aliquid est necessarium necessitate medij ad aliud habendum, illo omisso, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, non potest istud obtineri: Sed attritio excludens omnem

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccandi affectum est necessaria necessitate medij ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, cùm sit pars essentialis illius: Ergo quamvis pœnitens invincibiliter putet attritionem quam habet de peccatis, omnem peccandi affectum excludere, si tamen revera illum non excludat, non faciet Sacramentum validum, sed invalidum.

10. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Materia Sacramenti quæ requiritur ex divina institutione, ita debet poni verè & in re, quòd non potest suppleri per ignorantiam, vel existimationem quantumcumque invincibilem; quia materia existimata, non est materia instituta à Christo; Sacramentum autem essentialiter componitur ex materia instituta, non ex materia existimata, ut constat in omnibus Sacramentis; si B quis enim in pane aut vino existimato, sed non vero, consecret, nihil facit; & similiter si baptizet in aqua existimata naturali, sed non vera; aut si contrahat cum consensu existimato, sed non vero, nihil efficit: Ergo cùm materia pœnitentiæ ex institutione Christi, juxta Concilium Tridentinum, sit contritio, vel attritio, omnem peccandi affectum excludens, quantumcumque attritio omnem peccandi voluntatem censeatur excludere, si tamen revera illam non excludat, Sacramentum pœnitentiæ erit invalidum.

11. Confirmatur ampliùs: Ad valorem Sacramenti pœnitentiæ non minùs, requiritur quod attritio quæ est pars essentialis illius, omnem peccandi affectum excludat, quàm quod sit supernaturalis; utramque enim conditionem in ea requirit Tridentinum loco citato, dicens talem attritionem voluntatem peccandi debere excludere, & verum donum Dei esse, ac Spiritus Sancti impulsum: Sed attritio naturalis, quamvis invincibiliter existimetur supernaturalis, non sufficit ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, ut fatentur Adversarij: Ergo nec attritio non excludens omnem peccandi affectum, quamvis illum excludere invincibiliter existimetur.

Dico tertiò, Si quis habens quatuor peccata mortalia, tria declaret in confessione, & de eis attritionem habeat, supernaturalem quidem, sed D ex motivo particularis deformitatis eorum, aliud verò ex inadvertentia inculpabili non declaret, nec consequenter de illo doleat, quia non putat se illud commisisse, confessio ejus erit valida, licèt informis.

12. Probatur breviter: Et in primis quod confessio illa sit informis, sive careat suo effectu, qui est remissio peccatorum, videtur certum. Nam in confessione unum peccatum non remittitur sine alio: Sed in casu posito non remittitur pœnitenti illud peccatum quod ex inadvertentia inculpabili non declarat: Ergo nec alia quæ in confessione aperit remittuntur. Major patet. Minor probatur. Nunquam remittitur peccatum, nisi E habenti dolorem formalem aut virtualem de ipso: Sed in casu posito pœnitens neque habet dolorem formalem neque virtualem de peccato omisso; non quidem formalem & explicitum, ut constat, cùm non cogitet de illo; neque etiam virtualem & implicitum, quia dolor de peccato ex motivo ipsi speciali, v. g. de adulterio ex speciali turpitudine ipsius, non est dolor virtualis de peccatis diversæ rationis, putà de furto, vel de homicidio: Sed pœnitens in casu posito non dolet de tribus peccatis, nisi ex particulari motivo, & ex speciali ipsorum turpitudine: Ergo non habet dolorem virtualem & implicitum de quarto.

Dices, quod quamvis illa attritio considerata 13.
A præcisè ex proprio motivo non extendatur etiam virtualiter ad peccatum oblitum, benè tamen quatenus hic & nunc conjungitur voluntati suscipiendi Sacramentum, & redeundi in amicitiam divinam.

Sed contra: Voluntas suscipiendi Sacramentum, neque formaliter, neque virtualiter opponitur peccato, neque etiam intentio quæcunque recuperàndi divinam amicitiam; ut patet in eo qui orando petit hanc divinam amicitiam, quam tamen, si sit in statu peccati, non obtinet, nisi actum contritionis eliciat: Ergo attritio, ut conjuncta tali voluntati & intentioni, non se extendit, etiam virtualiter & implicitè, B ad peccatum oblitum.

Quod verò in casu posito confessio sit valida, ex eo probatur, quod etsi illa non sit integra materialiter, benè tamen formaliter; sicut contingit quando peccatum aliquod mortale tacetur in confessione, ex oblivione naturali & inculpabili. Aliunde verò sufficit ad valorem confessionis, quod attritio se extendat ad omnia peccata quæ in confessione aperiuntur: Ergo licèt in casu posito per accidens non se extendat ad peccatum oblitum & omissum, hoc non obstat valori confessionis. Consequentia patet, Antecedens probatur. Attritio eatenus solùm est pars Sacramenti pœnitentiæ, quatenus sit sensibilis per confes-
C sionem peccatorum: Ergo ad valorem hujus Sacramenti sufficit quod attritio se extendat ad omnia peccata quæ in confessione declarantur.

Dices, Qui ex justa causa subticet in confessione aliquod peccatum, cujus memoriam habet, si 14.
doleat tantùm de peccatis quæ aperit, non verò de illo quod subticet, Sacramentum est invalidum: Ergo idem in casu posito contingit.

Sed nego consequentiam & paritatem, nam in eo casu confessio non est integra, etiam formaliter, ex eo quod pœnitens omittens contritionem de peccato cujus memoriam habet, ponit obicem effectui Sacramenti, subindeque peccat mortaliter: in nostro verò casu confessio est D integra formaliter, quia peccatum ad quod attritio non se extendit, omittitur in confessione ex ignorantia invincibili, aut oblivione inculpabili.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem: Hæc duo inter se cohærere nequeunt, 15.
nempè quod Sacramentum sit verum & validum, & tamen gratiam non causet, quandoquidem de ratione Sacramenti est esse causam gratiæ: Ergo repugnat dari confessionem validam, & tamen informem.

Respondeo negando Antecedens, & ad illius 16.
probationem dico, non esse de ratione Sacramenti causare actualiter gratiam, sed habere vim & virtutem ad illam causandam, licèt interdum actualiter ob aliquam subjecti indispositionem illam non causet: sicut ignis ex se est causativus caloris, etsi ob aliquam subjecti indispositionem, illum non semper actu producat.

Dices, Sacerdos non habet intentionem ab- 17.
solvendi pœnitentem, & conficiendi Sacramentum, nisi conferendo gratiam; quandoquidem si cognosceret illum non esse sufficienter dispositum ad recipiendam gratiam, non posset absque sacrilegio

sacrilegio ipsum absolvere: Ergo repugnat Sa-
A cramentum pœnitentiæ esse validum, nisi de facto gratiam conferat.

18. Respondeo quod licèt in casu quo Sacerdos cognosceret, pœnitentem non esse sufficienter dispositum ad recipiendum effectum Sacramentalis absolutionis, non posset licitè ipsum absolvere; ex eo tamen non sequitur, quod non habeat intentionem absolvendi, nisi conferendo de facto gratiam; aliàs similiter ex eo quod non liceat iph baptizare adultum quem scit non esse dispositum ad dignè suscipiendum tale Sacramentum, similiter dici posset quod non haberet intentionem baptizandi, nisi conferendo gratiam; quod tamen est falsum apud omnes, cùm certum
B sit baptismum, quamvis fictè susceptum, non esse iterabile, atque adeò esse validum.

19. Objicies secundò: Eadem attritio quæ est pars Sacramenti pœnitentiæ, est etiam dispositio ad effectum illius, unde Tridentinum non distinguit in attritione rationem partis, & rationem dispositionis: Ergo non stat Sacramentum pœnitentiæ esse validum, & constare materiâ sibi debitâ, nisi sit formatum, & nisi producat in pœnitente suum effectum, nempè gratiam & remissionem peccatorum.

20. Respondeo quod licèt regulariter & per se, eadem attritio quæ est pars Sacramenti pœnitentiæ, sit etiam dispositio ad effectum illius, ideóque Tridentinum non distinguat in attritione ra-
C tionem partis & rationem dispositionis; per accidens tamen & in aliquo casu raro & extraordinario contingere potest, quod attritio sit pars Sacramenti pœnitentiæ, & tamen non disponat ad effectum illius; quando nimirum illa procedit ex motivo turpitudinis specialis aliquorum peccatorum; subindeque nec formaliter nec virtualiter se extendit ad aliud peccatum invincibiliter ignoratum, aut inculpabiliter oblitum; unde in eo solùm casu existimo posse dari confessionem validam, & tamen informem, ut in tertia conclusione declaravimus.

21. Dices, Ut attritio sit materia hujus Sacramenti, debet esse talis, quod super illam possit veri-
D ficari forma: Sed forma hujus Sacramenti, nimirum, *Ego absolvo te à peccatis tuis*, non potest verificari super attritionem quæ non est dispositio ad gratiam; quia remotâ dispositione ad gratiam & remissionem peccatorum, verificari non potest quod pœnitens a peccatis absolvatur: Ergo attritio quæ non est dispositio ad gratiam, nequit esse materia in Sacramento pœnitentiæ, nec habere rationem partis respectu illius.

22. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem; nam ut docet S. Thomas 3. p. quæst. 84. art. 3. ad 5. sensus horum verborum, *Ego absol-*
E *vo te*, non est, Ego tibi confero gratiam à peccatis solventem, seu peccata remittentem, sed ego tibi sacramentum absolutionis impendo, seu Sacramentum absolutivum à vinculis, remissivum peccatorum, & collativum gratiæ: hoc autem verificatur, etsi attritio non disponat ad gratiam, & licèt de facto non remittantur peccata, ratione indispositionis ex parte subjecti, non tamen ex parte Sacramenti; sicut ob eandem rationem, quando Baptismus fictè suscipitur, verba formæ verificantur, licèt baptizatus, à peccatorum sordibus tunc de facto non abluatur.

23. Objicies tertiò contra tertiam conclusionem: Peccata inculpabiliter oblita remittuntur in Sacramento pœnitentiæ, quamvis confessio ad ea
A non se extendat, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 5. his verbis suprà relatis: *Peccata quæ diligenter cogitami non occurrunt, in universum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus, Ab occultis meis munda me Domine:* Ergo similiter peccata inculpabiliter oblita remittuntur in hoc Sacramento, quamvis attritio ad ea non extendatur, subindeque tunc confessio non solùm est valida, sed etiam formata.

Respondeo, concesso Antecedente, negando 24.
Consequentiam & paritatem; notabile enim inter integritatem confessionis & integritatem attritionis reperitur discrimen; nam integritas confessionis solùm est de præcepto, non de necessi-
B tate medij; unde quomodocumque satisfiat illi præcepto, confessio manet integra formaliter: pœnitentia verò interior est medium per se requisitum ad remissionem peccati; unde si respectu alicujus peccati hæc attritio non extenditur, non manet remissum, quia non applicatur ei medium per se necessarium.

Objicies quartò: Quando attritio est particu- 25.
laris, atque adeò non se extendit ad peccata omissa in confessione ex ignorantia inculpabili, confessio non solùm est valida, sed etiam formata: Ergo falsum est in eo casu dari confessionem validam simul & informem. Consequentia patet, Antecedens probatur. Tunc confessio producit
C gratiam, atque adeò est formata, quando pœnitens nullum ponit obicem gratiæ Sacramentali: Sed in illo casu pœnitens nullum ponit obicem gratiæ Sacramentali, aliàs enim peccaret, quandoquidem obligatur ex præcepto divino non impedire effectum Sacramenti, atque adeò non apponere illi obicem: Ergo in tali casu confessio non solùm est valida, sed etiam formata.

Respondeo negando Antecedens, & ad ejus 26.
probationem dico tunc confessionem Sacramentalem producere gratiam, quando pœnitens nullum ponit obicem neque positivum neque negativum gratiæ: in casu autem quo ex ignorantia
D inculpabili ejus confessio non sit de omnibus peccatis quæ commisit; & dolor sive attritio quam habet de illis quæ confitetur, non se extendat ad ea quæ non confitetur, quia non est ex motivo generali, sed particulari; in illo, inquam, casu, pœnitens ponit impedimentum gratiæ, non quidem positivum, sed negativum, videlicet negationem extensionis attritionis ad illa peccata quæ ex ignorantia invincibili non confitetur. Non peccat tamen ponendo hujusmodi obicem, quia invincibiliter ignorat se illum apponere, eò quòd inculpabiliter ignoret, se alia peccata commisisse, præter ea quæ declaravit in confessione.

Objicies quintò: Ille qui ex auxilio gratiæ 27.
facit id totum quod tenetur præstare, & quod potest humano & morali modo, ad recipiendum effectum Sacramenti, est sufficienter dispositus ad illum: Sed qui habet attritionem de aliquibus peccatis, & ex oblivione omnino inculpabili omittit aliud peccatum, facit id totum quod potest humano & morali modo; nihil enim aliud potest præstare, ex hypothesi illius oblivionis, maximè si supponatur ipsum non posse illam tollere: Ergo est sufficienter dispositus ad recipiendum effectum Sacramenti, subindeque in eo casu confessio non est informis, sed formata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

28. Respondeo primò, negando Minorem, ille enim potest habere attritionem ex motivo aliquo generali, virtualiter & implicitè se extendentem ad peccata inculpabiliter oblita.

Respondeo secundò, datâ Minori, negando ultimam Consequentiam; ex eo enim quod hac factâ hypothesi, non possit aliud humano & morali modo præstare, sequitur tantùm quod excusetur à nova culpa, non verò quod gratiam & remissionem peccatorum obtineat; quia carentia medij necessarij, nempè attritionis ad omnia peccata se extendentis, sufficit ad impediendum effectum Sacramenti pœnitentiæ, etiam sine nova culpa.

ARTICULUS II.

Utrum confessio semper debeat esse integra, vel interdum pœnitens ab ejus integritate excusetur?

29. PRo resolutione hujus difficultatis observandum est, duplicem solere à Theologis distingui confessionis integritatem, materialem unam & formalem alteram. Materialis est, quando aliquis confitetur quidquid per se loquendo necessariò confitendum est, omnia scilicet peccata mortalia post Baptismum commissa, & nondum debitè confessa. Formalis verò est, quando confitetur omnia quæ hic & nunc tenetur confiteri, ita ut nullum mortale omittat sine legitima excusatione; tametsi fortè omittat aliqua, quæ propter oblivionem, aut aliam causam legitimam, non tenetur hic & nunc confiteri. Hac distinctione præmissâ.

30. Dico primò, formalem integritatem semper esse necessariam ad valorem confessionis, subindeque teneri pœnitentem declarare in confessione omnia & singula peccata, & quantùm ad speciem, & quantùm ad numerum, & quoad circunstantias speciem mutantes, nisi aliqua causa gravissima & urgens excuset.

Conclusio est certa de fide, ac definita in Tridentino sess. 14. cap. 5. ubi sic dicitur: *Cùm universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, necessum est, omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda Confessione, à Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles confiteri stud.nt, proculdubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt; qui verò secùs faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina, non curat.* Quæ ultima verba desumpsit ex Hieronymo, qui exponens illud Ecclesiastis 10. *si mordeat serpens in silentio*, &c. sic ait: *Si erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina, non curat.* Idem docet can. 7. his verbis: *Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur: & circunstantias quæ peccati speciem mutant, &c. Anathema sit.*

31. Ratio etiam suffragatur: Primò, quia Deus in hoc Sacramento peccata remittit per modum judicij, mediâ accusatione rei, & sententiâ Judicis: At sententia Judicis præsupponit integram accusationem rei: Ergo & absolutio Sacerdotis integram peccatorum confessionem. Quam rationem eleganter expendit Tridentinum loco primo citato ubi sic ait: *Dominus noster Iesus Christus è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ciderint, quo, pro potestate Clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat autem Sacerdotes iudicium hoc, incognità causâ, exercere non potuisse; neque æquitatem in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent.*

32. Secundò, Confessarius in hoc Sacramento non solùm habet rationem Judicis, sed etiam Medici: At Medicus non potest sapienter medicinam præscribere, nisi omnes morbos, totamque infirmi habitudinem perspectam habeat: Ergo nec Sacerdos potest salutarem pœnitentiam præscribere pœnitenti, nisi omnia & singula ejus peccata cognoscat. Hanc etiam rationem insinuat Tridentinum verbis ex Hieronymo suprà adductis, eamque fusiùs exponit S. Thomas hìc art. 2. in corp. ubi hæc habet: *In medicina corporali oportet quod medicus non solùm unum morbum contra quem medicinam dare debet, cognoscat, sed etiam universaliter totam habitudinem ipsius infirmi; eò quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur; & medicina, quæ uni morbo competeret, alteri nocumentum præstaret, cùm quandoque aliquis contrariis peccatis infectus sit, ut Gregorius in Pastor. docet. Et ideò de necessitate confessionis est, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet: quod si non faciat, non est confessio, sed confessionis simulatio.*

33. Tertiò, præceptum confessionis, ex Christi institutione, subrogatum est præcepto contritionis: Sed contritio non delet peccata, nisi omnia detestentur. Ergo nec confessio, nisi omnia declarentur, & Ecclesiæ clavibus subjiciantur. Quare S. Thomas eodem articulo in resp. ad 2. *Sacerdos* (inquit) *confessionem audiens, vicem Dei gerit, & ideo debet ei fieri hoc modo confessio, sicut fit contritio Deo. Unde sicut non esset contritio, nisi quis de omnibus peccatis quæ memoriæ occurrunt, contereretur; ita non esset confessio, nisi quis de omnibus quæ memoriæ occurrerint, confiteatur.*

34. Dices, Potest quis absolvi ab una excommunicatione & non ab alia: Ergo & remitti unum peccatum, non remisso altero, subindeque necesse non est, ut pœnitens de omnibus peccatis quæ memoriæ occurrunt confiteatur.

Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem; excommunicatio enim consistit in extrinseca privatione participationis bonorum spiritualium, nempè Sacramentorum, & suffragiorum Ecclesiæ; quæ privatio induci potest ob plures titulos, quorum unus tolli potest sine alio; at verò peccatum inducit privationem gratiæ, & amicitiæ Dei, quæ cum nullo peccato mortali stare possunt; quare repugnat unum peccatum mortale remitti sine alio. Ex quo intelliges, ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requiri quod omnia peccata mortalia uni Sacerdoti, & in una eademque confessione exponantur; si quis enim suam divideret confessionem, & partem peccatorum uni Sacerdoti, & alteram partem alteri manifestaret, oporteret quod tunc unum peccatum remitteretur sine alio; nam unus Sacerdos priùs absolveret ab una parte peccatorum, & alter posteriùs absolveret ab altera, aliàs

aliàs falsa foret alterutrius absolutio. Unde in capite *Considereret* de pœnit. dist. 5. sic habetur: *Caurus sit pœnitens, ne verecundia ductus dividat apud se confessionem, ut diversa velit diversis Sacerdotibus, manifestare, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere.* Quæ sunt verba Augustini, vel Authoris libri de vera & falsa pœnitentia cap. 14.

35. Quæres primò, utrum si aliquis dubitet, an commiserit aliquod peccatum, vel an illud sit mortale, vel an fuerit illud confessus, teneatur confiteri?

Respondeo affirmativè cum S. Thoma in 4. distinct. 21. quæst. 2. art. 3. ad 3. ubi hæc scribit: *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente, quia qui aliquid committit vel omittit in quo dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculo se committit qui de hoc quod dubitat esse mortale negligit confiteri. Non tamen debet asserere illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui, & judicium Sacerdotis expectare, cujus est discernere inter lepram & lepram.* Obligatio ergo certa, non solùm regulatur penes ipsum factum, sed etiam penes periculum; unde licèt factum sit dubium, si tamen periculum est certum, obligatio est certa. Sicut si quis est dubius de morbo, tenetur procurare remedium; si venator dubitet, an illud quod movetur, sit homo, vel fera, tenetur non jaculari. Similiter etiam tenentur homines pro peccatis dubiis recurrere ad Deum, juxta illud Prophetæ: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo:* ubi etiam includuntur dubia, quia ex parte sunt occulta. Oportet ergo pœnitentem de peccatis dubiis confiteri, præsertim in articulo mortis, ne periculo damnationis æternæ se exponat. Si quis verò dubitans an aliquod peccatum commiserit, de eo tanquam dubio confessus est, si postea cognoscat esse certum, tenetur illud iterum confiteri ut certum. Quemadmodum si dubitasset esset-ne mortale an veniale, posteaque deprehenderet esse mortale, teneretur de illo tanquam de mortali rursus confiteri; quia in illis casibus notabiliter variatur judicium Confessarij, eò quòd tale peccatum de materia dubia vel non necessaria, in materiam certam, vel necessariam transferatur.

36. Quæres secundò, utrum mentiri in rebus ad confessionem pertinentibus, nempè negando te fecisse aliquod peccatum quod fecisti, sit peccatum mortale contra integritatem confessionis?

Respondeo quod si pœnitens neget se fecisse aliquod peccatum mortale quod tenetur confiteri, peccat contra integritatem confessionis, & Sacramentum facit esse irritum: nam si omittendo liberè confiteri illud peccatum, redderet Sacramentum irritum, multò magis negando se illud fecisse. Si verò neget se fecisse aliquod peccatum veniale quod fecit, aut aliquod mortale, de quo aliàs confessus est, & cujus cognitio non est necessaria ad valorem præsentis confessionis, non peccat contra ejus integritatem; quia tale mendacium concomitanter se habet ad Sacramentum, nec ei gravem injuriam affert, cùm peccata venialia, aut mortalia aliàs confessa, non sint materia necessaria confessionis. Imò addit Suarez, posse totaliter excusari à peccato veniali, cum quis interrogatus negat se veniale commisisse, quod revera commisit; quia quando judex non interrogat juridicè, non mentitur aliquis negando factum, quia non censetur simpliciter negare se fecisse, sed negare ita fecisse, ut teneatur in tali foro illud revelare.

37. Quæres tertiò, an qui facit confessionem generalem, & simul exponit aliqua mortalia, quæ non est antea confessus, teneatur dicere peccata hæc fuisse commissa post ultimam confessionem, seque de illis nondum esse confessum?

Respondeo affirmativè, quidquid in contrarium dicant Bonacina, Diana, Delugo, & alij. Ratio præcipua hujus resolutionis est, quia variatur notabiliter judicium Confessarij, quando putat peccata mortalia non fuisse confessa, ac quando existimat illa aliàs fuisse confessa & remissa, & longè minorem solet injungere satisfactionem pro peccatis jam confessis, & remissis, quam pro illis quæ nunquam fuere in confessione exposita, & Ecclesiæ clavibus subdita: quæcunque autem notabiliter variare solent judicium Confessarij, debent in confessione exponi. Qua de causa dicemus articulo sequenti, circunstantias notabiliter aggravantes, debere necessariò in confessione explicari.

38. Dico secundò, materialem integritatem non semper esse necessariam ad valorem confessionis, vel ad fructum Sacramentalem percipiendum. Ita docent communiter Theologi, & colligitur manifestè ex Tridentino sess. 14. cap. 5. ubi de confessione diminuta per accidens propter oblivionem, sic ait: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in universum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine.* Quæ autem est ratio de oblivione, eadem est de quavis alia impotentia, physica, vel morali; quia integritas confessionis debet esse moraliter possibilis, nec repugnare aliis præceptis majoribus, quale est præceptum charitatis; nam ex doctrina D. Bernardi lib. de præcepto & dispens. quod propter charitatem introductum est, non debet contra charitatem exerceri. Unde multæ sunt causæ excusantes ab integritate confessionis.

Prima est oblivio, de qua Tridentinum citatum, quando scilicet quis adhibitâ sufficienti diligentiâ, non meminit alicujus peccati.

Secunda est impotentia, ut si pœnitens amissâ loquelâ, vel in phrenesim versus, nequeat confessionem perficere, tunc enim uno peccato audito, absolvendus est. Item si tempore procellæ, incendij, belli, timeatur mors, danda est absolutio: quo tempore possunt multi aliquod peccatum altâ voce confitentes, simul absolvi.

Tertia est periculum alicujus gravis damni sibi vel proximo imminentis: putà si rationabiliter timeatur Confessorem non servaturum sigillum, sed vel pœnitentem vel alium complicem infamaturum, aut si prævideatur quod Confessarius incitaturus sit pœnitentem ad peccatum. Præceptum enim integrè confitendi, quamvis divinum, est merè positivum: præcepta verò positiva, non obligant cum tanto dispendio & nocumento, ut indicavit Christus Matth. 12. ubi Discipulos in gravi fame vellentes spicas die Sabbathi, & Davidem cum sociis de panibus propositionis comedentem, excusavit à transgressione præcepti de non violando Sabbatho, & de non comedendis panibus propositionis, quibus non licebat vesci, nisi solis Sacerdotibus.

39. Ad hoc autem ut hæc peccati celatio debitè fiat, tria requiruntur. Primum, quod periculum scandali

Universidad de Deusto
Biblioteca

scandali seu damni sit grave, & notabile, & non fundetur in levibus conjecturis. Secundùm, quòd non possit commodè differri confessio, nec sit alius Sacerdos cui pœnitens possit absque periculo integrè confiteri. Tertium, quòd illud vel illa solùm peccata prætermittat, quæ judicaverit illi periculo vitando necessaria.

40. Demum ex parte absolventis integritas confessionis excusatur, si ipsius mors, aut loquelæ defectus timentur, antequam totam possit audire confessionem, & alius Sacerdos advocari nequeat; nam tunc audito aliquo peccato, impendenda est absolutio. Idem fieri potest, si tempore pestis Sacerdos timeat sibi mortem, si diu cum ægroto confitente moretur.

41. Contra istam conclusionem objici potest: In nullo prorsus casu licitum est dimidiare Sacramentum Eucharistiæ, consecrando unam materiam sine alia, panem v. g. sine vino: Ergo nec confessionem Sacramentalem.

Sed negatur consequentia & paritas; Ratio discriminis est, quia cùm Sacramentalis confessio, sit actus quidam moralis & humanus, præceptum de illius integritate metiendum est, juxta possibilitatem moralem, & regulas prudentiæ. At verò Sacramentum Eucharistiæ non habet pro materia vel forma actum aliquem humanum, ac proinde præceptum de illius integritate, absolutè intelligi debet, & absque limitatione.

42. Objicitur etiam: Confessio succedit contritioni: Ergo sicut contritio non remittit peccata, nisi cadat super omnia; ita nec confessio, nisi sit de omnibus.

Confirmatur: Peccata remitti nequeunt vi Sacramenti pœnitentiæ, nisi subjiciantur clavibus Ecclesiæ: Sed peccata quæ tacentur, non subjiciuntur clavibus Ecclesiæ, quia nequit peccatum subjici clavibus, nisi manifestetur Confessori: Ergo peccata quæ tacentur, remitti nequeunt ex vi Sacramenti pœnitentiæ.

43. Ab objectionem respondeo, quod non quævis confessio succedit contritioni, sed confessio integra formaliter, unde ut per confessionem peccata omnia remittantur, & homo perfectè Deo reconcilietur, sufficit quod illa sit integra formaliter, quamvis interdum careat integritate materiali.

Ad confirmationem dico, quod peccata quæ ex justa causa in confessione tacentur, subjiciuntur indirectè clavibus Ecclesiæ, subindeque simul cum confessis remittuntur, ut de peccatis inculpabiliter oblitis docet Tridentinum suprà relatum.

ARTICULUS III.

An ad integritatem confessionis necessarium sit declarare circunstantias peccatorum, intra eandem speciem notabiliter aggravantes.

44. SUpponimus circunstantias peccatorum esse triplicis generis; aliquæ enim mutant speciem peccati; ut si furtum fiat in loco sacro, transit in sacrilegium; si fornicatio fiat cum conjugata, mutatur in adulterium; si cum consanguinea; in incestum. Aliæ verò aggravant tantùm notabiliter intra eandem speciem, ut furtum mille aureorum est notabiliter gravius furto unius aurei. Aliæ demum nec speciem mutant nec notabiliter aggravant, ut occidere hominem ferro vel ligno. Conveniunt omnes, primas esse necessariò confitendas, tertias non necessariò; unde solùm difficultas est & controversia de intermediis; has enim negant plures celebres Theologi & Casuistæ debere propter integritatem confessionis, necessariò explicari; alij vero affirmant, & adhuc sub judice lis est, cùm hanc celebrem controversiam Tridentinum dirimere noluerit, sed eam judicio & disputationi Theologorum decidendam reliquerit. Pro parte negativa stant S. Bonaventura, D. Antoninus, Durandus, Paludanus, Sylvester, Angelus, Navarrus, Joannes Medina, Vazquez, Valentia, Toletus, Beccanus, Meratius, Delugo, & alij. Affirmativam sequuntur Thomistæ communiter, Suarez, Martinonus, Amicus, Emanuel Sa, Ægidius Coninck, aliique permulti, quæ sententia videtur probabilior, & Tridentino conformior. Unde sit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

DIco igitur, circunstantias valde notabiliter aggravantes malitiam peccatorum intra eandem speciem, necessariò explicandas esse in confessione, ut illa integra sit.

45. Probatur primò ex Tridentino, quod licet noluerit expressè definire hanc quæstionem inter Authores controversam, non obscurè tamen favet nostræ conclusioni & sententiæ sess. 14. cap. 5. docet enim talem requiri confessionem ex qua Sacerdos rectè de criminum gravitate judicare possit: Sed hoc fieri nequit, nisi circunstantiæ intra eandem speciem notabiliter aggravantes in confessione declarentur: Ergo hujusmodi circunstantiæ in confessione explicandæ sunt. Major patet, Minor probatur. Furtum enim mille aureorum sine comparatione gravius est, quàm furtum unius aurei: quonam igitur pacto Sacerdos poterit rectè judicare quàm graviter fur peccaverit, si nesciat an furatus sit mille aureos, an unum tantùm?

46. Confirmatur primò: Concilium ibidem sic ait: *Constat Sacerdotes non posse servare æquitatem in injungendis pœnis, si in genere duntaxat, & non potius in specie ac sigillatim peccata cognoscant.* At hæc ratio probat confitendas esse circunstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes, putà quantitatis, nam per se notum est, majorem pœnam esse injungendam ei qui unico actu eripuit multa millia aureorum, putà Principi, qui uno edicto injusto multos spoliavit, quàm ei qui fecit tria furta, quibus tres tantùm aureos abstulit. Idem constat in homicidio, major enim pœna & satisfactio injungi debet ei qui displosione tormenti majoris, occidit centum homines, quàm ei qui ense unum duntaxat interfecit.

47. Confirmatur secundò: Concilium ibidem docet, non solùm speciem, sed etiam numerum peccatorum mortalium esse in confessione explicandum: Ergo censet circunstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes, esse in confessione explicandas. Consequentia probatur, quia peccatum habens circunstantiam notabiliter aggravantem, vel habet plures malitias distinctas, ut ex professo probat Martinez in Tractatu de Peccatis, vel saltem æquivalet quantùm ad gravitatem

tatem pluribus peccatis, & est virtualiter multiplex; ut patet in furto mille aureorum, quod quantùm ad malitiam & gravitatem æquivalet mille furtis unius aurei. Et in odio per integrum diem vel annum durante, quod æquivalet & virtualiter continet plures actus odij, quia continuatio peccati, est virtualis quædam distinctio peccatorum.

48. Probatur secundò conclusio: Illa circunstantia est in confessione necessariò explicanda: quæ est materia necessaria confessionis: Sed circunstantia intra eandem speciem notabiliter aggravans, est materia necessaria confessionis: Ergo in confessione necessariò explicari debet. Major patet, Minor probatur. Illa circunstantia est materia necessaria confessionis, propter quam peccatum aliquod potest ab Episcopo vel Summo Pontifice reservari: Sed Episcopi vel summus Pontifex possunt sibi reservare, & interdum sibi reservant peccata, ratione alicujus circunstantiæ notabiliter aggravantis quam habent adjunctam, putà incestum cum propria sorore, vel matre, non verò cum neptè aut consobrina: Ergo circunstantia intra eandem speciem notabiliter aggravans, est materia necessaria confessionis. Minor patet, & conceditur ab Adversarijs, qui fatentur in eo casu circunstantiam notabiliter aggravantem, per accidens, & propter illam reservationem, esse in confessione necessariò declarandam. Major etiam ex eo constat, quòd Ecclesia nunquam sibi reservat nec reservare potest venialia, aut mortalia aliàs ritè confessa; quia hujusmodi peccata non sunt materia necessaria, sed libera confessionis; unde si pariter circunstantiæ intra eandem speciem notabiliter aggravantes, essent materia libera confessionis non posset Ecclesia sibi reservare aliquod peccatum, ratione alicujus circunstantiæ notabiliter illud intra eandem speciem aggravantis.

49. Probatur tertiò conclusio: Circunstantia notabiliter aggravans, licèt intra eandem speciem, majorem nonnunquam malitiam addit, quàm quæ variat speciem: Ergo si hæc in confessione explicanda est, etiam illa. Consequentia patet, Antecedens verò probatur. Furtum centum mille aureorum, vel occisio centum mille hominum, absolutè continet in se majorem malitiam, quàm furtum unius aurei, vel occisio unius hominis in Ecclesia.

50. Confirmatur: Si circunstantia varians speciem peccati, non adderet ipsi novam malitiam, certum est quod non teneremur eam explicare: Ergo causa necessitatis in explicatione circunstantiæ, non est differentia specifica, sed adjecta malitia: Ergo ubi est malitia notabilis superaddita, sive sit ejusdem speciei sive alterius, oportebit eam explicare; unde cùm circunstantia notabiliter aggravans intra eandem speciem, superaddat eo ipso notabilem malitiam, non satisfacit integritati confessionis qui eam non explicat.

51. Demum suaderi potest conclusio ex variis absurdis & inconvenientibus quæ sequuntur ex adversa sententia. In primis enim ex illa sequitur nullum actum externum esse in confessione explicandum, sed solùm internum affectum efficacem; cùm enim juxta probabiliorem & communiorem sententiam, tota malitia peccati desumatur ab affectu interno, & nullo modo ex opere externo, opus externum est sola circunstantia peccati, quia nullam novam malitiam, saltem specificam & essentialem, ei superaddit.

Secundò sequitur, quod ille qui cum sorore sua concubuit, satisfaciat præcepto confessionis, si dicat se incestum commisisse; incestus enim cum propria sorore, aut cum alia consanguinea, vel cum affine, sunt ejusdem speciei in esse moris, & primum habet tantùm aggravare in specie incestùs; quia ex communi sententia, quam insinuat D. Thomas 2. 2. quæst. 154. art. 9 ad 2. omnia peccata incestùs sunt ejusdem rationis & speciei.

Tertiò sequitur, quod qui immaniter amputasset alicui aures, & brachia, & pedes, linguamque ei abscidisset, atque oculos effodisset, dummodo illum non occidisset, satisfaceret præcepto confessionis, dicendo se graviter aliquem vulnerasse. Et qui displosione tormenti bellici occidisset mille homines, sufficienter suum delictum explicaret, dicendo se reum esse homicidij. Item qui edicto injusto bona totius reipublicæ expilasset, & cives omnes bonis propriis spoliasset, satisfaceret dicendo se in materia gravi furatum esse.

52. Nec valet quod ait Valentia, nempè quantitatem furti non esse verè & propriè circunstantiam ipsius actionis furti, si in individuo furtum consideretur, sed potiùs determinatum illius objectum morale, atque adeò quiddam pertinens ad illius substantiam in individuo consideratam. Non valet, inquam, hoc enim est expressè contra D. Thomam 1. 2. quæst. 7. art. 3. ad 3. Aristotelem 3. Ethic. cap. 1. & Ciceronem in sua Rethorica cap. 1. qui assignantes septem circunstantias actuum humanorum, videlicet *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, dicunt pertinere ad substantiam furti, quod res sit aliena; quod autem multùm vel parùm, pertinere ad circunstantiam *quid*. Verba D. Thomæ sunt: *Conditio causæ ex qua substantia actûs dependet, non dicitur circunstantia, sed aliqua conditio adjuncta; sicut in objecto non dicitur circunstantia furti, quòd sit alienum, hoc enim pertinet ab substantiam furti, sed quòd sit magnum vel parvum.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

53. OBjiciunt primò Adversarij: Tridentinum Sess. 14. cap. 5. doctrinaliter definiens, quæ circunstantiæ explicandæ sint, meminit solùm earum quæ speciem mutant: Ergo aliæ explicandæ non sunt, alioquin doctrina Concilij diminuta esset, neque vera essent hæc verba quæ ibidem addit, *Nihil aliud à pœnitentibus exigitur* &c.

54. Respondeo Concilium ideò explicitè non meminisse loco citato, nisi earum circunstantiarum quæ mutant speciem, quia controversiam inter Theologos de aliis quæ non variant speciem noluit definire. Cæterùm cum hoc stat, rationem quam tradit, ob quam explicari debeant illæ quæ variant speciem, ostendere implicitè necessitatem explicationis aliarum, ut in prima probatione conclusionis ostensum est. Unde Catechismus Romanus, jussu Pij V. editus, de Sacram. pœnitentiæ, §. *Sed quoniam*, docet juxta mentem Tridentini, non modò peccata omnia, sed etiam circunstantias, quæ peccati gravitatem valde augent vel minuunt explicandas esse.

Addo, ex eo quod species & numerus peccatorum mortalium in confessione necessariò explicari

Universidad de Deusto
Biblioteca

cari debent rectè colligi, etiam circunstantias intra eandem speciem aggravantes, declarandas esse; quia circunstatia notabiliter aggravans, (ut in tertia probatione diximus) majorem interdum malitiam addit, quàm quæ variat speciem; & peccatum habens circunstantiam notabiliter aggravantem, nonnunquam est virtualiter multiplex, ut patet in furto mille aureorum, quod æquivalet mille furtis unius aurei.

55. Ad id quod subditur dicendum est, quod cùm Concilium addit: *Nihil aliud à pœnitentibus exigitur*, non vult nihil aliud exigi, quàm ut species & numerus peccatorum declarentur, sed nullum alium actum ad valorem confessionis requiri, quàm examen & confessionem peccatorum, cum sufficienti dolore de ipsis, ut patet ex verbis illis quæ statim subjungit: *quam ut postquam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit.*

56. Objiciunt secundò: D. Thomas in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 2. quæstione 5. sic ait: *Alij verò dicunt, quod non sunt necessariò confitendæ nisi circunstantiæ quæ ad aliud genus & speciem peccati mortalis trahunt, & hoc probabilius est*: Ergo censet probabilius esse, quod solæ circunstantiæ mutantes speciem sunt confitendæ.

57. Respondent Soto, Cano, & alij ex nostris Thomistis, D. Thomam loco citato non ex propria mente, sed ex aliorum opinione hanc quæstionem resolvisse, referendo scilicet opiniones sui temporis. Sed hæc responsio displicet, quia licèt D. Thomas ibi referat duas opiniones sui temporis, quarum una affirmabat confitendas esse circunstantias aggravantes, alia verò id negabat, istam dicit esse probabiliorem, subindeque illam præfert alteri. Unde.

58. Melius respondetur, fuisse quosdam tempore D. Thomæ, qui dicebant aliquas circunstantias quæ non valde notabiliter aggravant, esse necessariò confitendas, ut si ille qui commisit peccatum sit Episcopus, vel Generalis Ordinis, si commisit peccatum in die festo &c. quia circunstantias illas notabiliter aggravare existimabant. Unde quando S. Doctor ait, circunstantias notabiliter aggravantes non esse de necessitate confitendas, sed tantùm mutantes speciem, intendit solùm excludere illas circunstantias adductas, sed non propterea negat circunstantrias verè & valde notabiliter aggravantes, quales sunt illæ quas probando conclusionem adduximus, esse necessariò in confessione explicandas. Quod verò hæc solutio legitima sit, & ab Authore intenta, apertè colligitur ex ratione ipsius, ait enim ideò circunstantias aggravantes non esse confitendas, sed tantùm speciem mutantes, *quia venialia non sunt de necessitate confessionis, sed tantùm mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent*. Ex qua ratione constat, D. Thomam solùm excludere circunstantias quæ sunt intra lineam peccati venialis, & quæ quantitatem infinitam non habent, quales sunt circunstantiæ adductæ, temporis sacri, qualitatis personæ, & similes: circunstantiæ verò notabiliter aggravantes, de quibus nunc agimus non sunt hujusmodi; nam illæ, etiam juxta Adversarios, habent in infinitum augere malitiam peccati intra propriam speciem, id est talis sunt naturæ, ut de se sufficerent ad constituendum actum in specie malitiæ mortalis, atque adeò sunt intra lineam peccati mortalis.

59. Objiciunt tertiò: Ideò ad integritatem confessionis circunstantiæ mutantes speciem necessariò explicandæ sunt, quia constituunt distincta peccata: Atqui circunstantiæ aggravantes intra eandem speciem, non addunt novum peccatum, sed unicum constituunt: Ergo ad integritatem confessionis non debent necessariò explicari.

60. Respondeo quod licèt circunstantiæ notabiliter aggravantes intra eandem speciem, non constituant formaliter distincta peccata, benè tamen virtualiter seu æquivalenter; unum enim peccatum notabiliter grave ex aliqua circunstantia, æquivalet moraliter multis numero distinctis, ut suprà ostensum est; quare non satis explicantur quoad numerum peccata mortalia, non explicatis circunstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus.

61. Objicies quartò: Homo non obligatur ad id de quo nullum extat præceptum: Sed nullum extat præceptum Divinum aut Ecclesiasticum de confitendis circunstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus: Ergo homo ad id non tenetur.

62. Respondeo negando Minorem, extat enim præceptum divinum de confitendis illis circunstantiis, ex ipsa institutione hujus Sacramenti sequens; cùm enim sit institutum à Christo per modum judicij, quidquid requiritur ad hoc ut Sacerdos rectè de criminum gravitate judicare possit, cadit sub præcepto divino; unde cùm explicatio circunstantiarum intra eandem speciem notabiliter aggravantium, necessaria sit ad hoc ut confessarius rectum de gravitate criminum efformet judicium, ut suprà ostensum est, sub præcepto divino cadit.

63. Objicies quintò: Si necessarium sit confiteri circunstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem, sequitur eandem fore necessitatem confitendi circunstantias notabiliter minuentes peccati gravitatem: Sed hoc videtur falsum, cùm Sacramentum pœnitentiæ non sit ad se excusandum, sed accusandum: Ergo & illud.

64. Respondet Suarez, negando sequelam, existimat enim non debere pœnitentem confiteri circunstantias notabiliter minuentes peccati gravitatem, ob rationem in objectione adductam. Verùm oppositum multò probabilius est; quemadmodum enim numerus parvus peccatorum explicandus est, ut rectum de pœnitente feratur judicium, sic & circunstantia omnis notabiliter allevians: v.g. si mulier metu mortis consentiat in fornicationem, debet talem circunstantiam explicare in confessione; sicut & qui peccat ex ignorantia, vel ex aliqua vehementi tentatione, ad hoc ut Sacerdos possit de ejus crimine rectum judicium ferre. Ad probationem verò in contrarium dicendum est, quod licèt Sacramentum pœnitentiæ non sit ad se excusandum, sed accusandum, est tamen ita ad se accusandum, ut ex ipsa accusatione possit Sacerdos agnoscere mensuram delicti, & juxta eam, debitam tantùm & non excedentem satisfactionem imponere: ad hoc autem requiritur, ut diximus, circunstantiæ notabiliter minuentis explicatio.

65. Objicies sextò: Difficile est discernere inter circunstantias notabiliter & non notabiliter aggravantes intra eandem speciem, quis enim definiet, quanta intensio, vel quanta duratio actûs requiratur, ut peccatum notabiliter aggravetur intra eandem speciem? Ergo jugum confessionis nimis

nimis durum ac molestum redditur in nostra sententia.

66. Respondeo negando Antecedens, nam in quantitate magnitudinis & multitudinis, facillimum est discernere inter circunstantias, notabiliter & non notabiliter aggravantes, ut patet in exemplis suprà adductis. In intensione etiam & duratione, id non multùm difficile est; si enim pœnitens valde notabiliter excedat modum communem peccandi, quoad durationem, vel quoad intensionem actûs, est circunstantia notabiliter aggravans, secùs verò quoties modus ordinarius peccandi, vel quoad durationem, vel quoad intensionem actûs, non exceditur notabiliter. Unde si aliquis per multas horas perseveraverit in actu odij Dei vel proximi, vel in aliqua turpi delectatione; aut si tanto odio exarserit in inimicum, ut mortuum licèt, multoties confoderit, aut tale desiderium habuerit, est circunstantia notabiliter aggravans, in confessione necessariò explicanda. Similiter si totâ nocte concubuisti cum meretrice, non satis est dicere, semel fornicatus sum, sed tempus exprimendum erit.

Articulus IV.

An pœnitens possit, & debeat, propter integritatem suæ confessionis, personam complicis revelare?

§. I.

Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuitur.

67. Certum est primò, quod quando potest sine manifestatione complicis integra species peccati explicari, ex charitate tenemur personam complicis non revelare, ut si mulier rem habuit cum Episcopo, non debet circunstantiam Episcopatûs explicare, quia hæc non variat speciem, peccati, sed sufficit dicere rem habuisse cum Sacerdote.

68. Certum est secundò, quod si suppetat pœnitenti Confessarius, qui complicem non cognoscat, tenetur ipsum adire. Similiter si possit se occultare, & se occultando efficere ne Confessarius veniat in notitiam complicis, id etiam ex charitate præstare tenetur.

69. Tertiò certum est, quod si sit morale periculum Confessorem extra confessionem infamaturum complicem, aut aliud grave nocumentum ei illaturum, pœnitens non debet illum manifestare, propter integritatem suæ confessionis; si enim ad vitandam propriam infamiam extra confessionem, licitum est pœnitenti tacere suum peccatum in confessione, ut articulo secundo ostensum est, multò magis ad vitandum extra tribunal pœnitentiæ infamiam proximi licèt complicis.

70. Hæc sunt certa & indubitata apud Theologos, sed difficultas est, an si pœnitens non possit integram sui peccati speciem absque manifestatione complicis explicare, nec adire alium Confessarium qui complicem ignoret, & aliunde nullum damnum complici timeatur ex malitia vel imprudentia Confessoris, an possit & teneatur pœnitens illum in confessione revelare, non obstante illius infamiâ apud Confessorem, quæ sequitur per se ex manifestatione talis peccati?

71. Partem negantem tenent Marsilius, Armilla, Navarrus, Viguerius, Cano, Petrus de Ledesma, & Gregorius de Valentia; quamvis Cano limitet suam sententiam extra casum mortis, & existimet licitum esse pœnitenti in mortis articulo, propter integritatem suæ confessionis, personam complicis revelare; quia tunc (inquit) debet socius criminis dispendium famæ pati, pro salute pœnitentis. Sententia tamen affirmans communis est apud Theologos tam domesticos quàm extraneos, eique aperte favet D. Bernardus opusculo de formula honestæ vitæ versus finem, ubi hæc scribit: *De nullo prorsus sinistrè loquaris, quantumcumque sit verum, vel manifestum, nisi in confessione; & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.*

Dico igitur, quando pœnitens aliter suum peccatum explicare non potest, quàm personam complicis revelando, potest, imò & tenetur, ob integritatem suæ confessionis, personam complicis indirectè manifestare.

Prima pars probatur primò: Quisque licitè potest uti jure suo, quærendo propriam utilitatem corporis aut animi, etiam si inde sequatur incommodum proximi, ut patet in muliere se decenter juxta statum suum ornante, ex quo ornatu sequitur amor inordinatus in juvene illam conspiciente; ipsa enim non tenetur hunc deserere ornatum, sicut nec attenuare puchritudinem naturalem, quæ multò magis incitativa est, nec recludi domo, ne ab illo juvene videatur. 72.

Item licitum est contrahenti cum Gentili, ad validitatem contractûs, juramentum petere, licèt inde sequatur proximi perjurium. Licitum etiam est, ad defensionem propriæ vitæ, facere aliquid ex quo indirectè sequatur mors alterius: Sed pœnitens habet jus ad faciendam integram confessionem, & consulendum suæ saluti spirituali: Ergo potest personam complicis indirectè manifestare, quâdo ob integritatem suæ confessionis id necessarium est, tametsi ex tali manifestatione sequatur aliqua infamatio complicis apud Confessarium: præsertim, cùm talis infamia sit parvi momenti, & crimen complicis uni soli homini reveletur, qui locũ Dei tenet, & æquè tenetur peccatũ cõplicis sub sigillo servare, sicut peccatũ pœnitentis.

Confirmatur: Potest pœnitens manifestare complicem, etiam extra confessionem, propter utilitatem ipsius complicis, putà ad correctionem & emendationem ejus, ut fatentur Adversarij: Ergo cùm pœnitens magis teneatur propriam quàm complicis utilitatem procurare, à fortiori potest propter propriam utilitatem spiritualem, & ob integritatem suæ confessionis, personam complicis in confessione revelare. 72.

Probatur secundò eadem pars: Jus accusandi aliquem de aliquo delicto, est sufficiens causa indicandi personam complicis ejus, si aliter non possit accusari: Sed in foro pœnitentiæ pœnitens habet jus sese integrè accusandi: Ergo & manifestandi complicem, si aliter non possit seipsum integrè accusare. 73.

Confirmatur: Qui voluntariè se facit socium alicujus criminis, voluntariè etiam se subdit, quantùm in ipso est, cognitioni Judicis de tali crimine, quia voluntariè se facit circunstantiam talis delicti: Ergo si crimen non possit cognosci in judicio, absque cognitione & manifestatione talis circunstantiæ, nullam ei irrogat injuriam, qui habens jus manifestandi delictum Judici, circunstantiam illam ipsi declarat. 74.

Universidad de Deusto
Biblioteca

75. Ex his probata manet secunda pars conclusionis, nempè quod pœnitens teneatur ad integritatem suæ confessionis personam complicis revelare: cùm enim præceptum de integritate confessionis per se obliget, tenetur pœnitens ad illud implendum, quando id ei licitum est, nec ex alio majori præcepto, ab ejus impletione prohibetur: Ergo si licitè potest personam complicis revelare, quando ob integritatem suæ confessionis id necessarium est, quando non potest aliter Confessario manifestare delictum suum, ad id præcepto divino tenetur.

76. Confirmatur: Præceptum integritatis confessionis obligat ad confitenda peccata, etiam turpissima, non obstante pudore & verecundiâ, ac dettrimento famæ propriæ apud ipsum Confessarium subeundæ: Ergo à fortiori obligat ad ea manifestanda, etiam cum periculo famæ alienæ, si sine illa non potest pœnitens suum peccatum integrè explicare. Consequentia videtur manifesta, quia plus requiritur ad obligandum aliquem ut seipsum infamet, quàm ut alienum crimen manifestet, cùm ex charitate magis teneamur vitare propriam infamiam, quàm alienam.

Potest etiam eadem pars conclusionis suaderi ex duobus inconvenientibus quæ sequuntur ex adversa sententia. Si enim pœnitens non teneretur personam complicis revelare in confessione, quando aliter peccatum suum explicare non potest, inde possent pravi homines occasionem sumere gravissima crimina perpetrandi, cognoscentes, quod uterque ratione alterius non teneneretur crimen suum confiteri. Sequeretur etiam, non obligari conjugatos ad peccata confitenda, quæ in abusu matrimonij committuntur, quando uterque est Confessori notus, subindeque non posse peccata illa à Prælato reservari; quod est nimia relaxatio hujus Sacramenti.

§. II.

Solvuntur aliæ objectiones.

77. OBjicies primò: Pœnitens ob integritatem suæ confessionis non potest infamare proximum apud Confessarium: At non potest ipsi revelare peccatum complicis, absque gravi infamatione illius: Ergo pœnitens non potest ob integritatem suæ confessionis peccatum complicis revelare. Major est certa, nam ubi concurrunt duo præcepta, executio majoris præferenda est minori: majus autem & urgentius est præceptum de servanda fama proximi, cùm sit juris divini naturalis, quam de integritate confessionis, quæ est solùm juris divini positivi. Minor etiam ex eo videtur manifesta, quòd pœnitens non potest peccatum complicis Confessori manifestare, nisi ipse Confessarius formet pravum conceptum de tali complice, præsertim si peccatum complicis sit turpe, ut incestus sororis, vel matris.

78. Confirmatur primò: Si pœnitens cognosceret Confessorem revelaturum esse socium criminis, etiam uni duntaxat personæ, deberet suum crimen non confiteri: Ergo tenetur similiter Confessario ipsi reticere illud crimen; non enim minoris est momenti bona opinio proximi apud meum Confessarium, quàm apud alium.

79. Confirmatur secundò: Ideò infamatio sui ipsius apud Confessarium, & alia confessionis incommoda, nempè magna verecundia quam patior in illa, non sufficit ad me excusandum ab integritate confessionis, quia talia incommoda mea abundè compensantur ex fructu copiosissimo Sacramenti quem recipio, vel recipere possum: Sed infamatio proximi apud Confessarium in dicto casu, nullo fructu compensatur: Ergo non est licita in confessione.

80. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, revelatio enim peccati complicis in confessione, non est detractio ipsius, sive infamatio, nisi materialiter, ut colligitur ex D. Thoma 2, 2. quæst. 73. art. 2. ubi sic ait: *Contingit quandoque quod aliquis dicat aliqua verba, per quæ diminuitur fama alicujus, non hoc intendens, sed aliquid aliud: hoc autem non est detrahere per se & formaliter loquendo, sed solum materialiter, & quasi per accidens. Et si quidem verba per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum vel necessarium, debitis circunstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio.* Cum ergo revelatio complicis in confessione, non fiat animo infamandi ipsum, & pœnitens solùm intendat uti jure quod habet ad seipsum integrè accusandum in confessione, hæcque integritas accusationis sui ipsius in tribunali pœnitentiæ, & jus ad illam non minùs sit rationabilis causa declarandi peccatum occultum complicis, quàm jus accusandi alium in foro externo, sit causa sufficiens ad eum accusandum, cum manifestatione complicis, si nequeat aliter integra & sufficiens de ipso accusatio formari; hinc fit quod talis revelatio complicis in confessione, non sit detractio de illo, aut ejus infamatio, nisi materialiter; sicut nec, juxta Adversarios, est detractio vel infamatio, quando manifestatur persona complicis propter ipsius utilitatem. Unde

81. Ad primam confirmationem, concesso Antecedente, nego consequentiam & paritatem; nam revelatio complicis extra confessionem, non est sicut ea quæ fit in confessione, necessaria ad integritatem confessionis, nec per consequens sufficiens ratio, ut non sit detractio vel infamatio formalis, sed tantùm materialis, sicut ea quæ fit in ipso pœnitentiæ tribunali.

82. Ad secundam confirmationem, nego Majorem; si enim vera esset, sequeretur ex ea pœnitentem teneri ad declarandum suum peccatum in confessione, etiam quando timet rationabiliter quod Confessarius ipsum alteri revelabit; tale enim etiam incommodum abundè compensaretur ex fructu copiosissimo gratiæ Sacramentalis quam reciperet, cùm hæc sit majus bonum, quàm quodcumque nocumentum quod potest sequi ex tali revelatione sui criminis quam alteri à Confessario faciendam timet. Ratio ergo vera ob quam tenetur pœnitens integrè confiteri, etiam si ex hoc sequatur infamia ejus apud Confessorem, est quia committendo tale crimen, eo ipso voluntariè se subdidit cognitioni judicij, circa ipsum in tribunali pœnitentiæ exercendi; & Sacerdos tanquam Judex habet jus cognoscendi tale delictum in illo foro. Hæc autem ratio idem omnino concludit etiam de declaratione complicis, utpotè qui voluntariè se faciendo socium pœnitentis in crimine, voluntariè etiam se subdidit cognitioni talis judicij, si ad perfectionem ejus, & sententiæ in eo ferendæ, necessaria sit ejus manifestatio; sicuti est necessaria, quando absque ea non potest pœnitens integrè confiteri.

83. Objicies secundò cum Petro de Ledesma: Peccatorum confessio non est absolutè ad salutem necessaria,

necessaria, nisi præsuppositâ ordinatione divinâ: At credibile non est, Christum Dominum voluisse hoc Sacramentum instituere, cum dispendio ac detrimento famæ proximi, & obligasse pœnitentem ad manifestandum Confessario crimen complicis, quando absque ejus revelatione non potest integrè confiteri: Ergo pœnitens, ob integritatem materialem suæ confessionis, non tenetur, imò nec licitè potest, personam complicis revelare.

84. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem; cùm enim Christus instituerit Sacramentum pœnitentiæ per modum veri judicij, sicut in vero judicio habet accusator jus declarandi crimen alterius, etiam cum declaratione complicis ejus, quando ipsa est necessaria ad perfectionem judicij, licèt ex tali declaratione sequatur damnum complicis in fama: ita in tribunali pœnitentiæ, pœnitens qui est accusator sui ipsius, habet jus declarandi in confessione socium sui criminis, si talis declaratio sit necessaria ad integritatem confessionis judicialis, licèt ex ea sequatur aliquod damnum in fama complicis apud Confessarium.

85. Objicies tertiò: Si pœnitens teneatur personam complicis revelare, ut ejus confessio sit integra, sequitur integritatem confessionis obligare similiter ad detegendum peccatum alterius, quamvis non complicis, si sine illo non potest pœnitens suum peccatum Confessori explicare, putà si pharmacum dedit matri ad extinguendam prolem conceptam ex adulterio: At hoc dici nequit, cùm pœnitens nullum habeat jus ad revelandum peccatum in ejus societate non commissum: Ergo, &c.

86. Respondent aliqui concedendo sequelam, existimant enim, non modò revelandam esse personam complicis, sed etiam quamcumque aliam, quando aliter peccati species explicari non potest. Addunt tamen majorem in tali casu adhibendam esse cautelam, majoremque solicitudinem quærendi Confessarium cui talis persona non sit nota.

87. Meliùs tamen respondetur, juxta principia suprà statuta, negando sequelam; per crimen enim quod proximus mecum non commisit, non se subdidit sicut complex perfectioni judicij in foro pœnitentiæ circa me exercendi; neque Confessarius ex eo quod habeat jus cognoscendi meum delictum, habet etiam jus cognoscendi delictum proximi, quod non est circunstantia mei delicti, sicut crimen complicis, quamvis per accidens ex declaratione unius sequatur declaratio alterius.

88. Ex hoc intelliges, quod si frater commisit incestum cum sorore volente & consentiente, tenetur in confessione circunstantiam illam explicare, & sororis personam & crimen Confessario detegere; secùs vero si sorori non consentienti stuprum intulit; quia in primo casu soror est complex criminis, & socia flagitij, non verò in secundo; unde tunc sufficit quod frater qui per vim sororem constupravit, dicat se commisisse incestum cum consanguinea, eique vim intulisse, non explicando circunstantiam personæ.

89. Inferes etiam ex dictis, non licere ad explicandum peccatum veniale, vel etiam mortale, aliàs ritè confessum, revelare in confessione peccatum complicis: nam institutio & præceptum confessionis, non obligat ad explicanda integrè peccata venialia, aut mortalia, aliàs ritè confessa. Unde si soror venialiter peccasset in non satis promptè resistendo violentiæ fratris, stuprum inferre parantis, non liceret ei in confessione fratris personam & crimen detegere, sed teneretur circunstantiam personæ occultare, quia in eo casu non haberet jus, ob integritatem suæ confessionis, ad revelandum peccatum fratris; cùm peccata venialia, eorumque circunstantiæ, non debeant necessariò in confessione declarari.

90. Tertiò ex dictis colligitur, quod si quis sine necessitate & causa rationabili, complicis crimen detexit Confessario, tenetur illi famam restituere, si possit, quia peccavit contra justitiam; difficillimum tamen est in eo casu posse restituere; unde pœnitentes valde cauti & prudentes in confessione esse debent, & diligenter cavere, ne sine necessitate personam & peccatum complicis Confessario manifestent; in quo multi ex ignorantia vel inconsideratione sæpè delinquunt, unde à Confessore monendi & instruendi sunt.

91. Ad complementum hujus disputationis sciendum est, præter casus suprà explicatos, adhuc esse duos in quibus pœnitens ab integritate confessionis excusatur. Primus est, si Sacerdos ipse qui confitetur, non potest suum peccatum aperire, nisi violando sigillum confessionis, seu detegendo peccatum pœnitentis sibi ante confessi. Tunc enim hoc peccatum reticendum esse docent communiter Theologi & Casuistæ; quia nimirum Christus in favorem pœnitentis, voluit Sacramentum pœnitentiæ tam stricto sigillo munire, ut sine pœnitentis consensu non possit ulla de causa Confessarius uti notitiâ peccatorum in confessione habitâ; unde licèt integritas confessionis sit de jure divino, sicut observatio sigilli confessionis, necessitas tamen observandi sigillum, major est, quam necessitas integrè confitendi.

Secundus est, quando pœnitens habet aliqua peccata superiori reservata, nam tunc superior potest, urgenti gravi aliquâ causâ, auditis reservatis, ab illis tantùm pœnitentem absolvere, & reliqua non reservata inferiori Sacerdoti committere. Id tamen non potest sine urgenti causa; quia cùm integritas confessionis sit de jure divino, absque urgente & gravi aliqua causa, confessio dimidiari non debet. In eo autem casu non tenetur pœnitens peccata reservata à quibus à superiori absolutus est, rursus inferiori confiteri, cùm nulla sit obligatio bis confitendi ea peccata à quibus pœnitens ritè absolutus est, nisi in casibus suprà disp. 8. art. 2. in fine expressis.

DISPUTATIO XI.

De sigillo confessionis

Ad quæstionem 11. *Supplementi.*

QUÆ docet S. Thomas quæst. 10. de effectibus confessionis, patent ex dictis de effectibus pœnitentiæ. Unde hac prætermissâ quæstione, quæ de sigillo confessionis quæst. 11. tradit, breviter hìc exponenda sunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A

Articulus Primus.

Utrum Confessarius in omni casu teneatur servare sigillum confessionis?

§. I.

Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuitur.

1. SUpponendum est ex D. Thoma hîc art. 3. sigillum confessionis nihil aliud esse, quàm obligationem quâ Confessarius astringitur ad servandum secretum de iis rebus quæ audivit in confessione: hæc enim obligatio metaphoricè B sigillum appellatur, quia sicut secreta sigillo obsignari solent, ne aliis palam fiant; ita arcana peccatorum Confessori concredita, perpetuâ silentij lege, quasi sacro & inviolabili sigillo, obsignari debent, ne aliis innotescant.

2. Supponendum est secundò, ex triplici præcepto Confessorem obligari ad servandum secretum confessionis, naturali, divino, & humano. Naturali, quia est de jure naturæ servare commissum sibi alterius depositum, tueri famam proximi, & non facere alteri, quod tibi non vis. Divino, quia confessio, quæ est juris divini, sine secreto esset nimis odiosa, & consequenter impossibilis moraliter; qui autem præcipit finem, censetur etiam præcipere illa sine quibus conservari finis nequit. Humano denique, quia Ecclesia strictissimè præcipit sigillum confessionis servari, & pœnis gravissimis ejus violatores punit, ut patet ex canone *Sacerdos* de pœnitentia dist. 5. ubi statuitur adversùs infractores hujus sigilli pœna depositionis, & perpetuæ peregrinationis. Quia tamen tardò sanctificantur, qui frequenter peregrinantur, ut communiter dicitur, in capite *Omnis utriusque sexûs* statuitur eadem pœna depositionis; & loco peregrinationis, inclusio perpetua in monasterio arcto. Sic enim in eo dicitur: *Caveat autem omnino Sacerdos, ne verbo, aut signo, aut aliquo quovis modo, aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiget, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monasterium detrudendum.* D

3. Ex his intelliges, quod sicut ille qui furatur rem depositam in loco sacro, velut in azylo, peccat non solùm peccato furti, sed etiam peccato sacrilegij, contra religionem & reverentiam loci sacri; ita & qui violat sigillum confessionis, non solùm peccat contra jus naturale secreti, sed etiam contra religionem, & contra reverentiam E debitam Sacramento. Unde triplex peccatum committit; primum detractionis, infamando proximum; secundum infidelitatis, non servando secretum; tertium sacrilegij, contra reverentiam Sacramenti; quod ultimum est semper mortale, cùm alia duo ex levitate materiæ possint esse venialia. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ

4. Dico, tam strictam esse sigilli confessionis obligationem, ut nequidem in periculo boni communis, aut in quantacunque necessitate, liceat illud violare. In hac conclusione conveniunt omnes Theologi & Canonistæ, nemine excepto. A

Probatur primò ex capite *Sacerdos*, suprà citato, ubi dicitur quod Sacerdos non debet revelare secretum confessionis, pro quocumque scandalo vitando.

Probatur secundò ratione D. Thomæ hîc art. 1. Nunquam licet agere id quod est intrinsecè malum: Sed violare sigillum confessionis est intrinsecè malùm: Ergo in nullo casu illud violare licet. Major patet, Minor probatur dupliciter. Primò, quia mentiri est intrinsecè malum: Sed revelare confessionem est mentiri; nam qui eam revelat, dicit ut homo se scire quod nescit ut homo, sed ut Deus, seu ut Dei vicarius: Ergo revelare confessionem est intrinsecè malum. Secundò, Agere contra significationem Sacramenti, est intrinsecè malum, est enim gravis injuria contra Sacramentum: Sed violare sigillum confessionis, est facere contra significationem Sacramenti: Ergo est intrinsecè malum. Major constat, Minor probatur, quia hoc Sacramentum, significando gratiam, significat remissionem peccatorum, quæ est tectio quædam & occultatio quam facit Deus de peccatis, quæ ampliùs non revelabuntur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, ad confusionem pœnitentis: Ergo revelare peccata in confessione explicata, in confusionem pœnitentis, est agere contra significationem hujus Sacramenti. Simili discursu utitur quodlib. 12. art. 18. his verbis: *Respondeo dicendum quod in nullo casu licet revelare confessionem, nec verbo, nec facto, nec nutu, nec aliquo signo, quia est sacrilegium. Nam ita est in sacramentis novæ legis quod efficiunt quod figurant: effectus autem pœnitentiæ est occultatio peccatorum ab oculis Dei viventis, & hæc occultatio significatur per secretum Confessionis, & ideò sicut prophanaret sacramentum, qui conficeret corpus & sanguinem Christi de alio quàm de pane & vino: ita esset revelans sacrilegus.* C

Hanc rationem improbat Suarez: Tum quia (inquit) hæc significatio non est essentialis Sacramento. Tum etiam, quia aliàs sequeretur, quod non posset Confessarius, etiam de licentia pœnitentis, revelare confessionem. 6.

Verùm hæc frivola sunt: Primum quidem, quia falsum est quod hæc significatio non sit essentialis Sacramento; cùm Sacramentum pœnitentiæ essentialiter significet gratiam remissivam peccatorum, per quam teguntur seu remittuntur peccata. Secundum verò, tum quia quando Confessarius de licentia pœnitentis revelat confessionem, nulla fit injuria pœnitenti, nec ullam pœnitens inde confusionem percipit. Tum etiam, quia in eo casu pœnitens dando licentiam Confessario ut sua peccata revelet, facit quod illud quod Sacerdos sciebat solùm ut Deus, seu ut Dei vicarius, sciat etiam ut homo, & ut persona privata; quare in eo casu Confessarius non violat sigillum confessionis, sed potiùs ipse pœnitens illud solvit. Unde D. Thomas in 4. sent. dist. 21. qu. 3. art. 2. in corp. sic ait: *Respondeo dicendum quod duo sunt propter quæ Sacerdos tenetur peccatum occultare. Primò & principaliter quia ipsa occultatio est de essentia sacramenti, inquantum scit illud ut Deus, cujus vicem gerit ad confessionem. Alio modo propter scandalum vitandum: potest autem pœnitens facere ut illud quod Sacerdos sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo: quod facit dum licentiat eum ad dicendum, & ideò si dicat, non frangit sigillum confessionis. Tamen debet cavere*

vere scandalum dicendo, ne fractor sigilli prædicti reputetur. A

7. Probatur tertiò conclusio ab inconvenienti: Si enim aliquando liceret sigillum confessionis violare, totaliter destrueretur Sacramentum pœnitentiæ; nam ubi scirent homines posse uno casu sua peccata confessa revelari, statim deterrerentur ab hoc salubri ac necessario medio, probabiliter suspicantes, aliis etiam casibus similiter id licere; vel omnia sua peccata in confessione non declararent, eò quòd non teneamur confiteri peccatum quod probabiliter suspicamur esse à Confessore revelandum: unde etiam si daretur casus quo liceret Confessori peccatum pœnitentis revelare, id tamen nunquam habere posset effectum, quia in eo casu pœnitens non teneretur suum peccatum confiteri. Ex quo intelliges, doctrinam oppositam, non solùm esse perniciosam Sacramento, & destructivam illius, sed etiam inutilem fini propter quem existimatur esse utilis, putà ad evitandum grave aliquod damnum reipublicæ imminens; nemo enim volet confiteri peccata, quorum proditio timebitur; & ita nunquam ejusmodi mala poterunt impediri à prudentibus Confessariis, ut sæpè impediuntur, dum inducunt pœnitentes, ut à mala voluntate desistant. B

§. II.

Solvuntur objectiones.

8. OBjicies primò: Sicut secretum confessionis est de jure divino, ita & ejus integritas; & tamen licitum est in aliquibus casibus, disputatione præcedenti recensitis, facere confessionem non integram: Ergo pariter licitum erit in aliquo casu revelare secretum confessionis.

9. Respondeo primò, non omnem integritatem confessionis esse de jure divino, sed eam duntaxat quæ moraliter est in potentia pœnitentis; unde ista semper obligat, nullusque potest assignari casus, in quo liceat pœnitenti non facere confessionem formaliter integram; licèt plures adduci possint, in quibus non tenetur facere con- D fessionem materialiter integram.

10. Respondeo secundò, dato Antecedente, negando consequentiam, & paritatem; licèt enim illa duo præcepta sint de jure divino, præceptum tamen de integritate est affirmativum, quod solùm obligat quando & quomodo fuerit expediens; atque adeò quando in aliquo casu aliter expedire prudenter judicatur, licitum erit facere confessionem non integram. At præceptum de secreto confessionis non revelando, est negativum, ideoque semper obligat, & in omni casu, nullo prorsus excepto, ea est enim natura præceptorum negativorum.

11. Objicies secundò: Interdum revelatio confessionis necessaria est ad avertendum grave ali- E quod malum aut periculum reipublicæ imminens, putà ad impediendum ne aliqua hæresis in Ecclesiam inducatur: Ergo in eo saltem casu licitum erit revelare confessionem, præsertim cùm bonum commune totius Ecclesiæ, præferri debeat bono particulari ipsius pœnitentis.

12. Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam: Tum quia revelatio secreti confessionis non est medium ordinatum ad succurrendum necessitatibus & periculis hominum. Tum etiam, quia quod est intrinsecè malum sicut est violatio sigilli confessionis, ut suprà ostensum est) nunquam potest assumi ut medium ad procurandum aliquod bonum, vel ad vitandum aliud malum; non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona, vel ut alia mala vitentur.

Addo quod cùm Sacramentum pœnitentiæ institutum sit ut medium necessarium ad salutem pro universa Christiana Republica, tantùm abest quod violatio sigilli confessionis possit conducere ad bonum & conservationem totius Ecclesiæ, quin potiùs ex inviolabili hujus arctissimi sigilli observatione, ejus conservatio pendeat; nam, ut suprà dicebamus, si aliquando liceret sigillum confessionis violare, totaliter destrueretur pœnitentiæ Sacramentum.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

EX dictis infertur primò, Confessarium interrogatum de peccatis quæ in confessione audivit, posse etiam cum juramento, negare se ea scire: tum quia ea non scit ut homo, sed ut Deus, seu ut Dei vicarius: tum etiam, quia cùm hæc interrogatio non sit facta legitimè & secundùm ordinem juris, responsum illud verissimum est, quia est propositio negativa de subjecto non supponente, ut rectè ait Petrus de Ledesma. 13. 14.

Infertur secundò, non posse Confessarium ad explicandum peccatum proprium in confessione, revelare peccatum alterius in confessione audi- C tum; quia præceptum sigilli est arctius, quàm præceptum de integritate confessionis; cùm nequidem ad mortem vitandam liceat sigillum confessionis violare, & à præcepto integritatis cõfessionis, multò minora damna & pericula excusent, ut constat ex dictis disputatione præcedenti.

Infertur tertiò, non posse simul duo Confessores, qui ambo simul pœnitentis peccata in confessione audiere, de iis, absque expressa licentia confitentis, simul loqui, etiam ad finem dirigendi illum ad salutem æternam; quia licèt illa peccata utique Confessario cognita sint, ea tamen educere extra judicium Sacramentale, & inducere in alium sermonem, est aliquatenus D frangere sigillum, & claustrum Sacramenti pœnitentiæ intra quod manere debet materia confessionis. Ob eandem rationem, ne quidem apud ipsum pœnitentem, licitum est Confessario loqui de ejus confessione, extra Sacramentum, sine ejus licentia & libero consensu. Imò neque potest Sacerdos sine necessitate, peccata in priori confessione audita pœnitenti exprobrare, cùm plus juris non habeat in materia præcedentis judicij, quàm pœnitens obligationis ad aliquid repetendum, unde debet peccata priùs audita oblivioni tradere, tanquam Dei Vicarius, qui Ezechiel. 18. sic ait: *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* 15.

Infertur quartò, non licere Sacerdoti facere 16. actionem aliquam, quæ ex natura sua sit expressiva peccati in confessione auditi, quia hoc esset revelare confessionem, non verbo, sed facto; ei tamen licitum esse exercere omnes illas actiones, quæ de se sunt indifferentes ad significandum peccatum confessum aut non confessum, & possunt, etiam consideratis omnibus circunstantis, fieri ex aliis motivis. Ex quo intelliges, quod si tres homines v. g. fuissent machinati mortem Sacerdotis, puta præparando vinum toxicatum, ad Missam celebrandam; & unus pœnitentiâ ductus ei confiteretur, & aperiret paratas insidias, posset Sacerdos in tali casu fugere, aut abstinere à

Universidad de Deusto
Biblioteca

celebratione, fingendo aliquam infirmitatem repentinam; quia cùm hujusmodi actiones de se indifferentes sint ad significandum peccatum confessum aut non confessum, & possint, etiam consideratis omnibus circunstantiis, ex aliis motivis fieri, ex illis nullo modo sequitur, etiam indirectè, revelatio criminis.

Inferes quintò, non posse prælatum uti cognitione per confessionem habitâ, ad externam gubernationem, nec proinde ex tali notitia amovere subditum ab officio ad nutum mutabili, vel in electione ei denegare suffragium ad officium quo indignum esse ex confessione novit. Licèt enim non negem, hoc fortè jure divino & naturali non esse omnino prohibitum, quando electio fit per vota secreta, nullaque potest induci suspicio de revelatione confessionis, ut videtur docere S. Doctor hic art. 1. ad 4. his verbis: *Si aliquis per confessionem alicujus quem audivit, novit ipsum esse prælatione indignum, potest ei denegare suffragium, quia ex multis aliis causis redditur quis indignus ad prælationis officium, quam ex peccato sicut ex defectu scientiæ, vel ætatis, vel alicujus hujusmodi:* Nihilominus hoc jure Ecclesiastico & positivo prohibitum est, decreto scilicet Clementis VIII. anno 1593. die 26. Maij edito, quo prohibet superioribus ne ad regimen utantur cognitione ex confessionibus desumptâ, si nimirum hoc sit vel minimum pœnitenti incommodum, & habeat vim occultæ reprehensionis culparum quas in confessione aperuit. Non prohibentur tamen superiores per tale decretum, ad abstinendum ab aliquibus actibus exterioris regiminis, ex quibus rationabiliter non potest reddi confessio magis gravis & onerosa, cujusmodi est quòd superior ex notitia quam habet per confessionem, reddatur prudentior & cautior ad regendum, ad impediendas peccati occasiones, ad visitanda septa Monasterij, ne ulli pateat egressus furtivus, & similia.

17. Inferes ultimò, sacerdotes illos non violare Sigillum confessionis, qui obligant pœnitentes ad denuntiandum Episcopis vel Inquisitoribus Confessarium, qui in confessione Sacramentali eos ad turpia sollicitaverit. Hoc enim præstare tenentur pœnitentes, & Confessarij eos ad id agendum admonere & obligare, ut constat ex Bulla 34. Gregorij XV. *Contra illos qui personas quacumque illæ sint, ad inhonesta, sive inter se sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu sacramentalis confessionis, sive ante, vel post immediatè, seu occasione vel prætextu confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non secuta: sive extra occasionem confessionis, in confessionario, aut in loco quocumque ubi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire: sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum illis illicitos & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu ut præfertur tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis. Quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denuntiandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra: idem locorum Ordinarij & Inquisitores, illos pro modo culpæ punire non negligant.*

Non defuere tamen quidam probabilistæ, seu laxiores Casuistæ, qui Bullam istam interpretatione aliqua benigna emollire cupientes, dixerunt primò, *Confessarium qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censeri incitasse in confessione, ac proinde non esse denuntiandum.* Secundò, *modum evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis, esse, si sollicitatus confiteatur, sollicitanti; hic enim potest ipsum absolvere, absque onere denuntiandi.* Verùm has duas propositiones damnavit Alexander VII. decreto adversùs laxas Casuistarum opiniones, in Congregatione generali Sanctæ Inquisitionis edito 24. die Septembris anni 1665.

ARTICULUS II.

Quæ res cadant sub sigillo confessionis, & quæ personæ ad illud servandum obligentur?

18. QUantùm ad primum, dicendum est, materiam in quam primò & directè cadit obligatio sigilli, esse peccata omnia, etiam venialia, & circunstantias eorum; quia licèt veniale absolutè non sit materia gravis, respectivè tamen ad Confessionem, censetur gravis, quia ex eorum revelatione confessio redderetur odiosa, plerique enim nolunt etiam venialia quæ committunt, ab aliis sciri; & aliunde etiam periculum esset, ne ex imprudentia Confessarij, mortalia pro venialibus interdum detegerentur. Est tamen hæc differentia inter mortale & veniale, quòd non potest Confessarius dicere sine revelatione sigilli, talem pœnitentem fuisse confessum peccatum mortale in genere, benè tamen id potest asserere de veniali; quia omnis qui ad sacramentum accedit, debet habere materiam sufficientem, non tamen necessariam.

19. Secundò sub sigillo confessionis cadunt defectus natalium, inhabilitates naturales, imperfectiones personales, & irregularitates, etiam sine peccato contractæ, quando hæc aliquo modo sunt circunstantiæ peccatorum, vel ad ea explicanda necessaria. Unde non potest Episcopus Ordines publicè petenti denegare ei quem ex sola confessione novit esse irregularem; aut Parochus fœminam & virum in conjuges non copulare, quos ex sola confessione novit ad conjugium esse inhabiles. Item Confessarius non potest vitare eum, quem novit ex sola confessione esse excommunicatum non toleratum, licèt nullus alius, præter ipsum pœnitentem, suspicari possit hoc fieri propter notitiam confessionis.

20. Tertiò sub sigillo confessionis cadunt non solùm peccata pœnitentis, sed etiam peccata complicis sive socij criminis: eodem enim sigillo obligatur Confessarius ad servandum secretum circa ea omnia quæ sunt necessaria ad integram confessionem, cùm sigillum confessionis ad hoc præcipuè ordinetur, ut pœnitens sine timore possit integrè confiteri; unde cùm manifestatio personæ complicis interdum necessaria sit ad integritatem confessionis, eodem sigillo obligatur Confessarius ad servandum secretum circa peccatum complicis, quo circa peccatum ipsius pœnitentis.

21. Dices, Obligatio ad sigillum non est nisi in favorem pœnitentis: Ergo non obligat ad secretum

cretum servandum, nisi de peccatis ipsius pœnitentis, non verò ad celanda peccata complicis, præsertim cùm iste nullum secretum Confessario commiserit.

Respondeo obligationem ad sigillum primariò quidem non esse nisi in favorem pœnitentis, secundariò tamen & ex consequenti, & quadam veluti redundantiâ, esse in favorem complicis. Nec obstat, quod iste nullum secretum commiserit Confessario; sufficit enim ad obligationem sigilli, quod ipse pœnitens peccatum complicis simul cum proprio peccato, ei sub secreto confessionis commiserit.

22. Quantùm ad secundum, nempè personas quæ ad sigillum confessionis obligantur, Dico breviter, eos omnes obligari ad hoc sigillum, qui peccata ex confessione Sacramentali didicerunt, sive ea fuerit reipsâ Sacramentalis, sive ex morali existimatione pœnitentis, & intentione illius. Unde ad hoc sigillum primò tenetur Sacerdos; qui Confessionem Sacramentalem excipit, licèt interdum contingat Sacramentum non perfici, & absolutionem pœnitenti denegari. Secundò in Confessione quæ fit per interpretem, ipse interpres obligatur ad sigillum, quia communicat cum Confessario in actu ipso Sacramentalis Confessionis. Tertiò superior à quo petitur facultas absolvendi ab aliquo reservato, tenetur ad sigillum, sicut & ille à quo, de licentia pœnitentis, consilium petit Confessarius. Quartò quicunque peccata alterius, sive casu sive consultò audivit, dum illa in Confessione exponeret, quia non cognoscit illa nisi ex ipso actu Confessionis Sacramentalis, obligatur ad sigillum, sicut & ille cui Sacerdos Confessionem Sacramentalem revelavit: non tamen ille qui reperit chartam in qua scripta est Confessio pœnitentis, quia nondum peccata in charta scripta, Ecclesiæ clavibus subjecta sunt; nam tunc peccata subjiciuntur clavibus, cùm Sacerdoti manifestantur. Quò fit, ut si in ea charta contineatur aliquod facinus, vergens in grave damnum innocentis, vel Reipublicæ, tenetur illud revelare; cùm secretum naturale non obliget cum damno alterius, multò minùs cum damno boni publici. Si tamen charta jam tradita fuisset Confessario, & casu è manibus ejus dilapsa, tunc qui illam reperiret, ad sigillum Confessionis teneretur, quia in eo casu, peccata in ea contenta, fuissent Confessario manifestata, subindeque subdita clavibus Ecclesiæ.

23. Sunt aliqui qui existimant, ipsum quoque pœnitentem teneri obligatione sigilli circa illa quæ in Confessione audit à Confessario. Sed hæc sententia probabilitate caret, quia obligatio sigilli est in favorem solius pœnitentis, non verò ipsius Confessarij; unde non est alia obligatio in pœnitente, quàm secreti naturalis circa ea quæ interest Confessario ut secretò serventur, & quæ non possunt revelari sine aliquo ipsius præjudicio.

24. Alij arbitrantur, hoc sigillo teneri eum cui aliquis peccatum aliquod detegit, eâ conditione ut illud servet sub sigillo Confessionis, ut sæpè fieri solet; eique sententiæ favere videtur D. Thomas hîc art. 2. ad 2. ubi sic ait: *Aliquis non debet de facili aliquid recipere hoc modo* (id est sub sigillo Confessionis) *si tamen recipiat, tenetur ex promissione hoc modo celare, ac si in Confessione haberet, quamvis sub sigillo Confessionis non habeat.*

25. Probabilius tamen est, in eo non esse aliam obligationem, quàm secreti naturalis, ad celandum tale peccatum; quia, ut suprà dicebamus, obligatio sigilli supra ea duntaxat peccata cadit, quæ clavibus Ecclesiæ subjecta fuere, & Sacerdoti in Confessione Sacramentali manifestata. Nec oppositum docet D. Thomas loco citato, sed solùm vult quod ille qui secretum aliquod sub sigillo Confessionis recipit, titulo fidelitatis, ratione promissionis factæ, jure naturæ teneatur tale secretum cum eadem solicitudine ac firmitate & tenacitate servare, ac si illud in Confessione ei manifestatum fuisset, subindeque obligatione sigilli ad illud servandum teneretur.

Antequam huic disputationi finem imponamus, & de absolutione Sacramentali differamus, placet hîc subnectere aliqua quæ SS. Patres in laudem Confessionis peccatorum scribunt, ut ad ejus praxim pœnitentium animos inducant. Augustinus enim serm. de pœnit. hæc habet: *Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, expugnatrix dæmonum. Quid plura? Obstruit os inferni, aperit portas paradisi.* Bernardus lib. de interiori domo cap. 1. *Homo per veritatem stimulatus, peccata sua confitetur: Deus autem per misericordiam flexus, confitenti miseretur: Omnis namque spes veniæ & misericordiæ in Confessione est, &c. Fœlix conscientia in qua misericordia & veritas obviaverunt sibi. Veritas confitentis, & misericordia miserentis, quia non potest illi misericordia deesse qui se agnoscit in veritate.* Cassiodorus ad illud Psal. 95. *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus: Confessionem* (inquit) *benè sequitur pulchritudo, quia nemo potest esse speciosus, nisi qui Domini fuerit miseratione mundatus. Fœdos nos peccata faciunt, sed pœnitentia reddunt lavacra decoros: Et ideò mundissimam speciem ante Domini stare conspectum dicit, quæ fuerit fideli Confessione purgata, &c.* In eundem sensum Glossa mysticè interpretatur versum illum Psal. 113. *Facta est Judæa sanctificatio ejus.* Judæa quippe juxta Hebraïci nominis usum, *Confessionem* significat; & propterea tunc Judea dicitur sanctificatio fieri, cùm cor Confessione sanctificatur & purgatur: Atque ad eundem sensum pertinere vult quod statim subjungitur, *Jordanis conversus est retrorsum.* Verba ejus sunt: *Jordanis* rivus judicij *interpretatur: per hoc ergo significatur quod pœnitentia peccatorem facit reverti de judicio condemnationis ad judicium salvationis; &c.* Item Beda ibidem hæc scribit: *Facta est Judæa sanctificatio ejus, quia cor ejus confessio purgavit, &c.* Demum Gregorius magnus homil. 18. super Ezechiel. cùm vestibulum interius mysticæ civitatis quam Propheta vidit interpretatur, sic ait: *Quid per interius vestibulum nisi æternæ vitæ latitudo signatur? quæ modò inter angustias vitæ præsentis jam spe mente concipitur: De qua per Psalmistam dicitur Intrate portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confessionum: Cùm enim peccata nostra per lacrymas confitemur, angustæ vitæ portam ingredimur: Sed cùm post hæc ad æternam vitam perducimur, portæ nostræ atria in confessionum laudibus intramus; quia ibi jam angustia non erit, cùm nos latitia perpetua festivitas exceperit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPUTATIO XII.

De Absolutione Sacramentali.

EXpeditis difficultatibus quæ spectant ad confessionem Sacramentalem, consequens est, ut de absolutione, quæ est illius forma & complementum, disseramus, & celebres aliquas difficultates & controversias quæ de ipsa agitari solent, breviter ac dilucidè resolvamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ verba sint de essentia absolutionis Sacramentalis, & forma Sacramenti pœnitentiæ?

§. I.

Quibusdam præmissis, difficultas resolvitur.

1. CErtum est apud omnes, verba antecedentia, scilicet *Misereatur tui, &c. Dominus noster Jesus Christus absolvat te, &c.* ac ista subsequentia, *Passio Domini nostri, &c.* non esse de essentia absolutionis Sacramentalis, nec ad valorem Sacramenti necessaria, licèt preces illæ utiles ac congruæ sint, tum ad exorandam antecedenter divinam misericordiam, tum consequenter ut virtute clavium eleventur omnia opera bona pœnitentis, ut illa ex meritis Christi operentur ultra proprium valorem. Unde Tridentinum sess. 14. cap. 3. ait, de Ecclesiæ sanctæ more, preces illas laudabiliter adjungi. Solùm ergo difficultas est circa ista verba: *Ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti,* quæ à Florentino & Tridentino assignantur pro forma Sacramenti pœnitentiæ. Durandus enim existimat, omnia illa verba, nullo prætermisso, esse essentialia absolutioni Sacramentali, & formæ Sacramenti pœnitentiæ, vel saltem expressam Sanctissimæ Trinitatis invocationem. Gabriel asserit, ista, *Absolvo te ab omnibus peccatis tuis,* esse de essentia; Paludanus & Petrus Soto, hæc saltem, *Absolvo te à peccatis tuis.* In alio extremo Dominicus Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. §. *Postremum tandem dubium,* sentire videtur, istud verbum, *Absolvo,* solitariè prolatum, ad valorem absolutionis sufficere, quatenus affirmat, in articulo mortis, in quo est periculum ne quis decedat absque beneficio absolutionis, posse Sacerdotem proferre illud verbum, *Absolvo,* animo absolvendi à peccatis, & censuris, & tunc validè absolvere. Demum S. Thomas, & alij Theologi communiter, asserunt formam absolutionis essentialiter salvari in illis verbis, *Ego te absolvo,* imò & in solis istis, *Absolvo te,* suppresso pronomine *Ego*, utpotè quod in verbo primæ personæ *absolvo*, subintelligitur; unde idem S. Doctor 3. p. quæst. 66. art. 3. ad 1. docet illud ad valorem Baptismi non requiri.

2. Dico igitur, Hæc sola verba, *Absolvo te,* esse essentialia absolutioni Sacramentali, & ad valorem Sacramenti pœnitentiæ necessaria.

Probatur primò ratione fundamentali: Ea solùm verba sunt de essentia formæ absolutionis, quæ principalem effectum Sacramenti pœnitentiæ significant: Sed sola ista verba, *Absolvo te,* hoc habent: Ergo illa sola sunt essentialia absolutioni Sacramentali, & ad valorem Sacramenti pœnitentiæ necessaria. Major patet, quia essentia Sacramentorum novæ legis est significare id quod in illis efficitur: Ergo ea tantùm erunt de essentia, quæ sufficient ad significandum effectum Sacramenti. Minor verò suadetur: Verba quoad significationem sumenda sunt ex circunstantiis quas habent adjunctas, & secundùm quas ex communi hominum institutione, determinantur ad significandum, ut patet in illa forma Baptismi corruptè prolata: *Ego te baptizo in nomine Patria & Filia, & Spiritua Sancta,* quæ ex declaratione Zachariæ Papæ, valida est, eò quòd prolata in talibus circunstantiis, ex communi hominum sensu significant Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quæ tamen sub aliis circunstantiis prolata, illud non significarent: Atqui sola ista verba, *absolvo te,* consideratis omnibus circunstantiis in quibus proferuntur, significant principalem effectum Sacramenti pœnitentiæ; nam licèt ex se indifferentia sint, ad significandum tam absolutionem à censuris quàm à peccatis, prolata tamen supra pœnitentem qui sua peccata confessus est Sacerdoti, determinantur ad significandam absolutionem à peccatis, quæ est principalis effectus hujus Sacramenti.

Probatur secundò conclusio, refellendo alias 3.
sententias suprà adductas, Et in primis quod invocatio Sanctissimæ Trinitatis non sit de essentia absolutionis Sacramentalis, manifestum videtur, cùm in institutione Sacramenti pœnitentiæ tantùm dicatur, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* nec ulla fiat mentio Divinarum Personarum, sicut in institutione aut præcepto Baptismi. Imò valde probabile est, omittentem in forma absolutionis invocationem Trinitatis, nequidem venialiter peccare, cùm D. Thomas 3. p. qu. 84. art. 3. ad 3. dicat, *Relinqui invocationem Trinitatis arbitrio Sacerdotis,* quod non diceret, si non posset Sacerdos sine culpa, saltem veniali, illam prætermittere.

Secundò, quod non debeat necessariò poni illa particula, *Omnibus,* constat, tum quia non apponitur in rituali Romano jussu Pauli V. edito; tum etiam, quia pœnitens non potest absolvi ab uno peccato mortali, quin absolvatur ab omnibus; & de venialibus sæpè non fiat absolutio, cùm pœnitès de illis non pœniteat, nec teneatur.

Tertiò, quod ly *à peccatis,* non sit de essentia absolutionis, patet ex dictis probatione præcedenti, nam, ut ibi dicebamus, hæc verba *Absolvo te,* sufficienter explicant, ratione circunstantiarum absolutionem à peccatis, neque necesse est explicare materiam supra quam cadit absolutio Sacramentalis; sicut in judiciis humanis & civilibus, non debet necessariò sententia exprimere materiam judicij; hoc enim ipso quod auditâ rei accusatione, & totâ causâ, Judex pronuntiat hunc esse innocentem vel reum, satis declarat mentem suam.

Demum quod in solo verbo, *Absolvo,* non exprimatur sufficienter forma absolutionis, non minùs certum videtur, cùm in ea significari & exprimi debeat, absolutionem cadere supra talem personam delinquentem, accusatam, convictam, pœnitentem, & confessam talia singularia peccata; unde Christus Joan. 20. dixit: *Quorum remiseritis peccata, &c.* ubi & personam designat, & peccata

peccata manifestata à pœnitente præsente: Ergo particula *Te,* non minus est de essentia in forma Sacramenti pœnitentiæ, quàm in forma Sacramenti Baptismi, & Confirmationis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

4. OBjicies primò: Florentinum & Tridentinum, assignando formam Sacramenti pœnitentiæ, dicunt illam consistere in his verbis: *Ego absolvo te, &c.* Ergo censent aliqua ex verbis sequentibus pertinere essentialiter ad formam absolutionis Sacramentalis.

5. Sed nego Consequentiam, ideò enim particulam, &c. addiderunt, vel ut abstraherent à controversiis Theologorum qui putant alia etiam verba pertinere ad essentiam hujus formæ, vel ut significarent sequentia non esse omittenda, quamvis non sint essentialia. Et verò si existimassent illa esse essentialia, non omisissent pauca hæc verba, *à peccatis tuis,* cùm integram formam Baptismi, etsi longiorem, expresserint.

6. Objicies secundò: Ideò in forma Baptismi & Confirmationis, necessaria est expressio Sanctissimæ Trinitatis, quia effectus illorum Sacramentorum causatur principaliter à Deo, & ministerialiter tantùm ab homine: At in hoc Sacramento similiter Sacerdos absolvit ut minister Dei: Ergo pariter in forma absolutionis Sacramentalis necessariò exprimi debent personæ Sanctissimæ Trinitatis.

7. Respondeo negando causalem Majoris. Ratio enim ob quam in forma Baptismi & Confirmationis necessaria est expressio Sanctissimæ Trinitatis, non est ea quam assignat objectio, alioquin in forma omnium Sacramentorum, deberent tres Personæ Divinæ exprimi, cùm in omnibus eadem sit dependentia ministri à causa principali; sed quia Baptismus inducit hominem ad fidem, cujus præcipuum mysterium est Trinitas, & Confirmatio roborat ad confessionem.

8. Objicies tertiò: Illa sunt de essentia formæ Sacramenti, sine quibus non significat determinatè effectum Sacramento proprium: Sed sine illis verbis, *à peccatis tuis,* forma Sacramenti pœnitentiæ, *absolvo te,* non significat determinatè effectum ejus, cùm hæc verba indifferentia sint ad significandum absolutionem à peccatis, vel absolutionem ab excommunicatione & aliis censuris: Ergo verba illa *à peccatis tuis,* sunt de essentia absolutionis Sacramentalis.

9. Huic objectioni patet solutio ex dictis in prima probatione, concessâ enim Majori, Minor neganda est; cùm enim ista verba, *Absolvo te,* in administratione Sacramenti pœnitentiæ, proferantur circa pœnitentem, confitentem peccata sua, habent ex illa circunstantia quòd potiùs significent absolutionem à peccatis, quam à censuris.

§. III.

Corollarium præcedentis doctrinæ.

10. EX dictis confutata manet quorundam Recentiorum sententia, qui asserunt verba ista, *à peccatis,* non esse quidem de essentia formæ Sacramenti pœnitentiæ, esse tamen de integritate illius: Sicut (inquiunt) in consecratione calicis, verba ista, *Novi & æterni testamenti, &c.* non sunt de essentia, sed de integritate formæ. Patet, inquam, ex dictis falsitas hujus sententiæ, & disparitas ad exemplum adductum; quia in forma absolutionis istæ particulæ, *à peccatis,* nihil significant, quod non significetur implicitè per verba præcedentia, *absolvo te,* ut suprà ostensum est, at verò in consecratione calicis verba ista, *Novi & æterni testamenti, &c. qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum,* aliquid significant, quod non significant etiam implicitè verba præcedentia; sive enim sanguis Christi esset novi Testamenti, sive non, sive effusus esset pro omnibus, vel non effusus, revera esset significatio eadem priorum verborum: *Hic est calix Sanguinis mei.*

Ex dictis etiam infertur contra Vazquem, gra- 11.
tiam Sacramentalem, remissivam peccatorum, produci in instanti extrinsecè terminativo prolationis horum verborum, *Absolvo te,* quamvis ad perfectiorem significationem formæ, addat Sacerdos verba sequentia, *à peccatis tuis.* Patet ex dictis, Sacramenta enim causant gratiam, quando significatio essentialis jam est completa: Sed ante illa verba, *à peccatis tuis,* significatio essentialis absolutionis Sacramentalis est completa, quia completur illis duobus verbis, *Absolvo te,* ut suprà ostensum est: Ergo, &c.

Infertur etiam, malè dixisse Abuiensem 1. par- 12.
te sui defensorij cap. 6. impropriè in forma absolutionis usurpari verbum *absolvo,* eò quòd, inquit peccata non sint vincula quæ solvantur, sed injuriæ & offensæ quæ remittantur; unde non dixit Christus: *Quorum solveritis,* sed *quorum remiseritis peccata.* Verùm hoc fundamentum ruinosum est, tum quia in Scriptura paccata appellantur, vincula, Proverb. 5. *Iniquitates tuæ capiunt impium, & funibus peccatorum quisque constringitur:* tum etiam quia ipse Christus usus est verbo *Absolvo* Matth. 16. ubi claves promisit Petro his verbis: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Addo quod hoc verbum *remitto,* est solùm expressivum clavis remissivæ peccatorum, verbum autem *absolvo,* aptum est ad designandum solutionem utriusque vinculi, peccati scilicet & censuræ, unde convenientiùs in forma Sacramenti pœnitentiæ ponitur.

Demum ex dictis infertur, quod cùm sola mu- 13.
tatio essentialis reddat Sacramentum invalidum, & de essentia formæ Sacramenti pœnitentiæ tantùm sit ut per modum actûs judicialis proferatur, quibuscumque verbis quæ judicialem sententiam exprimunt utatur Sacerdos in forma absolutionis, sacramentum erit validum; unde si Sacerdos diceret, *remitto tibi peccata tua* vel *delicta tua tibi condono,* vel *absolvatur Petrus à peccatis,* valeret Sacramentum; sicut & si forma proferretur sub conditione, putà *si non es absolutus ego te absolvo,* quæ tamen conditio, & aliæ similes non debent adhiberi, etiam mentaliter, nisi ob rationabilem causam.

Notat verò Cajetanus in Summa, absolutio- 14.
nem datam in plurali, honoris causâ, validam esse, peccare tamen Sacerdotem qui illâ utitur, recedendo à communi forma Ecclesiæ. Advertit etiam Henriquez lib. 4. de Sacram. cap. 11. posse Sacerdotem unica absolutione absolvere multos, in casu naufragij, & imminente periculo mortis, sicut unâ ablutione baptizari possunt multi. Hoc tamen negat Summa Tabiena, verbo *Absolutio* 1. num. 8.

ARTICULUS

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICULUS II.

An forma absolutionis deprecatoriè prolata, valida sit?

15. PArtem affirmativam tenuere olim quidam antiqui Theologi, ut Alensis, D.Bonaventura, Mayronis, & alius Author, quem refert & impugnat D. Thomas opusc. 22. ejus sententiam appellans *temerariam & præsumptuosam, ne dicam* (inquit) *erroneam.* Actiori censurâ eam notant Vazquez, Amicus, & alij Recentiores, eam enim absolutè *erroneam* appellare non dubitant, cùm evidenti discursu (inquiunt) colligatur esse contra Tridentinum. Hanc tamen sententiam ferè extinctam & sepultam, ac oblivioni traditam, de novo suscitarunt duo nuperi Doctores, Joannes Morinus, & Joannes Launoyus, quos ex nostris egregiè ac eruditè refellunt P. Baronius parte 2. Theologiæ moralis disputat. 2. sect. 3. art. 5. & P. Nicolaï 3. p. quæst. 84. art. 3. ad marginem.

§. I.

Conclusio negativa statuitur.

16. DIco igitur, absolutionem, ad modum precationis expressam, non esse validam.

Probatur primò argumento desumpto ex Scriptura sacra, nam ut observat S.Thomas opusculo citato: *In Sacramento pœnitentiæ verba Scripturæ non faciunt mentionem de aliqua deprecatione, sed magis ipsa verbo indicativo utitur: non enim dicit, Quæcunque petieris esse solvenda, erunt soluta; sed quæcunque solveris, &c. Si ergo illa tantùm dicuntur esse soluta quæ habens claves solverit, qui autem petit aliquid esse solvendum, non solvit: miror quâ temeritate aliquis asserat esse solutum quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum.*

17. Probatur secundò ex Tridentino sess. 14. cap. 3. ubi ait, *pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, &c.* Subindeque censet non perfici Sacramentum antequam verba illa à Sacerdote proferantur: At si forma absolutionis deprecatoriè prolata, valida esset, antequam verba illa, *Ego te absolvo*, à Sacerdote proferrentur, perficeretur Sacramentum pœnitentiæ: Ergo ex Tridentino forma absolutionis deprecatoriè prolata, valida non est. Major patet, sequela verò Minoris sic ostenditur. Tunc primùm Sacramentum pœnitentiæ perficitur, cùm primùm sufficiens forma profertur super peccata confessa: Sed antequam Sacerdos verba ista, *Ego absolvo te, &c.* pronuntiaret, proferret sufficientem formam super peccata confessa, nimirum ista verba, *Dominus noster Jesus Christus per suam piissimam misericordiam te absolvat*, & ista: *Absolutionem & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus:* Si enim forma absolutionis deprecatoriè prolata, valida sit, verba illa non possunt non esse sufficiens forma Sacramenti pœnitentiæ, cùm in illis fiat expressa deprecatio pro absolutione & remissione peccatorum, & verba illa solùm differant in modo deprecativo & optativo, ab istis, *Absolvo te*, quæ sunt in modo indicativo: Ergo si forma absolutionis deprecatoriè prolata, valida esset, antequam Sacerdos proferret hæc verba, *Absolvo te*, pœnitentiæ Sacramentum perficeretur, & gratia peccatorum remissiva conferretur, ut concedit ipse Alensis, 4. p. quæst. 21. membro 1. ubi hæc scribit: *In forma absolutionis præmittitur oratio per modum deprecativum, & subjungitur absolutio per modum indicativum, quia deprecatio gratiam impetrat, absolutio gratiam supponit.* Unde juxtà hunc Authorem, Sacerdos per hæc verba, *Ego te absolvo*, pœnitentem à peccatis verè non absolvit, sed solùm illum jam esse ab illis absolutum declarat, quod apertè repugnat Tridentino sess. 14. can. 9. dicente: *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis* (quam in illis verbis *Absolvo te* positam esse, ibidem cap. 3. docet) *non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata, &c. anathema sit.* Quare non immeritò Vazquez & Amicus suprà relati, dicunt Adversariorum sententiam prorsus esse erroneam, cùm evidenti discursu colligatur esse contra Tridentinum.

18. Probatur tertiò conclusio ratione quam idem Tridentinum eadem sessione 14. cap. 6. insinuat, cùm ibidem ait quod absolutio Sacramentalis *est ad instar judicialis actûs quem Sacerdos exercet, vel quo ab ipso velut à Judice sententia pronuntiatur.* Atqui sententia Judicis deprecatoriè exprimi non debet, sed indicativè, vel imperative ut constat in judiciis humanis & civilibus: Ergo nec absolutio Sacramentalis.

19. Confirmatur: Absolutio est actus authoritatem exercentis, deprecatio è contra est actus supplicantis; unde qui supplicat, ostendit se potestatem absolvendi non habere, sed ab alio gratiam absolutionis expetere: igitur forma deprecativa pugnat cum absolutiva.

20. Demum suaderi potest conclusio inductione factâ per omnia Sacramenta, constat enim ex usu perpetuo Ecclesiæ, omnium formam absolutam esse & indicativam, exceptâ formâ Extremæ-Unctionis, quæ debet esse per modum orationis, tum quia Jacobi 5. de illa dicitur, *Oratio fidei salvabit infirmum, alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Tum etiam, quia ut ait D. Thomas opusculo citato cap. 1. in hoc Sacramento, præter salutem animæ, petitur salus corporis, & quia non semper expedit, ut hæc conferatur, precatio adhibetur. In hoc verò & aliis Sacramentis confertur aliquid spirituale, quod semper expedit conferri, unde non debet forma Sacramenti pœnitentiæ, nec aliorum Sacramentorum, exceptâ formâ Extremæ-Unctionis, ad modum precationis exprimi.

21. Addo ex S.Thoma in calce capitis 3. ejusdem opusculi, periculosè solam orationem pœnitentiæ Sacramento adjungi, quia qui precatur tantùm veniam, non confert illam infallibiliter, sed dubiam relinquit: oratio enim ut quis absolvatur, promiscuè fieri potest, sive is de peccatis contritus sit, sive peccatis adhuc adhæreat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

22. ADversariorum objectiones leviissimæ sunt, nec sudore indigent ut solvantur. In primis enim vanum est quod illi opponunt, nimirum Græcos non nisi deprecative absolvere. Hoc enim falsum esse patet ex Græcorum Euchologio, quod Pater Jacobus Goar, Ordinis Prædicatorum, Provinciæ Sancti Ludovici, qui in partibus Orientalibus, propagandæ fidei causâ, diu commoratus est, nuper edidit; nam in eo quidem præmittuntur verba hæc precatoria: *Dominus noster Iesus Christus & Deus, qui mandatum ligandi & solvendi peccata Discipulis tradidit, prætereat* (παρείδη) *omnia peccata tua.* Sed orationem hæc consequuntur verba: *Ego verò indignus ejus servus absolvo te à peccatis tuis* (ἀπολύω σε ἀπὸ παντῶν ἁμαρτιῶν σε) Item: *Dominus justus qui propter nos carnem assumpsit, & universi orbis peccatum tollit, delicta tua deleat, Ego verò condono tibi omnia peccata tua.*

23. Idem constat ex Arcudio, qui de formis absolvendi Græcorum accuratè & fusè disputat lib. 4. de Sacramentis cap. 3. ubi nullam refert, in qua non sit aliqua propositio, quæ authoritatem sententiæ judicialis præ se ferat: licèt ante & post orationes aliquas habeat adjunctas, quemadmodum habet forma consueta Latinæ Ecclesiæ: Nam in omnibus dicitur, ἔχω σε λελυμένον, ἔχω σε συγκεχωρημένον, id est, *Habeo te absolutum. Habeo te veniâ donatum*, aut quid simile: quod phrasi Græcâ æquivalet istis, *Ego te absolvo, Ego te dono veniâ* ut idem Arcudius capite citato rectè ostendit.

24. Non minùs frivolum est quod ex Mairone adduntur Adversarij, non esse inconveniens deprecativè absolvere, sicut & Græci deprecative baptismum conferunt, cùm dicunt, *baptizetur servus Christi.* Hæc enim Maironis hallucinatio ex linguæ Græcæ imperitia provenit, cùm Græci dicant βαπτίζεται, quod non idem sonat ac *baptizetur*, sed significat *baptizatur*, ut rectè observavit P. Nicolai 3. part. quæst. 60. art. 8. & quæst. 66. art. 5.

25. Non valet etiam exemplum quod adducunt de absolutione judiciali seu canonica, ad quam nulla verborum forma præscripta est. Nam ut rectè ait S. Thomas opusculo citato: *Alia ratio est de absolutione ab excommunicatione, quæ non est sacramentalis, sed magis judiciaria, jurisdictionem consequens, & alia de absolutione à peccatis in sacramento Pœnitentiæ, quæ consequitur potestatem clavium, & est sacramentalis. In illa enim* (nempè absolutione judiciali) *verba efficaciam habent ab intentione dicentis, unde non refert quibuscunque verbis utatur, ad exprimendam suam intentionem: in sacramento autem verba efficaciam habent ex institutione divina: Unde tenenda sunt verba determinata, consonantia divinæ institutioni: institutioni autem dicentis,* Quodcunque solveris, &c. *hæc verba conveniunt*, Ego absolvo te, *ac propterea tenenda sunt.*

26. Quod verò dicitur in Canone *Multiplex* de Pœnit. dist. 1. nempè *indulgentiam Dei nisi supplicationibus Sacerdotum obtineri non posse*, quod ex Epistola 99. Leonis Papæ desumptum est, intelligendum est de deprecatione quæ præmittitur absolutioni sacramentali, ut interpretatur D. Thomas 3. p. quæst. 84. art. 3. ad 2. Pontifex enim sacramentum Pœnitentiæ *supplicationes* appellat, ab oratione deprecativa quæ absolutioni præmittitur. Neque enim novum est, ut sacramenta à ritibus accidentalibus nomina sortiantur, ut patet in ipso Pœnitentiæ sacramento, quod *manuum impositio* dicitur, quamvis hæc non sit de necessitate sacramenti, ut disputatione 1. ostensum est. Vel secundò dici potest, absolutionem Sacerdotis ideò solùm à D. Leone, aliisque Patribus, *Orationem Sacerdotis* appellari, quia cùm proferatur in fide promissionis Christi, continet virtualiter vim & rationem orationis, cum quo stat quod non sit formaliter deprecatio. Eodem modo explicari debent verba illa Nicolai Cabasilas liturgicæ expositionis cap. 29. *Peccatorum quoque remissio pœnitentibus datur per orationem Sacerdotum*; cùm certum sit Sacerdotes Græcos in forma absolutionis Sacramentalis adhibere verba indicativa, in quibus præcipuam vim absolutionis reponunt, ut constat ex verbis Euchologij Græcorum suprà relatis.

27. Demum quod objiciunt, nimirum quod sicut Apostoli ad sanandos infirmos non utebantur formâ indicativâ, dicendo, *Ego te sano*, sed deprecativâ dicendo, *sanet te Christus*; ita nec ad absolvendos peccatores alia verba quam deprecatoria adhibere debebant, solvitur à D. Thoma art. citato in resp. ad 4. ubi sic ait: *Apostolis non est data potestas, ut ipsi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationem infirmi sanarentur. Est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter sive ministerialiter in Sacramentis. Et ideo magis possunt in formis Sacramentalibus, exprimere actum suum, quàm in sanationibus infirmitatum; in quibus tamen non semper modo deprecativo utebantur, sed quandoque modo indicativo & imperativo; sicut Act. 3. legitur quod Petrus dixit claudo:* In nomine Jesu Christi Nazareni, surge & ambula.

28. Dices, Quamvis Apostolis data fuerit potestas absolvendi à peccatis, illa tamen non erat principalis & authoritativa, sed ministerialis tantùm & instrumentaria: Atqui modus indicativus, vel etiam imperativus, significat facultatem operandi principalem & authoritativam, ut patet in Principibus & Regibus, qui semper indicativè vel imperativè loquuntur: Ergo conveniens non est, quod Apostoli, seu eorum in Sacerdotio successores, in absolutione Sacramentali utantur verbis indicativis sed tantùm deprecativis.

29. Respondeo quod modus indicativus, vel etiam imperativus, significat quidem potestatem operandi authoritativam, sed non semper principalem in judiciis, ut patet in judicibus subalternis, qui licèt non habeant supremam, sed ministerialem tantùm judicandi potestatem, dum tamen condemnationis, vel absolutionis sententiam proferunt, semper loquuntur indicativo modo, vel etiam aliquando imperativo, sed nunquam deprecativo, quia modus deprecatorius in materia judicij, significat solùm potestatem moralem intercedendi apud judicem, sed non potestatem judicandi & operandi, etiam ministerialem.

ARTICULUS III.

An Sacerdos per hæc verba, Ego te absolvo, *verè pœnitentem absolvat à peccatis?*

30. PArtem negantem tenent non solùm illi Authores qui docent, formam absolutionis deprecatoriè prolatam, validam esse, sed etiam illi qui existimant, Sacramentum pœnitentiæ requirere contritionem ut materiam; unde dicunt per formam hujus Sacramenti, non significari, quod remittantur peccata. Verùm in explicando quid significent hæc verba, *Ego te absolvo*, ita inter se dissident, ut ferè tot sint sententiæ, quot capita

Universidad de Deusto
Biblioteca

capita, Magister enim sententiarum, ait horum verborum sensum esse, ego te ostendo & declaro absolutum à peccatis; sicut quando Christus dixit Magdalenæ, *Remittuntur tibi peccata tua*, hæc enim verba cùm fuerint bis à Christo prolata, secundâ saltem vice, hunc reddebant sensum, declaro peccata tua tibi esse remissa. Alij dicunt, sensum horum verborum, *Ego te absolvo*, hunc esse: Ego eximo te ab obligatione subjiciendi peccata tua clavibus Ecclesiæ. Ita Gabriel, & plures ex Nominalibus. Alij hunc sensum dant verbis absolutionis, Ego remitto tibi pœnam temporalem peccatis tuis debitam. Ita Alensis & S. Bonaventura. Hugo verò à S. Victore docet sensum esse, *Absolvo te*, id est remitto tibi pœnam æternam pro culpa debitam. Tandem Medina, Codice de pœnitentia, asserit per contritionem liberari peccatorem à culpa & pœna æterna, non tamen ab exilio patriæ cœlestis, quam aperit Sacerdos, quatenus habet claves regni cœlorum; subindeque hæc verba, *Absolvo te*, reddere hunc sensum, *Aperio tibi januam regni cœlorum*. Pro declaratione veræ & catholicæ sententiæ.

31. Dico breviter, Sacerdotem per hæc verba, *Ego te absolvo*, verè pœnitentem absolvere à culpa, & reatu pœnæ æternæ, & non solùm illum à peccatis absolutum declarare.

32. Probatur primò ex Tridentino sess. 14. can. 9. ubi sic dicitur: *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, &c. anathema sit.* Item cap. 3. sic ait: *Res & effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.* Nec dici potest, Concilium id asserere de hoc Sacramento ratione contritionis, quæ est pars materialis illud constituens, non verò ratione absolutionis, quæ est ejus forma. Non valet, inquam, hæc responsio, tum quia ex eodem Tridentino suprà disp. 7. ostendimus, solam attritionem sufficere ad constituendum hoc Sacramentum. Tum etiam, quia idem Concilium ibidem initio capitis ait, præcipuam vim hujus Sacramenti sitam esse in forma absolutionis, quæ in illis verbis, *Ego te absolvo*, posita est.

33. Probatur secundò ex D. Thoma opuscul. 22. cap. 1. ubi sic ait: *Patet ex dictis Salvatoris, quod habens claves absolvit: præsumptuosum ergo est, ne dicam erroneum, ut Sacerdos dicere non possit, Ego absolvo te, quem Dominus absolvere confitetur.* Et in exemplum affert quod Apostolus ait 2. ad Corinth. 2. *Se donasse peccatum in persona Christi*, quasi dicat secundùm Glossam, *se absolvisse à peccato.* Et mox: *Non est etiam parva authoritas ejus quod in Ecclesia canitur:* Jam bone Pastor Petre clemens accipe vota precantum, & peccati vincula resolve tibi potestate traditâ. *Potestas autem tradita Petro est potestas clavium: potest ergo habens claves dicere*, Ego te absolvo. *Nec hoc solum convenienter dicere potest, sed & necessarium esse videtur, quia Sacramenta novæ legis efficiunt id quod figurant.* Quibus ultimis verbis rationem fundamentalem nostræ conclusionis insinuat, quæ sic potest breviter proponi. Sacramenta novæ legis efficiunt quod significant, hæc enim est præcipua differentia, quam Florentinum assignat inter hæc & vetera, quòd illa gratiam non causabant, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant; hæc verò & A continent, & dignè suscipientibus conferunt: Atqui Sacramentum pœnitentiæ habet præcipuè ratione formæ quod significet remissionem peccatorum: Ergo præcipuè ratione formæ eam confert; subindeque Sacerdos per hæc verba, *Ego te absolvo*, verè pœnitentem absolvit à peccatis.

34. Confirmatur: Ideò Baptismus causat gratiam ablutivam à sordibus peccatorum, quia hæc verba formæ hujus Sacramenti, *Ego te baptizo*, talem gratiam significant: Sed verba ista, *Ego absolvo te*, non minùs clarè gratiam remissivam peccatorum designant: Ergo pariter illam sufficienter dispositis conferunt.

35. Confirmatur ampliùs: Si Sacerdotes novæ legis non verè absolverent à peccatis, sed solùm pœnitentem absolutum declararent, non differrent a Sacerdotibus legalibus; isti enim habebant potestatem discernendi lepram à non lepra, & declarandi quinam verè essent aut non essent leprosi: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Minor patet ex Chrysostomo lib. 3. de Sacerdotio cap. 6. ubi sic ait: *Corporis lepram purgare, vel ut verius dicam, ne purgare quidem, sed purgatam ostendere, Judæorum Sacerdotibus licebat. At verò nostris Sacerdotibus, non corporis lepram, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* Addo cum D. Thoma in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 1. quod *proportionaliter oportet loqui de Sacramentis & potestate ministrorum:* Ergo si Sacrata novæ legis differunt à veteribus per causalitatem effectivam, per eandem differunt ministri Evangelici à legalibus.

36. Ex his impugnati manent omnes modi quibus Authores suprà relati docent Sacerdotem absolvere à peccatis. Constat enim in primis, sensum horum verborum, *Absolvo te*, non esse, ego te ostendo seu declaro absolutum à peccatis; cùm Sacerdotes (ut jam ostensum est) non solùm declarent pœnitentibus peccata ipsorum remissa esse à Deo tanquam authore & causa principali gratiæ, sed etiam velut Dei ministri, & instrumenta, ipsos absolvant, & gratiam peccatorum remissivam conferant. Unde Richardus à S. Victore libro de potestate ligandi & solvendi cap. 21. hanc explicationem deridens & sugillans, sic ait: *Extat quorundam sententia tam frivola, ut ridenda potius quàm refellenda videatur; putant enim Sacerdotes non habere potestatem solvendi, sed ostendendi solutos: Sed nunquid Dominus dixit, Quod solutum ostenderitis, erit solutum? Dicunt Sacerdotes non habere potestatem remittendi peccata, cùm Dominus hoc dicat, & dicunt habere potestatem ostendendi remissa, cùm Dominus hoc non dicat.*

37. Dices: D. Hieronymus suprà illud Matthæi 12. *Tibi dabo claves regni cœlorum*, hæc scribit: *Hunc locum quidam non intelligentes, aliquid servant de supercilio Pharisæorum, ut damnare innoxios vel solvere se putent noxios, cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed eorum vita quæratur. In Levitico se ostendere Sacerdotibus jubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos vel mundos, sed discernunt qui mundi vel immundi sint.* Quibus verbis videtur Sacerdotes Evangelicos legalibus æquiparare in hoc quod sicut illi non mundabant leprosos, sed eos mundos esse judicabant: ita Sacerdotes Evangelici non justificant peccatores, nec eos mundant, sed eos mundos esse ostendunt: Ergo sensus formæ absolutionis est iste

iste præcisè, Ego declaro te esse absolutum, & à peccatis mundatum. Idque confirmari potest exemplo Lazari, qui priùs fuit à Christo resuscitatus, & postea à Discipulis vinculis solutus. Ex quo colligit Augustinus peccatorem priùs à Deo intus per gratiam vivificari, quàm à Sacerdote à vinculis absolvi.

38. Respondeo Hieronymum comparare Sacerdotes Evangelicos legalibus, non in eo quod sicut legales non mundabant, sed tantùm mundatos declarabant, sed in eo solùm quod sicut legales non poterant suo arbitrio discernere inter leprам & lepram, sed solùm juxta merita causæ, ita neque Sacerdotes Evangelici judicare debent aut possunt de peccatis, juxta suum beneplacitum, ita ut possint damnare innoxium, vel absolvere pravum, sed juxta uniuscujusque dispositionem.

39. Ad confirmationem respondet Divus Thomas opusc. 22. cap. 2. comparationem illam peccatoris cum Lazaro, moralem esse, non litteralem, subindeque ex illa nullum firmum argumentum posse deduci. Augustinus verò, & alij SS. Patres, qui dicunt peccatorem priùs à Deo vivificari per gratiam, quàm à Sacerdote absolvatur, explicandi sunt, non de perfecta vivificatione per gratiam sanctificantem, sed de imperfecta per gratiam excitantem, quæ inchoat vitam animæ per actum aliquem supernaturalem, ad quem movet & excitat peccatorem. Vel dici potest, quod SS. illi Patres solùm volunt, quod Deus sic interdum peccatorem prævenit, ut per contritionem charitate perfectam, ante sacramenti susceptionem, planè vivificetur.

40. Sequitur secundò ex dictis, sensum horum verborum, *Absolvo te*, non esse illum quem fingunt Gabriel & Nominales, nimirum, Ego eximo te ab obligatione subjiciendi peccata tua clavibus Ecclesiæ: remittere enim obligationem confitendi peccatum, non est propriè remittere peccatum ipsum. Addo quod hæc interpretatio non habet locum, quando quis absolvitur à solis venialibus, vel à mortalibus semel confessis; siquidem etiam ante absolutionem erat pœnitens liber ab obligatione talia peccata confitendi. Item qui absolvitur indirectè tantùm à reservatis, non liberatur ab obligatione confitendi illa superiori: Ergo falsa est illa interpretatio.

41. Sequitur tertiò, hæc verba, *Absolvo te*, non habere sensum illum quem Alensis & D. Bonaventura ipsis attribuunt, nempè remitto tibi pœnam temporalem peccatis tuis debitam, tum quia remittere pœnam temporalem non est propriè remittere peccatum ipsum: tùm etiam, quia fieri potest, ut quis cum tanta contritione accedat ad Sacramentum pœnitentiæ, ut ex vi talis contritionis remittatur ipsi tota pœna etiam temporalis, atque adeò non semper verificaretur forma Sacramenti pœnitentiæ.

42. Sequitur quartò, non valere modum explicandi Hugonis à S. Victore, asserentis hæc verba, *Absolvo te*, significare remitto tibi pœnam æternam pro culpa debitam. Nam hæc explicatio verba Christi & formæ absolutionis detorquet in sensum improprium: etenim pœna non est peccatum, licèt ex peccato orta sit; unde remittere peccata, & absolvere à peccatis, verè & propriè, non est remittere tantùm pœnam, ut suprà dicebamus. Præterea, pœna æterna simul cum culpa remittitur, & per consequens, si ante absolutionem culpa remissa est, ut vult iste Author, etiam pœna æterna fuit condonata, vel in temporalem commutata. Addo quod, habens solùm peccata venialia, verè absolvitur, & tamen ipsi non remittitur pœna æterna, cùm illa peccatis venialibus non sit debita. Ex quo etiam confutatus manet modus dicendi Joannis Medinæ, peccata enim venialia à regno cœlesti non excludunt: Ergo quando aliquis ab illis absolvitur, verba absolutionis hunc sensum efficere nequeunt: Ego aperio tibi januam regni cœlorum.

43. Verus ergo sensus horum verborum, *Ego absolvo te*, est ille quem assignat S. Thomas 3. part. qu. 84. art. 3. ad 5. ubi rejecto modo explicandi Magistri sententiarum, subdit: *Esset autem perfectior expositio: Ego te absolvo, id est Sacramentum absolutionis tibi impendo.* Quorum verborum sensus non est, ut falsò existimant aliqui, Ego tibi confero, vel applico Sacramentum absolutionis, esset enim explicatio frivola & nugatoria, quia idem per idem significaret; sed iste quem adducit Cajetanus: Quantùm est ex me verè te absolvo à vinculis, & peccata tibi remitto, seu tibi confero Sacramentum absolutivum à peccatis, & collativum gratiæ remissivæ. Unde in Sacramento informi, in quo propter indispositionem pœnitentis Sacramentum non confert gratiam, verificatur hæc forma; non quia reipsa detur gratia, sed quia Sacramentum, quantùm est ex parte sua, est gratiæ causativum, & ex vi & efficacia verborum eam causare intendit, licèt per accidens non detur. Est exemplum in Sacramento Ordinis, cujus forma ab Episcopo sic profertur: *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. hæc enim verba verum habent, etiam dum ordinatus est in statu peccati mortalis, quia faciunt hunc sensum, impendo tibi, quantùm est ex me, Spiritum Sanctum; cum quo tamen stat, non dari gratiam Spiritus Sancti habenti obicem. Similiter verificatur hæc forma, quando pœnitens justificatus ad hoc Sacramentum accedit, nam in tali casu accipit majorem gratiam per modum remissivæ, licèt actu non remittat peccata; sicut qui accipit per accidens primam gratiam in Eucharistia, accipit illam per modum nutritivæ.

44. Ex quibus intelliges, licitum esse de iisdem peccatis, validè confessis & remissis, novam petere absolutionem Sacramentalem, modò novâ confessione, & novâ contritione, vel attritione, subjiciantur clavibus Ecclesiæ; quia peccata, etiam validè confessa & remissa, novâ confessione & dolore informata, novam præbent materiam proximam, ut cum nova absolutione novum Sacramentum efficere valeant; sicut eadem aqua quæ est materia remota Baptismi, pluribus ablutionibus super diversas personas applicata, fit proxima materia capax plurium formarum Sacramentalium, subindeque plurium Baptismatum. Vel sicut idem oleum, quod est materia remota Extremæ-Unctionis, pluribus unctionibus, non modò diversis infirmis, sed eidem applicata, fieret proxima materia plurium formarum, ac proinde Sacramenti Extremæ-Unctionis. Addo quod, quando pœnitens de iisdem peccatis validè confessis & remissis iterum confitetur, verificatur forma absolutionis; quia tunc Sacramentum est verè absolutivum à peccatis, & verè confert gratiam remissivam, & à peccatis solutivam, quamvis per accidens pœnitens illorum peccatorum vinculis non sit ligatus: Ergo licitum est de iisdem peccatis validè confessis & remissis, novam petere absolutionem Sacramentalem. Quod potest confirmari tum ex communi usu & praxi fidelium

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidelium, qui sæpè generales confessiones de peccatis aliàs confessis facere solent, etiam si nullum dubium habeant quod priores fuerint invalidæ. Tum etiam ex Canone, *Quem pœnitet*, de pœnit. dist. 1. ubi sic dicitur : *Unde patet quod quantò pluribus confitebitur in spe venia turpitudinem criminis, tantò facilius consequetur indulgentiam remissionis.* Quibus verbis, non solùm approbatur modus confitendi eadem peccata pluribus Sacerdotibus, sed etiam additur causa impulsiva ad id faciendum, quæ est facilior consecutio remissionis peccatorum.

45. Dices, si Sacramentum pœnitentiæ circa eadem peccata iterari possit, poterit etiam iterari Sacramentum matrimonij circa easdem personas matrimonio jam ligatas; nam sicut per novam B confessionem Sacramentalem & dolorem eorundem peccatorum, ponitur nova materia proxima, supra quam cadere potest nova absolutio Sacramentalis; ita per novos actus & consensus conjugum super eadem corpora, ponitur nova materia proxima capax novi Sacramenti matrimonij.

46. Sed nego consequentiam & paritatem; materia enim proxima Sacramenti matrimonij, est prima sui traditio conjugi; prima autem traditio non potest iterari, circa eandem personam; in Sacramento verò pœnitentiæ materia proxima non est prima confessio, & primus dolor de peccatis, sed indifferenter prima vel secunda confessio, & primus vel secundus dolor; unde forma C absolutionis non significat determinatè primam remissionem peccatorum, sicut matrimonium primam sui traditionem conjugi, sed indifferenter primam vel secundam remissionem, juxta capacitatem subjecti.

ARTICULUS IV.

An absolutio dari possit scripto, vel absenti, vel saltem pœnitens absenti Sacerdoti per litteras aut internuntium confiteri?

§. I.

Referuntur sententiæ.

47. IN hujus celebris difficultatis resolutione tres reperio Authorum sententias. Prima affirmat absolutionem impendi posse per litteras, & absenti, subindeque nec esse de essentia Sacramentalis absolutionis ut proferatur voce humanâ, nec quod pœnitenti præsenti impendatur. Ita docuere quidam antiqui Theologi, quorum sententiam ferè extinctam & obliteratam renovarunt & suscitarunt in Hispania aliqui ex Patribus Societatis, qui ut refert P. Dufai in Tractatu de pœnitentia, hanc sententiam non solùm in privatis suis collegiis, ut Vallisoleti, Salmanticæ, Compluti, tanquam veriorem docuerunt, nullâ initio adjectâ necessitatis aut articuli mortis limitatione, quam post acres & frequentes præcipuè nostrorum disputationes appoluerunt, verùm etiam aliqui ex ipsis eam typis mandarunt, ut Henricus Henriquez in sua Summa morali, cujus rei causâ prohibitam fuisse donec emendaretur, testatur Joannes Baptista Possevinus, Archipresbyter Mantuanus lib. de officiis curati cap. 15. Henricum secutus est Emanuel Sa in suis Aphorismis Antuerpiæ anno 1599. & sequenti Lutetiæ edi- A tis, ubi sic ait : *Non licere absenti per nuntium aut per scriptum confiteri, quidam aiunt, ego cum illis sentio, qui & id concedunt, & posse absentem etiam per scriptum absolvi, aut per nuntium.* Et rursus : *Absolvi posse absentem alij aiunt, alij negant. Ego puto posse, cùm causa subest, ut si absolvisti quem non poteras, acceptâ postea absolvendi potestate, si commodè non potest vocari ad te, possis absentem absolvere, non solùm ab excommunicatione, sed etiam à peccatis. Quòd si meritò dubitas an ad absolutionem sit dispositus, potes mente addere conditionem, si es dispositus.* Verùm Aphorismi illi ab hoc & aliis erroribus, à Magistro sacri Palatij expurgati sunt, cujus correctionis & censuræ (quam iniquam vult fuisse, & ex solo livore Dominicanorum in suos natam) conqueritur Theophilus Raynaudus in dissertatione de Epistolari confessione, ubi etiam suadere conatur, sententiam istam nostris Thomistis olim fuisse communem, & refert ex Facundez, opinionem de licita & valida absolutione absenti impartita, ex familia sancti Dominici ortam fuisse, & adoleviſſe, ac denique in ejusdem familiæ sinu extinctam atque sepultam esse. Idem asserunt Suarez, Conink, & alij Societatis scriptores. Verùm hanc calumniam depellit P. Baronius tomo 1. Theologiæ moralis disp. 1. sect. 3. art. ultimo, ubi ostendit, nullum Thomistarum clarè asseruisse, integrum Sacramentum licitè & C validè confici inter absentes, cùm S. Thomas in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 4. satis apertè docuerit, nullam esse confessionem Sacramentalem absenti factam, quia asserit *utilius esse in extrema necessitate confiteri Laico præsenti, quàm Sacerdoti absenti.* Si qui ergo Thomistarum asserant, pœnitentem absenti Sacerdoti per litteras aut internuntium confessum, validè ab illo posse absolvi, solùm volunt, quod ubi pœnitens per litteras misit peccata sua absenti Confessario, si postea in præsentia ejus dicat, quod de omnibus illis se accusat, potest ab eo præsente validè absolvi; quia tunc fit Confessio in præsentia Sacerdotis, cùm idem sit scriptum illud ratificare in præ- sentia Sacerdotis, ac illi præsenti confiteri. Unde D immeritò citantur pro sententia jam adducta & explicata, vel pro alia quam amplectuntur Suarez, Vazquez, Toletus, Amicus, Bonacina, & alij Recentiores, existimantes, quod quamvis absolutio non possit pœnitenti absenti per scriptum vel nuntium impendi, posse tamen pœnitentem, qui per litteras vel nuntium absenti Sacerdoti confessus est, ab eo postea præsente, nullâ aliâ peccatorum confessione intercedente, absolvi. Tertia ergo sententia, quæ in schola D. Thomæ communis est negat tam absolutionem quàm Confessionem fieri posse absenti, subindeque pœnitentem absenti Sacerdoti per litteras aut internuntium confessum, non posse E ab eo præsente postea sine nova Confessione validè absolvi.

§. II.

Vera sententia tribus sequentibus conclusionibus statuitur.

48. DICO primò, de essentia absolutionis esse, ut voce humanâ proferatur, subindeque absolutionem in scriptis datam, esse invalidam.

Probatur primò ex Concilio Florentino & Tridentino asserentibus verba esse formam cujuslibet Sacramenti, à qua deinde lege excipiunt solum

lum Sacramentum matrimonij, dicendo in hoc A cerdoti per litteras aut internuntium Sacramentaliter confiteri.

regulariter tantùm verba esse necessaria; specialiter verò de forma Sacramenti pœnitentiæ asserunt esse verba quæ Sacerdos profert dum dicit, *Ego te absolvo*, &c. Ex quibus sic arguo : Vel illa Concilia loquuntur de verbis propriè dictis, seu voce humanâ prolatis, vel de verbis impropriè, accipiendo verbum pro eo omni quod supplet vicem ipsius, ut sunt nutus & scripta? Secundum dici non potest, aliàs immeritò à lege universali excepissent prædicta Concilia Sacramentum matrimonij, quia semper in illo requiruntur verba propriè vel impropriè dicta : Ergo primum est admittendum, subindeque de essentia absolutionis est ut voce humanâ proferatur.

49. Probatur secundò ex D. Thoma 3. part. q. 60. B art. 6. ubi docet Sacramenta novæ legis essentialiter constare verbis humanis; ex quo inferunt Theologi contra Scotum, Angelos de via ordinaria non posse ministrare Sacramenta, etiam per corpora assumpta, quia nequeunt in illis humana verba proferre; utpote cùm locutio humana sit actio vitalis procedens à principio intrinseco, locutio verò ab Angelis formata in corporibus assumptis, fiat ab ipsis Angelis solùm extrinsecè assistentibus hujusmodi corporibus. Sicut ergo forma reliquorum Sacramentorum, solo excepto matrimonio, propriis verbis humanis proferenda est (nemo enim unquam dixit Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, C Ordinem, Extremam-Unctionem perfici tantùm scripto) ita & forma Sacramenti pœnitentiæ. Idque conveniens est, tum ex parte Sacramenti, tum ex parte Ministri, tum ex parte pœnitentis. Ex parte quidem Sacramenti, quia cùm sit judicium quoddam solemne pietatis divinæ quo reus homo absolvitur, debet sententia absolutionis, sicut in aliis judiciis solemnibus, voce humanâ proferri. Ex parte verò Ministri, quia valde ipsi honorificum est, quod expressis & formalibus verbis peccatorem absolvat, & peccata dimittat. Ex parte demum pœnitentis, quia majorem habet certitudinem suæ justificationis, audiens sub expressis & formalibus verbis D latam suæ absolutionis sententiam.

Dico secundò, absolutionem non posse dari absenti.

50. Probatur conclusio ratione fundamentali, quam insinuat Cajetanus in Summa verbo *Confessio* conditione 11. petiturque ex verbis illis formæ *Absolvo te*, nam particula *te*, vel æquivalens, expressè ad personam præsentem dirigenda est, juxta Christi institutionem; sicut in Eucharistia verba, *Hoc est*, ad materiam præsentem diriguntur : Unde sicut Sacerdos non potest consecrare panem absentem; ita nec pœnitentem absentem Sacramentaliter absolvere.

51. Dices, Pœnitens potest absolvi per hanc formam, *Absolvo Petrum*, vel *Absolvatur Petrus*, E quæ non necessariò designat præsentiam absolvendi : Ergo ratio videtur inefficax.

Sed contra : Eatenus pœnitens potest absolvi per hanc formam, *Absolvo Petrum*, vel *Absolvatur Petrus*, quatenus æquivalet isti, *Absolvo te*, subindeque quatenus ex circunstantiis intelligitur de Petro personaliter præsente : Ergo licèt pœnitens absolvatur per hanc formam, *Absolvo Petrum*, vel *Absolvatur Petrus*, si tamen ille sit absens, solutio erit invalida. Hæc conclusio magis patebit ex dicendis in sequenti.

Dico tertiò, pœnitens non potest absenti Sa-

Probatur primò ex Tridentino sess. 14. cap. 2. 52.
ubi dicitur, *eos qui se crimine aliquo post Baptismum contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, sed ante hoc tribunal* (pœnitentiæ) *tanquam reos sisti voluit Christus, ut per Sacerdotum sententiam, quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari.* Sed ante tribunal sisti, aut confugere ad tribunal, nihil est aliud, nisi præsenti confiteri præsentem, & peccata manifestare per seipsum : Ergo ex Tridentino Christus Dominus instituit ut Confessio fieret præsenti Sacerdoti.

Probatur secundò exemplo leprosorum, qui se 53.
Sacerdotibus ostendere jussi sunt, ut de lepra purgata judicarent; per hoc enim necessarium esse indicatur, ut pœnitentes coram Confessario Sacerdote se sistant, ac præsentes peccata sua per seipsos declarent, & absolutionem ab illis recipiant. Unde in Decreto dist. 1. de pœnit. cap. *Quem pœnitet* ex cap. 10. libri de vera & falsa pœnitentia, qui inter opera Augustini reperitur, sic dicitur : *Præcepit Dominus mundandis ut ostenderent ora Sacerdotibus* (Lucæ 17.) *docens corporali præsentiâ confitenda peccata, non per nuntium, aut per scriptum manifestanda : Dixit enim ora monstrate; & omnes, non unus pro omnibus : Non alium statuatis nuntium qui pro vobis offerat munus à Moyse statutum; sed qui per vos peccatis, per vos erubescatis, erubescentia enim ipsa partem habet remissionis; in hoc enim quod per seipsum dicit Sacerdoti, & erubescentiam vincit timore offensi, fit venia criminis, &c.* Quibus verbis apertè docetur, Confessionem soli præsenti Sacerdoti posse fieri. Unde paulò inferiùs subditur : *Tanta itaque vis Confessionis est, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo, sæpè enim contingit quod pœnitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert; etsi ille cui confitetur potestatem solvendi non habeat, sit tamen dignus veniâ, ex Sacerdotis desiderio, qui socio confitetur turpitudinem criminis.* Similia docet S. Thomas suprà quæstione 9. art. 3. ad 3. ubi D ait *quod in absentia proprij Sacerdotis, etiam potest laico fieri Confessio, & ideò non oportet quod per scriptum fiat.* Ex quibus apertè colligitur, nullam esse Confessionem Sacramentalem absenti Sacerdoti factam; si enim illa esset valida, malè consuleret S. Thomas, & Author libri de vera & falsa pœnitentia, in extrema necessitate confiteri potius laico præsenti, quàm Sacerdoti absenti.

Probatur tertiò conclusio ex decreto Clemen- 54.
tis VIII. qui cùm celebrem istam controversiam, quæ inter Patres Jesuitas & Dominicanos versabatur, & in Hispania præcipuè, magno animi ardore & contentione agitabatur, ad suum tribunal advocasset, re attentè & maturè considerata, & auditis omnium Ordinum Theologis, damnavit illam Sacramenti pœnitentiæ administrationem per Epistolam inter absentes, quam nonnullis libris editis Patres Societatis docebant, & quam rumor erat à pluribus illorum usurpari & ad praxim reduci. Emanavit itaque decretum à Pontifice, cujus hæc sunt verba. *Die 20. mensis Junij anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1602. in Generali Congregatione S. Romanæ & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in monte Quirinali, coram Sanctissimo Domino nostro Clemente, divinâ providentiâ, Papa*

Universidad de Deusto
Biblioteca

octavo. Propositâ quæstione utrum liceat per litteras seu internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere? Sanctissimus Dominus noster, auditis votis Patrum Theologorum, & re cum illustrissimis & Reverendissimis Dominis Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, maturè ac diligenter consideratâ, hanc propositionem, scilicet licere per litteras, seu internuntium Confessario absenti, peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente, absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam, damnavit, ac prohibuit, præcipitque ne deinceps ista propositio, publicis, privatisque lectionibus, conciombus, & congressibus, doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de ea disputativè tractaverit, nisi forsan impugnando, vel ad praxim, seu directè vel indirectè deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, & a qua non possit, præterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgenti, & S. Romanæ Ecclesiæ majori Pœnitentiario, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi: aliis etiam pœnis arbitrio infligendis subjaceat.

55. Adversarij videntes se hoc Pontificis decreto manifestè perstringi, suamque de Epistolari confessione damnari sententiam, ut vim ejus declinarent, duplicem excogitarunt solutionem seu explicationem. Aliqui dixerunt, supra dictam de absentis confessione opinionem, ut illicitam quidem, sed non ut invalidam, à Clemente fuisse rejectam; quia nimirum dixit hanc propositionem à se damnari, *licere per litteras absenti confiteri*, nec de validitate vel invaliditate quidquam dixit. Alij verò affirmarunt, hoc tantùm decreto prohiberi, ne absenti absolutio detur, non prohiberi verò ne absenti confessio fiat; nec damnari confessionem absenti factam, sed duntaxat absolutionem absenti datam. Unde dixerunt, Pontificem non damnasse utramque partem supra dictæ propositionis disjunctim seu divisim, sed collectivè tantùm & conjunctivè. Ita Suarez tomo 4. ad 3. p. disp. 21. sect. 4.

56. Verùm neutra interpretatio potest subsistere. Non quidem prima, nam quòd Pontifex Epistolarem confessionem factam absenti, nedum ut illicitam, sed etiam ut invalidam proscribat, & quòd non solùm vetet ne factum liceat, sed etiam ne factum teneat, declaret, apertè ex his verbis colligitur: *Neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut in praxim quovis modo deducatur.* Si enim confessio facta absenti per epistolam aut internuntium valida esset, esset etiam licita in aliquo casu, urgente nimirum extremâ necessitate salutis, quo tempore omnia media valida, sunt licita, id exigente supremo periculo æternæ damnationis; ut si aliter moribundus salutem consequi non valeat, quia nec Sacerdotem præsentem habere potest, nec probabiliter sperat se contritionem habiturum. Unde si validè quis posset confiteri absenti, hoc nullâ humanâ potestate, etiam Pontificiâ, prohiberi posset in tali casu, cum dispendio salutis animæ: Cùm ergo Pontifex strictissimè, & sub pœna excommunicationis sibi reservatæ, opinionem illam quæ asserit licere absenti per Epistolam vel internuntium confiteri, quovis modo, aut in quocunque casu ad praxim deducere prohibeat, manifestum est ipsum censere talem confessionem esse invalidam, & non solùm illicitam.

Non valet etiam interpretatio Suaris. Nam 57.
ut rectè discurrit Vincentius Candidus tomo 1. disquisitionum moralium disquisit. 24. art. 25. dubitatione 6. Quando utraque pars propositionis copulativæ revocatur in controversiam, si Summus Pontifex damnat propositionem hypotheticam, censetur utramque partem divisivè damnare, ut videmus in propositionibus hypotheticis damnatis in Concilio Tridentino sess. 6. can. 4. & 9. & sess. 13. canone etiam 4. & 9. & sess. 24. can. 2. 3. & 9. At in præsenti casu non erat tantùm controversia de toto copulato sed etiam de utraque parte copulativæ seorsim sumpta, & præsertim de confessione facta per litteras seu internuntium Confessario absenti, ex qua non minora pericula, incommoda, & scandala oriuntur, quàm ex absolutione per litteras pœnitenti absenti transmissa: Ergo Pontifex utramque partem supra dictæ propositionis disjunctivè ac divisivè damnavit, suoque decreto, non solùm prohibuit ne absolutio absenti detur, sed etiam confessionem absenti factam damnavit.

Confirmatur: Si Pontifex disjunctivè tantum 58.
partes supra dictæ propositionis hypotheticæ damnasset, neutra pars illius esset determinatè damnata, & consequenter sicut Adversarij volunt quod sit solùm damnata ratione secundæ partis, ita liceret aliis dicere, quod sit damnata solùm, ratione primæ partis, & sic utraque pars illius propositionis divisivè sumpta esset probabilis, & æquè liceret Sacerdoti absolutionem transmittere per litteras pœnitenti, ac ipsi pœnitenti per litteras vel internuntium confiteri Sacerdoti absenti, subindeque totum pœnitentiæ Sacramentum posset peragi inter absentes. Unde interpretatio illa Suaris, non solùm à Clemente VIII. sed etiam à Paulo V. fuit reprobata, qui insuper jussit ut ex tomo 4. Suaris in 3. p. sectio integra, interpretationem illam continens, amoveretur, ut patet ex decreto facto in generali Inquisitione, & his verbis expresso. *Die 14. Julij 1605. propositâ causâ P. Francisci Suarez Jesuitæ, & consideratis his quæ scripsit tomo 4. in 3. partem S. Thomæ sect. 4. disp. 21. interpretando decretum felicis recordationis Clementis Papæ octavi die 20. Junij 1602. quo damnavit hanc propositionem, videlicet licere per litteras seu internuntium, Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere, ac etiam maturè discussis his quæ idem P. Suarez adduxit in defensionem suæ interpretationis; auditis votis illustrissimorum Dominorum Cardinalium, Sanctissimus decrevit, dictam interpretationem non subsistere, & ideò amovendam esse ab ejus libris, juxta decreta alias facta à felicis recordationis Clemente Papa VIII. de quibus in actis S. Officij.*

Item in alio decreto ejusdē Congregationis 20. 59.
Julij ejusdem anni, sic habetur: *Ex libro Francisci Suarez Jesuitæ tomo 4. ad 3. p. disp. 23. sect. 1. num. 12. amoveantur infrascripta verba, videlicet:* Atque ex hac resolutione, &c. usque in absentia Confessoris. *Idem P. Suarez corrigat suum librum, & antequam evulget, ostendat huic Congregationi.* Et rursus die 18. Augusti ejusdem Congregationis aliud editum fuit decretum hujus tenoris: *Sanctissimus decrevit ex tomo 4. P. Suarez Jesuitæ in 3.*

in 3. p. S. Thomæ disp. 21. de confessione, sectionem quartam cui titulus est, Utrum de necessitate confessionis sit ut pœnitens Sacerdoti absenti immediatè & per seipsum revelet peccata sua? *totam esse amovendam, nec aliam ejus loco subrogandam.* Ex quibus liquet, interpretationem Patris Suaris non posse subsistere. Unde mirum est quod adhuc aliqui ex Patribus Societatis eâ utantur, ut videre est apud Franciscum Amicum tomo 8. disp. 11. sect. 4. num. 62. ubi hæc scribit: *Ex his sequitur propositionem Pontificis intelligi conjunctivè, ut non liceat per litteras simul confiteri & absolvi, non disjunctivè, quoad confessionem duntaxat. Atque hoc voluit tantùm P. Suarez, cum Bullam Clementis explicavit; neque ob aliam causam Pontifex integram sectionem ex ipsius tomo delendam præcepit, nisi quia nolebat, ut ipso vivente, ejus Bulla declararetur.* Duo certè in hoc Authore reprehensione digna sunt: Unum, quòd interpretationem illam Suaris, ter vel quater à Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. in Congregatione Generali Romanæ Inquisitionis reprobatam, adhuc post tot prohibitiones usurpare audeat, & ut veram ac legitimam admittat. Alterum, quòd asserat non aliam ob causam Clementem VIII. præcepisse integram sectionem ex tomo Suaris avelli, nisi quia nolebat ut ipso vivente ejus Bulla declararetur. Nam quod hæc talis præcepti vera & legitima causa non fuerit, ex eo liquet, quòd post Clementis VIII. obitum, Paulus V. illius successor, ter idem jusserit, triplici decreto suprà adducto. Certè sui ceriores & cautiores sunt, Delugo, Aversa, & Martinonus, qui ingenue fatentur, interpretationem illam Suaris, à mente Pontificis prorsus esse alienā, & prædictam propositionem, non divisim tantùm, sed conjunctim, & quoad utramque partem, fuisse ab illo damnatam.

60. Demum suaderi potest conclusio hoc discursu: In casu quo fieret confessio Sacramentalis per litteras Sacerdoti absenti, vel ipse Sacerdos lectâ confessione proferret voce sensibili absolutionem, vel scriptam mitteret ad pœnitentem, vel accederet ad pœnitentem, ipsumque præsentem absolveret? Primum & secundum dici nequeunt, quia ut in prima & secunda conclusione ostendimus, & fatetur Suarez, absolutio data in scriptis, vel absenti impensa, invalida est. Si verò tertium dicatur, quæro, an pœnitens post adventum Sacerdotis, in ejus præsentia ratificet confessionem factam per litteras, & de peccatis per epistolam declaratis petat absolutionem, vel non, sed tantùm Sacerdos in præsentia absolvat eum, virtute scripti ad se missi? Si primum, cessat præsens difficultas, & casus de quo disputamus; fit enim tunc confessio in præsentia Sacerdotis, quia idem est scriptum illud ratificare in præsentia Sacerdotis, & absolutionem ab eo petere, ac ipsi confiteri, certificatur enim tunc Sacerdos in præsentia pœnitentis de ejus statu. Secundum verò dici nequit, nam si Sacerdos pœnitentem absolvat in virtute scripti priùs ad se missi, nullam scripti ratificationem à pœnitente exigendo, perinde est ac si illum absolveret in absentia, & eadem sequuntur inconvenientia; quia per talem præsentiam non magis certificatur Sacerdos de statu pœnitentis, quando profert absolutionem, quàm per scriptum certificabatur; & potest contingere quod pœnitens mutaverit voluntatem, & careat dolore de peccatis quem habuit antea, sitque tunc in actuali affectu ad homicidium vel fornicationem, subindeque quod Sacerdos supra materiam indebitam proferat absolutionem.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusio- 61.
nem: Non est de essentia Sacramenti pœnitentiæ, ut Confessio voce fiat, seu per locutionem oris vocalem; unde potest fieri nutibus, vel scripto, cùm muti ad Confessionem admittantur, quos tanto bono & tali remedio privari non est conveniens: Ergo similiter non est de essentia absolutionis, ut voce humanâ proferatur, sed nutibus vel scripto dari potest.

Respondeo, concesso Antecedente, negando 62.
consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est primò, quia in Sacramentis forma debet esse expressior quàm materia; unde cùm in Sacramento pœnitentiæ absolutio habeat rationem formæ, & Confessio rationem materiæ, nihil mirum si lex & traditio divina, verba exigat ut sua vis absolutioni constet, Confessionem verò patiatur vagam & indeterminatam esse, & verbo, nutibus, scripto, vel per interpretem fieri. Unde Sacramentum pœnitentiæ medium est inter Matrimonium & alia Sacramenta; nam cùm præcipuâ sui parte, nempè absolutione, ad alia Sacramenta accedat, quæ nulla sunt nisi verbo administrentur, Confessio quæ est pars altera, habens rationem materiæ, similior est Matrimonio, quod non solùm verbis, sed etiam scriptis vel nutibus contrahi & peragi potest.

Secunda ratio discriminis est, quia plures cau- 63.
sæ moraliter impedire possunt pœnitentem à Confessione vocali, quàm Sacerdotem à vocali absolutione; constat enim quod omnes, muti, barbari, & ignotæ linguæ homines, verbis nequeunt confiteri, unde ut scripta, vel nutus, aut interpretem adhibeant, necesse est. Sacerdos verò, cùm possit verbis efferre quæ sentit vel judicat, vix ullæ causæ occurrunt, quæ ipsum à vocali formæ prolatione impedire valeant; ideóque rectè à Christo institutum est, ut absolutio nonnisi verbis impendi possit, licèt Confessio scriptis, & nutibus, vel per interpretem fieri valeat.

Objicies secundò: Absolutio ab excommuni- 64.
catione, data in scriptis, valida est: Ergo & absolutio à peccatis.

Sed nego consequentiam & paritatem, non enim eadem est ratio de absolutione ab excommunicatione, ac de absolutione à peccatis; sicut enim absolutio ab excommunicatione non requirit certam formam verborum, ita nec verba propriè dicta, quia non operatur ut instrumentum Christi ad effectum supernaturalem, sed ut instrumentum absolventis, qui in absolvendo ab excommunicatione, ut principalis author, ipse sibi instrumentum determinat. Vide quæ suprà art. 2. §. 2. ex opusc. 22. D. Thomæ retulimus.

Objicies tertiò contra secundam conclusio- 65.
nem: S. Thomas Cantuariensis absens absolutionem petiit à Sede Apostolica, teste Scoto in 4. dist. 17. Et Sanctus Cyprianus lib. 3. Epist. 17. ait quod lapsi per Epistolam reconciliationem ab ipso petierunt: Ergo absolutio absenti data, valida est.

Ad exemplum de S. Thoma Cantuariensi res- 66.
pondent

Universidad de Deusto
Biblioteca

pondent aliqui Recentiores, factum illud incertum esse ac dubium, quia Scotus non refert unde historiam illam desumpserit. Verùm illi in historia Ecclesiastica parùm versati sunt, cùm Baronius in Annalibus tomo 12. ad annum 1164. num. 6. illud plenè referat. Unde respondetur quod S. Thomas Cantuariensis, absolutionem Sacramentalem à Sede Apostolica non postulavit, nec eam illi Alexander III. dedit, sed canonicam tantùm; propterea quod non satis animosè in Consilio Regis Angliæ jura Ecclesiæ à se defensa fateretur, & se indignum esse Sacerdotio propter hoc ipsum judicaret, ut ex illius ad Pontificem Epistola, & ex Pontificis rescripto manifestum est, sic enim habet: *Si te recolis aliquid commisisse de quo propria te debeat conscientia remordere, quidquid sit, Sacerdoti qui discretus & providus habeatur, tibi confitimus per pœnitentiam confiteri: Quo facto misericors Dominus, qui multò amplius ad cor respicit, quàm ad actus, tibi consuetæ pietatis suæ miseratione dimittet: Et nos de Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, meritis confidentes, te ab eo quod est commissum absolvimus, & id ipsum fraternitati tuæ authoritate Apostolicâ relaxamus.* Et ut eum ad Sacerdotem ire monet, ac ei confiteri, ut nimirum absolutionem Sacramentalem ab eo recipiat, propter quam solam Confessio fieri solet Sacerdoti: Ergo absolutio Pontificis non fuit Sacramentalis, sed canonica tantùm, seu à censuris quas incurrisse videbatur, ob jura Ecclesiæ non satis animosè defensa. Unde subdit Pontifex, quod à Missarum solemniis, vel celebratione abstinere deinceps non debeat, quod potissimùm ad censuræ quam sanctus ille Episcopus & Martyr formidabat, absolutionem pertinere videtur.

67. Ad locum Cypriani dico, ex illo potiùs colligi oppositum, sic enim habet: *Si qui infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præsentiam nostram, quin apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possit.* Ubi manifestè præsentiam requirit, nec agit de absolutione Sacramentali; alioquin non scriberet, eam in defectum Presbyteri, committi posse Diacono.

68. Objicies quartò; Sacramentum pœnitentiæ institutum est per modum judicij, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 5. unde absolutio Sacramentalis est quædam sententia in foro conscientiæ data: Sed in judicio forensi Judex absolvere potest absentem: Ergo in Tribunali pœnitentiæ Sacerdos poterit pœnitentem absentem à peccatis absolvere.

69. Respondeo quod licèt Sacramentum pœnitentiæ sic institutum per modum judicij, non tamen quoad omnia convenit cum judicio forensi, sed in multis differt ab illo. Primò quia in tribunali pœnitentiæ, idem est accusator, testis, & reus, quia est judicium voluntariè initum. Secundò, quia ipsi reo credendum est in his quæ contra vel pro se profert, quia est in favorem ipsius rei institutum. Tertiò, quia in tali judicio sententia pronuntiari debet sub expressis ac formalibus verbis, quia est expresè significativum justificationis impij. Quartò, quia Judex forensis non absolvit ab intrinseca culpa; quasi statum internum rei vel affectum immutans, sicut Sacerdos absolvit confitentem, ex vi divinæ potestatis cujus est administer. Ex quo fit, quod in judicio forensi Judex absolvere possit absentem, non verò Sacerdos in tribunali pœnitentiæ.

70. Dices, contingere potest quod Sacerdos habeat certitudinem moralem de statu & dispositione pœnitentis absentis, quando nimirum Sacerdos & pœnitens tam parùm abinvicem distant, ut licèt unus alterũ videre vel audire non possit, propter exiguum tamen spatium loci quod nuntius impendere debet ut adeat Sacerdotem, moraliter præsumi non potest, pœnitentem suam voluntatem aut dispositionem in tam brevi tempore mutasse: Ergo tunc poterit Sacerdos pœnitentem absentem, qui per internuntium peccata confessus est, Sacramentaliter absolvere.

Respondeo, dato Antecedente, negando Consequentiam, quia ad validitatem sacramenti Pœnitentiæ, non sufficit ut minister certus sit moraliter de dispositione pœnitentis, sed etiam requiritur, ut sit præsens, ad hoc ut verificetur forma.

71. Objicies quintò: Sacramentum Matrimonij inter absentes per procuratorem celebrari potest: Ergo & sacramentum Pœnitentiæ.

Huic argumento dupliciter respondent Thomistæ: Aliqui negant Antecedens, existimantes matrimonium per procuratorem initum inter absentes, non esse verum sacramentum, sed tantùm civilem contractum; fieri autem sacramentum, quando postea contrahentes præsentes ratificant matrimonium per procuratores contractum. Alij verò, concesso Antecedente, negant consequentiam & paritatem, tum quia, inquiunt: matrimonium non perficitur certâ formâ verborum quæ requirat præsentiam contrahentium, benè tamen sacramentum Pœnitentiæ. Tum etiam, quia matrimonium importat contractum civilem, qui sæpè debet fieri inter absentes; quia bonum Reipublicæ quod respicit, id requirit. Quæ ratio non currit in sacramento Pœnitentiæ, utpotè quod non per se ordinatur ad bonum publicum & temporale, sed ad bonum privatum & spirituale pœnitentis. Addo hanc inter matrimonium & alia sacramenta esse differentiam, quòd ad cætera omnia requiruntur materia & forma physicè existentia dum sacramentum celebratur: ad matrimonium verò sufficit materia & forma moraliter existens, qualis sufficit ad naturam contractûs validi. Quemadmodum etiam ad cætera sacramenta requiruntur essentialiter ex parte formæ verba propriè dicta, & ore prolata; ad matrimonium verò sufficiunt nutus aut alia signa sufficienter exprimentia consensum internum. Utraque solutio probabilis est, quæ verò sit probabilior, in Tractatu de Matrimonio resolvemus. *Disp. 2. art. 2.*

72. Objicies sextò contra tertiam conclusionem. Pœnitens confiteri potest per interpretem: Ergo & per internuntium, aut per epistolam. Unde causâ 3. quæst. 5. cap. *Qualis*, adulteræ pœnitentia *per scripturam recipienda* decernitur.

Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem, notabile enim reperitur discrimen inter eum qui confitetur peccata per litteras vel nuntium, & illum qui exponit peccata sua Sacerdoti per interpretem, ex quo nostra sententia illustrari & confirmari potest. Ille enim qui peccata confitetur per interpretem, signo & nutu actualiter ostendit Sacerdoti quod ipse dicat id quod interpres dicit; at verò quando internuntius refert peccata Sacerdoti, aut litteræ in quibus scripta sunt, ab eo leguntur; vel pœnitens se habet merè negativè, vel saltem cùm

cùm sit absens, signo aut nutu non ostendit se dicere Sacerdoti quod internuntius aut littera dicit: quare licèt pœnitens præsenti Sacerdoti per interpretem confessus, possit validè absolvi, non tamen pœnitens qui solùm per litteras aut internuntium, ei absenti manifestavit sua peccata.

73. Ad id verò quod additur ex cap. *Qualis* de pœnitentia adulteræ scripto recipienda, dicendum est, vel corruptum esse Gratiani exemplar, & sic corrigendum, *Pœnitentia illi accipienda*, id est suscipere injunctam sibi pœnitentiam debet, ut ab adulterio absolvatur, ut appendix ibi notat, & in capitularibus Caroli Magni libro 7. cap. 127. exprimitur. Vel de pœnitentia sacramentali verba illa intelligenda non esse, sed de ea tantùm pœnitentia, quam adultera exhibet marito, ut se fideliorem fore profiteatur.

§. IV.

Solvitur difficile argumentum, de absolutione moribundi, qui in absentia Sacerdotis signa contritionis exhibuit.

74. POtest hoc argumentum sic breviter proponi. Moribundus qui ante adventum Sacerdotis ostendit signa pœnitentiæ, & petit confiteri; ipso verò Sacerdote adveniente, omnem usum rationis amisit, ita ut ipso præsente non possit confiteri, nec ullum signum doloris ostendere; si tamen præsentes fide digni testentur ipsum dedisse signa pœnitentiæ, & hoc sacramentum reconciliationis postulasse, potest validè, imò & debet absolvi: Ergo in aliquo casu valere potest confessio facta in absentia Sacerdotis. Consequentia videtur manifesta, tunc enim Sacerdos non audit confessionem in præsentia, nam perinde est ac si infirmus confessus esset per scriptum vel nuntium. Antecedens verò probatur multipliciter, nempè authoritate Conciliorum, Pontificum, SS. Patrum, & Ritualis Romani, jussu Pauli V. editi, ac demum ratione. In primis enim in Concilio Carthaginensi IV. cap. 77. sic habetur: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit; dent testimonium qui eum audierint, & accipiat pœnitentiam; & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.* Deinde in Concilio Arausicano I. cap. 11. sic dicitur: *Subitò obmutescens (prout statutum est) baptizari & pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut pœnitentis in suo nutu.* Item Leo Papa Epist. 91. ad Theodorum Forojulien-sem Episcopum, hac de re consultus respondit: *Quod si ægritudine gravati (illi qui pœnitentiam petunt) quod ante piscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonium eis fidelium & circunstantium prodesse debebit, ut simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur.* Demum Paulus V. in suo Rituali sic præscribit: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat: nutibus & signis conetur Sacerdos, quod fieri potuerit, peccata pœnitentis cognoscere. Quibus utcunque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se sive per alios ostenderit absolvendus est.* Ergo juxta Concilia, Pontifices, & SS. Patres, ac Rituale Pauli V. potest & debet Sacerdos absolvere moribundum, qui ipso absente, signa contritionis exhibuit, subindeque in eo casu Confessio moribundi valida est, licèt facta sit in absentia Sacerdotis.

75. Ratio etiam id suadet: Nam si talis Confessio esset invalida, vel hoc proveniret ex eo quod non esset expressiva peccatorum in particulari, vel quia fieret aliorum testimonio? Sed ex neutro capite invalida dici potest. Non quidem ex primo, quia ad validitatem Confessionis sufficit expressio peccati in genere, ut docet D. Thomas in 4. dist. 21. quæst. 2. art. 2. de eo qui recordatur se peccasse, & oblitus est peccati in specie; nam tunc potest & debet confiteri peccatum in genere: Sed confessio per signa æquivalet Confessioni peccatorum in genere; nam per eam pœnitens testatur se peccasse, & Confessor novum format judicium quod antea non habebat: Ergo &c. Neque etiam ex secundo, alioquin non possemus per interpretem confiteri; Confessio enim moribundi facta Sacerdoti per testem, æquivalet Confessioni per interpretem; nam sicut interpres refert peccata confitentis Confessori; ita testis peccata moribundi Sacerdoti: Ergo &c.

76. Huic argumento respondent aliqui ex nostris Thomistis, negando Antecedens, existimant enim, non posse sacramentaliter absolvi moribundum, qui signa tantùm doloris ostendit: Tum quia Confessio (inquiunt) est pars essentialis hujus Sacramenti: Sed qui signa tantùm doloris ostendit, non confitetur: Ergo non potest Sacramentaliter absolvi. Tum etiam, quia hoc Sacramentum est essentialiter judicium, quod cadere non potest, nisi in rem individualiter notam: Ergo non sufficit Confessio generalis, quâ pœnitens fatetur se peccasse. Ita Soto, Victoria, Cano, Navarrus, Ledesma, Candidus, & alij, qui ad prædicta testimonia Conciliorum, Pontificum, & SS. Patrum respondent, iis locis non esse mentionem de absolutione Sacramentali à peccatis, sed de remissione pœnæ publicæ peccatoribus ad statum pœnitentium admissis vel admittendis adjunctæ. Ad Rituale verò Pauli V. respondet Candidus, in eo sermonem esse de infirmo, cui solùm vox & loquela deficit, & à quo nutibus & signis potest Confessarius peccatum aliquod in genere dignoscere, putà quod in peccatum carnis lapsus est, licèt peccati hujus speciem minimè intelligat.

77. Verùm hæc solutio displicet: Primò quia Concilium Carthaginense loqui de absolutione Sacramentali, constat ex verbis illis quæ retulimus: *Et si continuò creditur moriturus, infundatur ori ejus Eucharistia*, hæc enim dari non solet, nisi prævià absolutione Sacramentali. Idem patet de Sancto Leone, & agnoscit S. Thomas 3. part. quæst. 84. art. 3. ad 2. Nam sanctus ille Pontifex paulò ante verba relata, dicit *Misericordiam Dei ita lapsibus subvenisse humanis, & divinæ suæ bonitatis præsidia sic ordinasse erga baptizatos, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.* Indeque infert, non esse negandam pœnitentiam infirmis petentibus, aut habentibus testimonium quod petierint.

Secundò, quia D. Thomas opusc. 65. §. *de Sacramento Extremæ-Unctionis* apertè docet debere Sacramentaliter absolvi infirmum, qui notitiam vel loquelam amisit, antequam Sacerdos veniret ad eum. Verba ejus sunt: *Si autem infirmus, qui petit unctionem, amisit notitiam vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum; nihilominus ungat eum Sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari, & à peccatis absolvi:* unde illi Thomistæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

miſtæ qui oppoſitum docent, tam apertum S. Doctoris teſtimonium non viderunt. Nec illorum fundamenta urgent: Ad primum enim reſpondetur quod Cõfeſſio facta per ſigna, eſt vera Confeſſio, ſicut illa quæ fit à mutis per nutus; ſicut enim nutus poſſunt gerere vicem verborum, ita & ſigna. Ad ſecundum verò dicatur, ad judicium fori pœnitentiæ ſufficere qualemcumque notitiam qualis à reo hic & nunc haberi poteſt, nec requiri neceſſariò cognitionem peccati in ſpecie, ſed ſufficere notitiam ejus in genere, ut ſuprà ex D. Thoma oſtenſum eſt. Hac ergo ſolutione prætermiſsâ, vel in ſua probabilitate relictâ.

78. Reſpondeo ad argumentum principale, conceſſo Antecedente; negando Conſequentiam, Nam in noſtro caſu moribundus quaſi per interpretem confitetur (quod ſemper licitum eſt) ſcilicet per teſtimonium eorum qui audierunt illum poſtulantem Confeſſarium, vel qui ſigna contritionis in eo viderunt; & aliàs Confeſſarius eum habet quaſi præſentem moraliter; quia ille eſt ſufficienter præſens, ut certificetur Sacerdos, ipſum non mutaſſe priorem voluntatem, cùm videat illum carere ſenſu, ab eo tempore quo petivit Confeſſionem; & ſic ſecurè abſolvitur, & ad minus ſub conditione debet abſolvi. At verò in caſu Suaris, Confeſſarius non habet nec habere poteſt certitudinem moralem, quòd pœnitens priorem voluntatem non mutaverit, ut ſuprà oſtenſum eſt; quare non poteſt illum abſolvere, niſi ratificet Confeſſionem quam per litteras vel internuntium fecerat, & de peccatis per litteras, vel internuntium declaratis, ſe dolere teſtetur; quod eſt confiteri Sacerdoti præſenti, ut ſuprà in ultima probatione tertiæ concluſionis declaravimus. Unde licèt Clemens VIII. & Paulus V. ſententiam Suaris juſtè damnaverint, eamque ex quarto ejus tomo in 3. partem expungi & amoveri juſſerint, ut ex ſuprà dictis patet: rectè tamen poſtea declararunt, poſſe & debere Sacerdotem abſolvere moribundum qui ipſo abſente ſigna contritionis exhibuit in ordine ad claves Eccleſiæ petendo ſcilicet Confeſſorem, dummodo ſint fide digni, qui de hoc teſtimonium perhibeant; talemque caſum non comprehendi in ſuprà dicto decreto, quo Clemens VIII. declaravit non licere per litteras vel per internuntium Confeſſario abſenti Sacramentaliter confiteri. Ex quo intelliges, Theophilum Raynaudum difficultatem omnino diſſimulare & tegere, atque Lectori illudere, & fucum facere; dum in prædicto de Confeſſione Epiſtolari libello, contendit totam de confeſſione per Epiſtolam vel internuntium controverſiam, in eo ſitam eſſe, an abſolutio Sacramentalis poſſit impendi moribundo, qui in abſentia Confeſſarij ſigna contritionis exhibuit. Iſtud enim probabiliſſimum eſt, & decretis dictorum Pontificum omnino conſonum. Illud verò omni probabilitate caret, ut Clemens VIII. in Decreto ſuprà adducto declaravit, meritòque Suarem, & alios id aſſerentes damnavit.

79. Ex dictis confutata manet Jacobi Baij, aliorumque Recentiorum ſententia, quâ docent poſſe abſolvi moribundum, quamvis nullum exhibeat ſignum contritionis & deſiderij abſolutionis, ſi vixerit piè, ſuæque ſalutis immemor non fuerit; & multò magis, ſi audiendo ſacrum, præmiſiſſet Confeſſionem quæ ſolet fieri ab his qui inſerviũt Sacerdoti; quia (inquiunt) præſumptio eſt ipſum pœnitere ſuorum peccatorum; & hoc ſufficit ad recipienda tunc Sacramenta Euchariſtiæ & Extremæ-Unctionis. Addunt Clementem VIII. quendam ruentem è fornice templi D. Petri Romæ ſic abſolviſſe.

80. Verùm hæc ſententia probabilitate caret; cùm enim Sacramentum pœnitentiæ per modum judicij inſtitutum ſit non poteſt perfici ſine aliqua ſui accuſatione, quæ eſt pars eſſentialis illius, & ſine qua Sacerdos in foro pœnitentiæ juridicè ſententiam ferre nequit. Unde non eſt par ratio de hoc Sacramẽto, & de Sacramẽtis Euchariſtiæ, & Extremæ-Unctionis. Nec ſufficit confeſſio generalis quæ fit ab his qui Miſſæ inſerviunt, vel illi aſſiſtunt; talis enim confeſſio, non eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, ſed ſolùm aliquid Sacramentale, per quod interdum remittuntur peccata venialia, ſæpeque contingit, illam fieri ſine ullo prorſus dolore de peccatis. Quod verò additur de Clemente VIII. fabuloſum eſt, ut affirmat Cardinalis Delugo hîc diſp. 17. num. 34. poſt diligentem inquiſitionem à viris gravibus & prudentibus, qui Romæ tempore Clementis VIII. commorabantur.

81. Addo ad integram & completam reſolutionem hujus celebris difficultatis de confeſſione moribundi, non ſufficere ut moribundus poſſit Sacramentaliter abſolvi, quòd oſtenderit ſigna devotionis vel doloris quomodocunque, ſed requiri inſuper quòd Confeſſorem petierit, & quod talis dolor aliquo modo ad confeſſionem referatur, quia non eſt materia & pars Sacramenti pœnitentiæ, niſi prout dicit ordinem ad claves Eccleſiæ.

DISPUTATIO XIII.

De ſatisfactione

Ad quæſtionem 12. Supplementi, & tres ſequentes.

SATISFACTIO eſt ultima pars Sacramenti pœnitentiæ, prior quidem ordine intentionis ipsâ abſolutione, ſed poſterior ordine executionis; unde de illa poſtremò agimus, & præcedenti de abſolutione Sacramentali iſtam ſubjungimus, in qua de ſatisfactione, tum ut eſt actus virtutis pœnitentiæ, tum ut eſt pars Sacramenti, breviter diſſeremus.

ARTICULUS PRIMUS.

An homo poſſit ſatisfacere de condigno pro pœna temporali, peccato mortali debita?

1. NOtandum primò, ſatisfactionem nihil aliud eſſe quàm actionem quâ reparatur inæqualitas orta ex injuria alteri illata. In quo diſtinguitur tum à reſtitutione, quæ conſiſtit in actione quâ reparatur inæqualitas orta ex re aliena ablata invito domino, & à ſatispaſſione, quæ non eſt actio ipſius pœnitentis, ſed perpeſſio quædam pœnæ à principio quodam extrinſeco, putà à Judice facta. Unde reus non dicitur propriè ſatisfacere, cùm patitur pœnas quas promeritus eſt, ſed ſolùm ſatispati. Similiter animæ purgatorij luentes

luentes pœnam temporalem ipſorum peccatis debitam, non propriè ſatisfaciunt, ſed duntaxat ſatis patiuntur.

2. Notandum ſecundò, quod offendens Deum per peccatum mortale, duplicem facit inæqualitatem, unam quâ conſtituit in creatura ſuum ultimum finem, ex qua incurrit reatum pœnæ æternæ; alteram quâ nimis indulget propriæ voluntati, & delectationem inordinatam in fruitione creaturæ percipit; & ex hac incurrit reatum pœnæ temporalis: juxta illud Apocal. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Prima inæqualitas ſemper tollitur per contritionem vel per attritionem cum Sacramento pœnitentiæ, non verò ſecunda; nam remiſsâ culpâ per pœnitentiam, remanet interdum pœna aliqua temporalis luenda; ut contra Lutheranos & Calviniſtas docet Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 8. his verbis: *Sancta Synodus declarat, falſum omnino eſſe, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin univerſa etiam pœna condonetur: perſpicua enim & illuſtria in ſacris litteris exempla reperiuntur, quibus, præter divinam traditionem, hic error manifeſtiſſimè revincitur.* Exempla verò Scripturæ, quæ in margine citantur, hæc ſunt: Geneſ. 3. plures & graviſſimæ pœnæ temporales decernuntur à Deo primis parentibus, pro peccato inobedientiæ, etiam poſt ipſius condonationem quoad rationem culpæ & pœnæ æternæ. Numer. 28. Aaron pro remiſſo ſibi incredulitatis peccato, punitur ibidem à Deo pœnâ temporali, his verbis: *Pergat Aaron ad populos ſuos, non enim intrabit terram quam dedi filiis Iſraël, eò quòd incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis* 2. Regum 12. David poſt condonata peccata adulterij, homicidij, ac numerationis populi, punitus adhuc fuit pœnis temporalibus.

3. Favent etiam SS. Patres: Auguſtinus enim in Enchiridio ad Laurentium cap. 66. verba illa Apoſtoli expendens: *Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*, ait hæc dici ab Apoſtolo *de quibuſdam temporalibus pœnis quæ in hac vita peccantibus irrogantur eis quorum peccata delentur, ne reſerventur in finem.* Et tr. 124. in Joan. hæc ſcribit: *Cogitur homo tolerare etiam remiſſis peccatis, quamvis, ut in eam veniret miſeriam, primum fuit cauſa peccatum: Productior eſt pœna quàm culpa: ne parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna.* Item Eucherius in lib. 2. Regum cap. 8. *Dominus* (inquit) *delet peccatum, ſed ſine ultione non deſerit. Aut enim ipſe homo in ſe punit, aut Deus percutit.* Similia habent Origenes homil. 8. in Levitic. Tertullianus lib. de pœnit. in fine & Author libri de vera & falſa pœnitentia apud Auguſtinum cap. 14.

4. Dices: Quotieſcunque Chriſtus remiſit peccata alicui, remiſit ſine ulla conditione, non retentâ ullâ pœnâ, ut cùm dixit paralitico: *Remittuntur tibi peccata tua*, & cùm dixit de muliere peccatrice: *Remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum*: Ergo remiſsâ culpâ per pœnitentiam, nulla remanet pœna temporalis luenda.

Reſpondeo, conceſſo Antecedente, negando conſequentiam; Chriſtus enim nunquam legitur remiſiſſe peccata, niſi ut miraculo quodam declararet ſuam divinitatem & potentiam, ut ſignificatur Matth. 9. his verbis: *Ut autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem remittendi peccata, dixit paralitico, ſurge, tolle grabatum tuum &c.* miraculum autem debuit eſſe perfectum omni ex parte, ut perfectam declararet Chriſti potentiam, ideò ſemper remittebat pœnam ſimul cum culpa. Hæc autem ratio non habet locum in remiſſione peccatorum quæ fit de lege & via ordinaria, unde interdum remiſsâ culpâ non remittitur omnis pœna temporalis quæ illi debetur; quamvis non negemus quin fieri poſſit, atque adeò frequenter fiat, ut una cum culpa, remittatur omnis pœna.

Notandum tertiò, ſatisfactionem pro peccatis eſſe duplicem. Una eſt Sacramentalis, quæ juxta Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. per modum partis materialis ad Sacramenti pœnitentiæ conſtitutionem, & ad plenam perfectamque peccatorum remiſſionem, ex inſtitutione Chriſti requiritur; poteſtque definiri ex eodem Concilio cap. 8. ejuſdem ſeſſionis: *Actio per quam in Sacramento pœnitentiæ retribuimus Deo compenſationem aliquam pro peccatis, juxta ſententiam Sacerdotis.* Altera eſt non Sacramentalis, per quam homo operibus à Sacerdote non injunctis, conatur aliquam pro peccatis retribuere Deo compenſationem; unde ſic poteſt deſcribi: *Satisfactio eſt voluntaria ſui punitio ad compenſandum injuriam Deo per peccatum illatam, eumque ſic placandum, ut temporalem pœnam remittat.* Dicitur *voluntaria ſui punitio*, tum ut ſignificetur illam eſſe actum virtutis, qui in electione conſiſtit, tum ut diſtinguatur à ſatispaſſione, quâ aliquis à principio extrinſeco, putà à Judice, invitus patitur pœnas quas meretur. Subditur *ad compenſandum injuriam*, ut per hoc diſtinguatur à reſtitutione, quæ bona ablata reddit, ſatisfactio verò injuriam Deo illatam compenſat. Additur *ad placandum Deum, ut pœnam temporalem remittat*, ut conſtituatur differentia inter ſatisfactionem ſeu compenſationem pro culpa, & ſatisfactionem pro pœna, de qua ſolùm in præſenti diſputamus; de ſatisfactione enim pro culpa, fuse egimus in Tractatu de Incarnatione diſp. 4. art. 1. ubi oſtendimus purum hominem non poſſe de condigno ſeu ad æqualitatem Deo ſatisfacere pro culpa peccati mortalis; unde ſolùm hic reſtat ſolvendum, an etiam impotens ſit ad illi ſatisfaciendum de condigno pro pœna temporali tali peccato debita?

Dico igitur, homo poteſt ſatisfacere de condigno pro pœna temporali peccato mortali debita, non tamen de rigore juſtitiæ.

5. Prima pars hujus concluſionis eſt contra Lutheranos & Calviniſtas, negantes poſſe homines ullo modo ſatisfacere Deo pro reatu pœnæ, imo & ullam pœnam poſt peccatum remiſſum, Deo luendam ſupereſſe, quippe quam totam putant ſemper cum culpa remitti. Quem errorem damnat Tridentinum loco ſuprà citato, & can. 12. ubi ſic dicitur: *Si quis dixerit, totam pœnam, ſimul cum culpa remitti ſemper à Deo, &c. anathema ſit.* Eſt etiam contra Michaëlem Bajum, nam inter propoſitiones ejus à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnatas, hæc erat 59. *Quando per eleemoſynas, aliaque pietatis opera, Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum Deo pretium pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant; nam alioqui eſſemus aliqua ſaltem ex parte redemptores; ſed aliquid facimus cujus intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur.* Item 77. ſic habet: *Satisfactiones laboriosæ juſtificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.* Demum eadem pars eſt contra Recentiores aliquos, aſſerentes nos Deo ſatisfacere tantùm de congruo,

eò

Universidad de Deusto
Biblioteca

eò quòd pœnæ hujus vitæ non sint ejusdem rationis cum pœnis vitæ futuræ : qui autem solvit pretium ordinis inferioris, non solvit condignè & sufficienter, tametsi pretium illud benignè & & misericorditer acceptetur. Nihilominus.

6. Probatur primò hæc pars ex Tridentino sess. 14. cap. 8. & 9. & can. 13. ubi asserit simpliciter & absolutè nos Deo satisfacere pro pœna temporali peccato debita : At non satisfacit simpliciter & absolutè, nisi qui de condigno satisfacit ; sicut non dicitur simpliciter & absolutè mereri, nisi qui meretur de condigno : Ergo homo potest satisfacere de condigno pro pœna temporali, peccato mortali debita.

7. Probatur secundò eadem pars ratione fundamentali. Satisfactio illa condigna dicitur, quæ est moraliter æqualis rei debitæ : Sed satisfactiones quas Deo exhibemus possunt esse moraliter æquales pœnæ temporali peccato mortali debitæ : Ergo pro tali pœna possumus Deo satisfacere de condigno. Major patet, Minor etiam videtur manifesta ; cùm enim pœna illa finita sit, potest adæquari per satisfactionem finitam ; ratio enim cur nulla satisfactio puræ creaturæ, malitiam & gravitatem culpæ mortalis adæquare possit, est quia talis malitia est in genere moris simpliciter infinita, ut in Tractatu de Incarnatione disp. 4. art. 1. declaravimus. Imò ut rectè admonet Cajetanus 3. p. quæst. 85. art. 3. actus contritionis possunt esse ita ferventes & intensi ut excedant debitum pœnæ temporalis, juxta illud Job 6. *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera, quasi arena maris, hæc gravior appareret.*

8. Confirmatur : Si bona justorum opera, facta in gratia, possunt esse valoris moraliter æqualis cum vita æterna, atque adeò de condigno meritoria gloriæ ; quantò magis possunt esse æqualis valoris cum pœna temporali & finita, restante pro peccatis remissis, quæ multò minoris est æstimationis, subindeque pro illa satisfactoria de condigno ?

9. Secunda pars conclusionis, quæ asserit, purum hominem non posse satisfacere pro tali pœna de rigore justitiæ, non minùs evidens est ; ut enim ostendimus in Tractatu de Incarnatione disp. 4. art. 4. ut aliqua satisfactio censeatur esse de rigore justitiæ, non sufficit quod fiat ad æqualitatem, & tantùm à debitore solvatur, quantùm debetur creditori, sed requiritur insuper quod non fundetur in gratia creditoris, quod fiat ex bonis debitoris, & ex bonis aliàs indebitis, seu quæ nullo alio titulo debeantur creditori : Sed hæ conditiones reperiri nequeunt in nostris satisfactionibus, cùm illæ non sint ex bonis propriis, sed ex receptis ab ipso creditore, qui est Deus, & infinitis titulis illi debeantur, subindeque fundentur in gratia creditoris, qui posset, si vellet, alio titulo quàm satisfactionis, opera nostra satisfactoria à nobis exigere. Unde Bernardus ait quod *Deus nos onerat, cùm exonerat ; onerat enim beneficiis, cùm exonerat peccatis* : Ergo non possumus satisfacere Deo de rigore justitiæ, pro pœna temporali peccato mortali debita. Quare nostræ satisfactiones non pertinent ad justitiam commutativam, sed ad virtutem pœnitentiæ, quæ est justitia quædam imperfecta, & pars potentialis justitiæ commutativæ, ut disp. 2. ostendimus.

10. Contra primam partem nostræ conclusionis objiciunt Adversarij : Qui solvit pretium ordinis inferioris non solvit condignè & sufficienter, tametsi pretium illud benignè & misericorditer à creditore acceptetur : Sed pœnæ hujus vitæ non sunt ejusdem rationis cum pœnis vitæ futuræ, sed multùm ipsi inferiores & improportionatæ : Ergo per illas non possumus satisfacere de condigno pro pœnis purgatorij peccato remisso debitis, tametsi Deus pro pœnis purgatorij, pœnas hujus vitæ benignè & misericorditer acceptet.

11. Hoc est præcipuum, imò & unicum fundamentum, quo Recentiores suprà citati moventur ad asserendum hominem per bona opera satisfactoria, non satisfacere de condigno pro pœna temporali peccato mortali debita. Verùm hæc ratio nullius momenti est, multò enim magis gloria æterna excedit bona justorum opera, quàm pœna temporalis debita peccatis ; & tamen ille excessus non impedit, quin bona justorum opera sint satis proportionata ad merendum de condigno gloriam æternam ; quia nimirum (ut in Tractatu de merito declaravimus) ad meritum de condigno non requiritur æqualitas rei, sive in esse entis (quæ æqualitas rei arithmetica dicitur) inter meritum & præmium, sed sufficit æqualitas proprtionis, quæ geometrica appellatur, seu æqualitas moralis in eo consistens, quòd dignum sit apud præmiantis liberalitatem, ut tale opus tali præmio compensetur. Sic etiam ad satisfaciendum de condigno pro pœnis purgatorij, non requiritur æqualitas omnimoda inter pœnas hujus vitæ, & pœnas purgatorij, sed sufficit æqualitas proportionis, seu æqualitas moralis, in eo consistens, quod dignum sit tale opus, aut talis pœna voluntariè assumpta, ut Deum moveat, ne purgatorij pœnas infligat. Unde ad argumentum in forma respondeo, distinguendo Majorem : Qui solvit pretium ordinis inferioris tam in esse moris quàm in esse physico, non solvit condignè & sufficienter concedo Majorem. Qui solvit pretium ordinis inferioris in esse physico, habens tamen cum re debita proportionem quandam, & æqualitatem moralem, nego Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. *Disp. 2. art. 5.*

ARTICULUS II.

Quæ conditiones ad satisfactionem requirantur?

CONditiones ad satisfaciendum requisitæ sunt triplicis generis, aliæ enim se tenent ex parte personæ satisfacientis ; aliæ ex parte operis quo satisfacit ; aliæ verò ex parte ejus cui fit satisfactio. De primis agemus in hoc paragrapho, de aliis verò in sequentibus.

§. I.

Conditiones ex parte satisfacientis requisitæ.

12. DIco primò, ad satisfactionem requiritur ex parte satisfacientis quod sit in gratia, subindeque opera quæ eliciuntur ab homine in peccato mortali existente non sunt satisfactoria, etiam pro pœna temporali peccatis remissis debita. Ita D. Thomas hic quæst. 14. art. 2.

Probatur breviter, Tum quia opera hujus vitæ, etiam pœnalia, non sunt comparabilia, nec proportionem habent cum pœna purgatorij, & consequenter per se non habent valorem ut remittant illam, sed indigent gratiâ à qua hunc valorem accipiant : gratiâ, inquam, non solùm auxiliante, verùm etiam, imò præcipuè, sanctificante, ut conferat dignitatem personæ à qua satisfactio habet valorem & moralem proportionem ad debitum persolvendum. Tum etiam, quia non possumus satisfacere Deo, etiam pro pœna peccatis debita, ex vera & stricta justitia, ut articulo præcedenti ostensum est, sed tantùm ex amicitia ? Atqui satisfactio quæ fundatur in amicitia divina, supponit gratiam : Ergo &c. Addo quod lex est generalis, ut quod sine charitate fit, nihil profit ad vitam æternam ; quod tamen esset falsum, si opera extra charitatem facta, essent satisfactoria pro pœna temporali, utpotè cùm reatus pœnæ temporalis quandiu remanet, retardet à gloriæ assecutione.

13. Ex his constat, bona opera in mortali facta, non reviviscere, etiam quoad satisfactionem, adveniente postea gratiâ, quia nunquam fuerunt viva & satisfactoria. Non sunt tamen illa opera etiam in peccatoribus omnino inutilia ; valent enim primò ad satisfaciendum præcepto, secundò ad mitigandas passiones, tertiò ad præmium aliquod accidentale, quartò ad disponendum hominem ad similia bona opera, quando erit in gratia, elicienda. Demum ut observat D. Thomas hic quæst. 14. art. 3. ad 3. sunt aliqua bona opera ex quibus manet aliquis effectus in satisfacientibus, etiam postquam actus satisfactionis transiit, quæ licèt in statu peccati eliciantur, postea tamen ab homine justificato possunt Deo in satisfactionem offerri : v. g. ex jejunio manet corporis debilitas, & ex eleemosynarum largitione, substantiæ diminutio, quæ sunt quædam pœnalites quas si homo justificatus offerat Deo, acceptabit illas Deus in satisfactionem pro pœna temporali, quamvis jejunium & eleemosynæ largitio in statu peccati facta fuerint,

14. Dico secundò, ad satisfaciendum, ex parte satisfacientis requiritur alia conditio, nimirum status viatoris.

Probatur : De satisfactione eodem modo philosophandum est ac de merito, servatâ proportione, præsertim cùm omnis actus satisfactorius sit etiam meritorius, ut infrà dicemus : Ergo sicut post hanc vitam nullus est locus merito, ita nec satisfactioni. Unde Christus dicebat Joan. 9. *Venit nox quando nemo potest operari.* Ubi per noctem status hominis post mortem intelligitur, in quo nemo potest meritoriè vel satisfactoriè operari. Unde Origenes hom. 3. in Psalmum 36. *Dominus & Salvator ait, veniet nox quando nemo potest operari, & hoc dicit de illo tempore quod erit post hoc sæculum, tempore quo unusquisque pro malis suis recipiet pœnas. Tunc ergo dicit, nôctem illam futuram, cùm jam nemo potest operari aliquid, sed unusquisque tunc pascitur ex operibus suis quæ hic positus operatus est. Cùm ergo nox fuerit, nemo operatur. In illo tempore malo, cùm peccatores suppliciis affliguntur, erit sine dubio fames his qui nullos fructus boni operis collegerunt. In illo autem famis tempore, saturabuntur justi ex fructibus justitiæ suæ. Sicut enim in deserto sex diebus colligebant manna, in sexta autem die non unius diei modium, sed quantùm sufficeret ad crastinum colligebant, unusquisque edebat in die Sabbati quæ collegerat in die sexta : ita etiam nunc velut sexta quædam dies putanda est Domini nostri Iesu-Christi adventus, tempus hoc dispensationis ejus, quam passione suâ hoc in sæculo procuravit. Et idcircò dum in die sexta sumus, colligamus manna duplicier, ut sufficere nobis possit, dum advenerit vera Sabbati observatio populo Dei. Si enim non collegerimus duplices cibos, qui nobis & in præsenti sæculo sufficiant & in futuro, in diebus finis non saturabimur.*

Confirmatur : Si homo posset post mortem satisfacere, animæ quæ purgantur, cùm eliciant ferventissimos & frequentissimos actus charitatis, & contritionis, statim pro pœnis maximis satisfacerent ; subindeque non diu detinerentur in purgatorio, ut detinentur plurimæ.

§. II.

Conditiones ex parte ipsius operis satisfactorij necessariæ.

15. DIco tertiò, ut opus aliquod sit satisfactorium, debet esse liberum, bonum, supernaturale, ac pœnale.

Probatur conclusio quantùm ad singulas partes. Et in primis quòd opus satisfactorium debeat esse liberum seu voluntarium, constat. Tum quia actus satisfactorius est actus moralis & humanus, fundamentum autem moralitatis est libertas : Tum etiâ, quia sicut homo non peccat nisi liberè operando, ita nec pro peccato satisfacit, nisi eliciendo actum liberum ; & per hoc satisfactio distinguitur à satispassione, seu à punitione coacta, & à pœna quam quis invitus patitur.

Observat tamen D. Thomas hic quæst. 15. art. 3. quod quamvis flagella temporalia à Deo homini immissa, non sint in ejus potestate, sed veniant ei ab extrinseco ; si tamen ea voluntariè acceptet, & patienter toleret, satisfactoria sunt, *Quia* (inquiunt) *fiunt aliquo modo ipsius patientis, inquantum ea acceptat ad purgationem peccatorum eis utens patienter.* Idem docet Tridentinum sess. 14. cap. 9. his verbis : *Docet præterea* (Sancta Synodus) *tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solùm pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis ; sed etiam quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis ; apud Deum Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus.*

Secundò, quòd opus satisfactorium debeat esse bonum, non minùs evidens est, quia per opera mala non possumus mereri remissionem pœnæ, cùm potiùs novam pœnam mereamur.

Tertiò, quòd debeat esse supernaturale constat tum ex Tridentino sess. 14. cap. 8. ubi dicit satisfactiones nostras esse opera ex meritis Christi : Sed quæ sunt ex meritis Christi supernaturalia sunt : Ergo, &c. Tum etiam ex D. Thoma hic quæst. 14. art. 3. ubi vult cum satisfactione nostra semper conjunctum esse aliquod meritum, per illam enim remissionem pœnarum purgatorij meremur, quæ ad ordinem supernaturalem quodammodo pertinent, tum quia fide supernaturali nobis revelantur, tum etiam quia retardant nos à consecutione finis ultimi supernaturalis ; unde sicut ad meritum præmij supernaturalis, actus supernaturalis requiritur, ita & ad satisfaciendum pro pœnis purgatorij.

Denique quod opus satisfactorium debeat esse pœnale, colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 8. ubi opera satisfactoria vocat *pœnas satisfactorias*, & can. 13. *pœnas sponte susceptas, vel à Deo inflictas, vel à Sacerdote injunctas.* Scriptura etiam assignat pœnitentibus opera pœnalia pro satisfactione

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctione peccati Joël 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu & planctu.* Matth. 11. *In cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*

Ratio etiam suffragatur, nam ut discurrit D. Thomas hic quæst. 15. art. 1. satisfactio fit tum ut peccata præterita vindicentur, tum ut futura caveantur: Sed ad utrumque requiritur opus pœnale: Ergo &c. Minor probatur quoad utramque partem; & in primis quod ut peccata præterita vindicentur, opus pœnale sit conveniens, manifestum videtur, debet enim hæc vindicatio seu recompensatio ita fieri, ut quantùm se glorificavit peccator, tantùm detur ei tormenti & luctûs, ut dicitur Apocal. 18. & tantùm recipiat pœnæ & supplicij, quantùm delectationis inordinatæ, in creaturarum perversa fruitione recepit. Unde Gregorius homil. 20. in Evang. relatus à D. Thoma eodem articulo, in argumento sed contra: *Justum est ut peccator tanto majora sibi inferat lamenta per pœnitentiam, quanto majora sibi intulit damna per culpam.* Deinde quòd ut futura peccata caveantur, opus pœnale utile sit, patet ex Tridentino sess. 14. cap 8. ubi hæc habet: *Proculdubio magnoperè à peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.* Ubi enim homo expertus est pœnam, non facilè redit ad culpam. Unde Philosophus 2. Ethic. ait quod *peccatorum medicinæ sunt pœnæ.*

16. Dices, Omnis actus virtutis est satisfactorius: Sed dantur aliqui actus virtutis qui non sunt pœnales, putà actus virtutis temperantiæ quem quis exercet comedendo cibos delicatos, vel bibendo vinum quod placet: Ergo omnis actus satisfactorius non debet esse pœnalis.

Propter hoc argumentum Petrus Ledesma & aliqui alij docuerunt dari aliquos actus virtutis qui non sunt satisfactorij, illi nempè qui nihil pœnalitatis habere videntur, sed potiùs delectationem afferunt & jucunditatem, ut manducare & bibere ad conservandam honestè sanitatem.

Sed hæc solutio & doctrina displicet, tum quia in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 13. uni- D versim absolutè dicitur satisfieri Deo pietatis operibus, & in formula absolutionis sic habetur: *Quidquid boni feceris aut intendis facere, sit tibi in remissionem peccatorum.* Tum etiam, quia nullum est opus moraliter bonum, quod non habeat aliquam pœnalitatem annexam, vel ex parte subjecti, vel ex parte objecti; comedere enim cibos delicatos, de quo maximè potest esse dubium, non est actus virtutis temperantiæ & opus moraliter bonum, nisi moderatè fiat, & ordinetur ad bonum finem: sub ista autem ratione habet pœnalitatem annexam, scilicet carentiam majoris delectationis quæ esset in majori comestione.

17. Instabis: Si talis actus esset satisfactorius, pos- E set Sacerdos injungere pœnitenti in remissionem peccatorum, ut comederet cibos delicatos, vel biberet vinum delectabile: Sed hoc videtur ridiculum: Ergo & illud.

Respondeo dupliciter posse Confessarium injungere pœnitenti in satisfactionem, ut comedat cibos delicatos: Primò nullam exprimendo pœnalitatem in tali opere; quod contingeret si diceret tantùm, comedes cibos delicatos; & hoc sine dubio esset ridiculum, nulliusque pœnitentiæ injunctio. Secundò, præscribendo pœnitenti tale opus sub forma pœnalitatis, ut si diceret, comedes cibos delicatos moderatè, ordinando ad A actum virtutis; & tunc veram injungeret pœnitentiam; peccaret tamen, idque mortaliter, si confessio fuisset de mortalibus; vel venialiter, si de venialibus tantùm; nam quando peccata sunt gravia, satisfactio debet esse gravis, atque adeò opus satisfactorium simpliciter pœnale, quale est opus jejunij, vel orationis, vel eleemosinæ, non verò pœnale tantùm secundùm quid, & simpliciter delectabile, qualis est comestio, etiam temperata, cibi delicati.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

B EX dictis colligitur primò, omne opus sa- 18.
tisfactorium esse meritorium, & è contra.

Ratio primi est, quia ad opus meritorium requiritur tantùm quod sit liberum, bonum, & supernaturale: Sed hoc totum convenit operi satisfactorio, ut constat ex suprà dictis: Ergo omne opus satisfactorium, est etiam meritorium.

Ratio verò secundi sumitur ex eo quod omne opus meritorium est laboriosum & pœnale, quod solùm videbatur ipsi deesse ut esset satisfactoriũ: Ergo omne opus meritorium, est etiam satisfactorium. Consequentia patet, Antecedens probatur, quia omne opus meritorium, cùm sit actus virtutis, habet adjunctam aliquam difficultatem & molestiam, quamvis ex alia parte sit de- C lectabile, ut patet de contemplatione, quæ dum recreat animum, affligit corpus. Nec refert quod homini ferventi & benè affecto paucam vel nullam pœnam ingerat; diminutio enim pœnæ ex promptitudine voluntatis, sicut non minuit meritum, ita nec satisfactionem; attendenda est enim ratio & natura ipsius actûs, & difficultas nõ subjectiva, sed objectiva, quæ dupliciter potest considerari; primò quatenus confert ad bonitatem actûs, & sic pertinet ad meritum; secundò ut ex genere suo pœnam & laborem infert operanti, & sic confert ad satisfactionem. Ex quo

Colligitur secundò contra Scotum, Almaïnum, 19.
Gabrielem & alios, non solùm opus externum, sed etiam internum, etiam per se sumptum, valere posse ad satisfaciendum pro pœna temporali; cùm enim actus interiores, per se sumpti, sint optimi, maximè liberi, ac difficiles, nihil illis deesse potest quominus valeant ad satisfactionem. Unde actus contritionis & charitatis, non solùm sunt valde meritorij, sed etiam multùm satisfactorij, quia secundum se sunt valde difficiles & pœnales. Nec refert quod in viris perfectis ac ferventibus, actus charitatis nullam pœnam causet: ratio enim satisfactionis petitur à difficultate objectiva, non utcumque, sed quatenus nata est laborem & pœnam in subjecto causare; unde quamvis per accidens, ob bonam dispositionem subjecti, non causet laborem, non propterea opus desinit esse satisfactorium, quia semper habet quod sit nedum difficile, sed etiam quantùm est de se pœnale.

Ex hoc intelliges, posse Confessarium injungere pro pœnitentia actum purè internum, putà contritionis vel charitatis; quia potest injungere illud omne opus quod satisfactorium est, ad hoc enim præcipuè pœnitentia injungitur pœnitenti, ut pro pœna peccato debita satisfaciat: Actus verò internus, ut jam ostendimus, satisfactorius est, cùm sit revera pœnalis. Est etiam sufficienter sensibilis, ut possit esse pars sacramenti, si enim contritio, quia fit sensibilis per aliud, scilicet per

per confessionem, est vera pars sacramenti, quidni & actus internus pro pœnitentia injunctus, per impositionem Confessarij & acceptationem Pœnitentis factus sensibilis, poterit similiter esse pars sacramenti?

20. Colligitur tertiò, opus externum, quatenus ab interiori procedit, ita esse satisfactorium, ut vim satisfaciendi addat interiori; quamvis enim nullam ei addat bonitatem intrinsecam, ut in Disp. 7. art. 1. Tractatu de moralitate actuum humanorum ostensum est; in ipso tamen actu externo est distincta pœna ab interiori, & voluntariè assumpta, quod sufficit ut actus externus vim majorem satisfaciendi addat interiori. Unde jejunare de facto, magis satisfactorium est, utpotè magis B pœnale & laboriosum, quàm habere intentionem & voluntatem jejunandi. Idem dicendum de eleemosyna, oratione, aliisque virtutum operibus, quæ opere externo completa, vim majorem satisfaciendi habent, ob specialem aliquam pœnam & difficultatem, quam actus exterior addit interiori.

Ex hoc intelliges discrimen quod inter meritum & satisfactionem reperitur; cùm enim satisfactio attendatur præcipuè penes laborem, difficultatem, & pœnalitatem operis, sicut in actu externo est distincta pœna ab interiori, ita & major vis satisfaciendi: è contra verò, cùm ratio meriti sumatur præcipuè ex bonitate actûs, sicut actus exterior, in sententia D. Thomæ & C Discipulorum ejus, nullam addit bonitatem intrinsecam actui interiori, ita nec ejus meritum auget. Unde Apostolus 2. ad Corinth. 8. invitans fideles ad eleemosynam, sic ait: *Ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est, secundùm id quod habet accepta est, non secundùm id quod non habet.* Id est (ut exponunt Hieronymus, Theodoretus, Anselmus, Lyranus & alij) non minùs Deo accepta est animi vestri promptitudo, etiam si minima possitis dare, quàm si plura daretis; quia ex voluntate non ex operibus pensatur meritum. Quare ibidem ait Glossa: *Si æqua voluntas, æqualem habent mercedem.* Hinc infert Gregorius Magnus homil. 5. in Evang. quod *ante oculos Dei nunquam vacua est manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bonâ voluntate.*

21. Colligitur quartò, omnia bona opera, etiam aliunde debita Deo ratione voti vel præcepti, esse satisfactoria. Nam opus habet quod sit satisfactorium, ex eo quod sit bonum & pœnale: Sed per hoc quod sub voto aut præcepto cadat, non tollitur ab eo quod sit bonum & pœnale: Ergo nec quod sit satisfactorium.

Confirmatur primò: Ex Tridentino sess. 6. cap. 10. & 16. per bona opera, licèt ex præcepto debita, mereri possumus: Ergo multò magis per E illa possumus satisfacere.

Confirmatur secundò tribus exemplis: Per jejunium enim quod est ab Ecclesia præceptum, conceditur remissio peccatorum quoad pœnam, ut sæpè postulat Ecclesia: Ergo pro illa pœna per ipsum satisfacimus. Item qui martyrium sustinet, quando ex præcepto ad id tenetur, non minùs satisfacit pro tota pœna, quàm si ad hoc non teneretur. Christus etiam moriendo in cruce, de condigno, imò & de toto rigore justitiæ, Deo pro peccatis nostris satisfecit, quamvis de tali morte subeunda præceptum à Patre haberet, ut in Tractatu de Incarnatione ostendimus: Ergo Disp. 4. art. 4.

A nos pariter per opera quæ sub voto aut præcepto cadunt, possumus Deo satisfacere.

Dices, Non possumus satisfacere Deo per 22.
opera aliis titulis ei debita: Sed opera quæ sub voto vel præcepto cadunt, sunt debita Deo aliis titulis, nimirum titulo religionis & obedientiæ: Ergo per illa non possumus Deo satisfacere.

Respondeo distinguendo Majorem: Non possumus satisfacere Deo de condigno per opera aliis titulis ei debita, nego Majorem. Non possumus satisfacere de toto rigore justitiæ, concedo Majorem. Solutio patet ex dictis art. 1. Aliud enim est satisfacere de condigno, & aliud satisfacere de rigore justitiæ; illa enim satisfactio condigna dicitur, quæ est moraliter æqualis rei debitæ; illa verò appellatur de rigore justitiæ, quæ observat omnes leges strictæ & rigorosæ justitiæ, inter quas hæc præcipua est, ut satisfactio fiat ex bonis propriis, & alias indebitis: Unde cùm satisfactiones quas Deo exhibemus per opera quæ sub voto vel præcepto cadunt, possint esse moraliter æquales pœnæ temporali peccato mortali debitæ, pro illa possumus de condigno Deo satisfacere; quia tamen opera illa aliis titulis ei debita sunt, de toto rigore justitiæ pro tali pœna temporali ei satisfacere non valemus. Ex hoc facilè intelliges quid velit Anselmus libro 1. Cur Deus homo cap. 20. dum ait: *Cum reddis aliquid quod debes Deo, etiam si non peccasti, non debes computare pro debito quod debes ex peccato.* His enim verbis C solùm declarare intendit, quod per bona nostra opera non possumus satisfacere Deo de toto rigore justitiæ, etiam pro pœna temporali peccato mortali debita; non intendit tamen negare quod pro tali pœna condignam & æqualem possimus Deo exhibere satisfactionem.

Instabis: Non potest quis per solutionem unius 23.
& ejusdem rei pluribus debitis de condigno satisfacere: Ergo si aliquod opus sit aliàs ex voto vel ex præcepto debitum, non poterit homo per illud satisfacere de condigno pro pœna temporali peccato mortali debita.

Respondent aliqui Recentiores, distinguendo D Majorem: Nemo potest duobus debitis satisfacere per solutionem unius & ejusdem rei; si utrumque debitum sit propriæ justitiæ, concedunt. Si alterum sit debitum obedientiæ, negant. In hoc enim (inquiunt) differunt inter se obedientia & justitia, quòd obedientia facit tantùm implere id quod præceptum est, sive aliàs debeatur ex justitia, sive non: justitia verò facit reddere æquale pro debito: impossibile autem est reddere æquale pro duobus debitis, per solutionem unius & ejusdem rei, quæ tota uni eorum correspondet.

Verùm licèt hæc solutio valere possit quando 24.
opera quibus satisfacimus sunt debita Deo solùm ratione præcepti, non tamen quando sunt ei debita ratione voti; tunc enim Deo debita sunt titulo religionis, qui majorem & strictiorem inducit obligationem reddendi æquale, quàm vera & stricta justitia; non enim religio deficit à ratione strictæ justitiæ, & constituitur pars potentialis illius, ob carentiam obligationis reddendi æquale, sed ex defectu potentiæ faciendi perfectam cum Deo æqualitatem, ut in Tractatu de quatuor Virtutibus Cardinalibus declaravimus.

Melius ergo respondetur, posse aliquem per solutionem unius & ejusdem rei pluribus debitis satisfacere, quando res illa multiplicem habet bonitatem & valorem; tunc enim secundùm diversam rationem, seu diversum illum valorem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

plura debita compensare potest ; unde cùm in opere sub voto aut præcepto cadente, sit valor moralis desumptus ex objecto & circunstantiis ejus ; & bonitas satisfactoria, petita ex difficultate illius, seu ex pœna & labore qui in ejus exercitio reperitur ; ratione primi possumus implere obligationem voti aut præcepti, ac debito obedientiæ & religionis satisfacere ; ratione verò secundi possumus satisfacere Deo de condigno pro pœna temporali peccato mortali debita. Sicut si nummus aureus duplicem haberet valorem, unũ ratione sigilli Principis ipsi impressi, alium ratione metalli ; & ratione primi valeret quinque nummos argenteos, & totidem ratione secundi ; posset aliquis alteri debens decem nummos argenteos, quinque titulo mutui, & quinque ratione promissi, utrique debito, & pro utroque titulo, unius tantùm nummi aurei solutione, de condigno & ad æqualitatem satisfacere.

Ex his intelliges, posse Confessarium ex prudenti motivo, causâque rationabili, injungere pœnitenti pro satisfactione sacramentali opus ex præcepto debitum, puta jejunare tempore Quadragesimæ, vel Missam in die festo audire, si nimirum advertat pœnitentem non habere opportunitatem alia præstandi : regulariter tamen & ordinariè talia opera pœnitentibus injungenda non sunt, sed ad aliud novum obligari debent, tum ut sentiant vindictam suorum peccatorum ; tum etiam quia plus requiri debet ab eis, quàm ab innocentibus.

25. Demum ex dictis colligitur, orationem, jejunium, & eleemosynam, esse opera maximè satisfactoria, ad quæ cætera omnia facilè revocantur. Ratio est, quia, ut suprà dicebamus, satisfactio ad duo ordinatur, nempè ad compensationem offensæ, & ad medicinam peccatorum : ad utrumque autem sunt aptissima tria illa operum genera. Ad primum quidem, quia cùm sint in nobis tria genera bonorum, scilicet bona animæ, corporis, & fortunæ, per orationem subjicimus Deo bona animæ, quæ non tam nobis subtrahere debemus, cùm nos reddant Deo acceptos, quàm ipsi submittere : alia autem duo bonorum genera, quia interdum nobis noxia sunt, à nobis subtrahere debemus ; per eleemosynam quidem bona fortunæ ; per jejunium verò aliasve macerationes, quæ nomine jejunij comprehenduntur, bona corporis. Ad secundum verò, quia tria illa bonorum operum genera, tres peccatorum radices in nobis extirpant ; oratio quidem quâ nos & omnia nostra Deo subjicimus, comprimit superbiam, jejunium concupiscentiam carnis, & eleemosyna oculorum concupiscentiam, seu avaritiam. De hac dicitur Tobiæ 12. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccatum, & facit animam ire in vitam æternam.* Unde Ambrosius serm. 31, de eleemosyna, illam comparat cum sacramento baptismi, aitque eandem vim habere ad remittenda peccata, imò quadam ex parte eleemosynam esse efficaciorem ; quia baptismus semel tantum remittit peccata ; eleemosyna verò, quotiescunque datur. *Eleemosyna* (inquit) *animarum aliud est lavacrum, ut si quis forte post baptismum humana fragilitate deliquerit, superfit & ut eleemosynis emundetur, nisi quod salva fide dixerim, indulgentior est eleemosyna, quam lavacrum.*

Addit Gregorius Nissenus in libro de beatitudinibus, per eleemosynam & bonorum nostrorum largitionem, Dei beneficentiam nos exprimere & in nobis repræsentare : *Si misericordiæ appellatio* (inquit) *Deum decet, ad quid aliud te sermo hortatur, nisi ut Deus fias, tanquam formatus & insignitus propriâ notâ deitatis?* Nec minùs eleganter Nazianzenus oratione de pauperum amore : *Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.*

§. IV.

Conditio requisita ex parte Dei.

Dico quartò, ut opus sit satisfactorium, ex parte Dei requiri acceptationem, seu voluntatem remittendi reatum pœnæ, intuitu talis operis. 26.

Colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 8. ubi ait satisfactiones nostras non habere vim ullam, nisi per Christum, à quo Patri offeruntur, & per illum acceptantur à Patre. Et cap. 9. dicit maximum esse divini erga nos amoris argumentum, quod nostras satisfactiones acceptet, idque ad divinæ munificentiæ largitatem refert.

Ratio etiam suffragatur ; cùm enim pœnæ assumptæ in satisfactionem pœnæ temporalis peccatis remissis debitæ, multò leviores sint, & alterius rationis à pœnis purgatorij, justâ lege debitis, non tenetur Deus ex justitia illas acceptare ; præsertim quia ut absolutus dominus pluribus aliis titulis opera nostra satisfactoria posset exigere : unde ut illa nobis prosint ad satisfaciendum pro pœnis purgatorij, requiritur divina acceptatio, seu voluntas remittendi illas pœnas intuitu talium operum. 27. 28.

Confirmatur primò : Judex non tenetur acceptare pœnam sibi ipsi à reo impositam, sed potest eâ non obstante illum punire pœnis à se vel à lege constitutis : Ergo multò magis Deus.

Confirmatur secundò : Animæ existentes in purgatorio exercent plures actus contritionis & charitatis, non minùs de se aptos ad satisfaciendum, quàm qui à nobis in hac vita eliciuntur, & tamen reipsa non satisfaciunt : Atqui hujus rei nulla alia ratio assignari potest ; nisi quia tales actus in hunc finem non acceptantur à Deo, qui tempus satisfaciendi & merendi ad spatium hujus vitæ limitavit : Ergo ut opus sit satisfactorium, requiritur acceptatio ex parte Dei, seu voluntas remittendi reatum pœnæ, intuitu talis operis. Ex quo fit quod pœnalibus operibus satisfacientes, infallibiliter consequantur remissionem pœnæ ordinariæ per se correspondentis peccatis, non tamen pœnæ extraordinariæ quam Deus interdum decernit in ultionem & punitionem peccati, ut patet in Davide, qui licèt valde probabiliter exhibuerit aliquid æquale pœnæ temporali restanti ex peccatis adulterij, homicidij, & superbiæ, sibi remissis, voluit tamen Deus infligere ipsi omnes illas pœnas quas per Prophetam suum ipsi denuntiaverat ; quia nimirum opera ejus satisfactoria, pro illarum pœnarum remissione non acceptaverat, sed eas ad terrorem & exemplum aliorum ipsi infligere decreverat. Si verò interdum obtineatur remissio vel commutatio hujus pœnæ extraordinariæ, ut varia Scripturæ exempla demonstrant, id non fit per modum satisfactionis, sed per modum impetrationis & meriti de congruo.

Articulus III.

Utrum satisfactio sit vera pars Sacramenti pœnitentiæ, & quem effectum causet ex opere operato?

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

29. Dico primò, Satisfactio Sacramentalis est pars, non essentialis, sed integralis duntaxat, Sacramenti pœnitentiæ.

Prima pars est certa de fide, ac definita in Florentino, in decreto unionis, ubi sic dicitur : *Quartum est Sacramentum pœnitentiæ, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio, secunda est oris confessio, tertia est satisfactio pro peccatis &c.* Idem docet Tridentinum sess. 14. cap. 3. & D. Thomas 3. p. qu. 90. art. 2. ubi sic discurrit : *Alio modo fit recompensatio offensæ in pœnitentia, & in vindicativa justitia : nam in vindicativa justitia fit recompensatio secundum arbitrium judicis, non secundum voluntatem offendentis vel offensi : Sed in pœnitentia fit recompensatio offensæ secundum voluntatem peccantis, & secundum arbitrium Dei, in quem peccatur, quia hic non quæritur sola redintegratio æqualitatis justitiæ (sicut in justitia vindicativa) sed magis reconciliatio amicitiæ, quod fit dum offendens recompensat secundum voluntatem ejus quem offendit. Sic igitur requiritur ex parte pœnitentis, primò quidem voluntas recompensandi, quod fit per contritionem ; secundò quod se subjiciat arbitrio Sacerdotis loco Dei, quod fit in confessione ; tertiò quod recompenset secundum arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactione, & ideò contritio, confessio, & satisfactio, ponuntur partes pœnitentiæ.* Ex quo probata manet prima pars conclusionis, quæ asserit, satisfactionem esse partem Sacramenti pœnitentiæ. Unde Gregorius lib. 6. in 1. Regum : *Quid prodest confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentiæ? Tunc namque benè conversum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis austeritate dolere nititur quod loquendo confitetur.*

30. Quòd verò non sit pars illius essentialis, sed duntaxat integralis, patet, Tum quia punitio rei non est de essentia, sed tantùm de integritate judicij, & veluti complementum ejus extrinsecum ; Tum etiam, quia satisfactio supponit sacramentum jam perfectum & completum essentialiter ; quia supponit gratiam, quæ est effectus Sacramenti, productum ; quod non convenit confessioni & contritioni, & ideò sunt partes essentiales hujus Sacramenti, non verò satisfactio. Addo quod, si satisfactio esset pars essentialis hujus Sacramenti, sequeretur quod moribundus, omni sensu destitutus, esset incapax Sacramenti pœnitentiæ, cùm nullam satisfactionem implere possit ; quod est contra communem sensum & praxim Ecclesiæ.

31. Dico secundò, satisfactionem Sacramentalem triplicem ex opere operato habere effectum, nempè remissionem pœnæ temporalis, ex peccatis jam condonatis relictæ, auxilia quædam supernaturalia ad faciliùs præcavenda peccata in futurum, & augmentum gratiæ habitualis.

Prima & secunda pars hujus cõclusionis admittuntur ab omnibus Theologis, & patent ex eo quod Sacramenta novæ legis id efficiunt ex opere operato quod significant, ex Tridentino sess. 7. can. 6. At satisfactio Sacramentalis significat pœnæ ex peccatis condonatis relictæ remissionem, & majorem in posterum peccata præcavendi facilitatem, quæ ex auxiliis gratiæ provenit : Ergo satisfactio Sacramentalis causat ex opere operato talem pœnæ remissionem, & auxilia illa supernaturalia ad faciliùs præcavenda peccata in futurum.

Tertia verò pars est contra plures ex Recentioribus, qui negant satisfactionem Sacramentalem causare augmentum gratiæ : est tamen D. Thomæ art. suprà citato, ubi secundo loco sibi objicit : *In Sacramentis novæ legis confertur gratia, ut suprà habitum est : Sed in satisfactione non confertur aliqua gratia : Ergo satisfactio non est pars Sacramenti.* Cui argumento sic respondet : *Ad secundum dicendum quod satisfactio confert gratiam prout est in proposito, & auget eam prout est in executione, sicut etiam baptismus in adultis, ut suprà dictum est.* Quibus verbis apertè docet, satisfactionem, prout fit in executione, verè causare augmentum gratiæ. 32. 33.

Nec valet quod ait Martinonus hìc disp. 51. sect. 8. D. Thomam intelligendum esse de augmento non intensivo sed extensivo, quoad liberationem à reatu pœnæ, quæ est quidam effectus gratiæ. Nam S. Doctor ibi apertè loquitur de augmento gratiæ intensivo, tum quia aliàs non solveret argumentum quod sibi objicit, Sacramenta enim novæ legis conferunt gratiam vel ejus augmentum intensivum, & non solùm extensivum ; tum etiam quia non valeret exemplum quod adducit, Baptismus enim causat augmentum gratiæ intensivum, & non solùm extensivum, quando confertur adultis per contritionem & charitatem jam justificatis.

Alia etiam explicatio quam ibidem subjungit, nempè D. Thomam per satisfactionem in executione, intelligere totum Sacramentum pœnitentiæ, ab ejus mente prorsus aliena est ; nam toto illo articulo considerat satisfactionem, ut est pars Sacramenti pœnitentiæ, & argumentum quod sibi objicit, probat satisfactionem non esse partem illius, ut patet ex verbis suprà adductis : Ergo etiam in responsione S. Doctor loquitur de satisfactione, ut est pars integralis Sacramenti pœnitentiæ, non verò de toto Sacramento ; alioquin laboraret in æquivoco, & objectioni propositæ non satisfaceret. Unde etiam statim in resp. ad 3. subdit : *Satisfactio est pars pœnitentiæ Sacramenti, fructus autem pœnitentiæ virtutis.* 34.

Potest etiam eadem pars ratione suaderi : Satisfactio enim nequit esse pars Sacramenti pœnitentiæ, nisi aliquo modo participet naturam totius Sacramenti, nam pars dicitur quæ integrat naturam totius : At natura totius Sacramenti pœnitentiæ, est conferre gratiam ex opere operato : Ergo idipsum competere debet satisfactioni Sacramentali ; unde cùm illa non possit producere primam gratiam, quia illam supponit per confessionem & absolutionem productam, saltem ejus agmentum ex opere operato causare debet. 35.

Confirmatur : Ideò Sacramentalis Confessio causat aliquem gradum gratiæ ex opere operato, 36.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia est pars Sacramenti : Sed satisfactio Sacramentalis est etiam pars Sacramenti : Ergo causat pariter aliquem gradum gratiæ ex opere operato.

Neque obstat primò, quod sit tantùm pars integralis, confessio autem pars essentialis. Ex hac enim disparitate concluditur solùm quod ille gradus gratiæ quem causat satisfactio, non sit de essentia gratiæ quam producit pœnitentiæ Sacramentum, sicut ille quem causat confessio, sed tantùm de ejus integritate. Imò hæc disparitas potiùs probationem nostram confirmat: Sicut enim confessio Sacramentalis ex eo quod sit pars essentialis pœnitentiæ, producit ex opere operato gratiam essentialem Sacramento pœnitentiæ; B sic satisfactio ex eo quod sit pars integralis, debet causare, quando actualiter impletur, gradum perfectionis ejusdem gratiæ, qui ipsam integret.

Non obstat etiam quod confessio Sacramentalis antecedat absolutionem, satisfactio verò non adimpleatur nisi post eam; cum hoc enim stat, quod dicat essentialiter habitudinem ad absolutionem, & ratione talis habitudinis sit productiva gratiæ. Addo quod, quamvis satisfactio regulariter loquendo non adimpleatur nisi post absolutionem, moraliter tamen illi, aliisque partibus Sacramenti pœnitentiæ conjungitur, ut cum illis unum Sacramentum constituat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

37. CONtra id quod diximus in tertia parte præcedentis conclusionis, nimirum satisfactionem Sacramentalem causare augmentum gratiæ habitualis, objiciunt primò aliqui Recentiores authoritatem D.Thomæ, qui in 4.sent.dist.16. qu.1. art. 1. hoc argumentum sibi objicit: *In Sacramento novæ legis gratia suscipienti confertur: Sed in satisfactione non confertur aliqua gratia: Ergo non est Sacramenti pars.* Cui sic respondet ibidem quæstiunc. 2. ad 3. *Dicendum quod ex proposito satisfaciendi gratia confertur, quamvis satisfactio actualis gratia præsupponat. Vel dicendum quod per satisfactionem consequitur pœnitens perfectum effectum gratiæ peccatum abolentis, quia liberat totaliter à reatu peccati.* Ergo ex D.Th. satisfactio Sacramentalis non causat augmentum gratiæ.

38. Respondeo primò, quod cùm D.Thomas idem omnino argumentum in Summa Theologica, quæ est ultimum ejus testamentum, loco suprà citato, proposuisset, aliter ei respondit, nempè quod *satisfactio confert gratiam prout est in proposito, & auget eam prout est in executione*; subindeque virtualiter & implicitè retractat quod docuerat in quarto libro sententiarum.

Secundò dici potest, S. Doctorem, cùm ait quod ex proposito satisfaciendi gratia confertur, quamvis satisfactio actualis gratiam præsupponat, loquitur de principali gratia quæ datur per Sacramentum pœnitentiæ; non intendit tamen negare quod satisfactio Sacramentalis conferat novum gradum gratiæ, qui sit complementum & perfectio integralis illius quæ per confessionem & absolutionem Sacramentalem confertur. E

39. Objiciunt secundò: Per unum Sacramentum una tantùm gratia Sacramentalis datur: Sed antequam sit satisfactio, in instanti nimirum quo Sacerdos profert verba absolutionis, Sacramentum pœnitentiæ causat gratiam sibi propriam: Ergo quando postea adimpletur satisfactio, nulla de novo causatur gratia Sacramentalis. A

Confirmatur: In Sacramento Eucharistiæ species vini, quæ sunt pars ejus, quando actualiter sumuntur, non conferunt novum gradum gratiæ distinctum ab eo quem species panis priùs sumptæ contulerunt, ut docuimus in Tractatu de Eucharistia: Ergo neque in Sacramento pœnitentiæ satisfactio quando actualiter impletur, tribuit novum gradum gratiæ distinctum ab eo quod Sacramentalis absolutio causavit, licèt sit pars integralis Sacramenti pœnitentiæ. *Disp.8. art.4.*

Ad objectionem respondeo quod licèt satisfactio Sacramentalis quando actualiter impletur, B novum gradum gratiæ producat, eo ipso tamen quod talis gratia sit complementum illius quæ causata fuit in Confessione, quando verba absolutionis à Sacerdote fuerunt prolata, non ponit in numero cum illa. 40.

Ad confirmationem, concesso Antecedente, nego consequentiam & paritatem. Ratio verò discriminis est, quia cùm virtus productiva gratiæ in Sacramento Eucharistiæ sit Christus, species panis continentes totum Christum, totam hujus Sacramenti virtutem continent; unde non mirum quod priùs sumptæ à Sacerdote celebrante, totum Sacramenti Eucharistiæ effectum in illo producant, subindeque species vini cùm totum hujus Sacramenti effectum productum in- C veniant, nullum novum gradum gratiæ ei conferant. At verò Confessio Sacramentalis, & absolutio, non continent totam virtutem productivam gratiæ quæ est in Sacramento pœnitentiæ, sed est aliqua pars talis virtutis quam Deus communicat ipsi satisfactioni Sacramentali, quando actualiter postea impletur; ex quo fit, quod tunc satisfactio novum aliquem gradum gratiæ habitualis in pœnitente producat.

Objiciunt tertiò: Si satisfactio Sacramentalis causaret gratiam, esset pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ: Sed hoc dici nequit, ut in prima conclusione ostensum est: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur: Si satisfactio Sacramentalis causaret gratiam, illam significaret, cùm D Sacramenta novæ legis solùm efficiant id quod significant: si autem satisfactio Sacramentalis gratiam significaret, non posset non esse pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ; illud enim quod substat significationi Sacramentali, est pars essentialis Sacramenti: Sed si satisfactio significaret gratiam, substaret significationi Sacramentali, sicut contritio, confessio, & absolutio: Ergo tam benè esset pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, quàm tres illi actus qui tale Sacramentum intrinsecè & essentialiter constituunt. 41.

Respondeo negando sequelam Majoris, & ad ejus probationem dico, quod licèt satisfactio substet significationi Sacramentali, quia tamen E non substat significationi essentiali, sed integrali, ex eo quod non significat gratiam huic Sacramento essentialem, sed augmentum ejus & perfectionem, non est pars essentialis, sed duntaxat integralis Sacramenti pœnitentiæ. Unde in forma distinguo Majorem: Illud quod substat significationi Sacramentali essentiali, est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, concedo Majorem. Illud quod substat significationi Sacramentali integrali duntaxat, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. 42.

Objiciunt quartò, ex nostra sententia & doctrina 43.

ctrina sequi tria inconvenientia. Primum est, A quod Sacramentum pœnitentiæ erit Sacramentum vivorum, saltem quantùm ad satisfactionem, quandoquidem gratia quam per satisfactionem Sacramentalem producet, erit augmentum alterius quæ per alias partes ejusdem Sacramenti producitur. Secundum est, quod ille qui in peccato mortali adimpleret pœnitentiam sibi injunctam, peccaret mortaliter, utpotè cùm eo ipso poneret obicem gratiæ Sacramentali quæ est effectus satisfactionis. Tertium est, quod qui pœnitentiam in prædicto statu impleret, cum sola attritione justificaretur, & fieret de attrito contritus, ac si Sacramentum pœnitentiæ de novo reciperet.

44. Respondeo nullum ex tribus illis inconve- B nientibus sequi ex nostra doctrina. Non quidem primum, quia ratio Sacramenti vivorum vel mortuorum, non desumitur penes illum gradum gratiæ, qui est complementum gratiæ principalis, sed tantùm penes ipsam principalem gratiam. Nec etiam secundum, quia licèt satisfactio Sacramentalis novum gradum gratiæ ex opere operato tribuat, eo ipso tamen quod talis gradus non sit gratia essentialis Sacramenti pœnitentiæ, sed tantùm ejus complementum & perfectio integralis, non peccat mortaliter qui tali gradui obicem ponit, sed solùm qui ponit obicem gratiæ essentiali. Tertium denique inconveniens nullo modo sequitur ex nostra doctrina: Tùm quia reddere de attrito contritum, est proprietas totius Sacramenti pœnitentiæ, non verò partium ejus seorsim: Tùm etiam, quia cùm satisfactio novum gradum gratiæ non tribuat, nisi virtute absolutionis Sacerdotis quæ præcessit, & ad quam dicit habitudinem; absolutio verò non se extendat ad peccatum in quo satisfactio adimpletur, utpotè quod commissum fuit post absolutionem, nequit solùm attritus de illo peccato, virtute satisfactionis Sacramentalis prò præcedentibus peccatis, de illo fieri contritus, & justificari.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

45. EX dictis colligitur primò, teneri Sacerdotem, auditâ Confessione, satisfactionem quæ vulgò pœnitentia appellatur, pœnitenti injungere; nec satis esse quod qualemcumque injungat, sed teneri injungere aliquo modo proportionatam gravitati criminum & eorum multitudini, atque etiam dispositioni & conditioni pœnitentis nisi rationabilis causa excuset.

Prima pars hujus corollarij patet, cùm enim Confessarius sit minister Sacramenti pœnitentiæ, tenetur efficere illud integrum: Atqui satisfactio est pars integralis Sacramenti pœnitentiæ, ut in prima conclusione ostensum est: Ergo E tenetur Confessarius auditâ Confessione satisfactionem pœnitenti injungere. Fieret enim alicui injuria Sacramento, si pars integralis sine qua injuria Sacramento, si pars integralis sine causa omitteretur; ut si quis in Extrema-Unctione sine causa omitteret aliquam sensûs inunctionem.

Quod verò teneatur Sacerdos ad servandam æquitatem, injungendo satisfactionem pro criminum qualitate, & pœnitentium facultate, ita ut nequeat pro libito gravem aut levem satisfactionem pro quibusvis peccatis injungere, patet ex Tridentino sess.14. cap.8. ubi sic dicitur: *Debent sacerdotes Domini, quantùm Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere, ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Ratio etiã suffragatur: Sacerdotes enim in hoc tribunali sunt ordinarij judices à Christo constituti, non minùs ad causas Dei quàm pœnitentium agendas: judices autem tenentur secundùm leges à supremo Principe sibi constitutas judicare: Ergo tenentur Sacerdotes perpensa gravitate criminum, & pœnitentium facultate, condignas & salutares pœnitentias illis injungere.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Sacerdos in tribunali pœnitentiæ tria agit munia seu officia, non solùm enim est minister hujus Sacramenti, sed præterea judicem & medicum agit; inquantùm minister, debet efficere Sacramentum integrum, subindeque aliquam injungere pœnitentiæ satisfactionem, cùm satisfactio sit pars integralis hujus Sacramenti; inquantùm verò medicus, debet vulnera pœnitentis curare, & per consequens salutarem, ac morbis animæ suæ sanandis convenientem pœnitentiam injungere; ut judex verò, debet servare æquitatem, ac proinde condignam & proportionatam gravitati criminum injungere pœnitentiam. Unde Cyprianus in lib. de Lapsis. *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta ille sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit, simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem. Quos diligo inquit Dominus redarguo & castigo. Sic oportet & Dei sacerdotem, non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus providere. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat & in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat exaggerat. Aperiendum vulnus est & secandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cùm senserit sanitatem.* Hinc S. Antoninus 3. p. tit.14. cap.20. docet quod *satisfactio est actus justitiæ, & ideo æqualitas quædam requiritur inter offensam & opus satisfactorium, quia justitia consistit in quadam æqualitate.* Et S. Carolus Borromæus Act. p.4. de modo imponendæ pœnitentiæ pag.523. *Parochus* (inquit) *videbit ne peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat; id quod & confessoribus & pœnitentibus periculosum est; cùm id à sacris litteris & Conciliorum decretis & à SS. Patrum sententiâ alienum sit: nam divinæ litteræ ab iis qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos pœnitentiæ faciant, utque ad Dominum convertantur in jejunio, fletu, & planctu. Et verò qui peccatis gravibus leves quosdam pœnitentiæ modos imponunt, hi* (Canon inquit) *consuunt pulvillos, secundùm propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas. Imò Concilium Tridentinum docet, alienorum peccatorum participes fieri eos confessores, qui dum pœnitentibus indulgentiùs agunt, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungunt.*

Dixi, *nisi rationabilis causa excuset*, quia ex causa rationabili potest interdum Confessarius pœnitenti leviorem satisfactionem injungere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est autem rationabilis causa, primò si pœnitens gravi morbo sit oppressus. Secundò si lucretur indulgentiam plenariam. Unde Cyprianus serm. de Lapsis: *Pœnitentiæ, optanti, roganti, potest (Sacerdos) clementer ignoscere, potest acceptum ferre quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.*

Tertiò imbecillitas ac fragilitas pœnitentis, si nimirum periculum esset ne deinde aliquod peccatum mortale subticeret in aliis confessionibus, vel ne deterreretur à confessione, vel ut non impleret pœnitentiam injunctam: cùm in hoc Sacramento magis intendi debeat salus pœnitentis & ejus emendatio, quam satisfactio pro pœna, utpotè cùm id cedat in majorem Dei gloriam, qui potissimùm vult salutem peccatoris; & aliàs nihil propterea de satisfactione Deo debita pro pœna temporali excidat; quia si peccator in præsenti vita non plenè satisfaciat solvet in alia usque ad novissimum quadrantem. Unde Gerson in regul. moral. cap. de pœnitentia, dicit tutius esse cum parva pœnitentia, quæ sponte suscipitur, & verisimiliùs adimplebitur, ducere Confessos in purgatorium, quàm cum magna non implenda præcipitate in infernum. Et Cajetanus in Summa, verbo *satisfactio*, ait debiliter dispositò pœnitenti dandam esse satisfactionem parvulam, ut parvulus ignis foveatur appositâ paleâ, nec suffocetur appositis lignis desuper.

Sunt etiam plures Doctores qui existimant, quod si constet Sacerdoti pœnitentem ante Confessionem sufficienter satisfeciss pro peccatis, non teneri ullam satisfactionem illi imponere: si enim (inquiunt) quo major præcessit in pœnitente pro suis peccatis satisfactio, eò minorem potest Confessarius pœnitentiam imponere, si præcessit condigna, poterit nullam imponere. Neque enim (subdunt) semper est de integritate judicij hujus Sacramentalis satisfactio & injunctio pœnæ, sed tunc solùm quando reatus aliquis pœnæ solvendus supereſt, & punitio exercenda. Hæc sententia probabilitate non caret, hunc tamen casum plane metaphysicum esse existimo cùm vix unquam citra revelationem constare possit Sacerdoti, quod pœnitens omnino perfectè satisfecerit.

46. Colligitur secundò ex dictis, teneri pœnitentem pœnitentiam sibi à Confessario injunctam acceptare, & acceptatam adimplere, quidquid in contrarium doceant Cajetanus, Navarrus, & alij, dicentes pœnitentem remittere posse solutionem pœnæ temporalis in aliam vitam. Patet etiam hoc corollarium ex dictis, tum quia pœnitens non minùs quàm Sacerdos tenetur facere Sacramentum pœnitentiæ integrum. Tum etiam, quia potestas in judice & superiore ad injungendum, & obligatio in inferiore ad obediendum, correlativa sunt: Sed in Sacerdote est potestas ligandi pœnitentem, injungendo ei satisfactionem, ut constat ex Tridentino sess. 14. cap. 8. ubi sic ait: *Habeant præ oculis* (Sacerdotes) *ut satisfactio quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem: nam claves Sacerdotum non ad absolvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt & docent.* Ergo in pœnitente est obligatio acceptandi pœnitentiam à Sacerdote injunctam, & adimplendi acceptatam. Unde ad id quod dicunt Cajetanus & Navarrus, posse pœnitentem remittere solutionem pœnæ in aliam vitam, respondendum est, hoc esse verum absolutè, spectatâ lege naturæ, falsum verò in nova lege, & suppositâ institutione Sacramenti pœnitentiæ, in quo datum est Sacerdotibus judicium de peccatis, & pœnis pro illis subeundis.

Ex his sequitur primò, eum qui sponte venialia subjicit Sacramento pœnitentiæ, teneri acceptare & adimplere pœnitentiam sibi injunctam; quia licèt nullus teneatur peccata venialia confiteri, supposito tamen quod aliquis ea confiteri velit, & clavibus Ecclesiæ subjicere, tenetur ad præstandum quidquid ad essentiam vel integritatem Sacramenti necessarium est.

Sequitur secundò, non esse à Confessario absolvendum, pœnitentem illum, qui ita dispositus est, ut nullam pœnitentiam ab illo acceptare velit, dicens se velle remittere solutionem pœnæ temporalis ad aliam vitam; ille enim non est ad hoc Sacramentum dispositus, cum præstare nolit id quod requiritur ad ejus integritatem.

Sequitur tertiò, non posse pœnitentem propriâ authoritate commutare sibi pœnitentiam à Confessario injunctam in evidenter meliorem: Tum quia cùm non exequatur sententiam judicis, non satisfacit ejus præcepto; sicut non satisfacit Ecclesiæ præcepto, qui loco jejunij ad quod obligatur, facit alia meliora. Tum etiam, quia illud aliud opus, cùm non sit ei injunctum virtute clavium, rationem satisfactionis Sacramentalis habere nequit.

Sequitur quartò, pœnitentem teneri, quam primum commodè potest, vel saltem antequam novam Confessionem faciat, pœnitentiam sibi injunctam adimplere, quia antequam ad novum Sacramentum conficiendum accedat, tenetur præcedens perficere. Qui verò ex oblivione vel negligentia pœnitentiam injunctam suo tempore non adimplevit, alio tempore illam adimplere tenetur; nisi injuncta fuerit à Confessario ut certo die adimplenda: putà jejunium in vigilia Nativitatis B. Virginis; tunc enim si die illâ non jejunavit, non tenetur alio die jejunare, sed tantùm de omissione dolere, eamque suo tempore confiteri; quia talis pœnitentia est addicta certo tempori, quo elapso, non ampliùs obligat; sicut quia præceptum de recitando officio, vel de audiendo sacro, certo tempori addictum est, eo elapso non ampliùs obligat. A fortiori non tenetur pœnitens facere aliam pœnitentiam, si ad eam quæ sibi à Confessario imposita est fiat impotens; ut si propter infirmitatem fiat impotens ad impositum jejunium exequendum, non tenebitur eleemosynam facere, vel orare.

Tertiò ex supra dictis colligitur, satisfactionem Sacramentalem in peccato adimpletam, non fortiri suum effectum, quandiu pœnitens est in statu peccati, benè tamen postea, quando tollitur fictio.

Prima pars hujus corollarij patet, ex dictis 47. conclusione secundâ, nam ut ibi ostensum est, præcipuus & primarius effectus satisfactionis Sacramentalis, à quo cæteri minùs principales (ut sunt remissio pœnæ temporalis, & collatio auxiliorum ad evitanda imposterum peccata) dependent, est augmentum gratiæ habitualis: Sed tale augmentum pœnitenti conferri nequit, quandiu est in statu peccati, cùm augmentum gratiæ primam ejus infusionem supponat: Ergo satisfactio Sacramentalis in peccato mortali adimpleta, suum effectum habere nequit.

Quòd

Quòd verò illum postea habeat, quando pœnitens per contritionem, vel per attritionem cum Sacramento, fictionem tollit, patet ex eo quod satisfactio ut pars Sacramenti, imitari debet naturam totius: At Sacramentum pœnitentiæ, si contingat esse informe, recedente fictione, confert suum effectum ex opere operato, ut suprà disp. 10. art. 1. ostensum est: Ergo & satisfactio.

48. Ex hoc corollario sequitur aliud, nempè satisfactionem Sacramentalem ex malo fine veniali, putà ex vana gloria, impletam, conferre suum effectum ex opere operato; secùs verò illam quæ fit ex fine mortaliter malo, quia augmentum gratiæ & charitatis non est incompossibile cum peccato veniali, benè tamen cum mortali.

Confirmatur: Eodem proportionali modo philosophandum est de satisfactione Sacramentali, ac de Confessione Sacramentali: Sed Confessio Sacramentalis ex malo fine veniali facta, non privatur suo effectu ex opere operato, bene autem illa quæ fit ex fine mortaliter malo: Ergo & satisfactio Sacramentalis.

49. Demum ex suprà dictis colligitur, satisfactionem Sacramentalem suum effectum ex opere operato non conferre ante absolutionem, quamvis ante illam impleta fuerit. Ratio est, quia satisfactio Sacramentalis nequit suum effectum ex opere operato conferre, nisi ut pars integralis Sacramenti: Sed nequit esse pars integralis Sacramenti, nisi supponat Sacramentum essentialiter constitutum, scilicet absolutione sacrâ: Ergo nequit ante illam suum effectum ex opere operato conferre. Minor probatur: Pars integralis pendet ab essentiali, nisi enim sit essentia Sacramenti, nequit esse pars integralis illius, sicut nequit esse pars integrans hominem, nisi supponat essentialiter hominem constitutum.

ARTICULUS IV.

An possit unus Confessarius tollere vel saltem commutare pœnitentiam ab alio priùs impositam?

50. FAtentur omnes quod si pœnitentia ab uno Sacerdote priùs injuncta, non fuerit rationabiliter & cum discretione imposita, poterit alius Sacerdos, licèt ei non superior, pœnitentiam illam commutare vel moderari. Tùm quia Sacerdos ex vi clavium non habet potestatem imponendi pœnitentias irrationabiles, & fini Sacramenti improportionatas. Tum etiam, quia hic actus, non est actus jurisdictionis, sed prudentiæ; unde in eo casu non solùm Confessarius, verùm etiam alius quivis homo doctus, per viam consilij pœnitentiam illam inconsideratè & (ut loquuntur Theologi) *errante clave* injunctam, moderari potest. Solùm igitur controversia est, an quando pœnitentia proportionatur tam peccatis quàm facultati pœnitentis, ac proinde illum ad sui executionem obligat, possit ex rationabili causa ab alio Confessario mutari? Negant Soto, Nugno, Ledesma, & Philippus à S. Trinitate. Affirmant Sylvester, Suarez, Vazquez, Sylvius, Candidus, & alij. Addunt Navarrus, Henriquez, Valentia, & Sa, id posse fieri etiam extra Confessionem, & non auditis peccatis pro quibus talis pœnitentia fuit injuncta. Quin ulteriùs censent Navarrus, Henriquez, & Candidus, inferiorem Sacerdotem mutare posse pœnitentiam impositam à superiore, propter peccata reservata. Pro resolutione difficultatis, & probabilioris sententiæ explicatione.

Dico primò, nullus Sacerdos, sive inferior, sive æqualis, sive superior, potest pœnitentiam ab alio injunctam omnino tollere. 51.

Probatur ratione fundamentali: Sacramentum pœnitentiæ debet indispensabiliter esse integrum, cùm hæc integritas sit de jure divino, & Christi institutione: At si Sacerdos aliquis pœnitentiam ab alio injunctam omnino tolleret, Sacramentum non esset integrum, quia careret satisfactione quæ est pars ejus integralis: Ergo nullus Sacerdos sive inferior, sive æqualis, sive superior, potest pœnitentiam ab alio injunctam omnino tollere.

Dico secundò, Quivis legitimus Confessarius mutare potest pœnitentiam ab alio impositam propter peccata non reservata; sed nonnisi in Confessione, & auditis peccatis pro quibus fuit imposita. 52.

Prima pars probatur: Pœnitens habet jus eadem peccata uni confessa, alteri iterum confitendi: Ergo quilibet legitimus Confessarius habet potestatem ea judicandi & condignâ pœnitentiâ puniendi: At pœnitens non tenetur duplicem de iisdem peccatis condignâ satisfactionem subire, nec ad hoc rationabiliter cogi potest: Ergo potest ex causa rationabili, relictâ pœnitentiâ prioris Confessarij, exequi pœnitentiam posterioris.

Confirmatur: Potest superior pœnitentiam ab inferiori injunctam commutare, ut fatentur Adversarij: Ergo & quilibet alius legitimus Confessarius id similiter potest. Probatur consequentia, quia licèt respectu jurisdictionis unus Sacerdos alteri superior sit, respectu tamen judicij Sacramentalis omnes Sacerdotes jurisdictionem habentes, sunt æquales, cùm omnes æqualem à Deo accipiant potestatem in susceptione Ordinis: Sed Confessarius non injungit pœnitentiam Sacramentalem, nisi ut judex in hoc foro à Christo constitutus in Ordinis susceptione: Ergo omnes legitimi Confessarij quantùm ad potestatem imponendi vel commutandi pœnitentiam Sacramentalem, pro peccatis non reservatis, sunt æquales; unde distinctio illa Judicis superioris & inferioris non valet in proposito, nisi quantùm ad pœnitentiam pro peccatis reservatis injunctam, quia reservatio peccatorum non est actus potestatis Ordinis, sed jurisdictionis, in qua Sacerdotes & Confessarij sunt inæquales.

Dices, Non potest Confessarius in foro interiori sententiam alterius sibi æqualis revocare, 53. sicut in foro exteriori nequit unus Judex, nisi sit superior, mutare sententiam alterius, quia ut communiter dicitur, par in parem non habet imperium: Ergo non potest Confessarius pœnitentiam ab alio Confessario sibi æquali injunctam commutare.

Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam; Confessarius enim commutando pœnitentiam non revocat propriè sententiam alterius sibi æqualis à quo injuncta fuit, sed profert suam, & pœnitentem liberum relinquit cui voluerit se submittere; unde in eo casu unus Confessarius non exercet jurisdictionem supra alium, sed supra pœnitentem, in cujus gratiam institutum est hoc Sacramentum. Nec est eadem ratio de Judice fori exterioris, tum quia tale forum in favorem rei nō est institutum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sicut Sacramentum pœnitentiæ ; tum etiam, quia cum mutatio sententiæ in tribunali forensi fiat in foro externo, minueretur fama alterius Judicis, mutatio verò sententiæ sacræ, cùm fiat in foro interno conscientiæ, nullam potest inferre injuriam vel famæ diminutionem Confessario qui pœnitentiam imposuit.

54. Secunda pars conclusionis, quæ asserit Confessarium non posse mutare pœnitentiam ab alio impositam, nisi in confessione, & auditis peccatis propter quæ fuit imposita, probatur breviter contra Navarrum, & Henriquem, aliosque Authores suprà citatos, quia commutatio illa pœnitentiæ est actus judicialis : Sed actus judicialis exerceri non potest incognitâ causâ : Ergo non potest Confessarius mutare pœnitentiam ab alio impositam, nisi auditis priùs in confessione peccatis propter quæ fuit imposita.

55. Confirmatur : Cùm ad commutandam pœnitentiam necessarium sit unam relaxare & aliam imponere, eadem est potestas imponendi & commutandi, & utraque procedit ab eadem virtute clavium : Sed pœnitentia Sacramentalis nequit injungi nisi in ipso tribunali confessionis : Ergo nec commutari.

Dico secundò, inferior Sacerdos non potest mutare pœnitentiam impositam à superiore propter peccata reservata.

56. Probatur contra eosdem Authores : Eadem est potestas imponendi & commutandi pœnitentiam, & utraque procedit ab eadem virtute clavium, ut suprà dicebamus : Sed inferior Sacerdos non potest imponere pœnitentiam pro peccatis reservatis, cùm ab illis non possit absolvere : Ergo nec potest commutare pœnitentiam pro peccatis reservatis à superiore injunctam.

Confirmatur : Ut Sacerdos possit commutare pœnitentiam pro aliquibus peccatis injunctam, debet posse de illis ferre judicium seu sententiam, cùm commutatio illa pœnitentiæ sit actus judicialis : Sed non potest Sacerdos inferior ferre judicium de peccatis superiori reservatis : Ergo nec pœnitentiam pro illis injunctam commutare.

57. Dices, per absolutionem superioris sublatam fuisse reservationem, eâ verò sublatâ, peccata illa eodem modo se habere ac si nunquam fuissent reservata, atque adeò posse Sacerdotem inferiorem ferre de illis judicium, sicut de non reservatis.

Sed contra : Licèt pœnitens à peccatis reservatis fuerit à superiore absolutus, non propterea tamen eodem modo se habet Sacerdos inferior in ordine ad reservata, ac circa non reservata ; in illa enim per accidens tantùm & ex suppositione prioris judicij facultatem habet, per se autem in non reservata ; unde potest pœnitentiam pro non reservatis injunctam commutare, non verò impositam pro reservatis ; quia sicut in materiam præcedentis judicij in quo reservatio sublata est, non habet jurisdictionem, sic neque in sententiam prolatam, & impositionem pœnitentiæ factam à Prælato ; in hujusmodi enim pœnitentiis à Prælato pro reservatis impositis, involvitur tacitum præceptum, ne possint ab aliis commutari, nisi urgente gravi necessitate, & ad superiorem recursus non facilè pateat.

ARTICULUS V.

Utrum possit unus pro alio satisfacere ?

58. NOtandum primò, satisfactionem aliam esse sacramentalem, quæ per modum partis integralis ad constitutionem sacramenti Pœnitentiæ requiritur ; aliam absolutam, & non sacramentalem, per quam homo operibus à Sacerdote non injunctis, conatur aliquam pro pœna temporali peccatis remissis debita tribuere Deo compensationem.

59. Notandum secundò, utramque satisfactionem dupliciter considerari posse, nimirum ut medicinam & remedium peccati, & ut compensationem pœnæ in purgatorio debitæ. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ,

60. Dico primò, unus non potest pro alio satisfacere, si satisfactio consideretur ut medicina & remedium peccati. Ita D. Thomas hic quæst. 13. art. 2.

Probatur, quia medicina recipi debet & solet in eo tantùm subjecto in quo est morbus ; neque morbus unius sanatur per remedium alteri applicatum : Ergo satisfactio in ratione medicinæ solùm prodest satisfacienti, subindeque non potest unius pro alio satisfacere, si satisfactio ut medicina & remedium peccati consideretur.

61. Dico secundò unus potest pro alio satisfacere, si satisfactio consideretur ut est compensatio pœnæ in purgatorio debitæ. Ita D. Thomas ibidem, & constat tum ex articulo fidei quo credimus communionem Sanctorum ; hunc enim articulum semper intellexit Ecclesia hoc sensu ut bona opera existentium in gratia & charitate, communia sint omnibus, & invicem mutuum præstent commodum & utilitatem, etiam per modum satisfactionis pro pœnis in purgatorio debitis. Tum ex Tridentino sess. 25. cap. 1. ubi docet animas in purgatorio detentas, multùm juvari suffragiis, orationibus, aliisque bonis operibus vivorum in charitate existentium. Colligitur etiam ex illo Apostoli ad Coloss. 1. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia.* Quæ verba, licèt plures sensus admittere possint, ille tamen qui facit ad propositum, & quem tradunt, Chrysostomus, Theophilactus, Anselmus, & D. Thomas ibidem, & Augustinus in Psal. 61. & 86. est ut Apostolus velit dicere, se non solùm sustinuisse passiones suas in carne sua, ut conjunctæ Christi passionibus sibi prodessent, sed etiam universæ Ecclesiæ, seu corpori totius Ecclesiæ, pro qua Christus pati voluit non solùm in se, sed etiam in membris suis.

62. Ratio etiam suffragatur : Omnes enim sumus unius corporis membra, unde sicut in corpore humano, unumquodque membrum, non in suam tantùm, sed in aliorum etiam utilitatem operatur ; ita in mystico Ecclesiæ corpore, membra quæ viva sunt & utiliter operari possunt, sibi invicem mutuum præstant commodum & utilitatem, bonaque sua opera pœnalia & satisfactiones sibi invicem communicant, juxta illud Psalmistæ : *Particeps ego sum omnium timentium te & custodientium mandata tua.* Unde Apostolus ad Ephes. 5, nos admonet, ut quemadmodum Christus caput nostrum pro suo corpore se tradidit, ita & unumquodque membrum se tradat

tradat pro alio. Et ad Galat. 6. ait : *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.*

63. Nec obstat quòd ibidem paulò post subjungat : *Unusquisque onus suum portabit :* Sicut enim libro de consensu Evangelistarum cap. 30. ante medium Augustinus interpretatur, & ex eodem Beda in Epist. ad Galat. *Nisi oneris nomen sub diversis significationibus acceperis, proculdubio putabis eundem sibi in loquendo esse contrarium, & hoc in sua sententia tam vicinè positis verbis : qui cum paulò ante diceret :* Alter alterius onera portate, *postea dixit,* Unusquisque proprium onus portabit. *Sed alia sunt onera participandæ infirmitatis, alia reddendæ rationis Deo de actibus nostris. Illa cum fratribus sustinenda communicantur : Hæc propria ab unoquoque portantur.* Sensus est, quod quantùm ad meritum vel demeritum, unusquisque proprium onus portat, propter suum opus benè vel malè factum, remuneratur solus, vel punitur : Sed quantùm ad id quod est alienam infirmitatem ferre, condolendo, compatiendo, & pro pœnis temporalibus, peccatis aliorum debitis satisfaciendo, unus portare potest alterius onus. Unde in vitis Patrum lib. 5. qui de fornicatione inscribitur, numero 27. dicitur quod unus frater innocens, fingens se fornicatum fuisse, pœnitentiam egit pro alio qui reipsa fuerat fornicatus ; & peccatum quod iste commiserat, ipsi fuit remissum.

64. Pro majori autem hujus conclusionis intelligentia, advertendum est, duobus modis fieri posse quod unus satisfaciat pro alio, immediatè scilicet, exhibendo pro pœnis debitis peccato alterius condignam satisfactionem, seu applicando pœnam temporalem quam in exercitio alicujus operis patitur, pro compensatione pœnæ temporalis quam alter pro peccato quoad culpam & pœnam æternam remisso solvi deberet ; & mediatè, impetrando scilicet alteri auxilium quo per propriam satisfactionem, & per propria opera pœnalia, pro pœna temporali debita, peccato satisfaciat. Utroque modo potest unus fidelis pro aliis fidelibus viventibus satisfacere ; pro animabus verò in purgatorio existentibus, solùm primo modo ; quia cùm illæ sint extra statum viæ, non possunt per suas operationes & passiones Deo satisfacere, sed tantùm satispati.

65. Dico tertiò, unus non potest satisfacere pro alio, satisfactione sacramentali.

Probatur : Ex Tridentino sess. 14. cap. 3. materia hujus sacramenti sunt ipsi actus pœnitentis, qui virtute clavium elevantur ad esse sacramenti : Ergo actus satisfactorij ab alio eliciti, non sunt apta materia virtute clavium elevabilis ad esse sacramenti.

66. Dices primò, Confessarius potest pœnitenti injungere pœnitentiam per alium exequendam, ad petitionem ipsius pœnitentis, ut communiter docent Theologi : Ergo potest unus satisfacere pro alio, satisfactione sacramentali.

Sed nego Consequentiam, nam in tali casu opus illud satisfactorium, si consideretur præcisè ut fit ab alio, non est pars sacramenti, sed solùm ut fit ex pœnitentis ipsius petitione ; quare talis petitio est formale in hac satisfactione, opus autem satisfactorium alterius est materiale illius, ordinatum ab ipso pœnitente ; unde semper habetur quod satisfactio sacramentalis, quantùm ad formale, est actus pœnitentis.

67. Dices secundò, Eleemosyna facta per famulum ex imperio vel consensu domini, censetur esse actus ipsius domini : Ergo similiter pœnitentia impleta ab alio ex imperio vel consensu ipsius pœnitentis, censetur esse actus ipsius pœnitentis, subindeque apta materia hujus sacramenti.

Respondeo negando etiam Consequentiam ; Eleemosyna enim fit à domino principaliter, à famulo autem nonnisi instrumentaliter, cùm illam non elargiatur ex bonis suis, sed domini : pœnitentia verò ex imperio vel consensu pœnitentis impleta ab alio, fit ab illo ut à causa principali, quia fit ex propris operationibus, putà oratione aut peregrinatione, qui sunt actus proprij peregrinantis vel orantis, non verò ipsius pœnitentis.

TRACTA

Universidad de Deusto
Biblioteca

TRACTATUS SEXTUS.
DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

A quæstione 29. supplementi, usque ad 34.

PRÆFATIO.

POSTQUAM eâ quâ par erat aut potuimus perspicuitate & diligentiâ, de Sacramento Pœnitentiæ, ejusque variis partibus, superiori tractatione egimus, recta doctrinæ methodus & ordo postulant, ut de Extremæ-Unctionis sacramento, ultimo quo morientes homines muniuntur, & æternitatis sibi viam parant, disseramus. Enimverò, si utriusque sacramenti munera, quæ ex Christi prima institutione sortiuntur, expendamus; erit sanè nemini dubium, quin hoc postremum, alterum prius consequi debeat, cùm pœnitentiæ consummatio quædam & complementum, sacra hæc & Extrema-Unctio, semper existimata sit. Idque etiam sapienter Concilium Tridentinum advertit sess. 14. ubi cùm eam methodum quâ nos utimur usurparet, rationem subjungit, his verbis: Visum est sanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de pœnitentia, adjungere ea quæ sequuntur de sacramento Extremæ-Unctionis, quod non modò pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patribus. *Sed operæ pretium erit utriusque sacramenti vel peccato mortuorum, vel vitæ morientium, paucis collationem inire: hinc enim palam fiet, eam esse utriusque cognationem & fœdus, ut minimè sejungi debeant, aut commodè possint. Et primùm quidem sacramentum Pœnitentiæ ad delendas peccatorum maculas, eluendas sordes, curandos animorum morbos, fuisse institutum, nemo nescit: Sed præterea desordiumque, ac morborum reliquiæ, quæ nondum summam munditiem, integramque sanitatem consecutis hærere solent, detergerentur: id verò munus est sacræ morientium unctionis, eaque vis: nam ut inquit Tridentinum:* Res & effectus hujus sacramenti, gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta si quæ sint expianda, ac peccati reliquias abstergit. *Unde non immeritò pœnitentiam, cujus vel ipsum nomen pœnam, laborem, crucemque significat, acre & mordax vinum esse dixeris, quod pius Samaritanus vulneribus curandis infundit: Sed quis neget Extremæ-Unctionis sacramentum adhibere oleum quo liniantur & foveantur vulnera, & in moriente homine integra sanitas animæ recuperetur.*

Sess. 14. cap. 2.

Sed præter eam collationem exemplo confirmatam, altera sponte & pene non cogitantibus sese offert. Nos equidem è servitute Dæmonis, à quo detinebamur captivi, cui veluti servi eramus addicti (à quo enim quis superatus est, hujus & servus effectus est) sacramentum Pœnitentiæ eripit, & veluti catenis exoneratos, vinculisque exsolutos, in libertatem filiorum Dei asserit: Sed non adeò suis juribus, etsi summâ injuriâ,

injuriâ, in hominem infinito sanguinis Christi pretio redemptum, gratiâ exornatum, Deique filium, prætensis, Dæmon cessit, ut non iterum atque iterum sæpius pugnam instauret, ac potissimùm ultimo mortis articulo, cùm jam ultima res agitur, nec semel amissa victoria postea recuperari unquam potest: tunc enim viribus omnibus quibus valet enititur, conatum omnem adhibet, nihilque non tentat. Sed non defuit supremo periculo piissimus Dominus, sacri Chrismatis Extrema-Unctio, felicius, quàm olim in palæstris fieri solitum esset, pugnaturum hominem, velut athletam in agone vel agonia constitutum, ad ineundam contra Dæmonem pugnam inungit, & ad victoriam reportandam vires addit. Sed hæc accipe elegantiùs à Tridentino Concilio quàm à me dici possent. Clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversùs omnia hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritûs incommodo possent: ita Extremæ-Unctionis sacramento, finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat, & captet, ut devorare animas quoquo modo possit; nullum tamen tempus est, quo vehementiùs ille omnes suæ versutiæ nervos intendat, ad perdendos nos penitùs, & à fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perspicit.

Sess. 14. in præfat. doctrinæ de Extrema-Unctione.

Sed demum ultimam collationem, quæ iniri potest, præterire non debeo. Sacramentum Pœnitentiæ secundam post naufragium tabulam Patres vocant, quâ per turbidum mare, cum naufragij metu & periculo, ad æternitatis portum tendimus; sed Extremæ-Unctionis sacramento, ipsum æternitatis portum attingimus, & patriam salutamus; cùm id eximium & singulare hoc sacramentum habeat, ut salutis spem roboret, divinæ misericordiæ fiduciam, ut inquit Tridentinum, in nobis excitet, & ad introitum gloriæ hominem disponat. Unde non immeritò, ut Baptismus sacramentum fidei, Eucharistia sacramentum amoris, ita Extrema-Unctio, sacramentum spei nuncupari potest.

*Hæc habui (*AMICE LECTOR*) quæ præfationis loco, & qualecumque hujus Tractatûs de sacramento Extremæ-Unctionis ornamentum scriberem. Hic verò erit nostrarum Disputationum ordo. Post defensam contra Hæreticos hujus sacramenti existentiam, illius essentiam postea explicabo, & quâ materiâ & formâ componatur: subinde præcipuos ejus effectus assignabo, ac demum de subjecto & ministro, ultimo loco disputabo.*



DISPUTATIO

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPUTATIO PRIMA.

De existentia & essentia hujus Sacramenti.

CIRCA hujus Sacramenti existentiam graviſſima ſeſe offert contra hujus temporis hæreticos, negantes Extremam-Unctionem quæ ſolet in Eccleſia adhiberi infirmis de vita periclitantibus, eſſe verum novæ legis Sacramentum, controverſia, quam articulo ſequenti reſolvemus, & poſtea de ejus eſſentia diſſeremus, & quæ ſit hujus Sacramenti materia & forma declarabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

An Extrema-Unctio quæ ſolet in Eccleſia adhiberi infirmis, ſit verum Sacramentum?

1. EXtremam-Unctionem quæ in Eccleſia infirmis de vita periclitantibus ſolet adhiberi, verum eſſe novæ legis Sacramentum, negarunt primò Vvaldenſes, & Albigenſes, deinde Vviclefus 4. libro Trialogi cap. 25. ubi negat hoc Sacramentum fuiſſe à Chriſto vel ab Apoſtolis inſtitutum. Eundem errorem ſecuti ſunt hujus temporis hæretici, præſertim Lutherus & Calvinus; hic enim lib. 4. inſtit. cap. 19. docet hanc Unctionem ad ſolam gratiam curationum pertinuiſſe, quæ tantùm duravit tempore Apoſtolorum. Ille verò libro de captivitate Babylonica, in hoc Sacramentum ſic invehitur: *Si unquam, in Extrema-Unctione nunc præcipuè deliratum eſt. Figmentum eſt, ex hac Apoſtoli ſententia, ſi quis infirmatur, &c. à nobis oportere hominem ungi, cùm non Sacramentum, ſed figmentum ſit.* Ut hic error refellatur, & veritas Catholica ſtabiliatur, ſit

§. I.

Concluſio affirmativa ſtatuitur.

DIco igitur, Extremam-Unctionem quæ ſolet in Eccleſia adhiberi infirmis de vita periclitantibus, eſſe verum Sacramentum.

2. Probatur primò: Signum ſenſibile permanenter inſtitutum, cum promiſſione gratiæ per illud conferendæ, eſt verum Sacramentum: Sed Extrema-Unctio, prout uſurpatur in Eccleſia, & à D. Jacobo deſcribitur, treſ illas conditiones habet: Ergo eſt verum Sacramentum. Major patet, Minor probatur ex ipſis verbis Jacobi, quæ ſi rectè perpendantur, inſinuant tria illa ad veram Sacramenti rationem requiſita; ſic enim habent: *Infirmatur quis in vobis, inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Ubi habetur primò ſignum externum & ſenſibile, cùm dicitur, *Ungentes eum oleo in nomine Domini*, ſecundò inſtitutio conſtans & permanens, quando abſolutè dicitur: *Infirmatur quis ex vobis*, quæ verba ſine tempo-

ris limitatione Chriſtianis omnibus cujuſque ſexûs dicta eſſe patet ex antecedentibus & conſequentibus, quæ non minùs ad nos ſpectant, quàm ad eos qui tunc vivebant; neque ullum eſt indicium reſtrictionis illorum verborum ad ſolos præſentes. Tertiò promiſſio gratiæ mediante ritu illo ac ſigno ſenſibili & externo conferendæ, ibidem habetur, cùm ſubditur: *Oratio fidei ſalvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis eſt, remittentur ei:* Peccata enim non remittuntur, niſi per infuſionem gratiæ. Unde Innocentius III. cap. *Cum veniſſet*, de Sacra Unctione, docet externam unctionem interioris inviſibiliſque unctionis ſignum eſſe, quæ *ſi dignè ſumatur, vel agit, vel auget quod deſignat*, hoc eſt vel producit primam gratiam, ſi forte illam non invenit propter aliquod peccatum invincibiliter oblitum; vel auget, ſi eam invenit.

Reſpondent aliqui, Epiſtolam illam D. Jacobi 3.
eſſe dubiæ fidei. Sed contra eſt quod Hieronymus Epiſt. ad Paulinum, Auguſtinus 2. de doctrina Chriſtiana cap. 8. & alij, talem Epiſtolam ut canonicam recipiunt, ipſique Calviniſtæ illam inter libros Scripturæ canonicos jure numerari non negant, ſed expresè fatentur art. 3. Confeſſ. ſuæ Gallic.

Alij reſpondent, D. Jacobum in illis verbis, 4.
ſi in peccatis fuerit, remittuntur ei, non voluiſſe ſignificare quod remiſſio peccatorum ſit ex divina promiſſione effectus illius unctionis, ſed ſolùm quod Apoſtoli ſive Prebyteri tunc temporis viventes, hac unctione ad curationem morborum corporalium miraculoſam utentes, infirmos ſimul admonebant, morbi cauſam ſolere eſſe peccata, eoſque excitabant ad quærendum eorum remiſſionem per pœnitentiam & fidem, ut ita & ſecundùm animam, & ſecundùm corpus toti ſani fierent. Addunt ex Calvino, Apoſtolos oleo potiùs quàm aliâ re uſos fuiſſe, ut eſſet ſignum, miraculoſam ægritudinis corporalis curationem, fieri non viribus hominis, ſed potentiâ Spiritus Sancti; conſtat enim oleo ſignificari Spiritum Sanctum.

Sed contra primò: Dato & non conceſſo, 5.
quod eo duntaxat modo indicare voluiſſet Apoſtolus tribui remiſſionem peccatorum in illa unctione, inde tamen non poſſent ſectarij inferre, eam non fuiſſe verum Sacramentum; docent enim gratiam in Baptiſmate & Euchariſtia non cauſari ex opere operato, ſed tantùm per fidem & pœnitentiam excitatam in animis per Miniſtri Evangelici vocem in uſu illorum Sacramentorum.

Contra ſecundò: Figmentum eſt hæc interpretatio, ſine fundamento in cerebris Sectariorum fabricatum; nullum enim eſt verbum in tota Epiſtola de tali Miniſtrorum admonitione, quæ fidem & pœnitentiam excitet in infirmo. Illud autem quod addunt ex Calvino, probat, ſi quid probat, Apoſtolos debuiſſe in omni curatione

tione miraculoſa uti oleo; quandoquidem nulla eſt aſſignabilis, quæ non eſſet effectus Spiritus Sancti.

6. Probatur ſecundò concluſio authoritate & traditione veterum Patrum, & Conciliorum, qui Extremam-Unctionem Sacramentum vocant, & cæteris Eccleſiæ Sacramentis verè ac propriè dictis annumerant. In primis enim Tertullianus antiquiſſimus Author lib. 1. contra Marcionem, Baptiſmi, Extremæ-Unctionis, & Euchariſtiæ mentionem facit, his verbis: *Nec aquam* (Chriſtus) *reprobavit quâ ſuos abluit, nec oleum quo ſuos unxit, nec mellis & lactis ſocietatem, quâ ſuos infantat, nec panem quo ipſum ſuum corpus repræſentat.* Auguſtinus etiam lib. 5. de Baptiſmo cap. 20. quatuor agnoſcit Sacramenta novæ legis, nempè Baptiſmum, Extremam-Unctionem, Euchariſtiam, & Pœnitentiam, ait enim: *Si ad hoc valet quod dictum eſt in Evangelio, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem vel ſuper aquam Baptiſmi vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponuntur?* nimirum per reconciliationem. Et ſerm. 215. de tempore ante medium, Extremæ-Unctionis uſum & effectum Sacramentalem commendat, his verbis: *Quoties infirmitas aliqua ſupervenerit, corpus & ſanguinem Chriſti ille qui ægrotat accipiat, & inde* (ſeu deinde) *corpuſculum ſuum ungat, ut illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo, infirmatur quis ex vobis, &c.* Et expreſſiùs Author tractatûs de rectitudine Catholicæ fidei, inter ejus opera tomo 9. *Qui ægrotat, in ſola Dei miſericordia confidat, Euchariſtiam cum fide & devotione accipiat, oleumque benedictum ab Eccleſia petat, unde corpus ſuum ungatur, & ſecundum Apoſtolum, oratio fidei ſalvabit infirmum.* Sic etiam inter Græcos Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio, ex eodem Jacobi loco probat Sacerdotes non ſolùm cùm nos regenerant, ſed & poſtea poteſtatem habere indulgendi peccata, cùm nos ungunt. Item Innocentius I. Auguſtini contemporaneus, & ab eodem nec non à Chryſoſtomo & Hieronymo mirificè commendatus, interrogatus à Decentio Eugubino Epiſcopo, utrum Extrema-Unctio danda eſſet pœnitentibus quibus cætera Eccleſiæ Sacramenta negabantur? Sic reſpondet in Epiſtola ad ipſum ſcripta cap. 8. *Pœnitentibus iſtud infundi non poteſt* (oleum ſcilicet Extremæ-Unctionis) *quia genus eſt Sacramenti: Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* Petrus Damianus ſerm. 1. in Dedicatione Eccleſiæ: *Tertium* (inquit) *Sacramentum eſt unctio infirmorum.* Demum D. Bernardus in vita S. Malachiæ, circa finem, refert illum in fine vitæ hoc Sacramentum poſtulaſſe.

7. Addo conſenſum Eccleſiæ Græcæ cum Latina, nam in Concilio Florentino, ex utraque Eccleſia Græca & Latina coacto, Extrema-Unctio inter novæ legis Sacramenta numeratur, ejuſque materia, forma, proximum ſubjectum, & miniſter recenſentur. Et Nicolaus Cabaſilas in expoſitione Liturgiæ cap. 29. agnoſcit Extremam-Unctionem eſſe verum Sacramentum, ſic enim ait: *Peccatorum remiſſionem & ultimum olei Sacramentum perficit Sacerdotum oratio*; & hoc; *Apoſtolicam traditionem habere* addit, probatque ex verbis Jacobi ſuprà adductis.

Ex his liquet mentiri Kemnitium, alioſque Sectarios, dum dicunt Extremam-Unctionem

inſtitutam fuiſſe à Felice IV. nam Innocentius I. eo longè antiquior, & alij Patres ſuprà relati, expreſſam illius mentionem fecerunt; & Concilium Nicænum primum can. 69. Arabico, meminit olei infirmorum, ipſumque à Chriſmate & oleo Cathecumenorum diſtinxit, cùm ſic ait: *Tranſacto anno debet Sacerdos benedicere aquam & oleum; non ſicut fit in Baptiſmo, neque ſicut benedicitur Chriſma, ſed ſicut oleum infirmorum.*

His accedit ratio congrua, inſinuata à Triden- 8.
tino ſeſſ. 14. tradendo doctrinam de Sacramento Extremæ-Unctionis. Cùm enim articulus mortis multis de cauſis ſit homini formidabilis, tum propter conſcientiam peccatorum totius vitæ præteritæ, & timorem divini judicij; tum propter tentationes Dæmonis fortiùs tunc inſtantis, quia modicum tempus videt ſe habere, ac demum propter ipſius morbi gravitatem, & mortis imminentis horrorem; inſinitam Chriſti bonitatem & curam ac providentiam quam de noſtra ſalute habet, maximè decuit, ut Sacramentum iſtud inſtitueret, tum ut ejus virtute infirmi peculiari auxilio juvarentur ad moleſtias morbi patienter ferendas; tum ut fortiores fierent ad tentationes eo tempore occurrentes ſuperandas; tum denique, ut ſi fortè aliqua haberent peccata invincibiliter ignorata, efficaciâ illius remitterentur. Quam rationem eleganter Tridentinum loco citato, his verbis expreſſit: *Clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſervis ſuis quovis tempore voluit de ſalutaribus remediis adverſus omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit quibus Chriſtiani conſervare ſe integros dum viverent ab omni graviore Spiritus incommodo poſſint: ita Extremæ-Unctionis Sacramento finem vitæ tanquam firmiſſimo quodam præſidio munivit: Nam etſi adverſarius noſter occaſiones per omnem vitam quærat & captet, ut devorare animas noſtras quoquo modo poſſit, nullum tamen tempus eſt quo vehementius ille omnes verſutiæ ſuæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam (ſi poſſit) miſericordiæ divinæ deturbandos, quam cùm impendere nobis exitum vitæ perſpicit.*

§. II.

Solvuntur objectiones Hæreticorum, & à quo, & quando, Sacramentum Extremæ-Unctionis inſtitutum fuerit, breviter explicatur.

OBjiciunt primò Calviniſtæ: Unctio de qua 9.
loquitur D. Jacobus, erat ſolùm ad curationem corporis, per donum miraculorum, quod tunc erat in Eccleſia: Ergo non erat verum Sacramentum. Conſequentia patet, Antecedens ſic probant. Eandem Jacobus præſcribebat unctionem, ac ea de qua loquitur Marcus cap. 6. quando dicit loquens de Apoſtolis à Chriſto ad prædicandũ miſſis, quod *ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabant:* Sed unctio iſta erat tantùm curativa, non verò Sacramentalis: Ergo & illa.

Reſpondeo negãdo Antecedens, Apoſtolus enim 10.
expreſsè loquitur de remiſſione peccatorum, ut patet ex illis verbis, *ſi in peccatis ſit remittentur ei:* Ergo non loquitur tantùm de curatione corporis per donum miraculorum. Ad probationem in contrarium, nego Majorem, nam unctio de qua loquitur Jacobus, debet fieri per Sacerdotes, ut conſtat ex verbis illis, *Inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum:* cùm verò Diſcipuli Marci 6. ungebant multos ægrotos,

Universidad de Deusto
Biblioteca

non erant Sacerdotes, sed diu post, pridie scilicet mortis Christi, etenim in nocte cœnæ primi Sacerdotes Evangelici instituti fuere. Item unctio illa quâ Marci 6. Apostoli utebantur ad ægros sanandos, indiscriminatim applicabatur omnibus tam fidelibus quàm infidelibus; imò præcipuè instituta fuisse videtur propter infideles, ut hi per miracula quæ experiebantur in corpore, converterentur ad fidem: unctio verò, de qua loquitur Jacobus, non nisi fidelibus baptizatis adhiberi debet, ut docet Innocentius I. Epistolâ suprà citatâ ad Decentium Episcopum Eugubinum, & colligitur ex verbis illis Apostoli, *infirmatur quis in vobis*, hæc enim verba ad solos Christianos & fideles directa videntur, non verò ad infideles & paganos, præsertim cùm statim subjungat, *inducat Presbyteros Ecclesiæ*: Unctio ergo illa quâ utebantur Discipuli Marci 6. non erat Sacramentalis, sed adumbratio quædam & figura Unctionis Sacramentalis, sicut Joannis Baptismus figura erat Baptismi Christi, ut insinuat Tridentinum sess. 14. cap. 1. de Extrema-Unctione: Unctio verò de qua loquitur D. Jacobus est verè Sacramentalis, cùm habeat tria ad rationem Sacramenti requisita, esse nimirum symbolum externum, permanenter institutum, cum promissione gratiæ per illud conferendæ, ut suprà ostensum est.

11. Instant Sectarij: Unctio de qua loquitur D. Jacobus longè diversa est ab ea quæ solet in Ecclesia Romana adhiberi infirmis de vita periclitantibus; requirit enim Jacobus plures Sacerdotes, nos verò unum; tribuit salvationem infirmi orationi, nos verò unctioni; requirit fidem in eo qui inducitur super ægrotum, docemus autem Sacerdotem etiam hæreticum posse hoc Sacramentum validè administrare; denique loquitur de unctione quibuslibet infirmis adhibenda, nostram autem unctionem non adhibemus nisi infirmis de quorum morte timetur, ut præscribitur in Florentino: Ergo ex verbis illis D. Jacobi malè colligimus, unctionem quæ in Ecclesia Romana infirmis solet adhiberi, esse verum novæ legis Sacramentum.

12. Respondeo negando Antecedens, & ad illius probationem, in primis dico, Apostolum requirere plures Sacerdotes, non ita ut velit pluralitatem eorum esse necessariam ad ministerium unctionis de qua loquitur: sed ut indicaret solùm eam esse valde decentem propter reverentiam & solemnitatem Sacramenti. Secundò dico, Jacobum tribuere & unctioni & orationi tanquam integro Sacramento salvationem infirmi, quod & nos asserimus de nostra, quia oratio in nostra doctrina est forma, unctio verò materia istius Sacramenti. Tertiò, nego quod Apostolus requirat fidem in ministro unctionis de qua loquitur; licèt enim dicat quod oratio fidei salvabit infirmum, tamen non ob fidem Ministri sic vocat ipsius orationem, sed quia ut est pars Sacramenti, magnum fidei mysterium continet; quia solâ fide ejus virtus cognoscitur, & pro solis fidelibus, cum unctione cujus est forma, instituta est. Denique licèt Apostolus loco citato non determinet quinam debeant esse infirmi quibus administrari oporteat illa unctio, colligitur tamen hæc determinatio non solùm ex consuetudine Ecclesiæ, sed etiam ex fine hujus remedij supernaturalis, licèt minùs principali, qui est sanitas corporalis; ex hoc enim sequitur, illis duntaxat esse applicandum istud Sacramentum tanquam remedium supernaturale, qui non obstantibus remediis naturalibus, summo studio & arte adhibitis, infirmi sunt, & in periculo vitæ constituti; siquidem isti soli dicuntur ad sanitatem corporalem indigere remedio supernaturali, quale est usus istius Sacramenti.

13. Objiciunt secundò: Omnia Sacramenta novæ legis immediatè à Christo instituta sunt: Sed Extrema-Unctio quæ solet in Ecclesia Romana adhiberi infirmis de vita periclitantibus, non est instituta immediatè à Christo: Ergo non est verum novæ legis Sacramentum. Major est certa, Minorem verò probant Sectarij, ex eo quod apud nullum Evangelistam fit hujus Sacramenti mentio, nam unctio illa ægrorum cujus meminit Marcus cap. 6. non fuit Sacramentalis, sed figura tantùm hujus Sacramenti, ut suprà ostensum est: At si hoc Sacramentum fuisset à Christo immediatè institutum, sicut aliorum Sacramentorum, ita & hujus mentionem fecissent Evangelistæ; cùm enim Sacramenta sint prima fundamenta, & basis cui tota Christiana religio innititur, quàm maximè debuerunt ab Evangelistis narrari. Addunt non posse designari tempus in quo Christus Sacramentum istud instituerit.

14. Huic argumento respondebant olim quidam antiqui Theologi, negando Majorem; existimabant enim Sacramenta Confirmationis & Extremæ-Unctionis fuisse ab Apostolis ex Christi commissione instituta. Ita Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacram. Magister in 4. dist. 23. Alensis 4. part. quæst. 8. art. 1. D. Bonaventura eadem dist. art. 1. quæst. 2. & alij. Verùm post definitionem Tridentini hæc sententia erronea est, Concilium enim sess. 7. de Sacramentis in genere can. 1. sic ait: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, &c. anathema sit*, & sess. 14. de Sacramento Extremæ-Unctionis can. 1. similiter sub pœna anathematis damnat eum qui dixerit, Extremam-Unctionem non esse verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, & à B. Jacobo Apostolo promulgatum. Et quamvis Concilium in definienda hac veritate non utatur particulâ *immediatè*, tamen dum ait, hoc Sacramentum fuisse à B. Jacobo promulgatum, ostendit, non fuisse ab ipso institutum. Nam si ab aliquo Apostolo fuisset institutum, maximè à B. Jacobo, qui solus in sua Canonica hujus Sacramenti mentionem facit: Ergo dum hunc Concilium excludit, à fortiori etiam reliquos Apostolos excludere videtur. Addo quod, sicut Christus fuit immediatus fundator Ecclesiæ, ita decuit, ut esset immediatus author & instituor omnium Sacramentorum, quæ sunt prima Ecclesiæ fundamenta. De quo fusiùs in Tractatu de Sacramentis in communi. Hac ergo solutione prætermissâ. *Disp. 5. art. 1.*

15. Ad objectionem respondeo, concessâ Majori, negando Minorem; ad ejus verò probationem respondet S. Thomas hîc quæst. 29. art. 3. ad 1. *quod multa Dominus fecit & dixit quæ in Evangeliis non continentur. Illa enim præcipuè curaverunt Evangelistæ tradere, quæ ad necessitatem salutis & Ecclesiæ dispositionem pertinent, & ideò potius institutionem Baptismi, & Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, & Ordinis factam à Christo narraverunt, quàm Extremæ-Unctionis, vel Confirmationis, quæ neque sunt de necessitate salutis, neque ad dispositionem sive distinctionem Ecclesiæ pertinent.* Multa ergo sunt quæ Christus ore tenus per Apostolos

stolos tradidit Ecclesiæ, unde Actor. 1. dicitur quod Christus post resurrectionem per quadraginta dies apparuit Discipulis, & cum eis convescens locutus est de regno Dei, non triumphantis tantùm Ecclesiæ, sed potissimùm militantis; instruens & erudiens eos de omnibus ad Ecclesiæ gubernationem pertinentibus. De quo fusè in Tractatu de virtutibus Theologicis disp. 2. art. 2. ubi de Apostolicis traditionibus egimus.

16. Ad id quod addunt Sectarij, nempè non posse designari tempus in quo Christus Sacramentum Extremæ-Unctionis instituerit, respondent aliqui Christum illud instituisse Marci 6. quando Apostolos ad prædicandum misit cum potestate sanandi infirmos per sacram olei unctionem. Hac enim unctione (inquiunt) utebantur Apostoli ex præscripto Christi, non tantùm ad salutem corporum, sed præcipuè ad salutem animorum, quæ potissimùm per hæc miracula à Christo intendebatur. Unde communis Patrum & Theologorum sententia est, Christum nullum sanasse in corpore, quin etiam sanaverit in anima, ut patet de paralitico à Christo sanato in probatica piscina Joan. 5. cui post sanitatem corporis restitutam, dixit: *Ecce jam sanus factus es: jam noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat*. Idem constat de cæco illuminato Joan. 9. quem postquam Christus corporaliter illuminavit in oculis, spiritualiter illuminavit in mente, dum illum ad credendum in filium Dei induxit. Ita Nugno hîc difficult. 2. qui confirmat hanc sententiam ex Tridentino sess. 14. de doctrina Extremæ-Unctionis cap. 1. ubi ait hoc Sacramentum, *apud Marcum quidem fuisse insinuatum, per Jacobum autem Apostolum & Domini fratrem, fidelibus commendatum, ac promulgatum*. Hoc enim Sacramentum insinuari, idem sonat ac ejus institutionem subindicari.

17. Verùm hæc sententia non videtur probabilis, quia, ut suprà ostendimus, unctio illa quâ utebantur Apostoli Marci 6. non erat Sacramentalis, tum quia fiebat ab Apostolis antequam essent Sacerdotes, tum etiam quia indiscriminatim omnibus tam fidelibus quàm infidelibus applicabatur. Cùm verò Tridentinum ait, hoc Sacramentum fuisse apud Marcum insinuatum, solùm vult, illud fuisse tunc adumbratum & figuratum, eo modo quo dicitur Baptismus Christi fuisse insinuatus in Baptismo Joannis, quia hic fuit umbra & figura illius.

18. Respondent alij, Christum instituisse Sacramentum Extremæ-Unctionis in nocte cœnæ, quando ordinavit Apostolos in Sacerdotes, qui soli sunt hujus Sacramenti ministri. Sed multò probabilius est, non fuisse hoc Sacramentum à Christo institutum ante suam resurrectionem. Tum quia hoc Sacramentum supponit in Ministro potestatem remittendi peccata, quam Christus non contulit Apostolis, nisi post suam resurrectionem, cùm nempè illis dixit Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Tum etiam, quia cùm Sacramentum Extremæ-Unctionis sit completivum & consummativum Sacramenti pœnitentiæ, ejusque effectus supponat effectum Sacramenti pœnitentiæ, non fuit conveniens quod ante istud institueretur; unde probabilius est, unà cum Sacramento pœnitentiæ, & consequenter ad illud, Sacramentum Extremæ-Unctionis fuisse à Christo institutum. Nec refert quod Christus potuerit hoc Sacramentum ante suam passionem instituere, & cum Apostolis dispensare, ut nondum Sacerdotes consecrati hoc Sacramentum ministrarent; nulla enim cogit necessitas hanc dispensationem admittendi.

ARTICULUS II.

Quæ sit materia & forma Sacramenti Extremæ-Unctionis?

§. I.

Materia remota hujus Sacramenti.

19. DIco primò, materiam remotam Sacramenti Extremæ-Unctionis esse oleum ab Episcopo benedictum. Ita Florentinum in decreto de unione Armenorum, & Tridentinum sess. 14. cap. 1. de Extrema-Unctione, constatque ex verbis Jacobi, *Ungentes eum oleo*, quod Florentinum dicit debere esse oleum olivæ, quia oleum propriè ac simpliciter dictum, quale est illud quod præscribit Apostolus, ex vi vocis, & in communi modo loquendi, significat oleum solum quod ex olivarum baccis exprimitur; sicut sola aqua naturalis est materia Baptismi, & solus panis triticeus, & vinum de vite, sunt materia Eucharistiæ; quia aqua simpliciter dicta, significat in communi modo loquendi solam naturalem; panis, solum panem triticeum; & vinum, solum vinum vitigineum. Quàm aptè verò oleum pro hujus Sacramenti materia à Christo assumptum fuerit, ex eo patet, quòd aptissimum est ad significandum varios illius effectus. Oleum enim dolores mitigat, ægritudinem lenit, hilaritatem affert, robur membris conciliat, luminis pabulum est, & in Scriptura pinguedinem spiritûs & gratiæ interdum designat. Unde Theophilactus in 6. caput Marci: *Sicut oleum* (inquit) *& ad labores utile, & lucis fomentum, & hilaritatis est effectivum; ita & Dei misericordiam, & gratiam Sancti Spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem, & gaudium, hilaritatemque spiritualem, quam accipimus, significat.*

20. Quod verò oleum debeat esse ab Episcopo benedictum, habetur ex traditione Apostolica, ut testatur Beda in cap. 6. Marci, his verbis: *Unde patet ab ipsis Apostolis hujus sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, ut energumeni, vel alij quilibet ægroti ungantur oleo, Pontificali benedictione consecrato*. Idem constat ex Epistola Innocentij I. ad Decentium Eugubinum, & ex Concilio Vormatiensi cap. 72. & Aquisgranensi sub Ludovico Pio Imperatore, tit. 2. cap. 8. colligiturque ex Nicæno primo can. 69. Arabico, articulo præcedenti relato.

21. Ratio etiam suffragatur, cùm enim materia Extremæ-Unctionis elevari debeat, sicut materia Confirmationis, ad causandum plenitudinem gratiæ (non solùm enim gratia quam causat est incompossibilis cum peccato, sed etiam tollit ejus reliquias, ad quod requiritur aliqua plenitudo) congruum fuit, ut priùs ab Episcopo benediceretur & consecraretur, sicut materia Confirmationis. Unde non est eadem ratio de materia Baptismi, ac de materia Extremæ-Unctionis. Materia enim Baptismi non debet priùs necessariò consecrari, tum ob summam hujus Sacramenti necessitatem, ne scilicet defectu consecrantis sæpè homo privaretur æternâ salute: tum etiam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia ipsemet Christus suo usu & tactu aquam sanctificavit, cùm in Jordane baptizatus est. Econtra verò cùm Sacramentum Extremæ-Unctionis non sit tantæ necessitatis, sicut Baptismus, & illius materia contactu Christi sanctificata non fuerit, conveniens est, eam priùs Pontificali benedictione sanctificari & consecrari.

22. Hæc sunt certa & indubitata apud Theologos. Sed difficultas est primò, an oleum sit essentialiter necessarium? Ratio dubitandi est, quia Glossa can. 2. dist. 95. docet Chrisma sufficere. Et Innocentius I. sequenti canone 3. sumpto ex Epistola ad Decentium cap. 8. significat Extremam-Unctionem fuisse solitam fieri Chrismate.

Respondeo oleum esse materiam essentialiter necessariam, nam Concilia Florentinum & Tridentinum illud assignant ut materiam, & nunquam Ecclesia Græca vel Latina sine oleo Sacramentum hoc confecit. Glossa verò & Innocentius I. nomine Chrismatis intelligunt simplicem unctionem, Chrisma enim Græcè, Latinè unctionem significat, à verbo χρίω, quod est ungo. Unde in Pontificali Romano in benedictione olei infirmorum, simplex oleum appellatur Chrisma: *Vt sit* (inquit) *Chrisma tuum perfectum Domine nobis.*

Dubitatur secundò, an saltem oleum balsamo mixtum, sit valida materia hujus Sacramenti?

23. Respondeo affirmativè, modò per talem mixtionem olei natura, vel ipsius communis usus non corrumpatur. Sicut enim mixtio aquæ, vel alterius liquoris vini naturam non corrumpentis, materiam calicis non tollit; ita nec mixtio Balsami, alteriusve liquoris, olei naturam non corrumpentis, materiam Extremæ-Unctionis tollit. Unde in casu quo non posset haberi simplex oleum, posset Sacerdos ad hoc Sacramentum conficiendum uti Chrismate.

24. Dubitatur tertiò, utrum benedictio Episcopi sit de essentia Sacramenti, vel tantùm de præcepto? Victoria enim in Summa de Sacramentis num. 216. Emanuel Sa verbo, *Extrema-Vnctio*, in antiqua impressione Colonienſi anno 1599. & Glossa in cap. 2. dist. 95. dicunt illam esse tantùm necessariam ex præcepto; alij verò Theologi communiter docent, illam essentialiter requiri. Existimo ego, essentiale quidem esse huic Sacramento, ut oleum sit aliquo modo benedictum ab Episcopo, non requiri tamen ad hujus Sacramenti essentiam, quod sit benedictum ab Episcopo immediatè, sed sufficere quod sit ab illo benedictum mediatè, id est per Sacerdotem ex ipsius commissione.

25. Prima pars hujus resolutionis constat ex suprà dictis, & colligitur manifestè ex Conciliis Florentino & Tridentino suprà citatis, quæ expressè dicunt, materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum. Nec possunt explicari de materia necessaria solùm necessitate præcepti: tum quia distinctè materiam hujus Sacramenti contra hæreticos assignant; tum etiam quia dum assignant materiam hujus Sacramenti, in recto assignant oleum ab Episcopo benedictum, contra verò cùm materiam calicis exponunt, non assignant vinum aquâ mixtum, sed *vinum, cui moditissima aqua admisceri debet*, ut loquitur Florentinum. Tridentinum verò sess. 22. cap. 7. expressè ait, præceptum tantùm esse Ecclesiæ, ut Sacerdotes aquam vino in calice offerendo misceant.

26. Secunda verò pars ex eo probatur, quòd Græci ex antiquissima consuetudine ministrant Sacramentum Extremæ-Unctionis in oleo à simplici Sacerdote ex commissione Episcopi benedicto, teste Arcudio lib. 5. de Sacram. cap. 2. quam consuetudinem Clemens VIII. approbavit, monens in instructione de ritibus Græcorum, quæ habetur tomo 3. Bullarij folio 47. non esse cogendos eorum Presbyteros accipere oleum ab Episcopo benedictum, quia ex antiquissima consuetudine Orientalis Ecclesiæ, possunt Presbyteri, de licentia & commissione Episcopi, benedicere oleum infirmorum. Quare in hoc differt Sacramentum Extremæ-Unctionis à Sacramento Confirmationis, quòd istud, quia majorem gratiæ plenitudinem tribuit, non confertur validè, nisi in Chrismate ab Episcopo immediatè consecrato, ut in Tractatu de Confirmatione docuimus; illud verò quia non tantam gratiæ abundantiam significat, non exigit essentialiter quod ejus materia sit immediatè ab Episcopo benedicta, sed sufficit quod sit benedicta ab illo mediatè, id est per Sacerdotem ex ipsius commissione; qui enim per alium facit, per se facit moraliter. Unde Arcudius loco citato hæc scribit: *Chrisma apud Græcos solus Episcopus conficit, & diu asservatur; oleum autem infirmorum tunc temporis benedicitur, quando ager ungendus est: ut etiam benedicitur aqua & oleum Catechumenorum, quando quis apud Græcos baptizatur. Cur autem non asservetur, ratio est, quia cùm sit commissum Presbyteris, possunt illi pro necessitate quovis tempore illud confecrare, & simul administrare; ut contra Chrisma diutius asservant, quòd careant facultate illud conficiendi. Hoc autem totum judicat & approbat instructio illa Clementis VIII. ad Episcopos Latinos directa, ubi sic dicitur: Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea sancta, præter Chrisma, ab Episcopis Latinis diœcesanis accipere: cùm hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur. Chrisma autem, quod nonnisi ab Episcopo, etiam juxta eorum ritum, benedici potest, cogentur accipere.*

Ex hoc intelliges, quod licèt simplices Sacerdotes non possint ex commissione summi Pontificis Chrisma conficere, benè tamen oleum infirmorum; si enim id potest simplex Sacerdos ex commissione Episcopi, à fortiori id poterit ex licentia & commissione Romani Pontificis.

27. Nota etiam, ad valorem Sacramenti Extremæ-Unctionis, non requiri in oleo benedictionem, certo ritu & formâ verborum factam, sed quocunque modo ab Episcopo, vel à simplici Sacerdote, ex Episcopi commissione, fiat, validam esse ad Sacramentum conficiendum. Potuit enim Christus requirere benedictionem ad materiam hujus Sacramenti, quoad substantiam tantùm, & modum benedicendi relinquere Ecclesiæ. Ex quo sequitur, oleum Catechumenorum, quod diversâ benedictione ab Episcopo consecratur, esse sufficientem materiam hujus Sacramenti, cùm non differat ab oleo infirmorum, nisi diversâ benedictione, quæ non variat essentialiter materiam. Non debet tamen, nisi magnâ urgente necessitate, in tali oleo Sacramentum Extremæ-Unctionis ministrari, propter consuetudinem Ecclesiæ, quæ oleo Catechumenorum non utitur pro unctione infirmorum, sed in diversis vasis materiam Extremæ-Unctionis, & Confirmationis, oleumque Catechumenorum asservat. Unde Concilium Nicænum primum

primum can. 69. Arabico sic ait: *Transacto anno debet Sacerdos benedicere aquam & oleum: non sicut fit in Baptismo; neque sicut benedicitur Chrisma; sed sicut oleum infirmorum.*

§. II.

Materia proxima hujus Sacramenti.

28. Dico secundò, materiam proximam Sacramenti Extremæ-Unctionis, esse unctionem ex oleo suprà dicto. Patet tum ex verbis Jacobi *Vngentes eum oleo.* Tum ex Tridentino sess. 14. de Extrema-Unctione cap. 1. ubi postquam dixit, materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, subdit: *Nam unctio aptissimè Spiritus Sancti gratiam, quâ invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.* Addo quod istud Sacramentum non consistit sicut Eucharistia in materia permanenti, sed sicut Baptismus & Confirmatio in usu: Sed nullus est usus olei in Extrema-Unctione, præter unctionem: Ergo in unctione materia proxima hujus Sacramenti consistit.

29. In hoc omnes Theologi conveniunt. Sed dubitatur primò, an sit de necessitate hujus Sacramenti quod unctio fiat in figura crucis, cùm in Confirmatione hoc necessarium sit, non solùm necessitate præcepti, sed etiam necessitate Sacramenti, ut in Tractatu de Confirmatione docuimus? Disp. 6. art. 2. §. 5.

Respondeo negativè, Tum quia Jacobus referens institutionem hujus Sacramenti, solùm dicit ungendum esse infirmum oleo, neque Concilia aut Patres Ecclesiæ aliquid circa hoc decreverunt. Tum etiam, quia non ungimur in hoc Sacramento, sicut in Confirmatione, tanquam milites Christi ad portandam & confitendam ejus Crucem coram tyrannis; sed solùm tanquam infirmi, ad recuperandam salutem; propter quod forma Sacramenti Confirmationis exprimit unctionem per modum crucis, non verò forma Extremæ-Unctionis.

30. Dubitatur secundò, an plures unctiones necessariæ sint essentialiter, vel una tantùm sufficiat?

Respondeo quinque sensuum unctiones esse necessarias essentialiter, ut docet S. Thomas hîc quæst. 32. art. 6. ubi dicit *unctionem quæ fit ad quinque sensus observari ab omnibus quasi de necessitate Sacramenti, quosdam verò non servare alias qua sunt ad pedes & ad renes; quia appetitiva & motiva, sunt secundaria principia.*

Ratio etiam id suadet, cùm enim hoc Sacramentum institutum sit ad tollendas reliquias peccatorum, iis corporis partibus applicandum est, in quibus est radix peccatorum: Sed radix peccatorum est in quinque corporis sensibus, nam ex his omnis notitia quæ est radix peccatorum originatur, cùm nihil sit in intellectu, quin priùs fuerit in sensu: Ergo Sacramentum Extremæ-Unctionis quinque corporis sensibus, seu organis in quibus illi vigent, necessariò applicandum est.

Nonnullæ verò sunt Ecclesiæ, quæ in more & consuetudine habent, ut præter quinque sensus, ungant etiam renes & pedes. Cujus cæremoniæ causa fuisse videtur quam reddit D. Thomas, quòd triplex potentia sit in nobis, quæ est principium peccandi: potentia cognoscendi, vis appetendi, vis exequendi. Atqui facultatum quibus cognoscimus, prima origo est in quinque sensibus, vis concupiscendi maximè est in renibus, vis exequendi præcipuè residet in pedibus, quibus ad bona vel mala progredimur: Ergo conveniens est, ut præter quinque sensus, renes, & pedes inungantur.

31. Dices primò, in quavis corporis parte est tota anima, quæ est principalis causa peccati: Ergo sufficit quamlibet corporis partem inungere.

Sed nego Consequentiam, quamvis enim in quavis corporis parte sit tota anima, non tamen omnes potentiæ & organa, quibus ut instrumentis anima peccata sua exequitur; unde quia hoc Sacramentum institutum est ad abstergendas reliquias peccatorum, quatenus originem ducunt à sensibus, non sufficit illud in quavis corporis parte applicare, sed necessatiò debet applicari iis partibus seu organis, à quibus ut ab animæ instrumentis peccata originem ducunt.

32. Dices secundò: Sicut totâ unâ parte hominis, totus homo baptizatur, ita inuncto uno sensu, totus homo censeri debet inunctus: Ergo sicut una lotio sufficit ad Baptismum, ita unica unctio sufficiet ad Sacramentum Extremæ-Unctionis.

Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam, & paritatem; in Baptismo enim non magis attenditur ad unam partem quàm ad aliam, sed solùm quod possit dici hominem ablui: At verò in Extrema-Unctione non solùm attendi debet quod homo dicatur unctus, sed etiam quod specialiter radices omnium peccatorum quæ sunt in quinque sensibus inungantur.

33. Dices tertiò: In quibusdam Ecclesiis, peste grassante, si timeatur ne omnia organa sensuum inungendo, contagio contrahatur, Sacerdos unum tantùm inungit organum magis obvium & expositum, sub hac forma exprimente omnes sensus, *Per hanc sanctam unctionem, & suam pissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid per visum auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti.* Unde in Pastorali Ecclesiæ Mechlinienſis, quod unà cum Archiepiscopo tota Universitas Lovanienſis approbavit anno 1588. can. 9. de Extrema-Unctione expresè dicitur, in morbis contagiosis sufficere ungere organum sensûs magis obvium, prædicta verba proferendo: Ergo quintuplex sensuum unctio non est de essentia hujus Sacramenti.

Respondeo: Quidquid sit de Ecclesiis particularibus, semper in rebus vel ad fidem vel ad mores universales, vel ad ritus Sacramentorum pertinentibus, sequendam esse Ecclesiam Romanam, quæ est magistra omnium: in ea verò nunquam, etiam peste grassante, Sacramentum Extremæ-Unctionis administratur, nisi quinque sensus inungantur. Unde Pastorale Ecclesiæ Mechlinienſis in Concilio Synodali anno 1608. correctum fuit, & suprà dictus Canon sublatus, ut refert Martinonus hîc disp. 65. sect. 3.

34. Dubitatur tertiò, an si Sacerdos ante hujus Sacramenti perfectionem moriatur, aut non possit ulteriùs pergere, possit Sacerdos alius perficere quod deest?

Respondeo id posse, ut enim ait D. Thomas hîc qu. 39. art. 2. ad 3. *Ministrorum pluralitas non tollit unitatem Sacramenti, quia instrumentaliter tantùm operantur: mutatio autem martellorum non tollit unitatem operationis fabri.* Quemadmodum ergo, si Sacerdos post consecrationem panis moreretur, aut impotens fieret ad absolvendum, deberet perfici Sacramentum ab alio Sacerdote, ut præscribitur in Missali Romano; ita si post unctionem oculorum expiraret, vel non

Universidad de Deusto
Biblioteca

posset ulteriùs pergere, deberet alius Sacerdos reliquas Unctiones perficere.

§. III.

Forma hujus Sacramenti.

35. DIco tertiò, formam Sacramenti Extremæ-Unctionis, in verbis istis consistere: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum.* Patet ex Florentino in Decreto Eugenij, ubi hæc forma traditur, & ex praxi universalis Ecclesiæ, quæ in materia & forma Sacramentorum errare non potest.

36. Sed difficultas est & controversia inter Theologos an forma hujus Sacramenti necessariò & essentialiter deprecativa esse debeat, subindeque conferri non possit sub forma indicativa, dicendo, *Ungo oleo sancto, &c.* Ratio dubitandi est, primò quia Ecclesia Mediolanensis temporibus Divi Ambrosij utebatur istâ formâ indicativâ, *Ungo te oleo sanctificante, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aëreas possis superare potestates.* In libro quoque Sacramentali Veneto, confirmato per Leonem X. forma est indicativa, *Ungo te oleo sanctificante, &c.* Item antiquum Rituale apud Menardum in observationibus ad Gregorij Sacramentarium adjectis, habet hanc formam: *Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur, per Dominum nostrum Jesum Christum. Ungo aures has sacrati olei liquore, ut quicquid delectatione noxiâ auditûs admissum est, medicina spiritualis evacuet. Ungo has nares de oleo sacrato, ut quicquid noxæ contractum est odoratu superfluo, ista mundet medicatio. Ungo labia ista consecrati olei medicamento, ut quicquid otiosâ vel criminosâ peccasti locutione, divinâ clementiâ miserante, expietur hac Unctione, &c.*

Secundò, quemadmodum ex verbis illis Christi, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Colligit Ecclesia illam formam Baptismi, *Ego te baptizo*, & ex illis: *Quorum remiseritis peccata*, formam Sacramenti pœnitentiæ, *Ego te absolvo*, quæ sunt indicativæ; ita & ex istis Jacobi, *Ungentes eum oleo*, forma similiter indicativa colligi potest.

Tertiò, si forma hujus Sacramenti necessariò & essentialiter sit deprecativa, non erit valida, nisi includat id quod est de essentia orationis, nimirum internam attentionem ad Deum, subindeque cùm Sacerdos erit mente distractus, non conferet validè hoc Sacramentum.

Demum cùm in aliis Sacramentis forma indicativa sufficiat, cur non etiam sufficiet in Sacramento Extremæ-Unctionis?

37. Propter hæc argumenta Albertus Magnus, Durandus, Paludanus, & Richardus existimant indicativam formam esse sufficientem: idque probabile esse dicunt Navarrus in Summa cap. 22. num. 15. & Beccanus de sacram. cap. 27. qu. 4. Reliqui tamen Theologi affirmant ad validitatem hujus sacramenti requiri formam deprecativam; quæ opinio multò probabilior est, & docetur expressè à D. Thoma hic qu. 29. art. 8. ubi sic concludit: *Ideò in hoc sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in aliis sacramentis.* Est etiam conformior verbis D. Jacobi, *Orent super eum*; tametsi enim hujus sacramenti forma, oratio aliunde dici posset, quamvis non esset deprecativa; magis tamen propriè & communiter, juxta sensum fidelium, oratio pro deprecatione sumitur.

38. Potest etiam hæc sententia suaderi triplici ratione seu congruentiâ quam assignat D. Thomas articulo citato. Prima est, quia hoc sacramentum confertur moribundis, qui cùm sint propriis viribus destituti, indigent orationibus sublevari. Secunda, quia hoc sacramentum datur tantùm iis qui ex foro hujus Ecclesiæ commigraturi sunt in forum alterius vitæ, & in sola Dei manu ac misericordia requiescunt; subindeque commendandi sunt Deo, in cujus forum transeunt, & divina misericordia oratione pro ipsis imploranda est. Tertia, quia per hoc sacramentum precamur infirmo aliquem effectum, quem non semper expedit illi conferri, ut est sanitas corporis, unde debuit deprecativè per hoc sacramentum à Deo peti.

39. Addit Nugno quartam rationem, ob quam existimat hanc sententiam non solùm esse probabiliorem, sed omnino certam: Nullum enim sacramentum (inquit) habet duas formas specie diversas: Atqui si forma indicativa ad valorem sacramenti Extremæ-Unctionis sufficeret, haberet duas formas specie diversas, nempè formam deprecativam & indicativam, quæ specie differunt, cùm deprecativa sit per modum supplicantis, indicativa verò per modum potestatem exercentis, qui modi sunt valde inter se diversi: Ergo, &c.

40. Verùm hic discursus non urget, & manifestam habet instantiam in sacramento Confirmationis, quod validè à Græcis ministratur sub forma substantialiter & specie diversa ab ea quâ Ecclesia Romana utitur, ut ostendimus in Tractatu de Baptismo & confirmatione disputatione 6. art. 2. §. 6. in fine. Similiter sacramentum Ordinis validè confertur sub materia specie diversa; nam in Ecclesia Latina Sacerdotes initiantur per contactum calicis & patenæ; in Græca verò per solam manuum impositionem, ut in Tractatu de Sacramentis in communi disputatione 1. art. 5. ostensum est. Demum in sententia D. Thomæ (ut in Tractatu de Eucharistia demonstravimus) omnia verba quæ proferuntur in consecratione calicis, non solùm sunt de integritate, sed etiam de essentia formæ; & tamen in aliis liturgiis plura ex verbis illis omittuntur vel mutantur substantialiter, ut ibidem ostendimus: quare valde probabile est, Christum aliquorum sacramentorum formas vel materias determinasse solùm in genere, & potestatem eas determinandi in specie suæ Ecclesiæ reliquisse, unde orta est diversitas illa formarum diversique ritus administrandi sacramenta aliqua in Latina & Græca Ecclesia, substantialiter & specie diversi. Cur ergo idem non posset dici de sacramento Extremæ-Unctionis, illud nimirum validè conferri posse per formam deprecativam & indicativam, quamvis illæ specie differant, ideóque in Ecclesia Mediolanensi & Veneta, sub forma indicativa olim validè fuisse collatum; quamvis in aliis Ecclesiis sub forma tantùm deprecativa ministrari soleat? Non ergo omnino certum & evidens est, ut ait Nugno, sacramentum Extremæ-Unctionis sub forma indicativa prolatum, esse invalidum, sed duntaxat probabilius, & verbis D. Jacobi, & hujus sacramenti naturæ & institutioni conformius: Cùm enim sacramentum Extremæ-Unctionis sit complemen

complementum sacramenti Pœnitentiæ, quia est ad tollendum reliquias peccatorum, & quasi pœnitentia infirmorum, in eo differt ab ipso, quod cùm in sacramento Pœnitentiæ requirantur opera laboriosa ex parte suscipientis, videlicet confessio & satisfactio, ibi est justitia & misericordia. At verò in Extrema-Unctione, cùm ipsam suscipientes non possint jam facere opera pœnitentiæ, remissio eorum quæ dicuntur reliquiæ peccatorum, fit ex sola Dei misericordia, quæ proinde oratione imploranda est. Unde

41. Ad primum contrariæ sententiæ fundamentum dicendum est, prædictas formas Ecclesiæ Mediolanensis & Venetæ, non fuisse indicativas, sed deprecatorias; in illis enim facilè intelligi potest inesse deprecatio, cùm dicitur, *Ut more militis uncti* (Dei scilicet ope ac beneficio) *aëreas possis superare potestates*; potest enim hæc propositio intelligi optativè, quasi diceretur: Ungo te oleo sanctificante, optando ut ope divinâ possis aëreas superare potestates. Verbum ergo *valeas*, seu *possis*, est deprecativum, quod conjunctum cum sequentibus. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, reddit formam deprecatoriam, quia addit illi Divinum Numen, ut principalem causam, in cujus virtute & auxilio debet infirmus sacro oleo inunctus victoriam sperare de suis hostibus in eo agone acriter illum impugnantibus. Unde verba illa indicativi modi, *Ungo te &c.* non sunt forma hujus sacramenti, sed sunt dispositio ad formam, inquantum intentio ministri determinatur ad actum illum per illa verba, ut ait D. Thomas hic quæst. 29. art. 8. ad 3.

Ad secundum nego paritatem: Ratio disparitatis est, quia D. Jacobus immediatè ante verba illa, *Ungentes eum oleo*, dicit *Orent super eum*; quod tamen non habetur in aliis locis citatis de Baptismo & de Pœnitentia.

Ad tertium nego sequelam, quia efficacia sacramenti non pendet ab oratione Sacerdotis, ut est opus operantis, sed ut est sacramentalis, & ut habet valorem & efficaciam ex meritis Christi, in cujus persona hæc oratio à Sacerdote profertur; unde quamvis sit mente distractus, imò quamvis sit peccator, semper exauditur, & suum effectum habet, dummodo habeat intentionem administrandi sacramentum, & faciendi quod facit Ecclesia.

Ad quartum ex dictis patet disparitas quæ reperitur inter sacramentum Extremæ-Unctionis, & alia: Reliqua enim sacramenta, quia effectus conferunt purè spirituales, quos semper expedit suscipienti conferri (nempè gratiam sanctificantem, vel ejus augmentum, peculiaria auxilia ad fines sacramentorum facilius consequendos, characteres in anima indelebiles) formas habent indicativas, & à ministro ut potestatem exercente conferuntur. E contra verò cùm per sacramentum Extremæ-Unctionis interdum conferatur infirmo aliquis effectus quem non semper expedit illi conferri, nempè sanitas corporalis, debet ejus forma per orationem deprecativi modi efferri, ut si expediat, Deus hunc effectum producat.

42. Quæres, utrum omnia verba in forma consueta hujus sacramenti contenta, sint de ejus essentia?

Respondeo negativè. In primis enim non est necessarium illud adjectivum *sacram*, seu *sanctam*, quod Ritualia communiter addunt, cùm illud non addat Florentinum. Similiter videtur quod ista verba, *per suam piissimam misericordiam*, non sint de essentia, cùm verbum *indulgeat* satis exprimat actum divinæ misericordiæ. Non sunt quoque in forma sacramenti Extremæ-Unctionis essentialia ista verba, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, sicut in forma sacramenti Confirmationis, quia in sacramento Extremæ-Unctionis fideles non unguntur ad defendendam contra hostes fidei veritatem mysterij Trinitatis, ut in sacramento Confirmationis. Expressio verò quinque sensuum in particulari, est de essentia formæ, cùm de essentia hujus sacramenti sit quod omnes sensus inungantur, ut §. præcedenti ostensum est. Necessarium ergo & essentiale solùm esse videtur, ut exprimatur unctio quinque sensuum facta in nomine Domini per orationem deprecativi modi. Multi etiam existimant, sacramentum Extremæ-Unctionis sub ista forma collatum: *Per istas unctiones, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum &c.* esse validum. Probabilius tamen est, illud esse invalidum: Tum quia cùm diversæ & distinctæ materiæ partiales, videlicet quinque unctiones omnium sensuum, sint de essentia hujus sacramenti, ipsis suæ quoque formæ partiales correspondere debent. Tum etiam, quia quælibet ex eis suum habet specialem effectum, significandum proinde per specialem formam partialem.

§. IV.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

43. EX dictis supra facilè colligi potest hujus sacramenti definitio, sic enim potest definiri seu describi: Extrema-Unctio est *signum sacrum & efficax gratiæ, in unctione infirmorum, sub præscripta verborum forma, ad sanitatem mentis & corporis à Christo institutum.* Quæ definito sufficienter manet explicata ex suprà dictis, & magis constabit ex dicendis articulo sequenti.

44. Colliges etiam ex dictis, Extremam-Unctionem esse unum specie atomâ sacramentum; Unitas enim sacramenti desumi debet ex unitate finis ad quem ex Christi institutione ordinatur: Sed licèt in Extrema-Unctione sint plures unctiones partiales, & plures formæ partiales, illæ tamen ordinantur ad unum finem, & ad unum effectum, nempè ad tollendum omnes reliquias peccatorum, quæ ex sensibus oriuntur, & animam deprimunt: Ergo est unum specie sacramentum. Sicut diximus in Tractatu de Eucharistia, disp. 2. art. 2. Eucharistiam, etsi constet duabus speciebus, & formis partialibus, esse tamen unum specie sacramentum, quia hæc ordinantur ad unum finem, nimirum ad unam refectionem integram, spiritualem. Unde D. Thomas hic q. 29. art. 2. ad 1. *Unitas totius perfecti non tollitur propter diversitatem materiæ & formæ quæ est in partibus totius; sicut constat quod non est eadem materia carnis & ossis ex quibus constituitur unus homo, nec eadem forma; similiter etiam in Sacramento Eucharistiæ, & in hoc sacramento* (Extremæ-Unctionis) *pluralitas materiæ & formæ unitatem sacramenti non tollit.* Item in corp. articuli hæc scribit: *Quando perfecta significatio non potest esse nisi per plures actiones, tunc plures actiones sunt de perfectione sacramenti; sicut patet in Eucharistia, quia refectio corporalis, quæ significat spiritualem, non potest esse nisi per cibum & potum. Et simile est in hoc sacramento, quia curatio interio-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum vulnerum non potest perfectè significari, nisi per appositio em medicinæ ad diversas vulnerum radices, ; & ideò plures unctiones sunt de perfectione hujus sacramenti.

45. Dices, statim quando fit prima unctio, significat & causat gratiam & remissionem peccatorum, ut ex ipsa forma constat: Ergo prima illa unctio est verè sacramentum, & per consequens Extrema-Unctio constat pluribus sacramentis, sicut constat pluribus unctionibus.

Respondeo primò negando Antecedens; nam, ut infrà dicemus, gratia non producitur nisi in ultima unctione, quia ante ultimam unctionem sacramentum non est essentialiter completum, B cùm de essentia hujus sacramenti sit quod omnes sensus inungantur, ut constat ex dictis articulo præcedenti.

Respondeo secundò, dato Antecedente, negando Consequentiam, esto enim quod prima unctio causet gratiam & remittat peccata, hoc tamen non præstat nisi in ordine ad alias unctiones sequentes; unde non sequitur quod secundùm se sit sacramentum, sed simul cum aliis unctionibus.

46. Instabis, si quando baptismus fit triplici immersione, quælibet immersio haberet formam distinctam, tres immersiones essent tria sacramenta: Ergo cùm quælibet ex quinque unctionibus habeat suam propriam formam, quælibet est sacramentum.

Respondeo, dato Antecedente negando consequentiam & paritatem. Discrimen est, quòd quælibet immersio cum sua forma significat perfectè totum effectum Baptismi: At verò non quælibet unctio cum sua forma, significat totum effectum Extremæ-Unctionis, si solitariè consideretur, sed solùm cum aliis.

DISPUTATIO II.

De effectibus hujus Sacramenti.

SOLÙM difficultas est & controversia inter Theologos, de primario ac principali hujus sacramenti effectu; hoc enim explicato alij effectus secundarij, & minùs principales facilè intelligentur. Unde fit.

ARTICULUS UNICUS.

Qui sit proprius ac primarius hujus sacramenti effectus?

1. CErtum est, proprium ac primarium hujus sacramenti effectum esse tollere reliquias peccatorum, seu quod idem est causare gratiam quâ tollantur reliquiæ peccatorum; ita enim docent Theologi post Tridentinum sess. 14. de sacram. Extremæ-Unctionis cap. 3. ubi ait quod res seu effectus hujus sacramenti, *gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Verùm in explicando quid per reliquias peccatorum veniat intelligendum, inter se dissident, & in tres dividuntur sententias. Prima asserit, per reliquias peccatorum intelligi peccata quæ interdum relinquuntur in anima post confessionem & communionem infirmi, sive quia per inadvertentiam omissa sunt in confessione, sive quia post illam, & viatici sumptionem, fuerunt commissa, subindeque gratiam horum peccatorum remissivam, esse proprium ac primarium hujus Sacramenti effectum. Ita Bellarminus cap. 8. de Extrema-Unctione, Amicus hìc disp. 19. sect. 6. & alij ex Recentioribus.

Secunda docet reliquias peccatorum esse peccata venialia nondum remissa, atque ita remissionem venialium esse primarium hujus Sacramenti effectum, significatum verbis illis D. Jacobi, *si in peccatis est, dimittentur ei.* Ita D. Bonaventura, Scotus, Durandus, Richardus, & alij antiqui Theologi, quos ex Recentioribus sequuntur Emanuel Sa verbo *Extrema-Unctio* num. 16. & Navarrus in Summa cap. 22. qui hanc sententiam communem appellat.

Tertia existimat, peccatorum reliquias nihil aliud esse, quàm torporem quendam, & languorem, seu debilitatem ad operandum bonum, causatam partim ex præcedentibus peccatis mediantibus pravis habitibus ac dispositionibus ex illis relictis, partim ex ipsa corporis infirmitate, partim ex præcedentium peccatorum recordatione & imminentis mortis propinquitate, partim denique ex terrificis dæmonum illusionibus & tentationibus; atque adeò augmentum gratiæ, cum jure ad specialia auxilia quibus homo confortetur ad eliciendos actus supernaturales, & vincendas in ultimo illo agone dæmonum tentationes; esse proprium ac primarium hujus Sacramenti effectum. Ita D. Thomas hìc quæst. 30. art. 1. ejusque Discipuli, quos sequitur Valentia hìc. disput. 8. quæst. 1. puncto 3. Unde fit

§. I.

Rejiciuntur duæ primæ sententiæ, & tertia ut verior & probabilior eligitur.

DIco primò, effectus proprius & magis principalis Extremæ-Unctionis non consistit in remissione peccatorum ex inadvertentia in Confessione omissorum, aut post illam & communionem infirmi commissorum. D

Probatur primò: Peccata ex inadvertentia in Confessione à moribundo omissa, aut post illam & Viatici receptionem commissa, vel sunt mortalia, vel solùm venialia: Sed Sacramentum Extremæ-Unctionis non est per se primò institutum ad remissionem peccatorum mortalium, aut venialium: Ergo effectus proprius & principalis illius, non est remissio peccatorum ex inadvertentia in Confessione omissorum, aut post illam & communionem commissorum. Major patet, Minor etiam quoad secundam partem constabit ex dicendis conclusione sequenti; probatur verò quantùm ad primam ratione quam insinuat D. Thomas loco citato, his verbis: *Adhibetur hoc Sacramentum* (Extremæ-Unctionis) *secundum modum cujusdam medicationis, sicut Baptismus per modum ablutionis: medicina autem est ad pellendum infirmitatem, unde hoc Sacramentum principaliter est institutum ad sanandum infirmitatem peccati, ut sicut Baptismus est quadam spiritualis regeneratio, & pœnitentia quadam spiritualis suscitatio, ita & Extrema-Unctio sit quadam spiritualis sanatio, vel medicatio. Sicut autem corporalis medicatio præsupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem; & ideò hoc Sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur,* E

2.

tur, scilicet contra peccatum originale vel mortale; sed contra illos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ vel gloriæ. Et hìc defectus nihil aliud est, quàm quædam debilitas & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali, & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum. Quæ ratio potest sic breviter proponi: Sacramentum institutum per modum medicinæ, non est per se primò institutum ad tollendum illum defectum quo spiritualis vita tollitur; quia sicut medicamentum corporale vitam corporalem supponit, ita spirituale spiritualem: Sed per peccatum mortale, tollitur vita spiritualis animæ: Ergo Sacramentum Extremæ-Unctionis, quod per modum spiritualis medicamenti se habet, non est institutum per se primò ad remissionem peccati mortalis. A B

3. Confirmatur: Effectus proprius &] primarius eorum Sacramentorum, quæ *Sacramenta vivorum* appellantur, non est remissio peccati mortalis, seu prima gratia, sed augmentum ejus, ut patet in Eucharistia & in Confirmatione: Sed Extrema-Unctio est Sacramentum vivorum, ut docent communiter Theologi, duo tantùm Sacramenta pro mortuis morte peccati assignantes, videlicet Baptismum & Pœnitentiam: Ergo effectus proprius & principalis illius non est remissio peccati mortalis. Quare D. Jacobus hujus Sacramenti effectus declarans, de remissione peccatorum loquitur conditionatè, dicens, *si in peccatis sit, remittentur ei*, quia nimirum remissio peccatorum non est effectus primarius, sed duntaxat secundarius hujus Sacramenti, per accidens ei conveniens, sicut Eucharistiæ & Confirmationi, aliisque Sacramentis vivorum, quæ conferendo gratiam obicem non ponentibus, consequenter etiam & per accidens, per illam remittunt peccata inculpabiliter ignorata. Unde D. Thomas articulo citato; postquam dixit quod homo per hoc Sacramentum roboratur contra debilitatem ex peccato relictam, subdit; *Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideò ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut etiam de Eucharistia & Confirmatione suprà dictum est.* C D

4. Probatur secundò conclusio: Hoc Sacramentum, ex Tridentino suprà citato, institutum est ad tollendas reliquias peccatorum: Sed peccata ab infirmo post confessionem & Viaticum commissa, non possunt dici reliquiæ aliorum peccatorum quæ ipsi per confessionem remissa sunt: Ergo Sacramentum Extremæ-Unctionis non est per se primò institutum ad remittenda peccata post confessionem & Viaticum ab infirmo commissa. Major patet, Minor probatur. Ut aliquid dicatur esse reliquia alterius, non sufficit quod illi succedat, sed requiritur insuper quod sit pars vel effectus illius; nox enim v.g. succedit diei, & dies nocti; & tamen nec nox potest dici reliquia diei, nec dies noctis; è contra verò partes ciborum quæ ex prandio remanent, dicuntur reliquiæ prandij; ossa, caput, & aliæ partes corporis Sanctorum, eorum reliquiæ appellantur, langor, debilitas, macies, & pallor, quæ ex ægritudine relinquuntur, morbi reliquiæ appellantur, quia sunt effectus illius; demum Sacramenta vocantur à D. Thoma in prologo libri 4. sententiarum ad Annibaldum, *quædam divinæ Incarnationis* E

reliquiæ, quia à Verbo Incarnato, & à latere Christi in Cruce morientis profluxerunt, ut rivuli à fonte, & effectus à causa: Sed peccata ab infirmo post confessionem & Viaticum commissa, non se habent ad alia per confessionem remissa, ut partes ad totum, vel ut effectus ad causam, cùm sæpè nullam cum illis habeant affinitatem vel connexionem, sed sint omnino disparata, & ab aliis independentia: Ergo præcedentium peccatorum reliquiæ vocari nequeunt, sed potiùs nova & distincta peccata dici debent.

Dico secundò, Effectus proprius & magis principalis Extremæ-Unctionis, non consistit in remissione peccatorum venialium. Ita D. Thomas articulo citato, ubi sic ait: *Quidam verò dicunt, quod principaliter est institutum* (Sacramentum Extremæ-Unctionis) *contra veniale &c. Sed hoc non videtur verum, quia pœnitentia sufficienter, etiam in hac vita, delet venialia peccata quoad culpam.* Et 3. p. quæst. 65. art. 1. ad 3. *Ad deletionem venialis peccati* (inquit) *non requiritur infusio gratiæ: unde cùm in quolibet Sacramento novæ legis gratia infundatur, nullum Sacramentum novæ legis instituitur directè contra veniale, quod tollitur per quædam Sacramentalia; putà per aquam benedictam, & alia hujusmodi.* 5.

Hoc duplici D. Thomæ testimonio continentur duæ rationes fundamentales nostræ conclusionis, quibus addo quod in forma istius Sacramenti ponitur universaliter, *Quidquid deliquisti*: Ergo non magis ordinatur ad delenda peccata venialia, quàm mortalia. Addo insuper, quod si proprius effectus hujus Sacramenti esset remissio venialium, posset illud conferri etiam sanis, cùm etiam sani egeant venialium remissione. 6.

Nec valet quod dicunt Adversarij, nempè hoc Sacramentum institutum esse ad remittenda venialia in egressu tantùm vitæ; quia institutum est in perfectam peccatorum venialium curationem, quæ quandiu vita præsens durat, fieri nequit, ob necessitatem quandam peccandi venialiter quam patitur homo. Non valet, inquam, Primò quia venialia etiam in fine vitæ remitti possunt per pœnitentiam. Secundò, quia quando aliquod Sacramentum instituitur ad remittenda peccata, non respicit per se tempus futurum & præteritum; nec ad illud applicandum necessarium est quod talia peccata iterum committi non possint, sed satis est quod sint commissa, & quod possint deleri. Tertio, quia ex hac responsione sequeretur, hoc Sacramentum conferri posse damnatis ad mortem, cùm illi sint in egressu viæ, post quam peccata venialia non iterantur. Sequeretur etiam, Sacramentum Extremæ-Unctionis non debere ministrari nisi in extremo vitæ articulo, quando creditur simul cum eo vitam finiendam esse; aliàs enim poterit infirmus post ejus susceptionem adhuc peccare venialiter: Sed hoc dici nequit, debet enim ministrari Extrema-Unctio, cùm adhuc vigent sensus & sperari potest, quod vita adhuc durabit naturaliter per aliquod notabile tempus: Ergo &c. 7.

Dico tertiò, primarium & proprium effectum hujus Sacramenti esse augmentum gratiæ habẽtis jus speciale ad auxilia quibus infirmus confortetur & roboretur contra langorem & debilitatem ad operandum bonum, partim ex peccatis præcedentibus, partim ex infirmitate relictum, & juvetur ad eliciendum actus supernaturales, & ad vincendum Dæmonis tentationes in ultimo illo 8.

agone

Universidad de Deusto
Biblioteca

agone occurrentes. Est etiam D. Thomæ articulo citato, ubi ait, hoc sacramentum institutum esse *contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ vel gloriæ; & hic defectus nihil aliud est quàm quædam debilitas & ineptitudo quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali; & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum.* Similia habet Tridentinum sess. 14. cap. 2. ubi ait, quod res & effectus hujus Sacramenti, *gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando; quâ infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit &c.* Alludendo ad illud Genes. 3. de muliere Dæmoni dictum sub figura serpentis: *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus:* Quasi per calcaneum significetur finis vitæ, in quo Dæmon acriùs hominem infectatur. Quamvis Augustinus Concione 1. super Psal. 48. per calcaneum intelligat consensum quo peccatum in nobis consummatur; sicut per caput initium suggestionis quo suadetur.

9. Potest etiam conclusio hac ratione suaderi. Effectus proprius hujus Sacramenti est tollere reliquias peccatorum, ut ait Tridentinum verbis jam relatis: Sed per reliquias peccatorum nihil aliud intelligi potest quàm prædictus animi languor & debilitas ad operandum bonum: Ergo proprius effectus hujus Sacramenti erit gratia roborans & confortans contra talem languorem. Major patet, Minor probatur. Præter illum languorem nihil invenitur quod ex peccatis præteritis relinquatur in anima, nisi aut ipsa macula, aut reatus pœnæ æternæ, vel obligatio ad pœnam temporalem, quæ relinquitur post remissam culpam, & pœnæ æternæ reatum, aut habitus vitiosus, vel fomes peccati, vel quædam proclivitates ad peccandum, ex peccatis præcedentibus relictæ: Sed per reliquias peccatorum nihil horum potest intelligi; non quidem macula, aut reatus pœnæ æternæ; quia hæc tolluntur per sacramentum pœnitentiæ, quod etiam secundariò ordinatur ad remittendam pœnam temporalem. Nec etiam habitus vitiosus, aut fomes peccati, cùm illa remaneant post convalescentiam in infirmo, qui Extremam-Unctionem suscepit; nec habitus vitiosi tollantur nisi per actus oppositos sæpè repetitos. Nec demum proclivitates ad peccandum: tum quia non esset locutus Apostolus sub conditione, *si in peccatis sit*, sed absolutè, cùm nemo sit sine proclivitate peccandi: tum etiam quia tantùm abest, quod istæ proclivitates tolli videantur per sacramentum Extremæ-Unctionis, quin imò plurimi, qui jam acceperunt hoc sacramentum, cùm convalescunt, vivant multò pejùs quam antè: Ergo per reliquias peccatorum, nihil aliud intelligi potest, quàm prædictus languor ad benè operandum, ex peccatis præcedentibus relictus.

10. Alia ratio desumi potest ex materia & forma hujus Sacramenti: Forma enim deprecatoria significat necessitatem divini auxilij ad roborandum infirmum contra languorem ex peccatis præteritis, & præsenti infirmitate relictum, & ad superandas Dæmonis tentationes, quibus tunc acriùs hominem infectatur. Unde in forma Ecclesiæ Mediolanensis & Venetæ, articulo præcedenti relata, solùm exprimitur ille effectus; in ea enim sic dicitur: *Ungo te oleo sanctificante, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aëreas possis superare potestates.* Unctio etiam olei, quæ est materia hujus Sacramenti, rectè significat luctam & certamen hominis moribundi cum Dæmonibus; cùm olim Athletæ oleo ungerentur, ut ad luctam & certamen se præpararent. Item sicut homines ex præterita infirmitate languentes, unctione aliquâ pretiosâ liniuntur, ut omnia membra & nervi consolidentur & roborentur; sic oleum sanctum illis qui ob peccata præterita debilitatem sentiunt, adhibetur, ad significandam gratiam, quæ ad similes spirituales effectus illis confertur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

11. OBjicies primò contra primam conclusionem: In eo consistit essentialiter effectus magis principalis Sacramenti Extremæ-Unctionis, quod Tridentinum assignat tanquam effectum specialem & ipsi proprium: Sed Tridentinum assignat pro effectu speciali & proprio Sacramenti Extremæ-Unctionis remissionem peccatorum ex inadvertentia in confessione ultima omissorum, aut post illam & viatici sumptionem commissorum; tribuit enim ei tanquam proprium ut abstergat delicta, *si quæ sint* (inquit) *adhuc expianda.* Similiter D. Jacobus inter proprios & speciales hujus Sacramenti effectus, remissionem peccatorum numerat, ut patet ex illis verbis: *Et si in peccatis sit, remittentur ei:* Ergo remissio peccatorum ex inadvertentia in confessione ultima omissorum, aut post illam & viatici sumptionem omissorum, est proprius hujus Sacramenti effectus.

12. Confirmatur: Omnia Sacramenta eò tendunt, ut hominem promoveant ad suum finem consequendum, subindeque ut aliquod obstaculum removeant, quod ipsum posset ab ejus consecutione impedire: sic Baptismus tollit obstaculum peccati originalis, Confirmatio Christiani militis imbecillitatem, ne in defensione veræ fidei coram hostibus succumbat; Eucharistia carnalis concupiscentiæ ardorem, ne spiritualem vitam gratiæ extinguat; Ordo idoneorum ministrorum egestatem, ne eorum penuriâ fideles patiantur; Matrimonium difficultates, quæ inter conjuges occurrere solent: Sed fieri potest, ut infirmus, post confessionem & communionem, in peccatum mortale incidat, & tamen ignoret se illi esse obnoxium, & consequenter non possit illud novâ confessione explicare: potest etiam accidere, ut confessionem & communionem, non ritè peregerit, & tamen hoc ipsum etiam ignoret: Ergo ad Christi clementiam & providentiam pertinuit, aliquod Sacramentum instituere, quo infirmus in illis casibus justificari posset, & illorum peccatorum remissionem consequi, quod non potest esse aliud quàm Sacramentum Extremæ-Unctionis, quod præcipuè propter hujusmodi casus extraordinarios videtur institutum.

Confirmatur ampliùs: Proprium hujus Sacramenti est, ut Concilia definiunt, & Theologi omnes admittunt, peccatorum reliquias abstergere: Sed nulla sententia meliùs ac probabiliùs reliquias peccatorum explicat, quàm illa quæ docet Sacramentum Extremæ-Unctionis per se primò

mò fuisse institutum ad tollenda prædicta peccata ex aliis Sacramentis relicta, quorum1 virtute vel non fuerunt remissa, vel non potuerunt remitti quia reliquiæ (inquit Amicus) debent esse ejusdem rationis cum iis quorum sunt reliquiæ; nam si sint diversæ rationis, non tam dicuntur reliquiæ, quàm effectus vel excrementa; non enim calor à luce relictus, dicitur lucis reliquia, sed effectus, nec furfures ex farina relicti, propriè dicuntur farinæ reliquiæ, sed excrementum: Ergo prædicta sententia verior & probabilior videtur.

13. Ad objectionem respondeo, concessa Majori, negando Minorem, & probationem illi subjunctam: Tridentinum enim dicit, *Delicta si quæ sunt adhuc expianda, & peccati reliquias abstergit*; cujus propositionis sensus est, hoc Sacramentum habere duplicem effectum, unum communem sibi & aliis Sacramentis vivorum, atque adeò per accidens tantùm, videlicet expiare peccata, si quæ sint; alium verò proprium sibi, nimirum abstergere reliquias peccatorum. Similiter D. Jacobus, cùm de remissione peccatorum conditionaliter loquatur, dicens, *si in peccatis sit, remittentur ei*, hoc modo loquendi innuit, remissionem peccatorum non esse effectum per se, sed tantùm per accidens hujus Sacramenti. Unde

14. Ad primam confirmationem dicendum, quod cùm prædicti casus rarò contingant, sufficit quod Extrema-Unctio per accidens tunc illa peccata remittat. Quare falsum est quod ait Suarez, proprium esse huic Sacramento remittere peccata, non quidem per se primò, sicut convenit Baptismo & Pœnitentiæ, sed per se secundò. Sacramentum enim vivorum, quale est apud omnes Sacramentum Extremæ-Unctionis, non tribuit neque per se primò neque per se secundò, sed tantùm per accidens primam gratiam: Ergo neque per se primò, neque per se secundò, sed per accidens tantùm, remittit peccatum.

Ad secundam confirmationem, nego Minorem; ut enim in secunda probatione primæ conclusionis declaravimus, ut aliquid propriè dicatur reliquia alterius, debet esse ejus pars, vel effectus, quod non convenit peccatis ab infirmo post confessionem & viatici sumptionem commissis, respectu peccatorum præcedentium, cum quibus sæpissimè nullam habent affinitatem vel connexionem. Falsum etiam est quod reliquiæ semper debeant esse ejusdem rationis & speciei cum iis quorum sunt reliquiæ, ut ait Amicus; languor enim, debilitas, pallor, & macies, quæ ex ægritudine relinquuntur, morbi reliquiæ propriè appellantur, & tamen non sunt morbus, sed tantùm morbi effectus. Similiter concupiscentia seu fomes peccati, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum, dicuntur peccati originalis reliquiæ, licèt non sint peccata, sed duntaxat peccati originalis effectus.

15. Objicies secundò contra secundam conclusionem: Cùm detur Sacramentum habens pro suo effectu magis principali remissionem peccati originalis, nempè Baptismus, & aliud cujus effectus primarius est remissio peccati mortalis actualis, nimirum pœnitentia, debet insuper tertium assignari Sacramentum, cujus effectus magis principalis consistat essentialiter in remissione peccatorum venialium, ut sic nullum sit peccati genus quod non habeat in sui remedium proprium Sacramentum per se institutum: Sed nullum aliud est assignabile Sacramentum, præter Extremam-Unctionem, cujus effectus magis principalis consistat in remissione venialium: Ergo illorum remissio est proprius ac principalis effectus hujus Sacramenti.

Respondent aliqui, negando Majorem; cùm 16.
enim peccatum veniale (inquiunt) sit tantùm secundùm quid peccatum, nullum petit Sacramentum per se primò institutum in sui remedium, sed solùm aliqua Sacramentalia, per quæ ex opere operato remittatur. Sed meliùs respondetur, data Majori, negando Minorem; nam idem pœnitentiæ Sacramentum quod institutum est ad remittenda mortalia post Baptismum commissa, etiam institutum est ad remittenda venialia; unde tam benè peccata venialia sunt materia remota Sacramenti pœnitentiæ, quàm mortalia, cum eo solùm discrimine, quod mortalia sunt materia necessaria, venialia verò materia libera, quia per Sacramentalia, aliaque remedia expiari possunt.

Objicies tertiò contra tertiam conclusionem: 17.
Cùm Sacramentum id efficiat quod significat, & significatio maximè per formam exprimatur, in eo consistit essentialiter effectus magis principalis Extremæ-Unctionis, quod ejus forma significat: Sed forma hujus Sacramenti non significat collationem auxiliorum contra debilitatem & languorem ad benè operandum in infirmo ex peccatis præcedentibus relictum, vel contra Dæmonum tentationes quibus in fine vitæ vehementiùs infestamur, sed tantùm remissionem peccatorum, ut patet ex verbis illis: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti, &c.* Ergo effectus proprius & principalis hujus Sacramenti, est remittere peccata venialia, aut mortalia oblita vel inculpabiliter ignorata, non verò conferre specialia auxilia, quibus infirmus contra prædictum languorem & Dæmonis tentationes roboretur.

Confirmatur: D. Jacobus explicans effectum 18.
hujus Sacramenti, nihil dicit de illis auxiliis, sed tantùm de remissione peccatorum, ait enim: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei:* Ergo effectus proprius & magis præcipuus, quem haud dubiè non tacuit, consistit essentialiter in illa remissione, non verò in talium auxiliorum collatione.

Ad objectionem respondeo primò, retorquendo argumentum in Adversarios, nam in forma Ecclesiæ Mediolanensis & Venetæ, articulo præcedenti relata, nulla fit mentio de remissione peccatorum, sed tantùm de prædictis auxiliis; sic enim in ea habetur: *Ungo te oleo sanctificante, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen, aëreas possis superare potestates.* 19.

Respondeo secundò, negando Minorem, & 20.
ad illius probationem dico, nomen causæ interdum significare effectum, eò quòd virtualiter ipsum contineat: Unde sicut ad Roman. 7. Apostolus fomitem ex peccato originali relictum, appellat peccatum; & 2. Machab. 12. pœna temporalis peccatis existentium in purgatorio debita, dicitur similiter peccatum, *Ut a peccatis solvantur.* Ita etiam in forma Sacramenti Extremæ-Unctionis, cùm dicitur *Quidquid deliquisti &c.* nomen delicti significat reliquias peccatorum, sive languorem & debilitatem animæ circa exercitium virtutis, causatum præsertim ex delictis præcedentibus.

Ad confirmationem, nego Antecedens, dicit enim D. Jacobus ante verba citata, *& alleviabit eum Dominus*, græcè *confortabit*, seu *excitabit*

Universidad de Deusto
Biblioteca

eum, quod certè satis exprimit remedium contra languorem & debilitatem spiritualem infirmi.

21. Dices : Languor & debilitas animæ ad operandum bonum, causatus ex peccatis, non solùm existit durante infirmitate, sed etiam durante sanitate aliunde verò sani magis tenentur ad operandum bonum, quàm infirmi : Ergo si effectus magis principalis Extremæ-Unctionis esset collatio auxiliorum contra illum languorem, potiùs deberet ministrari sanis, quàm infirmis.

Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam ; est enim specialis necessitas auxilij divini contra illum languorem in gravi infirmitate, quæ non reperitur durante sanitate ; ipsa enim infirmitas auget illum, & reddit infirmum magis impotentem ad ipsum vincendum.

§. III.

Corollaria notatu digna.

22. EX dictis colliges primò, proprium esse Sacramenti Extremæ-Unctionis, ultimò disponere hominem ad introitum gloriæ, cùm per auxilia jam explicata illum juvet ad resistendum tentationibus Dæmonis, & ad perseverandum in bono, tunc cùm mors imminet, roboretque spem, magnamque (ut ait Tridentinum) in eo misericordiæ divinæ fiduciam excitet. Unde sicut Baptismus & Confirmatio dicuntur Sacramenta fidei ; Confessio Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistia Sacramentum amoris ; ita Extrema-Unctio, Sacramentum spei meritò appellari potest.

23. Colliges secundò, hoc Sacramentum non producere suum effectum, nisi post ultimam unctionem ; quia ipsum non producit, nisi sit essentialiter completum : Sed ante ultimam unctionem non est essentialiter completum, cùm omnes quinque unctiones sint essentiales huic Sacramento, ut articulo præcedenti ostensum est : Ergo ante ultimam unctionem non producit suum effectum. Unde D. Thomas hic quæst. 30. art. 1. ad 3. *Quando sunt multæ actiones ordinatæ ad unum effectum, ultima est formalis respectu omnium* D *præcedentium, & agit in virtute earum ; & ideò in ultima unctione gratia infunditur, quæ effectum Sacramento præbet.*

24. Colliges tertiò, quod sicut in aliis Sacramentis tria distingui debent, unum quod est res tantùm, alterum quod est Sacramentum tantùm, & aliud quod est res & Sacramentum simul, ita & in isto. Unde in hoc Sacramento res tantùm est gratia ; Sacramentum tantùm, est ipsa externa unctio, seu potiùs compositum ex unctionibus & verbis ; res & Sacramentum simul, est spiritualis animi hilaritas ; nam hæc significatur ab externo symbolo, & simul significat ulteriorem animi sanctitatem, ad quam causandam hæc spi- E ritualis animi hilaritas ordinatur. Unde D. Thomas hic quæst. 30. art. 3. ad 3. *In hoc Sacramento* (inquit) *res & Sacramentum non est character, sed quædam interior devotio, quæ est spiritualis unctio.* Nec obstat quod etiam Eucharistia causet devotionem & hilaritatem in anima ; nam Eucharistia, cùm habeat rationem convivij, eam causat per modum refectionis & inebriationis spiritualis ; hoc verò Sacramentum, cùm ad modum medicinæ spiritualis institutum sit, eam causat per modum unctionis spiritualis, potentias animæ lætificantis ac roborantis contra Dæmonis tentationes, & languorem spiritualem ex peccatis præcedentibus, & præsentia morbi causatum, ut suprà declaravimus.

Colliges quartò, hoc Sacramentum, præter 25. gratiam habitualem quam causat in anima, quâ ad modum unctionis potentias ejus corroborat, & præter auxilia suprà dicta, quibus eam contra Dæmonis tentationes in articulo mortis occurrentes armat & munit, habere alium effectum minùs principalem & secundarium, qui est alleviatio quædam ægritudinis corporalis, & quandoque perfecta sanitatis recuperatio.

Patet hoc corollarium, Tum ex verbis illis Jacobi : *Alleviabit eum Dominus*, ab infirmitate videlicet corporali : Tum ex Florentino in de- B creto Eugenij, ubi sic legitur : *Effectus hujus Sacramenti est mentis sanatio, & inquantum expedit, ipsius etiam corporis.* Tum denique ex Tridentino sess. 14. cap. 2. ubi ait quod hoc Sacramentum *ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores leviùs fert, & tentationibus Dæmonis, calcaneo insidiantis, faciliùs resistit ; & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.*

Idem docet D. Thomas hîc quæst. 30. art. 2. ubi sic discurrit : *Sicut ablutio Baptismi habet effectum corporalis ablutionis, quia etiam corporaliter mundationem facit ; ita etiam Extrema-Un-* C *ctio habet effectum corporalis medicationis, scilicet corporalem sanationem. Sed hæc est differentia, quòd corporalis ablutio ex ipsa naturali proprietate elementi facit corporalem mundationem, sed Extrema-Unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute divina, quæ rationabiliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem, ideò ex hoc Sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad spiritualem sanationem, & tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.*

Addo quod, operatio Ecclesiæ habet majorem D efficaciam post Christi Domini passionem, quàm ante illam : Sed ante inuncti oleo per Apostolos, corporaliter sanabantur, ut legitur Marci 6. Ergo hæc sacra unctio sanationem corporalem, si secundùm Dei providentiam saluti animæ expedierit, infallibiliter operatur, quamvis minùs principaliter. Unde falsum est quod docet Scotus in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 2. ad 5. hoc Sacramentum quantùm est de se, non semper esse sufficiens ad morbi malignitatem superandam, imò posse nonnunquam artem & solertiam medici plus ad id conferre, quàm virtutem Sacramenti, ideóque illud non semper sortiri suum effectum. Patet inquam, hoc esse falsum, & contra doctrinam Florentini & Tridentini, quæ dum dicunt salutem corporis per hoc Sacramentum dari, quando animæ saluti expedierit, sentiunt hoc Sacramentum continere vim supernaturalem conferendi corporis salutem, quam tamen non semper, sed quando animæ saluti expedit, inuncto confert. Id etiam apertè repugnat doctrinæ D. Thomæ, qui loco citato ait quod Sacramentum sanationem corporalem ex virtute divina operatur, & eam semper inducit, quando expedit ad spiritualem sanationem, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.

Dices cum Scoto : Si toties sanaretur corpo- 26. raliter infirmus, virtute Sacramenti Extremæ-Unctionis,

Unctionis, quoties sanitas corporalis expedit saluti animæ, aliquando virtute Sacramenti sanaretur miraculose ; interdum enim tanta est malignitas morbi, ut sanari non possit absque miraculo : Sed hoc dici nequit, cùm effectus Sacramenti non sit per miraculum expectandus : Ergo nec illud.

27. Confirmatur : Sanitas corporalis, quantumcumque expediat ad salutem infirmi, non est magis infallibilis in suscipiente Extremam-Unctionem, quàm fortis fidei confessio coram tyranno in suscipiente Confirmationem ; quandoquidem iste effectus est magis præcipuus in Confirmatione, ille verò minùs principalis in Extrema-Unctione : Sed fortis fidei confessio coram B tyranno quantumcumque expediat ad salutem animæ, non est tamen effectus infallibilis Sacramenti Confirmationis, quandoquidem fidelis, licèt confirmatus, sæpe ex metu negat fidem suam coram tyranno : Ergo neque sanitas corporalis, etiam quando ægrotantis saluti expedit, est effectus infallibilis Sacramenti Extremæ-Unctionis.

28. Ad instantiam respondeo, negando sequelam Majoris, quantacumqne enim sit malitia & acerbitas morbi, Sacramentum tamen virtute supernaturali quam continet, potest secundùm potentiam Dei ordinariam, atque adeò sine miraculo, illam superare, & sanitatem restituere.

29. Ad confirmationem, concesso Antecedente, C nego consequentiam & paritatem. Discrimen est, quòd fortis fidei defensio coram tyranno, ex libertate nostra dependet, per quam possumus impedire ne virtus Sacramenti illam in nobis operetur : At verò recuperatio sanitatis corporalis non est tale aliquid quod requirat necessariò nostræ libertatis cooperationem.

DISPUTATIO III.

De subjecto & ministro hujus Sacramenti.

AD complementum hujus Tractatûs duo tantùm restant explicanda : primum est, quodnam sit subjectum capax recipiendi hoc Sacramentum ? Secundum, quis sit proprius illius minister ? De utroque breviter in hac disputatione dicemus.

Articulus Primus.

Quodnam sit subjectum capax recipiendi hoc Sacramentum ?

1. DICO primò, soli baptizati, adulti, & infirmi, sunt capaces Sacramenti Extremæ-Unctionis. E

Prima pars patet, quia Baptismus est janua ad reliqua Sacramenta ; unde si hoc Sacramentum daretur non baptizato, etiam si esset catechumenus, & in gratia existens, irritum esset & invalidum.

Secunda etiam videtur certa, & docetur communiter à Theologis, excepto Majore, qui vult infantibus baptizatis dari posse hoc Sacramentum. Sed hoc est contra consuetudinem Eccle- A siæ, & contra rationem ; infantes enim sunt incapaces primarij effectûs hujus Sacramenti, videlicet auxiliorum specialium ad superandam debilitatem ad benè operandum, ex peccato contractam, & ad resistendum Dæmonum insultibus ; effectus verò secundarius, nempè sanitas corporalis, cessat, cessante primario.

Neque singulari Majoris opinioni favet quod 2. ait D. Thomas hic quæst. 30. art. 1. nimirum hoc Sacramentum conferri ad purgandum reliquias peccati tam originalis, quàm actualis ; sensus enim propositionis D. Thomæ non est quod Extrema-Unctio conferatur vel conferri possit ad purgandum reliquias peccati originalis, præcisè sumptas, sed ut confirmatas per actualia peccata, & eorum reliquias, ut patet ex eodem S. Doctore hic quæst. 32. art. 4. ad 2. ubi ait quod hoc Sacramentum *non datur contra reliquias originalis peccati, nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatæ, unde principaliter contra peccata actualia datur* (*ut ex ipsa forma patet*) *quæ non sunt in pueris.*

Quod diximus de pueris, asserendum etiam est de amentibus, qui laborarunt amentiâ perpetuâ ; hi enim, licèt ætate non sint pueri, tamen judicij inopiâ sunt quasi pueri, & ejusdem rationis censendi. Secùs est de amentibus, qui aliquando ratione usi sunt, & Sacramenti hujus susceptioni sufficientem consensum præbuerunt, illis enim hoc Sacramentum ministrari posse, docent communiter Theologi, & confirmat usus praxis Ecclesiæ.

Tertia denique pars, quæ asserit, hoc Sacra- 3. mentum nonnisi infirmis posse ministrari, est etiam communis Theologorum, constatque ex verbis Jacobi, *Infirmatur quis ex vobis*, & ex Florentino ac Tridentino definientibus, infirmum esse subjectum Sacramenti hujus, eòdem modo quo definiunt Sacerdotem esse illius ministrum ; unde sicut nullus alius nisi Sacerdos potest esse illius minister, ita nullus alius nisi infirmus potest esse illius subjectum. Ratio à priori nulla alia assignari potest quàm voluntas Christi, qui sicut statuit Sacramentum Ordinis viris tantùm D dari posse, non verò fœminis ; ita voluit Sacramentum Extremæ-Unctionis, tantùm ministrari posse infirmis, non verò sanis ; quia nimirum (ut discurrit S. Thomas hic quæst. 32. art. 1.) *Hoc Sacramentum est quædam spiritualis curatio, quæ per quendam corporalis curationis modum significatur, & ideò illis quibus corporalis curatio non competit, scilicet sanis, non debet hoc Sacramentum conferri.* Imò nec infirmis omnibus administrari debet, sed iis solùm, qui secundùm prudentum judicium, in morali vitæ periculo versantur ; quia ut ait idem S. Doctor articulo sequenti : *Hoc Sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediatè disponens ad gloriam.* Non est tamen expectandus supremus mortis articulus, quin potiùs præstat quod hoc Sacramentum tunc detur, cùm infirmus est adhuc integris sensibus, ut majori cum devotione & fructu ipsum suscipiat ; fitque aliqua Sacramento irreverentia, cùm ministratur, quando infirmus non valet debita cum devotione ad illud accedere. Unde, ut ait Catechismus Romanus, graviter peccant Parochi, qui differunt donec infirmus privetur ratione & sensu. Si tamen per negligentiam hoc Sacramentum opportuno tempore non ministrarunt, non debent propterea illud omit-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tere, etiam si infirmus non sit sui compos. Imò licèt dubitaretur, num esset vivus aut mortuus, etiam tunc sub conditione ungendus esset; præstat enim exponere Sacramentum periculo, quàm animam tali private subsidio.

Etsi verò hoc Sacramentum non imprimat characterem, sitque de numero eorum quæ iterari possunt, non est tamen iterandum nisi in diversis infirmitatibus; vel si in eadem, post valetudinem omnino recuperatam, postea per reincidentiam incurratur iterum mortis periculum, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 3. de Extrema-Unctione, ubi asserit, quod *si infirmi, post susceptam hanc unctionem, convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* Sicut ergo Matrimonium non potest iterum contrahi inter eosdem conjuges, sic neque Extrema-Unctio potest iterum dari infirmo constituto in eadem necessitate infirmitatis; quoties tamen variatur morbi status, ut de periculoso fiat non periculosus, & rursus de non periculoso fiat periculosus, toties iterari potest. Nam sicut causa suscipiendi hoc Sacramentum, non est morbus simpliciter, sed morbus periculosus; ita quoties idem morbus de non periculoso mutatur in periculosum, constituit infirmum sub nova necessitate hoc Sacramentum iterandi. Ex quo inferes, quod si quis hoc Sacramentum suscepit tempore quo morbus non censebatur periculosus, potest rursus illud suscipere, cùm revera periculosus efficitur: tum quia primâ vice fuit invalidum; tum etiam quia esto fuerit validum; quia tamen morbus mutatus est de non periculoso in periculosum, constituit infirmum sub nova necessitate illud recipiendi.

4. Hæc sunt certa & indubitata ferè apud omnes Theologos, sed dubitatur, an hoc Sacramentum ad sui validitatem postulet ut subjectum aliquando peccaverit actualiter? Id enim negant Suarez, Henriques, Conink, Filiutius, & Diana, sequiturque ex illorum sententia, qui docent, B. Virginem suscepisse hoc Sacramentum. Affirmant verò alij Theologi, tum domestici, tum extranei, favetque huic sententiæ D. Thomas loco suprà citato, ubi asserit, hoc Sacramentum non esse contra reliquias peccati originalis, nisi secundùm quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatæ. Unde

5. Dco secundò, si daretur adultus, qui sicut Beata Virgo nunquam actualiter peccasset, neque ante neque post susceptionem Baptismi, non posset ei validè administrari Sacramentum Extremæ-Unctionis,

Probatur primò ratione quam insinuat D. Thomas hìc quæst. 30. art. 1. Hoc Sacramentum est institutum per modum medicinæ spiritualis, supponentis morbum & vulnus peccati: Ergo sicut hæc unctio medicinalis, non nisi infirmis corpore tribui potest, ita nec nisi infirmis mente, E propter peccata & eorum reliquias.

6. Probatur secundò: Sacramentum Extremæ-Unctionis ex Tridentino est completivum & consummativum Sacramenti pœnitentiæ: Ergo supponit subjectum capax Sacramenti pœnitentiæ, cùm debeat supplere quod Sacramentum pœnitentiæ vel non potuit vel omisit: Sed si daretur adultus, qui sicut Beata Virgo nunquam actualiter peccasset neque ante neque post susceptionem Baptismi, ille esset incapax Sacramenti pœnitentiæ, ut de Beata Virgine communiter docent Theologi: Ergo ille esset etiam incapax Sacramenti Extremæ-Unctionis.

Hac ratione utitur Suarez disp. 41. sect. 1. num. 2. & 3. ad probandum infantes non esse capaces hujus Sacramenti, quæ cùm non minùs concludat de iis qui nunquam peccaverunt, ille Author parùm sibi constare videtur, dum posteà sect. 2. num. 8. docet hoc Sacramentum dari posse adultis qui nunquam actualiter peccaverunt. 7.

Probatur tertiò: Illi non potest validè administrari Sacramentum Extremæ-Unctionis, de quo verificari non possunt verba ipsius formæ, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, tactum, &c.* Sed de illo qui nunquam peccavit actualiter ante vel post susceptionem Baptismi, verificari nequeunt illa verba, ut constat: Ergo ipsi validè administri non potest Sacramentum Extremæ-Unctionis.

Respondet Suarez, negando Minorem, quia forma intelligenda est (inquit) juxta verba Jacobi, scilicet conditionaliter, ita ut verba ista, *quidquid deliquisti*, idem significent, ac si quid peccasti per visum &c. Sicut ergo licèt quis interdum careat aliquo sensu, visu v.g. ita ut nunquam peccaverit per illum, possunt tamen in administratione hujus Sacramenti de illo verificari hæc verba, *quidquid deliquisti per visum.* Ita & de illo qui nunquam peccavit actualiter ante vel post receptionem Baptismi. 8.

Sed contra: Licèt verba Jacobi sint conditionalia, C verba tamen formæ hujus Sacramenti non possunt intelligi conditionaliter. Nam verba Jacobi propriè intelliguntur de peccatis actualibus pro præsenti existentibus; contingere autem potest quod infirmus non habeat pro præsenti culpam peccati, videlicet ob perfectam contritionem: At verò verba illa formæ, *quidquid deliquisti*, intelliguntur de peccatis etiam præteritis remanentibus duntaxat quoad reliquias: licèt autem quis careat interdum aliquo sensu, potuit tamen per voluntatem in ordine ad talem sensum peccare, & sic potest sufficienter verificari forma.

Objicies primò: Qui non habet peccatum originale, est capax recipiendi Sacramentum D Baptismatis: Ergo qui non habet reliquias peccatorum actualium, & consequenter qui nunquam actualiter deliquit, est capax recipiendi Sacramentum Extremæ-Unctionis. Antecedens est certum, & patet tum in illis qui ante institutionem Baptismi justificati fuerunt, & tamen post ejus promulgationem baptizati sunt; tum in Beata Virgine, quæ ut diximus in Tractatu de Baptismo disp. 1. art. 1. §. 11. fuit baptizata à Christo, licèt plures Theologi piè existiment, ipsam non contraxisse peccatum originale. Consequentia verò inde probatur, quòd non magis contra reliquias peccatorum actualium instituta fuerit Extrema-Unctio, quàm Baptismus contra peccatum originale. 9.

Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem. Duplex enim assignari potest ratio discriminis. Prima est, quia in forma Baptismi nullum exprimitur peccatum, uti exprimitur in forma Extremæ-Unctionis. Secunda sumitur ex eo quod susceptio Sacramenti Baptismi non solùm est remedium peccati originalis, sed etiam simpliciter necessaria, ut quis sit capax recipiendi alia Sacramenta. Unde D. Thomas in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ait quod *sanctificatus in utero debet baptizari propter* 10.

acquirendum characterem quo annumeretur in populo Dei, & quasi deputetur ad percipienda divina Sacramenta. Sacramentum verò Extremæ-Unctionis non est janua ad alia Sacramenta, sed duntaxat remedium & medicina spiritualis contra peccatorum reliquias, unde qui nullum peccatum commisisset, esset incapax hujus Sacramenti. A

Dices, Adultus qui nunquam peccasset actualiter, haberet reliquias peccati originalis: Ergo esset capax recipiendi Sacramentum Extremæ-Unctionis.

11. Sed nego Consequentiam, quia ut suprà ex D. Thoma ostendimus, Sacramentum Extremæ-Unctionis non est contra reliquias peccati originalis, nisi secundùm quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatæ & confirmatæ.

12. Objicies secundò: Licèt quis peccaverit actualiter, potest tamen fieri quod in eo non sint reliquiæ peccatorum actualium; ponamus enim quod ante Baptismum non peccavit actualiter, & post ejus susceptionem semel tantùm aut iterum venialiter præcisè deliquerit, consequenter verò per multos annos ex speciali privilegio omni peccato caruerit, & in omni genere virtutum frequenter se exercuerit; tali exercitio tolluntur tandem omnes duorum illorum peccatorum venialium reliquiæ; & tamen remanet ille capax hujus Sacramenti: Ergo idem esset, quamvis nullum omnino peccatum actuale commisisset, neque ante neque post Baptismum: B

13. Respondeo quidquid sit de Antecedente, negando Consequentiam; quemadmodum enim non valet iste discursus: Potest fieri quod quis ante receptionem Sacramenti pœnitentiæ assecutus sit per eòtritionem suorum peccatorum actualium remissionem, & tamen possit recipere tale Sacramentum: Ergo & quamvis non peccasset actualiter, illud posset recipere. Ita nec valet iste Potest fieri ut quis ante receptionem Sacramenti Extremæ-Unctionis, nullas habeat reliquias peccatorum, quia nimirum illæ per ferventissimos actus charitatis & aliarū virtutum sublatæ sunt: Ergo & quamvis nullum peccatum actuale commisisset, nullæque subinde in eo fuissent unquam reliquiæ peccatorum actualium, posset Sacramentum Extremæ-Unctionis recipere. C

ARTICULUS II.

Quis sit Minister proprius istius Sacramenti?

THomas Vvaldensis lib. 2. de Sacramentis cap. penultimo dicit quod tempore necessitatis quando non adest Sacerdos, etiam non Sacerdotes validè possunt hoc Sacramentum conferre.

14. Dico tamen, de fide certum esse, Extremam-Unctionem, non posse ab alio quàm à Sacerdote validè administrari. E

Constat ex Tridentino sess. 14. de Extrema-Unctione cap. 3. & can. 4. ubi sic habetur: *Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ-Unctionis ministrum non esse Sacerdotem, anathema sit.*

Constat etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam hujus Sacramenti administrationem alteri quàm Sacerdoti commisit. Ratio verò congrua esse potest, quia cùm Extrema-Unctio, juxta Tridentinum, sit pœnitentiæ consummativa & completiva, decet ut non ab aliis administrari possit, quàm ab iisdem quorum est ministrare Sacramentum pœnitentiæ. A

15. Dices primò, Innocentius I. in Epistola ad Decentiū, exponens verba illa Jacobi, *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ*, ait: *Non est dubium de fidelibus ægrotantibus intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus sed omnibus Christianis uti licet in sua aut suorum necessitate:* Ergo non solùm Sacerdotibus, sed etiam omnibus Christianis licitum est ministrare Sacramentum Extremæ-Unctionis.

Propter hanc authoritatem Thomas Vvaldensis loco suprà citato putavit posse laïcum in absentia Sacerdotis hoc Sacramentum ministrare. Sotus verò in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 1. censet hoc loco Pontificem non loqui de unctione sacra, sed de unctione, quâ devotionis causâ ad infirmitatem curandam antiquitùs utebantur etiam laïci. B

Verùm hæc interpretatio aliena est à mente Pontificis, & vix textui accommodari potest, ut constabit ex verbis Pontificis statim referendis. Meliùs ergo respondetur, verba illa Pontificis, *Non solum Sacerdotibus, sed omnibus Christianis uti licet*, de passivo usu non de activo debere intelligi, ut sit sensus quod promiscuè fideles omnes Christiani, non soli Sacerdotes oleo infirmorum inungi possint; sed non quòd promiscuè permittatur omnibus ut inungant. Unde immediatè Innocentius ibi addit: *Cæterùm illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur quod Presbyteris licere non dubium est: Nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi aliis occupationibus impediti ad omnes languidos ire non possunt: Cæterùm si Episcopus potest aut dignum ducit aliquem à se visitandum benedicere, & tangere Chrismate, potest, cujus est ipsum Chrisma conficere.* Ex quibus patet suprà dicta verba non posse intelligi de usu alterius olei extra Sacramentum Extremæ-Unctionis, ut interpretatur Sotus, cùm ex professo de Extrema-Unctione Innocentius loquatur, ut de illa quam Episcopis vel Presbyteris licitam esse addit. C

16. Dices secundò: De quibusdam Ægypti Anachoretis legitur quod oleum ad infirmos transmittebant, & sanabantur, ut de Simeone Stilita ex lib. 9. cap. 20. in vitis Patrum colligitur, & de S. Hilarione refert Hieronymus in ejus vita, ubi sic ait: *Percussi à serpentibus & aliis animalibus venenosis plerique, nisi ad Hilarionem concurrerent, statim interibant; unde oleo benedicto tangentes universi vulnera, certam salutem resumebant.* Similia referuntur de sancta Genovefa, in veteri legenda ejus, quæ habetur ad 3. Januarij apud Surium, versùs finem. D

Sed facilè respondetur cum S. Thoma hìc qu. 31. art. 1. ad 2. quod *illæ unctiones non erant Sacramentales, sed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, & ex meritis ungentium vel oleum mittentium, consequebantur effectus sanitatis corporalis per gratiam sanitatum, non autem per gratiam Sacramentalem.*

17. Hæc sunt certa & indubitata apud Theologos, sed aliqua controversia est, an possit hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus validè confici?

Respondeo breviter, hanc quæstionem duplicem sensum habere posse: Primus est, ut unus

Universidad de Deusto
Biblioteca

solùm subministret materiam ungendo, altero formam tantùm proferente. Secundus, ut dum unus ungit unum sensum, & profert partialem formam, alter alterum sensum ungat, & suam formam partialem similiter proferat. Si in priori sensu quæstio proposita intelligatur, respondeo negativè; sicut enim non valeret Baptismus, si ab uno materia, & ab alio forma adhiberetur; ita nec Extrema-Unctio, si unus Sacerdos ungeret, & alter formam proferret; ex verbis enim Jacobi, *Orent super eum, ungentes, &c.* habetur quod idem debet esse qui ungit, & qui orat, seu qui formam, quæ deprecativa est, profert. Si verò in posteriori sensu intelligatur, affirmativè respondeo: Sicut enim Sacramentum Eucharistiæ, quia duplici constat materiâ & formâ partiali, à duobus Sacerdotibus potest validè confici, si nimirum unus conficeret hostiam, & alter calicem; ita pariter, quia Sacramentum Extremæ-Unctionis multis constat materiis partialibus & formis, potest â pluribus Sacerdotibus validè confici, non solùm successivè, sed etiam simul; si nempè dum unus ungit unum sensum, & profert partialem formam, alter alterum sensum ungat, & aliam partialem formam proferat. Hoc tamen licitè fieri nequit, cùm sit contra universalem Ecclesiæ praxim, à qua recedere non licet sine urgente necessitate, qualis esset, si periculum foret; ne antequam omnes quinque unctiones ab uno Sacerdote absolverentur, infirmus expiraret.

18. Dico secundò, etsi validè hoc Sacramentum à quovis Sacerdote administrari possit, non tamen licitè, nisi vel in extrema necessitate, vel de proprij pastoris tacita saltem licentia.

Probatur primò ex Clementina unica de privilegiis, & Clementina *Dudum* de sepulturis, ubi sub pœna excommunicationis inhibetur, ne absque licentia Presbyteri parrochialis, ullus, etiam Religiosus, Extremam-Unctionem morituris administret.

Probatur secundò, quia ministrare Sacramenta est officium pastoris, quod usurpare propriâ authoritate, & in materia adeò gravi, peccatum est grave. Dixi autem, *nisi in extrema necessitate*, quia in casu necessitatis, quando aliàs periculum esset, ne ægrotus moreretur sine hoc Sacramento, potest quivis Sacerdos licitè illud administrare, tametsi Parrochus ei licentiam dare recusset, ægréque id ferat; quia non est intentio Ecclesiæ, propter perversam Pastoris voluntatem, velle privari hominem tali præsidio ac remedio, in tam gravi periculo.

19. Quæres ad complementum hujus disputationis, utrum fideles teneantur sub mortali hoc Sacramentum recipere, & Parochi illud administrare, etiam cum periculo vitæ propriæ, verbi gratiâ cùm infirmus laborat morbo contagioso?

Respondeo neutrum per se ad id teneri sub mortali, quia hoc Sacramentum non est ad salutem necessarium, sed tantùm ad melius esse, ut scilicet vel à morbo levet, vel ad felicem exitum è vita melius præparet, ad quod non desunt alia media sufficientia, putà Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ. Unde quamvis Parochus teneatur sub mortali, non obstante periculo vitæ, ministrare Sacramentum Confessionis subdito graviter indigenti, & Sacramentum Eucharistiæ per modum Viatici, non tamen Sacramentum Extremæ-Unctionis; quia primum est necessarium necessitate medij, secundum necessitate præcepti, tertium verò neutro modo necessarium est, cùm neque sit medium ad salutem necessarium, nec ullum extet præceptum Divinum aut Ecclesiasticum illud recipiendi. Quare Ecclesia tempore interdicti prohibet dari moribundis Sacramentum Extremæ-Unctionis, cap. *Quod in te*, de de pœnit. & remiss. quod certè non prohiberet si esset illis necessarium necessitate medij vel præcepti: Sicut ob eam causam non prohibet dari illis Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ per modum viatici.

20. Dixi, *neutrum per se ad id teneri sub mortali*, quia per accidens interdum infirmus tenetur sub mortali illud recipere, putà si ex ejus omissione oriretur grave scandalum, vel suspicio hæresis, vel hujus Sacramenti vilipensio & contemptus; vel etiam si infirmus dubitet de sua contritione, & non possit aliud Sacramentum suscipere, cujus ope fiat ex attrito contritus; unde in eo casu tenetur Parrochus illud ipsi ministrare, etiam tempore interdicti: neque enim jura & Pontifices suo interdicto hunc extraordinarium casum comprehendere censentur; imò dum tempore interdicti concedunt Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam per modum Viatici, propter salutis necessitatem, tacitè etiam dispensant in hoc Sacramento, cum eo qui aliud suscipere non potest; quia fieri potest, ut sit eadem necessitas, idemque periculum æternæ damnationis, si hoc in tali casu omittatur.



TRACTA

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Ad quæstionem 34. supplementi, & alias sex sequentes.

PRÆFATIO.

NON poterat inter Ecclesiæ Sacramenta, in ornamentum & religionis decus, deesse Ordo; cùm rerum omnium nedum quæ sensibus oculisque percipi possunt, sed & earum quæ sensus omnes atque oculorum aciem superant, venustatem ornem & pulchritudinem ordo efficiat. Quis unquam Triumphantis & Cœlestis Ecclesiæ ordinem cogitatione comprehendat? Ubi triplex beatarum mentium Hierarchia, ordinibus & choris novem constat, & cujus tanta perfectio est, ut Angelorum quilibet (ut docet D. Thomas) ab alio specie differat, subindeque alium quemlibet, gradu & perfectione superet, vel ei inferior sit. Militantem Ecclesiam ordinatam esse aciem Scriptura dixit, & egregiè cum acie ordinem composuit, cùm Aristoteles ipse advertat in politicis, quod sine ordine inutilis erit acies: *Sed plura congessit Gregorius Nazianzenus quàm à me commemorari potuisset.* Ordo *(inquit)* omnia constituit & colligavit; ordo cœlestia & terrena continet; ordo in his quæ ratione & animo intelliguntur locum habet; ordo in anni partibus & temporibus, aptè & distinctè tum progredientibus, tum recedentibus; ordo in diei & noctis mensuris atque intervallis; ordo in elementis ex quibus corpora constant; ordo cœlum in orbem duxit, aërem exporrexit, terram supposuit. Ex ordine florente ac dominante hoc universum κόσμος sive mundus, & ornatus, & invicta quædam stabilisque pulchritudo. *Hactenus Nazianzenus: quibus sanè vix quidquam addi posset, præter ea quæ prosequitur, & brevitatis gratiâ libens omisi. Cùm itaque rerum omnium pulchritudinem & venustatem ordo efficiat, non poterat inter sacramenta Ecclesiæ deesse Ordo, cui hoc singulare & eximium est, ut pluribus veluti partibus, officiis, muneribus, ministeriis distinctus sit, quorum alia propiùs ad sacram aram accedunt, ideóque maximè sacra, alia longiùs ab ea recedunt, quibus subinde ministeria minùs sacra incumbunt. Et sanè Ordinum omnium ministeria ad sacram mensam, & religionis unicum sacrificium, ut ad finem referuntur; atque inde facultatum, munerum, officiorumque distinctio, ut sacrificij dignitas, præparatio, & consecratio postulabant. Inde Ministrorum longa series, quorum alij templum lustrant, purgantque, fores occludunt, aut reserant; indigno, quæ prohibent, aut sacrorum mysteriorum futuros participes admittunt. Alij populum instruunt, & lectione docent; alij cereos accendunt, alij mensam instruunt, panem ac vinum sacrificij materiam parant; alij Sacerdotem, ad quem unum sacrificium conficiendi & offerendi facultas pertinet comitantur, & juvant, ipsi proximè adhærent, & obsequuntur. Sed demum ipse Sacerdos in altari & sacra mensa, Ministrorum omnium coronâ cinctus, inter terras cœlumque medius & sequester, incruentum ac divinum sacrificium offert,*

Arist. in Polit. D. Gregorius Nazianz. Orat. 26.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo Deum populis propitium efficiat. Sed quis hujus Sacerdotij, omnium Ordinum veluti ſacri apicis & culminis, dignitatem oratione unquam & ſatis amplis laudibus proſequatur? Novimus ſanè Sacerdotium olim, etiam apud barbaras gentes, in ſummo ſemper honore habitum fuiſſe. Sæpiùs iidem & Reges & Sacerdotes, coronam ſceptrumque gerebant, cùm ſcilicet ita populis perſuaſum eſſet, non alteri ſupremam poteſtatem demandandam eſſe, quàm cui major ſanctitas, ex religionis uſu & Sacerdotio ineſſe videbatur. Etiam apud quoſdam ſolitum erat, ut iiſdem veſtibus Sacerdotem induerent, quibus ſua Numina repræſentabant, ut Diis quàm ſimillimi, omnium ſibi amorem & reverentiam conciliarent. Sed nullum unquam auguſtius exiſtimatum eſt, quàm Hæbræorum & legis veteris Sacerdotium, cujus miniſteria, jus, ac veſtes, quibus mundum ipſum univerſum, cœlum, terras, maria, aëremque referebat, ut Sapiens dixit, Deus ſingulari beneficio inſtituerat. Eximia ſunt quæ Philo, ſuæ gentis Iudaïcæ, religionis, regiminis, & myſteriorum omnium peritiſſimus, in Sacerdotij commendationem ſcripſit. Ipſas urbes quæ Sacerdotibus conceſſæ fuerant, penè templo pares facit, & egregiè, ſecundaria azyla vocat, propter incolarum honorem & privilegium, qui ſupplicibus contra vim futuri erant præſidio, non armorum ope, ſed dignitatis reſpectu, & juſtâ reverentiâ Sacerdotalis Ordinis. *Quin etiam notat, præter primitias, Sacerdotibus decimas, tanquam Regibus tributa dari;* Quia (*inquit*) juxta legis judicium Sacerdotes æquiparantur honore ac majeſtate Regibus, illis tanquam Principibus, conferri tributa imperat. *Eximia hæc equidem, ut & plurima quæ idem Author refert. Sed quantùm hæc abſunt à dignitate, majeſtate, poteſtate Sacerdotij novæ legis? Quantùm ſcilicet à veritate umbræ recedunt. Veriſſimè D. Ignatius Martyr, Sacerdotium,* omnium bonorum quæ in hominibus ſunt apicem, *dixit, cujus injuria, ſi quis ipſum aut læderet, aut minorem quàm par eſt reverentiam exhiberet, in Chriſtum, inquit, qui ſolus naturâ eſt Summus Sacerdos, redundaret. Sed ſi quis Sacerdotium Chriſtianæ Religionis pro meritis æſtimare velit, is ſanè neceſſe eſt, ſacrificij quod Sacerdos offert in altari præſtantiam animadvertat. Sed quid eo ſacrificio, præter Chriſtum Dominum Deum ipſum continetur, in quem Sacerdos jus habet, quem offert, quem conſecrat, & ſacro ore conficit, ac demum populo edendum diſtribuit. O eximia, & nullis unquam laudibus Sacerdotij dignitas explicanda! Mirabatur olim, & graviter laceſſebat Tertullianus inſaniam Gentilium, qui ſenatûs decreto divinitatem numinibus conferebant. Singularis ſanè & eximia hominum in Deos poteſtas:* Ita (*inquit*) niſi homini placuerit Deus non erit, humano arbitrio divinitas penſitatur. *Sed ô ſingularis jam & veriſſima in Deum Sacerdotis poteſtas! Penes Sacerdotem eſt, ut in altari ſub ſpeciebus Euchariſticis, Deum ipſum in ſacrificij materiam & victimam conſtituat, nec injuriam ullam ſummo Numini inferat, nec altiùs quàm par eſt Sacerdotis dignitatem evehat, qui dixerit,* niſi homini placuerit, *in altari & loco victimæ,* Deus non erit, & humano arbitrio divinitas penſitatur. *Nihil ſanè eâ poteſtate & dignitate in commendationem Sacerdotij majus excogitari unquam poteſt, nihil habeo quod addam præſtantius. Sed ne cætera præteream, quæ licèt infra eam dignitatem ſint, longè tamen Sacerdotij ſeu Gentilium ſeu Hebræorum excellentiam omnem ſuperant, operæ prætium duxi hîc ſubjungere quæ ſummâ eloquentiâ, fusè Chryſoſtomus, in laudem Sacerdotij ſcripſit, quæ paululum tamen reſectis pluribus contraxi.* Sacerdotium (*inquit*) Principatus eſt, ipſo etiam regno venerabilius ac majus. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque veſtes aureas: ſi vis videre diſcrimen, expende modum poteſtatis utrique traditæ, videbis Sacerdotem multò ſublimiùs

Sap. 8.

Philo. lib. de præmiis &c.

D. Ignat. M. Epiſt. ad Smyr.

In Apolog.

D. Chry. hom. 5. in cap. 6. Iſaiæ.

miùs Rege ſedentem. Quanquam enim nobis admirandus videatur regius thronus, ob gemmas; tamen rerum terrenarum adminiſtrationem ſortitum eſt: verùm Sacerdoti thronus in cœlis collocatus eſt, & de cœleſtibus rebus pronuntiandi habet authoritatem. Quis hæc dicit? ipſe cœlorum Rex: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Quid cum hoc honore conferri poſſit? A terra judicandi principalem authoritatem habet cœlum, nam judex ſedet in terra, dominus ſequitur ſervum; & dominus ipſum regale caput Sacerdotum manibus ſubjicit, nos erudiens quod hic Princeps eſt illo major; ſiquidem id quod minus eſt, accipit ab eo benedictionem quod eſt præſtantius. *Hæc præclarè Chryſoſtomus: quibus tum Sacerdotis præcipua munera, tum ſacerdotalis Ordinis præſtantia explicantur. Hæc habui* (AMICE LECTOR) *quæ in Ordinis & Sacerdotij commendationem, loco præfationis præmitterem.*

DISPUTATIO PRIMA.

De Ordine in communi.

CUM rectus doctrinæ ordo poſtulet ut ab univerſalioribus ad particularia deſcendatur, priuſquam de ſingulis Ordinibus in particulari diſſeramus, aliquid de ſacramento Ordinis in communi præmittendum eſſe cenſuimus. Unde ſit

ARTICULUS UNICUS.

An Ordo ſeu ordinatio, quâ Miniſtri Eccleſiæ initiantur, ſit verè & propriè Sacramentum?

1. NEgant plerique Novatorum, contendentes, ſacramentum Ordinis eſſe merum figmentum, nullamque aliam dari ordinationem in Eccleſia, præter ritum eligendi concionatorem. Ex quo inferunt, eum qui non concionatur non eſſe verum Sacerdotem, ſed eſſe inſtar hominis picti reſpectu vivi. Ut hic error refellatur, & veritas Catholica, in Concilio Florentino, Decreto Eugenij, & Tridentino ſeſſ. 23. can. 3. ſancita ac definita, defendatur & ſtabiliatur, ſit.

§. I.

Concluſio affirmativa ſtatuitur.

DIco igitur, Ordinationem quâ Miniſtri Eccleſiæ initiantur, eſſe verè & propriè ſacramentum.

2. Probatur primò: Ad rationem ſacramenti tria tantùm requiruntur, nempè quòd ſit cæremonia ſenſibilis, permanenter inſtituta, habeatque infallibilem promiſſionem gratiæ, ſeu quod in ejus uſu & exercitio gratia infallibiliter conferatur: Sed ordinatio quâ Miniſtri Eccleſiæ initiantur, habet hæc tria: Ergo eſt verè & propriè ſacramentum. Major patet, Minor etiam quantùm ad primam & ſecundam partem manifeſta videtur. In primis enim quòd hæc ordinatio ſit aliquod ſignum ſenſibile, patet experientiâ, Ordo enim ſemper in Eccleſia fuit collatus per ſignum aliquod ſenſibile & externum, putà per impoſitionem manuum. Unde Actuum 14. pro eo quod de Paulo & Barnaba legitur in vulgata verſione: *Cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Preſbyteros*, in textu Græco habetur, χειροτονήσαντες πρεσβυτέρους; & apud Græcos Miniſtrorum ordinatio vocatur χειροτονία, vel χειροθεσία, id eſt *manuũ extenſio*, vel *manuum impoſitio*. Nec obſtat quod in contrarium objicit Kemnitius, nempè Apoſtolos fuiſſe à Chriſto ordinatos ſine ritu externo: Tum quia potentia Chriſti non erat ſacramentis alligata, atque adeò poterat Apoſtolos ſuos ſine ſacramento ordinare: Tum etiam, quia non ſine verbis dedit eis poteſtatem conſecrandi in cœna ultima, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; & ſaltem pro ſigno externo habuit porrectionem panis & calicis conſecrati. Deinde quod ritus ille initiandi Eccleſiæ Miniſtros, conſtanter & permanenter conſtitutus ſit, patet ex uſu conſtanti Apoſtolorum, & continua praxi Eccleſiæ.

Solùm ergo demonſtrandum eſt, infallibilem gratiæ promiſſionem & collationem huic cæremoniæ & ritui non deeſſe, quod probo duplici Apoſtoli teſtimonio; ait enim 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi cum prophetia, cum impoſitione manuum preſbyterij.* Ubi per Preſbyterium intelligit vel cœtum Preſbyterorum, qui cum Epiſcopo imponunt manus ſupra caput illius qui ordinatur in Preſbyterum: vel potiùs cœtum Epiſcoporum à quibus Timotheus fuerat ordinatus Epiſcopus, per manûs impoſitionem. Item 2. ad Timoth. 1. ait idem Apoſtolus: *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.* En Symbolum ſenſibile, manuum impoſitio, per quam Preſbyterium conferebatur, & ſimul gratia quæ per illud dabatur. Quod teſtimonium adeò videtur manifeſtum, ut eo convictus Calvinus, tandem coactus fuerit fateri, Preſbyteratum eſſe verum ſacramentum. Nam lib. Inſtit. cap. 19. num. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc scribit : *Quantùm ad verum Presbyterij munus attinet ; quod ore Christi nobis est commendatum , libenter eo loco habeo. Illic enim cæremonia est, primum ex Scriptura sumpta , deinde quam non esse inanem , nec supervacuam , sed fidele spiritualis gratiæ symbolum , testatur Paulus.* Et numero 31. subdit , id quod dixit duo tantùm esse sacramenta , Baptismum & Eucharistiam , intelligendum esse de sacramentis , quæ fidelibus omnibus sunt communia. Unde Calvinistæ Galli, qui art. 35. Confessionis suæ, negant Ordinationem esse verum sacramentum,non solùm ab Ecclesia , sed ab ipso etiam Calvino , Duce suo & Antesignano, apertè dissentiunt.

3. Nec valet quod ad tam evidentia Scripturæ testimonia respondent , nimirum impositionem illam manuum fuisse aliquam cæremoniam , quâ Apostoli utebantur, cùm Deo aliquem commendabant , & orabant pro illo. Hoc enim falsum esse patet ex cautela quàm in illa manuum impositione adhibebant Apostoli , non enim cuivis sese offerenti manus imponebant , sed post diligens examen , & probatam vitam , ne scilicet incapacem,vel indignum ordinarent. Unde Paulus Timotheo Episcopo Epist. 1. cap. 5. *Manus cito nemini imposueris , neque communicaveris peccatis alienis :* Quamvis autem quis pro peccatore oraret , non propterea ejus peccatis communicaret ; nec tanta fuisset adhibenda cautela,ad orandum pro illo , ut patet : Ergo , &c.

4. Frivola etiam est alia responsio, quâ tam aperta Scripturæ testimonia conantur eludere , dicendo iis nomine gratiæ , non gratiam gratum facientem,sed gratis datam intelligi. Nam Apostolus post verba ex secunda Epistola ad Timotheum adducta , subdit : *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris , sed virtutis & dilectionis :* Sed spiritus dilectionis est charitas , quæ non est sine gratia sanctificante : Ergo de gratia gratum faciente , non verò de gratia gratis data loquitur Apostolus. Unde Theodoretus ibi ait talem gratiam esse illam , *quâ pericula pro pietate non timemus, & Deum cum fervore amamus* ; & Chrysostomus homil. 1. *Hoc est* (inquit) *gratiam spiritûs, quam accepistis ad Ecclesiæ institutionem & ad omne religionis obsequium ; quippè hanc vel extinguere, vel excitare in nobis est,* quod ad gratiam sanctificantem præcipuè pertinet, quare inferiùs, *gratiam charitatis* appellat.

5. Nec obstat quod in primo testimonio mentionem faciat de prophetia , quæ est gratia gratis data. Per prophetiam enim intelligit Apostolus, vel revelationem sibi factam de ordinando Timotheo in Episcopum ; vel potiùs divinam & supernaturalem operationem , quâ in ordinatione fuit sanctificatus : simili modo loquendi quo Scriptura miraculosam operationem vocat prophetiam Eccli. 48. ubi mortuum corpus Elisei dicitur prophetasse , id est suscitasse hominem mortuum , prout refertur 4. Regum 13. Vel prophetiæ nomine significare voluit formam Sacramenti , seu mysticum sermonem , qui cum impositione manuum adhibetur. Solet enim Paulus omnem divinitùs traditum sermonem, aut divinorum mysteriorum explicationem , appellare prophetiam , ut patet ex 1. Corinth. 14. versu 3. 24. & 29.

6. Probatur secundò conclusio ex SS. Patribus, qui ordinationem Sacramentum esse passim asserunt : Augustinus enim lib. 2. contra Parmenianum cap. 13. sic ait ; *Nulla ostenditur causa cur qui Baptismum amittere non potest jus dandi amittere possit : utrumque enim Sacramentum est , & quadam consecratione utrumque homini datur ; illud cùm baptizatur , istud cùm ordinatur.* Et paulò post , *Sacramentum ordinationis* appellat , vel in plurali *Sacramenta.* Et inferiùs : *Ipsi explicent* (inquit) *quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti , & Sacramentum ordinati possit amitti : si enim utrumque Sacramentum est* (*quod nemo dubitat*) *cur illud non amittitur , & illud amittitur ?* Item lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. *Sacramentum Baptismi est quod habet qui baptizatur ; & Sacramentum dandi baptismi est quod habet qui ordinatur.* Et libro de bono conjugali cap. 24. Ordinationem *Sacramentum ordinationis , & Sacramentum Domini* vocat. Et S. Leo Epist. 81. quam Dioscoro scribit cap. 1. de Ordinatione loquens : *Intelligamus* (inquit) *quantâ devotione curandum sit , ne tanta benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* Et Epist. 87. ad Episcopos Africanos cap. 1. contra illegitimè ordinatos sic invehitur : *Quis audeat dissimulare quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam ?*

Demum Gregorius Magnus lib. 4. in libros Regum cap. 4. explicans illud ex libro primo Regum : *Tulit Samuel lenticulam olei* , hæc habet : *In hac unctione exprimitur quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur ; quia qui in culmine ponitur , Sacramenta suscipit unctionis : Quia verò ipsa unctio Sacramentum est, is qui promovetur , benè foris ungitur , si intus virtute Sacramenti roboretur.*

Nec dici potest, SS. Patres de Sacramento impropriè dicto locis istis locutos esse , cum affirment Ordinationem non minùs esse Sacramentum , quàm Baptismum ; & utrique æqualiter tribuant quod non possit iterari , neque amitti, quodque sanctificet suscipientem , quod veri Sacramenti proprium est.

7. Potest insuper conclusio duplici congruentiâ suaderi. Prima insinuatur à Florentino in decreto Eugenij:Cùm enim per Ordinationem homines fiant sacrorum mysteriorum executores & ministri , conveniens fuit ut in ea acciperent gratiam per quam fierent idonei ad tantum munus exercendum ; Deus enim quando ad aliquod munus creaturam destinat , non solâ extrinsecâ ordinatione , sed intrinsecâ virtute efficit illam ad tale munus exercendum aptam : ut constat in ordine naturali , in quo Deus per intrinsecas virtutes & inclinationes, rerum naturas aptat ad fines ad quos destinat consequendos.

8. Confirmatur : In Baptismo in quo datur potestas suscipiendi Eucharistiam & alia sacramenta , datur simul gratia ad illa ritè recipienda , & ad vivendum ut Christianum decet : Ergo cùm detur in Ordinatione potestas ad conferenda sacramenta , debet pariter in ea dari gratia ad ea ritè administranda, & ad vivendum ut decet Dei ministrum , & dispensatorem mysteriorum ejus. Unde Christus Joan. 20. dans Apostolis potestatem remittendi peccata in Sacramento pœnitentiæ , simul infudit Spiritum Sanctum, & ad hoc munus eos sanctificavit dicens : *Accipite Spiritum Sanctum , quorum remiseritis peccata , remittuntur eis.*

9. Secunda est : Ordinatio Sacerdotum veteris legis fuit verum Sacramentum:Ergo & Ordinatio Sacerdotum legis novæ. Consequentia patet, aliàs enim ordinatio Sacerdotum legis antiquæ , fuisset

fuisset perfectior ordinatione Sacerdotum nostrorum, quod tamen non minùs implicat, quam umbram sive figuram esse quid perfectius re figurata, & corpore. Antecedens verò probatur : Ordinatio Sacerdotum legis veteris erat cæremonia externa divinitùs & permanenter instituta , nec non sanctificans legaliter , ut constat ex Scriptura veteris testamenti : Sed nihil amplius requirebatur ad verum Sacramentum legis scriptæ : Ergo Sacerdotium veteris legis fuit verum Sacramentum.

10. Confirmatur : Sanctitas legalis veteris legis, significabat veram sanctitatem dandam in nova lege , ut docet Apostolus ad Hebræos 10. Ergo sicut ordinatio veteris legis consistebat in cæremonia permanenti , quæ legaliter sanctificabat , ita, ut veritas figuræ respondeat, ordinatio novæ legis consistet in ritu permanenti veram sanctitatem operante , & consequenter habebit veram & propriam rationem Sacramenti novæ legis.

§. II.

Solvuntur objectiones Hæreticorum.

11. COntra istam conclusionem & veritatem catholicam objiciunt primò Sectarij : Sacramentum verè & propriè sumptum , ex verbo & elemento aliquo constare debet , juxta illud Augustini Tract. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum :* Sed in ordinatione Ecclesiastica nullum applicatur elementum : Ergo illa non est verè & propriè Sacramentum.

12. *In Tractatu de Pœnitentia disp. 2.* Verùm huic argumento jam alibi respondimus, quod si sermo sit de elemento strictè sumpto, falsa est Major universaliter sumpta ; panis enim & vinum quæ sunt materia Sacramenti Eucharistiæ , non sunt elementa propriè dicta : si autem elementum accipiatur pro quolibet sensibili , dico illud in Ordine , æquè ac in aliis sacramentis , reperiri , utpotè cùm ordinatio fiat vel per manuum impositionem , vel per traditionem alicujus rei sensibilis.

13. Objiciunt secundò,neque ex Scriptura,neque ex Patribus ostendi posse , Ordinem esse sacramentum. Sed hoc quàm sit à veritate alienum, patet ex dictis in prima & secunda probatione conclusionis, ubi plura Scripturæ & SS. Patrum testimonia hujus veritatis confirmationem adduximus. His addi potest Dionysius, qui cap. 5. de Ecclesiastica Hierarchia, tam clarè docet Ordinationem esse sacramentum , ut Lutherus in libro de captivitate Babylonica, cap. *de Ordine*, id negare nequiverit. Anacletus etiam , quintus à Petro summus Pontifex , Epist. 2. de unione Episcoporum sic loquitur : *Omnis sanctificatio constat in Spiritu Sancto , cujus virtus invisibilis sacro Chrismate est permixta, &c.* Quibus verbis significat, Episcopos sanctificari per unctionem Chrismaticam quâ consecrantur , subindeque talem consecrationem esse verè & propriè sacramentum. Item Innocentius I. Augustini contemporaneus Epist. 2. cap. 3. cùm dixisset Clericos hæreticos ad Pœnitentiam receptos non debere ad pristinas dignitates restitui, hujus reddens rationem : *Quoniam* (inquit) *scienter ab illis recipientes Baptisma , non recipiunt Spiritum Sanctum , quia ipsi perfectionem spiritûs quam receperant, amiserunt ; nec dare eis plenitudinem possunt , quæ maximè in ordinationibus operatur.* Quibus verbis apertè declarat , in ordinationibus plenitudinem Spiritus sancti , atque adeò gratiam sanctificantem , communicari ; quod haud dubiè ad sacramenti effectum pertinet. Ex quibus liquet , quàm falsò loco citato affirmet Lutherus, solum Dionysium citari posse ex antiquis scriptoribus, pro sacramento Ordinis.

14. Objiciunt tertiò : Omne sacramentum ordinatur per se ad sanctificationem suscipientium : Atqui ordinatio per se ad sanctificationem suscipientium non ordinatur, sed potiùs ad sanctificationem aliorum : Ergo non est sacramentum.

Respondeo distinguendo Majorem : Omne sacramentum ordinatur per se ad sanctificationem suscipientium;vel per se primò, vel per se secundò, concedo Majorem. Per se primò solùm,nego Majorem. Similiter distinguo Minorem : Ordinatio non ordinatur ad sanctificationem suscipientis, per se primò , concedo. Per se secundò, nego. Ordinatur enim per se secundò ad dignam administrationem sacramentorum : digna autem administratio sacramentorum esse non potest absque gratia sanctificante ipsum ministrum. Unde Ambrosius de dignitate Sacerdotali loquens, ait : *Homo imponit manum , Deus largitur gratiam.* Et Florentinum in Decreto Eugenij, cùm de Ordine loquitur : *Effectus* (inquit) *est augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.*

15. Ex dictis colligitur primò , quod sicut in aliis sacramentis tria distingui solent, nempè id quod est sacramentum tantùm, id quod est res tantùm, & id quod est res & sacramentum simul ; ita & in isto hæc tria reperiuntur. Sacramentum tantùm est res externa & sensibilis cæremonia, quæ in ordinatione adhibetur. Res tantùm est gratia sanctificans, quæ per illam confertur. Res & sacramentum simul , est character , qui per rem externam & sensibilem significatur,& simul gratiam sanctificantem significat , ut in Tractatu de Sacramentis in communi declaravimus.

16. Colligitur secundò, Sacramentum Ordinis sic posse definiri , seu describi : Ordo seu Ordinatio est *sacra cæremonia, quâ traditur potestas, spirituale aliquod ministerium exercendi , simulque gratia sanctificans ad illud ritè & convenienter obeundum.* Cujus definitionis particulæ satis perspicuæ manent ex dictis,vel cum Magistro sententiarum sic potest breviùs definiri : *Ordo est signaculum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato.* Quam definitionem refert & approbat S. Thomas hic quæst. 34. art. 2.

DISPUTATIO II.

De singulis Ordinibus in particulari.

DIsputatione præcedenti egimus de Ordine in communi, & ordinationem aliquam esse verè & propriè sacramentum , ostendimus ; nunc de singulis Ordinibus in particulari differendum est , ac declarandum, an septem illi Ordines qui communiter recensentur, sint sacramenta immediatè à Christo instituta ; & quænam sit singulorum Ordinum materia & forma ?

ARTICULUS

Universidad de Deusto
Biblioteca

Articulus Primus.

An septem Ordines Ecclesiastici, sint verè & propriè Sacramenta?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1. SUppono primò, Ordinem Ecclesiasticum esse duplicem, alterum dignitatis seu jurisdictionis, ut Archidiaconatus, Episcopatus, Patriarchatus, Primatus, Papatus; alterum potestatis sacrificio altaris ministrandi. Hîc non agimus de priori Ordine, qui ad hierarchiam spectat, sed de posteriori, quo certi in Ecclesia initiantur ministri, qui à Christo potestatem accipiunt, Sacramenta fidelibus ministrandi. Etenim ut discurrit S.Thomas hic quæst. 34. art. 1. *Deus sua opera in sui similitudinem perducere voluit, quantum possibile fuit, ut perfecta essent, & per ea cognosci posset. Et ideò ut in suis operibus repræsentaretur, non solùm secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, hanc legem naturalem imposuit omnibus, ut ultima per media reducerentur & perficerentur, & media per prima, ut Dionysius dicit. Et ideò ut ista pulchritudo Ecclesiæ non deesset, posuit ordinem in ea, ut quidam aliis Sacramenta traderent, suo modo in hoc Deo assimilati, quasi Deo cooperantes, sicut & in corpore naturali quædam membra aliis influunt.* Hinc in Concilio Tridentino sess. 23. cap. 2. consentaneum fuisse astruitur, *ut in Ecclesia ordinatissima dispositione, plures & diversi essent Ordines, qui Sacerdotio deservirent.* Et cap. 4. dicitur, *quòd si quis omnes Christianos promiscuè novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere.*

Cap. 5. de Eccl. Hierar.

2. Suppono secundò cum eodem Doctore Angelico hîc quæst. 37. art. 1. quod *Ordinum multitudo est inducta in Ecclesia propter tria. Primò quidem propter Dei sapientiam commendandam, quæ in distinctione rerum ordinata maximè relucet, tam in naturalibus, quàm in spiritualibus: Quod significatur in hoc quod Regina Saba videns ordinem ministrantium Salomoni, non habebat ultra spiritum, deficiens in admiratione sapientiæ illius. Secundò, ad subveniendum humanæ infirmitati; quia per unum non poterant omnia quæ ad divina mysteria pertinebant, expleri, sine magno gravamine; & ideò distinguuntur Ordines diversi ad diversa officia. Tertiò, ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diversis officiis distribuuntur, ut omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est divinius, ut Dionysius dicit.*

Cap. 3. de Eccl. Hierar.

3. Suppono tertiò, septem dari Ordines Ecclesiasticos, videlicet Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum. Primò, quia hoc declaravit Tridentinum sess. 23. cap. 2. Secundò, quia antiqui Patres horum omnium expressam faciunt mentionem. Nam Ignatius Martyr, Apostolorum Discipulus, in Epistola ad Antiochenos, in Bibliotheca Patrum ordine duodecima, ita concludit: *Saluto sanctum Presbyterorum collegium: Saluto sacros Diaconos: saluto hypodiacovos, Lectores, Cantores, Janitores, laborantes* (qui curam habebant mortuos sepeliendi) *Exorcistas.* Item Cornelius Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum, hæc scribit: *In hac Ecclesia Catholica non ignorabat Presbyteros esse quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolytos quadraginta duos, Exorcistas, & Lectores unà cum Ostiariis quinquaginta duos.* Similiter in Concilio Carthaginensi quarto, horum omnium Ordinum materiæ, & formæ, ac officia designantur. Demum Clemens Romanus lib. 8. constitutionum cap. 26. meminit Lectoratûs & Exorcistatûs. Cur autem non aliorum duorum, rationem assignat S.Thomas hic quæst. 37. art. 2. ad 2. quia nimirum in primitiva Ecclesia, propter penuriam personarum, horum inferiorum Ordinum ministeria committebantur Diaconis, in quibus omnium inferiorum Ordinum potestates continentur. Ampliatâ verò postea Ecclesiâ, ampliatus est cum ipsa cultus divinus, ac proinde quæ implicitè gerebantur ab uno ordinato, explicitè exercentur à multis. Tertiò, quia ut in corpore ejusdem articuli egregiè discurrit S. Thomas, tot debent esse Ordines in Ecclesia, quot sunt specialia ministeria exercenda circa illud quod omnium est augustissimum in ea, nimirum Sacramentum Eucharistiæ: Illa autem sunt septem, videlicet ministerium ad Eucharistiam consecrandam, & hoc est Sacerdotum; ministerium ad Eucharistiam dispensandam, ejusque materiam Sacerdoti proximè tradendam, & hoc est Diaconorum; ministerium ad parandam materiam in vasis sacris, & hoc est Subdiaconorum; vel in vasis non sacris, eamque præstandam Subdiacono, & hoc est Acolytorum; ministerium ad arcendum eos qui neque sunt etiam remotè, neque fieri volunt, capaces suscipiendi Eucharistiam, scilicet infideles, & hoc est ministerium Ostiariorum; ministerium ad instruendum eos qui volunt fieri capaces, quales sunt Cathecumeni, & hoc est ministerium Lectoris; denique ministerium ad removendum impedimentum quod aliqui, etiam sufficienter instructi, habent ex Dæmonis potestate, quales sunt energumeni, & hoc est ministerium Exorcistarum. Aliqui præter hos septem Ordines ab omnibus receptos, alios duos numerant, nempè tonsuram clericalem, quam *Psalmistatum* vocant, & Episcopatum, quem volunt esse Ordinem diversum à Sacerdotio. Sed de hoc infrà dicemus.

4. Suppono quartò, horum septem Ordinum, tres priores propter excellentiam vocari Majores, atque etiam sacros, eò quòd proximiùs ad Eucharistiam, ob quam Ordines instituti sunt, accedant, & votum castitatis annexum habeant; alios verò non sacros & minores appellari; vel quia non habent solemne votum castitatis annexum; vel quia non habent aliquem actum circa rem sacram, sicut tres priores, Presbyteratus, cica corpus & sanguinem Christi conficiendum & offerendum; Diaconatus, circa Christi sanguinem populo dispensandum; Subdiaconatus, circa vasa sacra tangenda. Quanquam, ut rectè notat S.Thomas quæst. citatâ art. 3. si Ordo secundùm se spectetur, etiam Minores dici possunt sacri, quia etiam ordinantur ad sacrandam animam, per gratiam & characterem, quæ in anima causant.

5. Demum, ut certum & ab omnibus Theologis receptum supponimus, Ordinem saltem Sacerdotalem esse verè & propriè Sacramentum.

Id enim in Concilio Tridentino sess. 23. canone 2. & cap. 1. definitum fuit, sequiturque necessariò ex dictis disp. præcedenti; si enim aliqua ordinatio Ecclesiastica sit verè & propriè Sacramentum, cùm Ordo Sacerdotalis sit omnium potissimus, & finis ad quem omnes alij inferiores referuntur, certum esse debet, illud esse propriè Sacramentum. Sed de aliis inferioribus dissentio est inter Authores. Durandus enim & Cajetanus volunt, nullam ordinationem inferiorem Presbyteratu, esse verum Sacramentum. Hugo à S. Victore, Magister sententiarum, Gratianus, & aliqui alij, fatentur quidem Diaconatum esse Sacramentum, sed hoc negant de Subdiaconatu, & quatuor Minoribus. Denique Navarrus, Michaël de Medina, Dominicus Soto, Vazquez & Martinonus, admittunt etiam Subdiaconatum esse Sacramentum, sed de quatuor Minoribus id negant. Alij demum, tam domestici, quàm exttanei, volunt omnes Ordines Minores atque Majores esse Sacramenta. Unde sit

§. II.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

6. DIco primò, Diaconatum esse verum Sacramentum, à Christo institutum.

Hæc conclusio ita videtur certa, ut opposita ad minus temeraria sit, colligitur enim manifestè ex Tridentino sess. 23. can. 6. ubi sub anathemate damnat eum qui dixerit, *in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divinâ ordinatione institutam*, Ex hoc enim canone liquet, Hierarchiam Ecclesiasticam à Christo institutam, constare non solùm Episcopis & Presbyteris, sed etiam ministris: At per ministros, Diaconi saltem veniunt intelligendi, Tum quia Diaconi ordine sunt proximi Presbyteris, ut idem Concilium ibidem cap. 2. ait; Tum etiam, quia Paulus semper cum Episcopis & Presbyteris conjungit Diaconos, ut patet ad Philip. 1. *Cum Episcopis & Diaconibus*, & 1. ad Timoth. 3. ubi postquam descripsisset, qualis debeat esse Episcopus, idem statim de Diaconibus subjungit: Ergo juxta Tridentinum, Diaconi sunt à Christo instituti, sicut & ipsa Hierarchia Ecclesiastica, quæ ex ipsis constat.

7. Potest insuper probari conclusio hac ratione fundamentali: Signum sensibile causativum gratiæ sanctificantis, est verù Sacramentum à Christo institutum: Sed Diaconatus est signum sensibile, gratiæ causativum: Ergo veram rationem Sacramenti habet, Major patet, Minor etiâ quoad primam partem manifesta est, Diaconatus enim habet sensibilem materiam, nempè manuum impositionem, & porrectionem libri Evangeliorum, & specialem verborum formam, in Pontificali Romano præscriptam. Probatur verò quantùm ad secundam: Primò quia primi Diaconi fuerunt ab Apostolis ordinati per manuum impositionem Act. 6. At manuum impositio ordinativa Apostolorum conferebat Spiritum Sanctum: Ergo, &c. Secundò, quia in Diaconi ordinatione unà cum manuum impositione profert Episcopus hæc verba, *Accipe Spiritum Sanctum ad robur & ad resistendum diabolo & tentationibus ejus:* Atqui ex Tridentino sess. 23. can. 4. hæc verba non frustra dicuntur ab Episcopo quasi per ea Spiritus Sancti gratia non verè conferatur, sicut ipsa significant: Ergo in ordinatione Diaconi confertur gratia. Unde Anastasius II. in Epistola 2. ad Anastasium Imperatorem cap. 7. asserit per ordinationem Sacerdotum sive Levitarum, secundùm canones factam, conferri gratiam Spiritus Sancti. Idque officio Diaconi valde conveniens est, ordinatur enim ad officium valde sacrum & sanctum, ut nimirum evangelizet, & Sacerdoti inter celebrandum proximè assistat, & ex commissione ejusdem, Eucharistiam administret; & ubi usus est, laïcis calicem sanguinis Christi porrigat.

Addo quod Theodorus Balsamon, ad Canonem 36. Apostolorum, ait, *Diaconos ordinari quidem, id est characterem accipere, didicimus:* At si characterem accipiant Diaconi, non potest eorum ordinatio non esse verum sacramentum; Ergo Diaconatus verè rationem sacramenti habet. Unde D. Hieronymus contra Vigilantium cap. 1. Diaconatum expresè vocat *Sacramentum Christi*; ibi enim reprehendens quosdam Episcopos, quòd non ordinarent Diaconos, nisi priùs uxores duxissent, his verbis utitur: *Sacramenta non tribuunt, &c.*

Dico secundò, etiam Subdiaconatum, imò & quatuor Minores Ordines, esse sacramenta. 8.

Probatur prima pars de Subdiaconatu, eadem ratione quâ præcedenti conclusione ostendimus Diaconatum esse sacramentum. Nam etiam Subdiaconatus est signum sensibile, cùm in ordinatione Subdiaconi, non minùs reperiatur ritus externus constans rebus & verbis, quàm in ordinatione Diaconi. Item Subdiaconatus causat gratiam sanctificantem, ut constat ex Florentino in decreto Eugenij, ubi post assignatas materias, formas, & ordinarium Ministrum Diaconatûs & Subdiaconatûs, subdit, effectum hujus sacramenti esse augmentum gratiæ: Ergo censet non solùm Diaconatum, sed etiam Subdiaconatum, conferre gratiam sanctificantem. Idem patet ex forma consecratoria Subdiaconi, assignata à Clemente lib. 8. constit. Apost. cap. 21. in qua sic dicitur: *Tribuere ei Spiritum Sanctum, ut vasa ad ministrandum tibi facta, dignè attrectet.* Non dicitur enim dari Spiritus Sanctus, nisi detur gratia gratum faciens. Quod etiam in ordinatione Subdiaconi character imprimatur, constabit ex mox dicendis in probatione secundæ partis.

Probatur ergo secunda pars conclusionis, de quatuor Minoribus Ordinibus, ex Florentino citato; postquam enim dixit, Ordinem esse sacramentum, & ejus materiam esse rem quæ traditur ab Episcopo in ordinatione, & formam, verba quibus res illa traditur, nominatimque id declaravit in ordine Sacerdotali, & in Diaconatu, & Subdiaconatu, subjungit, sic etiam debere intelligi in reliquis Ordinibus; ac proinde censet, in illis etiam reperiri materiam & formam sacramenti, subindeque & illos veram & propriam sacramenti rationem habere, sicut & alios.

10. Probatur secundò eadem pars: Ordo imprimens characterem est verè & propriè sacramentum: Sed quatuor Minores Ordines imprimunt characterem: Ergo sunt verè & propriè sacramenta. Major patet, nihil enim, præter sacramentum, imprimit characterem spiritualem in anima. Minor probatur primò ex D.Thoma hîc quæst. 35. art. 2. ubi quærit utrum in sacramento Ordinis imprimatur character, quantùm ad omnes Ordines? Et concludit affirmativè. Verba ejus sunt: *Respondeo dicendum quod circa hoc fuit triplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod in solo Ordine Sacerdotali character imprimitur. Sed hoc*

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc non est verum, quia actum Diaconi nullus potest exercere licitè, nisi Diaconus, & ita patet quod habet aliquam spiritualem potestatem in dispensatione sacramentorum, quam alij non habent. Et propter hoc alij dixerunt, quod in Sacris Ordinibus imprimitur character, non autem in Minoribus. Sed hoc nihil iterum est, quia per quemlibet Ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad sacramentorum dispensationem. Unde cùm character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quod in omnibus character imprimatur, cujus etiam signum est, quod perpetuo manent, & nunquam iterantur. Et hoc est tertia opinio, quæ communior est. Quibus verbis S. Doctor, non solùm apertè docet, Minores Ordines imprimere characterem, sed etiam rationem fundamentalem insinuat, quâ id potest breviter suaderi. Quod est irreiterabile ex benedictione perfectiva & consecratoria, imprimit characterem spiritualem: Sed quilibet ex quatuor Minoribus Ordinibus, semel susceptus, est irreiterabilis; idque non ex benedictione tantùm extrinsecùs deputante, sicut prima tonsura, benedictio Abbatissarum, & alia ejusmodi, sed etiam perficiente & consecrante: D. enim Dionysius cap. 5. Eccles. Hierarch. ministros etiam inferioribus ordinibus initiatos, τελεσμένος vocat, id est perfectos consecratione ministros; nomen enim τελετὴ, vim consecratoriam & perfectivam designat: Ergo quilibet ex quatuor Minoribus Ordinibus imprimit characterem.

11. Dices cum Vazque, consecrationem Ecclesiæ, altaris, & calicis, nec non benedictionem vestium sacrarum esse irreiterabilem, & tamen non imprimere characterem.

Sed contra: Ideò consecratio Ecclesiæ, & calicis, vestiumque sacrarum benedictio, non imprimit characterem, quia deputantur solùm ad usum, non verò ad aliquid reale & intrinsecum recipiendum aut agendum, quod excedat eorum virtutem.

12. Ex his inferes primò, Patrem Martinonum, affirmantem Subdiaconatum esse verum sacramentum, ob authoritatem Doctorum, præcipuè verò D. Thomæ, negantem quatuor Minores Ordines veram sacramenti rationem habere, minùs cohærenter loqui & scribere; cùm juxta D. Thomam suprà relatum, non minùs Ordines Minores, quàm Majores, imprimant characterem (qui est proprius sacramentorum effectus) eò quòd non minùs illi quàm isti semel suscepti iterari non possint; imò omnes Ordines sint unum Ordinis sacramentum, ut idem S. Doctor ait quæst. 37. art. 1. ad 2.

13. Inferes secundò, non minùs Ordines Minores, quàm Majores, fuisse à Christo immediatè institutos; cùm solùs Christus sit Author omnium Sacramentorum, nec potestatem reliquerit Ecclesiæ instituendi sacramenta, ut in Tractatu de Sacramentis in communi ostensum est, & definitur in Tridentino sessione 7. canone 1. his verbis: *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Christo constituta, anathema sit.* Disp. 5. art. 1.

Addo ex Augustino Epist. 118. Quod fuit in Ecclesia semper observatum, cujus observationis initium ignoratur, censetur originem duxisse ab Apostolis, qui à Christo edocti, illud Ecclesiæ servandum tradiderunt: At Minorum Ordinum usus, semper fuit ab Ecclesia servatus, à temporibus ipsius Christi; nam de illis fit expressa mentio in canone quarto, quinto, & sexto Apostolorum. D. etiam Clemens Discipulus Beati Petri, & S. Ignatius Discipulus D. Joannis, de istis ordinibus loquuntur; primus libro 8. constitutionum Apostolicarum, alter verò in Epistola ad Antiochenos, ut in tertia suppositione ostensum est. Item D. Hieronymus in argumento super primam Epistolam ad Thessalonicenses, dicit Epistolam illam fuisse missam per Oneum Acolytum, unde præsupponit Ordinem illum fuisse temporibus Apostolorum. Demum Tridentinum sessione 23. cap. 2. ait: *Ab ipso Ecclesiæ initio horum Ordinum nomina, & uniuscujusque propria ministeria fuisse cognoscuntur:* Ergo non illi ab Ecclesia, sed ab ipso Christo immediatè instituti sunt.

§. III.

Solvuntur objectiones.

14. OBjicies primò contra primam conclusionem: S. Anacletus Epist. 3. cap. 2. in fine docet Diaconatum, & reliquos ordines inferiores, non fuisse à Christo institutos, & consequenter non esse sacramenta. Sic enim ait de Episcopatu & Sacerdotio loquens: *Ampliùs quàm isti duo Ordines Sacerdotum, nobis nec à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt:* Idem asserit Damascenus Epist. 5. his verbis: *Non ampliùs quàm duo Ordines inter Discipulos Domini esse cognovimus, id est Duodecim Apostolorum & septuaginta Discipulorum.* Similiter Cyprianus lib. 2. Epist. 9. docet, Diaconos non à Christo, sed ab Apostolis, institutos esse: Ergo Diaconatus non est sacramentum à Christo institutum.

15. Confirmatur primò, quia videntur Diaconi ex occasione quadam instituti, nimirum ob murmur Græcorum, & solo ministerio mensarum addicti, ut patet Act. 6.

Confirmatur secundò: Omne sacramentum novæ legis constat certâ materiâ & formâ à Christo præscriptâ: At Diaconatus nullam habet certam materiam vel formam, nunc enim pro materia habet librum Evangeliorum, cum proportionata forma sibi respondente; tempore verò Apostolorum, pro materia habebat manuum impositionem, pro forma verò verba aliqua deprecatoria, ut constat ex Clemente lib. 8. Constit. cap. 17. 18. & 21. ubi sic dicitur: *Ego Philippus constituo ut Diaconum ordines, Episcope, imponendo ei manus, præsentibus Presbyteris, & Diaconis, & precando ei dicas: Deus omnipotens exaudi orationem nostram, & ostende faciem tuam super hunc servum tuum electum tibi ad ministerium,* &c. Ergo Diaconatus non est sacramentum novæ legis à Christo institutum, sed duntaxat aliquod ministerium, ab Ecclesia præceptum & ordinatum.

16. Ad objectionem respondeo, Anacletum loco citato non loqui de omnibus ordinibus à Christo institutis, sed solùm de ordinibus Sacerdotij, ita ut sensus propositionis ejus sit iste: Duos solùm ordines Sacerdotij, nempè Presbyteratum, & Episcopatum, reliquit nobis Deus, & Apostoli docuerunt; loquitur enim contra illos, qui Primates, seu Patriarchas, in altiori ordine ponebant, quàm Episcopos, & ait: *Ordo Sacerdotum, fratres, biparritus est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari;* idque confirmat ex eo quod Christus solùm elegit duodecim Apostolos, quibus Episcopi respondent, sexaginta

ginta Discipulos, quibus successerunt Sacerdotes. Deinde concludit: *Amplius quam isti ordines Sacerdotum nec à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* In quo etiam sensu Damasus Epistolâ citatâ duos tantùm ordines scilicet Sacerdotum, agnoscit, agens contra Chorepiscopos, qui se medios faciebant inter Episcopos & Presbyteros, subindeque tertium Sacerdotum ordinem medium fingebant. Unde de illis ait: *Si nec Episcopi sunt, & plusquam Presbyteros esse ambiunt, per quod ostium intrabunt, cùm hi tantùm duo Ordines (Sacerdotum) in Ecclesia legantur?*

Ad Cyprianum dico, ipsum tantùm velle, Christum non ordinasse per seipsum Diaconos, sicut ordinavit Episcopos & Sacerdotes, sed tantùm commisisse Episcopis, ut Diaconos ordinarent. Ex quo non sequitur, Christum non instituisse hoc sacramentum, nam etiam Christus nullum confirmavit, & tamen Sacramentum Confirmationis instituit.

17. Ad primam confirmationem respondeo, ex occasione quidem ordinatos fuisse primos Diaconos, sed non ex occasione inventum esse ordinem Diaconorum, sed à Christo institutum. Falsum verò est quod subjungitur, nempè Diaconos fuisse ab Apostolis electos, solùm ad ministrandum mensis fidelium; constat enim ex Clemente suprà citato, ex Anacleto Epist. 1. cap. 2. & ex Justino Apologiâ 2. in fine, atque ex omnibus antiquis Authoribus, Diaconos esse ministros altaris, & Sacerdoti sacrificanti immediatè assistere. Unde Dionysius cap. 3. Hierarchiæ Ecclesiasticæ post enarratas functiones Minorum Ordinum, subdit: *Qui verò ipsius Ordinis præcipui sunt, una cum Sacerdotibus sanctum panem, & benedictionis calicem sacrosanctis altaribus imponunt.* Et Ambrosius 2. Officiorum cap. 41. refert verba S. Laurentij ad Sixtum Papam: *Experire certè utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.* Legitur etiam Act. 8. quod Philippus unus ex septem primis Diaconis non ministrabat mensis, sed prædicationi & Baptismo operam dabat. Addo cum Bellarmino quod initio nascentis Ecclesiæ Diaconi non solùm constituti erant Hierosolymis, ubi fideles convivebant, ut eis in mensa ministrarent, sed etiam Philippis, Ephesi, & Cretæ, ut patet ex Epistolis Pauli ad Philippenses, ad Timotheum & ad Titum; & tamen in illis civitatibus Christiani non convivebant, subindeque ibi ministris mensarum opus non erat.

Ad secundam dicendum, Christum determinasse solùm quantùm ad genus, materiam & formam sacramenti Ordinis, earumque determinationem specificam Ecclesiæ reliquisse, ut ostendemus articulo sequenti; subindeque initio nascentis Ecclesiæ, quando liber Evangeliorum nondum scriptus erat, potuisse Apostolos per solam manuum impositionem, & verba deprecatoria à D. Clemente relata, ordinare Diaconos. De quo fusiùs articulo sequenti.

18. Objicies secundò contra secundam conclusionem: Subdiaconatus non erat olim ordo sacer, sed postea factus est à Pontificibus, ut ex Canone *Nullus in Episcopum* dist. 60. probat Innocentius III. cap. *A multis*, de ætate & qualitate ordinandorum: Ergo non est verum Sacramentum à Christo institutum, sed duntaxat aliquod officium seu ministerium ab Ecclesia introductum.

19. Confirmatur: Subdiaconatus non semper in tota Ecclesia habitus fuit necessarius, ut per illum ad Majores Ordines, & ad supremum, qui est Episcopatus, ascenderetur. Nam in Concilio Sardicensi canone 13. sic habetur: *Si quis voluerit fieri Episcopus, non prius constituatur, quàm Lectoris, & Diaconi & Presbyteri ministerium peregerit; & ita per singulos gradus, si æstimatus fuerit dignus, ascendat ad culmen Episcopatus.* Cujus rei exempla non pauca de SS. Chrysostomo, Eutichyo Patriarcha Constantinopolitano, Cæsario Episcopo Arelatensi, & aliis multis sic ordinatis, non præmisso Subdiaconatu, referunt Petrus Areudius lib. 6. de Sacram. cap. 9. columnâ 10. & Joannes Morinus, Congregationis Oratorij Presbyter, in libro de sacris Ecclesiæ ordinationibus, parte 3. Exercitatione 11. cap. 2. Atqui si Subdiaconatus fuisset ordo à Christo institutus, non fuisset omissus ab Ecclesia, cùm juxta Christi institutionem, per Sacramentales ordines inferiores ascendendum sit quasi per gradus ad superiores: Ergo Subdiaconatus non est Sacramentum. Hoc argumentum proponit Martinonus hic disput. 66. sect. 2. illudque insolutum relinquit; eoque convictus, probabilem censet eorum sententiam, qui Subdiaconatum non esse Sacramentum asserunt.

20. Confirmatur ampliùs: Subdiaconi poterant ordinari à Chorepiscopis, ut patet ex Concilio Antiocheno cap. 10. At Chorepiscopi erant simplices Presbyteri, qui Ordinis Sacramentum conferre non possunt, ut asserit S. Damasus Epist. 5. suprà citatâ: Ergo Subdiaconatus non est Sacramentum Ordinis.

21. Ad objectionem respondeo primò, dato Antecedente, negando Consequentiam, non enim idem est Ordo sacer & Sacramentum; nam Ordines Minores sunt Sacramenta ut suprà ostensum est, & tamen non vocantur Ordines sacri.

Secundò dico, Majores Ordines duplici titulo vocari sacros; nimirum quia proximiùs accedunt ad Eucharistiam, ob quam omnes Ordines instituti sunt; & quia votum solemne castitatis annexum habent. Quamvis ergo Subdiaconatus ab initio non fuerit ordo sacer hoc secundo titulo, quia in primitiva Ecclesia Subdiaconi non tenebantur servare continentiam; semper tamen primo modo seu titulo fuit Ordo sacer, quia semper proximiùs accessit ad Eucharistiam, quàm alij Ordines Minores.

22. Ad primam confirmationem, in primis dico, argumentum illud nimis probare & ab omnibus Theologis solvendum esse; censent enim omnes Theologi contra Durandum, Diaconatum esse Sacramentum, & oppositam sententiam ut erroneam & temerariam rejiciunt; & tamen Diaconatus non semper in tota Ecclesia habitus fuit necessarius, ut per illum ad Sacerdotium & Episcopatum ascenderetur; plura enim ex Antiquorum testimoniis refert Morinus loco citato sanctorum exemplas, qui, omisso Diaconatu, ad Presbyteratum & Episcopatum promoti fuere in primitiva Ecclesia. Id nominatim asserit de sancto Austregesilo Bituricensi Archiepiscopo, *in cujus ordinatione* (inquit) *Diaconatus omissus est, prætermissis enim omnibus Minoribus, si Lectoratum excipias, Subdiaconus factus est; deinde omisso Diaconatu, Presbyter, ut refert Author antiquus apud Surium 20. Maij, his verbis, Abiit Austregesilus Antistodorum, & à Beato Aunario Episcopo, decisâ cæsarie, Clericus effectus est,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& ordinatus Subdiaconus. Deinde ad memoratum Æthereum profectus est, qui jam Lugduni factus Episcopus, cum ingenti gaudio humanissimè excepit, Presbyterumque, & Abbatem B. Nicerij Episcopi & Confessoris ordinavit.

23. Respondeo secundò, si verà sint ea exempla, quæ prædicti Authores referunt, Christum dispensasse in primitiva Ecclesia, ut non præmissis ordinibus inferioribus, & Subdiaconatu, posset fieri ascensus ad Majores Ordines, & ad supremum, qui est Episcopatus, ob varias causas & necessitates tunc occurrentes. Idque necessariò tenentur dicere Adversarij, ut salvent ordinationem B. Austregesili, & aliorum, qui, omisso Diaconatu, ad Presbyteratum & Episcopatum promoti sunt, fuisse validam & legitimam. Unde mirum est, quod P. Martinonus, qui cum aliis Theologis censet, Diaconatum esse Sacramentum, id neget de Subdiaconatu, vel saltem probabile existimet, ipsum non esse Sacramentum; eo solùm ductus fundamento, quòd Subdiaconatus non semper in tota Ecclesia habitus fuit necessarius, ut per illum ad Majores Ordines, & ad supremum, qui est Episcopatus, ascenderetur. Si enim hoc argumentum valeret, sequeretur etiam Diaconatum non esse Sacramentum, cùm aliqui Sancti, omisso etiam Diaconatu, ad Sacerdotium & Episcopatum promoti fuerint, ut suprà citati Authores referunt, & variis exemplis ostendunt.

24. Tertiò responderi potest, quod quando in vitis aliquorum Sanctorum legitur, eos, omissis Ordinibus inferioribus, ascendisse ad superiores, hoc non debet intelligi de omissione Ordinum inferiorum, quantùm ad receptionem characteris, sed solùm quoad exercitium & ministerium; interdum enim in primitiva Ecclesia aliqui viri sancti, ad Sacerdotium, vel Episcopatum promovebantur, antequam Minorum Ordinum, & Diaconatûs ac Subdiaconatûs ministeria & officia exercere potuissent, quia tunc aliquarum Ecclesiarum necessitas id exigebat. Ex quo facilè intelliges canonem Concilij Sardicensis suprà relatum; in eo enim non permittitur, ut quis fiat Episcopus, antequam Minores Ordines & Subdiaconatum susceperit, sed solùm antequam in eorum Ordinum ministeriis sese exercuerit, ut constat ex ipsis verbis canonis, in quo sic dicitur: *Si quis voluerit fieri Episcopus, non prius constituatur, quàm Lectoris, & Diaconi, & Presbyteri ministerium peregerit, &c.*

25. Ad secundam confirmationem dicendum cum Bellarmino, duo fuisse genera Chorepiscoporum; aliqui enim erant veri Episcopi, & erant quales nunc sunt suffraganei, qui sunt Episcopi titulares aliarum Ecclesiarum, & de his loquitur Concilium Antiochenum, dum ait Subdiaconos posse à Chorepiscopis ordinari. Alij verò erant solùm Presbyteri, qui tanquam vicarij Episcopi, in oppidis majoribus & mutatis morabantur; & ab his negat Damasus Epist. 4. posse ordinari Subdiaconos.

26. Objicies tertiò: Quando plures actiones ordinantur ad unum aliquem effectum spiritualem, illa sola habet rationem veri Sacramenti, quæ talem effectum attingit, ut patet in Baptismo, Exorcismo, & Catechismo; solus enim Baptismus est Sacramentum, quia solus attingit spiritualem regenerationem; aliæ verò actiones, sunt tantùm Sacramentalia, sive dispositiones: Sed præter Ordinem Sacerdotalem nullus alius attingit effectum principalem Sacramenti Ordinis, qui est conficere corpus Christi: Ergo nullus alius est Sacramentum Ordinis propriè dictum.

Respondeo distinguendo Majorem: Si plures illæ actiones nihil aliud habeant quàm disponere, nec specialem ac spiritualem effectum, nempè gratiam sanctificantem, in anima producant, ut contingit in Catechismo & Exorcismo, concedo Majorem. Si præter illam dispositionem, specialem ac spiritualem effectum, nimirum gratiam in anima producant, nego Majorem. Quamvis autem Ordines Sacerdotio inferiores, non attingant productionem Eucharistiæ, sed ad illam tantùm disponant, causant tamen duplicem effectum specialem ac spiritualem in anima, gratiam scilicet & characterem, in genere causæ efficientis instrumentalis subindeque sunt verè & propriè Sacramenta. 27.

Dices, Operationes quas exercent Diaconus & Subdiaconus, vel quatuor Minoribus initiati, sunt merè naturales, ut cantare Epistolam, vel Evangelium, deferre vasa sacra ad altare, portas templi claudere & reserare, aquam & vinum porrigere, &c. Ergo ad eas exercendas non est opus peculiari gratiâ & habilitate, conferendâ per Ordines Sacerdotio inferiores. 28.

Respondeo quod licèt actiones illæ materialiter consideratæ, sint merè naturales, ut tamen sunt sacræ cæremoniæ, ad solemniorem sacrificij celebrationem ordinatæ, sunt quodammodo supernaturales; unde ut ad tam altissimum munus & finem dirigantur, requiritur specialis gratia & character, vel ut ait Florentinus, ut Ordinatus per gratiam susceptam fiat idoneus minister.

Objicies quartò cum Martinono & Vazquè: Magna fuit in Ecclesia à tempore Apostolorum circa Minores Ordines varietas: At nequit in Sacramentis à Christo institutis varietas esse, cùm non subjaceant Ecclesiæ potestati: Ergo Minores Ordines non sunt Sacramenta à Christo instituta. Major probatur, nam tempore Apostolorum, præter quatuor Minores Ordines, erant alij duo, nempè Ordo Cantorum, ut colligitur ex Can. 27. Apostolorum, & Ordo laborantium seu Fossorum, qui ad fidelium corpora humanda destinabantur, ut constat ex Ignatio in Epistola ad Antiochenos, ubi sic ait: *Saluto sanctum Presbyterorum collegium: saluto sacros Diaconos: salvo Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorcistas.* Econtra neque Apostoli, neque Patres ipsorum temporibus proximi, ullam Acolytatûs mentionem fecerunt, neque à Græcis hic ordo admittitur, ut Arcudius & Morinus suprà citati affirmant. Demum Exorcistatus tempore Apostolorum non numerabatur inter Ordines, sed inter gratias gratis datas, ut patet ex Clemente lib. 8. const. cap. 26. ubi hæc scribit: *Exorcista non fit ordinatione: certare enim pro præmio Exorcistæ, liberæ voluntatis est, ac Dei gratiæ per Christum, & adventum Spiritus sancti. Siquidem qui gratiam sanitatum accipit, per revelationem declaratur à Deo, cum gratia quæ in eo est, omnibus est manifesta.* 29.

Respondeo quod licèt fuerit in Ecclesia à tempore Apostolorum varietas aliqua accidentalis circa Minores Ordines, nulla tamen fuit circa eos mutatio seu varietas substantialis. Nam ut ait Tridentinum sess. 23. cap. 2. *Ab ipso Ecclesiæ initio horum Ordinum nomina, & uniuscujusque propria ministeria fuisse cognoscuntur.* Ad primam verò probationem in contrarium, nego officium Cantoris 30.

toris tempore Apostolorum fuisse Ordinem distinctum ab illis qui nunc sunt; nam vel fuit idem Ordo cum Lectoratu, ut aliqui existimant, quia nimirum Cantor modulando profert, quæ Lector planâ voce pronuntiat. Vel ut alij probabiliùs censent, non erat tunc temporis Ordo, sed solùm dispositio ad Ordines, uti nunc est prima tonsura, quæ cùm pendeat ex mera institutione Ecclesiæ, pro varietate temporum, variam potuit habere cæremoniam. Unde in primitiva Ecclesia, officium Cantoris, non ab Episcopo, sed à solo Presbytero injungebatur, ut constat ex Concilio Carthaginensi IV. cap. 10. ubi sic dicitur: *Psalmista, id est Cantor, potest absque scientia Episcopi, solâ jussione Presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus comprobes.*

Ad secundam, Nego à S. Ignatio officium laborantium inter Ordines Ecclesiasticos connumerari: neque enim ex eo quod in sua Epistola illos cum aliis ordinatis recenset, rectè colligitur, eos pariter clericali Ordine insignitos fuisse, cùm eos solùm recenseat salutandi gratiâ; sicut & Paulus in suis Epistolis, cum Clericis sæpè salutat alios qui Clerici non erant. Nec Patres de illo officio mentionem faciunt, ut speciali Ordine Clericali, sed ut de insigni opere misericordiæ, quod fidelium defunctorum corporibus exhibetur. Quod si ab aliquibus Ordo appelletur, largè nomen *Ordo* accipiunt. Quo pacto illud usurpavit Hieronymus, vel Author Epistolæ ad Rusticum Narbonensem, apud Hieronymum tomo 9. dum ait cap. 1. *Primus igitur in Clericis Fossariorum ordo est, qui, in similitudinem Tobiæ sancti, sepelire mortuos admonentur.*

Ad tertiam, nego Majorem, Cornelius enim Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum suprà citata, meminit quadraginta duorum Acolytorum, qui suo tempore in Ecclesia Catholica erant. Et Hieronymus in primam Epistolam ad Thessalonicenses, dicit Epistolam illam fuisse missam, per Oneum Acolytum, subindeque supponit Ordinem illum fuisse tempore Apostolorum, ut suprà dicebamus. Alij verò Patres rarò illius Ordinis mentionem fecerunt, quia in primitiva Ecclesia, propter personarum paucitatem & penuriam, officium Acolyti à Diaconis vel Subdiaconis, altari ministrantibus, suppleri solebat. Idem dicendum de Ecclesia Græca, ut enim refert Arcudius lib. 6. de Sacram. cap. 9. officium Exorcistæ apud Græcos exercetur à Sacerdotibus; Acolyti à Subdiacono, vel à Lectore; & Ostiarij, à Subdiacono.

Ad quartam dico, duplex Exorcistarum genus fuisse in primitiva Ecclesia, alij enim fiebant ordinatione Episcopi, quo pacto S. Martinus à B. Hilario Exorcista constitutus est; & de illis loquitur Cornelius Epistolâ suprà citatâ ad Fabium Antiochenum, cùm ait in Ecclesia Catholica suo tempore fuisse Exorcistas quinquaginta duos. Alij verò Exorcistæ dicebantur, ob gratiam gratis datam, & donum expellendi Dæmones ab energumenis, quod à Deo acceperant, & de istis loquitur Clemens, cùm ait libro 8. const. *Exorcista non fit ordinatione, sed qui gratiam sanitatum accipit, per revelationem declaratur à Deo, &c.*

§. IV.

Solvitur alia objectio.

3 COntra præcedentes conclusiones aliud solet objici argumentum, quod potest sic breviter proponi. Si non solùm Sacerdotium, sed etiam Diaconatus, & Subdiaconatus, nec non quatuor Minores Ordines, sint Sacramenta, non erunt tantùm septem Sacramenta, sed tredecim: At hoc est contra fidem, & expressam Tridentini definitionem: Ergo, &c. Sequela Majoris probatur: Si quilibet Ordo est Sacramentum, Sacramentum Ordinis erit aliqua ratio communis omnibus septem Ordinibus: Sed multiplicato inferiori, debet necessariò multiplicari superius: Ergo si quilibet Ordo est Sacramentum, non erunt tantùm septem Sacramenta, sed tredecim.

32. Respondent aliqui, non esse nisi septem Sacramenta, quia Sacramentum Ordinis est unum unitate generica, continens sub se septem species.

Sed contra: Licèt omnes homines sint unum genere, non tamen censentur unus homo, aut animal unum. Item licèt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, &c. genericè conveniant in ratione Sacramenti, non possunt tamen dici unum Sacramentum: Ergo similiter ex eo quòd Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, & quatuor Minores, genericè in ratione Sacramenti Ordinis conveniant, non possunt unum Sacramentum Ordinis appellari; aliunde ergo unitas Sacramenti Ordinis desumi debet. Unde

33. Respondent alij, quemlibet Ordinem esse Sacramentum incompletum tantùm & partiale, subindeque ex omnibus simul sumptis integrari unum completum & perfectum Sacramentum Ordinis; sicut ex duplici specie panis & vini simul sumptâ, constituitur unum totale & integrum Sacramentum Eucharistiæ, per modum perfecti convivij, & integræ refectionis spiritualis institutum; quia quælibet species seorsim est tantùm Sacramentum partiale & incompletum.

Sed hæc solutio non placet, Tum quia D. Thomas hic quæst. 37. art. 1. ad 2. expressè negat Sacramentum Ordinis esse totum integrale. Tum etiam, quia Sacerdotium, cùm inferiores Ordines eminenter contineat, se solo, & independenter ab aliis Ordinibus, est verum & completum Sacramentum Ordinis: Si autem ex Sacerdotio & aliis Ordinibus inferioribus integraretur unum completum & perfectum Sacramentum Ordinis; solum Sacerdotium non posset dici Sacramentum Ordinis completum & perfectum; sicut in Eucharistia solæ species panis non dicuntur Sacramentum completum, quia non sunt signum unius perfectæ & integræ refectionis spiritualis. Addo quod quilibet Ordo producit distinctam gratiam, & distinctum characterem: partes verò integrantes unum aliquod Sacramentum, non habent causare distinctam gratiam, cùm unius Sacramenti non sit nisi unus effectus; ut patet in Sacramento Extremæ-Unctionis, in quo, juxta communiorem & probabiliorem sententiam, quælibet unctio & forma partialis, gradum aliquem gratiæ non producit, sed sola ultima unctio causat integrum ejus effectum; quia ante illam, Sacramentum non est completum & perfectum, ut Tractatu præcedenti ostendimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

34. Melius ergo respondetur, quod licèt quilibet ex septem Ordinibus sit verum Sacramentum, eò quòd quilibet causat gratiam & characterem; nihilominus, quia omnes Ordines inferiores Sacerdotio, tendunt ad ipsum, ut ad principale ministerium, & ad ritè & convenienter peragendam corporis Christi consecrationem, ut ad finem ordinantur, ratione unitatis Ordinis quam inter se habent, & finis ad quem tendunt, unicum Ordinis Sacramentum dici possunt. Ex quo intelliges, Sacramentum Ordinis non esse totum integrale, vel universale, sed potentiale, cujus hæc est natura, quòd totum secundùm completam rationem est in uno, in aliis verò est aliqua participatio ipsius; tota enim plenitudo hujus Sacramenti est in Sacerdotio, in aliis verò Ordinibus inferioribus est quædam participatio illius, major vel minor, secundùm quod magis vel minùs accedunt ad Sacerdotium, ut docet D. Thomas hìc quæst. 37. art. 1. ad 2. In eo tamen differt ratio universalis Sacramenti Ordinis à toto potentiali, quòd ratio totius potentialis non prædicatur simpliciter de singulis inferioribus, v. g. pœnitentia, religio, & cæteræ partes potentiales justitiæ; non sortiuntur simpliciter denominationem totius; at verò quilibet Ordo in particulari denominatur simpliciter Ordo & Sacramentum.

35. Quærunt hìc aliqui, an prima tonsura sit Ordo, & Sacramentum?

Respondeo negativè cum S. Thoma hìc quæst. 40. art. 2. contra aliquos Canonistas, qui præter septem Ordines ab omnibus receptos, alios duos numerant, nempè tonsuram clericalem, & Episcopatum. Rationem assignat S. Doctor, quia in omni Ordine veram Sacramenti rationem participante, aliqua specialis & spiritualis potestas traditur ordinato: Atqui in prima tonsura nulla talis potestas traditur; non enim per eam Clerici deputantur ad aliqua divini cultûs officia, quæ à laïcis exerceri non possint; sed solùm ad divinas laudes decantandas, ad quod specialis potestas non requiritur: Ergo tonsura Clericalis non est Ordo, sed dispositio quædam & præparatio congruentissima ad Ordines, vel ut loquitur S. Thomas, *præambulum ad Ordinem.*

36. Nec obstat quod Innocentius III. in cap. *Cùm contingat*, de ætate & qualitate ordinandorum, interrogatus, an Ordo Clericalis in tonsura conferatur, respondeat affirmativè. Nam eo loco accipit Clericalem Ordinem, pro statu quo tonsurati à laïcis segregati, iis præeminent, non pro gradu peculiarem aliquam potestatem conferente.

Non obest etiam quòd tonsura ab Episcopo conferatur: Nam (præterquam quod multi Abbates habent potestatem tonsurandi, ut dicitur in 7. Synodo cap. 14. relata Can. *Quoniam videmus*, dist. 69.) potuit Ecclesia statuere, ut non nisi Episcopus, qui est Ordinum ordinarius Minister, esset etiam primæ tonsuræ, ut dispositionis ad Ordines, collator.

37. Variæ autem hujus cæremoniæ assignari solent rationes à SS. Patribus: Dionysius enim cap. 6. de Ecclesiastica Hierarchia dicit, hac nudatione capitis significari vitam puram & apertam, nullâque specie fucatam; qualis Clericorum & Monachorum vita esse debet. Isidorus lib. 2. de divinis officiis cap. 4. ait ideò tonderi Clericos, ut intelligant debere se curas superfluas resecare, quæ per crines, qui sunt superflua quædam capitis excrementa, significantur. Quam etiam rationem innuit Gregorius in moralibus dicens: *Caput tondere, nihil aliud esse quàm superfluas cogitationes à mente resecare.* Similem rationem assignat Concilium Triburiense Can. 20. ubi dicit, *Clericos in hac vita radi, ut soliciti sudinem coronæ Domini in capitibus suis gerant, quos & servos suos dici & esse voluit, sortemque illorum se constituit, sicut de illis scriptum est, Ego hæreditas eorum, &c.* Addit S. Thomas hìc qu. 40. art. 1. *quod eis qui ad divina ministeria applicantur, competit rasura, & tonsura, in modum coronæ, quia corona est signum regni & perfectionis, cùm sit circularis: illi autem qui divinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute esse debent.* Unde Ivo Carnotensis tomo 10. Bibliothecæ Patrum, serm. de Sacrorum Ordinum excellentia, ad Clericos ait: *Ad hoc capillos in modum coronæ raditis, ut & regnum spirituale quo cæteris præeminetis, tali figurâ ostendatis, & curæ mortalis illecebras frequenter redeuntes sic amputetis de corde, sicut crines frequenter resurgentes abraditis de capite.* Demum Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in theoria rerum Ecclesiasticarum, & Venerabilis Beda lib. 5. Historiæ Anglorum cap. 22. dicunt, coronam fieri Clericis, ad exprimendam imaginem spineæ coronæ Christi Domini, & indicandum debere illos ejus patientiam imitari.

Porrò observandum est, tonsuratos, *Clericos* appellari, à græco vocabulo κλῆρος, quod sortem vel portionem significat; quia nempè Clerici, Deum, tanquam suam sortem seu portionem elegerunt, juxta illud Psalmi 15. *Dominus pars hæreditatis meæ.* Unde Can. *Clericus* 12. qu. 1. sic habetur: *Clericus qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolatâ, nitatur esse quod dicitur: si enim κλῆρος Græcè, sors latinè appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, id est, pars, Clericorum, est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino.*

ARTICULUS II.

Quæsit ordinum singulorum materia & forma?

HIc solùm agemus de materia & forma quatuor Minorum, & Subdiaconatûs; quia circa materiam & formam Diaconatûs, & Sacerdotij, gravis occurrit difficultas, articulo sequenti discutienda & resolvenda.

38. Dico ergo primò, materiam Ostiariatûs esse claves Ecclesiæ, quæ ab Episcopo traduntur; formam verò hæc verba, quæ ab illo proferuntur: *Sic agite quasi Deo reddituri rationem, pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Materiam Lectoratûs librum lectionum, quem Lectionarium vocant; formam verò hæc verba Episcopi: *Accipite, & estote verbi Dei relatores, &c.* Materiam Exorcistatûs librum in quo exorcismi continentur; formam verò hæc verba Episcopi: *Accipite & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.* Materiam Acolytatûs esse contactum urceoli vacui; formam verò consistere in his verbis: *Accipite Urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi.*

39. Hæc conclusio, quoad tres priores partes, de Ostiariatu, Exorcistatu, & Lectoratu, est cõmunis inter Theologos, & expressè habetur in Pontificali Romano, quod citat Concilium Florentinum in decreto Eugenij. Quantùm verò ad ultimam, quæ est de acolytatu, est levis aliqua controversia inter Theologos: Richardus enim existimat, ejus materiam consistere in contactu candelabri, cui favere videtur Pontificale Romanum, jussu Pij V. anno 1572. editum; ait enim in margine, characterem imprimi Acolyto in traditione cerei. Alij verò Theologi communiter censent, materiam Acolytatûs esse urceolos, subindeque in eorum contactu, hujus Ordinis characterem imprimi. Idque expressè docet S. Thomas hìc quæst. 37. art. 5. ad 6. his verbis: *Principalior actus Acolyti est quo ministrat in urceolo, quàm quo ministrat in candelabro; quamvis denominetur ab actu secundario, propter hoc quod est magis notus, & magis proprius ei; & ideò in datione urceoli imprimitur Acolyto character, virtute verborum ab Episcopo prolatorum.*

40. Ratio etiam id suadet: Cùm enim omnes Ordines inferiores Sacerdotio, tendant ad ipsum, ut ad principale ministerium, & ad ritè & convenienter peragendam corporis Christi consecrationem ordinentur, in Ordinibus habentibus plures actus seu officia, illud censetur præcipuum & essentiale, quod magis seu proximiùs ad Eucharistiam ordinatur; unde cùm præparatio materiæ consecrandæ magis ordinetur ad Eucharistiam, quàm portatio cerei ad Evangelium, dicendum est, essentiam Ordinis Acolytatûs consistere in traditione, non candelabri cum cereo, sed urceoli vacui cum verbis formæ ipsi correspondentis, subindeque in datione urceoli imprimi characterem. Idem cum proportione asserendum est de Ostiariatu, cùm enim ex duobus actibus in quibus ejus exercitium consistit nimirum convocare ad officium divinum, & aperire & claudere Ecclesiam, ut fideles interfint sacrificio, & infideles, vel indigni, quales sunt excommunicati, arceantur; iste magis accedat ad ministerium Sacramenti Eucharistiæ, fatentur omnes, essentiam hujus ordinationis consistere in traditione, non cimbali, sed clavium Ecclesiæ, tanquam in materia, & in verbis quæ tradendo talem materiam dicit Episcopus, velut in forma. Unde reliqua quæ fiunt ab Archidiacono, ducente Ostiarios ad fores Ecclesiæ, & campanarum funes tradente, non sunt de essentia hujus Ordinis; quia non traduntur ab Episcopo, sed exercitium quoddam muneris dati Ostiario.

41. Dico secundò, materia Subdiaconatûs est contactus calicis vacui, & patenæ vacuæ; forma verò hæc verba: *Videte cujus ministerium vobis traditur, ideò vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Est contra aliquos, qui videntes formam aliis Sacramentis essentialem exprimi verbo imperativo, per illud verbum, *Accipite potestatem, &c.* existimarunt formam Subdiaconatûs exprimi his verbis, quæ proferuntur etiam ab Episcopo: *Accipite potestatem cantandi Epistolam*, subindeque contactum libri Epistolarum esse materiam hujus Ordinis. Nihilominus cùm Concilium Florentinum expressè asserat materiam hujus Sacramenti esse contactum calicis vacui, & patenæ vacuæ; forma verò debeant proportionem & simultatem habere, omnino tenendum est formam Subdiaconatûs consistere in verbis supra dictis, quæ profert Episcopus, cùm calicem vacuum & patenam Subdiacono porrigit. Addo quod, cùm Ordinis Sacramentum consistat in potestate exercendi actum ipsius principalem, & ex duobus actibus qui Subdiacono competunt, nempè legere Epistolam, & deferre calicem vacuum ad altare, Sacerdotique seu Diacono materiam Eucharistiæ consecrandam ministrare, potior sit secundus, utpote vicinior ministerio Sacerdotis, & consecrationi Eucharistiæ, inde est quod in traditione calicis vacui character Subdiacono imprimatur, subindeque forma Subdiaconatûs consistat in verbis illis, *Videte cujus ministerium vobis traditur, &c.* quæ tunc ab Episcopo proferuntur. Unde D. Thomas hìc quæst. 38. art. 1. ad 2. *Principalis actus Subdiaconi est in hoc quod cooperatur circa materiam Sacramenti, & ideò characterem accipit in hoc quod datur ei calix ab Episcopo.*

42. Dices, Diaconatûs Ordo confertur, quando Episcopus tradit librum Evangeliorum ipsi ordinando dicens: *Accipe potestatem, &c.* Ergo etiam character Subdiacono imprimitur, quando Episcopus tradit librum Epistolarum, sub his verbis: *Accipe potestatem.*

Sed nego Consequentiam, tum quia argumentum à simili non valet in his quæ pendent ex institutione: tum etiam, quia, ut rectè discurrit D. Thomas hìc quæst. 37. art. 5. ad 5. *Potestas Diaconi est media inter potestatem Subdiaconi & Sacerdotis. Sacerdos enim directè habet potestatem super corpus Christi, Subdiaconus autem super vasa tantùm; sed Diaconus super corpus Christi in vase contentum, unde ejus non est tangere corpus Christi, sed portare corpus in patena, & dispensare sanguinem cum calice; & ideò ejus potestas ad actum principalem non potuit exprimi, nec per dationem vasis tantùm, nec per dationem materiæ; sed exprimitur potestas ejus ad actum secundarium tantùm, in hoc quod datur ei liber Evangeliorum, & in hac potestate intelligitur alia. Et ideò in ipsa libri datione imprimitur character.*

43. Quæres, qualis contactus materiæ requiratur in ordinando?

Respondeo duas circa ejus quæsiti resolutionem versari celebres & probabiles sententias. Quidam enim apud D. Thomam hìc quæst. 34. art. 5. in tertio argumento, putant non esse necessarium, ut ordinandus physicè contingat materiam, sed sufficere ut extensione manuum ostendat se eam ab ordinante acceptare, quod est moraliter eam contingere. Quam sententiam in responsione argumenti admittit ut probabilem, eamque plures ex recentioribus Theologis & Casuistis sequuntur. Alij verò physicum materiæ contactum in ordinando requirunt; & hæc sententia tutior ac probabilior est, tum quia est communior, & in eam S. Doctor loco citato ut probabiliorem inclinat dicens: *Ipsa verba formæ videntur ostendere, quod tactus materiæ sit de essentia sacramenti, quia dicitur, Accipe hoc vel illud.* Tum etiam, quia aliàs materia non videtur sufficienter ordinando applicari; nam cùm hæc consistat in re physica, videtur physicum contactum requirere. Et hoc confirmat solicitudo quam omnes prudentes hujus sacramẽti ministri adhibent, ut ordinandus physicè materiam tangat. Non est tamen necessarium, quod tangat proximè

Universidad de Deusto
Biblioteca

singula quæ pro materia offeruntur, sed sufficit quod in ordinatione Sacerdotis, verbi gratiâ, tangatur calix suppositus patenæ; neque magis necessarium est tangi hostiam ipsam, patenæ superpositam, quàm vinum in calice contentum; quod certè nullus ordinandorum tangit. Quod propter nonnullos scrupulosiores notare obiter hîc volui.

ARTICULUS III.

Utrum manûs impositio ad ordinationem Sacerdotis & Diaconi essentialiter requiratur, vel sola instrumentorum traditio, cum forma verborum ipsi correspondente, totam essentiam ordinationis Sacerdotum & Diaconorum constituat?

44. PRo intelligentia & resolutione hujus celebris quæstionis, sciendum est, in Ecclesia Latina ordinari Diaconum duplici cæremoniâ, quarum prima est impositio manuum Episcopi, cum hac verborum forma, *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo & tentationibus ejus.* Posterior est traditio libri Evangeliorum, cum prolatione horum verborum: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei*, &c. Similiter Sacerdos in Ecclesia Latina duplici cæremoniâ ordinatur, nempè porrectione instrumentorum, id est patenæ, cum hostia superposita, & calicis cum vino, cum hac verborum forma: *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, &c. & impositione manuum Episcopi ordinantis, quæ duplex est; una quæ fit initio ipsius ordinationis simul ab Episcopo & duobus Sacerdotibus; alia quæ fit in fine Missæ, quando Episcopus super caput Sacerdotis manus imponens ait: *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis*; & de ista præcipuè est difficultas & controversia inter Theologos, an sit de essentia ordinationis Sacerdotalis, vel cæremonia omnino accidentalis? Nam D. Bonaventura, Durandus, Beccanus, & Arcudius, existimant in ea totam essentiam ordinationis Sacerdotum consistere; & similiter totam essentiam Diaconatûs sitam esse in impositione manuum Episcopi, quæ fit ante traditionem libri Evangeliorum. Alij verò docent, tam porrectionem instrumentorum, quàm impositionem manuum esse de essentia utriusque ordinationis, subindeque duas materias & duas formas partiales, ad illarum essentiam constituendam, admittunt. Ita Scotus, Bellarminus, Coninck, Henriquez, & alij ex Recentioribus. Vazquez autem fatetur quidem totam essentiam Ordinis Diaconatûs consistere præcisè in traditione libri Evangeliorum, cum formula verborum ipsi correspondente, sed docet impositionem manûs esse de essentia Ordinationis Sacerdotis. Demum Soto in 4. dist. 24. art. 4. vult impositionem manûs esse cæremoniam omninò accidentalem. Alij verò ex nostris Thomistis, ut Nugno & Candidus, concedunt quidem illam non esse de essentia ordinationis Sacerdotis & Diaconi; dicunt tamen esse de illius perfectione & integritate, eo ferè modo, quo satisfactio est de integritate sacramenti pœnitentiæ, licèt non sit pars essentialis illius.

§. I.

Verior & probabilior sententia, duplici conclusione statuitur, & explicatur.

DIco primò, Sola instrumentorum traditio, cum forma verborum correspondente, constituit totam essentiam ordinationis Sacerdotum & Diaconorum; subindeque manuum impositio non est de illius essentia.

45. Prima pars probatur primò ex Florentino in Decreto Eugenij, ubi sic dicitur: *Ordinis materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo; sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino & patenæ cum pane porrectionem.* Et paulò post: *Forma Sacerdotij talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium.* Quibus verbis Concilium pro materia Presbyteratûs assignat tantùm porrectionem calicis cum vino, & patenæ cum pane: Ergo censet, manuum impositionem, nec totalem, nec partialem esse Ordinis Sacerdotalis materiam.

46. Probatur secundò ex Trident. sess. 22. cap. 1. ubi Apostolos tunc *novi Testamenti sacerdotes* constituisse Christus dicitur, *cùm corpus & sanguinem suum ut sumerent tradidit, & eisdem ac eorum in sacerdotio successoribus ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, ut Ecclesia semper intellexit:* At horum verborum loco, in Sacerdotis Ordinatione, ponuntur hæc: *Accipe potestatem offerendi sacrificium, &c.* Ergo per ista verba, & per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem, quæ tunc fit, cùm proferuntur ab Episcopo, Diaconi constituuntur Sacerdotes; subindeque manuum impositio non est de essentia Ordinationis Sacerdotalis, sed sola instrumentorum traditio, cum forma verborum ipsi correspondente, totam illius essentiam constituit.

47. Probatur tertiò eadem pars ratione fundamentali: Impositio manuum non est de essentia Ordinationis Sacerdotalis, nec totalis vel partialis ipsius materia, si ante illam character Sacerdotalis imprimatur: Sed character Sacerdotalis imprimitur ante impositionem manuum, nimirum in ipsa traditione instrumentorum, cum forma verborum ipsi correspondente: Ergo impositio manuum non est de essentia Ordinationis Sacerdotalis, nec materia, vel forma partialis illius, sed sola instrumentorum traditio, cum forma verborum ipsi correspondente, totam essentiam Ordinationis Sacerdotum constituit. Major patet, nullum enim sacramentum habet effectum sibi proprium, gratiam scilicet, vel characterem, antequam adsint omnia ipsi essentialia: Ideò enim (ut tacitè occurratur instantiæ quæ posset fieri in contrarium) in sacramento Eucharistiæ, consecratio unius speciei non dependet, quoad suum valorem & effectum, à consecratione alterius; quia essentia hujus sacramenti, in ratione sacramenti, consistit tota in consecratione unius speciei, ita ut consecratio alterius sit tantùm de ejus integritate. Minor verò probatur primò ex D. Thoma hîc quæst. 37. art. 5. in corp. ubi sic concludit: *Ideò in ipsa datione calicis, sub forma verborum determinata, character sacerdotalis imprimitur.*

Secundò probatur ratione: Episcopus profert porrigendo calicem hæc verba: *Accipe potestatem offerendi sacrificium, &c.* quæ potestas est ipse character sacerdotalis: Ergo cùm verba illa debeant statim esse vera, & habere effectum quem significant

significant, dicendum est, ante impositionem manuum, in ipsa traditione calicis, imprimi characterem sacerdotalem.

Tertiò, Neomystæ, seu Sacerdotes recenter ordinati antequam manus illis imponantur, cum illis verbis: *Accipe Spiritum sanctum &c.* simul cum Episcopo proferunt verba consecrationis: Sed hoc non permitteretur, nisi jam haberent potestatem ad consecrandum corpus & sanguinem Christi, subindeque characterem sacerdotalem, qui nihil aliud est quàm talis potestas: Ergo ante impositionem manuum, sacerdotes recenter ordinati habent characterem sacerdotalem.

Quartò, Cùm aliquis Ordo habet plura officia, tunc confertur character, quando datur potestas exercendi officium magis præcipuum, ut patet in Ordinibus Ostiarij, Acolyti, & Subdiaconi: Sed ex duobus officiis quæ habet Sacerdos, nimirum offerre sacrificium, seu Eucharistiam conficere, & remittere peccata, istud est minùs principale & secundarium: Ergo character Sacerdotalis non imprimitur, quando Episcopus imponendo manus, dat potestatem remittendi peccata, sed quando porrigendo calicem, dat potestatem offerendi sacrificium.

Quintò, Judas, tametsi solùm offerendi sacrificij potestatem in nocte cœnæ cum aliis Apostolis receperit, characterem Sacerdotalem habuit; fuit enim verus Sacerdos novi Testamenti, ut ex verbis illis Psalmi 108. quæ S. Petrus Act. 1. ad illum pertinere indicat, colligitur: *Episcopatum ejus accipiat alter*; hoc est sacerdotium, ἱερατεύειν, ut Chrysostomus in eum locum homil. 3. commentatur: Ergo character Sacerdotalis imprimitur ante impositionem manuum, cùm datur potestas offerendi sacrificium.

48. Secunda pars conclusionis, quæ asserit impositionem manuum non esse de essentia Ordinationis Diaconorum, probatur primò ex Florentino in Decreto Eugenij, ubi post verba illa suprà relata: *Presbyteratus traditur, per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem*, statim subdit: *Diaconatus per libri Evangeliorum dationem*, nullam prorsus mentionem faciendo de manuum impositione: At si Concilium existimasset impositionem manuum esse materiam saltem partialem Diaconatûs, non debuisset illam subticere: Ergo impositio manuum non est de essentia Ordinationis Diaconorum.

49. Confirmatur: Gregorius IX. in cap. *Presbyter*, de Sacramentis iterandis, sic ait: *Presbyter & Diaconus, cùm ordinantur, manûs impositionem corporali ritu ab Apostolis introducto recipiunt. Quod si omissum fuerit, non aliquatenus iterandum, sed statuto tempore, ad ejusmodi Ordines conferendos cautè supplendum quod per errorem extitit prætermissum:* At hæc doctrina de non iteratione hujus Sacramenti in tali casu esset falsa, si non in sola traditione libri Evangeliorum, cum sua formula, consisteret essentia Ordinationis Diaconi: Ergo &c.

50. Probatur secundò eadem pars hac ratione: Ille tantùm ritus est de essentia Ordinationis Diaconi, per quem ministerium ipsi peculiare significatur: Sed per manûs impositionem, & verba illi correspondentia, nullum ministerium Diacono peculiare significatur: non quidem per manuum impositionem, ut constat; neque per verba illa ipsi correspondentia: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, ad resistendum diabolo & tentationibus ejus*; utpotè quæ sunt generalia, & cuilibet Ordinationi possent convenire: Ergo impositio manuum sub præscripta forma verborum, non est de essentia Ordinationis Diaconi.

51. Dico secundò, Impositionem manuum, non esse cæremoniam aliquam omninò accidentalem Ordinationi Sacerdotali, sed ad ejus integritatem pertinere.

Probatur breviter: Posse à peccatis absolvere pertinet ad integritatem Sacerdotij: Sed per impositionem manuum quæ fit ab Episcopo in fine Missæ, hæc verba proferente: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis:* Sacerdos accipit potestatem remittendi peccata, cùm talis potestas per hæc verba significetur: Ergo talis impositio manuum pertinet ad integritatem Ordinationis Sacerdotalis. Minor patet, Major etiam certa videtur; Sacerdotium enim ex diversis constat officiis, sicut corpus integratur ex pluribus membris, videlicet ex officio sacrificandi, & ex officio absolvendi à peccatis; quorum primum est præcipuum, subindeque cùm datur potestas illud exercendi, character Sacerdotalis imprimitur, ut præcedenti conclusione ostensum est; secundum verò est minùs principale; unde cùm datur Sacerdoti potestas absolvendi à peccatis, non imprimitur character, sed tantùm datur augmentum gratiæ ad ritè exercendum tale munus; hoc enim denotant verba illa Episcopi, *Accipe Spiritum sanctum*; neque enim Spiritus sanctus datur sine infusione gratiæ: Unde Tridentinum sess. 23. can. 3. sic ait: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustrà Episcopos, dicere: Accipe Spiritum sanctum, anathema sit:* Ergo impositio manuum est de integritate Ordinationis Sacerdotalis, eo modo quo satisfactio est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ.

52. Ex hoc intelliges, quod si alicui ex Neomystis, seu Sacerdotibus recenter ordinatis, Episcopus non imponeret manus, ille quidem esset verus Sacerdos, cùm posset offerre Sacrificium Missæ, & Eucharistiam conficere; non esset tamen perfectus Sacerdos, quia deesset illi aliquod complementum ad integritatem Sacerdotij novæ legis requisitum, nimirum potestas absolvendi à peccatis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

53. OBjicies primò contra primam conclusionem: In Scriptura, Conciliis, & SS. Patribus, Sacerdotium & Diaconatus conferri dicuntur per manuum impositionem: Ergo illa est de essentia utriusque ordinationis. Consequentia videtur legitima, Antecedens verò patet ex Apostolo 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1. ubi Timotheus dicitur ordinatus in Sacerdotem, vel Episcopum, per impositionem manuum. Item Actuum 6. septem primi Diaconi ordinati dicuntur ab Apostolis per manuum impositionem: *Hos* (ait sacer textus) *statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Similiter Concilium Nicænum can. 9. imponere manus, idem esse indicat, quod Presbyteros ordinare; & Concilium Carthaginense 4. cap. 3. sic ait: *Presbyter cùm ordinatur, Episcopo eum benedicente, manum super caput ejus tenente &c.* Dionysius etiam cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ expressè docet, Episcopum, Sacerdotem, & Diaconum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

conum consecrari per manûs impositionem. Idem docent frequenter alij SS. Patres, unde Græci ordinationem vocant χειροτονίαν, id est manûs impositionem.

54. Confirmatur: Nisi manûs impositio sit de essentia Ordinationis Sacerdotum & Diaconorum, nullo Scripturæ vel Patrum testimonio probari poterit contra Hæreticos talem ordinationem esse Sacramentum; quia Scriptura & SS. Patres, qui asserunt per talem ordinationem conferri gratiam, dicunt eam conferri per manuum impositionem, ut patet ex illo Ambrosij de dignitate Sacerdotali cap. 5. *Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam.*

55. Confirmatur amplius ex Tridentino sess. 14. cap. 3. ubi loquens de Extrema-Unctione dicit ejus ministrum esse Episcopum, vel Presbyterum, *ritè ordinatum, per manûs impositionem:* Sed falsum esset, Sacerdotem ritè ordinari per manûs impositionem, si ritus ille non esset essentialis tali ordinationi: Ergo &c.

56. Ad objectionem respondeo, Scripturam, Concilia, & SS. Patres locis citatis loqui de Sacerdotio & Diaconatu, collato tempore Apostolorum; tunc enim per solam manuum impositionem conferebantur, ut fusiùs infrà declarabimus. Vel ordinationes illas impositionem manuum appellant, eò quòd talis cæremonia, ad integritatem & complementum illarum spectet, ut conclusione secundâ ostendimus.

57. Ad primam confirmationem, nego Antecedens, Quamvis enim Scriptura, & SS. Patres, qui asserunt Ordinem conferre gratiam, dicant eam conferri per manuum impositionem; quia tamen traditio instrumentorum, cum forma verborum ipsi correspondente, quæ modò fit in Ecclesia Romana, quando Ordo confertur, est ritus non formaliter, sed materialiter tantùm diversus ab impositione manuum, quæ tempore Apostolorum fieri solebat, ut constabit ex infrà dicendis, non minùs efficaciter concluditur contra Sectarios, Ordinationem quæ fit modò in Ecclesia Romana, esse verum sacramentum, quàm eam quæ fiebat tempore Apostolorum, & initio nascentis Ecclesiæ.

58. Ad secundam respondeo, Tridentinum loco citato tantùm definire, ministrum Extremæ-Unctionis esse solum Sacerdotem; obiter verò dixisse illum debere esse ordinatum per manuum impositionem; neque ad hoc verificandum opus esse, quòd manuum impositio sit de essentia ordinationis sacerdotalis, sed sufficere quòd sit de integritate illius; unde concessâ Majori, negan-da est Minor. Si verò quæras, cur Concilium ibi potiùs mentionem fecerit impositionis manuum, quàm porrectionis instrumentorum? Respondeo breviter, hoc ideò dixisse Concilium, quia Extremæ-Unctionis, cujus occasione illud affert, ministratio ad eam potestatem pertinet, quæ in manuum impositione confertur, quasi appendix quædam remissionis peccatorum, ut in Tractatu de Extrema-Unctione declaravimus; ibi enim ostendimus, Sacramentum Extremæ-Unctionis esse Sacramenti pœnitentiæ completivum, quia sicut istud peccata, ita illud peccatorum reliquias abstergit.

59. Objicies secundò: Illud quod est sensibile, & causativum gratiæ, pertinet essentialiter ad rationem Sacramenti, Sed manuum impositio in ordinatione Sacerdotum & Diaconorum, est signum sensibile, & effectivum alicujus gratiæ, ut docet D. Thomas hîc quæst. 37. art. 5. in corp. ubi sic ait: *Per manûs impositionem datur plenitudo gratiæ, per quam* (ministri) *ad magna officia sint idonei, & ideò solis Diaconibus & Sacerdotibus fit manûs impositio, quia eis competit dispensatio Sacramentorum &c.* Ergo manuum impositio in ordinatione Sacerdotum & Diaconorum pertinet essentialiter ad rationem Sacramenti.

60. Respondeo Majorem non esse universaliter veram, satisfactio enim in Sacramento pœnitentiæ, est aliquid sensibile, & causativũ alicujus gratiæ, & tamen non est de essentia, sed tantùm de integritate illius Sacramenti. Idem dicendum de impositione manuum, quæ fit in ordinatione Sacerdotum; quamvis enim illa sit aliquod signum sensibile, causativum augmenti gratiæ, non sequitur quod sit pars essentialis talis ordinationis, sed sufficit quod sit de ejus integritate; non enim in impositione manuum abundantior gratia causatur, ex eo quod tunc fiat novum Sacramentum, aut novus Ordo, sed quia præcedens completur complemento integrali; eò quòd character Sacerdotalis tunc accipit novam perfectionem realem, ratione cujus potest ligare & absolvere, quod ut ritè à Sacerdotibus fiat, specialis gratia requiritur.

61. Objicies tertiò: Si sola instrumentorum traditio, cum forma verborum ipsi correspondente, constitueret totam essentiam ordinationis Sacerdotum & Diaconorum, sequeretur quod in Ecclesia Græca non servarentur ea quæ sunt essentialia Sacramento Ordinis, ex parte materiæ & formæ: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Minor est certa, quia certum est, validas esse Græcorum ordinationes. Primò, quia fiunt non solùm à Schismaticis, sed etiam ab iis qui ad unionem cum Ecclesia Romana accesserunt; idque etiam Romæ in propria Ecclesia, scientе & tacitè saltem approbante Summo Pontifice. Secundò, quia ordinati à Græcis non reordinantur à Latina Ecclesia, quando à Schismate recedunt, & ad eam convertuntur. Tertiò, quia in Concilio Florentino coacto ex Græca & Latina Ecclesia, Latini hac de re nullum dubium Græcis moverunt; sed illos pro veris Episcopis & Sacerdotibus habuerunt; è quibus etiam Bessarion, Nicænus Episcopus, in Cardinalem S. Romanæ Ecclesiæ, ab Eugenio promotus fuit. Quartò, quia durum videtur dicere, tam illustrem portionem gregis Christi, carere & caruisse vero Sacerdotio, & Basilium, Gregorium, Athanasium, Chrysostomum, &c. non Episcopos, sed Apostolos extitisse. Demum, quia expressè asseritur in capite *Quod translationem*, extra de temporibus ordinandorum, Græcorum ordinationes esse validas. Probatur ergo sequela Majoris: In Ecclesia Græca cùm ordinatur Sacerdos, Episcopus non porrigit illi calicem cum patena, nec profert verba illa quæ à Latinis Episcopis proferri solent: *Accipe potestatem offerendi sacrificium*; sed tantùm manus imponit cum pallio, proferendo ista verba: *Divina gratia, quæ semper infirma sanat, & qua desunt supplet, promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat super ipsum gratia sanctissimi Spiritûs.* Similiter Diaconus in Ecclesia Græca non ordinatur, sicut in Latina, per traditionem libri Evangeliorum, cum prolatione horum verborum, *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei*; sed per solam manuum impositionem, & hæc verba: *Divina gratia,*

tia, quæ semper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet N. reverendum Subdiaconum in Diaconum. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super ipsum gratia sanctissimi Spiritus. Ita refert Arcudius Author Græcus lib. 6. de Sacram. cap. 2. & Cardinalis Delugo disp. 2. de Sacram. in genere sect. 5. testatur se vidisse Romæ Græcos Episcopos hoc ritu Ordines conferentes: Ergo si sola instrumentorum traditio, cum forma verborum ipsi correspondente, constitueret totam essentiam ordinationis Sacerdotum & Diaconorum, sequeretur quod in Ecclesia Græca, non servarentur ea quæ sunt essentialia Sacramento Ordinis, ex parte materiæ & formæ.

62. Huic difficillimæ objectioni respondeo, negando sequelam Majoris; licèt enim in Ecclesia Græca Sacerdotium & Diaconatus per solam impositionem manuum, cum verbis relatis conferantur, non sequitur tamen quod in Ecclesia Græca non serventur ea quæ sunt essentialia Sacramento Ordinis, ex parte materiæ & formæ; quia nimirum Christus non determinavit in specie materiam & formam hujus Sacramenti, sed genericè tantùm instituit, ut loco materiæ adhiberetur signum aliquod sensibile, significativum potestatis quæ traditur; & loco formæ adhiberentur verba eandem potestatem sufficienter exprimentia. Hoc autem reperitur in utraque Ecclesia Latina & Græca, unde utraque servat omnia essentialia à Christo instituta; quamvis determinatio signi sensibilis & materialis, prædictam potestatem significantis, diversa sit apud Græcos & Latinos: imò & in ipsa Ecclesia Latina, pro diversis temporibus: nam tempore Apostolorum, & initio Ecclesiæ, determinatio istius signi sensibilis & materialis, ad manûs impositionem facta est ab Apostolis, ut indicat Gregorius IX. cap. *Presbyter* de Sacramentis non iterandis, ubi expressè affirmat, manûs impositionem quâ Sacerdotes ordinantur, esse ritum introductum ab Apostolis, patetque eos sic ordinasse Diaconos Act. 6. & Presbyteros Act. 14. & 1. ad Timoth. 1. quem ritum Græca Ecclesia huc usque servavit: Latina verò Ecclesia, ad majorem expressionem potestatis per Ordinem collatæ, tale signum sensibile ad porrectionem instrumentorum cum præscripta forma verborum determinavit. Quare utraque Ecclesia servat essentialia Sacramenti, & tantùm differt penes accidentalem determinationem signi sensibilis, & verborum. Hanc solutionem & doctrinam tradit Bellarminus cap. 9. de Sacram. Ordinis, ubi sic ait: *Credibile autem est, Dominum instituisse istas omnes materias Ordinum: non quidem in particulari, sed generatim: monendo Apostolos, ut Ordines conferrent per cæremoniam instrumentorum, quibus significaretur eorum potestas.*

63. Potest hæc solutio illustrari & explicari exemplo desumpto ex Sacramento matrimonij: Christus enim matrimonij materiam & formam instituit, consensum contrahentium, externis verbis, aliisve signis expressum: Hæc autem signa non determinavit in particulari, sed reliquit ea communi usui & voluntati contrahentium. Unde sicut talia signa in Sacramento matrimonij sunt quidem determinata à Christo, secundùm rationem suam formalem, sive significationem, quatenus voluit determinatè esse talia, quæ rem certam determinatè significarent; indeterminata tamen secundùm esse materiale: ita instituit materiam Ordinis, secundùm rationem formalem determinatam, quâ scilicet determinatè significaretur hîc & nunc ordinato tribui certam potestatem Ecclesiasticam; indeterminatam tamen secundùm esse materiale, quatenùs reliquit in potestate Ecclesiæ, per traditionem hujus vel illius rei, hujus potestatis collationem significare. Sicut tamen non est in cujusque potestate, per quodvis verbum quidvis significare, sed hoc pendet à communi usu; ita non est in potestate alicujus particularis Episcopi, per cujusvis rei traditionem, prædictæ potestatis collationem significare, sed hoc pendet à determinatione Ecclesiæ, quæ instituit ut hoc fieret in Sacerdotio per traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane, & in Diaconatu, per traditionem libri Evangeliorum, & verbis eis respondentibus, & sic de cæteris Ordinibus.

64. Ex his intelliges, Sacerdotium vel Diaconatum collatum tempore Apostolorum, vel quod modò confertur in Ecclesia Græca, non esse specie distinctum à nostro, sed tantùm accidentaliter; quia licèt habeant diversas materias & formas; illa tamen diversitas non est formalis, sed tantùm materialis, eò quòd ordinentur ad eundem effectum significandum & causandum, & unitas vel diversitas specifica signi, ex unitate vel diversitate specifica rei significatæ sumatur. Idem cum proportione dicendum est de Sacramento Confirmationis, quod per solam manuum impositionem ab Apostolis interdum conferebatur, vel de eo quod modò à Græcis sub hac verborum forma confertur: *Signaculum doni Spiritus Sancti.* Illud enim, ob eandem rationem, non differt specie à nostro, cujus materia est chrisma ab Episcopo confectum, & forma hæc verba quæ ab eo proferuntur: *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, &c.*

DISPUTATIO III.

De ministro & subjecto Sacramenti Ordinis.

Licet istud Sacramentum respiciat non tantùm suum ministrum & subjectum, sed etiam proprium effectum, qui est duplex, gratia nimirum sanctificans, cum jure ad specialia auxilia, necessaria ad dignè operandum actus proprios Ordinis suscepti, & character, sive potestas spiritualis, ad eliciendum illos actus validè & ex officio, quia tamen de hoc duplici effectu fusè egimus in Tractatu de Sacramentis in communi, de ministro tantùm & subjecto hujus Sacramenti, nobis restat disputandum. Unde sit. *Disp. 3. & 4.*

Articulus Primus.

Quis sit minister Sacramenti Ordinis?

1. Certum & indubitatum est apud omnes Catholicos, solum Episcopum esse ordinarium ministrum Sacramenti Ordinis, tum quia hoc apertè definierunt Florentinum in litteris Eugenij, & Tridentinum sess. 23. can. 7. ubi dicitur

Episcopos

Universidad de Deusto
Biblioteca

Episcopos esse Presbyteris superiores, & habere potestatem confirmandi & ordinandi, quæ non est illis communis cum Presbyteris. Tum etiam, quia in Scriptura multoties dicitur quod Episcopi ordinant, videlicet Act. 14. ad Titum 1. & 2. ad Timoth. 1. nusquam verò quod alij Sacerdotes conferant hoc Sacramentum.

2. Ratio etiam suffragatur, nam solus Episcopus est Christianæ reipublicæ præfectus & hierarcha, sive Sacramentorum princeps: Sed ad solum principem & præfectum pertinet officia & ministeria conferre & distribuere: Ergo &c. Item solus Episcopus est minister ordinarius consecrationis vasorum, & collationis Sacramenti Confirmationis: At nobiliori modo (inquit D. Thomas hic quæst. 38. art. 2.) applicantur ministri ad cultum divinum, per Ordinem, quàm vasa sacra; & Sacramentum Ordinis est quid excellentius, quàm Sacramentum Confirmationis: Ergo ordinarius minister Ordinis, non est alius quàm Episcopus.

In hoc, ut dixi, conveniunt omnes Catholici, sed difficultas est & gravis controversia inter Theologos, an simplex Sacerdos ex commissione summi Pontificis possit esse minister extraordinarius hujus Sacramenti, & Ordines sive Majores sive Minores validè conferre? Id enim de omnibus Ordinibus affirmat Angelus verbo *Ordo* 2. num. 2. sequutus Innocentium IV. ab ipso citatum, Panormitanus cap. *Quanto*, de consuet. num. 9. & ex Recentioribus Vazquez disp. 243. cap. 4. Alij verò existimant, non posse simplicem Sacerdotem ex commissione Pontificis conferre Presbyteratum, benè tamen Minores Ordines, & Diaconatum, ac Subdiaconatum. Ita Franciscus Amicus, Martinonus, & alij Recentiores. Alij id Affirmant tantùm de Subdiaconatu, & quatuor Minoribus, ut Suarez, Toletus, Henriquez, Coninx, & alij. Demum id negant alij de omnibus Ordinibus majoribus, & concedunt solùm de quatuor Minoribus. Ita Paludanus, Capreolus, Sylvester, Nugno, Petrus de Ledesma, Sylvius, & alij.

A

B

C

D

E

§. I.

Verior & probabilior sententia duplici conclusione statuitur.

3. DIco primò: Nequit simplex Sacerdos ex commissione Summi Pontificis conferre Majores Ordines. Ita D. Thomas hic quæst. 38. art. 1. ad 1. ubi hæc scribit: *Papa qui habet plenitudinem potestatis Pontificalis, potest committere non Episcopo ea quæ ad Episcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum corpus Christi; & ideò ex ejus commissione aliquis Sacerdos simplex potest conferre minores Ordines, & confirmare, non autem aliquis non Sacerdos; nec iterum Sacerdos majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem, quam simplex Sacerdos.* Quibus verbis rationem fundamentalem nostræ conclusionis insinuat: Cùm enim Summus Pontifex non habeat majorem potestatem supra corpus Christi verum in Eucharistia, quàm simplex Sacerdos, quia habet solùm potestatem circa ipsum ut consecrandum, ex ejus commissione non potest simplex Sacerdos illos Ordines conferre, qui immediatam relationem habent ad corpus Christi verum: Sed Majores Ordines immediatam relationem habent ad corpus Christi verum: Ergo nequit simplex Sacerdos ex commissione Summi Pontificis illos conferre. Minor est certa, nam licèt non evidenter constet quod Subdiaconatus dicat immediatum Ordinem ad corpus Christi (ideóque plures existiment, posse Pontificem concedere simplici Sacerdoti, ut ordinet Subdiaconum) id tamen de Sacerdotio & Diaconatu manifestum est; nam corpus Christi verum dupliciter considerari potest in Eucharistia, nempè ut consecrandum, & ut distribuendum fidelibus, sive ut deferendum: ut consecrandum immediatè respicitur à Sacerdotio, cujus proprium munus est conficere corpus & sanguinem Christi per verba consecrationis; ut deferendum verò, sive distribuendum, respicitur immediatè ab Ordine Diaconi, utpotè qui in primitiva Ecclesia ex officio distribuebat sanguinem Christi sub speciebus vini, & modò portat ex officio corpus Christi in pixide, vel in patena. Major verò probatur: Si non obstante quod potestas Summi Pontificis in verum Christi corpus, non sit major eâ quam habet simplex Sacerdos, posset nihilominus simplex Sacerdos ex ejus commissione illos Ordines conferre qui immediatam relationem habent ad corpus Christi, idem posset validè absque ejus commissione; quemadmodum enim commissio non potest augere potestatem simplicis Sacerdotis supra corpus Christi verum; ita nec extendere illam potest supra ea quæ immediatè corpus illud respiciunt.

4. Confirmatur & explicatur hæc ratio: Ideò potest Summus Pontifex committere simplici Sacerdoti ut validè Sacramentum Confirmationis administret, quia potestas administrandi hoc Sacramentum, est potestas aliquid præstandi quod immediatam relationem habet ad corpus Christi mysticum, sive ad membra talis corporis, nempè ad fideles, capaces suscipiendi Confirmationem; major autem est potestas Summi Pontificis, quàm simplicis Sacerdotis, supra corpus Christi mysticum: Ergo cùm è contra Summus Pontifex non habeat majorem potestatem supra corpus Christi naturale, quàm simplex Sacerdos, non potest ei concedere facultatem ministrandi illos Ordines qui immediatè referuntur ad illud corpus, juxta tritum illud Philosophorum axioma: *Si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis.*

5. Confirmatur ampliùs: Si Summus Pontifex posset dare facultatem simplici Sacerdoti conferendi Majores Ordines, vel ex potestate jurisdictionis id posset, vel ex potestate Ordinis: Non ex potestate jurisdictionis, utpotè quæ non est ad actus qui immediatè respiciunt corpus Christi in Eucharistia, quales sunt actus saltem Ordinis Sacerdotalis, & Diaconatûs, sed ad actus qui respiciunt immediatè corpus Christi mysticum, vel solùm remotè habitudinem dicunt ad corpus Christi naturale. Neque ex potestate Ordinis, utpotè quæ non est major in Summo Pontifice, quàm in aliis inferioribus Episcopis, qui tamen nequeunt facultatem illam simplici Sacerdoti committere, ut fatentur Adversarij: Ergo Summus Pontifex non potest dare facultatem simplici Sacerdoti conferendi Majores Ordines.

6. Dico secundò, simplicem Sacerdotem posse ex commissione vel privilegio Summi Pontificis conferre Minores Ordines. Constat tum ex praxi Ecclesiæ, tum ex Tridentino sess. 23. cap. 10. de reform. ubi Concilium supponit Abbates ex privilegio

privilegio Sedis Apostolicæ, posse Minores Ordines conferre Regularibus sibi subditis, solúmque prohibentur, ne eos conferant laïcis etiam sibi subjectis. Eodem privilegio gaudent Presbyteri Cardinales, ex consuetudine, quæ, ut ait Soto, est optima legum interpres.

§. II.

Solvuntur objectiones.

7. COntra primam conclusionem objicitur primò: Florentinum in Decreto Eugenij statuens solum Episcopum esse ministrum Sacramenti Ordinis, addit *ordinarium*: Ergo cùm loquatur de ministro Ordinis universaliter sumpto, censet simplicem Sacerdotem posse esse ministrum extraordinarium ex commissione Pontificis, Sacramenti Ordinis universaliter sumpti, & consequenter Sacerdotij & Diaconatûs.

8. Secundò, ex Concilio Antiocheno cap. 10. & Ancyrano cap. 13. concedebatur Chorepiscopis (qui ut fusè docet Damasus Epist. 5. non erant nisi simplices Sacerdotes) collatio Diaconatûs & Presbyteratûs, dummodo ab Episcopo civitatis licentiam accepissent.

9. Tertiò, Innocentius VIII. concessit Abbatibus Ordinis Cisterciensis facultatem conferendi suis Monachis utrumque Ordinem Diaconatûs & Subdiaconatûs, ut referunt Emmanuel Rodericus tomo 1. quæst. 18. art. 3. & Vazquez hic disp. 243. cap. 4. qui ait tale privilegium se legisse in quodam vetusto Codice qui inscribitur: *Collecta Bullarum Ordinis Cistercienſis*, & in Bibliotheca Collegij Complutensis Societatis Jesu servatur.

10. Ad primum respondeo, Florentinum dicendo Episcopum esse ministrum Sacramenti Ordinis, addidisse *ordinarium*, propter Ordines Minores, qui licèt sint Sacramenta, possunt tamen, ex commissione Summi Pontificis, à non Episcopo validè & licitè conferri.

11. Ad secundum respondetur primò, institutа Synodi Antiochenæ, tempore Julij 1. habitæ, nullius esse authoritatis, utpotè quæ ab Arrianis edita fuere, ut probat Baronius tomo 3. ad annum Domini 341. unde nonnulla ex illis, antiquis Ecclesiæ constitutionibus repugnant, qualia sunt quæ habentur can. 13. contra celibatum Sacerdotum. Nec obstat quod quidam Pontifices aliquando nonnullos ex Canonibus illius Concilij citaverint; id enim solùm fecerunt quando agebant contra Græcos, ut eos propriis armis debellarent.

12. Secundò respondetur, duplicis generis olim Chorepiscopos fuisse, quidam enim non aliud erant quàm Præsbyteri, licèt haberent ab Episcopo aliquam commissionem super reliquos Presbyteros, qualem nunc habent Decani, & de illis loquitur Damasus Epistolâ citatâ: Alij verò erant veri Episcopi, sed vel sine certa Diœcesi, solúmque ad conversionem infidelium ordinati, vel Vicarij tantùm aliorum Episcoporum; & de istis loquitur Concilium Antiochenum, ut liquet ex ipso textu, sic enim habet: *Qui in villis & vicis constituti sunt Chorepiscopi, tametsi manûs impositionem ab Episcopis susceperunt, & ut Episcopi sunt consecrati, tamen placuit sanctæ Synodo, scire eos oportere, modum proprium retinere, ut gubernare adjacentes Ecclesias sibi commissas, & esse contentos propriâ solicitudine & gubernatione, quam susceperunt. Constituere autem his permittitur, Lectores & Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus sufficiat tantùm graduum licentiam accepisse, non autem Presbyterum, aut Diaconum audeant ordinare, præter conscientiam Episcopi, vel Ecclesiæ cui adscens inveniatur.* Similia habet Concilium Ancyranum cap. 13. citato, ubi dicitur, *Chorepiscopis non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare, sed neque urbis Presbyteros, nisi cum litteris ab Episcopo permissum fuerit.*

13. Ad tertium respondet Coninck, incertum esse, an tale privilegium verè à Sede Apostolicâ emanaverit; quia si reverâ à Sede Apostolicâ emanasset, nullum debet esse dubium, quin eo semper usi fuissent Abbates Cistercienses, quandiu potuissent; quod vix credibile est eos fecisse: Primò, quia cùm ille usus fuisset publicus, non potuisset ita vulgò omnes latere, sicut latuit. Secundò, quia nulla est causa, cur illi Abbates, post Concilium Tridentinum, desiissent eo privilegio uti; tum quia nullibi in toto Concilio ullo modo revocatur; tum etiam, quia tametsi tacitè & implicitè fuisset revocatum, tamen Concilium Tridentinum, quoad Decreta de reformatione, in Gallia, ubi Abbatiæ illæ Ordinis Cistercienſis sunt constitutæ, non nisi in rebus paucissimis, idque satis recenter, fuit receptum. Addo ex Nugno, hic quæst. 38. art. 1. in expositione articuli, versùs finem, quod *Magister Victoria refert se vidisse diploma Summi Pontificis, in quo concedit facultatem Abbatibus Ordinis Cisterciensis, ut possent conferre Ordinem Subdiaconatûs suis subditis.* Ubi nulla fit mentio Ordinis Diaconatûs, sed tantùm Subdiaconatûs. Sed quidquid sit de hoc.

Respondeo, Quòd si reverâ tale privilegium à Sede Apostolicâ emanaverit, usus est Pontifex opinione quam probabiliorem existimavit, licèt reverâ sit minùs probabilis: quamvis enim in materia morum & sacramentorum, non liceat uti opinione probabili, in concursu alterius, quam probabiliorem existimamus (ut in dissertatione de probabilitate fusè ostendimus) benè tamen in concursu alterius, quæ creditur probabilior, licèt reverâ sit minùs probabilis. Eadem solutione utuntur Thomistæ, in materia de voto solemni, cùm illis objicitur, Summos Pontifices pluries dispensasse in votis solemnibus, & fecisse de Monachis non Monachos.

14. Quærunt hic aliqui, an Episcopus excommunicatus, hæreticus, aut degradatus, Ordines conferre possit?

Respondeo posse illos conferre validè, quamvis illicitè; ut enim in Tractatu de Sacramentis in communi fusè ostendimus, efficacia Sacramenti non pendet à fide aut bonitate ministri, sed ex sola institutione & meritis Christi: Unde sicut Episcopus hæreticus, excommunicatus, suspensus, simoniacus, degradatus &c. validè consecrat, & Sacramentum Eucharistiæ verè conficit, si habeat intentionem consecrandi, & supra debitam materiam formam proferat; ita & Ordines validè confert, si servet quæ in Ordinum collatione servanda sunt; & sicut character Episcopalis, per nulla scelera deleri potest; ita nec potestas conferendi Ordines, per nullam Ecclesiasticam censuram & potestatem potest auferri. Quare per degradationem non auferetur ab Episcopo potestas ordinandi, quam à Christo accepit, sicut nec à Sacerdote potestas Christi corpus & sanguinem consecrandi, sed duntaxat talis potestatis usus ipsi prohibetur, subindeque illegitimus

Disp. 6. Art. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

timus quidem, sed non invalidus redditur. Ex A quo facilè intelliges plura Juris Canonici decreta, in quibus dicitur Episcopos simoniacos, excommunicatos, aut degradatos, non posse Sacramentum Ordinis conferre; hæc enim de potestate legitima intelligenda sunt; nam quæ sine peccato facere non possumus, fieri non posse dicuntur, & irrita appellantur; & in hoc sensu intelligendum est illud D. Leonis Epist. ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum, quod refertur can. 68. 1. quæst. 1. *Extra Ecclesiam Dei, nec rata sunt Sacerdotia, nec vera sacrificia*; His enim verbis (ut glossa explicat) solùm declarare intendit, non esse rata Sacerdotia ab hæreticis collata, quoad rem Sacramenti, quæ est gratia, & licitum usum & executionem. Idem significare voluit D. Gregorius lib. 3. Epist. 20. cùm dixit ordinatos ab hæreticis & excommunicatis, *non consecrari, sed fœdari*; quia licèt verum sacramentum Ordinis, & characterem recipiant, gratiâ tamen sanctificante privantur, & gravi esse inquinant peccato, eo ipso quod contra Ecclesiæ statuta, ab hujusmodi Episcopis, scientes, & volentes, sacras ordinationes suscipiunt.

15. Dices, Damasus Epist. 4. ait, per illicitam manùs impositionem vulnerari caput suscipientis, & subdit: *Reiterari necesse est, quod legitimè actum aut collatum minimè probatur*: Ergo censet ordinationem ab Episcopo hæretico, aut excommunicato, vel degradato factam, nedum esse illicitam, sed etiam irritam & invalidam. C

Respondeo Damasum ibi solùm agere de ordinatis à Chorepiscopis, quos negat esse veros Episcopos, & habere potestatem ordinandi. Unde non mirum, si ordinationem ab ipsis factam, nedum illicitam, sed etiam irritam & invalidam esse existimet eamque necesse esse reiterari dicat.

ARTICULUS II.

Quinam sint capaces hujus Sacramenti? D

CErtum est, viros omnes baptizatos, & usum rationis habentes, esse capaces hujus Sacramenti, dummodo aliquâ irregularitate vel censurâ Ecclesiasticâ non sint impediti; unde solùm difficultas est, an etiam fœminæ, catechumeni, & infantes, atque amentes ad illud capacitatem habeant: Pro resolutione

16. Dico primò, solos viros esse capaces Sacramenti Ordinis, non verò fœminas.

Conclusio est certa de fide, & constat ex perpetua & nunquam interrupta Ecclesiæ traditione, quæ ad Ordinis valorem jure divino requiri sexum virilem semper existimavit, & ut hæreticos ac infames Pepusianos habuit, qui teste E Epiphanio hæresi 49. & Augustino hæresi 27. ordinabant mulieres in Sacerdotes, atque etiam, ut addit Epiphanius, in Diaconissas altaris, & Episcopas. Quem errorem jam pridem extinctum suscitavit Lutherus, teste Alphonso de Castro lib. 10. adversùs hæreses, verbo *Mulier*. Hujus verò Ecclesiasticæ traditionis certitudo deducitur primò ex facto Christi, qui cùm in ultima Cœna Discipulos ordinavit nullam admisit fœminam, sicut neque cùm post resurrectionem potestatem absolvendi à peccatis Apostolis contulit Joan. 20. Et sanè si Christus fœmineum sexum ad Ordines admisisset, Beatam Virginem cum Apostolis ordinasset; quandoquidem ipsa digniùs quàm illi tractare potuisset Sacramentum altaris. Injustè etiam Ecclesia totum sexum fœmineum Sacramento Ordinis privasset.

Variæ etiam hujus divinæ institutionis afferri possunt congruentiæ. Prima, quam assignat Epiphanius loco citato, sumitur ex ipsa imperfectione sexûs muliebris: *Muliebre enim genus lubricum est, erroneumque, ac intellectu humili præditum*, & per illud Diabolus suum venenum universo generi humano propinavit. 17.

Secunda, Sacris Ordinibus annexum est munus publicè docendi: Sed ex sententia Apostoli 1. ad Corinth. 14. Turpe est mulierem loqui in B Ecclesia: Ergo etiam turpe esset eam sacrorum Ordinum munus exercere.

Tertia quam affert S. Thomas hìc quæst. 39. art. 1. Sacramentum Ordinis gradûs eminentiam significat: Sed in sexu fœmineo non potest eminentia aliqua gradûs significari, quia mulier statum subjectionis habet: Ergo mulier non potest Ordinis Sacramentum suscipere,

Aliam rationem assignat D. Bonaventura in 4. dist. 25. art. 2. quæst. 1. ubi ait quod in Sacramento Ordinis, persona quæ initiatur, significat Christum Mediatorem, cujus officio fungitur, juxta illud Apostoli 2. ad Corinth. 5. *Pro C Christo legatione fungimur*: At Mediator fuit tantùm vir: Igitur solus vir est hujus Sacramenti capax, cui hæc mystica significatio ex Christi institutione annexa est.

Addit Epiphanius loco citato, quod cùm nulla ab exordio mundi mulier legatur unquam sacrificium Deo obtulisse, sive inter fideles, sive inter infideles; & Deus in lege scripta ex solis viris Sacerdotes elegerit, & Levitas in ministerium altaris; lex Evangelica à fortiori id postulabat quoad suum Sacerdotium, & altaris ministerium.

Tria tamen in contrarium, tanquam fundamenta suæ hæresis, objiciebant Pepusiani, Primum, quòd tam in veteri quàm in novo testamento fœminæ fuerint Prophetissæ. Secundum, quòd in primitiva Ecclesia erant Subdiaconissæ, Diaconissæ, Presbyteræ, & Episcopæ. Tertium, quòd Apostolus ad Galat. 3. ait in Christo Jesu neque esse masculum neque fœminam. 18.

Verùm hæc frivola sunt, & facilè dilui possunt. Ad primum enim respondet S. Thomas art. citato ad 1. *quod prophetia non est Sacramentum, sed Dei donum, unde ibi non exigitur significatio, sed solùm res; & quia secundum rem, in his quæ sunt animæ, mulier non differt à viro, cùm quandoque mulier inveniatur melior, quantùm ad animum, multis viris; ideò donum prophetiæ, & alia hujusmodi potest recipere, sed non Ordinis Sacramentum.* 19.

Addo quod prophetia per se primò non dirigitur ad præeminendum aliis in Ecclesia (sicut Ordinis Sacramentum, qui ordinatum constituit in quadam præeminentia supra alios) sed solùm ad cognoscenda ea quæ sunt supra hominis statum; unde per se non dirigitur ad alios docendos, sed ad perficiendum seipsum; quare licèt donum Prophetiæ non repugnet sexui muliebri, Sacramentum tamen Ordinis mulieri videtur incongruum, cùm præeminentia & potestas in viros ipsi non conveniat. 20.

Ad secundum respondet idem S. Doctor ibidem in

in corp. articuli, *quod in decretis sit quidem mentio de Diaconissa & Presbytera, sed Diaconissa ibi dicitur, quæ in aliquo actu Diaconi participat, scilicet quæ legit homiliam in Ecclesia: Presbytera autem dicitur vidua, quia Presbyter idem est quod senior.* A

Aliâ quoque significatione, Presbyteræ olim dicebantur, quæ Presbyteris ante ordinationem sacram nupserant, & ab eis jam ordinatis, ex mutuo consensu, sponte fuerant separatæ, sed eorumdem curâ nutriendæ; sicut Episcopissæ vocabantur quarum maritus Episcopus factus fuerat; & similiter Diaconissæ, quarum maritus ad Diaconatûs ordinem assumptus erat, ut patet ex Concilio Altissiodorensi can. 21. ubi sic statuitur: *Non licet Presbytero in uno lecto, post acceptam be-* B *nedictionem, cum Presbytera sua dormire, neque in peccato carnali commisceri; neque Diacono, neque Subdiacono*; cum sua videlicet Diaconissa, vel Subdiaconissa, id est conjuge ante ordinationem ducta. Et in secunda Synodo Turonica sub Pelagio can. 20. excommunicantur Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, qui inventi fuerint cum sua Presbyterissa, Diaconissa, vel Subdiaconissa. Qua de re plura Pamelius annot. 72. in librum Tertulliani de exhortatione ad castitatem.

21. Ad tertium respondetur, Apostolum loco citato loqui de discrimine inter virum & mulierem, quoad meritum, non verò quoad officium.

Dico secundò, solos baptizatos esse capaces Sacramenti Ordinis, non verò Catechumenos. C

22. Hæc conclusio non minùs est certa quàm præcedens, cùm enim Baptismus sit janua aliorum Sacramentorum, ante ejus susceptionem, homo nullius Sacramenti est capax; unde Catechumenus contrahendo matrimonium, non recipit gratiam Sacramentalem quam hoc Sacramentum in baptizatis causat; cùm non sit capax matrimonij ut est Sacramentum, sed solùm ut est contractus naturalis & civilis.

23. Dices primò, Catechumenus per fidem conjungitur Christo, & efficitur ejus membrum: Ergo redditur capax meritorum Christi, quæ per Sacramenta, ut per instrumenta passionis Christi, nobis communicantur. D

Respondeo per solam fidem Catechumenum non fieri perfectè membrum Christi, nam hoc fit per unionem visibilem cum Ecclesia visibili, sed inchoativè tantùm, subindeque nondum esse capacem eorum donorum, quæ Christus per Sacramenta à se instituta, voluit fidelibus, suæ Ecclesiæ actu visibiliter unitis, communicari.

24. Dices secundò: Lectores olim in Ecclesia Alexandrina indifferenter ex fidelibus & Catechumenis assumebantur, ut scribit Socrates lib. 5. tripartitæ Historiæ cap. 22. Sed Lectoratus est unus ex quatuor Minoribus Ordinibus: Ergo Catechumeni sunt capaces Sacramenti Ordinis.

Respondeo Socratem loco citato tantùm significare voluisse, quod Ecclesia Alexandrina soleret assumere, non ad Ordinem, sed ad actionem Lectoris, & Psalmistæ, sive Catechumenos, sive baptizatos; cùm tamen omnes aliæ Ecclesiæ, non nisi baptizatos assumerent.

25. Dico tertiò, infantes esse capaces Sacramenti Ordinis. Ita communiter Theologi cum D. Thoma hìc quæst. 39. art. 2. contra Dutandum in 4. dist. 25. quæst. 2. ubi affirmat rem valdè dubiam esse, an pueri ante usum rationis validè possint ordinari. In cujus sententiam inclinare videtur

Petrus Soto lib. de inst. Sacerdot. lect. 5. de Sacramento Ordinis §. *Secundò etiam.* A

Hanc conclusionem probat D. Thomas art. citato tripliciter: Nam in argumento *Sed contra*, probat illam primò ex cap. unico *De Clero per saltum promoto*, ubi consultus Innocentius III. ab Episcopo Bononiensi, quid fiat ei qui Sacerdotium, Diaconatu prætermisso, accepit, Minoribus Ordinibus infra annos discretionis susceptis? Respondet, conferendum esse Diaconatum, nullâ mentione factâ de Subdiaconatu, & Minoribus Ordinibus, infra annos discretionis susceptis; quia nimirum judicavit, eos fuisse validè collatos, alioquin jussisset cum Diaconatu repeti.

Secundò eam probat, quia alia Sacramenta in B 26. quibus character imprimitur, possunt pueri suscipere, videlicet Baptismum & Confirmationem: Ergo pari ratione & Ordines.

Nec valet si dicas, esse specialem rationem pro Sacramento Ordinis, cùm enim in ejus forma dicatur: *Accipe potestatem*, requiritur acceptatio rei quæ traditur, subindeque consensus, cujus parvulus incapax est. Non valet, inquam, Tum quia simili modo dicitur infanti quando baptizatur solemniter, *Accipe sal sapientiæ. Accipe signum crucis Domini nostri Jesu Christi*: Tum etiam, quia potestas illa quæ per Sacramentum Ordinis datur, non traditur per modum contractûs, donationis, aut pacti, ad quod requiratur C acceptatio, sed per modum efficacis operationis, respectu cujus recipiens merè passivè se habet; eodem modo quo per baptismum confertur gratia & potestas participandi bonis communibus Ecclesiæ, recipiendique alia Sacramenta. Unde si infans ordinaretur ab Episcopo, per hæc verba, *Accipe potestatem*, non invitaretur ad eam recipiendam moraliter & rationabiliter, sed significaretur potestas dantis, & vera traditio. Neque in Scriptura inusitatum est, simili modo loquendi significari aliquem effectum erga res etiam inanimatas, quæ in illum consentire nequeunt; ut quando Josue cap. 10. dixit ad sistendum Solem: *Sta Sol, & Luna super Gabaon ne movearis*; & D cùm Christus Matth. 21. dixit ad ficulneam: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.*

Tertiò D. Thomas in corpore ejusdem articuli 27. probat nostram conclusionem, hoc discursu: Sacramenta quæ non in actu sed in potestate consistunt, conferri possunt ante ullum susceptientis actum; ideò enim Baptismus & Confirmatio possunt conferri sine actu parvuli baptizandi & confirmandi, quia consistunt in potestate. Contra verò ideò Pœnitentia & Matrimonium nequeunt sine actu pœnitentis & contrahentis conferri, quia consistunt in actu, seu quia de illorum essentia est aliquis actus, ut contritio, & confessio in Sacramento pœnitentiæ, & consen- E sus in Matrimonio: Atqui Sacramentum Ordinis, non in actu, sed in potestate consistit, ut ex ejus definitione constat, neque de illius essentia est aliquis actus, putà acceptatio potestatis quæ per illud traditur, ut patet ex suprà dictis: Ergo conferri potest ante ullum susceptientis actum, subindeque parvulo, licèt sit incapax consensûs. Idem dicendum de amente, quia de illo par ac de infantibus est ratio, cùm sit perpetuò infans & parvulus sensu.

Motiva Durandi in contrarium levissima sunt, 28. & ad duo præcipua capita reducuntur: Ait enim in primis, absurdum videri quod parvulus carens

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnino usu rationis, possit dici & esse Sacerdos vel Episcopus; aliàs enim erit etiam capax papalis potestatis, & poterit similiter dici & esse Summus Pontifex. A

29. Deinde sic arguit: Ad receptionem cujuslibet Sacramenti requiritur propria intentio suscipientis, si sit adultus; vel interpretativa, si sit parvulus, qualis est intentio parentum in Baptismate suorum parvulorum: Sed in parvulo, si ordinetur de facto, non potest esse propria voluntas suscipiendi Ordinem, cùm non habeat usum rationis; nec interpretativa, cùm enim Sacramentum Ordinis non sit, sicut Baptismus, de necessitate salutis, voluntas parentum non est, quoad ejus susceptionem, voluntas filiorum interpretativè: Ergo parvulus est incapax reci- B piendi Sacramentum Ordinis.

30. Ad primum, nego Antecedens, nullum quippè est absurdum, infantem Presbyterum denominari, cùm hæc denominatio non fiat ab actu, sed à potestate, per externum symbolum infanti collata; sicut dicitur rationalis, licèt nullum rationis actum exercere possit, & fidelis ab habitu fidei per Sacramentum Baptismi sibi infuso.

31. Quantùm verò ad Episcopatum dico, duo esse in illo distinguenda, nimirum extensionem physicam characteris Sacerdotalis, & potestatem jurisdictionis, sive curam pastoralem animarum, & matrimonium spirituale cum Ecclesia, cujus C gubernationem suscipit; primumque posse conferri infanti, non verò secundum; quia istud consensum & libertatem necessariò præsupponit, non verò illud. Quo sensu intelligendus est D. Thomas, dum articulo suprà citato ait esse de necessitate consecrationis Episcopalis, quod consecrandus usum rationis habeat; loquitur enim ibi de potestate jurisdictionis, non verò de extensione characteris.

32. Quantùm ad dignitatem & potestatem papalem, nego infantem esse illius capacem; quia de facto Deus non confert hanc potestatem, nisi personæ quam Ecclesia ut idoneam ad hoc munus elegerit: repugnat autem quod Ecclesia, à Spiritu Sancto directa, eligere possit infantem; & D si per impossibile ipsum eligeret, talis electio, utpote legi ac juri naturali repugnans, esset nulla. Addo quod potestas papalis, quæ est omnium suprema, est potestas mystici capitis jugiter influentis in membra totius Ecclesiæ, per directionem & gubernationem, & dogmatum fidei propositionem: repugnat autem quod infans influat per modum mystici capitis in membra Ecclesiæ, cùm hic influxus debeat mediâ regulâ rationis, quâ infans caret, in membra derivari.

33. Ad secundum, nego Majorem, falsum enim est, parvulis ad recipienda Sacramenta quorum sunt capaces, ut Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam, necessariam esse intentionem, E sive ipsorummet, sive parentum, aut Ecclesiæ pro ipsis consentientis, & cujus voluntas sit interpretativè voluntas ipsorum parvulorum: Neque enim Baptismus v. g. illis applicatus, ideò validus est, quia Ecclesia vel parentes consentiunt ipsorum nomine; sed quia institutio Christi, nihil aliud requirit ad ipsius valorem respectu parvulorum, nisi ut ipsis applicetur materia & forma Baptismi, cum intentione debita; unde puer validè baptizaretur, tametsi parentes reniterentur. Idem cum proportione dicendum de Sacramento Ordinis, nam renitentibus etiam ipsis parentibus, illud validè ab infante reciperetur, si Episcopus debitam materiam & formam ipsi applicaret. Non teneretur tamen talis parvulus, cùm ad annos discretionis pervenisset, in Ordine sibi in infantia collato perseverare, sed posset illi renuntiare, & matrimonium contrahere; cùm non potuerit Ecclesia illum ad votum continentiæ obligare, independenter ab ejus voluntate.

ARTICULUS III.

An cœlibatus lege divinâ, vel tantùm Ecclesiasticâ, sacris Ordinibus sit annexus, talisque lex justa & conveniens sit, & à temporibus Apostolorum in Ecclesia viguerit?

PRo intelligentia & resolutione hujus difficultatis, notandum est, legem cœlibatûs ad duo obligare; primùm est, ut omnis conjugatus qui sacris Ordinibus initiatur, perpetuam servet continentiam; secundum, ut non conjugatus postquam aliquem ex sacris Ordinibus suscepit, uxorem non ducat. Quæritur ergo primò, an lege Divinâ, vel solùm Ecclesiasticâ, cœlibatus quoad hæc duo annexus sit sacris Ordinibus? Secundò, an supposito quod talis lex sit purè Ecclesiastica, recte & convenienter ab Ecclesia constituta fuerit, & quo tempore? 34.

Quoad primum Franciscus Turrianus lib. 2. de dogmaticis characteribus, contendit jure & præcepto divino obligari eos qui post contractum matrimonium susceperunt sacros Ordines, non uti ampliùs conjugio; multóque magis teneri eodem jure divino non contrahere matrimonium, post sacrum Ordinem susceptum. Joannes verò Major, Michaël Medina, & Clictoveus, Doctor Parisiensis, negant quidem Clericos ante sacros Ordines conjugatos, teneri post eorum susceptionem jure divino ad continentiam servandam, sed affirmant divinâ lege vetitum esse sacris hominibus post Ordines matrimonium contrahere. 35.

Quantùm ad secundum, Græci Schismatici Ecclesiam Latinam reprehendunt, quòd ordinatos post conjugium jubeat ab uxoribus separari, & ampliùs non vacare conjugio. Hæretici verò hujus temporis in eo quidem cum Græcis Schismaticis conveniunt; sed ulteriùs addunt, malè & injustè ab Ecclesia statutum fuisse, ut illi ipsi qui jam sacris Ordinibus initiati sunt, non possint contrahere matrimonium, talemque legem dicunt repugnare antiquis Conciliis, & à solo Papa fuisse sancitam; imò non nisi à quadringentis annis in Germania introductam. 36.

§. I.

Prima pars quæsiti duplici conclusione resolvitur.

DIco primò, conjugalis usus cum uxoribus ante sacram ordinationem ductis, non est prohibitus sacris hominibus, jure divino, sed tantùm Ecclesiastico. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 11. in corp. ubi hæc scribit: *Non est essentialiter annexum debitum continentiæ Ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ; unde videtur quod per Ecclesiam possit dispensari in voto continentiæ, solemnizato per susceptionem sacri Ordinis.* Quibus verbis rationem fundamentalem nostræ conclusionis 37.

conclusionis insinuat: Ecclesia enim non potest A dispensare in his quæ sunt de jure divino, imò nec tolerare aliquid lege divinâ prohibitum: Sed Ecclesia dispensat cum Græcis, & permittit, ut susceptis Ordinibus Majoribus, maneant in usu matrimonij antea contracti, vel saltem talem Græcorum consuetudinem tolerat, nec damnat ut legi divinæ adversam: Ergo conjugalis usus cum uxoribus ante sacram ordinationem ductis, non est prohibitus sacris hominibus jure divino, sed tantùm Ecclesiastico. Major patet, Minor probatur ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 14. ubi contra incontinentiam Clericorum sic legitur: *Qui autem secundùm regionis suæ morem non abdicarunt copulam* (id est Græci Sacerdotes) *si lapsi fuerint, gravius puniantur, cùm legitimo matrimonio uti possint.* Et B in cap. *Cùm olim*, de Clericis conjugatis, idem Pontifex hæc scribit *Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit: quoniam Orientales in Minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur matrimonio contracto.* Ubi hic Græcorum mos à Pontifice non improbatur. Similiter neque in Concilio Lugdunensi, neque in Florentino, nullo modo Græcis objectum legimus, quod Sacerdotes eorum uterentur conjugio ante sacram ordinationem contracto, & continentiæ legem non servarent, sicut servatur in Latina Ecclesia: Ergo Ecclesia dispensat cum Sacerdotibus Græcis ut utantur conjugio ante sacram ordinationem C contracto, vel saltem talem usum & consuetudinem Græcorum non improbat, sed permittit; quam tamen tolerare non posset, si juri divino repugnaret.

38. Confirmatur primò: Gregorius Magnus lib. 1. Registri Epist. 42. permisit Subdiaconis Siciliæ uti uxoribus ante ordinationem ductis, quamvis in posterum tales ordinari vetuerit, nisi unà cum uxoribus continentiam promitterent: At hoc non permisisset, si jure divino prohibitum esse intellexisset: Ergo jure solùm Ecclesiastico tenentur illi qui Majoribus Ordinibus sunt initiati, non uti ampliùs matrimonio jam ante contracto.

39. Confirmatur secundò: Ecclesia multis canonibus statuit, ut votum continentiæ ab ordinandis D sacris Ordinibus exigeretur: At si jure divino annexa esset sacris Ordinibus continentia, non esset ex parte ordinandorum necessarium votum, aut lex Ecclesiæ, ad eam illos obligans: Ergo continentia jure tantùm Ecclesiastico Ordinibus sacris annexa est.

40. Confirmatur tertiò: Nullum extat præceptum divinum de hac re in Scriptura, vel Traditione, ut constabit ex solutionibus objectionum; neque ex lumine naturali colligi potest, quamvis enim ratio naturalis dictet, esse valde congruum quod sacri homines abstineant ab usu matrimonij, non E tamen dictat esse necessarium; aliàs peccassent Sacerdotes legis antiquæ, habendo uxores: Ergo usus conjugij sacris hominibus jure tantùm Ecclesiastico prohibitus est.

41. Dico secundò, similiter jure solùm Ecclesiastico prohibitum esse contrahere matrimonium iis omnibus, qui Majoribus Ordinibus initiati sunt. Est etiam D. Thomæ in 4. dist. 37. quæst. 1. art. 1. in corp. ubi hæc scribit: *Ordo sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia quod matrimonium impedire debeat, quia in sacris Ordinibus constituti, sacra vasa & Sacramenta tractant, & ideò decens est, ut munditiam corporalem per continentiam servent: Sed quod impediat matrimonium, non nisi ex constitutione Ecclesiæ habet; tamen aliter apud Latinos, quam apud Græcos; quia apud Græcos impedit matrimonium contrahendum, solum ex vi Ordinis; sed apud Latinos impedit ex vi Ordinis, & ulteriùs ex voto continentiæ, quod est ordinibus sacris annexum; quod etiam si quis verbo tenùs non emittat, ex hoc ipso quod Ordinem suscipit, secundùm ritum Occidentalis Ecclesiæ, intelligitur emisisse; & ideò apud Græcos & alios Orientales, sacer Ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen matrimonij prius contracti usum; possunt enim matrimonio prius contracto uti, quamvis non possint matrimonium de novo contrahere; sed apud Occidentalem Ecclesiam impedit matrimonium, & matrimonij usum.* Quibus verbis Sanctus Doctor hanc & præcedentem conclusionem aperte docet, & egregiè illustrat.

Ratio etiam suffragatur: Si enim matrimonium jure divino pugnaret cum sacris Ordinibus, non posset Pontifex dispensare, ut sacris Ordinibus initiatus, nuberet: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet, Pontifex enim non habet potestatem dispensandi in jure divino. Minor verò probatur, tum ex praxi Ecclesiæ, quæ pluries in hoc dispensavit, tum ex D. Thoma 2. 2. quæst. 88. art. 11. qui etsi id neget de religioso professo, concedit tamen de Presbytero. Nec valet si dicas, quod cùm Ecclesia dispensat ut sacris Ordinibus initiatus nubat, privat illum exercitio sui ministerij. Nam licèt Ecclesia regulariter id præstet, interdum tamen eos sacri Ordinis ministerio relinquit, ut constat ex Concilio Ancyrano, celebrato ante Nicænum, & approbato à Leone IV. in cujus canone 10. sic habetur: *Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa Ordinatione protestati sunt, & dixerunt, velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt, in ministerio maneant, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit.* 42.

Potest insuper suaderi ista conclusio, ex dictis in præcedenti; si enim usus matrimonij non sit jure divino prohibitus Clericis, sacris Ordinibus initiatis (ut constat exemplo Græcorum, qui licitè utuntur matrimonio ante sacram Ordinationem inito) multò minùs ipsum matrimonium; matrimonium enim non prohibetur sacris hominibus, ratione contractûs, qui bonus est & Sacramentalis, sed ratione usûs, qui solus videtur habere repugnantiam cum ministerio & statu sacrorum hominum. Unde Tridentinum sess. 24. can. 9. manifestè significat juris tantùm Ecclesiastici esse, quòd Majoribus Ordinibus initiati matrimonium contrahere nequeant, cùm sic ait: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Religiosos castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel voto, &c. anathema sit.* 43.

§. II.

Solvuntur objectiones.

COntra primam conclusionem plura congerit Turrianus Scripturæ & SS. Patrum testimonia, quæ ne apparenter quidem probant id quod intendit; unde miratur Vazquez, illis ipsum adduci potuisse in sententiam omnibus Theologis contrariam, dicitque ut eum excuset, 44.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nimio castitatis, cujus erat amantissimus, zelo accensum, existimasse id quod ardenter cupiebat, nimirum ex quolibet Scripturæ & Patrum testimonio id expresè colligi. Aliqua tamen proponit ex Patribus testimonia, quæ aliquid habent apparentiæ, ea præcipuè quæ ex Syricio Papa Epist. 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum cap. 7. ex Epiphanio hæresi 59. & ex Eusebio Cæsariensi lib. 1. de demonstratione Evanlica cap. 9. adducit: Verba Syricij hæc sunt: *Dominus Iesus cùm suo nos illustrasset adventu, in Evangelio protestatur, quia legem venit implere, non solvere. Et ideò Ecclesiam, cujus sponsus est speciosus formâ, castitatis voluit splendore radiare, ut in die judicij, cùm rursus advenerit, sine macula & ruga eam posset, sicut per Apostolum suum instituit, reperire. Quarum sanctionum Sacerdotes omnes atque Levitæ, insolubili lege constringimur, ut à die ordinationis nostræ, sobrietati ac pudicitiæ, & cordâ nostrâ mancipemus & corpora.* Epiphanius verò loco citato sic habet: *Re vera non suscipit sancta Dei prædicatio, post Christi adventum, eos qui à nuptiis, mortuâ eorum uxore, secundis nuptiis conjuncti sunt &c. Sed & adhuc viventem & liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit in Diaconum, Presbyterum, Episcopum &c.* Demum Eusebius citatus ait, *Secundùm leges novi testamenti debere sacris initiatos ab uxoribus abstinere:* At leges novi testamenti, sunt leges Christi & Divinæ: Ergo jure divino sacris Ordinibus initiati tenentur abstinere ab usu conjugij.

45. Verùm hæc levia sunt, verba enim Syricij non plus probant, quàm continentiam ministrorum Ecclesiæ esse secundùm Christi voluntatem & beneplacitum, qui voluit Ecclesiam Evangelicam castitatis splendore radiare; & esse pariter ex institutione seu constitutione & præcepto Apostolico, lato secundùm Christi beneplacitum & intentionem, ut significant verba illa Syricij, *sicut per Apostolum suum instituit.* Epiphanius verò nomine *sanctæ Dei prædicationis*, intelligit prædicationem legis non Evangelicæ, sed Ecclesiasticæ, quam ideò vocavit hoc nomine, quia simul cum lege Evangelica, sive cum lege Dei ab Apostolis prædicata fuit. Similiter Eusebius, per *leges novi testamenti*, intellexit leges non à Christo latas, sed ab Ecclesia vel Apostolis traditas in novo testamento. Quas interpretationes legitimas esse, & ad mentem illorum, colligitur manifestè ex eo quod eodem modo loquantur de lege prohibente personis sacris usum conjugij, ac de lege arcente bigamos à Sacerdotio, ut constat ex verbis istis Epiphanij suprà relatis: *Non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi adventum eos qui mortuâ eorum uxore secundis nuptiis conjuncti sunt:* At lex quæ bigamos non admittit ad Sacerdotium, est pure Ecclesiastica, ut docent communiter Theologi, & articulo sequenti ostendemus: Ergo illi censent legem prohibentem personis sacris usum conjugij, non esse divinam, sed purè Ecclesiasticam.

46. Plura etiam contra primam conclusionem proponit Turrianus argumenta, inter quæ istud præcipuum est: Sacerdotes & Levitæ veteris testamenti, jure divino prohibebantur ab uxoribus abstinere tempore suæ vicis: Ergo à fortiori Sacerdotes & Levitæ novi testmenti jure divino tenentur totâ vitâ continentiam servare. Nam ideò illi jure divino tenebantur tempore suæ vicis continentiam servare, quia eo tempore divina mysteria tractabant, quæ hanc animi & corporis puritatem exigebant: At Sacerdotes & Levitæ novi testamenti, toto vitæ tempore tractant divina mysteria: Igitur toto suæ vitæ tempore, jure divino tenentur continentiam servare.

Confirmatur: Lex divina prohibens Sacerdotibus & Levitis veteris testamenti ab uxoribus tempore suæ vicis abstinere, non fuit cæremonialis, aut judicialis, sed moralis, fundata in virtute religionis & sanctitate, quam sacrosancta mysteria in ministro prærequirunt: Ergo non cessavit in lege Evangelica.

Ad objectionem, concesso Antecedente, 47.
nego Consequentiam, nam de Sacerdotibus & Levitis veteris testamenti, habemus plura Scripturæ loca, quibus Deus jubet eos ab usu matrimonij abstinere, tempore suæ vicis; de Sacerdotibus autem & levitis novi testamenti, nullum legitur in Scriptura testimonium, quo idem eis præcipiatur; imò plures in oppositum sunt Conciliorum & Patrum authoritates suprà adductæ. Nec refert quod Dei præceptum respectu Sacerdotum & Levitarum veteris testamenti sit morale & fundatum in ipsa virtute religionis, & puritate quam in ministris sacrosancta mysteria requirunt; nam hæc solùm convenientiam & congruitatem, non necessitatem indicant; cùm nullam ex natura sua indecentiam, cultui divino repugnantem, usus matrimonij habeat; & quamvis aliquam haberet, ex hoc solùm posset colligi, teneri jure divino sacros homines ab usu conjugij abstinere eo tempore quo sunt altari ministraturi; quo etiam tempore Græci, exemplo Sacerdotum & Levitarum veteris testamenti, ab uxoribus abstinent. Per quod patet ad Confirmationem.

Contra secundam conclusionem objicit primò Michaël Medina: Concilia & Patres aiunt, carnalia conjugia esse sacris hominibus prohibita, quia sunt personæ Deo consecratæ, non minùs quàm vasa sancto chrismate delibuta: Ergo sicut ex natura ipsa benedictionis sive consecrationis calicis provenit, quod ad alios usus deservire nequeat; ita & ex ipsa Ordinum sacrorum natura, sive institutione, non verò præcisè ex prohibitione Ecclesiæ provenit, quod sacris Ordinibus initiatis non liceat matrimonia contrahere. 48.

Secundò, Longè gravior pœna olim imponebatur iis qui post susceptos sacros Ordines celebrabant matrimonia, quàm qui antea contracto utebantur; quod signum est, majus esse peccatum, Sacerdotem post susceptionem Ordinis matrimonium contrahere, quàm contracto ante sacerdotium, uti in ipso sacerdotio; & consequenter istud quidem esse tantùm contra legem Ecclesiasticam, sed illud adversari legi divinæ. 49.

Confirmatur: Prior transgressio puniebatur excommunicatione, quæ antiquis sæculis, non nisi in violatores divini juris vibrabatur.

Tertiò, Græcis etsi indultum sit, ut possint uti matrimonio ante sacram Ordinationem contracto, nunquam tamen cum illis dispensatum est, ut post susceptos sacros Ordines possint uxores ducere. Quod non leve signum est, in hoc Ecclesiam dispensare non posse, subindeque esse altioris juris quàm humani.

Ad primum, nego suppositum consequentis, 50.
nimirum

nimirum quod præceptum prohibens usum prophanum calicis consecrati, sit divinum, est enim tantùm Ecclesiasticum, sicut ipsa calicis consecratio; unde sicut Ecclesia potest urgente aliquâ necessitate dispensare, ut vasa Deo consecrata, ad prophanos usus applicentur; ita & cum sacro homine ad contrahendum matrimonium.

51. Ad secundum respondeo majus esse peccatum eorum qui post Ordines susceptos matrimonium contrahunt, & eo sic contracto utuntur, quàm sit peccatum illorum qui ante susceptionem Ordinum conjugati, his susceptis, à conjuge non abstinent, licèt neutrum sit jure divino prohibitum, sed tantùm Ecclesiastico; ac proinde mirum non esse, quod major pœna ab Ecclesia statuta fuerit pro peccato illorum, quàm pro peccato istorum.

52. Ad confirmationem dico, propter transgressionem legis Ecclesiasticæ, pœnas etiam depositionis, excommunicationis, & alias ejusmodi, esse statutas ab ipsa Ecclesia, ut ex ejus canonibus constat.

53. Ad tertium respondetur, quod licèt præceptum de non contrahendo post sacros Ordines matrimonio, sit tantùm Ecclesiasticum, sicut & præceptum de non utendo matrimonio ante sacros Ordines contracto; Ecclesia tamen Spiritu Sancto ducta, prudenter judicavit & voluit, in favorem matrimonij jus suum possidentis, cum Græcis dispensare in usu matrimonij antea contracti, non autem in matrimonio contrahendo.

§. III.

Alia difficultas expeditur, & legem cœlibatûs rectissimam & utilissimam esse, & à temporibus Apostolorum in Ecclesia viguisse, contra hæreticos ostenditur.

DIco tertiò, rectè & justè ab Ecclesia statutum fuit, ut sacris Ordinibus initiati continentiam servarent.

54. Probatur primò argumento à minori ad majus: Olim in antiqua lege, qui res multò minùs sanctas, quàm sit ministerium sacrum novi testamenti, tractaturi erant, jubebantur ab uxoribus abstinere, nam Exodi 19. cùm legem Israëlitæ accepturi essent, prohibiti sunt ne suis uxoribus appropinquarent. Et 1. Regum 21. David & comites non fuerunt admissi ad panes propositionis, nisi protestarentur se à mulieribus continuisse. Ex quo D. Hieronymus in cap. 1. ad Titum rectè colligit, perpetuam debere servare continentiam nostros Sacerdotes, qui corpus Christi, illis panibus significatum, jugiter conficerant, edunt, & ministrant, ac filium Virginis, & Virginum sponsum, atque omnis puritatis fontem, quotidie manibus attrectant. Similia habet lib. 1. contra Jovinianum num. 21. ubi expendens verba illa Abimelec Sacerdotis, Davidem sic interrogantis, *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?* Subdit: *Panes enim propositionis, quasi corpus Christi, de uxorum cubilibus consurgentes, edere non poterant.* Item Exodi 12. qui comesturi erant agnum paschalem, jubebantur *renes accingere*, id est voluptates carnis edomare, ut exponit D. Gregorius homil. 22. in Evangelia. Demum Sacerdotes per vices ministrantes in tabernaculo, toto tempore vicis suæ, à domo & ab uxoribus abesse debebant, ut colligitur ex 1. Paralip. 24. & ex Lucæ 1. Ergo justum & conveniens est, ut Sacerdotes nostri, perpetuò vacantes sacro ministerio, perpetuam servent continentiam, ut rectè arguit Innocentius I. Epist. 9. ad Victricium Rothomagensem Episcopum: *Quod dignum (inquit) & pudicum & honestum est, tenere Ecclesia omnino debet, ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus suis non coëant, quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur: Scriptum est enim, sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Nam si priscis temporibus de templo Dei Sacerdotes anno vicis suæ non discedebant: quantò magis hi Sacerdotes vel Levitæ pudicitiam ex vi ordinationis suæ servare debent; nec præterit dies, quâ vel à sacrificiis divinis, vel à Baptismatis officio vacent.*

Admittit Calvinus lib. 4. instit. cap. 12. num. 25. hanc continentiæ legem in Sacerdotibus & Leviticis Mosaïcæ legis, negat in Evangelicis; quia illi (inquit) Christum repræsentabant, qui mediator Dei & hominum perfectissimâ suâ puritate reconciliaturus Patrem nobis erat: hanc autem personam quia non repræsentant Evangelici Ministri, falsò cum illis comparantur. 55.

Sed hæc frivola prorsus ac futilia sunt, Tum quia non solùm ob Christi repræsentationem, sed etiam, imò magis, propter sanctitatem sui ministerij, ut nimirum purius eo fungerentur, debebant Sacerdotes legis Mosaïcæ, tempore sui ministerij, sese ab uxoribus continere. Tum etiam, quia falsum est, Sacerdotes novi testamenti non repræsentare Christum, eum enim, non quidem ut futurum, sed ut præsentem significant; imò non solùm Christi personam repræsentant, sed ipsius vice funguntur 2. ad Corinth. 5. *Pro Christo legatione fungimur*, ejusque personam in sacrificando sustinent, dicentes in ejus nomine, *Hoc est corpus meum.* Major ergo in Sacerdotibus Evangelicis requiritur animi & corporis puritas, quàm in antiquis Sacerdotibus & Levitis, qui personam Christi imperfectè adumbrabant, nec erant ipsius Legati & Vicarij, sicut Sacerdotes novæ legis, sed ejus duntaxat umbræ & figuræ. 56.

Probatur secundò conclusio: Consuetudo conjugalis impedimento est ne sacri Ministri rectè officio suo fungantur: Ergo rectè & justè ab Ecclesia statutum fuit, ut illi continentiam servarent, ac cœlibem vitam ducerent. Consequentia patet, Antecedens probatur. Ad officium sacrorum ministrorum duo præcipuè pertinent, nempè sacrificare, orationi ac contemplationi vacare: At consuetudo conjugalis his duobus actibus non mediocriter obstat; primo quidem, nam cùm sacrificium altaris augustissimum & sanctissimum sit, decet ut qui illud offerunt, insigni quadam puritate atque sanctitate mentis & corporis polleant; alteri verò, quia actus conjugalis mentis aciem hebetat, & ab oratione & rerum divinarum contemplatione animum avertit ac distrahit. Unde Theophrastus (teste D. Hieronymo) dicebat, non expedire sapienti nubere. Et Apostolus 1. ad Corinth. 7. suadet idcircò conjugibus continentiam ad tempus, ut meliùs vacent orationi. Cùm ergo Sacerdotes Evangelici debeant semper orationibus & sacrificiis offerendis incumbere, semper debent à conjugio abstinere. 57. *Lib. 1. contra Iovinia.*

Dico quartò, legem de cœlibatu sacrorum ministrorum, antiquissimam esse, & ab ipsis Apostolis inductam & constitutam.

Probatur primò ex verbis illis Apostoli ad Titum 1. *Oportet Episcopum continentem esse:* notat autem Bellarminus, Apostolum non fuisse 58.

Universidad de Deusto
Biblioteca

usum nomine *Castum*, quod etiam conjugatis, legitimis suis uxoribus utentibus, convenit, sed nomine *continentem*, quod importat abstinentiam etiam à conjugali amplexu, ut Hieronymus ibi exponit dicens: *Continentem addidit, nempè ab uxoris etiam amplexibus.*

59. Probatur secundò ex Epistola 2. Clementis ad Jacobum fratrem Domini, in qua inter alia monita à B. Petro sibi data, hoc recensetur: *Ut ad Dominica Mysteria tales eligantur, qui ante ordinationem suam, conjuges suas noverint.*) mendosè legitur, *non noverint.*) *Quod si post ordinationem Ministro altaris contigerit, proprium invadere cubile uxoris, sacrarij non intret limina, nec sacrificij portitor fiat, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici Corporis portationem accedat, nec aquam Sacerdotibus porrigat ad manus.* Quamvis autem non sit certum, hanc Epistolam esse Clementis, tamen antiqua est, & in hac parte usu totius Ecclesiæ probata, ut ex testimoniis omnium ferè antiquorum Conciliorum & Patrum ostendit Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 19.

60. Probatur tertiò ex Concilio Carthaginensi secundo can. 2. ubi sic dicitur: *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes, etiam ab uxoribus se abstineant; ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodimus.* Unde Soto lib. 7. de justitia, hæc Aratoris, Ecclesiæ in Pontificibus suis pudicitiam commendantis, carmina refert:

Ecclesiæ nunc alma fides, sine fine pudicos,
Pontifices jubet esse suos, &c.

Cui etiam quadrat illud Hieronymi lib. 1. contra Vigilantium: *Quid facient Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, aut Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerunt, desinunt esse mariti*, nempè quoad usum conjugalem. Arguit contra Vigilantium hæreticum, qui virginitatem & pudicitiam ab Ecclesia Christi ablegandam esse contendebat.

61. Ad pleniorem hujus conclusionis intelligentiam, quædam breviter hic observanda sunt. Primum est, Subdiaconatum non habuisse semper annexam obligationem continentiæ, & votum servandæ castitatis, quia in primitiva Ecclesia inter Ordines sacros non computabatur, ut docet Innocentius III. cap. *A multis*, de ætate & qualitate ordinandorum, ubi refert tempore Urbani II. Subdiaconatum non fuisse inter Ordines sacros connumeratum, quod Decretum tanquam Urbani II. refertur can. *Nullus in Episc.* dist. 60. ubi Pontifex: *Sacros* (inquit) *ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum: hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia.* Fuisse autem illi continentiæ votum annexum tempore Gregorij Magni, constat ex can. *Ante triennium*, dist. 31. in quo mandat Pontifex, ut Subdiaconi Ecclesiarum Siciliæ, more Romanæ Ecclesiæ, continentiam servent. Quod priùs statutum fuerat in Concilio Eliberitano can. 33. ubi sic dicitur: *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, abstinere se à conjugibus suis.*

62. Secundò notandum est, quod licèt ab initio Diaconis, Presbyteris, & Episcopis prohibitum fuerit matrimonium contrahere, non fuit tamen propterea matrimonium ab illis contractum ab initio irritum, sicut nunc est jure Ecclesiastico, ut colligitur ex canone 16. Concilij Ancyrani, ubi solùm dicitur, Diaconos, qui professi continentiam in ordinatione, postea matrimonium duxerint, debere à ministerio cessare, non autem debere ab uxoribus separari, eisque permittitur communio laïca: At si tale matrimonium fuisset invalidum, debuissent ab uxoribus, sive potiùs à concubinis separari; nec ipsis in tali matrimonio seu potiùs concubinatu manentibus, permitti potuisset communio laïca: Ergo tale matrimonium tunc non erat jure Ecclesiastico irritum, sicut modò. De quo fusè Basilius Pontius lib. 7. de matrimonio cap. 27.

63. Tertiò sciendum est, viduas quæ tempore Apostolorum eligebantur, ut velut Diaconissæ ministrarent Ecclesiæ, fuisse obstrictas voto castitatis, ut colligitur ex Apostolo 1. ad Timoth. 5. ubi præcipit non eligi juniores; quia *cum luxuriatæ fuerint in Christo* (id est cùm bonis Ecclesiæ ad proprium usum abutentes, lautiùs se nutriverint, & quod facilè ex eo sequitur, ad lasciviam stimulos sentire cœperint) *nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, id est promissionem Deo factam de servanda continentia violarunt. Unde Augustinus in Psalm. 75. ad illum versum, *Vovete & reddite Domino Deo vestro*, hæc scribit: *Quisque quod vovere voluerit voveat; sed illud attendat, ut quod voverit reddat, &c. Quid autem ait* (Apostolus) *de quibusdam qua voverunt & non reddiderunt? Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid est primam fidem irritam fecerunt? Voverunt, & non reddiderunt.*

64. Demum observandum est, legem de servanda continentia à sacris hominibus, fuisse in Ecclesia Latina continuò servatam, ut nunquam ab ea deviare licitum fuerit, secùs in Græca, in qua talis lex fuit abrogata, & permissum est ministris altaris, cum propriis uxoribus consuetudinem habere. Quando verò lex illa in Ecclesia Græca abrogari cæperit, & licitus esse uxorius usus iis qui ante sacram ordinationem matrimonio copulati erant, dubium & incertum est. Alij qui putant, eam primò fuisse abrogatam in Concilio Ancyrano, celebrato ante Nicænum, & approbato à Leone IV. idque colligunt ex quadam historia quam refert Socrates lib. 1. cap. 8. quod volentibus Nicæni Concilij Patribus statuere ut sacris initiati abstinerent ab uxoribus quas ante ordinationem duxerant, quidam Monachus, nomine Paphnutius, qui huic Concilio intererat, se opposuit ne talis lex ferretur; idque à Patribus obtinuit. Verùm hoc valde incertum est, tum quia historia illa à multis rejicitur ut apocrypha; tum etiam quia D. Epiphanius, qui post Concilium Nicænum floruit, hæresi 59. sic ait: *Ecclesia adhuc viventem & liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit, sed eum qui se ab unica continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, Episcopum, & Presbyterum, & Hypodiaconum suscipit, maximè ubi sinceri sunt canones Ecclesiastici.* Et mox subjungit: *At dices mihi, in aliquibus locis liberos gignere Presbyteros, Diaconos, & Hypodiaconos. At non est* (inquit) *juxta canonem, sed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit.* Item Hieronymus suprà relatus testatur, quod suo tempore Orientalis Ecclesia, aut Virgines Clericos accipiebat, aut continentes, vel si uxores habuissent, mariti (quoad actum conjugalem) esse desistebant. Sed quidquid sit de hoc certum est, tempore sextæ Synodi,

nodi, incœptæ sub Agathone, & absolutæ sub Leone II. anno 683. in Ecclesia Græca licitum fuisse conjugalem usum iis qui ante sacram ordinationem uxores duxissent, ut constat ex canone 13. in quo sic dicitur: *Quoniam Romana Ecclesiæ pro canone traditum esse cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum vel Presbyteratum, profiteantur se non amplius suis uxoribus conjungendos; nos antiquum canonem Apostolorum perfectionis ordinisque servantes, hominum qui sunt in sacris, legitima conjugia, deinceps quoque firma & stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutuâ, tempore convenienti, consuetudine privantes. Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur, se à legitima cum uxore consuetudine abstenturum.* Quem morem usque ad hæc tempora servant Græci, Romanâ Ecclesiâ permittente, & non nisi eo tempore quo sacris altaribus sunt accessuri, prohibentur uxoribus uti. Episcopi tamen Græci cum uxoribus quas ante sacram ordinationem duxerant non cohabitant, ut patet ex canone 12. ejusdem sextæ Synodi; imò nunc Græci ordinariè non eligunt in Episcopum, nisi vel Religionem professum, vel qui perpetuam castitatem servet, & uxorem non habeat, ut audivi à Patribus nostri Ordinis, qui diu in Græcia commorati fuerant, & Ecclesiæ Græcæ ritus & consuetudines apprimè noverant.

§. IV.

Solvuntur objectiones Hæreticorum.

65. Contra tertiam conclusionem, in qua diximus legem cœlibatûs ab Ecclesia statutam pro sacris ministris, rectissimam esse & sanctissimam, plura objiciunt Hæretici Scripturæ testimonia, ut persuadeant talem legem iniquam & pernicioſam esse. Apostolus enim (inquiunt) ait ad Hebræos 13. connubium esse honorabile in omnibus, adeóque in Sacerdotibus. Et 1. ad Timoth. 3. jubet Episcopum esse unius uxoris virum. Et cap. 4. ejusdem Epistolæ ait, novissimis temporibus aliquos introducturos doctrinam dæmoniorum, prohibentem nubere.

66. Sed hæc frivola sunt, Paulus enim primo loco hortatur fideles ut connubium suum reddant honorabile in omnibus, id est, omni ex parte, sive ex parte Sacramenti, sive ex parte fidei mutuò datæ & benè servatæ, sive ex parte prolis susceptæ & benè educatæ, quæ sunt tria bona Matrimonii. Unde ibidem addit immediatè: *Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus.* In secundo non requirit quod quis post sui consecrationem in Episcopum, habeat actu uxorem, sed ut ante suam ordinationem non habuerit nisi unam; ut declaret bigamos non esse ordinandos. Non aliud autem fuisse ejus intentum, patet ex eo quod cap. 5. ejusdem Epistolæ velit viduam in Diaconissam eligi unius viri uxorem: implicat autem quod vidua actu habeat virum. In tertio loquitur de Hæreticis damnantibus nuptias ut per se malas & illicitas simpliciter: cujusmodi fuerunt Manichæus, Marcion, & Tatianus. Nec obest quod Paulus ait, *Novissimis temporibus*: nam totum tempus Ecclesiæ Christianæ dicitur finis sæculorum, & novissima hora 1. ad Corinth. 10. & 1. Joan. 2.

67. Objiciunt secundò: Apostoli habuerunt uxores, easque secum duxerunt; unde dicebat Paulus 1. ad Corinth. 9. *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Ergo similiter Clerici uxores habere debent.

68. Huic objectioni respondeo in primis, ex Apostolis de solo Petro constare quod uxorem habuerit. Deinde ipsum & alios, si qui fuerint uxorati, omnino ab uxorum suarum consuetudine abstinuisse, ubi primùm Apostoli facti sunt, & Christo adjuncti, ut demonstrat D. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, ex illis verbis Petri, suo & aliorum nomine, Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Quod enim inter illa omnia quæ dicuntur reliquisse, comprehendantur conjuges, quoad thorum sive consuetudinem conjugalem, patet ex responsione Christi interpretantis quid sit relinquere omnia: *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, &c.* Illud verò Pauli: *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi?* non de uxoribus intelligi debet, sed de piis mulieribus quæ Apostolos sequebantur, & eis vel pecuniâ vel ministerio suo, in rebus necessariis opem ferebant.

69. Objiciunt tertiò: Matrimonium est juris naturalis, ut declarat insita propensio ad liberorum procreationem; & etiam divini, ut patet ex verbis illis Genes. 1. *Crescite & multiplicamini*: Ergo nulli potest ab Ecclesia prohiberi.

70. Respondeo primò, Matrimonium esse juris naturalis & divini permissivè (quia jure naturali divino omnibus licet, ac absolutè liberum est conjugium) at non præceptivè, respectu cujusliber particularis; alioquin Christus, B. Virgo, & S. Joannes Baptista, qui ab usu conjugij abstinuerunt, contra jus divinum & naturale peccassent. Unde præceptum illud Dei Genes. 1. *Crescite & multiplicamini*, non obligavit singulos homines, nisi eo tempore quo paucitas hominum exigebat, ut quilibet generationi vacaret: postquam verò terra satis jam hominibus repleta est, superest cœlum etiam implendum, quod rectiùs in statu continentiæ, quàm in statu conjugali fieri potest ab Ecclesiæ Ministris, quia ut bellè ait Ambrosius, & habetur capite *Nuptiæ* 32. quæst. 1. *Nuptiæ terram replent: Virginitas paradisum.* Unde Augustinus cap. 10. de bono conjugali, vehementer desiderat, ut omnes vellent continentiam servare, quia (inquit) multò citiùs Dei civitas adimpleretur.

71. Respondeo secundò, Ecclesiam nulli prohibere simpliciter nuptias, nec ulli invito legem continentiæ imponere; sed tantùm exigere veluti conditionem onerosam ab iis qui sacros Ordines volunt suscipere, ut continentiam profiteantur, propter dignitatem & reverentiam Ordinis & sacri ministerij: illis autem liberum est suscipere vel non suscipere sacros Ordines, & consequenter nubere, vel continentiam profiteri.

72. Objiciunt quartò: Sacerdotes & Levitæ veteris legis uxores ducebant, & ab usu conjugij solùm abstinebant, tempore vicis suæ, quando sacro ministerio incumbebant: Ergo similiter Sacerdotes & Levitæ novi testamenti debent inire connubia, & ab usu uxorum cessare iis solùm diebus quibus sacris altaribus debent accedere, ut in Ecclesia Græca observatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Respondeo, negando Consequentiam, ut enim sapienter ait Augustinus lib. de bono conjugali cap. 9. circa finem : *Primis temporibus generis humani, maximè propter Dei populum propagandum, per quem prophetaretur & nasceretur Princeps & Salvator omnium populorum, uti debuerunt sancti isto, non propter se expetendo, sed propter aliud necessario, bono nuptiarum. Nunc verò cùm ad ineundam sanctam & sinceram societatem undique ex omnibus gentibus copia spiritualis cognationis exuberet; etiam propter filios solos connubia copulare cupientes, ut ampliore continentiæ bono potius utantur, admonendi sunt.* Addit Ambrosij commentarius in cap. 3. Epist. 1. ad Timotheum : *Veteribus idcircò concessum esse Levitis & Sacerdotibus, uxores ad usum habere; quia multùm temporis otio vacabant à ministerio aut Sacerdotio.* E contra verò Sacerdotes & Levitæ novæ legis perpetuam debent servare continentiam; cùm non prætereat dies, quâ vel à Sacrificiis divinis, vel à Baptismatis officio, vel ab aliis sacris ministeriis vacent, ut ait Innocentius I. §. præcedenti relatus. Nec obstat consuetudo Græcorum, iis solùm diebus quibus ad sacra altaria debent accedere, ab usu conjugij abstinentium; quia Summi Pontifices, & Ecclesia Romana, majoris mali vitandi gratiâ, hoc eis permittunt.

73. Objiciunt quintò contra ultimam conclusionem : D. Clemens Epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini, inter alia monita à B. Petro sibi data, hoc recensèt, *ut ministri altaris ad Dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem conjuges suas noverint.* Et Isidorus lib. 2. de officiis cap. 2. tradens regulas Clericorum, inter cætera inquit : *Clerici castitatem corporis perpetuam servent, aut unius matrimonij vinculo fœderentur :* Ergo lex cœlibatûs, non viguit in primitiva Ecclesia, nec ab ipsis Apostolis constituta est.

Ad locum Epistolæ Clementis rectè respondet Sotus lib. 7. de justitia quæst. 6. art. 2. illa verba, *qui ante ordinationes conjuges suas noverint*, negativè accipienda esse; ut sit sensus, qui non post ordinationem conjuges suas cognoscant, quamvis anteà id potuerint. Alioqui si absolutè & affirmativè verba illa sumerentur, sensus esset, non debere nec posse unquam ordinari eos qui ante ordinationem non habuerint & cognoverint uxores : quod esset præceptum absurdum.

Ad Isidorum dico, illum eo loco de omnibus Clericis loqui in communi : unde quod dicit, *Aut unius matrimonij fœdere copulentur*, ad Clericos Ordinum Minorum referri debet. Quod autem ait, *castitatem corporis, &c.* ad Clericos Ordinum Majorum, quos perpetuam servare debere continentiam docet libro 2. cap. 5. 8. & 10.

ARTICULUS IV.

An & quo jure bigamus sit Ordinis incapax?

§. I.

Duplici conclusione difficultas resolvitur.

74. DICO primò, bigamum esse Ordinis incapacem. Ita communiter omnes Theologi & Canonistæ, & constat ex Apostolo 1. Timoth. 3. & ad Titum 1. asserente Episcopum (eademque est ratio de Sacerdote & Diacono, ac Subdiacono) debere esse unius uxoris virum. Quod etiam habetur can. 17. Apostolorum, cujus verba hæc sunt : *Si quis post baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviunt.*

75. Ratio est, quia bigamia duplicem habet disconvenientiam cum statu clericali : Prima est, quia Clericus debet ad castitatem verbo & exemplo inducere alios : *quomodo autem potest esse hortator viduitatis, qui ipse conjugia frequentaverit?* ut ait Ambrosius lib. 1. de officiis cap. ultimo. Quam rationem fusiùs expendit D. Thomas hic quæst. 66. art. 1. his verbis : *In illis qui accipiunt Sacramentum Ordinis maxima spiritualitas debet apparere; tum quia spiritualia ministrant, scilicet Sacramenta; tum quia spiritualia docent, & in spiritualibus occupari debent : unde cùm concupiscentia maximè spiritualitati repugnet, per quam totus homo caro efficitur, non debet aliquod signum concupiscentiæ permanentis in eis apparere, quod quidem apparet in bigamis, qui una uxore contenti esse noluerunt.* Secunda disconvenientia quam bigamia habet cum statu Clericali, consistit in eo quod Clericus per sacros Ordines desponsatur Ecclesiæ, per quam desponsationem exprimit conjunctionem Divini Verbi cum natura humana, & desponsationem Christi cum Ecclesia, quæ una est : nequit autem hanc bigamus repræsentare, quia bigamia tollit unitatem unius cum una, dividendo carnem in plures : defectu ergo hujus arcanæ significationis, bigamus est Ordinis incapax; unde bigamia sic definitur ab Innocentio III. cap. *Debitum*, de bigamis : *Bigamia est irregularitas, subjectum impediens, propter Sacramenti defectum, ad Ordines suscipiendos.*

76. Triplex verò à Theologis & Canonistis solet distingui bigamia, vera, interpretativa, & similitudinaria. Vera est, quæ consurgit ex duplici matrimonio legitimo, carnali copulâ consummato. Interpretativa, quæ contrahitur ex matrimonio cum non virgine; unde talem bigamiam incurrit, qui corruptam duxit, quam virginem putabat; quia cùm hæc bigamia sit propter defectum sacramentalis significationis, contrahitur etiam ab ignorante. Non incurritur autem, si vir ipse sit corruptus, dummodo uxorem virginem ducat. Cujus disparitatis hanc affert rationem S. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 3. art. 1. ad 3. quæstionem : Actus speciem non desumit ex termino à quo, sed ex termino ad quem : cùm igitur consensus maritalis viri sit actus tendens non in seipsum, sed in uxorem ut in terminum ad quem, ab ea suam speciem sortitur; proinde si uxor est corrupta, consensus viri ex ea, ut ex termino ad quem speciem corruptionis contrahit; secùs si uxor sit virgo, esto vir sit corruptus; quia viri consensus speciem non sumit ab ipso viro consentiente, sed ab uxore terminante. Ex quo infert S. Doctor, quod si mulier esset capax Ordinis, irregularitatem contraheret, si cum viro corrupto iniret matrimonium, non autem si ipsa corrupta cum viro virgine contraheret, nisi per aliud matrimonium fuisset corrupta.

77. Hæc ratio & doctrina, licèt egregia, displicet Bellarmino lib. 1. de Clericis cap. 24. quia (inquit) ex ea sequeretur, non fore bigamum qui secundam uxorem virginem duceret, cùm in hoc matrimonio nullum esset ex parte termini ad quem vitium, sed totus defectus esset ex parte viri. Sed hæc instantia frivola est, esto enim quod ille qui secundam uxorem virginem duceret, non esset bigamus bigamiâ interpretativâ, quæ contrahitur cùm quis uxorem non virginem ducit; esset tamen bigamus bigamiâ verâ & reali, quæ contrahitur ob solam uxorum & matrimoniorum pluralitatem.

78. Incurritur etiam bigamia interpretativa, quando maritus cognoscit uxorem suam, post adulterium ab illa commissum; vel quando quis contrahit duo matrimonia invalida; vel unum validum, & aliud invalidum, & utrumque consummat; licèt enim ille verè bigamus non sit, ob invaliditatem unius vel utriusque matrimonij, interbigamos tamen computatur, *non propter Sacramenti defectum, sed propter intentionis affectum*, ut ait Innocentius III. cap. *nuper de bigamis*, quantùm enim in ipso fuit, duas uxores habuit. Dixi, *& utrumque consummat*; si enim ille fœminas quas invalido matrimonio duxit, carnaliter non cognovit, interpretativam bigamiam non contrahit.

79. Bigamia demùm similitudinaria est, quando quis contraxit matrimonium post solemne votum castitatis, aut post Ordines sacros, & consummavit; in hoc enim est aliqua similitudo bigamiæ, fundata in duobus matrimoniis; altero spirituali cum Deo, altero carnali, licèt invalido, cum fœmina contracto, post votum solemne castitatis, aut Ordinis sacri susceptionem. Unde ista bigamia non contrahitur nisi ex delicto; imò vera nunquam contrahitur ex delicto, cùm semper contrahi debeat ex duplici matrimonio legitimè inito.

80. Dico secundò, bigamum non esse incapacem Ordinis jure divino, sed tantùm jure humano, ab Ecclesia inducto. Ita communiter Theologi & Canonistæ, contra glossam in cap. 2. *de Bigamis*, verbo *dispensare*, & Petrum Soto sect. 18. de matrimonio, paragrapho *Ex quibus*, & paragrapho *Restat jam*, affirmantes bigamum jure divino esse Ordinis incapacem.

81. Probatur primò conclusio : Summus Pontifex non potest in jure divino dispensare : At sæpè dispensavit cum bigamis, ut promoverentur ad Ordines; nam ut asserit glossa canone *Lector*, dist. 34. Martinus 1. cum bigamo, ut Subdiaconus fieret, dispensavit; & Lucius Papa alium bigamum, Archiepiscopum Panormitanum creavit : Ergo bigamus non est incapax Ordinis jure divino, sed tantùm Ecclesiastico.

82. Probatur secundò : Si ex aliquo Scripturæ testimonio posset deduci bigamos jure divino esse Ordinis incapaces, maximè ex illo Apostoli 1. ad Timoth. 3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, &c.* in quo præcipuè opposita sententia se fundat : At hic locus solùm probat, illud fuisse præceptum Apostoli; quæ autem authoritate Apostolicâ constituta sunt, non divini, sed humani solùm juris vim obtinent; ut patet ex Canonibus Apostolorum, qui de jure solùm humano & Ecclesiastico obligant; unde Summus Pontifex in illis dispensare potest, ut constat ex can. *finali*, dist. 82. ubi dicitur quòd licèt Presbyter fornicarius, *secundùm canones Apostolorum debeat deponi, tamen juxta authoritatem B. Papæ Sylvestri, si in vitio non perduraverit, poterit cum eo dispensari, debitâ injunctâ pœnitentiâ* : Ergo bigami non sunt incapaces Ordinis, jure divino, sed tantùm humano, ab Ecclesia inducto.

§. II.

Solvuntur objectiones.

85. CONtra primam conclusionem nullum est argumentum alicujus ponderis, sed contra secundam objicit primò Petrus à Soto : Cœlestinus III. cap. 3. *de bigamis*, & Martinus I. can. *Si quis viduam*, dist. 5. dicunt cum bigamis non esse dispensandum, ob præceptum Apostoli 1. ad Timoth. 3. dicentis Episcopum debere esse unius uxoris virum : Ergo censent tale præceptum juris divini obligationem inducere, cùm in jure humano possint dispensare Summi Pontifices.

84. Secundò objicit : Sacris initiatus, divino jure repræsentare debet conjunctionem Christi cum Ecclesia : At bigamus illam repræsentare nequit, cùm carnem suam in plures diviserit : Ergo divino jure est incapax Ordinis.

85. Tertiò objicit : Per Baptismum tolluntur omnes irregularitates & impedimenta ad Ordines suscipiendos, quæ sunt juris humani : Sed per Baptismum non tollitur irregularitas bigamiæ in statu infidelitatis contractæ, ut dicitur can. *Acutius* dist. 26. Ergo bigamia jure divino impedit & reddit incapacem ad Ordines suscipiendos.

86. Verùm hæc argumenta non adeò urgent, ut propter illa à communi sententia author ille recedere debuerit. Ad primum enim respondetur, prædictos Pontifices locis citatis solùm significare voluisse, irregularitatem bigamiæ fundari in præcepto Apostoli, subindeque ob reverentiam illi debitam, non esse in ea passim & sine urgenti causa dispensandum; non negare tamen quod Summi Pontifices in ea dispensare possint, ut patet ex facto ipsius Martini I. qui, ut suprà retulimus, cum bigamo, ut Subdiaconus fieret, dispensavit.

87. Ad secundum nego Majorem, licèt enim Christus matrimonium inter fideles evexerit ad significandam mysticam conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut cum unica sponsa, ut constat ex illo ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*; non tamen ad mysticam illam significationem Sacramentum Ordinis elevavit; unde significatio illa non est ei essentialis, sed merè accidentalis; ideóque licèt Ecclesia dispensare non possit, ut maritus habeat plures uxores, vel ut matrimonium dissolvatur, benè tamen ut bigamus Sacramentum Ordinis suscipiat; quamvis ob divisionem suæ carnis in plures, non sit aptus ad significandum & repræsentandum unionem Christi cum Ecclesia, quæ unica est; ille enim defectus significationis non reddit illum jure divino, sed tantùm humano, ab Ecclesia inducto, incapacem Sacramenti Ordinis.

88. Ad tertium dico, quod licèt per Baptismum tollantur omnes irregularitates quæ proveniunt ex delicto (imò illæ propriè non tollantur, quia non contrahuntur ab infideli, seu non baptizato, qui Ecclesiæ legibus non subjicitur) irregularitates tamen provenientes ex vitio corporis, vel ex defectu significationis, qualis est bigamia, non tolluntur per Baptismum. Quamvis olim acris fuerit de hoc inter Hieronymum & Augustinum controversia, affirmante illo Epist. 83. ad Oceanum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Oceanum, negante isto in libro de bono conjugali, cui consentit Ambrosius lib. 1. de officiis cap. ultimo, & D. Thomas hic quæst. 66. art. 4. ubi sic ait : *Baptismus solvit culpas, & non solvit conjugia, unde cum ex ipso conjugio sequatur irregularitas, per Baptismum tolli non potest, ut Augustinus dicit in libro de bono conjugali.*

DISPUTATIO IV.

De Episcopatu.

DE Episcopatu specialem disputationem instituimus, quia circa illum variæ occurrunt difficultates & controversiæ, articulis sequentibus discutiendæ & resolvendæ.

ARTICULUS PRIMUS.

An Episcopus jure divino sit Presbytero dignitate & potestate superior?

1. NEgavit olim Presbyter quidam nomine Aërius, apud Augustinum hæresi 53. & Epiphanium hæresi 75. ubi hæc illius verba refert : *Quid est Episcopus ad Presbyterum? Nihil differt hic ab illo. Unus est enim Ordo, & unus honor, & una dignitas. Imponit manus Episcopus : ita etiam Presbyter. Dispensationem cultus divini facit Episcopus : Presbyter similiter. Sedet Episcopus in throno. Sedet etiam Presbyter.* Idem (teste Vvaldensi tomo 1. de Sacram. lib. 2. cap. 60.) docuit Vvicleffus, dicens omnes Sacerdotes esse Episcopos, ac posse Sacramentum Ordinis ministrare, & plenam jurisdictionem habere in sua Parochia. Uterque autem ad hoc asserendum inductus fuisse narratur, partim odio & indignatione; partim etiam invidiâ conceptâ ex repulsa quam in ambiendo Episcopatu passi erant. Aërius enim contendens de Episcopatu cum Eustathio, fuerat illi postpositus. Vvicleffus autem ab Episcopatu Vigornienſi, quem ambibat, fuerat repulsus.

2. Eundem errorem amplexus est Calvinus lib. 4. instit. cap. 4. num. 2. ubi similiter negat Episcopatum esse gradum Presbyteratu superiorem à Christo institutum, his verbis : *Quibus ergo docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros. Illi ex suo numero in singulis civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi, ne ex æqualitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur. Neque tamen sic honore & dignitate superior erat Episcopus, ut dominium in Collegas haberet; sed quas partes habet Consul in Senatu, ut referat de negotiis, sententias roget; consulendo, monendo, hortando, aliis præeat; authoritate suâ totam actionem regat, & quod decretum communi consilio fuerit, exequatur; id muneris sustinebat Episcopus in Presbyterorum cœtu. Atque id ipsum pro temporum necessitate, fuisse humano consensu inductum, fatentur ipsi Veteres.* Hæc Calvinus : consequenter num. 3. docens, idem semper fuisse munus Episcopi & Presbyteri, nempè *Verbi & Sacramentorum dispensationi incumbere.* Ut hic error refellatur, & veritas catholica stabiliatur, sit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

DIco igitur, Episcopos jure divino dignitate & potestate esse Presbyteris superiores. 3.

Hæc veritas definitur in Concilio Constantiensi, in bulla Martini V. ubi omnes errores Joannis Vvjclef damnantur. Et in Tridentino sess. 23. cap. 4. ubi dicitur : *Sancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, à Spiritu Sancto, regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia plerasque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.* Et can. 7. sic definitur : *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem Confirmandi & Ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, &c. anathema sit.*

4. Eandem superioritatem Episcopi ad Presbyterum, quantùm ad dignitatem, & potestatem, passim agnoscunt SS. Patres : Dionysius enim cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ sic ait : *Pontificum Ordo primus, qui purgat, illuminat, & perficit : Sub illo autem Ordo Sacerdotum purgat, & illuminat, non verò perficit; Ministrorum verò tantùm purgat.* Quibus verbis majorem in Episcopis potestatem, & ad plura pertinentem, agnoscit, quàm in Sacerdotibus, & aliis Ecclesiæ Ministris, quos etiam illis inferiores esse affirmat. Ignatius Martyr in Epistola ad Tarsenses : *Presbyteri* (inquit) *Episcopo subditi estote, Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris, & Diaconis.* Et in Epistola ad Philadelphios : *Boni sunt Sacerdotes, sermonis Ministri; melior autem est Pontifex, cui tradita sunt sancta sanctorum, & cui soli sunt commissa secreta Dei.* Clemens Romanus in canonibus Apostolorum can. 40. *Presbyter & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent : nam Domini populus illi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem.* Demum Tertullianus lib. de Baptismo cap. 17. *Jus habet*, inquit, *dandi Baptismum Summus Sacerdos, qui est Episcopus, de hinc Presbyteri, & Diaconi; non tamen sine Episcopi authoritate.*

5. Eandem veritatem probat S. Thomas hic quæst. 40. art. 4. multipliciter. In primis enim in argumento *sed contra*, sic discurrit : Divina mysteria debent esse magis ordinata, quàm humana : Sed humanorum officiorum ordo exigit, ut in quolibet officio præponatur unus, qui sit princeps illius officij, sicut præponitur militibus Dux, & inferioribus artificibus Architectus, qui *princeps operis* dicitur : Ergo similiter Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordo exposcit, ut Sacerdotibus præponatur aliquis, qui sit Sacerdotum Princeps, & hic est Episcopus. Unde Dionysius loco citato de Ecclesiastica Hierarchia, in ea ait primum esse Pontificem, à quo omnis sacra potestas ad inferiores derivatur.

6. Deinde in corpore articuli sic arguit : Omnis potestas quæ non potest exire in actum, nisi præsuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate quæ illas ordinationes facit : Atqui Sacerdos non potest absolvere & ligare nisi præsuppositâ Prælati jurisdictione, quâ sibi subdantur

subdantur illi quos absolvit : Ergo potestas Sacerdotalis ab Episcopali dependet, & illi inferior est.

7. Posteà in resp. ad 1. eandem veritatem demonstrat ex eo quod novum Sacerdotium ita antiquo respondere debet, ut quod Aaron & filij ejus, & Levitæ fuerunt in veteri lege, hoc in Ecclesia sint Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi, seu reliqui Ecclesiæ Ministri : ita ut Episcopi respondeant Aaroni; Presbyteri filiis Aaronis, qui minores erant Sacerdotes, patri subjecti; Diaconi, & alij Ministri, Levitis, id est, aliis qui de Tribu Levitica oriundi erant, quamvis non essent filij Aaronis : At in lege veteri longè major erat potestas & jurisdictio Aaronis, quàm reliquorum Sacerdotum inferiorum; ille enim poterat semel in anno ingredi sancta sanctorum, quod aliis minoribus Sacerdotibus non licebat : Ergo similiter in lege nova, Episcopus dignitate, authoritate, & potestate, cæteris præcellit Presbyteris; eique soli ut Ministro ordinario competit conferre Sacramentum Confirmationis & Ordinis, & alios Presbyteros ordinare; ratione cujus potestatis Episcopi à SS. Patribus dicuntur *Patrum progenitores*, quia progenerant Presbyteros, qui patris officium erga fideles exercent, eos filios Dei per gratiam gignendo.

8. Demum S. Doctor in resp. ad 3. sic discurrit : *Sicut omnium rerum naturalium perfectiones præexistunt exemplariter in Deo, ita Christus fuit exemplar omnium officiorum Ecclesiasticorum; unde unusquisque Minister Ecclesiæ, quantum ad aliquid gerit typum Christi; & tamen ille est superior, qui secundum majorem perfectionem Christum repræsentat : Sacerdos autem repræsentat Christum in hoc quod per seipsum aliquod ministerium implevit, sed Episcopus in hoc quod alios ministros instituit, & Ecclesiam fundavit; unde ad Episcopum pertinet mancipare aliquid divinis officiis, quasi cultum divinum, ad similitudinem Christi, statuens; & propter hoc etiam Episcopus specialiter sponsus Ecclesiæ dicitur, sicut & Christus.*

9. His addo quæ scribit idem S. Doctor 2. 2. quæst. 184. art. 6. ad 2. quia veritatem Catholicam de superioritate Episcopi supra Presbyteros mirum in modum illustrant : *Episcopi* (inquit) *principaliter habent curam ovium suæ Diœcesis : Presbyteri autem Curati & Archidiaconi habent aliquas subministrationes sub Episcopis : Unde super illud 1. ad Corinth. 12. Alij opitulationes, alij gubernationes, dicit glossa, opitulationes, id est, qui majoribus ferunt opem, ut Titus Apostolo; vel Archidiaconi Episcopis : Gubernationes, scilicet minorum personarum prælationes, ut Presbyteri sunt, qui plebi documento sunt. Et Dionysius dicit cap. 5. Eccles. Hierarchiæ, quod sicut universalem Hierarchiam videmus in Jesu terminatam, ita unamquamque functionem in proprio divino Hierarcha, id est Episcopo. Et dist. 16. quæst. 1. cap. Cunctis : Omnibus Presbyteris & Diaconibus attendendum est, ut nihil absque proprij Episcopi licentia agant. Ex quo patet quod ita se habent ad Episcopum, sicut Balivi, vel Præpositi ad Regem; & propter hoc sicut in mundanis potestatibus solus Rex benedictionem solemnem accipit, alij verò per simplicem commissionem instituuntur; ita etiam in Ecclesia cura Episcopalis cum solemnitate consecrationis committitur : Cura autem Archidiaconatûs & Plebanatûs cum simplici injunctione : consecrantur tamen in susceptione Ordinis, scilicet antequam curam habeant.*

§. II.

Solvuntur objectiones Hæreticorum.

OBjiciunt primò Hæretici : Juxta Apostolum iidem sunt Episcopi & Presbyteri : Ergo Episcopus dignitate & potestate non est superior Presbyteris. Consequentia patet, Antecedens probatur ex illo Pauli ad Philipp. 1. *Paulus & Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus.* Quo loco Presbyteri dicuntur Episcopi, non enim in una urbe multi fuissent Episcopi, si Episcopi nomen, summum aliquem Sacerdotem significaret. Item 1. ad Timoth. 4. dicitur : *Noli negligere gratiam Dei quæ est in te, quæ data est tibi, per impositionem manuum Presbyterij*, ubi Episcopatum ad quem assumptus fuit Timotheus, Apostolus vocat Presbyterium. Et Act. 20. idem Paulus vocavit ad se majores natu Ecclesiæ, id est Presbyteros, & tamen dum eos alloquitur, Episcopos appellat, dicens : *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* 10.

Respondeo negando Antecedens, & ad illius probationem dico, Apostolorum tempore nomina illa *Episcopus & Presbyter*, communia fuisse omnibus Sacerdotibus tam majoribus, quos nunc Episcopos dicimus, quàm minoribus, quos Presbyteros appellamus; licèt res ipsæ & potestates ac officia distincta essent; unde non mirum quòd Apostolus locis citatis, Presbyteros, Episcopos, & Episcopatum ad quem fuit assumptus Timotheus, Presbyterium appellaverit; quanquam juxta multos Patres, Presbyterium ibi sumatur pro cœtu seniorum seu Episcoporum, qui novo Episcopo manus imponunt. Hæc solutio & interpretatio desumitur ex Chrysostomo homil. 1. in Epist. ad Philippenses, ubi exponens illa verba, *cum Episcopis & Diaconibus*, hæc habet : *Quid hoc sibi vult, ita ne unius civitatis plures erant Episcopi? Nequaquam, sed hoc titulo designat Presbyteros, tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune.* 11.

Objiciunt secundò difficilem locum Hieronymi, quo significare videtur, Episcopos non esse jure divino Sacerdotibus superiores, sed tantùm ex constitutione & consuetudine Ecclesiæ : nam in cap. 1. Epistolæ ad Titum, circa illa verba, *Et constituas per civitates Presbyteros*, sic ait : *Idem est Presbyter, qui Episcopus; & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & audiretur in populis, Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego verò Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò unusquisque eos quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum nomina tolleretur.* Et inferiùs subjungit : *Hæc adduximus, ut ostenderemus apud veteres, eosdem fuisse Presbyteros & Episcopos. Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui præpositus fuerit, esse subjectos : ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate, Presbyteris esse majores, & in communi debere Ecclesiam regere.* 12.

Huic difficillimæ objectioni non aliter respondent Michaël Medina lib. 1. de sacrorum hominum continentia cap. 5. & Maldonatus in tract. de Ordine cap. 8. quam succumbendo difficultati 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tati, & concedendo reverâ Hieronymum cum Aërianis sensisse, Episcopos non esse jure divino, sed ex consuetudine tantùm & constitutione Ecclesiæ, Presbyteris superiores : quamvis (inquit Medina) ob hujus S. Doctoris reverentiam, Ecclesia hunc errorem quem in Aërianis damnavit, in eo toleraverit, aut dissimulaverit.

14. Verùm hæc responsio temeritate non caret, quia non solùm tanto Patri & Doctori, sed ipsi etiam Ecclesiæ injuriosa est, cui acceptionis personarum notam inurit : cùm enim (ut ait Bellarminus) Hieronymus post Aërium vixerit, cur, quæso, Ecclesia unam atque eandem sententiam in Aërio damnavit, & in Hieronymo toleravit ? Nonne Aërio potiùs ignoscendum fuit, qui ante definitionem Ecclesiæ peccasse videbatur, quàm Hieronymo, qui damnatam jam hæresim sequutus est ? Addo quod idem videtur sentire Ambrosius in cap. 4. epist. ad Ephes. *Primùm* (inquit) *Episcopi, Presbyteri appellabantur, ut recedente uno sequens ei succederet. Ideò apud Ægyptum Presbyter consignat, si Episcopi absint.*

15. Respondent alij, initio nascentis Ecclesiæ, omnes Presbyteros fuisse Episcopos, subindeque mirum non esse, quòd Hieronymus & alij SS. Patres dixerint, eo tempore Episcopos non fuisse majores Presbyteris.

16. Sed hæc solutio non valet, quia Hieronymus loco citato Presbyterorum dignitatem adversùs insolentiam Diaconorum tueri conatur, eamque demonstrare nititur, ex eo quod Sacerdotalis dignitas æqualis est Episcopali ; cùm Episcopi (inquit) magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate, sint majores Presbyteris, & initio nascentis Ecclesiæ, communi Presbyterorum consilio, Ecclesiæ gubernarentur : Ergo non eâ solùm ratione censet, primos Presbyteros fuisse pares Episcopis, quòd essent etiam ipsi veri Episcopi.

17. Tertiò respondet Amicus, Hieronymum in ea quidem fuisse sententia, quòd Episcopus jure divino non sit Presbytero superior, sed tantùm Ecclesiæ consuetudine & ordinatione ; nullo tamen pacto sensisse cum Aërio, quia ille negabat, etiam Ecclesiæ constitutione, Ordinem Episcopalem esse Presbyterali superiorem.

18. Sed hæc quoque solutio, nisi aliquid ei addatur, non satisfacit ; Aërius enim non ignorabat, nec negabat, secundùm Ecclesiæ leges, Episcopum Presbytero esse majorem, sed jure divino pares esse affirmabat. His ergo solutionibus prætermissis,

19. Ad objectionem respondeo, duo in Episcopali nomine & dignitate distinguenda esse, nempè potestatem Ordinis, & potestatem jurisdictionis, quâ regit & gubernat Ecclesiam sibi commissam ; à qua, licèt inferiori, nomen Episcopi desumptum fuit ; nam ἐπίσκοπος idem est atque inspector & curator rei cujuspiam, & ut ait Hieronymus ipse in cap. 1. Epistolæ ad Titum, Episcopus est nomen officij, hoc est curationis & gubernationis. Quando ergo verbis in objectione citatis, dixit Episcopos magis consuetudine & ordinatione Ecclesiæ, quàm dispositionis Dominicæ veritate, Presbyteris esse majores ; non loquitur de Episcopatu, quantùm ad potestatem Ordinis (in ea enim Episcopos esse jure divino Presbyteris superiores, manifestè agnoscit in cap. 1. Epistolæ ad Titum, ubi sic ait : *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non faciat etiam Presbyter ?* id est facere possit) sed de potestate jurisdictionis seu regiminis Ecclesiæ, quam Episcopi habent supra Presbyteros ; hanc enim præeminentiam jurisdictionis non competere Episcopis jure divino, sed tantùm Ecclesiastico, existimavit Hieronymus ; idque ex parte verum est, Episcopi enim potestatem jurisdictionis non accipiunt immediatè à Christo (sicut potestatem Ordinis & characteris) sed habent ab ipso Summo Pontifice, cujus est eos Ecclesiis præficere, & Diœceses illis assignare ac dividere, prout ad Ecclesiæ bonum expedire judicaverit. Itaque Hieronymi sententia toto cœlo distat ab errore Aërij : nam in primis S. Hieronymus apertè docet, Episcopum esse majorem Presbytero, quantùm ad Ordinis potestatem, quod negabat Aërius, ut constat ex Epiphanio suprà relato. Deinde, quantùm ad potestatem jurisdictionis, Aërius non modò negabat jure divino in ea majorem esse Episcopum Presbytero, sed etiam contendebat, non rectè facere Ecclesiam, quod Episcopos Presbyteris anteponat. At S. Hieronymus, etsi jure divino agnoscere non videatur discrimen inter jurisdictionem Episcopi & Presbyteri, tamen agnoscit hoc ipsum discrimen tanquam legitimè, imò & necessariò, ad vitanda schismata, ab Apostolis introductum, initio nascentis Ecclesiæ, eo scilicet tempore quo cœpit dici in Ecclesia : *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ.*

ARTICULUS II.

An Episcopatus sit Ordo distinctus à Sacerdotio, vel solùm ejus extensio & complementum ?

20. OStendimus articulo præcedenti contra Hæreticos, Episcopatum esse gradum quendam & dignitatem in Ecclesiastica Hierarchia Sacerdotio sublimiorem, in quo conveniunt omnes Catholici, sed difficultas est & gravis controversia inter Doctores, an sit etiam Ordo distinctus à Sacerdotio, subindeque distinctum à Sacerdotali imprimat characterem, vel solùm sit extensio Sacerdotij, & excellentissimum quoddam ejus complementum ? Canonistæ enim, præter Majores Ordines, & quatuor Minores, duos adhuc admittunt, nempè Episcopatum, & Psalmistatum, seu primam tonsuram. Ex Theologis verò Durandus, Cajetanus, Petrus à Soto, Bellarminus, Valentia, Martinonus, & alij, asserunt Episcopatum esse Ordinem distinctum à Sacerdotio. Oppositum docent omnes ferè antiqui Theologi, Magister sententiarum in 4. dist. 24. Littera L. S. Thomas hîc quæst. 40. art. 5. Albertus magnus, D. Bonaventura, Scotus, Richardus, Paludanus, falsò pro contraria sententia citatus, Dominicus Soto, & plures alij. Unde Azorius lib. 3. instit. parag. 2. relatâ censurâ Hugonis, quòd nullus nisi cœcus & inordinatus dubitet Episcopatum esse Ordinem distinctum, cùm singularem à Sacerdotio ordinationem requirat, subdit hæc verba : *Certè miror cur sic contra Theologos linguam laxaverit ! Cœcus ergo ipsius judicio erit S. Thomas, cœcus S. Bonaventura, cœcus Scotus, Richardus, Albertus, qui sentiunt Episcopatum non esse Ordinem.* His omnibus adde ex Patribus Societatis Reginaldum, Henriquem, Comitolum, Amicum, & alios, asserentes Episcopatum non esse Ordinem à Sacerdotio distinctum.

Quam

Quam sententiam probabilem censet Suarez tomo 3. in 3. partem disputatione 11. sect. 3. parag. *solùm posset* ; eamque novissimè amplexus est illustrissimus Dominus de Marinis, Avenionensis Archiepiscopus, tomo 2. in 3. p. quæst. 40. supplem. art. 5. cap. 3. conclus. 2. ubi docet quod Ordo Episcopalis non differt à Sacerdotio, per hoc quod dum Sacerdos in Episcopum consecratur, imprimitur in anima illius novus character, sed per hoc quod præexistens extenditur & perficitur ; subindeque censet Episcopatum non esse Ordinem distinctum à Sacerdotio, sed ipsius Sacerdotij extensionem & complementum. Demum pro hac sententia innumeros prope modum refert & citat Authores, Valerianus de Flavigni, Doctor & Socius Sorbonicus, in Opusculo ab ipso edito, ad defendendam Thesim Ludovici de Cleves, Bacalaurei Sorbonici, quâ asserebat, Episcopatum, prout præscindit à Presbyteratu, aut ab eo distinguitur, non habere rationem sacramenti.

§. I.

Hæc sententia ut probabilior eligitur.

DIco igitur, Episcopatum non esse Ordinem distinctum à Sacerdotio, sed ipsius Sacerdotij extensionem, & excellentissimum ejus complementum.

21. Probatur primò authoritate Petri Damiani opusc. 6. cap. 15. hæc scribentis : *Ad instar septem donorum Spiritus Sancti, septem sunt Ordines Ecclesiasticæ dignitatis. Quod autem iis omnibus gradibus adhuc & alij præferantur, ut sunt Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi, non tam novus Ordo suscipi, quàm in eodem Sacerdotio ipsi videntur excellentius sublimari.* Quo nihil clarius & expressius in favorem nostræ conclusionis dici potest.

22. Probatur secundò ex Tridentino sess. 23. cap. & can. 2. ubi non nisi septem recensent Ordines, incipiendo à Sacerdotio, ut à supremo, nullâ mentione factâ Episcopatûs : At si consecratio Episcopalis esset Ordo distinctus à Sacerdotio, eique superior, non debuisset Concilium recensendo Ordines, istum prætermittere, nec incipere à Sacerdotio, ut à supremo, sed ab Episcopatu : Ergo Concilium censet, consecrationem Episcopalem non esse Ordinem distinctum à Sacerdotio, sed duntaxat ejus extensionem & complementum.

23. Nec refert quod cap. 4. & can. 6. definiat esse in Ecclesia Hierarchicum ordinem, divinâ ordinatione institutum, ad quem præcipuè pertinent Episcopi : Nam hîc per ordinem Hierarchicum Concilium non intelligit Sacramentum Ordinis, sed gradum dignitatis, ut constat ex his verbis capitis 4. citati : *Proinde sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere.*

24. Non valet etiam, si cum aliquibus Recentioribus dicas, ideò à Concilio inter Ordines non numerari Episcopatum, quia est causa cæterorum Ordinum. Nam etsi Episcopatus sit causa Ordinum, adhuc debuisset inter Ordines numerari, si sit Ordo diversus à Sacerdotio, distinctumque imprimat characterem ; quia cùm Ordines distinguantur inter se per diversas habitudines ad Eucharistiam, non solùm debuissent numerari Ordines, qui vel ad illam disponunt, vel immediatè efficiunt, sed etiam qui ei idoneos ministros præparant. Unde nulla probabilis ratio assignari potest, cur Concilium recensendo Ordines, Episcopatum omiserit, & à Sacerdotio ut à supremo incœperit, nisi quia existimavit, Episcopatum non esse Ordinem distinctum à Sacerdotio, sed ejus extensionem, & complementum.

25. Probatur tertiò ratione D. Thomæ : Tota Ordinum distinctio sumitur penes habitudinem quam dicunt ad Eucharistiam, ad quam ut ad finem ordinantur, ut constat in Sacerdotio, Diaconatu & Subdiaconatu, & quatuor Minoribus : Sed Episcopatus non aliam dicit habitudinem ad Eucharistiam, præter eam quam importat Sacerdotium ; non enim potest eam magis consecrare Episcopus, quàm simplex Sacerdos : Ergo Episcopatus non est Ordo distinctus à Sacerdotio.

26. Respondent Adversarij, negando Minorem : Episcopatus enim (inquiunt) dicit habitudinem aliquam indirectam ad Eucharistiam, quam non dicit Sacerdotium ; siquidem præter potestatem consecrandi Eucharistiam, in qua convenit cum Sacerdotio, habet virtutem illam transfundendi in aljos, & ad consecrandum & ordinandum ministros Eucharistiæ : unde per habitudinem illam indirectam, in ratione specialis Ordinis, à Sacerdotio distincti, constituitur.

27. Verùm ex hac solutione & doctrina manifestè sequitur, Episcopatum esse Ordinem inferiorem Sacerdotio, & ipso ignobiliorem ; habitudo enim indirecta ad Eucharistiam, seu potestas consecrandi illius ministros, minùs perfecta est, habitudine directâ ad illam, sive potestate ipsam consecrandi, quâ nihil datur præstantius & divinius in ordine supernaturali : Ergo si per habitudinem indirectam ad Eucharistiam, Episcopatus constituatur in ratione specialis Ordinis, distincti à Sacerdotio, manifestum est, ipsum esse Ordinem Sacerdotio inferiorem.

28. Probatur quartò ratione Paludani, quam sub hac forma proponit P. Baronius in libro Apologetico pro Ordine Prædicatorum lib. 2. sect. 1. parag. 3. Si Episcopatus esset Ordo specie distinctus à Sacerdotio, vel illi esset par & æqualis, vel superior, vel minor ? Pares esse repugnat, ex illa lege quâ diversæ rerum essentiæ minùs possint esse æqualis perfectionis, quàm diversi numeri pares, quorum tota ratio inæqualitate constat. Nec superior esse potest character Episcopalis Sacerdotali, cùm potestas in corpus Christi naturale, propria Sacerdotio, præstet potestati in corpus mysticum, quam Episcopatus addit. Inferiorem verò esse minimè convenit, cùm Episcopatus sit quasi apex Sacerdotij, & Episcopus supremum Sacerdotij gradum occupet : Ergo Episcopatus non est Ordo distinctus à Sacerdotio.

29. Probatur quintò ex inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia. Si enim Episcopatus esset Ordo distinctus à Sacerdotio, & distinctum illi adderet characterem, posset validè suscipi ante Sacerdotium, ejusque ordinatio esset valida, quamvis illicita ; sicut qui ante Diaconatum ordinaretur Sacerdos, verus esset Sacerdos, ut colligitur ex capite *Tuæ litteræ*, de Clerico per saltum ordinato. Ex quo ulteriùs sequeretur quod sicut Subdiaconus qui per saltum, non præmisso Ordine Diaconatûs, esset ordinatus Sacerdos, posset omnia munia Diaconi validè exercere, eò quòd superior Ordo virtute contineat reliquos inferiores ; ita Diaconus, qui non præmisso Sacer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dotio, consecraretur Episcopus, ob eandem rationem, validè posset omnia munia Sacerdotalia exercere, subindeque consecrare corpus Christi, & à peccatis absolvere, quamvis non esset Sacerdos, quod absurdum est.

30. Nec valet quod dicunt Adversarij, ut vim hujus argumenti infringant, quod licèt Episcopatus sit superior Sacerdotio, sicut Sacerdotium aliis Ordinibus, diversâ tamen ratione; Sacerdotium enim eminenter continet inferiores Ordines, Episcopatus verò non est superior Sacerdotio eò quòd eminenter illud contineat, sed quia præter potestatem Sacerdotij, quam intrinsecè, formaliter, & essentialiter includit, addit etiam potestatem conferendi Ordines, & Sacramentum Confirmationis: ex qua differentia (inquiunt) oritur, quod licèt si Sacerdotium non præmisso Diaconatu conferretur, validè collatum esset, Episcopatus tamen collatus ei qui non esset Sacerdos, foret irritus. Non valet, inquam, hæc responsio; si enim Episcopatus sit Ordo realiter distinctus à Sacerdotio, specie differt ab illo: Sed una species non includit formaliter alteram, licèt eam possit continere virtualiter vel eminenter, ut patet inductione: Ergo si Episcopatus sit Ordo realiter distinctus à Sacerdotio, non potest formaliter illud continere, sed virtualiter tantùm vel eminenter, sicut Sacerdotium eminenter continet inferiores Ordines, subindeque ratus & validus erit Episcopatus, collatus non præmisso Sacerdotio, sicut & ipsum Sacerdotium, non præmisso Ordine Diaconatûs collatum, validum est.

31. Dices: Licèt potestas absolvendi à peccatis distinguatur realiter à potestate consecrandi corpus Christi, si tamen non præmissâ potestate consecrandi conferretur, rata non esset, nec valida: Ergo ex eo quod Episcopatus sit Ordo realiter distinctus à Sacerdotio, non rectè infertur, illum posse validè conferri, non præmisso Sacerdotio.

Verùm hæc instantia magis confirmat quàm infirmet rationem nostram: Ideò enim potestas absolvendi nulla est, non præmissâ potestate consecrandi, quia non est character, sed characteris extensio & complementum intrinsecum: Ergo si è contra potestas Episcopalis sit character distinctus realiter à charactere Sacerdotali, non verò ejus extensio & complementum, consecratio Episcopalis erit rata & valida, etiam non præmisso Sacerdotio.

Demum suaderi potest conclusio hoc discursu: Si verum est in naturalibus hoc axioma: *Non sunt multiplicanda entia absque urgenti necessitate*, à fortiori verum erit in supernaturalibus, cùm gratia magis abhorreat à superfluo, quàm natura, & ne dicamus Deum plures actiones supra naturam producere, quàm sint necessariæ ad effectum quem intendit: Sed Episcopus potest munia Episcopalia exercere, putà conferre Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, per characterem Sacerdotalem, ut habet adjunctum modum aliquem physicum & supernaturalem, quo completur, & ad munia illa extenditur, ut patebit ex solutione objectionum; & constat exemplo characteris Sacerdotalis, qui se extendit ad corpus Christi mysticum, & potestatem recipit absolvendi à peccatis, absque novi characteris additione, per hoc solùm quod modum aliquem supernaturalem recipiat; alioquin tot essent admittendi charecteres, quot sunt actiones supernaturales & hierarchicæ, quæ à Sacerdote vel Episcopo exercentur; & sic alius daretur character ad consecrandum corpus Christi, alius ad baptizandum, alius ad confirmandum, alius ad conferendum Sacramentum Extremæ-Unctionis, alius ad absolvendum à peccatis; quod nullus Theologorum dixit: Ergo, &c.

§. II.

Solvuntur objectiones.

32. OBjicies primò: Consecratio Episcopi est Sacramentum, subindeque sub aliqua ex septem ejus speciebus continetur: Sed non potest ad aliam speciem Sacramenti pertinere, quàm ad Ordinem: Ergo est Ordo distinctus à Sacerdotio. Major in qua est difficultas probatur primò ex SS. Patribus, qui dum loquuntur de consecratione Episcopi, ipsam appellant Sacramentum. Nam S. Leo Epist. 81. ordinationem Pauli & Barnabæ, qua fuerunt consecrati Episcopi Act. 13. *benedictionis Sacramentum* vocat. Et Gregorius lib. 4. in primi Regum cap. 5. unctionem ejus qui in culmine ponitur, Sacramentum esse asserit.

Secundò probatur eadem Major: Si Ordinatio Episcopalis non sit Sacramentum, non possumus ex Scripturis apertè probare, Ordinem esse Sacramentum; loca enim Scripturæ, ex quibus id probant Catholici (nimirum 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ est in te, &c. cum impositione manuum Presbyterij*, & 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*) Intelliguntur de Ordinatione Episcopali, quia agunt de ordinatione Timothei, qui fuit Episcopus à Paulo ordinatus, ut docent omnes Interpretes.

Tertiò probatur ratione: Consecratio Episcopalis causat gratiam, ut constat duplici Apostoli testimonio, jam citato: Ergo est verum Sacramentum.

33. Respondeo negando Majorem, & ad primam ejus probationem dico, SS. Patres citatos vel loqui de ordinatione & unctione, quæ non solùm Episcopalis, sed etiam Sacerdotalis est; vel si loquantur de consecratione & unctione solùm Episcopali, eam vocant Sacramentum, quia est complementum Sacramenti, nempè Sacerdotij.

Ad secundam nego sequelam; sufficit enim quod Episcopatus sit complementum intrinsecum Sacramenti Ordinis, ut ex Scripturis in quibus est sermo de ipso, colligamus Ordinem esse verum Sacramentum; quandoquidem impossibile est quod Ordo compleatur in ratione Sacramenti, per Episcopatum, nisi Ordo sit Sacramentum.

34. Ad tertiam respondet Soto negando Antecedens, existimat enim per consecrationem Episcopalem non conferri gratiam; quia gratia, inquit, in Sacramento Ordinis, non confertur ad illa officia exercenda quæ spectant ad jurisdictionem & gubernationem corporis mystici, sed ad illa tantùm quæ pertinent ad potestatem Ordinis Sacramentalis, quæ scilicet ordinantur ad consecrationem corporis Christi: Consecratio verò Episcopalis ordinatur solùm ad gubernationem corporis mystici, non verò ad consecrationem Corporis Christi.

35. Verùm hæc solutio & doctrina repugnat SS. Patribus asserentibus in consecratione Episcopali conferri gratiam: Anacletus enim epist. 2. cap. 1. de unctione Episcoporum sic loquitur: *Omnis sanctificatio constat in Spiritu Sancto, cujus virtus*

virtus invisibilis sancto Chrismati est permixta. Quibus verbis significat, Episcopos sanctificari per unctionem Chrismaticam, quâ consecrantur. Ambrosius de dignitate Sacerdotali cap. 5. *Si gratiam* (inquit) *non accepisti, quomodo Episcopus fieri potuisti?* Et paulò inferiùs: *Quis dat Episcopalem gratiam, Deus, an homo? Respondes sine dubio Deus, sed tamen per hominem dat Deus.* Theodoretus etiam lib. 4. Ecclesiasticæ historiæ cap. 23. de Moyse Anachoreta in Episcopum consecrando, hæc ait: *Ubi vidit Lucum sibi manum imponere velle: Absit, inquit, ut tua manus me consecret: nam tuâ invocatione Spiritûs Sancti gratia in neminem descendit.* Demum S. Thomas 1. ad Timoth. 4. lect. 4. dicit impositionem manuum quâ Timotheus ordinatus est Episcopus, significasse collationem gratiæ. Et 2. ad Timoth. 1. lect. 1. loquens etiam de Ordinatione Timothei, ait ipsi fuisse datam gratiam Spiritûs Sancti in impositione manuum.

36. Confirmatur: Tridentinum sess. 23. can. 4. sic habet: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustrà Episcopos dicere, Accipe Spiritum Sanctum, &c. anathema sit:* Atqui ex usu Ecclesiæ, in ordinatione Episcoporum hæc eadem verba proferuntur: Ergo in illa confertur gratia. Et certè mirum esset quod in ordinatione Exorcistæ vel Ostiarij conferretur gratia, & non in consecratione Episcopi: siquidem eligitur Episcopus ad officium multò excellentius: *Episcopum enim oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare*, ut habetur in Pontificali. Ut ergo hæc debitè & rectè præstet, opus est ut in consecratione, & congruâ potestate, & abundanti gratiæ thesauro ditetur. Unde

37. Ad argumentum respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam, ut enim consecratio Episcopalis causet gratiam, non requiritur necessariò quod sit Sacramentum, sed sufficit quod sit excellentissimum quoddam complementum Sacramenti, scilicet Sacerdotij, ut patet in cæremonia illa quâ confertur Sacerdoti jam ordinato potestas ad absolvendum à peccatis, per impositionem manuum Episcopi, & verba illa: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* licèt enim tunc Sacerdoti nova gratia conferatur, tamen cæremonia illa non est Sacramentum distinctum à consecratione Sacerdotali, quæ fit in contactu calicis, in quo character Sacerdotalis imprimitur, sed tantùm complementum & extensio Sacerdotij, in ordine ad actum, corpus Christi mysticum respicientem, nempè absolutionem à peccatis. Idem cum proportione de consecratione Episcopali dicendum est, ut magis constabit ex dicendis in solutione objectionis sequentis.

38. Objicitur ergo secundò: Consecratio Episcopalis confert characterem distinctum ab eo qui imprimitur in collatione Sacerdotij: Ergo est Ordo distinctus à Sacerdotio. Consequentia patet, ubi enim sunt diversi characteres, non possunt non esse distincti Ordines, cùm Ordo sit signaculum quo character seu spiritualis potestas confertur. Antecedens verò probatur: In consecratione Episcopali nova datur potestas confirmandi, & Ordines conferendi: Ergo per illam imprimitur novus character, cùm nomine characteris nihil aliud intelligatur, quàm spiritualis potestas exercendi actus aliquos supernaturales & hierarchicos, quales sunt confirmare, & Ordines conferre.

A Respondeo negando Antecedens, consecratio enim Episcopalis non confert novum characterem, sed duntaxat characterem Sacerdotalem complet & extendit, causando in eo novum modum realem & physicum quem antea non habebat, ratione cujus extenditur ad ministrandum & conficiendum duo alia Sacramenta, quæ non potest simplex Sacerdos, saltem ex vi præcisè suæ ordinationis, ministrare vel conficere: Est autem modus ille indelebilis, sicut ipse character. Quod potest explicari exemplo suprà adducto potestatis physicæ ad absolvendum à peccatis, quam recipit Sacerdos in sua ordinatione; hæc enim non habet rationem characteris, sed modi realis intrinseci & physici, characterem Sacerdotalem, in contactu calicis antea impressum, extendentis ad corpus Christi mysticum, sive ad ipsius membra instrumentaliter physicè mundanda à peccatis. Quare Episcopatus nihil aliud est præter Sacerdotium perfectum, & sicut puer & vir perfectus in eo differunt, quòd puer in ratione hominis sit imperfectus, nec vim habeat gignendi sibi simile; vir autem in ratione hominis sit perfectus, & alios possit generare; ita etiam simplex Sacerdos suo modo est imperfectus, nec potest alios Sacerdotes spiritualiter gignere vel consecrare; Episcopus autem id potest. 39.

ARTICULUS III.

Utrum necessariò requirantur tres Episcopi ad unius consecrationem, adeò ut Summus Pontifex in eo dispensare non possit?

DIco primò, omnino certum est, saltem ex constitutione Ecclesiæ, requiri ad minus tres Episcopos, ut unus consecretur. Patet tum ex praxi Ecclesiæ, tum ex Concilio Cathaginensi 4. cap. 2. ubi sic dicitur: *Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.* In hunc sensum Chrysostomus, Oecumenius, Theodoretus, Theophilactus, & alij SS. Patres explicant verba illa Apostoli 1. ad Timoth. 4. *cum impositione manuum Presbyterij*, id est cœtûs Seniorum, seu Episcoporum, qui manus supra consecrandum imponunt. 40.

Confirmatur ex facto Apostolorum, nam ut refert Anacletus Epist. 2. Jacobus primus Hierosolymorum Episcopus, ordinatus fuit à Petro, altero Jacobo, & Joanne, ejus ordinationi assistentibus & cooperantibus, quo facto formam (inquit Pontifex) dederunt successoribus suis, *ut non minus quàm à tribus Episcopis, reliquisque omnibus assensum præbentibus, ullatenus Episcopus ordinetur.* Unde Damasus Papa Epist. 4. ut probet illos Chorepiscopos, qui ab uno tantùm Episcopo consecrati erant, non posse ullum munus Episcopi validè obire, subdit: *Quod enim Episcopi non sint, qui minus quàm à tribus sunt ordinati Episcopi, omnibus patet.* Item Joannes III. in Epistola ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ: *Omnia quæque* (inquit) *magna Concilia affirmant, eum non esse Episcopum, qui minus quàm à tribus Episcopis, authoritate etiam Metropolitani, fuerit factus.* Et Concilium Regiense cap. 10. ait, Canones definire irritam esse ordinationem Episco- 41.

Universidad de Deusto
Biblioteca

porum, quàm pauciores quàm tres Episcopi faciunt.

42. Dices, Canone 1. Apostolorum dicitur, Episcopum debere à duobus vel tribus ordinari: Ergo tres non sunt necessarij.

Respondeo, hoc ita intelligendum esse, quòd Episcopus debeat ordinari à duobus vel tribus, præter ipsum Metropolitanum, qui præsupponitur necessariò debere adesse; atque ita Episcopum à tribus ad minus ordinari debere.

Dico secundò, Probabilius est, non posse ex dispensatione Summi Pontificis, unicum Episcopum alium consecrare. Est contra Vazquem, Coninkum, Amicum, & alios Recentiores.

43. Probatur: Non potest Summus Pontifex dispensare in his quæ sunt de jure divino, sive ex Christi institutione: Sed ex Christi institutione habemus, quod consecratio Episcopi fieri debeat non minùs quàm à tribus Episcopis: Ergo in hoc Summus Pontifex dispensare nequit. Major constat, Minor verò probatur primò ex Epistola Aniceti Papæ ad Episcopos Galliæ cap. 1. ubi postquam retulit verba Anacleti dicentis in Epistola 2. decretali Hierosolymorum primum Episcopum, beatum Jacobum, qui justus dicebatur, à Petro, Jacobo, & Joanne Apostolis, fuisse ordinatum, ista subjungit: *Si autem non minùs quàm à tribus Apostolis, tantus fuit ordinatus Episcopus, patet profectò eos formam*, INSTITUENTE DOMINO, *tradidisse, non minùs quàm à tribus Episcopis, Episcopum ordinari debere.* Ubi expressè dicitur Apostolos hanc formam ordinandi Episcopum, non minùs quàm per tres alios, nobis tradidisse ex institutione Domini sive Christi.

44. Probatur secundò eadem Minor ratione destruente præcipuum fundamentum doctrinæ Adversariorum: Si tres Episcopi ex statuto solùm Ecclesiæ, non verò etiam ex Christi institutione, requirerentur ad consecrationem alterius, maximè quia, ut ipsi contendunt, præter unum, alij duo, solùm ad testimonium ordinati requiruntur tanquam assistentes, ne videlicet tyrannica unius Episcopi authoritas, aliquid contra fidem Ecclesiæ tentet: Sed falsum est quod ex tribus Episcopis concurrentibus ad consecrationem quarti, duo ut testes solùm, & non etiam ut consecrantes concurrant; aliàs enim non deberent simul cum ordinante ea facere in quibus ex Patrum sententia, consecratio Episcopi essentialiter consistit; nimirum manus imponere capiti ordinandi; & dicere *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* sicut faciunt, sed tantùm suâ præsentiâ huic ordinationi adesse: Ergo, &c.

45. Contra istam conclusionem objicitur primò liber Constitutionum D. Clementis capite 27. aliàs 33. ubi dicitur, quod *si necessitas urgeret* (Episcopum) *ab uno ordinari, quòd propter persecutionem aut aliam causam, plures adesse non possint, afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum:* Ergo censet in casu necessitatis, unicum Episcopum alium posse consecrare.

46. Verùm hoc non urget, quia constat libros constitutionum Clementis Romani, variis in locis fuisse corruptos: Locum verò citatum fuisse ex corruptis, colligitur primò ex eo quod idem Clemens ante verba relata referat hæc verba Simonis Apostoli: *Ego Simon Cananæus constituo à quot Episcopis debeat ordinari Episcopus, scilicet à duobus, aut tribus.* Si enim hæc constitutio Apostolica vera esset, falsum esset, ex constitutione Ecclesiæ & Apostolorum, requiri ad minus tres Episcopos, ut unus consecretur; duo enim sufficerent, etiam de lege ordinaria; quod non admittunt Adversarij, & falsum esse constat ex dictis in prima conclusione. Secundò, ex eo quod verba illa Clementis, *Afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum*, supponant, non tantùm Summum Pontificem, sed alios etiam inferiores Episcopos, posse facultatem concedere quod ab uno solùm Episcopo alter consecretur; quod ipsi Adversarij non admittunt, facultatem hanc soli summo Pontifici, cui totius Ecclesiæ regimen commissum est, concedentes.

47. Objicitur secundò: Gregorius Magnus concessit Augustino, Anglorum Episcopo, ut ipse solus Episcopum consecraret, donec essent plures qui simul possent alios ordinare; ita enim legitur inter ejus decreta, in responsionibus ad interrogationes Augustini cap. 8. quæ sunt in tomo secundo Conciliorum: Ergo ex dispensatione Summi Pontificis, unicus Episcopus alium consecrare potest.

48. Respondeo quod licèt hoc factum D. Gregorij ita habeatur tomo 2. Conciliorum Surij, locum tamen esse mendosum, apertè colligitur, tum ex contextu totius capitis, in quo multa sunt sine sensu; tum ex responsione ipsius D. Gregorij ad eundem Augustinum Anglorum Episcopum, quæ habetur in fine libri duodecim Epistolarum Regiſtri, sic enim legitur: *Et quidem etiam in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc tu solus Episcopus inveniris, ordinare Episcopum aliter nisi cum Episcopis potes; nam quando de Gallia Episcopi veniunt, illi in ordinatione Episcopi testes tibi assistant.* Quæ verba sententiam nostram probant & valdè confirmant. Si enim posset Summus Pontifex dispensare in jure requirente tres Episcopos ad consecrationem Episcopi, omnino credibile est, quod D. Gregorius in tanta necessitate dispensasset.



TRACTATU

TRACTATUS OCTAVUS.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Ad quæstionem 41. supplementi, & alias sequentes.

PRÆFATIO.

ETSI è Theologis plurimi soleant de Matrimonij Sacramento tractatum prætermittere, quòd ad Iurisperitos & Canonistas pertinere magis quàm ad Theologos videatur: attamen rem gratam Lectoribus me facturum existimavi, si cæteris Theologiæ Tractatibus, etiam hunc adjungerem; ut Theologiæ nostræ velut integro corpori pars nulla deesset, & difficultates quæ plurimæ in hoc Tractatu & graves occurrunt, de quibus jus est Theologis, ut pronuntient, & suam sententiam proferant; eodem ordine, eâdem methodo, iisdem D. Thomæ principiis explicatas, studiosi doctrinæ Thomisticæ reperirent. Nec verò adeò facilem hanc tractationem quis existimet, ut non opus sit Theologici & Scholastici laboris & acuminis diligentiam & solertiam advocare; cùm Augustinus, quem meritò inter Ecclesiæ Patres & Doctores, acumine, & vi ingenij, aquilam dixeris, adeò difficilem existimaverit, ut ita de se dixerit aliquando: Quæstionem de conjugiis obscurrissimam & implicatissimam esse non nescio, nec audeo profiteri, omnes sinus ejus, vel in hoc opere, vel in alio, me adhuc explicasse, vel jam posse si urgear explicare. *Sed obscuritati & difficultati non exiguæ, accidit argumenti dignitas, quæ sanè exigit, ut inter sacras Theologiæ Tractationes, hæc de Matrimonio recenseatur, cùm hoc Sacramentum plures dotes habeat, quibus aliis Ecclesiæ Sacramentis præstantius est, ea superat, & ab Apostolo Sacramentum magnum dici potuit in Christo & Ecclesia. Nemo nescit plurima esse, & commendatione dignissima, quæ conjugium habet, ut naturæ bonum, ut individua duorum societas, ut civilis contractus, & totius humani generis fons, quæ potissimùm Iurisconsulti spectant, quibus tædarum & primi fœderis: unde cætera inter homines fœdera originem ducunt, necessitatem & honestatem attollunt. Sapienter Iustinianus Imperator dixit*, Matrimonium sic esse honestum, ut humano generi videatur immortalitatem artificiosam introducere, & ex filiorum procreatione renovare genus humanum. *Et Iustinus minor conjugiis familias sobolem, civitates frequentiam, Respublicas salutem debere dixit:* Nihil (*inquit*) in rebus mortalium perinde venerandum est atque Matrimonium, quippe ex quo liberi, omnisque deinceps sobolis series existat, quò regiones, atque civitates frequentes reddat, inde denique optima Reipublicæ coagmentatio fiat. *Demum Plato lib. de Legibus*, Oportet (*inquit*) parentes gignere & educare liberos; qui vitam tanquam lampadem posteris tradant, ut sint semper aliqui Deum colentes, juxta ipsius legem. *Neque eam dignitatem conjugij SS. Patres prætereunt. Ambrosius fœcunditatem parientium, divinum munus esse dixit, quo debeant parentes gratias agere, quia generaverunt; filij, quia geniti sunt, fidei & religionis Sacramentorum participes futuri; patres, quia conjugij præmiis in susceptа prole honorantur. Unde* (*inquit*) *æquum est*, ut in Dei laudem vernet terra, quia colitur; mundus quia cognoscitur; Ecclesia quia devotæ numero

Lib. 1. de adulterinis cõjugiis.

Novellâ 22.

Novellâ 2.

Lib. 1. in Lucam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

plebis augetur. *Quin etiam si quis à D. Cyrillo Alexandrino postulet, cur existimaverit, Christum virginitatis prolem, Virgine parente genitum, Canæ nuptiis interesse voluisse? hanc potissimùm rationem reddet,* ut nativitatis nostræ principium, quantùm ad carnem attinet, sanctificaret. Exigebat enim ipsâ carnis propagatione acceptæ infirmitas, eum qui totam naturam hominis, in meliorem ac feliciorem statum reparabat, non solùm natis jam hominibus benedicere, verùm etiam nascituris gratiam præparare, & aditum illorum ad hanc mortalem vitam, & authoritate miraculi, & suæ majestatis præsentiâ consecrare.

Lib. 2. in Ioan. cap. 2.

Hæc sanè præstantissima sunt: hæc præclara conjugiorum commendatio, si vel ea solùm quæ intra naturæ limites habent, in mortalitatis subsidium, Rerum publicarum salutem, civitatum frequentiam, & ad sancienda hominum fœdera, suis laudibus celebrentur. Sed quàm multis partibus hæc infra eam commendationem jacent, quâ Apostolus Matrimonium dixit esse magnum Sacramentum in Christo & Ecclesia! Hæc una est singularis, & ingens laudum & commendationis materia, quâ cætera Ecclesiæ Sacramenta, Matrimonij Sacramentum superat, & longè antecedit. Non negaverim equidem Sacramentum Matrimonij, ut signum practicum, & efficacem causam gratiæ, infimum inter Sacramenta gradum tenere, & parùm ad spiritualis & cœlestis vitæ officia, ad quæ Sacramenta ordinantur, assurgere. Verùm nemo etiam neget, ut signum speculativum, & sacrarum rerum symbolum, cætera Sacramenta superare, iisque sanctius esse, triplici significatione, quâ præcipua Religionis & fidei mysteria repræsentat. In primis enim fidelium conjugium, quod (ut inquit Tertullianus) Ecclesia conciliat, confirmat oblatio *(scilicet Missæ Sacrificium)* & obsignant Angeli, *sacrum signum est castissimi fœderis, & unionis Dei cum anima, quam sibi per fidem desponsare Scriptura dixit; cui dotis nomine virtutes, & cœlestia charismata, atque ipsum donorum authorem Spiritum Sanctum infundit. Sed præterea Sacramentum est in Christo & Ecclesia; & symbolum fœderis, quo Ecclesiam Christus suo Sanguine mundatam, & detersis maculis, gloriosam sibi sponsam conjunxit. Ac demum Matrimonium, quo utriusque conjugis sit una caro, eximiam illam & singularem unionem significat, quâ Verbum naturam humanam sibi vinculo nunquam solvendo copulavit, quo bonorum ac malorum sit hinc inde communio, & ex utroque Deo & homine una Persona consurgit. Quis neget significationem hujus triplicis unionis, & fœderis, cujus Matrimonium symbolum est, cætera Religionis Sacramenta superare, & mysteriorum quæ maxima sunt, & fides docet, imaginem exhibere? Verùm id maximè congruum erat, atque ipsa conjugij conditio, quæ suâpte naturâ & usu magnitudo compensaret, & erigeretur animus cœlestium rerum contemplatione, quarum conjugium sacrum signum institutum est. Atque hanc forsitan divini consilij rationem fuisse, nec temerè suspicari licet, cùm Deus mulierem, posteà connubio copulandam, ex latere viri formaturus, in Adamum soporem immisit, ipsumque in extasim rapuit, & ut Augustinus dixit, Angelicæ curiæ participem effecit. Cur enim Adamus, cùm futura ipsi sponsa paratur, ad cœlestem curiam evehitur, cœlestium choris & ordinibus intereat, & nisi clarâ Dei visione fruitur, quod quidam arbitrantur, divino lumine, & prophetiæ pari, perfunditur, fideique Sacramenta edocetur? Hoc scilicet primo connubio debebatur, ne primus homo mysteria nesciret quorum conjugium jamjam ineundum, symbolum futurum erat, & agnosceret illud unionem triplicem, triplexque fœdus repræsentare, Verbi cum natura humana, Christi cum Ecclesia, Dei cum anima, quam sibi hîc per fidem desponsat, in cœlis clarâ visione, æternùm copulat. Hæc præcipua sunt (*Amice Lector*) quæ in Tractatum de Sacramento Matrimonij, quâdam veluti prævisione, visum est præmittere, antequam ad ea quæ majorem operam postulant, properarem.*

Osea 1.

DISPU

DISPUTATIO PRIMA.

De Matrimonio secundùm se.

Ad quæst. 41. supplementi.

CUM Matrimonium considerari possit, vel ut contractus civilis est, & officium naturæ institutum; vel ut institutione & authoritate Christi, ad esse Sacramenti, animosque conjugum sanctificandos, evectum; secundùm utramque rationem de eo nobis in hoc Tractatu agendum est; cúmque prior consideratio ut fundamentum præsupponatur ad posteriorem, & prius sit (ut ait Apostolus) quod est animale, quàm quod est spiritale; de Matrimonio ut est in officium naturæ priùs agemus, deinde illud, ut Sacramentum est, considerabimus.

Articulus Primus.

Quid sit Matrimonium, seu in quo formaliter & quidditativè consistat?

§. I.

Quibusdam præmissis, difficultas resolvitur.

1. MAtrimonium à matre dicitur, *eò quòd non ob aliud debeat fœmina nubere, quam ut mater fiat,* ut ait D. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 26. Et à matre potiùs quàm à patre nuncupatur, eò quòd in prole susciepienda, & educanda, mater plus operæ impendat, ut habetur in capite *Ex litteris*, de conversione infidelium. Unde dicitur matrimonium, quasi *matris munium*, eò quòd fœminæ per contractum matrimonij imponatur munus educandi prolem. Vel, ut alij volunt, dicitur matrimonium, quasi *matrem muniens*, quia uxor per matrimonium acquirit virum, quo muniatur. Vocatur etiam conjugium, eò quòd duos sub eodem veluti jugo societatis perpetuæ conjungat. Demum appellatur connubium, & nuptiæ, à velo quo ex antiqua cæremonia teguntur virgines & obnubuntur, quando maritis traduntur; vel quia in ipsa solemnitate desponsationis, velamine teguntur conjuges, cùm benedictionem nuptialem accipiunt. Id quod antiquissimam consuetudinem esse, aliqui ex Scriptura colligunt: Cùm enim Abimelech Saram sororem Abrahæ esse existimans, sibi accepisset uxorem, & posteà à Domino correptus, uxorem esse agnovisset, illamque marito redderet, ei dixit: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris, memento te deprehensam.* Incedebat quippè Sara solutis crinibus, more virginum, quare ut non virgo, sed uxor esse cognosceretur, dedit ad emendum sibi velamen quo operiretur, conjugatarum more, mille argenteos; ne alius sororem esse putans deciperetur.

2. Porrò cùm matrimonium sit contractus inter virum & fœminam, ad prolem gignendam initus, plura ad sui integritatem & constitutionem requirit, nempè mutuum viri & fœminæ consensum, externo signo manifestatum; mutuam sui corporis in alium traditionem, & quod inde sequitur, mutuum utriusque in corpus alterius jus, & potestatem eo utendi in omnem usum lege maritali sibi concessum; mutuam utriusque obligationem ad debitum conjugale ex justitia reddendum; & demum conjunctionem quandam seu vinculum animorum utriusque conjugis, quod ex mutua eorum obligatione resultat, & utrumque conjugem ligat, ad illud nunquam, quandiu vixerint, dissolvendum; juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Mulier* (eadem ratio est de viro) *alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Quæritur ergo, in quo illorum matrimonium formaliter & quidditativè consistat? Pro resolutione

3. Dico breviter, matrimonium formaliter & quidditativè consistere in vinculo illo, quo formaliter conjuges sunt uniti, resultante ex mutua eorum obligatione, seu ex mutuo jure & potestate quam ex mutua traditione uterque conjux habet in corpus alterius. Ita communiter Theologi, cum D. Thoma, infrà quæst. 44. art. 1. contra Palatium in 4. dist. 27. disp. 1. asserentem in ipsa actione contrahendi, ut conferente conjugibus mutuum jus & dominium in corpora, consistere matrimonij essentiam.

4. Probatur conclusio, discurrendo per singula, suprà recensita, & demonstrando in nullo eorum, præterquam in ultimo, nempè vinculo illo, quo utriusque conjugis animi sunt conjuncti, matrimonium consistere formaliter. Et in primis quòd non consistat formaliter in consensu utriusque conjugis, sive in actu contrahendi, quo conjuges sua corpora sibi mutuò tradunt, videtur manifestum, quidquid dicat Palatius: Tum quia talis consensus & traditio est causa efficiens matrimonii, subindeque repugnat esse causam formalem illius; causa enim formalis intrinseca est, efficiens verò inter extrinsecas computatur. Tum etiam, quia adhuc cessante mutuo consensu utriusque conjugis, actualique traditione sui corporis in alterum, perseverat matrimonium, ut effectus à sua causa realiter distinctus. Nec valet si dicas, quod licèt consensus actualis transierit, remanet tamen & moraliter perseverat consensus habitualis, ac proinde in eo consistere potest formaliter matrimonium. Nam tametsi conjuges primum suum consensum retractent, adhuc inter eos matrimonium perseverat, cùm tamen in eis non permaneat habitualis consensus, qui per subsequentem dissensum revocatus est.

5. Quod verò matrimonium non consistat formaliter in mutuo jure utriusque conjugis in corpus

Universidad de Deusto
Biblioteca

alterius, vel in obligatione mutua ad debitum conjugale, non minùs certum videtur; Tum quia tale jus & obligatio cessant, alterius conjugis adulterio, vel ingressu religionis, ex communi consensu, manente matrimonij consummati vinculo: Tum etiam, quia inter B. Virginem, & B. Josephum, fuit verum matrimonium, quamvis perpetuò impeditâ obligatione reddendi debitum conjugale. Non potest ergo formaliter consistere matrimonium, nisi in vinculo illo, quo formaliter conjuges sunt uniti, resultante ex mutua eorum obligatione.

6. Confirmatur: In eo formaliter consistit matrimonium, quo posito ponitur, & quo ablato aufertur, juxta regulam quam tradunt Philosophi, ad indagandas rerum essentias: Sed posito vinculo illo, quo utriusque conjugis animi sunt conjuncti, ponitur matrimonium, & eo ablato aufertur: Ergo in eo essentia matrimonij consistit. Unde definitur à Jurisconsultis paragr. 1. Instit. *de patria potest.* & à Canonistis cap. *Illud*, de præsumptionibus, & 27. quæst. 2. paragr. 1. *Maris & fœminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens.* A Scholasticis verò cum Magistro in 4. dist. 27. cap. 1. *Viri mulierisque conjunctio maritalis, inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.* Dicitur *viri mulierisque conjunctio*, quia cùm matrimonium ordinetur ad prolem gignendam, necessariò est inter virum & fœminam, ut inter subjecta sola ad hunc finem idonea. Unde Deus ab initio non duos viros, aut duas fœminas, sed virum & fœminam procreavit. Additur *inter legitimas personas*, quia omnes personæ non sunt habiles ad matrimonium contrahendum, scilicet ad generandum impotentes, cum alio vel alia matrimonio ligati, aut quovis alio seu naturali seu positivo vinculo impediti. Demum ultima verba explicant distinctionem matrimonij ab aliis unionibus sive conventionibus, ex aliis contractibus ortis, quæ ex mutuo consensu tolluntur, cùm tamen matrimonium sit insolubile.

7. Ex his inferes cum D. Thoma infrà quæst. 44. art. 1. in argumento *sed contra*, matrimonium esse in genere relationis, quæ rectè explicatur per ly *conjunctionem*, ut per genus, & per ly *maritalem*, ut per differentiam. Hæc verò relatio est disquiparantiæ, cùm unus conjux ad hanc conjunctionem concurrat, ut principium activum, alter ut passivũ; unde est multiplex ex parte subjecti, quamvis ex parte termini & finis sit simplex & unica; unus quippe est utriusque maritalis conjunctionis finis, perfecta nimirum prolis generatio. *Secundum quòd est multiplex ex parte subjecti, significatur his nominibus uxor & maritus; secundum autem quod una, significatur hoc nomine matrimonium*, ut ait S. Doctor ibidem in solutione ad 3.

§. II.

Solvuntur objectiones.

8. CONtra istam conclusionem objicitur primò Matrimonium consistit in fieri, non in facto esse, sicut alia Sacramenta in usu consistentia: Ergo consistit in mutuo consensu conjugum, non autem in vinculo maritali, ex mutuo eorum consensu resultante, cùm tale vinculum sit quid permanens.

9. Sed facilè respondetur, quod licèt matrimonium, quoad suam causam efficientem, consistat in fieri, seu in aliquo transeunte, nimirum in mutuo consensu conjugum; quoad suam tamen quidditatem & rationem formalem, & quantùm ad id quod est res & Sacramentum simul, consistit in aliquo permanenti, scilicet in vinculo, ex mutuo conjugum consensu resultante; cùm cessante mutuo consensu utriusque conjugis, adhuc matrimonium perseveret.

10. Objicitur secundo: Sacramentum debet consistere formaliter in aliquo sensibili: Sed vinculum illud quo formaliter conjuges sunt uniti, non est sensibile, cùm sit relatio, quæ non est accidens sensibile: Ergo matrimonium non potest consistere formaliter in vinculo conjugali.

11. Respondeo ex D. Thoma infrà quæst. 44. art. 1. ad 2. *quod quamvis ipsa relatio non sit sensibile accidens, tamen causæ ejus possunt esse sensibiles, nec in Sacramento requiritur quod sit sensibile illud quod est res & Sacramentum: hoc enim modo se habet in hoc Sacramento prædicta conjunctio; sed verba exprimentia consensum, quæ sunt Sacramentum tantum, & causa prædictæ conjunctionis, sunt sensibilia.*

12. Objicitur tertiò: In eo formaliter consistit matrimonium, quo posito ponitur, & quo ablato aufertur, ut suprà dicebamus: Sed posito consensu mutuo conjugum, & jure quod per illum quilibet illorum acquirit in corpus alterius, ponitur matrimonium, eoque sublato, aufertur Ergo in tali consensu & jure, matrimonium consistit formaliter.

13. Respondeo distinguendo Majorem: In eo formaliter consistit matrimonium, quo posito, tanquam principio formali & constitutivo, ponitur, concedo Majorem. Quo posito tanquam principio radicali solùm, & fundamentali, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Sicut ergo positâ generatione, ponitur paternitas in generante, & ea sublatâ tollitur, non quia paternitas consistat formaliter in generatione, sed quia ab ea ut à fundamento dependet & conservatur quoad existentiam; ita similiter, posito mutuo conjugum consensu, & jure quod per illum quilibet illorum acquirit in corpus alterius, ponitur matrimonium, & eo ablato, aufertur, non quòd in eo formaliter consistat, sed quia ab illo radicaliter & fundamentaliter pendet.

14. Objicies quartò: In eo matrimonij essentia consistit, quod assumitur à Deo tanquam instrumentum ad causandam gratiam in animis conjugum: Sed vinculum conjugale ad talem gratiam causandam non assumitur; cùm enim sit relatio, ut suprà ex D. Thoma dicebamus, non potest aliquid efficere, etiam præcisè ut instrumentum: Ergo essentia matrimonij non consistit in vinculo conjugali.

15. Respondent aliqui recentiores Thomistæ, negando Minorem, & ad illius probationem dicunt, quod licèt relatio naturaliter non sit activa, etiam præcisè ut instrumentum, benè tamen supernaturaliter, & per ordinem ad potentiam Dei absolutam; potest enim (inquiunt) Deus quolibet ente in rerum natura existente, quantumvis minimo & relativo, uti tanquam instrumento ad producendum quodcumque voluerit.

16. Sed hæc solutio displicet, & facilè confutari potest; cùm enim instrumentum sit in genere causæ efficientis, implicat quod Deus assumat ut instrumentum ad producendum effectum aliquem supernaturalem, aliquid quod nullo modo est activum;

activum; unde Deus nec materiam primam, nec quantitatem, ut instrumenta assumere potest, eò quòd illa non sunt activa, ut communiter docent Philosophi: Ergo cùm etiam relatio omnis activitatis sit expers, non potest assumi à Deo ut instrumentum ad producendum gratiam.

17. Confirmatur: Omne instrumentum ex virtute sibi propria debet habere actionem præviam, per quam fiat capax ut elevetur à causa principali, ad producendum ejus effectum, ut docent communiter nostri Thomistæ in secundo physicorum: Sed quod nullo modo est activum, non potest ex viribus propriis talem actionem prævium elicere, ut de se constat: Ergo nec assumi à Deo ut instrumentum ad causandam gratiam. Hac ergo solutione prætermissâ.

18. Respondeo negando Majorem, ut enim rectè ait Soto in 4. dist. 26. quæst. 2. art. 3. non semper requiritur, quod Sacramentum gratiam causet, per suam quidditatem, & per id quod est res & Sacramentum simul; sed sufficit quod illam conferat per suam causam efficientem, & per id quod est Sacramentum tantùm; subindeque sufficit quod in matrimonio mutuus conjugum consensus, qui est causa efficiens illius, & Sacramentum tantùm (ut disp. sequenti dicemus) assumatur ut instrumentum ad causandum gratiam Sacramentalem in animis conjugum.

ARTICULUS II.

Virum homo non solùm habeat naturalem inclinationem ad matrimonium, sed etiam præceptum de usu illius, & quale sit, & quos obliget tale præceptum?

§. I.

Quatuor conclusionibus difficultates istæ resolvuntur.

19. DIco primò, Homo naturaliter inclinatur ad matrimonium. Ita D. Thomas hic art. 1. in corp.

Probatur ratione quam ibidem insinuat: Sicut homo naturaliter inclinatur ad conservationem sui ipsius, ita etiam, imò magis, ad conservationem propriæ speciei; quia bonum speciei est universalius, quàm bonum individui: Sed matrimonium est medium necessarium ad conservationem speciei in esse rationali; quia licèt per fornicationem, & vagum concubitum, possit species multiplicari & conservari in esse naturali, non tamen in esse rationali; eò quòd ex simplici fornicatione regulariter, ut plurimum, & per se loquendo, sequatur mala educatio prolis: Ergo homo habet naturalem inclinationem ad matrimonium, velut ad convenientem speciei suæ conservationem & propagationem: *Natura enim* (inquit S. Doctor in resp. ad 4.) *non solùm intendit esse in prole, sed etiam esse perfectum, ad quod requiritur matrimonium.* Unde contractus matrimonij est de jure naturali, nempè quia naturali instinctu constitutum est, ut habetur in principio Digestorum, ubi sic dicitur: *Ius naturale est, &c. Hinc descendit maris & fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus.* Et in cap. *Ius naturale* dist. 1. sumpto ex Isidoro lib. 5. Etymologiarum cap. 4. sic habetur: *Ius naturale est commune omnium nationum, eò quòd ubique instinctu naturæ, non constitutione aliquâ habetur: ut viri & fœminæ conjunctio.*

Dico secundò, Matrimonium non solùm est ex inclinatione & instinctu naturæ, sed etiam cadit sub præcepto. Ita communiter Theologi, excepto Michaële Medinâ lib. 4. de sacrorum hominum continentia, controversiâ 2. ubi docet nullum stare præceptum de matrimonio. 20.

Probatur breviter conclusio: Media maximè necessaria propter finem maximè intentum à natura, sunt de præcepto, ut patet in sumptione cibi, quæ quia est maximè necessaria ad conservationem individui à natura intentam, cadit sub præcepto: Sed matrimonium est medium maximè necessarium, propter finem maximè intentum à natura, scilicet propter propagationem generis humani in esse rationali, ut constat ex dictis conclusione præcedenti: Ergo matrimonium non solùm est ex instinctu & inclinatione naturæ, sed etiam cadit sub præcepto. 21.

Dico tertiò, præceptum de matrimonio non esse positivum, sed naturale. Est contra Scotum in 4. dist. 26. quæst. 1. ubi fatetur quidem dari præceptum de matrimonio, sed negat quod sit præceptum naturale.

Probatur primò conclusio ratione fundamentali: Qui intendit finem, præcipit medium necessarium ad ipsum: Sed natura intendit propagationem generis humani, ut enim propagaretur, diversum sexum constituit, in specie humana, quod non fecit in Angelis; in cœlo enim *non est Angelus & Angela*, ut bellè Tertullianus ait; cùm enim Angeli sint incorruptibiles, propagatione non indigent: Ergo natura præcipit matrimonium, quod est medium ad propagationem generis humani necessarium.

Confirmatur: Ideò præceptum de sumendo cibum, est juris naturalis, quia finis talis sumptionis, scilicet conservatio individui, intenditur à natura: Atqui similiter finis matrimonij, videlicet conservatio speciei humanæ in esse rationali, est intentus à natura; imò magis natura eam intendit, quàm conservationem individui; quia, ut suprà dicebamus, bonum speciei est universalius, quàm bonum individui: Ergo præceptum de matrimonio est juris naturalis. 22.

Probatur secundò: Præceptum de matrimonio non est abrogatum in lege gratiæ: Ergo non est præceptum positivum, sed naturale. Antecedens est certum, & docetur à D. Thoma hic art. 2. ad 1. Consequentia verò probatur. Nullum est assignabile præceptum positivum, vel legis naturæ, vel legis scriptæ, quod non cessaverit in lege Evangelica, solùm enim naturalia pertinentia ad mores, & supernaturalia fidei perseverant: Ergo si præceptum de matrimonio non sit abrogatum in lege gratiæ, non est positivum, sed naturale. 23.

Dico quartò, Præceptum de matrimonio, pro tempore necessitatis, quo paucitas hominum exigeret ut quilibet generationi vacaret, primò & per se obligaret Rempublicam, & rectores illius, ut nimirum aliquos cogerent ad nubendum: Secundariò verò obligaret etiam singulos in particulari, ut per matrimonium bono communi subvenirent; extra casum verò necessitatis, & quando sufficienter est propagatum genus humanum, tale præceptum nec singulos in particulari, nec ipsam Rempublicam, vel ejus rectores obligat. 24.

Prima pars patet, nam finis matrimonij, nimirum 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum propagatio & conservatio speciei, est bonum commune : Sed Respublica & ejus rectores per se respiciunt bonum commune : Ergo per se primò ad illos spectat curare ut in casu necessitatis aliqui matrimonium contrahant, & per ejus usum bono communi propagationis & conservationis speciei subveniant.

26. Secunda verò pars hac ratione suadetur : Propagatio generis humani est magis necessaria, quam defensio Reipublicæ : At singuli in particulari tenentur Rempublicam tueri in casu extremæ necessitatis : Ergo multò magis tenentur omnes in particulari ad contrahendum matrimonium in casu necessitatis, ad conservationem speciei, & propter bonum commune. Unde initio mundi, & post diluvium, præceptum de matrimonio singulos in particulari obligabat. Nunc verò, sufficienter multiplicato humano genere, non est cur dicamus singulos ad matrimonium obligari, vel communitatem, aut Prinpes, ut cogant aliquos ad illud ineundum, cùm ad matrimonium homines per se sint satis propensi. Unde Hieronymus Joviniano respondens ait : *Dices, si omnes virgines fuerint, quomodo subsisteret mundus ? Noli metuere, ne omnes virgines fiant, difficilis res est virginitas, & ideo rara.* Ex quo probata manet tertia pars conclusionis, quæ asserit, extra casum necessitatis, & quando sufficienter propagatum est genus humanum, præceptum de matrimonio, nec singulos in particulari, nec totam Rempublicam, vel rectores ejus obligare ; quia finis talis præcepti obtinetur per voluntatem liberam hominum in particulari. Sicut ego excusor à præcepto eleemosynæ respectu alicujus pauperis, si aliquis me præveniat, largiendo illi eleemosynam. Unde S. Thomas hic art. 2. ad 1. loquens de præcepto matrimonij ait: *Præceptum illud non est revocatum, nec obligat unumquemque, nisi illo tempore, quo paucitas hominum exigebat, ut quilibet generationi vacaret.*

A nem : Ad propagandum & conservandum alias species animalium, sufficit in animalibus inclinatio naturalis, cum delectatione : Ergo & in homine ad propagationem suæ speciei, subindeque superfluum est, huic inclinationi addere aliquod præceptum de matrimonio.

Respondeo, concesso Antecedente, negando 30.
consequentiam & paritatem : disparitas est, quòd homo, non obstante inclinatione naturali ad propagandum suam speciem, remanet tamen liber ad consentiendum vel dissentiendum tali inclinationi ; & consequenter ne desistat ab usu matrimonij, & procreatione liberorum, vel propter fœditatem, vel propter alia incommoda, B necessarium est præceptum de matrimonio & ejus actu.

Dices : Concilia Evangelica non adversantur 31.
præceptis : Ergo cùm detur consilium de virginitate, ut patet ex illo Apost. 1. ad Corinth. 7. *Consilium autem do*, nullum potest esse præceptum de matrimonio & ejus actu.

Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam ; quia quando matrimonium cadit sub præcepto (tempore scilicet necessitatis, quo paucitas hominum exigeret, ut quilibet generationi vacaret) virginitas non est in consilio ; & è contra quando virginitas est in consilio, sicut est modò, sufficienter multiplicato humano genere, non obligat præceptum de matrimonio.

C Objicies tertiò contra tertiam conclusionem : 32.
Deus dixit primis parentibus Genes. 2. *Crescite & multiplicamini, & replete terram :* Sed forma illa loquendi exprimit præceptum de matrimonio : Ergo datur præceptum positivum de illo.

Respondet Pererius lib. 4. in Genesim, his 33.
verbis non exprimi præceptum, sed benedictionem quandam subjunctam nuptiis ; sicut aliis similibus, quæ brutis præcepti incapacibus dicuntur ibidem versu 22. Verùm nihil obstat quominus utraque imperativè ut sonant dicta sint, sed diversimodè, pro diversa capacitate hominum & brutorum. Unde melius respondetur, verbis illis contineri solùm declarationem naturalis
D præcepti de matrimonio, non verò præceptum positivum de illo ; idque non levi conjecturâ constare, ex occasione quâ dicta sunt verba illa Genes. 1. & iterum post diluvium, quando revera vigebat naturale præceptum. Addo tamen cum Basilio Pontio, declarationem illam ad modum benedictionis prolatam fuisse à Deo, ex amore erga genus humanum, cujus propagationem volebat, ut constat ex sacro textu, ubi sic dicitur, *Benedixitque Deus illis, & ait : Crescite & multiplicamini.* Unde Augustinus 14. de civit. cap. 22. *Nos autem nullo modo dubitamus, secundum benedictionem Dei crescere & multiplicari & implere terram, donum esse nuptiarum* Et paucis interpositis : *Huic quippe operi Dei etiam benedictio subjuncta est.*

Objicies quartò contra eandem conclusionem : 34.
Omne præceptum naturale, quodcumque illud sit, vel continetur in decalogo, vel saltem ad aliquod ex præceptis in eo contentis reducitur ; Sed præceptum de matrimonio, neque continetur inter præcepta Decalogi, neque apparet ad quod ex præceptis in eo contentis reducatur : Ergo non est naturale, sed positivum.

Huic objectioni tripliciter respondent Theo- 35.
logi : Quidam enim dicunt, præceptum de matrimonio reduci ad præceptum de amore sui, quod est prævium ad præcepta decalogi ; homo enim ex amore

§. II.

Solvuntur objectiones.

27. OBjicies primò contra primam conclusionem : Si matrimonium sit ex inclinatione naturæ, sequitur quod virginitas & cœlibatus, quæ sunt illi contraria, sint contra inclinationem naturæ, & consequenter quid mali ; quandoquidem quod est contra inclinationem naturalem, malum est : Sed hoc dici nequit : Ergo nec illud.

28. Respondeo negando sequelam Majoris, cùm enim inclinatio naturalis in homine ad matrimonium, sit rationalis, tunc solùm naturaliter inclinat & obligat, quando recta ratio dictat illud esse necessarium ad conservationem speciei ; ex quo fit quod virginitas & continentia non semper matrimonio sint adversa, sed solùm quan- E
do recta ratio dictat, illud esse necessarium ad conservationem speciei ; & tunc servare virginitatem est illicitum & malum. Quod explicari potest exemplo inclinationis naturalis quam habet homo ad sumendum cibum ; eo ipso enim quod non sit ad sumendum semper cibum, sed solùm quando recta ratio dictat illud esse necessarium ad conservationem individui, abstinentia à cibo, non semper contrariatur sumptioni cibi consideratæ secundùm quod est ex inclinatione naturæ.

29. Objicies secundò contra secundam conclusio-

amore sui intendit seipsum conservare, eo modo A
quo potest ; cùmque non possit perpetuò se conservare in individuo, intendit conservare suam speciem. Alij volunt quod reducatur ad præceptum de non occidendo ; sicut enim ille qui non succurrit pauperi extremè indigenti, dicitur illum occidere, juxta illud Ambrosij : *Si non pavisti, occidisti :* ita qui in extrema necessitate non contrahit matrimonium, propter conservationem speciei, occidere dicitur. Alij demum asserunt, præceptum de matrimonio reduci ad præceptum de dilectione proximi ; quia conservatio speciei, & multiplicatio ejus, veluti pertinet ad bonum proximi. Omnes istæ sententiæ probabiles sunt, licèt tertia videatur probabilior.

36. Ex dictis intelliges, falsam esse aliquorum sen- B
tentiam, qui docent præceptum de matrimonio revocatum fuisse ante diluvium, sufficienter multiplicato genere humano, & post diluvium iterum fuisse latum, quando Deus dixit Noë & filiis ejus : *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Cùm enim præceptum de matrimonio ex jure naturali ortum habeat, semper obligavit, licèt non pro semper, & pro omni differentia temporis (quod cæteris præceptis affirmativis commune est) subindeque nunquam fuit revocatum, licèt aliquando ejus obligatio cessaverit, quando nimirum sufficienter multiplicatum fuit genus humanum, & post diluvium rursus obli- C
gare cœperit, quia tunc adfuit necessitas propagandi genus humanum.

37. Quærunt hic aliqui, an in casu quo periculum esset, ne genus humanum periret, tenerentur Monachi, non obstante votorum obligatione, ad contrahendum matrimonium ? Cui quæstioni Soto & Victoria affirmativè respondent : Si enim (inquiunt) tempore necessitatis Religiosi tenentur defendere Rempublicam, à fortiori & propagare genus humanum per matrimonium ; quandoquidem hæc propagatio est magis necessaria, quàm defensio Reipublicæ. Alij verò cum Petro Ledesma negativè respondent, hoc ducti fundamento. Præceptum de matrimonio obligat quidem in extrema necessitate omnes qui possunt D
subvenire tali necessitati, sed non illos quibus hoc non licet, quales sunt voto solemni religionis impediti : sicut enim extra tempus extremæ necessitatis, potest quis absolutè tradere totam suam substantiam pauperibus, & si postea fuerit extrema necessitas, excusatur à præcepto eleemosynæ. Ita similiter extra casum necessitatis extremæ speciei humanæ propagandæ, possunt aliqui se totos Deo absolutè per vota solemnia consecrare, & si postea adesset extrema necessitas contrahendi matrimonium, excusarentur ab ejus præcepto. Neque exemplum de obligatione eorum ad defendendum Rempublicam, oppositum concludit ; defensio siquidem Reipublicæ E
non est contra eorum professionem, sicut usus matrimonij adversatur totali eorum consecrationi Deo. Qui modus dicendi videtur probabilior. Verùm hic casus planè metaphysicus est, unde in ejus resolutione diutiùs immorari non expedit.

ARTICULUS III.

Utrum poligamia, seu uxorum sub uno viro pluralitas, sit contra finem matrimonij, subindeque contra legem naturæ ?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

NOtandum primò ex D. Thoma infrà quæst. 38.
65. art. 1. in corp. quod illa actio dicitur esse contra legem naturæ, quæ non est conveniens fini debito quem natura principaliter vel secundariò intendit ; vel quia omnino impedit talem finem (ut nimia superfluitas vel defectus comestionis impedit salutem corporis, quæ est principalis finis comestionis, & bonam habitudinem in negotiis exercendis, quæ est finis ejus secundarius) vel quia facit difficilem aut minùs decentem perventionem ad finem principalem vel secundarium ; sicut inordinata comestio quantùm ad tempus indebitum, aliqualiter nocet corporis sanitati, licèt eam non omninò destruat.

Notandum secundò ex eodem S. Doctore ibi- 39.
dem, matrimonium triplicem finem habere, unum principalem, scilicet prolis procreationem & educationem, qui quidem finis competit homini secundùm naturam suæ generis, unde & aliis animalibus est communis, ut dicitur 8. Ethic. Alium secundarium, qui consistit in mutuo obsequio, in communicatione bonorum & operum inter conjuges ; & hic in solis hominibus, non verò in aliis animalibus reperitur. Demum matrimonium, ut est inter fideles novæ legis, alium finem nobiliorem & præstantiorem habet, nempè significationem conjunctionis Christi cum Ecclesia, sub qua ratione habet quod sit Sacramentum novæ legis, à Christo institutum, ad significandam & repræsentandam ineffabilem illam unionem, juxta illud Apostoli ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Primus finis* (inquit S. Doctor) *respondet matrimonio hominis, inquantum est animal ; secundus, inquantum est homo ; tertius, inquantum est fidelis.*

His prænotatis, antequam referamus sen- 40.
tentias, & veriorem seu probabiliorem eligamus, duo adhuc præsupponenda sunt, in quibus omnes Theologi conveniunt. Primum est, pluralitatem virorum sub una uxore, esse contra legem naturæ, cùm sit contra utrumque matrimonij finem, primarium & secundarium. Contra primarium quidem, qui est prolis procreatio & educatio, quia diversorum virorum heterogenea seminum mixtio, vel prorsus impedit procreationem prolis (ut constat in meretricibus, quæ ob hujusmodi diversorum seminum mixtionem, steriles efficiuntur) vel incertam reddit prolem, ex parte patris, cui potissimùm educandæ prolis cura incumbit. Contra secundarium verò, qui est pacifica familiæ gubernatio ; quia pax & tranquillitas familiæ, sub gubernantium pluralitate servari nequit. Unde nullâ unquam lege vel consuetudine permissum fuit, unam mulierem habere plures viros, ut ait S. Thomas art. citato ad 7. & 3. contra Gentes cap. 124. & fusiùs expendit August. libro de bono conjugali cap. 17.

his

Universidad de Deusto
Biblioteca

his verbis: *Non sicut uni viro plures habere licebat uxores, ita uni fœminæ plures viros, nec prolis ipsius causâ, si fortè illa parere posset, ille generare non posset. Occultâ enim lege naturæ amant singularitatem, quæ principantur.* Et paulò post: *Duobus seu pluribus maritis vivis, nullam legimus servivisse sanctarum; plures autem fœminas uni viro legimus conjunctas.*

41. Secundum quod omnes ut certum supponunt, est, non solùm pluralitatem virorum sub una uxore, sed etiam pluralitatem uxorum sub uno viro repugnare fini quem matrimonium habet in lege Evangelica; quia cùm carnis unitatem tollat, illamque in plures dividat, significare & repræsentare nequit conjunctionem Christi eum Ecclesia, quæ est una. Unde S. Thomas 4. contra B Gentes cap. 78. sic discurrit: *Per conjunctionem maris & fœminæ, Christi & Ecclesiæ conjunctio designatur: oportet verò quod figura significato respondeat: conjunctio autem Christi & Ecclesiæ est unius ad unam perpetuò habendam; est enim una Ecclesia, secundum illud Cantic. 6. Una est columba mea, perfecta mea, nec unquam Christus à sua Ecclesia separabitur, dicit enim ipse Matth. ultimo: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi, & ulteriùs, semper cum Domino erimus, ut dicitur 1. Thessal. 4. Necesse est igitur, quod matrimonium, secundùm quod est Ecclesiæ Sacramentum, sit unius ad unam indivisibiliter habendam.* Igitur in lege Evangelica poligamia est prorsus illicita, ut definit Tridentinum sess. 24. can. 2. his verbis: *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullâ lege divinâ esse prohibitum, anathema sit.* Colligitur etiam ex Matth. 19. Marci 10. & Lucæ 16. ubi Christus mœchum & adulterum vocat, qui dimissâ propriâ uxore, etiam fornicationis causâ, aliam ducit. Si enim uxore dimissâ adulterat quis; à fortiori qui, retentâ priori, secundam ducit, ut rectè arguit Innocentius III. in cap. *Gaudemus* de divortiis ubi sic habet: *Sanè veridica hæc sententia* (nulli scilicet Christiano licere habere plures uxores) *probatur etiam de testimonio veritatis testantis in Evangelio: Quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Si ergo uxore dimissâ, duci alia de jure non potest, fortiùs & ipsâ retentâ. Per quod evidemer apparet, pluralitatem in utroque sexu, cùm non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobandam.*

42. Hæc sunt certa & indubitata apud omnes Theologos, sed difficultas est, & celebris controversia inter illos, an poligamia, seu pluralitas uxorum sub uno viro, sit contra legem naturæ, & finem primarium, vel saltem secundarium matrimonij? Durandus enim in 4. dist. 33. quæst. 1. art. 1. Abulensis 1. Regum 8. quæst. 25. & cap. 19. Matth. quæst. 30. ad 2. Joannes Gerson 2. p. suorum operum in regulis moralibus cap. de matrimonio, Cajetanus supra caput 4. & 16. Geneseos, nec nō supra 10. Matthæi, Michaël Medina lib. 4. de sacrorum hominū continentia cap. 9. & ex Patribus Societatis Coninkus, Amicus, & Martinonus, docent pluralitatem uxorum, nec fini primario, nec secundario matrimonij, adversari, subindeque non esse contra legem naturæ. Petrus verò de Ledesma, in aliud extremum lapsus, de matrimonio quæst. 65. art. 1. concl. 2. affirmat illam esse contra finem non solùm secundarium, sed etiam primarium matrimonij. Alij verò dicunt, eam adversari quidem legi naturæ, A & fini secundario matrimonij, sed non primario. Quæ sententia veriot & probabilior videtur. Unde sit.

§. II.

Hæc sententia ut probabilior eligitur.

43. DIco igitur, poligamiam, seu uxorum pluralitatem, sub uno viro, esse contra legem naturæ, non tamen directè fini primario matrimonij, sed secundario tantùm adversari. Ita D. Thomas infrà quæst. 65. art. 1. in corp. ubi hæc scribit: *Pluralitas uxorum, neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit matrimonij primum finem, cùm unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, & educandis filiis ex eis natis. Sed secundarium finem, etsi non totaliter tollat, tamen multùm impedit, eo quòd non facilè potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur, cùm non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, & etiam quia communicatio plurium in uno officio, causat litem, sicut figuli corrixantur ad invicem; & similiter plures uxores unius viri.* Quibus verbis utramque partem nostræ conclusionis & docuit & probavit. Primam quidem, quia quod adversatur fini secundario matrimonij, est contra legem naturæ de ipso matrimonio: Sed poligamia quâ quis uno eodemque tempore plures uxores habet, adversatur fini secundo matrimonij: Ergo est con- C tra legem naturæ de ipso matrimonio. Major patet, Minor probatur, quia finis secundarius matrimonij est tum remedium contra concupiscentiam, quo non semper ad votum uti potest uxor, cujus vir pluribus copulatus est uxoribus; tum domesticæ gubernationis pax & tranquillitas, quæ sub pluralitate uxorum non nisi difficilè servari potest, cùm zelotypiâ laboret fragilis fœminarum sexus, & fieri nequeat, ut viri affectus non magis erga unam feratur, quàm erga aliam. Unde Sara Genes. 21. Agar domi tolerare non poterat, & Rachel Genes. 30. Liæ propter fœcunditatem invidebat. Addo quod non servantur in poligamia paria jura inter virum & uxo- D rem, nam singulæ uxores tradunt plenum dominium sui corporis in virum, cùm tamen vir non tradat plenum sui corporis dominium in singulas uxores; unde non est justus contractus, cùm non servet ex utraque parte justitiæ leges. Id confirmat S. Thomas 3. contra Gent. cap. 124. exemplo horum animalium in quibus patri inest aliqua solicitudo de prole, nam in his unus mas non habet nisi unam fœminam; sicut patet in columbis, & aliis avibus, quæ simul nutriunt pullos; præsertim verò in turture, cujus hoc singulare videtur, ut post sui comparis mortem, alium ulteriùs non quærat cui jungi possit: Hinc meritò Scriptura mysticam sponsam turturi com- E parat, ut piè ac eleganter expendit D. Bernardus serm. 40. in Cantica. *Cur* (inquit) *ejus genæ sicut turturis? Pudica est avicula, & conversatio ejus non cum multis, sed solo degere fertur contenta compare; ita ut si eum amiserit, alterum non requirat, sed sola deinceps conversetur. Tu ergo qui hæc audis, non otiosè audi. Esto solitarius quoque sicut turtur, ut soli omnium serves teipsum, quem præ omnibus elegisti.*

44. Potest insuper eadem pars suaderi, ex ipsa primæva matrimonij institutione, in qua Deus non pluribus sed uni mulieri virum copulavit; nec dixit quod vir adhæreret uxoribus, sed uxori; nec quod

esset tres vel plures, sed duo in carne una. Unde Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum cap. 5. *Dnas* (inquit) *tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. Nam Deus qui fecit hominem ab initio, masculum unum fecit, & unam fœminam tantùm, cui potuit utique si vellet duas uxores tribuere, sed noluit. Scriptum quippe est: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: non dixit uxoribus. Et iterum: Erunt duo in carne una, masculus scilicet & fœmina in carne una, & non tres aut plures,* Item Hieronymus exponens verba illa Christi Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos,* subdit: *Dicendo masculum & fœminam, ostendit secunda vitanda con-* B *jugia: non enim ait masculum & fœminas, sed masculum & fœminam, ut unius conjugij consortia necteretur.*

45. Demum probatur eadem pars hoc discursu: Si poligamia non esset contraria legi naturæ, sed per eam licita, à principio orbis conditi, quando propagari cœpit genus humanum, & continuò post diluvium, quando reparari cœpit, Deus eam instituisset, utpotè valde tunc temporis conducentem ad propagationem generis humani: Sed illis temporibus aliquid tale institutum à Deo, & consequenter factum ab hominibus, non legimus; solùm enim Genes. 4. dicitur Lamech accepisse duas uxores, qui idcircò reprehenditur C à D. Hieronymo lib. 1. contra Jovinianum, cap. 8. & à Nicolao 1. ad consulta Bulgarorum cap. 5. quorum verba infra paragrapho 4. referemus: Ergo signum est, quod lex naturæ eo tempore poligamiam, seu pluralitatem uxorum sub uno viro, tanquam sibi contrariam prohibebat.

46. Confirmatur: Si poligamia non esset jure naturæ prohibita, antiqui Patres sub lege naturæ, vel scripta, eâ licitè uti absque dispensatione potuissent: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet, nam poligamia tempore legis naturæ, vel legis scriptæ, nullo erat præcepto Dei positivo prohibita; unde si lege naturæ non prohiberetur, potuissent licitè eâ uti antiqui Patres, absque dispensatione. Minor verò D probatur ex Innocentio III. cap. *Gaudemus*, de divortiis, ubi sic ait: *Nec illi unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum.* Similiter Chrysostomus homil. 56. in cap. 30. Genesis, docet consuetudinem habendi plures uxores, fuisse iniquam, citra divinam dispensationem.

47. Secunda pars conclusionis, quæ asserit polygamiam, seu uxorum pluralitatem sub uno viro, fini primario matrimonij non adversari, probatur primò ex D. Thoma suprà citato, expressè dicente, pluralitatem uxorum, neque totaliter tollere, neque aliqualiter impedire primum finem matrimonij. Nec valet quod ait Petrus de Ledes- E ma, D. Thomam loqui de fine primario matrimonij, præcisè quoad prolis generationem, non verò quoad ipsius educationem. Nam verba S. Doctoris hæc sunt: *Pluralitas uxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit matrimonij primum finem, cùm unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, & educandis filiis ex eis natis.* Ex quibus liquet, ipsum loqui de fine primario matrimonij, non solùm quoad prolis generationem, sed etiam quoad ipsius educationem.

48. Probatur secundò eadem pars ratione quam A Sanctus Thomas verbis illis insinuat: Potest unus vir non solùm plures uxores fœcundare, sed etiam educationi & institutioni filiorum qui ex eis haberi possunt, sufficienter providere: At qui in illis duobus præcisè consistit finis primus matrimonij: Ergo poligamia non adversatur directè & immediatè fini illi, sed tantùm fini secundario, videlicet mutuo obsequio, societati, & communicationi operum inter utrumque conjugem.

Probatur tertiò: Deus totum populum Judaï- 49.
cum in poligamia seu uxorum pluralitate dispensavit: At si illa esset contra finem primum matrimonij, Deus talem dispensationem toti Judæorum populo non concessisset: Ergo uxorum pluralitas primo fini matrimonij non adversatur, sed tantùm fini secundario. Major constabit ex infrà dicendis, Minor verò suadetur ex doctrina D. Thomæ infrà quæst. 67. art. 2. ibi enim docet expressè, quod licèt possit Deus dispensare etiam contra prima præcepta legis naturæ, ut patet in dispensatione facta Abrahæ in occisione filij innocentis, tales tamen dispensationes non fieri communiter ad omnes, sed ad aliquas singulares personas, sicut etiam in miraculis accidit: At si uxorum pluralitas sit contra finem primarium matrimonij, prohibitio poligamiæ numeranda erit inter prima præcepta legis naturæ, primum enim præceptum naturale in unoquoque genere est de primario fine naturali talis generis, & de contrariis ipsi vitandis: Ergo si uxorum pluralitas esset contra finem primarium matrimonij, Deus in ea totum Judæorum populum non dispensasset, sed solùm cum aliquibus singularibus personis, putà cum Patriarchis, Regibus, & Tribuum capitibus.

Ad majorem hujus secundæ partis intelligen- 50.
tiam, observandum est, quod quando diximus, poligamiam fini primario matrimonij non adversari, sed tantùm secundario, hoc intelligi debet de poligamia, quæ certum dicit numerum uxorum, quas unicus vir fœcundare potest; si enim tantus esset illarum numerus, quod unus ad illas fœcundandas non sufficeret, fini primario matrimonij talis poligamia sine dubio repugnaret, quia multitudo illa conjugum sterilitatem causaret, ut observat Plutarchus in vita Licurgi, & libello de garrulitate, & lib. 5. de placitis Philosophorum, & in Salomone, cui tot fuerunt Reginæ & concubinæ, manifestum est. Mirum enim, quod ex tot uxorum & concubinarum gregibus, non nisi masculam unam prolem Salomon susceperit, nempè Roboamum, & duas præterea filias Eraphet & Basemat, ut dicitur 4. Regum 11. unde de illo hæc ait Suidas: *Ex mille uxoribus solus illi natus est Roboam filius, & ipse ex alienigena Naama Ammonitide, indignus imperio.*

§. III.

Solvuntur objectiones.

51. COntra primam partem conclusionis objicitur primò: D. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 4. sic habet: *Cùm Abraham duxit Agar, non commisit in legem, sed legem prævenit:* Ergo supponit quod nondum erat lex vetans pluralitatem uxorum, ac subinde quod hæc lex non est naturalis. Item D. Augustinus lib. 22. contra Faustū cap. 47. docet pluralitatem uxorum factam esse licitam per consuetudinem: *Quando* (inquit)

Universidad de Deusto
Biblioteca

mos erat, crimen non erat; & nunc propterea crimen est, quia mos non est: Ergo cùm consuetudo prævalere non possit contra jus naturæ, pluralitas uxorum non adversatur legi naturæ; imò ait quod non erat contra aliquod præceptum, quia nullâ lege erat prohibita.

52. Confirmatur: Idem S. Doctor lib. 1. de nuptiis cap. 9. & lib. de bono viduitatis cap. 7. probat virorum pluralitatem naturæ matrimonij adversari, non autem uxorum multitudinem, ex eo quod vir caput sit, ac principem in familia locum obtineat, fœmina autem subdita sit: At ea principij dominantis natura est, ut singularitatem amet, secùs autem est de subjecti natura; ut in corpore animato unum solum est caput, & B multi pedes, & in qualibet familia plures servi uni domino subjiciuntur: Ergo ex Augustini doctrina, licèt pluralitas virorum sub una uxore, sit contra jus naturæ, non tamen pluralitas uxorum sub uno viro.

53. Ad objectionem respondeo, sensum verborum Ambrosij esse quod Abraham ducendo Agar prævenit legè positivam, quæ nòdum prohibebat poligamiam; cum quo stat quod lex naturæ, jam ipsam prohiberet. Augustinus verò non loquitur absolutè, sed tantùm suppositâ divinâ dispensatione, quæ consuetudinem induxit in lege Mosaïca de poligamia, & eam fecit esse licitam: nunc autem quia nulla est dispensatio, quæ morem faciat licitum, non licet. Quando verò addit, quod habere simul plures uxores non erat contra aliquod præceptum, quia nullâ lege prohibitum erat, loquitur præcisè de lege positiva, ita ut sensus propositionis ejus sit, poligamiam in veteri testamento non fuisse peccatum, quia non erat contra legem positivam; legi autem naturæ licèt adversaretur, tamen erat quoad hoc dispensatio.

54. Ad confirmationem verò dicendum, mentem Augustini in ea comparatione quam facit locis citatis, capitis ad pedes, & domini ad servos, solùm esse ostendere, non ita juri naturæ adversari pluralitatem uxorum sub uno viro, ac pluralitatem virorum sub una uxore.

55. Objicitur secundò universalis consensus ferè omnium nationum ac gentium, quæ nunquam poligamiam ut matrimonij legibus adversam damnarunt, quin facto ipso eam approbarunt; nec tantùm barbaræ & vulgares, sed etiam excultæ & sapientes, ut Athenienses, qui teste Hieronymo Rhodio apud Michaëlem Medinam, suprà citatum, duas admittebant uxores; & Socrates ipse, severissimus juris naturalis interpres, duas admisit, Xantippem, & Mirto. Item Julius Cæsar, ut refert Suetonius in ejus vita, permisit viris ut quot vellent uxores haberent, liberorum procreandorum causâ, & Valentinianus senior (teste Socrate lib. 4. historiæ cap. 31.) Severâ priore ejus conjuge adhuc vivente, Justinam duxit, ac legem tulit, ut cuicunque volenti liceret habere duas uxores legitimas. Demum viri sanctissimi in veteri lege plures simul uxores habuere, ut Abrahamus Saram & Agar, Genes. 6. Jacob Liam & Rachel, Balaam, & Zelpham, Genes. 29. & 30. Helcana Annam & Phenennam 1. Regum 1. & Moyses Mariam & Æthiopissam Num. 12.

56. Respondeo gentes illas, quamvis excultas & sapientes, erasse in pluribus juri naturæ ac lumini rationis repugnantibus, præcipuè verò colendo plures Deos: quid ergo mirum, quod poligamiam, seu uxorum pluralitatem admiserint, cùm politheismum, seu pluralitatem Deorum, lumini naturali magis repugnantem docuerint. Idem dicendum de Socrate, quamvis ipsum poligamiam seu uxorum pluralitatem non valdè approbasse testetur Aulus Gellius lib. 1. noct. Attic. cap. 17. ubi refert quod Socrates admiranti Alcibiadi, quod duas domi ferret uxores, respondit: *Hæ me domi docent tolerantiam, quâ in publico utendum est.* Euripides etiam, qui pariter duas uxores habuit, dicebat in Andromache, teste eodem Gellio, libro 15. noct. Attic. cap. 20

Nunquam duplicia connubia collauda,
Neque binas matres habentes liberos,
Rixas quidem domorum, tristesque offensas.

Quantùm ad Valentinianum, falsum est quod Socrates loco citato de eo refert, ut ostendit Baronius tomo 4. ad annum Christi 360. licèt enim Valentinianus senior Justinam duxerit, non tamen nisi defunctâ Severâ, priore conjuge. Demum quoad Abrahamum, Jacob, Moysem, & alios antiquos Patres, dicendum est, Deum in poligamia, seu uxorum pluralitate, cum illis dispensasse, ut constabit ex infrà dicendis.

57. Objicitur tertiò: Si Rex aliquis vel Princeps duxisset in uxorem mulierem sterilem, & proles vel esset necessaria, vel maximè utilis Reipublicæ, ratio naturalis dictaret, ipsum in eo casu C posse aliam uxorem ducere, ad suscipiendam ex ea sobolem; præsertim si prima uxor consentiret, & cederet juri quod habet in corpus mariti: Ergo poligamia, seu uxorum pluralitas, non videtur juri naturali contraria.

58. Confirmatur: Si poligamia legi naturæ repugnaret, maximè quia paci & tranquillitati domesticæ adversatur, ut suprà ostensum est: Sed hæc ratio non valet, cùm non minùs difficile sit cum una fœmina litigiosa habere pacem, quàm cum duabus modestis: Ergo &c.

59. Ad objectionem respondeo, concedendo Antecedens, *id enim quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundùm quod communiter accidit,* D *& non secundùm quod in aliquo casu potest accidere*, ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 154. art. 2. Unde licèt in aliquo casu extraordinario poligamia necessaria videatur vel utilis Reipublicæ, non sequitur eam jure naturæ esse licitam. Nec obstat quod uxor consentiat ut maritus alteri nubat, non potest enim in hoc cedere juri suo, quia bonum publicum matrimonij prohibet talem cessionem; sicut lex humana interdum prohibet, ne quis cedat bonis propriis.

60. Ad confirmationem, nego Minorem, & ejus probationem; ex matrimonio enim cum una uxore, quantumvis rixosa & seditiosa, non sequitur perturbatio illa domûs & œconomiæ, quæ ex poligamia sequitur, nimirum quod plures uxores decertent de usu rei cuique illarum propriæ, videlicet de usu corporis sui viri. E

61. Objicitur quartò contra secundam partem conclusionis testimonium D. Thom. 3. contra Gent. cap. 124. sic dicentis: *In omni animalis specie in qua patri inest aliqua solicitudo de prole, unus mas non habet nisi unam fœminam, sicut patet in omnibus avibus, quæ simul nutriunt pullos, non enim sufficeret unus mas auxilium præstare in educatione prolis pluribus fœminis. In animalibus autem in quibus maribus nulla est solicitudo de prole, indifferenter mas habet plures fœminas, sicut in canibus, gallinis, & hujusmodi. Cùm autem masculo inter*

inter omnia animalia sit magis cura de prole in specie humana: manifestum est, quod naturale est homini, quod unus mas unam fœminam habeat, & è converso. Ex quibus hoc potest formari argumentum: Ideò probat D. Thomas naturale esse homini, quòd unus mas habeat tantùm unam fœminam, quia in omni animalis specie, in qua patri est cura de prole, unus mas non habet nisi unam fœminam: Atqui in iis animalibus, in quibus patri est cura de prole, ideò mas non habet nisi unam fœminam, quia pluralitas fœminarum esset contra finem primum quem natura intendit in conjunctione ipsorum, videlicet contra educationem prolis: Ergo idem dicendum est de pluralitate uxorum in specie humana, eam nimirum esse contra finem primarium matrimonij, & non solùm contra secundarium, alioquin B argumentum D. Thomæ nihil concluderet.

62. Respondeo negando paritatem: Disparitas est, quòd in specie humana unus homo sufficit plurium uxorum filiis educandis; in aliis verò animalibus, in quibus patri est solicitudo de prole, unus mas non sufficit plurium fœminarum fœtibus educandis. Neque tamen ex hac disparitate sequitur argumentum D. Thomæ esse inefficax, quia, ut rectè advertit Ferrariensis, sensus illius est, quòd sicut solicitudo quæ inest patri de prole, est aliis animalibus ratio quòd una sit unius, ita & in hominibus; cum ista tamen differentia quòd in aliis animalibus solicitudo illa impediretur immediatè per hoc quod unus mas haberet C plures fœminas; in homine verò non impediatur immediatè per poligamiam, sed tantùm aliquid ex illa solicitudine ortum habens, videlicet communis convictus & communicatio in operibus vitæ necessariis inter virum & uxorem, quod est finis tantùm secundarius naturæ in matrimonio.

63. Objicitur quintò: Quod repugnat essentiæ matrimonij, fini ejus primatio ac principali adversatur: At pluralitas uxorum sub uno viro, essentiæ matrimonij repugnat: Ergo fini ejus primario ac principali adversatur. Major patet, Minor probatur. Matrimonium consistit essentialiter in mutua corporum traditione: At omnino repugnat corpus uni uxori à marito traditum, alteri similiter tradi: Ergo pluralitas uxorum sub uno viro, essentiæ matrimonij adversatur.

64. Confirmatur: Apostolus 1. ad Corinth. 7. sic ait: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ubi vir & mulier æquiparantur, quoad mutuam corporum potestatem tradendam: Ergo sicut naturæ matrimonij prorsus repugnat, mulierem non ita in solidum tradere sui corporis potestatem uni viro, ut adhuc possit alteri viro eam tradere: ita similiter repugnare videtur essentiæ matrimonij, quod vir ita uni uxori potestatem sui corporis tradat, ut nihilominus sibi reservet facultatem tradendi illud E alteri uxori.

65. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, & ad ejus probationem dico, sufficere ad matrimonij essentiam & veritatem, quod vir tradat uxori suum corpus, quantùm sufficit ad liberorum procreationem; unde cùm unus vir plures mulieres fœcundare possit, & ex illis, liberos procreare, non repugnat essentiæ matrimonij, quod vir pluribus nubat uxoribus, benè tamen quod una mulier pluribus viris nubat; quia ut suprà dicebamus, diversorum seminum com-

mixtio, vel omnino impedit procreationem prolis, vel saltem illam reddit incertam ex parte patris, subindeque ejus educationi repugnat, cùm educandæ prolis cura præcipuè patri incumbat.

Ad confirmationem dico, Apostolum loqui 66. de matrimonio in lege Evangelica, in quo est mutua & æqualis traditio corporis utriusque conjugis in solidum; quia non solùm pluralitas virorum sub una uxore, sed etiam pluralitas uxorum sub uno viro, repugnat fini quem habet matrimonium in lege nova, nimirum significationi conjunctionis Christi cum Ecclesia, ut paragr. 1. ostensum est.

§. IV.

Aliquæ difficultates circa tempus, modum, & personas, quas Deus in poligamia dispensavit, breviter resolvuntur.

67. Quæres primò, quandonam primùm licitum fuerit plures uxores simul habere?

Respondeo id solùm fuisse licitum post diluvium, non verò ante diluvium. Nam post diluvium, Abraham, Jacob, David, & alij viri sanctissimi, plures habuere uxores, quos tamen hac de re Scriptura non reprehendit, ut de aliis quæ perperam interdum fecerunt. Econtra verò cùm Lamech ante diluvium duas uxores simul duxisset, à SS. Patribus, ut de flagitio & adulterio, reprehenditur. Sic enim Nicolaus Papa causâ 24. quæst. 3. cap. 19. Lotharium Regem, qui duas simul uxores acceperat, alloquitur: *An non districtâ ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech, & flagitium imitatus esse dignosceris?* Et Hieronymus lib. 1. contra Jovin. cap. 8. *Una costa* (inquit) *à principio in unam uxorem versa est, &c. Primus Lamech sanguinarius & homicida, unam carnem in duas divisit uxores. Fratricidium & bigamiam eadem catecliſmi delevit pœna.*

68. Ratio verò hujus discriminis, cur scilicet ante diluvium poligamia non licuerit, secùs verò post diluvium, hæc assignatur à D. Chrysostomo homil. 56. in Genes. & ab aliis communiter: quia nimirum ante diluvium longissima homi- D num vita faciebat ut matrimonium unius cum una sufficeret propagationi necessariæ generis humani; postea verò propter vitam longè breviorem, *permissum fuit cum duabus vel tribus vel pluribus uxoribus misceri, ut humanum genus propagaretur*, & suppleretur per uxorum multitudinem defectus vitæ longioris.

69. Licèt verò aliqui existiment in lege Mosaïca, non fuisse dispensatum in poligamia cum toto populo Judæorum, sed solùm cum Magnatibus & Principibus: oppositum tamen probabilius est. Primò quia habemus ex libro 1. Regum cap. 1. dispensatum fuisse cum Elcana, Samuëlis patre, qui habuit uxores simul Annam & Phenennam. Secundò, quia dum Deuteron. 21. dicitur: *Si homo habuerit duas uxores: unam dilectam, & alteram odiosam*, non reprehenditur is qui duas uxores habet, sive sit de populo, sive non, sed constituitur, ut jus primogenituræ cedat ei qui revera est primogenitus, etiam si natus sit ex odiosa uxore.

70. Dices, si in lege Moysis omnibus passim liceret poligamia, cur Salomon 3. Regum 11. reprehenditur, quòd multas duxerit & adamaverit uxores?

Respondent aliqui apud Abulensem 3. Re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gum 12. quæst. 5. Salomonem reprehendi non quòd plures, sed quòd plurimas duxerit uxores, scriptum est enim Deuteron. 17. *Rex non habebit uxores plurimas.* Licèt ergo (inquiunt) in lege Moysis poligamia licita esset, attamen certum solùm ac definitum uxorum numerum Regibus habere licebat, nimirum decem & octo; tot enim, & non plures, Davidem habuisse, affirmant Lyranus & Dionysius Carthusianus 2. Reg. 5. & 15.

71. Verùm hæc responsio displicet, non fuisse enim Regibus Hebræorum definitum uxorum numerum, verius est, & constat ex 2. Paralip. 11. ubi de Roboam dicitur: *Uxores decem & octo duxerat, concubinas autem sexaginta.* Quod autem extat Deuteron. 17. de non habendis à Rege plurimis uxoribus, de alienigenis intelligi debet; prohibita enim cum illis fuisse conjugia, patet ex 3. Regum 11. ubi sic dicitur: *Non ingredimini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* Peccatum ergo Salomonis, non in eo constitit quòd plurimas mulieres uxores duxerit, sed quòd alienæ regionis fœminis junctus fuerit, & ab eis depravatus, ac inductus ut coleret deos earum. Unde statim subditur: *His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore, fuerunt illi uxores quasi Reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ, & averterunt mulieres cor ejus: cùmque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos, &c.*

72. Quæres secundò, quomodo facta fuerit dispensatio in poligamia cum Judæis, & antiquis Patribus, qui Moysem præcesserunt, an scripto, vel internâ solùm inspiratione & revelatione?

Respondeo hanc dispensationem factam esse per inspirationem internam, eamque non singulis, sed uni aut alteri ex Patriarchis, putà Noëmo, vel Abrahamo. Nam ut rectè ait S. Thomas in 4. dist. 33. quæst. 1. art. 2. ad 3. *Qualis est lex, talis est dispensatio legis; & quia lex naturæ non est litteris scripta, sed cordibus impressa; propter hoc non oportuit dispensationem eorum quæ ad legem naturæ pertinent, lege scriptâ dari, sed per internam inspirationem fieri.* Sicut ergo lex monogamiæ non fuit scripta, sed primò parenti inspirata, & per eum aliis manifestata; sic etiam conveniens fuit, ut dispensatio in ea lege, non scripto exprimeretur, sed per inspirationem divinam daretur uni vel pluribus ex Patribus, per quos deinde verbo & exemplo posteris manifestaretur. Unde cùm Innocentius in capite *Gaudemus* de divortiis, ait quod *nulli unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divinâ revelatione concessum,* intelligi debet de revelatione immediata, vel mediata.

73. Quæres tertiò, an hæc dispensatio pertinuerit ad solum populum fidelem, ita ut poligamia nunquam Gentilibus licita fuerit?

Respondent Soto, Sanches, & alij, affirmativè, cùm enim (inquiunt) dispensatio facta non fuerit, nisi ad propagandum populum circumcisionis, non est cur ad Gentiles ampliata credatur.

Alij tamen respondent negativè: Primò quia Abimelech, qui Genes. 20. describitur ut vir moraliter bonus, volebat uxori quam habebat superinducere Saram, & tamen non reprehenditur à Deo, quòd duplicem uxorem vellet ducere, sed quòd eam quæ esset uxor alterius vellet accipere. Secundò, quia in terra ubi Jacob quatuor duxit uxores, inculpabilis consuetudo erat plures uxores ducendi; ex quo colligit Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 47. Jacob non peccasse nubendo quatuor illis uxoribus; *quia* (inquit) *quando mos erat, crimen non erat.* Terra autem in qua Jacob toties nupsit, non Judæorum, sed Gentilium erat. Tertiò, quia Esaü Genes. 26. & 28. plures etiam uxores simul duxit, neque ob id reprehenditur, neque ullus ex Gentilibus ejus temporis. Demum, quia aliàs matrimonium Esther cum Assuero, non fuisset verum matrimonium; licèt enim Vasthi priùs repudiaverit, tamen cùm dissolutio matrimonij per repudium, non minùs sit contra legem naturæ, atque adeò non minùs dispensatione indigeat, quâ poligamia, non est cur potius in illa, quàm in ista, dicatur cum Gentilibus divinitùs dispensatû.

Quod si objicias, causas dispensationis in poligamia non habuisse locum in Gentilibus.

Respondetur hoc falsum esse, nam in primis 74. multiplicatio posteritatis, quam D. Augustinus lib. 16. de civit. cap. 38. expressit ut causam talis dispensationis, non addendo populi fidelis, locum habuit etiam in Gentilibus. Deinde non defuit mysterium in tali dispensatione, siquidem hæc conjunctio plurium uxorum ad unum virum, significare potuit, etiam in Gentilibus, unionem diversorum populorum ad unum Christum.

Si instes, & dicas, posito quod conjugia Gen- 75. tilium cum pluribus uxoribus, fuerint ex divina dispensatione legitima, ante adventum Christi, sequi quod nunc etiam sint legitima; quia lex Christiana nihil immutavit in conjugiis Gentilium. Respondetur negando sequelam, quia Christus reduxit omne conjugium sive Christianorum sive Gentilium ad suam primam institutionem: prima autem matrimonij institutio, poligamiam excludit, ut ex verbis illis Christi Matthæi 19. *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una:* colligunt Nicolaus I. & D. Hieronymus, quorum verba suprà paragr. 2. retulimus.

Quæres quartò, an omnes illæ mulieres, quas 76. Sancti Patres tempore legis naturæ, vel scriptæ, dicuntur habuisse uxores, fuerint veræ uxores, vel tantùm concubinæ?

Ratio dubitandi est primò, quod Scriptura non dicat Abrahamum accepisse Agar uxorem, sed ingressum esse ad ancillam uxoris, & ubique videtur Scriptura recusare Agar appellare uxorem. Imò verò Genes. 25. appellatur concubina.

Secundò, si Agar fuisset vera uxor Abrahami, filius illius Ismael fuisset legitimus hæres, præsertim cùm esset primogenitus: Scriptura autem dicit, *non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ:* non ergo erat legitima uxor Agar.

Dicendum tamen est, omnes illas mulieres 77. quas habuerunt Sancti viri, tempore legis naturæ, vel scriptæ, fuisse veras illorum uxores. Tum quia Scriptura Genes. 16. dicit Saram dedisse Agar ancillam suam uxorem viro suo. Tum etiam, quia D. Paulus ad Galat. 4. interpretatur magnum mysterium fuisse in duabus illis mulieribus quas habuit Abraham, & in duobus filiis; quia nimirum, sicut Ismael filius ancillæ significabat Judæos, filios Synagogæ; Isaac filius liberæ significabat Christianos, filios Ecclesiæ Catholicæ: ita necesse est, ut Agar ancilla

ancilla significaverit Synagogam, & Sara libera significaverit Ecclesiam: Synagoga autem non fuit Deo copulata per adulterium, sed per verum matrimonium; propterea, ut idem Paulus interpretatur, donec Synagoga mortua fuerit, Christus non duxit aliam uxorem, id est aliam Ecclesiam: Ergo Agar non fuit adultera, sed vera uxor Abrahami. Addo quod valde durum videtur de SS. illis Patribus dicere vel cogitare, quod cum illis mulieribus adulterium frequenter commiserint, quod dicendum esset, si eas pro veris uxoribus non habuissent. Unde

78. Ad primum argumentum in contrarium respondeo, Scripturam Genes. 6. Agar appellare uxorem, sed quia non erat uxor eadem dignitate quâ erat Sara, domina illius, Scriptura cum loquitur de Agar, differentiæ causâ, abstinet à nomine uxoris, & vocat ancillam. Nec obest quod illam interdum appellet concubinam, uxores enim in Scriptura aliquando appellantur concubinæ, ut constat Genes. 25. & sanè, si spectes vim nominis, cùm à concumbendo concubina dicatur, & uxor concumbat, verè concubina dici potest. Unde Cetura vera fuit uxor Abrahæ, ut legimus in eodem loco, & tamen ibidem paulò inferiùs concubina appellatur. Adnotavit hoc S. Augustinus lib. 16. de civit. cap. 34.

79. Ad secundum dico, non omnes filios qui erant susceptiex legitimo matrimonio fuisse hæredes, neque apud Judæos, neque apud Romanos. Nam aliqua uxor ducebatur non tantùm ad generandos filios, sed etiam ad gubernandam familiam, & ad communionem hæreditatis, quæ uxor vocabatur materfamilias: aliquando verò ducebatur uxor solùm ad suscipiendos liberos, non ad gubernandum familiam, aut ad jus hæreditatis, quæ vocabatur matrona, quasi mater, sed non materfamilias, ut scribit Gellius libro 18. capite 6. Unde propterea Ismael non fuit hæres, quamvis esset primogenitus; quia non erat filius, matrisfamilias, sed matronæ.

DISPUTATIO II.

De Matrimonio ut Sacramentum est.

Ad quæst. 42. Supplementi.

CONSIDERATO matrimonio, ut contractus civilis est, & in officium naturæ, consequens est ut ipsum, prout authoritate Christi ad esse & dignitatem sacramenti elevatum est, contemplemur, & de ejus existentia, essentia, causis & proprietatibus, aliisque ad ipsum spectantibus, disseramus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Matrimonium sit verè & propriè Sacramentum, conferens gratiam?

1. ANtequam doctrina Evangelica prædicaretur, nulla gens erat quæ abhorruisset à matrimonio tanquam à re detestabili, sed post exortum Evangelium, quia Christus magnoperè commendavit castitatem & continentiam, continuò extiterunt quidam inter Christianos adeò severi, ut nihil interesse putarint inter matrimonium & scortationem, tantùm abest ut existimaverint illud esse sacramentum: quemadmodum Paulus vaticinatur in epistola ad Timotheum cap. 4. Imò viventibus adhuc Apostolis, nonnullos jam hujus sectæ hæreticos fuisse, constat ex Clemente lib. 4. instit. cap. 4. Unus ex antiquissimis eorum fuit Marcion, teste D. Hieronymo libro 1. adversùs Jovinianum. Tatianus quoque antiquissimus Justini Discipulus, nuptias damnavit, auctore Epiphanio hæresi 46. & Augustino in libro ad Quodvultdeum capite 25. ubi etiam scribit Encratitas, & Adamitas, seu Adamianos, in eodem fuisse errore.

Nuptias tamen esse licitas & bonas de fide certum est, Deus enim illas instituit & fecit in Paradiso terrestri inter Adamû & Evam, ut colligitur ex verbis Christi Matth. 19. & ipse Christus in Cana Galileæ illis interfuit, ibique primum miraculorum suorum patravit. Unde Augustinus Tract. 9. in Joan. *Quod Dominus invitatus venerit ad nuptias, confirmare voluit quod ipse fecit nuptias, futuri enim erant de quibus ait Apostolus prohibentes nubere, & dicentes quod mala essent nuptiæ.* Et infra: *Per hoc Dominus invitatus venit, ad nuptias, ut conjugalis castitas firmaretur, & ostenderetur sacramentum nuptiarum.* Addo quod Apostolus 1. Corinth. 7. ait: *Iis autem qui matrimonio junctis sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere.* Et infra: *Si acceperis, uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo non peccavit.* Et ad Hebræos cap. 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Quibus verbis matrimonium & licitum & sanctum esse apertè testatur. Unde in synodo Gangrensi Can. 1. sic dicitur: *Si quis vituperat nuptias, & dormientem cum viro suo fidelem ac religiosam detestatur, aut culpabilem æstimat, velut quæ inregnum Dei introire non possit, anathema sit.*

Dices primò: Quod secundùm indulgentiam 3. duntaxat conceditur, non secundùm imperium, malum est; siquidem indulgentia culpam supponit, quæ condonetur: Sed Apostolus 1. ad Corinth. 7. matrimonium concedit secundùm indulgentiam duntaxat, non secundùm imperium: ergo matrimonium non est bonum.

Respondeo negando Minorem, nam quando Apostolus matrimonialem concubitum, secundum indulgentiam tantùm concedit, loquitur de conjugali concubitu qui fit secundùm incontinentiam, & ad sedandam concupiscentiam, non verò de illo qui fit solâ causâ procreandi prolem; primus enim est peccatum saltem veniale, unde indiget veniâ, alter verò culpabilis non est, sed bonus & honestus. Unde Augustinus lib. de bono conjugali cap. 7. *Conjugalis concubitus generandi gratiâ non habet culpam, concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum conjuge, propter fidem thori, venialem habet culpam.* Et de nuptiis & concupiscentia cap. 14. *ubi* (inquit) *venia danda est, aliquid esse culpæ nulla ratione negabitur. Cum igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui propriè nuptiis imputandus est, quid secundùm veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges dum se continèt, debitum ab alterutro carnis expoſcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quo circa etiam hinc sunt laudabiles nuptiæ, quia & illud quod non pertinet ad se, ignoscit*

Universidad de Deusto
Biblioteca

faciunt propter se. Quibus verbis S. Doctor solutionem nostram diserte approbavit & explicavit. A

Dices secundò : Quod non potest esse absque libidine malum est : Sed nuptiale commercium non potest esse absque libidine : ergo malum est, subindeque & ipsum matrimonium.

Respondeo distinguendo Minorem : non potest esse absque libidine, dominante, nego ; serviente, concedo. Solutio est etiam D. Augustini cap. 12. libri laudati de nuptiis & concupiscentia, ubi hæc habet : *Quia bona voluntas animi sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem, nec humanum arbitrium trahitur subjugante peccato, cùm justè redigitur in usum generandi plaga peccati. Hujus plagæ quidem pruritus in adulteriorum, & fornicationum, & quorumlibet stuprorum, atque immunditiarum fœditatibus regnat, in connubiorum verò necessitatibus servit. Ibi de Domino talis turpitudo damnatur : hìc de pedissequo talis honestas verecundatur. Non est igitur hæc libido nuptiarum bonum, sed obscenitas peccantium, lasciviarum ardor, nuptiarum pudor.* Et cap. 17. *In nuptiis tantùm bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum.....carnis autem concupiscentia non est nuptiis imputanda, sed toleranda. Non est enim ex naturali connubio subsequens bonum, sed ex antiquo peccato accidens malum.* B

Dices tertiò : peccatum originale ex nuptiali commercio velut ex fonte derivatur : Sed fons originalis peccati malus est : Ergo & nuptiale commercium, & per consequens ipsum matrimonium, malum est. C

Respondeo distinguendo Majorem derivatur ex nuptiali commercio, quatenus actus conjugalis est, nego Majorem. Quatenus est à concupiscentia, & fit mediante semine, primordialiter ab Adamo descendente, concedo Majorem. Solutio est D. Augustini lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 24. ubi hæc habet : *Natos non ex bono, quo bonæ sunt nuptiæ, sed ex malo concupiscentiæ, quo benè quidem utuntur nuptiæ, de quo tamen erubescunt & nuptiæ, reos diabolus parvulos tenet.* His præmissis, resolvendum est, utrum matrimonium in nova lege, verè & propriè habeat rationem sacramenti ? D

Partem negantem tenent Lutherani & Calvinistæ, qui non modò expressè negant, matrimonium conferre gratiam, sed dicunt illud non magis esse Sacramentum, quàm sit agricultura, tonstrina, sutoria, & similia. Durandus etiam in 4. dist. 26. quæst. 3. negavit rationem Sacramenti ullo modo matrimonio convenire ; sed cùm apud Catholicos ob sententiam illam malè audiret, in posteriori editione illam aliquo modo temperavit, & dixit (teste Capreolo in 4. dist. 26. quæst. unicâ art. 3.) matrimonium esse quidem Sacramentum, eo modo quo Sacramentum sumitur pro signo rei sacræ, nempè quatenus est signum conjunctionis inter Christum & Ecclesiam ; sed non esse Sacramentum propriè dictum, & univocè cum aliis novæ legis Sacramentis conveniens, quia non confert gratiam, sicut alia novæ legis Sacramenta. Ut hic error refellatur, & veritas Catholica stabiliatur & defendatur, sit E

§. I.

Matrimonium verè & propriè rationem Sacramenti habere, breviter ostenditur. 4.

MAtrimonium esse impropriè saltem Sacramentum, id est alicujus rei sacræ significativum, ita certum & manifestum videtur, ut vix probatione egeat : Tum ob celebre testimonium Apostoli ad Ephes. 5. matrimonium appellantis *magnum Sacramentum*, eò quòd sit repræsentativum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Tum ob varia SS. Patrum testimonia, infrà referenda, quibus etiam matrimonium Sacramentum appellatur, quod saltem de alicujus rei sacræ signo intelligendum est.

Nec valet quod ad prædictum Apostoli testimonium respondent Sectarij, nempe non matrimonium, sed conjunctionem Christi cum Ecclesia vocari ab Apostolo Sacramentum magnum, sive arcanum, nomenque proinde Sacramenti sumi ibi non pro signo rei sacræ, sed pro ipsa re sacra & arcana. Non valet, inquam, nam cùm Apostolus ait, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia :* pronomen *hoc* referri debet ad id quod proximè præcesserat : nihil autem præcesserat de conjunctione Christi cum Ecclesia, sed tantùm de matrimonio viri & mulieris, videlicet : *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una :* Ergo &c.

Confirmatur : Intentum Apostoli erat suadere viris ut diligerent uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam suam : Atqui ad hoc nihil facit, sed impertinenter omnino se habet, quòd conjunctio Christi cum Ecclesia sit magnum Sacramentum, benè tamen quòd matrimonium viri cum muliere, sit Sacramentum, sive signum illius conjunctionis ; quia ex hoc sequitur viros debere imitari Christum, diligendo nimirum uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam : Ergo Apostolus non conjunctionem Christi cum Ecclesia, sed ipsum matrimonium, *magnum Sacramentum* appellat : eò quòd sit repræsentativum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Unde in Græco sic habetur, εἰς χριστὸν καὶ τὴν ἐκκλησίαν, id est in Christum & in Ecclesiam, quatenus in illos repræsentandos tendit. Solùm ergo difficultas est, an matrimonium verè & propriè sit Sacramentum, seu signum practicum gratiæ sanctificantis, & gratiam conferat, sicut alia novæ legis Sacramenta. Pro cujus resolutione 5.

Dico, matrimonium esse verè & propriè Sacramentum, seu signum practicum & efficax gratiæ sanctificantis.

Conclusio est certa de fide, & definita primùm in Florentino, in decreto Eugenij, ubi matrimonium ponit inter septem Ecclesiæ Sacramenta, gratiam ita significantia, ut illam quoque contineant, & recipientibus conferant, quæque in eo dicit antecellere Sacramenta veteris legis. Deinde in Tridentino sess. 24. cap. 1. ubi sic dicitur : *Cùm igitur matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratiâ præstet ; merito inter novæ legis Sacramenta annumerandum, SS. Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.* Et can. 1. *Si quis dixerit, matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque conferre gratiam, anathema sit.*

Demum

Demum Concilium Senonense sub Clemente VII. anno 1528. celebratum, cap. 39. hæc habet : *Sanè cùm matrimonium à Deo rerum omnium conditore in Paradiso, & in statu innocentiæ institutum fuerit, sitque, teste Apostolo, Sacramentum, proinde cum magna reverentia ac devotione suscipiendum, utpote in quo, sicut & in reliquis Sacramentis, gratia conferatur.* Quibus verbis, non solùm docet matrimonium, sicut & reliqua novæ legis Sacramenta, conferre gratiam, sed etiam verba illa Apostoli, *Sacramentum hoc magnum est*, de Sacramento strictè & propriè sumpto interpretatur. In quo etiam sensu Tridentinum, capite suprà citato, eadem Apostoli verba intelligere videtur, ut patet ex verbis istis quæ ante suprà adducta ibidem habet : *Gratiam verò, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, suâ nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit dicens : Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, mox subjungens : Sacramentum hoc magnum est : Ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* A B

6. Ex his liquet, falsum esse quod aiunt Vazquez, Amicus, Pontius, & alij, ex eo loco Apostoli non satis convinci, matrimonium appellatum esse Sacramentum propriè & strictè, in ea significatione, quâ dicimus, septem esse novæ legis Sacramenta, sed Sacramenti nomen impropriè sumpsisse, ut significat aliquid abditum & arcanum, seu alicujus rei sacræ repræsentativum. Nam prædicta Concilia de Sacramento strictè & propriè sumpto verba illa Apostoli intelligunt, & interpretantur ; & ratio etiam huic interpretationi favere videtur : Apostolus enim loquitur de conjunctione Christi cum Ecclesia, per charitatem & gratiam, quandoquidem in eodem capite ait : *Sicut Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret,* & consequenter loquitur de Sacramento proprio, quod est signum gratiæ sanctificantis ; ut enim matrimonium hanc unionem per charitatem significet, necesse est, quod ad hoc sit inter virum & fœminam, ut mutuò se diligant per charitatem ; & cùm charitas non sit sine gratia, quòd sit signum gratiæ sanctificantis homines. C D

7. Potest insuper probari conclusio traditione Ecclesiæ, quæ colligitur in primis ex eo quod causæ matrimoniales semper ad Ecclesiæ tribunal delatæ sunt, quod non fieret, nisi sacræ essent, & nisi in matrimonio, præter rationem contractûs naturalis & civilis, esset etiam aliqua ratio sacra. Deinde, quia matrimonium constanter in Ecclesia tanquam res sacra sacris ritibus & cæremoniis celebrari consuevit, ut constat ex Tertulliano lib. 2. ad uxorem, ubi sic ait : *Unde sufficiunt ad emerendam felicitatem ejus matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio* (nempè Missæ sacrificium) *& obsignant Angeli*, hoc est Sacerdotes, sponsas benedicentes. Item matrimonium non nisi in Ecclesia, & coram Ecclesiasticis personis, celebrari consuevit ; quin & ipse Summus Pontifex matrimonij solemnitati olim adesse solebat, ut ex Siricio Papa probat Baronius anno Christi 57. num. 50. ita enim hic Pontifex ad Ecclesiam Mediolanensem scribit : *Nos sanè nuptiarum vota non aspernanter accipimus, quibus velamine interfuimus.* E

8. Eadem traditio constat authoritate Patrum : Siricius enim Epist. 1. ad Himericum Tarraconensem cap. 4. scribit sacrilegium committi, cùm maritus vivente conjuge ad aliud conjugium transit : Si autem matrimonium Sacramentum non esset, nullum sacrilegium committeret, qui relictâ suâ priori uxore, alteri se conjungeret in matrimonium ; sacrilegium enim non est quodcumque peccatum, sed tantùm illud quod in materia religionis committitur. Innocentius I. Epist. 9. ad Probum, consultus de matrimonio, vivente priori conjuge contracto, respondet : *Statuimus, fide Catholicâ suffragante, illud esse conjugium, quod primitùs erat gratiâ fundatum.* Ecce quo pacto sanctissimus hic Pontifex, matrimonium asserat in gratia fundari. Ambrosius lib. 1. de Abrahamo cap. 7. *Cognoscimus veluti præsulem custodemque conjugij esse Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui ; quod qui fecerit, quia peccat in Deum, cujus gratiam solvit, Sacramenti cœlestis amittit consortium.* Leo Papa Epist. 92. quæ ad Rusticum inscribitur, societatem nuptiarum ita esse institutam affirmat, *ut præter sexuum conjunctionem, haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum* ; indeque infert, mulierem in qua nuptiale mysterium non fuit, ad matrimonium non pertinere. Lucius III. in cap. *Ad abolendum*, de hæreticis, perpetui anathematis vinculo innodasse se dicit eos, *qui de baptismo, vel de confessione peccatorum, vel de matrimonio, & aliis Ecclesiæ Sacramentis, aliter sentire non metuunt, quàm Ecclesia docet.* Ubi matrimonium numerat cum Eucharistia, & aliis Ecclesiæ Sacramentis, & signis efficacibus gratiæ, à Christo institutis. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joan. cap. 22. assignans rationem, cur Christus ad nuptias Canæ Galilææ iverit, sic ait : *Ut nativitatis nostræ principium, quantùm ad carnem attinet, sanctificaret, oportebat certè, qui totam naturam hominis ab melius restaurabat, non solùm natis jam hominibus benedicere, verùm etiam nascituris gratiam præparare, & aditum illorum ad hanc vitam, & authoritate miraculi, & præsentiâ suâ sanctum facere.* Præparavit autem Christus gratiam filiis nascituris, conferendo illam in ipso conjugio parentibus, ut eos piè & religiosè educarent.

Demum, etsi Vazquez, Amicus, & alij ex Recentioribus, existiment, ex nullo Augustini testimonio, sufficienter colligi, matrimonium esse verè & propriè Sacramentum, id tamen S. Doctor non obscurè significavit lib. 1. de nuptiis cap. 10. & lib. de bono conjugali cap. 24. ubi comparat matrimonium, cum Baptismo & Ordine ; qui sunt verè & propriè Sacramenta. Non diffiteor tamen, aliud testimonium, quod ex cap. 18. ejusdem libri afferri solet, ubi ait quod *in nostrarum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas uteri*, parùm urgere ; quia ibi Augustinus, per sanctitatem Sacramenti, nihil aliud intelligit, quàm matrimonij indissolubilitatem, quâ Christianorum matrimonium infidelium conjugiis præstat, ut ipsemet apertè declarat cap. 24. ubi ait, talem Sacramenti sanctitatem esse, uxorem à viro non discedere. 9.

Cæterùm, quòd non solùm Latinæ, sed etiam Græcæ Ecclesiæ traditione habeamus, matrimonium esse verè & propriè Sacramentum, constat ex censura confessionis Augustanæ Lutheranorum, quam Hieremias, Patriarcha Constantinopolitanus, nomine suo, & reliquorum Græciæ 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præsulum, edidit anno 1576. in ea enim cap. 7. matrimonium, divinum esse Sacramentum affirmat, atque unum ex illis septem, quæ Christus & Apostoli Ecclesiæ tradiderunt. Ubi etiam citat ad idem probandum, celebre illud Apostoli ad Ephes. 5. testimonium: *Sacramentum hoc magnum est, &c.*

Non desunt etiam congruentiæ, quæ id suadeant: Cùm enim in usu matrimonij inflammetur concupiscentia, & absorbeatur ratio, congruùm fuit institui aliquod Sacramentum, quod concupiscentiam in illo actu temperaret. Item si ad gignendos filios spirituales, peculiarem gratiam Christus contulit Sacerdotibus novæ legis, quam Deus non contulerat Sacerdotibus legis antiquæ, cur persimilem negabimus collatam conjugibus ad filios carnales gignendos, piéque educandos, & ad alia onera matrimonij & officia sustinenda & exercenda convenienter? Demum, cùm Christus Matth. 19. abrogato repudio, matrimonium reddiderit indissolubile, & monogamum, ut ab initio erat; congruum fuit, ut ei gratiam adjungeret, ad superandas difficultates, quæ ex omnimoda indissolubilitate, & perpetua monogamia nascerentur; alioquin si matrimoniis Christianorum talis deesset gratia, longè intolerabilius esset matrimonij jugum in lege Evangelica, quàm in lege Mosaïca; antiquitùs enim ad compescendos effrænatos uxoris mores, licitum erat, per libellum repudij illam dimittere, vel aliam simul cum illa ducere; nunc verò neutrum licet, cùm Christus in lege Evangelica, libellum repudij, & poligamiam abrogaverit.

11. Porrò gratiam illam Sacramentalem, quam Christus matrimonio in lege Evangelica adjunxit, ipsum ad esse supernaturale Sacramenti elevando, expressisse videtur Apost. 1. ad Timoth. 2. ubi de muliere loquens, ait: *Salvabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione & sanctificatione, cum sobrietate*, sive temperantia conjugali. His enim verbis recensèt Apostolus quatuor bona, quæ in Christiano conjugio accipit mulier, & quibus conjuges Christiani, ut convenienti auxilio muniùntur, contra quatuor mala, quæ contractus matrimonialis secum advehit; videlicet fidem, contra adulterium; dilectionem, contra odium & rixas inter conjuges oriri solitas; sanctificationem, contra immunditiam & turpitudinem, ex membrorum rebellione, & ardore concupiscentiæ procedentem; sobrietatem, contra intemperantiam. In quibus donis permanendum ait, ut in ipsa matrimonij celebratione acceptis.

Hoc Sacramentum, licèt in ratione signi practici gratiæ, omnium infimum sit, tamen ut signum speculativum, & sacrarum rerum symbolum, cætera omnia antecedit; significat enim triplicem unionem sacratissimam, nimirum Dei cum anima quam sibi per fidem & charitatem desponsat; Christi cum Ecclesia, quam suo sanguine mundatam, & detersis maculis glorioſam, sibi sponsam effecit, & verbi Divini cum natura humana, quam sibi per unionem hypostaticam indissolubili fœdere copulavit. Unde D. Thomas ad Ephes. 5. lect. 10. ad illa verba Apostoli, *Sacramentum hoc magnum est*; sic ait: *Notandum est hìc quod quatuor sacramenta dicuntur magna: scilicet Baptismus, ratione effectus, quia delet culpam, & aperit januam paradisi. Confirmatio, ratione ministri, quia solùm à Pontificibus, & non ab aliis confertur. Eucharistia, ratione continentiæ, quia totum Christum continet. Item Matrimonium, ratione significationis, quia significat conjunctionem Christi & Ecclesiæ.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

12. OBjicies primò: Matrimonium inter primos parentes, aliosque sub lege veteri, & nunc etiam inter infideles, est verum matrimonium, & signum duplicis conjunctionis inter Christum & Ecclesiam, tum per naturam in Incarnatione, tum per gratiam in sanctificatione; neque tamen inter illos est Sacramentum propriè dictum: Ergo nec inter Christianos. Unde D. Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia disserens de Ecclesiæ Sacramentis, nullam facit mentionem matrimonij. Et D. Hieronymus in libro adversùs Jovinianum, matrimonium valdè deprimit, quod tamen non ageret, si Sacramentum esse censeret.

13. Respondeo, concesso Antecedente, negando Consequentiam; matrimonium enim inter Christianos hoc habet privilegium supra matrimonia legis naturæ & Mosaïcæ, ut non sit tantùm contractus civilis, aut Sacramentum latè & impropriè sumptum, sed etiam strictè & propriè, & quod ita repræsentet conjunctionem inter Christum & Ecclesiam, ut simul ejus participationem per gratiam sanctificantem exhibeat. Unde Tridentinum suprà relatum: *Cum igitur matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratiâ præstet, meritò inter nova legis Sacramenta numerandum, SS. Patres, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.* Ideò verò D. Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia, Ecclesiæ Sacramenta recensens, istius non meminit; quia cùm dissereret tantùm de Ecclesiastica Hierarchia, ratio ejus instituti postulabat, ut de illis tantùm Sacramentis ageret, quæ requirunt sacras actiones per Hierarchas seu Principes Ecclesiæ exercendas. D. autem Hieronymus, licèt disputans contra Jovinianum, qui matrimonium virginitati æquabat, referat illius incommoda, reverenter tamen de ipso loquitur.

14. Objicies secundò: Unum Sacramentum non pugnat cum alio: Sed matrimonium pugnat cum Sacerdotio, cùm Ecclesia Sacerdotes arceat à matrimonio: Ergo matrimonium non est Sacramentum.

Respondeo matrimonium non pugnare absolutè cum Sacerdotio, cùm in Ecclesia Græca conjugati in Presbyteros ordinentur, sed ratione statûs quem inducit, minùs benè cum eo convenire. Unde in Ecclesia Latina Sacerdotes non arcentur à matrimonio, propter rationem Sacramenti, sed ob rationem statûs conjugalis, magnum impedimentum functionibus Sacerdotis afferentis; debent enim Sacerdotes toti vacare Deo: *Qui autem cum uxore est* (inquit Apostolus 1. ad Corinth. 7.) *sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* Addo quod copula conjugalis continet immunditiem quandam & indecentiam in Sacerdote, qui filium Virginis, & ipsum virginem, atque omnis puritatis fontem, quotidie debet manibus attrectare. Unde Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum num. 21. expendens verba illa Abimelec Sacerdotis

Sacerdotis ad Davidem: *Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?* ut scilicet permitterentur edere de panibus propositionis, subdit: *Panes enim propositionis, quasi corpus Christi, de uxorum cubilibus consurgentes, edere non poterant.*

15. Objicies tertiò: Copula carnalis est pars matrimonij, neque sine illa matrimonium subsistere potest: Sed copula carnalis gratiam conferre nequit, tum quia talis actus exercetur interdum cum peccato veniali, tum etiam, quia ut dicitur can. *Connubia* 32. quæst. 2. *non datur præsentia sancti Spiritûs ei qui officio generationis obsequitur*: Ergo matrimonium non confert gratiam, subindeque non est verè & propriè Sacramentum novæ legis.

16. Respondeo negando Majorem, matrimonium enim perficitur essentialiter mutuo conjugum consensu, sufficienter expresso per verba de præsenti, aut quodvis aliud signum, quare copula carnalis non est necessariò pars matrimonij, vel aliquid ita requisitum ad illud, ut sine ipso verum matrimonium esse nequeat. Unde Ambrosius de inst. virginis cap. 6. *Defloratio virginitatis non facit conjugium, sed pactio conjugalis.* Et Augustinus lib. 23. contra Faustum cap. 8. ait inter B. Virginem & S. Joseph verum fuisse conjugium, *non concubitu, sed affectu; non commixtione corporum, sed copulatione, quod est charius, animorum.* Et lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 1. dicit, *hoc exemplo magnificè insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servatâ pari consensu continentiâ, posse permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.* Gratia ergo conjugalis regulariter non datur in ipso actu conjugali, sed in connubio quod actum conjugalem, ut causa suum effectum præcedit. Dixi, *regulariter*, quia nonnumquam copula carnalis potest esse pars Sacramenti, & signi exterioris locum subire; ut quando sponsalibus succedit copula, affectu maritali facta; tunc enim illa sufficientis signi locum habet, potestque matrimonium perficere, ubi nondum recepta est Tridentini constitutio de clandestinis matrimoniis. Unde in tali casu, per actum conjugalem datur gratia Sacramentalis, quod nemini absurdum aut paradoxum videri debet: nam si possint conjuges in actu conjugali ex opere operantis gratiam mereri (quando nimirum adhibent omnia quæ ad merendum per talem actum necessaria sunt, ut docet S. Thomas hìc qu. 41. art. 4. & colligitur ex Augustino lib. 4. in Julianum cap. 3. in fine, ubi dicit Bonum beatificum esse pudicitiam conjugalem, quando vir utitur conjugis carne, non ad libidinem explendam, sed ad sobolem ob Dei gloriam propagandam) cur non & virtute Sacramenti, ex opere operato gratiam in copula conjugali, quando per illam primò contrahitur & perficitur matrimonium, consequi poterunt? Nec refert quod interdum ille actus exerceatur cum peccato veniali, quia potuit Christus actum peccaminosum assumere ut instrumentum suæ passionis ad gratiam Sacramenti conferendam, ut de facto assumit in Sacramento baptismi vel pœnitentiæ, cùm Sacerdos ex mala intentione infantem baptizat, vel pœnitentem absolvit. Non obest etiam quod dicitur can. *Connubia*, ex Origene desumpto, homil. 6. in Numeros, ibi enim Origenes non asserit, sed cum dubitatione opinari se ait, Spiritum sanctum non adesse suâ præsentiâ in copula carnali, hoc est auxilio gratiæ specialis, quam dicit ad hoc opus non esse necessariam, cùm ad illud sola vis humana sufficiat.

17. Objicies quartò: Pro matrimonio datur pecunia: Sed hoc absque Simoniæ labe fieri non posset, si matrimonium esset verè & propriè Sacramentum, conferens gratiam: Ergo matrimonium non habet verè & propriè rationem Sacramenti.

Respondeo negando sequelam Minoris: Nam ut rectè ait S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 2. matrimonium non solùm est Sacramentum, sed etiam contractus civilis: licèt autem non possit pro Sacramento, præcisè ut tali, pecunia accipi vel dari, benè tamen pro contractu civili, ad sustentanda onera matrimonij.

18. Objicies quintò: Si matrimonium sit Sacramentum, erit quid melius & excellentius virginitate, utpote quæ non est Sacramentum: Sed hoc repugnat Apostolo 1. ad Corinth. 7. Ergo, &c.

Respondeo primò, negando sequelam Majoris, quòd enim hoc vel illud sit Sacramentum, non ex rei nobilitate, sed ex divina institutione dependet; unde licèt martyrium v. g. sit nobilius Pœnitentiâ, vel Extremâ-Unctione, non tamen est Sacramentum.

Respondeo secundò, distinguendo Majorem: Matrimonium erit quid melius virginitate, in ratione Sacramenti, concedo Majorem: quoad statum conjugalem, nego Majorem: Status enim virginum ex genere suo perfectior est statu conjugatorum, quia est status perfectorum; status verò conjugalis è contra est status imperfectorum, qui profitentur se esse infirmos, & non posse continere; ob quam etiam rationem institui debuit Sacramentum potiùs pro istis quàm pro illis; quandoquidem Sacramenta Christi, nihil aliud sunt, quàm medicinæ infirmorum, & remedia contra vulnera peccati originalis.

19. Objicies sextò: Concilium Florentinum tria dicit reperiri in omnibus Sacramentis, videlicet id quod est Sacramentum tantùm, quod est res tantùm, & quod est simul res & Sacramentum: Sed hæc tria non reperiuntur in matrimonio: Ergo non est verè & propriè Sacramentum.

Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem; nam in primis Sacramentum tantùm in matrimonio, est expressio externa & sensibilis interni consensûs; quia in quolibet Sacramento id est Sacramentum tantùm, quod est signum sensibile per se, & ratione cujus omnia alia sentiuntur: expressio autem sensibilis consensûs interioris est hujusmodi, per se siquidem sentitur, & ratione ejus habet conjunctio conjugum, & omnia alia quæ sunt in matrimonio, quod sint sensibilia. Deinde in matrimonio res Sacramenti duplex est ex S. Thoma in 4. dist. 26. qu. 2. art. 1. ad 5. una causata & significata, nempè gratia ipsa Sacramentalis; altera significata, sed non causata; videlicet unio Christi cum Ecclesia, quam matrimonium non causat, sed tantùm significat. Demum maritalis conjunctio sive vinculum illud quod sequitur ex contractu, est in matrimonio res & Sacramentum simul; quia est simul signum & signatum, significatur enim per contractum, & simul ut per ipsum expressa, significat gratiam Sacramentalem quæ datur conjugibus, & unionem Christi cum Ecclesia & sua humanitate.

Dices, in casu quo infidelis conjugatus fiat fidelis, & approbet suum matrimonium secundùm leges Ecclesiæ, matrimonium illud incipit esse Sacramentum; & tamen conjunctio maritalis non est in eo res & Sacramentum simul, utpotè

quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ non causatur per ipsum Sacramentum, sed A
supponitur ante ipsum causata per contractum matrimonialem, in ipsa infidelitate initum.

Respondeo maritalem conjunctionem, etiam in casu allato, esse rem & Sacramentum simul. Ad probationem autem in contrarium dico, vinculum illud, ut est quidem aliquid naturale, sive ut est effectus causæ naturalis, nimirum contractûs nondum elevati ad esse supernaturale Sacramenti, præcedere ipsum Sacramentum; non verò, ut est aliquid supernaturale, sive ut est effectus contractûs elevati à Deo ad rationem Sacramenti, secundùm quam rationem præcisè habet quod sit res & Sacramentum simul.

20. Ex dictis colligitur, matrimonium, nec in statu innocentiæ, nec in lege naturæ, vel scripta, B
fuisse verè & propriè Sacramentum, sed id duntaxat habere in lege Evangelica. Patet hoc corollarium ex Florentino & Tridentino suprà citatis, in quibus definitur, matrimonium esse à Christo in lege Evangelica cum reliquis Sacramentis institutum, & veteribus connubiis gratiâ præstare. Verùm quandonam hujus Sacramenti institutio à Christo facta fuerit, omnino incertum est, & circa hoc varia sunt Authorum placita. Quidam dicunt, matrimonium elevatum fuisse ad rationem Sacramenti in primo Incarnationis momento: *Tunc enim* (inquit Gregorius homil. 36. in Evang. *Deus Pater, Deo Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit; quando Deum ante sæcula, fieri voluit hominem in fine sæculorum.* Alij, cùm suâ præsentiâ, & primo quod in mundum edidit miraculo, nuptias in Cana Galilææ honestavit: tunc enim (inquiunt) Christus convertendo aquam in vinum, designavit matrimonium, quod hactenus velut aqua, in officium tantùm naturæ deservierat, deinceps in Sacramentum collativum gratiæ, per vinum significatæ, evehendum. Alij, cùm lege repudij abrogatâ, ad primam ejus indissolubilitatem & unitatem, matrimonium revocavit, Matth. 19. Congruum enim fuit, inquiunt, ut ex tunc gratia ei adjungeretur, ad superandas difficultates, quæ ex omnimoda indissolubilitate, & perpetua monogamia nascerentur. Alij demum, post resurrectionem, intra quadraginta illos dies, quibus frequenter Discipulos suos alloquebatur de regno Dei, hoc est de statu militantis Ecclesiæ, quæ ex Gregorio homil. 12. in Evang. regnum Dei nuncupatur, instruendo illos de omnibus & singulis Sacramentis conficiendis & ministrandi.

21. Quæres, an in nova lege, non solùm primæ, sed etiam secundæ nuptiæ, veram habeant rationem sacramenti? Ratio dubitandi est primò, quia secundæ nuptiæ non significant singularem & unicam conjunctionem Christi & Ecclesiæ; Christus enim habuit unicam Ecclesiam, Ecclesia unicum Christum.

Secundò, quia mos fuit semper Ecclesiæ, ut cùm primæ nuptiæ benedicerentur, secundæ caterent benedictione. Ut constat ex Concilio Neocæsarienſi cap. 7. ubi Sacerdotes non tantùm prohibentur benedicere secundas nuptias, sed etiam illis interesse; & ex Augustino serm. 243. ubi sic ait: *si usque ad nuptias virgo non fuerit, benedictionem cum sponsa tua accipere non merebéris.* Quibus verbis significat non consuevisse dari benedictionem illis qui non essent virgines, cùm contrahebant matrimonium.

His tamen non obstantibus dicendum est, secundas nuptias veram sacramenti rationem habere: nam Christus in lege nova omnem contractum connubialem, validum, ac legibus humanis consonum, ad dignitatem, & rationem sacramenti evexit: At secundæ nuptiæ sunt contractus connubialis validus, ac legitimus, & legibus humanis conformis, cùm nulla lege humana prohibitæ sint: Ergo veram rationem sacramenti obtinent. Addo quod non minùs congruum aut necesse fuit, ut gratia secundis nuptiis adjungeretur à Christo, ad superandas difficultates quæ ex omnimoda indissolubilitate & perpetua monogamia nascuntur, quàm primis: Ergo sicut ob hanc rationem primæ habent rationem sacramenti, ut constat ex supra dictis, ita & secundæ. Unde

Ad primam rationem dubitandi dicendum est, significationem sacramenti matrimonii, non in eo consistere, ut significetur una uxor spiritalis Christi, id est unica Ecclesia; nam Christus non tantùm habuit pro sponsa nostram Ecclesiam, sed etiam veterem synagogam; sed in eo quod Christus uno & eodem tempore non habuit nisi unicam sponsam. Quapropter D. Paulus ex matrimonio spirituali Christi & Ecclesiæ, probat virum non debere uxorem adhuc viventem dimittere, sed si mortua sit uxor, posse aliam ducere; quemadmodum Christus, dum vixit Synagoga, non conjunxit sibi aliam Ecclesiam matrimonio: postquam autem Synagoga mortua est, C
accepit Ecclesiam, sed uno tempore non habuit nisi unam.

Ad secundam respondeo, in secundis nuptiis, quamvis sint vera sacramenta, duabus de causis non dari benedictionem: prima est, quia illæ sunt aliquod signum incontinentiæ. Secunda, quia illi qui contrahunt secundas nuptias, in primis jam benedictionem acceperunt: fuit autem semper Ecclesiæ consuetudo, ut res semel benedicta & consecrata, non iterum benediceretur & consecraretur. Hanc rationem reddit Concilium Lateranense sub Alexandro III. titulo *de secundis nuptiis* cap. 1. his verbis: *Si vir vel mulier ad bigamiam jam transierit, non debent* D
benedici à Sacerdote, quia cùm una vice sint benedicti, eorum benedictio non debet iterari.

ARTICULUS II.

An matrimonium inter absentes per procuratorem vel per litteras contractum, sit Sacramentum?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

E 22. CONveniunt ferè omnes Theologi, paucis exceptis, quos refert Petrus de Ledesma de matrimonio quæst. 42. art. 1. difficult. 7. matrimonium inter absentes per procuratores contractum, valere in ratione contractus naturalis & civilis, quia cùm procuratores sint loco principalium, cum plena potestate contrahendi, quod ipsi faciunt, facere censentur principales contrahentes: unde sicut ex mutuo consensu utriusque conjugis resultat perfectus matrimonij contractus, ita & ex mutuo consensu utriusque procuratoris. Quare in cap. *finali*, de procurationibus in 6. & lege *sufficit*, ac lege *finali*, ff. de sponsalibus,

sponsalibus, definitur inter absentes æquè ac inter præsentes, matrimonium contrahi posse. Neque hoc jus est correctum per decretum Tridentini, clandestina matrimonia irritantis; tale enim decretum irritat solùm matrimonia, quæ sine testibus & Parocho contrahuntur: matrimonium verò inter absentes per procuratorem initum, contrahitur coram Parocho & testibus, ut supponimus: Igitur vi talis decreti non irritatur, sed valet in ratione contractûs naturalis & civilis, sicut alij humani contractus, qui fieri possunt inter absentes, per procuratores, qui facere censentur id quod principales contrahentes. Ut tamen matrimonium per procuratores initum, in ratione contractûs sit validum, aliquæ conditiones servari debent, ex quarum defectu, reddetur in- B
validum. Nam primò requiritur quod procurator habeat à suo principali mandatum speciale ad contrahendum matrimonium cum certa persona, & non excedat suum mandatum. Secundò, quod mandatum illud exequatur per se, & non per substitutum, nisi specialis ad substituendum facultas ei concessa fuerit à principali. Tertiò, quod eo tempore quo procurator contrahit, ejus potestas non sit revocata, nequidem tacitè; aliàs enim nullum foret matrimonium, licèt procurator ipse nihil de revocatione audivisset, quia quacumque revocatione cessat consensus, & sine consensu nullum est matrimonium. Quartò post publicationem Concilij Tridentini requiritur quod C
procuratores principalium, contractum ineant coram Parocho, & duobus testibus.

23. Hæc sunt certa & indubitata apud omnes, sed duplex est difficultas & controversia inter Theologos. Prima est, an matrimonium inter absentes per procuratores contractum, sit Sacramentum? Hoc enim negant Durandus in 4. dist. 26. quæst. 3. Cajetanus tomo 1. opusc. tract. 12. de contractu matrimonij quæst. 1. Cano lib. 8. de locis Theologicis cap. 5. ad 3. Sylvius hic ad qu. 42. art. 1. quæst. 1. & alij apud Sanchem lib. 2. de matrimonio disp. 11. num. 26. Affirmant verò ex Thomistis uterque Soto, & Petrus de Ledesma; ex extraneis verò Bellarminus, Vazquez, Conink, Sanchez, Pontius, & alij. D

24. Secunda difficultas & controversia est de matrimonio per litteras contracto, an scilicet illud valeat in ratione contractûs, & in ratione Sacramenti? Ratio dubitandi est, quia ut matrimonium sit ex utraque parte perfectum, non sat est ut utrique conjugi sit alterius voluntas perspecta quod velit se in conjugem accipere, sed insuper requiritur quod vicissim sui corporis traditionem de præsenti acceptet: qui autem litteras accipit, etsi certus esse possit de consensu scribentis quod velit se in conjugem accipere, suumque corpus sibi in conjugium tradere, nondum tamen certus est, quod ille vicissim sui corporis traditionem acceptaverit, cùm nondum illi sui corporis traditio E
immutuerit. Quod non accidit in matrimonio per procuratores contracto, quia cùm procuratores sint loco principalium, cum plena potestate contrahendi, quod ipsi faciunt, facere censentur principales contrahentes: unde ipsi consensum mandantis exprimunt, & alterius conjugis consensum acceptant, non secùs ac si ipsi principales contrahentes, præsentes essent. Propter hanc disparitatem, & dubitandi rationem, aliqui Authores, licèt existiment matrimonium per procuratores initum, tam in ratione contractûs, quam in ratione Sacramenti, validum esse, censent nihilominus, matrimonium per litteras contractum, nec in ratione contractûs, nec in ratione Sacramenti valere, saltem post Tridentinum. Ita Petrus & Bartholomæus de Ledesma, & alij apud Sanchem lib. 2. disp. 12. A

§. II.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

DIco primò: Matrimonium inter absentes per procuratores contractum, est Sacramentum novæ legis.

Probatur primò, conclusio ratione fundamentali. Matrimonium validum in ratione contractûs naturalis & civilis, est inter fideles Sacramentum novæ legis: Sed matrimonium inter absentes per procuratores cõtractum, est validum in ratione contractûs naturalis & civilis: Ergo est Sacramentum novæ legis. Minor patet ex dictis paragr. præcedenti, Major verò probatur ex eo quod Christus Dominus instituendo Sacramentum matrimonij, non mutavit naturam contractûs naturalis & civilis, sed duntaxat illum ad esse supernaturale Sacramenti novæ legis elevavit: Ergo si matrimonium inter absentes per procuratores celebratum, sit validum in ratione contractûs naturalis & civilis, elevatur à Christo ad esse supernaturale Sacramenti legis gratiæ. 25.

Respondent Adversarij, Christum non sic 26.
matrimonij Sacramentum instituisse, ut omnia Christianorum matrimonia, in ratione contractûs valida, ad esse supernaturale Sacramenti elevaverit, sed solùm illa quæ fiunt inter eos qui præsentes contrahunt.

Sed contra: Contractus matrimonij in esse 27.
naturali & civili sunt ejusdem rationis & speciei, sive fiant inter præsentes, sive inter absentes, per procuratores, aliunde verò non est fundamentum in Scriptura, vel Traditione, ad asserendum quòd Christus unum potiùs quàm alium, ad esse Sacramenti elevaverit.

Dices, quod quamvis ex Scriptura vel Tradi- 28.
tione nullum ad id asserendum fundamentum habeatur, id tamen colligitur ex Tridentino sess. 24. de reform. cap. 1. ubi videtur exigere præsentiam contrahentium ad rationem matrimonij; dicit enim quod Parochus debet interrogare virum & fœminam, ipsisque interrogatis, & consensu eorum intellecto, dicere, *Ego vos conjungo.*

Verùm hæc responsio, in qua consistit præci- 29.
puum adversæ sententiæ fundamentum, facilè confutari potest: cùm enim procuratores substituantur loco contrahentium, possint interrogari à Parocho de consensu eorum, expressisque contrahentium consensibus, dicere potest Parochus cum veritate, *Ego vos conjungo*; quia licèt illi supra quos proferri debent verba illa, sint physicè absentes, sunt tamen moraliter præsentes, quod sufficit ad rationem contractûs, & consequenter ad rationem Sacramenti in matrimonio; cùm, ut suprà diximus, ratio Sacramenti in matrimonio, non immutet rationem contractûs.

Probatur secundò conclusio: In matrimonio 30.
per procuratores contracto, est vera materia, & vera forma Sacramenti matrimonij: Ergo tale matrimonium est verum Sacramentum. Consequentia patet, Antecedens probatur. Materia & forma Sacramenti matrimonij, sunt expressiones sensibiles consensuum utriusque partis contrahentis, ut infrà ostendemus: Sed in matrimonio

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per procuratores contracto reperiuntur ejusmodi expressiones ; verè enim contrahentes, non quidem per seipsos, sed per procuratores quibus suas vices commiserunt, exprimunt suos consensus, quando matrimonium celebratur : Ergo in matrimonio per procuratores contracto, est vera materia & forma Sacramenti matrimonij.

31. Potest insuper suaderi conclusio hoc discursu : Ecclesia permittit ut fideles per procuratores matrimonium contrahant, & hoc modo Reges & Principes illud contrahere solent : Sed si matrimonium per procuratores contractum, non esset Sacramentum, Ecclesia non permitteret matrimonium ita celebrari ; vult enim omnino fideles contrahere Sacramentaliter, ut recipiant gratiam ad onera matrimonij sustinenda necessariam : Ergo matrimonium per procuratores contractum, est verum Sacramentum.

32. Confirmatur : Si matrimonium per procuratores contractum, non esset Sacramentum, sed contractus purè naturalis, vel civilis, illius judicium non pertineret ad judices Ecclesiasticos, sed ad politicos ; nam hic contractus solùm extrahitur à judicio Principalis vel judicis sæcularis, quia elevatur ad rationem Sacramenti : At causas ad hujusmodi matrimonium pertinentes, semper ad se vocat Ecclesia : Signum ergo est, tale matrimonium non esse contractum purè naturalem vel civilem, sed etiam Sacramentum.

Dico secundò, matrimonium per litteras contractum, tam in ratione contractus, quàm in ratione Sacramenti, validum esse.

33. Prima pars patet, quia contractus humani & civiles fieri possunt inter absentes, per litteras, vel per nuntium : Ergo & contractus matrimonialis. Unde l. *Mulieres* ff. de ritu nuptiarum, sic dicitur : *Mulierem absenti per litteras ejus, vel nuntium posse nubere placet.*

34. Secunda verò pars suadetur, & simul rationi dubitandi suprà adductæ respondetur : Si enim vir scribat fœminæ, se non modò sui corporis dominium de præsenti ei tradere, sed ex tunc simul corporis ejus traditionem, cùm primùm coram Parocho & testibus facta fuerit, acceptare ; & mulier viro rescribat, se vicissim velle illum in maritum, & corporis ejus traditionem acceptare, statim ac hoc rescriptum coram Parocho & testibus lectum fuerit : tunc lectis utriusque conjugis litteris, perficietur matrimonium, & in ratione contractus, & in ratione Sacramenti ; in eo enim casu litteræ succedent loco contrahentium, uti & procuratores : Ergo sicut matrimonium inter absentes per procuratores contractum, est validum, non solùm in ratione contractûs naturalis & civilis, sed etiam in ratione Sacramenti, ita & matrimonium per litteras contractum.

§. III.

Solvuntur objectiones.

35. OBjicies primò : Nullum aliud Sacramentum potest absenti conferri : Ergo neque matrimonium : par enim debet esse illius, aliorumque ratio ; idemque est fundamentum necessitatis præsentiæ in hoc & in aliis

36. Confirmatur : Idcircò non potest Sacramentum pœnitentiæ conferri absenti, per litteras, aut internuncium, quia forma illius, *Absolvo te*, dirigitur ad præsentem : Atqui non minùs ad præsentem dirigitur ista vel æquivalens forma matrimonij, *Accipio te in meum* : Ergo similiter Sacramentum matrimonij absenti conferri nequit.

37. Confirmatur ampliùs : Parochus assistens matrimonio, profert verba illa, *Ego vos conjungo* : Ergo cùm in tali propositione pronomen *vos* non minùs requirat præsentiam subjectorum, quàm pronomen *te* in forma baptismi & pœnitentiæ, absens non minùs est incapax Sacramenti matrimonij, quàm Sacramenti baptismi, vel pœnitentiæ.

38. Ad objectionem respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem : Sicut enim Sacramentum matrimonij differt ab omnibus aliis, quòd in illis necessariò & essentialiter requiruntur verba propriè dicta, & ore prolata, ex parte formæ ; matrimonium verò regulariter quidem verbis perficitur, potest tamen aliis signis verborum loco celebrari, ut significat Florentinum in decreto Eugenij : Ita etiam in eo differt quòd possit inter absentes celebrari, quamvis alia nequeant. Addo quod id habet hoc Sacramentum præ aliis peculiare, quod cùm habeat pro materia civilem contractum, sequitur naturam ipsius ; unde sicut contractus civilis æquè inter absentes ac inter præsentes, validè iniri potest, ita & Sacramentum matrimonij quod in eo fundatur, non solùm à præsentibus, sed etiam absentibus, validè suscipi potest. Unde

39. Ad primam confirmationem, nego paritatem, nam in Sacramento pœnitentiæ verba illa, *Absolvo te*, ore prolata, & directa ad præsentem, sunt essentialia ; matrimonio verò sufficiunt quæcumque signa externa, quibus contrahentes suum consensum invicem significant : possunt autem illum significare per litteras aut per internuncium, æquè ac per nutus & verba.

40. Ad secundam dico in primis, verba illa, *Ego vos conjungo*, quæ Parochus assistens matrimonio profert, non esse formam Sacramenti matrimonij, sicut verba illa, *Ego te baptizo*, *Ego te absolvo*, sunt forma Sacramenti baptismi & pœnitentiæ. Secundò negatur consequentia & paritas, quoad verificationem significationis pronominis *te* & *vos* ; in Sacramento baptismi & pœnitentiæ ex una parte, & in Sacramento matrimonij ex alia. Disparitas est, quòd cùm neque baptismus neque pœnitentia sit contractus, benè autem Sacramentum matrimonij, baptismus & pœnitentia requirunt quod præsentia subjecti, quam exprimit particula *te*, sit physica ; Sacramentum verò matrimonij requirit solùm quod sit moralis.

41. Objicies secundò : Sacramenta novæ legis causant physicè gratiam, ut in Tractatu de Sacramentis in communi contra Recentiores fusè ostendimus (*Disp. 3. art. 2.*) : Sed matrimonium per procuratores contractum, non potest physicè causare gratiam : Ergo non est Sacramentum novæ legis. Minor probatur : Matrimonium non potest physicè causare gratiam, nisi ea in quibus essentialiter consistit, existant physicè, vel in seipsis, vel in sua virtute : At ea in quibus essentialiter consistit matrimonium quod per procuratores contrahitur, videlicet expressiones consensûs, non quæ sunt in procuratoribus, sed quæ sunt in contrahentibus, non existunt ampliùs physicè in se, quando procuratores nomine ipsorum contrahunt, sed transierunt ; neque remanent physicè in aliqua sua virtute, utpotè cùm non sit assignabilis

assignabilis talis virtus : Ergo matrimonium quod per procuratores contrahitur, non potest physicè causare gratiam.

42. Respondeo distinguendo Majorem : Sacramenta novæ legis causant physicè gratiam, quando physicè existunt, concedo. Quando existunt solùm moraliter, nego, tunc enim sunt causæ solùm morales gratiæ. Rationi enim consentaneum videtur, ut Sacramenta causent gratiam secundùm modum essendi quem habent, ita ut illam physicè causent, quando verè & physicè existunt ; moraliter verò, quando existunt solùm moraliter. Unde sicut in Tractatu de Sacramentis in communi dicebamus, quod licèt baptismus cum debita dispositione susceptus, causet physicè gratiam ; quando tamen fictè susciptur, recedente fictione, eam causat solùm moraliter ; quia nimirum tunc existit solùm moraliter, & in divina acceptatione. Ita similiter dicendum est, quod licèt matrimonium ab ipsis conjugibus immediatè contractum physicè causet gratiam, quia expressiones consensûs eorum tunc physicè existunt ; matrimonium tamen per procuratores initum, moraliter tantùm illam causat ; quia tunc expressiones consensûs ipsorum contrahentium, non existunt ampliùs physicè, sed tantùm moraliter, inquantum scilicet verba procuratorum substituuntur loco verborum & expressionum ipsorum contrahentium. Neque hæc solutio & doctrina officit sententiæ de causalitate physica Sacramentorum novæ legis ; quia hæc non intelligitur nisi de Sacramento physicè existente, cùm existentia physica sit una ex conditionibus requisitis ad physicam operationem.

43. Objicies tertiò : Si matrimonium inter absentes per procuratores celebratum, esset validum, in ratione Sacramenti, id præcipuè haberet ex eo quod matrimonium est quidam contractus humanus, & contractus humanus, inter absentes per procuratores celebrari potest : Sed hæc ratio non valet : Ergo ruit præcipuum fundamentum nostræ sententiæ. Major constat ex suprà dictis, Minor probatur. Licèt absolutio pœnitentialis sit judicialis, & possit quis judicialiter absolvi, quamvis sit absens ; quia tamen insuper Sacramentalis est, non potest in absentem proferri, ut in Tractatu de Pœnitentia ostensum est (*Disp. 12. art. 4.*) : Ergo similiter, licèt matrimonium sit quidam contractus humanus, & contractus humanus possit fieri per procuratorem, & in absentia ; eo ipso tamen quod sit etiam Sacramentum, non potest ut tale recipi in absentia, & per alium.

44. Respondeo, concesså Majori, negando Minorem, & ad illius probationem, concesso Antecedente, nego consequentiam & paritatem. Disparitas est, quia licèt judicium externum possit esse inter absentes, eò quòd in judicio fori externi, diversi sint accusator, testis, & reus, nec aliqua dispositio requiratur in reo ; secùs autem in judicio fori interni, ubi reus, accusator, & testis, est idem, & desideratur reum dispositum esse, ejusque dispositionem à Confessario esse cognitam. Unde absolutioni pœnitentiali, non solùm ex ea parte quâ Sacramentum est, sed etiam ex ea quâ judicium est, repugnat in absentia conferri ; at verò matrimonio id non repugnat, quatenus est contractus humanus, nec proinde quatenus est Sacramentum, cùm ratio Sacramenti sit accommodata & proportionata naturæ contractûs in quo fundatur.

45. Dices : Sicut collatio Sacramenti est actio personalis, ita & ejus receptio est personalis passio ; ut constat in Baptismate, Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctione, & Ordine : Ergo matrimonium non potest in ratione Sacramenti per procuratorem recipi.

46. Respondeo, concesso Antecedente, distinguendo Consequens : Ergo matrimonium non potest in ratione Sacramenti recipi per procuratorem, ita ut procurator recipiat Sacramentum, & gratiam Sacramentalem, concedo. Ita ut procurator sit conditio, quâ positâ, ille qui dedit ei facultatem contrahendi, recipit Sacramentum & gratiam Sacramentalem, nego.

47. Instabis : Si procurator sit conditio, quâ positâ, ille qui dedit ei facultatem contrahendi, recipit Sacramentum, sequitur quod si procuratores eo tempore contrahant, quo vir & fœmina pro quibus contrahunt, dormiunt, dormiendo recipient gratiam, vel peccabunt mortaliter, si sint in mortali, quia Sacramentum in malo statu recipient : Sed hoc videtur absurdum : Ergo &

48. illud. Respondeo nullum esse absurdum, quod quis dormiens recipiat gratiam, ut patet in eo qui voluntatem habuit suscipiendi baptismum, vel pati martyrium ; si enim in somno baptizetur, vel in odium fidei occidatur, dormiendo recipiet gratiam ; & si sit in statu peccati, justificabitur, si priusquam se somno traderet, attritionis actum elicuerit, ut communiter docent Theologi. Similiter non est inconveniens dicere, quod contrahentes peccent in somno, si tunc Sacramentum perficiatur, & ipsi omiserint per gratiam se ad illud disponere. Sicut dum quis horâ matutinâ somno se tradit, prævidens quod non evigilabitur usque ad vesperam, subindeque quod sacrum omittet, non solùm peccat, cùm voluntariè somno se tradit, sed etiam quando urget tempus audiendi missam, etsi tunc dormiat ; licèt enim culpa omissionis incipiat imputari eo tempore quo quis dat causam omissioni, completè tamen & perfectè non imputatur, nisi eo tempore quo instat præceptum operandi, & omittitur actus debitus. Vel sicut si quis voluntariè se inebriet, prævidens quod in ebrietate faciet homicidium, non solùm peccat quando dat causam, sed etiam quando de facto occidit, quamvis tunc sit expers libertatis & usûs rationis ; quia nimirum talis occisio in sua causa libera & voluntaria est : unde si occidat Clericum, manet excommunicatus. De quo plura diximus in Tractatu de peccatis disp. 3. art. 4.

49. Objicies quartò : Matrimonium per procuratores vel per litteras contractum, iterum in præsentia utriusque conjugis coram Parocho & testibus celebrari solet : At si matrimonium inter absentes per procuratores vel per litteras contractum, esset Sacramentum, non foret opus conjungere postea in facie Ecclesiæ sponsos præsentes ; imò hoc non liceret, cùm Sacramentum matrimonij non debeat neque possit iterari inter eosdem : Ergo matrimonium inter absentes per procuratores vel per litteras celebratum, non est Sacramentum, sed duntaxat aliquis contractus naturalis & civilis.

50. Respondeo negando Majorem, nam cùm illi qui per procuratores vel per litteras matrimonium contraxerunt, iterum se sistunt coram Parocho & testibus, non iteratur matrimonium, sed vel supplentur tantùm solemnitates omissæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel ratum haberi declaratur à conjugibus præsentibus, id quod antea per procuratores eorum nomine gestum fuit.

§. IV.

Resolvuntur breviter aliæ difficultates.

51. QUæres primò, an inter Christianos matrimonium possit esse validum in ratione contractûs naturalis & civilis, & non in ratione Sacramenti? v. g. si conjuges Christiani matrimonium contrahentes, intendant illud solùm perficere in ratione contractûs naturalis & civilis, & non in ratione Sacramenti, validè illud in ratione contractûs naturalis & civilis perficiant? Nam quod tunc matrimonium non sit validum in ratione Sacramenti, manifestum est, eò quòd ad valorem Sacramenti requiratur intentio ministri, quæ deest in tali casu, cùm ipsi contrahentes qui intendunt perficere matrimonium solùm in ratione contractûs naturalis & civilis, sint ministri Sacramenti matrimonij, ut articulo sequenti dicemus.

52. In resolutione hujus difficultatis partem negantem tenent Sanchez, & Coninк, existimantes ex institutione Christi rationes contractûs & Sacramenti in matrimonio ita esse inseparabiles, ut qui intendit unam sine alia, nihil prorsus efficiat. Aliàs (inquiunt) si nunc posset separari ratio contractûs à ratione Sacramenti, eas separare liceret, cùm nulla sit lex divina vel humana, quæ præcipiat matrimonium esse in ratione Sacramenti celebrandum.

53. Nihilominus dicendum est, matrimonium inter Christianos posse esse validum in ratione contractûs naturalis & civilis, & non in ratione Sacramenti; non licere tamen Christianis separare rationem contractûs à ratione Sacramenti.

Prima pars hujus resolutionis suadetur ex eo quod Christus, cùm matrimonium ad rationem Sacramenti elevavit, non abstulit ab eo naturalem civilemque obligationem, quam ut contractus naturalis & civilis, ex reciproco contrahentium consensu hactenus habuerat, sed reliquit illud in sua natura pristina; solúmque illi adjunxit rationem Sacramenti, hoc est vim collativam gratiæ conjuges sanctificantis. Sicut dum res alias naturales ad Sacramenti dignitatem evexit, nihil de physica aut morali earum natura abstulit, sed eas reliquit in pristina sua natura & virtute quam antea habebant; ita ut si contingat Sacramentum ex eis non fieri, nihil de physica vel morali earum entitate aut virtute tollatur vel impediatur. Pariter ergo, si inter Christianos contractus matrimonialis non elevetur ad rationem Sacramenti, ob defectum intentionis contrahentium, qui matrimonium solùm in ratione contractûs, non verò in ratione Sacramenti, celebrare intendant, non amittet vim obligandi quam habet in ratione contractûs naturalis & civilis. Unde nullo jure canonico aut civili, irritatur matrimonium à fidelibus initum, sine intentione conficiendi Sacramentum.

54. Quod verò Christianis non liceat hoc modo inire connubia, & rationem contractûs à ratione Sacramenti separare, manifestum est, tum quia supposità Christi institutione, & elevatione matrimonij in Sacramentum, non potest à fidelibus, absque irreverentia, ratio contractûs à ratione Sacramenti separari? Tum etiam, quia Christiani tenentur more & ritu Christiano contrahere, nec ponere obicem gratiæ Sacramentali, quam Christus adjunxit matrimonio, *ut naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret*, ut ait Tridentinum sess. 24. in doctrina de Sacramento matrimonij.

Quæres secundò, num si fidelis cum dispensatione Pontificis nuberet cum infideli non baptizato, tale matrimonium esset Sacramentum, saltem ex parte conjugis fidelis? 55.

Respondeo negativè: Sicut enim ut matrimonium sit validum in ratione contractûs, requirit liberum consensum ex parte utriusque conjugis, ita ut sit validum in ratione Sacramenti, exigitur intentio ac ministerium ex parte utriusque, cùm ipsi contrahentes sint hujus Sacramenti ministri: Sed infidelis non baptizatus, nequit esse legitimus minister matrimonij in ratione Sacramenti, cùm non minùs Sacramenti effectio, quàm receptio, ad sui validitatem, characterem baptismalem requirat: Ergo matrimonium fidelis cum infideli non baptizato, nequit esse Sacramentum. Unde Ecclesia non solùm prohibuit, sed etiam irritavit matrimonium fidelis cum infideli non baptizato; quia nimirum omnino dedecet Christianos contrahere non Sacramentaliter, seu rationem contractûs naturalis & civilis, à ratione Sacramenti separare, ut in resolutione superioris quæsiti dicebamus. 56.

Dices: Infideles non baptizati sunt idonei ministri baptismi: Ergo & matrimonij. Sed negatur consequentia & paritas, quia baptismus cùm sit ad salutem necessarius, & prima janua cæterorum Sacramentorum, debuit posse à quocumque validè conferri, non verò alia Sacramenta, quæ non sunt tantæ necessitatis sicut baptismus. Ex quo inferes, nec validè contrahi posse matrimonium in ratione Sacramenti, cum Catechumena, quia licèt habeat fidem & gratiam sanctificantem, caret tamen charactere baptismali. 57.

Quæres tertiò, utrum matrimonium ab infidelibus validè contractum, fiat Sacramentum, quando illi convertuntur ad fidem, & baptizantur; præsertim si tunc accedat novus consensus, signo aliquo sensibili expressus, cum intentione faciendi quod Christus instituit, & facit Ecclesia? 58.

Respondeo negativè, quia Sacramentum matrimonij consistit essentialiter in fieri contractûs validi inter baptizatos, & liberos ab omni impedimento irritante, sicut baptismus consistit in fieri ablutionis & prolationis verborum, cæteraque omnia Sacramenta, exceptâ Eucharistiâ, consistunt in fieri materiæ proximæ & formæ ex quibus constant essentialiter: Sed quando conjuges infideles baptizantur, nulla fit nova actio, quæ sit fieri ipsius matrimonij, cùm illud supponatur jam factum; nec nova verba, novusque consensus, facere possunt novum matrimonium; quia repetitus consensus non affert novam materiam, nec novam formam, sed ratificat tantùm priorem: Ergo tunc matrimonium non accipit rationem Sacramenti. 59.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Sacramentum matrimonij fundari debet in contractu valido: Sed in casu proposito nullus potest assignari contractus in quo fundetur ratio Sacramenti, non potest enim fundari in contractu antiquo, tum quia ille præteriit, tum etiam quia non fuit inter baptizatos; neque in novo, cùm enim uterque conjux dominium sui corporis in alterum 60.

alterum perfectè transtulerit, ac reipsa illud maritali copulâ tradiderit, non potest circa eadem corpora novus fieri contractus, qui novi Sacramenti sit fundamentum. Sicut si quis tentaret novum contractum venditionis facere circa rem validè alteri venditam ac traditam, nihil efficeret, defectu materiæ ad novam venditionem & emptionem habilis.

61. Cæterùm licèt quando infideles conjugati convertuntur ad fidem, & baptizantur, ipsorum matrimonium non fiat propriè Sacramentum, seu signum practicum gratiæ sanctificantis, fit tamen Sacramentum largè & impropriè; tunc enim meliùs repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia; tum quia Christus non est copulatus Ecclesiæ infideli, ipsaque Ecclesia ipsi per fidem desponsata est, juxta illud Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in fide*; tum etiam, quia matrimonium illud firmius efficitur per baptismum, cùm non sit tunc ampliùs dissolubile, fidei causa, subindeque tunc meliùs exprimat insolubilitatem matrimonij spiritualis inter Christum & Ecclesiam.

In hoc sensu interpretatur Basilius Pontius S. Thomam, dum ait in 4. sent. dist. 39. qu. unicâ art. 2. ad 1. matrimonium infidelium esse Sacramentum non actu, sed habitu: Unde ait quod S. Doctor, Sacramenti nomine, non intellexit Sacramentum strictè sumptum pro signo sensibili conferente gratiam, sed Sacramentum latè sumptum, quatenus est mysterium quoddam conjunctionis Christi cum Ecclesia: quam significationem sensit D. Thomas non convenire actu matrimonio, nisi suscepto baptismo.

62. Verùm hæc interpretatio non videtur legitima, nec ad mentem S. Doctoris, qui loco citato manifestè loquitur de Sacramento propriè & strictè sumpto, nam sibi hoc argumentum objicit: *Videtur quod inter infideles non possit esse matrimonium, nam matrimonium est Sacramentum Ecclesiæ: Sed Baptismus est janua Sacramentorum: Ergo infideles qui non sunt baptizati, matrimonium contrahere non possunt, sicut nec alia Sacramenta susçipere.* Ubi manifestè sermo est de Sacramentis propriè & strictè sumptis; unde si in solutione loqueretur solùm de Sacramento latè & impropriè sumpto, argumento sibi proposito non satisfaceret, sed in æquivoco laboraret.

63. Meliùs ergo respondetur, D. Thomam loco citato solùm velle quod matrimonium infidelium, quantùm est de se, & ex ratione contractûs maritalis, est capax statûs Sacramentalis, illumque verè acciperet, si contraherent in fide Ecclesiæ jam suscepta per baptismum. Quo sensu dicit, *matrimonium tale esse aliquo modo Sacramentum habitualiter, quamvis non actualiter, eò quòd actu non contrahunt in fide Ecclesiæ.*

64. Ex dictis in resolutione hujus quæsiti colligitur, matrimonium quoque civiliter tantùm à fidelibus contractum, accedente novo consensu, non fieri Sacramentum. Intentio enim sequens contractum priùs initum, non potest efficere, ut quòd non fuit Sacramentum, incipiat esse tale; præsertim cùm ratio Sacramenti (ut suprà dicebamus) sit annexa fieri ipsius matrimonij, non verò facto esse illius. Aliunde verò, quantumcumque conjuges consensum renovent, & verba repetant, non efficiunt novum matrimonium, sed duntaxat præcedens ratificant & confirmant; quia (ut suprà ostensum est) contractus matrimonij inter eosdem repeti nequit, defectu materiæ ad novum contractum habilis.

ARTICULUS IV.

Quis sit minister hujus Sacramenti?

§. I.

Referuntur sententiæ, & vera eligitur.

65. GUilielmus Parisiensis libro de Sacramentis, tract. de matrimonio cap. 9. quæst. 2. Melchior Cano lib. 8. de locis Theologicis cap. 5. & Sylvius ad quæst. 42. supplementi art. 1. qu. 1. censent Sacerdotem, verba quibus sponsos benedicunt proferentem, esse ministrum matrimonij, quatenus Sacramentum est; subindeque matrimonium sine Sacerdote celebratum, non esse Sacramentum, quamvis contractus civilis esse possit. Catharinus verò opusc. de matrimonio quæst. 2. docet ministrum matrimonij, quatenus Sacramentum est, esse Deum ipsum, ejus verò formam verba illa: *Propter hæc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*: quæ semel à Deo in paradiso prolata, & à Christo confirmata, conjugia continuò sanctificant. Nec est necesse (inquit) ea ab aliquo ministro proferri; nam sicut lex scripta semper loquitur ad omnes, ita & forma matrimonij per modum legis à Deo sancita, semper loquitur ad omnes matrimonium contrahentes.

66. Verùm communis ac certa reliquorum Theologorum sententia est, ministrum matrimonij, etiam ut Sacramentum est, esse ipsos contrahentes, non verò Sacerdotem illos benedicentem, subindeque verba illa quæ profert, *Ego vos conjungo, &c.* non habere rationem formæ, nec ad hujus Sacramenti essentiam pertinere, sed esse tantùm aliquod Sacramentale. Ita expressè docet S. Thomas in 4. dist. 26. quæst. 2. art. 1. ad 1. ubi sic ait: *Verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale.* Et quæst. 45. supplementi art. 5. in corp. & ad 2. docet quod verba Sacerdotis sunt tantùm de solemnitate matrimonij.

Dico igitur, Ministrum Sacramenti matrimonij esse ipsos contrahentes, non verò Sacerdotem ipsos benedicentem, & hæc verba, *Ego conjungo vos*, proferentem.

67. Colligitur ex Florentino in decreto Eugenij, ubi Pontifex docet, hoc Sacramentum solo contrahentium consensu perfici: At hoc esset falsum, si ad ipsius validitatem, necessarius esset minister à contrahentibus distinctus, cùm ex doctrina ejusdem Concilij in eodem decreto, ut Sacramentum perficiatur, tria requirantur, nempè materia, forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, Sacramentum non perficitur: Ergo ad valorem hujus Sacramenti, non requiritur minister à contrahentibus distinctus.

68. Favet etiam Tridentinum sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij, affirmans matrimonia clandestina, quæ fiebant absente Sacerdote, & sine ullis ejus verbis, fuisse valida, quandiu Ecclesia non fecit ea irrita: Sed talia matrimonia non potuissent esse valida, si Sacerdos sit minister hujus Sacramenti, & verba quæ profert, illius forma: Ergo ex Tridentino Sacerdos non

Universidad de Deusto
Biblioteca

est minister Sacramenti matrimonij, nec verba quæ profert benedicendo sponsos, habent rationem formæ. Unde can. 11. Sacerdotalem benedictionem inter cæremonias ab Ecclesia adhiberi solitas recenset.

69. Confirmatur ex declaratione Cardinalium interpretationi Concilij Tridentini præfectorum, facta Episcopo Salmantino, in qua expresè dicitur, quod verba Sacerdotis non pertinent ad substantiam Sacramenti matrimonij. Verba ejus hæc sunt: *Non pertinet ad substantiam matrimonij, ut Parochus aliqua verba proferat: ideò valet matrimonium, quamvis verba exprimentia consensum, prolata sint tantùm à contrahentibus, dummodo Parochus sit præsens, & intelligat id quod agitur, licèt dissentiat & contradicat: adhibitus verò Parochus intelligitur, etiamsi ex alia causa principaliter esset vocatus, dummodo sit adhibitus etiam ad illum actum.*

70. Confirmatur ampliùs ex praxi Ecclesiæ: nam etiam nunc iis in locis ubi constitutio Tridentini est recepta, quando aliqui contrahunt in facie Ecclesiæ, cum occulto impedimento, eo sublato per dispensationem, non est opus, ut contrahant iterum, præsente & loquente Sacerdote; sed sufficit ut clam contrahant inter se, vel affectum maritalem signo aliquo externo sibi mutuò significent, quemadmodum declaravit Pius V. teste Navarro in Manuali cap. 22. num. 70. tuncque Sacramentum & matrimonium incipit esse ratum, quod antea invalidum & nullum erat.

71. Demum suadere potest conclusio hoc discursu: Christus hoc Sacramentum instituens, nihil aliud fecit, quàm contractum matrimonialem, naturali ac civili jure validum, in Sacramentum gratiæ collativum evehere; subindeque eosdem voluit esse hujus Sacramenti ministros ac contractûs naturalis & civilis, qui est ejus fundamentum: Sed talis contractûs ministri sunt ipsi contrahentes, qui per mutuum consensum se invicem obligant ad mutuam sui corporis traditionem: Ergo etiam ipsi conjuges sunt ministri Sacramenti matrimonij, non verò Sacerdos nuptialem benedictionem ipsis tribuens.

72. Ex dictis confutata manet singularis sententia Catharini, asserentis Deum esse hujus Sacramenti ministrum, ut enim ex Florentino & Tridentino ostendimus, ipsi contrahentes sunt ministri matrimonij, tum in ratione contractûs & officij naturæ, tum in ratione Sacramenti: unde primi matrimonij ministri fuerunt nostri Protoparentes, qui illud sibi in paradiso ministrarunt, cùm vir dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea:* Cui credendum est, æquivalentibus verbis Evam respondisse: Deus verò hujus matrimonij fuit author & institutor; nam in ratione contractûs & officij naturæ, ab exordio mundi illud instituit, & in lege Evangelica Christus ad dignitatem Sacramenti talem contractum elevavit, ei adjungendo gratiam, *quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret*, ut ait Tridentinum sess. 24. In hoc ergo hallucinatur Catharinus, quòd authorem & institutorem matrimonij, cum ejus ministro confundit.

73. Absurdum etiam est quod addit, formam hujus Sacramenti esse verba illa semel ab Adamo authoritate Dei prolata: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Nam inter materiam & formam hujus Sacramenti, debet esse moralis conjunctio, quæ non est inter illa verba ab initio mundi prolata, & actus contrahentium, qui sunt materia hodierni conjugij. Nec sat est quod hæc verba sint scripta, & fuerint semel à Deo prolata, ut ait Catharinus: quemadmodum enim ut verba reliquorum Sacramentorum, cum præsenti materia concurrant ad Sacramentum conficiendum, non sufficit quod semel fuerint à Christo prolata, & scripturæ mandata, sed debent toties à ministro proferri, quoties Sacramentum conficitur: ita ad Sacramentum matrimonij conficiendum, non sat est ut ejus forma semel fuerit à Deo prolata, & postea scripto mandata, sed debet toties à ministris proferri, quoties novum matrimonij Sacramentum conficitur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

74. Contra præcedentem conclusionem objiciuntur in primis aliqua Conciliorum & SS. Patrum testimonia, quibus significari videtur, Sacerdotem sponsos benedicentem esse hujus Sacramenti ministrum. In primis enim Concilium Colonienſe anno 1536. sub Paulo III. celebratum, parte 7. cap. 40. sic ait: *Si quis hoc Sacramentum* (matrimonij) *sicut decet, acceperit, accedente Sacerdotali precatione, confert donum spiritûs, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam: mulier vicissim propter Christum amet, reverearturque virum suum ut dominum.* Quibus verbis significatur, gratiam in hoc Sacramento conferri per Sacerdotis precationem, seu benedictionem, subindeque Sacerdotem esse illius ministrum. Unde in Enchiridio cap. penultimo dicitur, Sacerdotes legitimos esse hujus Sacramenti ministros. Similiter Synodus Cameracensis anno 1567. celebrata cap. 1. de matrimonio, vocat Parochos hujus Sacramenti ministros. Item Rituale Romanum jussu Pauli V. editum, dicit ejus administrationem ad Parochos pertinere.

75. Confirmatur: Evaristus proximus Apostolis, quintus à Petro Pontifex Epist. 1. ad Episcopos Africanos, & refertur 30. qu. 5. can. 1. conjugia absque Sacerdotis ministerio & benedictione celebrata, appellat adulteria, contubernia, stupra, fornicationes; quia nimirum carent legitimo ministro, & verbis ejus, quæ pro forma instituta sunt. Item Nicolaus I. Epist. ad Rodoaldum Portuensem, & Joannem Ficolensem Episcopos, de Lothario Galliarum Rege scribit, ut habetur 31. quæst. 2. can. *Lotharius*, quod si matrimonium inter ipsum & Vvaldradam, non fuerit cum benedictione Secerdotis celebratum, ipsum dissolvant.

76. Ad objectionem respondeo Concilium Colonienſe idcircò dicere, accedente Sacerdotali benedictione, conferri gratiam conjugibus, quâ se mutuò diligant, quia licèt hæc benedictio non sit necessaria necessitate Sacramenti, est tamen necessaria necessitate præcepti, & consequenter non est quidem causa gratiæ quam ex opere operato tribuit Sacramentum, benè tamen conditio sine qua non. In quo etiam sensu intelligi debet Ambrosius, cùm Epist. 70. ait conjugium Sacerdotali benedictione debere sanctificari; solùm enim his verbis significare vult, Sacerdotalem benedictionem esse conditionem necessariam ex præcepto Ecclesiæ ad sanctitatem quæ est effectus hujus Sacramenti. Cùm verò Concilium Colonienſe

Colonienſe & Cameracenſe, ac Rituale Romanum, vocant Parochos hujus Sacramenti ministros, loquuntur de hoc Sacramento, præcisè quoad solemnitatem sive cæremoniam accidentalem, quæ adhibetur à Sacerdotibus, conjuges velantibus ac benedicentibus; soli enim Parochi hujus cæremoniæ sunt ministri ordinarij; ideóque in Concilio Viennenſi sub Clemente V. excommunicantur Religiosi matrimonia solemnizantes, id est solemniter benedicentes, quia usurpant officium Parochi, & actum jurisdictionis, quam non habent.

77. Ad confirmationem respondeo matrimonia absque benedictione Sacerdotis celebrata, ab Evaristo idcircò adulteria & contubernia dicta fuisse, quòd licèt vera essent & valida, etiam in ratione Sacramenti, non erant tamen licita, quia benedictio Sacerdotis semper fuit ab Ecclesia requisita, saltem sub præcepto. Post Tridentinum verò præsentia Parochi non solùm est de præcepto, sed etiam de necessitate Sacramenti, non defectu ministri, sed defectu solemnitatis à jure præscriptæ, & conditionis sine qua contractum matrimonialem invalidum esse decernit. De quo infrà. *Disp. 4. art. 3.*

Dici etiam potest, Evaristum Epistolâ citatâ loqui de valore matrimonij in foro externo, quod ex eo patet, quod ibidem, præter benedictionem Sacerdotalem, multa alia ad ejus valorem requirit, ut quod mulier ducatur à paranymphis, quod dotetur, &c. additque quod matrimonia aliter contracta, sunt potiùs fornicationes, *nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima.*

78. Ad Nicolaum I. dico ipsum agere de causa Lotharij Galliæ Regis, qui anno 862. Teutpergam legitimam uxorem repudiavit, ut Vvaldradam pellicem duceret, prætendens matrimonium fuisse nullum, quòd Teutperga (ut metu coacta confessa fuerat) incestum commisisset; & quòd ipse metu Lotharij Patris, cum Teutperga matrimonium contraxisset: de qua tragœdia vide Baronium ad annum 862. Scribit ergo Nicolaus Legatis suis, ut si Lotharius non probaret Vvaldradam fuisse sibi uxorem legitimam, neque nuptiis more solito celebratis, per benedictionem scilicet Sacerdotis, sibi fuisse conjunctam, declararet matrimonium Lotharij cum Teutperga fuisse validum.

79. Objiciuntur secundò aliqua testimonia D. Thomæ, quibus videtur asserere, Sacerdotes esse hujus Sacramenti ministros, nam in 4. sententiarum dist. 1. quæst. 1. art. 3. ad 5. hæc scribit: *Matrimonium secundum quod est in officium naturæ, & pœnitentia secundùm quod est virtus, non habent aliquam formam verborum, sed secundùm quod utrumque est Sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens, utrumque habet aliqua verba.* Et 4. contra Gentes cap. 78. docet, eatenus matrimonium dici Sacramentum, quatenus per ministros Ecclesiæ dispensatur, *unde benedictio* (inquit) *nubentibus, per ministros Ecclesiæ adhibetur.*

80. Verùm ad hæc facilè respondetur, D. Thomam iis locis non loqui de ministro & forma hujus Sacramenti, quantùm ad substantiam, sed quantùm ad solemnitatem & cæremonias accidentales, ex præcepto Ecclesiæ requisitas. Unde post verba primo loco adducta, ista subnectit: *Sicuti in matrimonio sunt verba exprimentia consensum, & iterum benedictiones ab Ecclesia instituta.* Non igitur verba Sacerdotis, ut falsò Canus asserit, sed verba conjugum consensum exprimentia, S. Thomas assignat pro forma matrimonij, ut Sacramentum est, ipsaque benedictiones quas Sacerdos conjugibus dat, non à Christo, sed ab Ecclesia ait institutas, subindeque matrimonio non esse essentiales, sed merè accidentales.

81. Non favet etiam secundus locus sententiæ Cani, nam ut ibidem Ferrariensis explicat, non eo fine S. Doctor dixit, matrimonium per Ecclesiæ ministros dispensari, quòd putaverit ipsius ministrum esse Sacerdotem: *Nullus enim actus ministri Ecclesiæ* (inquit Ferrariensis) *est de essentia matrimonij, sed tantùm actus contrahentium, secundùm D. Thomam*, sed ut ex hoc tanquam ex signo probaret, matrimonium non esse purum contractum naturalem, & civilem, sed Sacramentum à Christo institutum.

82. Objicitur tertiò: Concilium Tridentinum sess. 24. de reformatione matrimonij, sic ait: *Ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur; ubi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat: Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ex quo sic formatur argumentum: Cùm illa verba dicantur ex præcepto Ecclesiæ, atque adeò sint vera, Sacerdos illis mediantibus verè conjungit in matrimonium sponsum & sponsam: Sed non conjungit eos efficiendo matrimonium, inquantum est contractus: Ergo inquantum est Sacramentum, & consequenter est minister hujus Sacramenti, & ejus verba sunt ipsius forma, sicut in aliis Sacramentis.

83. Respondeo primò, Tridentinum loco citato non obligare Parochos ut in celebratione matrimonij, verba illa, *Ego vos in matrimonium conjungo, &c.* determinatè proferant, subdit enim: *Vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum.* Quibus verbis apertè significat, talia verba non esse formam matrimonij, quatenus Sacramentum est; alioquin non possent omitti, vel immutari, juxta ritum uniuscujusque Provinciæ.

84. Respondeo secundò, verba illa, *Ego vos in matrimonium conjungo*, non habere in rigore sensum quem præse ferunt, sed istum: Ego approbo vel benedico conjunctionem vestram, ut ait Soto; vel ut alij volunt: Ego vos conjungo in facie Ecclesiæ, ut ab omnibus pro veris conjugibus habeamini. Sicut dum quis ab excommunicatione absolutus in secreto, postea à Judice legitimo absolvitur in publico, sensus horum verborum quæ Judex profert: *Ego absolvo te à vinculo excommunicationis*, est: Ego approbo & declaro publicè, validam esse tuam absolutionem.

85. Objicitur quartò: Omne Sacramentum debet habere ministrum sacrum, qui verba aliqua sacra proferat: Sed contrahentes matrimonium, non sunt personæ sacræ, nec verba aliqua sacra proferunt, quibus consensum internum exprimant: Ergo non sunt ministri hujus Sacramenti, sed potiùs ipse Sacerdos, qui & persona sacra est, & verba sacra profert, dum conjuges benedicit, ista scilicet: *Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

86. Confirmatur: Si conjuges essent hujus Sacramenti ministri, sequeretur quod contrahentes matrimonium in statu peccati mortalis, non solùm eâ ratione quâ recipiunt Sacramentum, sed etiam eâ ratione quâ ipsum ministrant, peccarent

Universidad de Deusto
Biblioteca

carent mortaliter: At hoc videtur absurdum: Ergo & illud. Sequela Majoris manifesta videtur, ministrans enim aliquod Sacramentum in statu peccati mortalis, peccat mortaliter, peccato sacrilegij. A

87. Ad objectionem respondeo primò, negando primam partem Majoris, est enim manifesta instantia in baptismo, qui à laïcis, imò & ab Ethnicis, validè, & in multis casibus licitè, administrari potest, ut docuimus in Tractatu de baptismo. Præterquam quod in matrimonio est specialis ratio, cur non debeat ab aliis quàm ab ipsis contrahentibus ministrari; quia nimirum Sacramentum matrimonij est essentialiter quidam contractus elevatus ad rationem Sacramenti; ministri verò contractûs, non sunt alij quàm ipsi contrahentes, ut suprà ostensum est. B

88. Respondeo secundò, datâ Majori, negando Minorem, quoad secundam partem: nam verba illa quibus utuntur conjuges ad consensum suum manifestandum, duobus modis spectari possunt: Primò secundùm se, & sic non sunt aliquid sacrum; Secundò, quatenus eis utuntur Christiani ad significandum ex intentione Christi & Ecclesiæ, non solùm unionem corporum, sed etiam animorum, ad similitudinem conjunctionis Christi cum Ecclesia; quo sensu verba sacra sunt, cùm ipsos conjuges sanctificent; & licèt à pluribus pronuntientur, qui nihil sacrum se facere cogitant, satis tamen est, ut illud facere intendant quod Christus instituit; quemadmodum de forma baptismi, ab infideli prolata, nihil tamen sacrum cogitante, dici solet. C

89. Ad confirmationem, nego sequelam Majoris, licèt enim matrimonium contrahentes in mortali, peccent mortaliter, ut recipientes illud Sacramentum, non tamen ut ipsius ministri, quia non sunt ministri solemnitatis & officij, sed tantùm necessitatis; sicut laïcus qui conscientiam peccati mortalis habens, baptizat parvulum in extrema necessitate constitutum, non peccat mortaliter, ut docent communiter Theologi.

D

ARTICULUS V.

Quæ sit materia & forma hujus Sacramenti?

EX dictis articulo præcedenti confutata manet utraque sententia Cani & Catharini, quoad materiam & formam Sacramenti matrimonij, quorum uterque materiam quidem in actibus conjugum, formam verò ille in verbis Sacerdotis eos conjungentis, hic in verbis à Deo semel prolatis, & scripto mandatis, collocat. In hoc articulo, in primis varias aliorum Doctorum sententias referemus ac refellemus, deinde veriorem seu probabiliorem eligemus. Unde sit E

§. I.

Referuntur ac refelluntur variæ Theologorum sententiæ.

90. DE materia & forma Sacramenti matrimonij non parva est dissensio inter Doctores. In primis enim aliqui censent, materiam contractûs & Sacramenti matrimonij, esse mutuum conjugum consensum, formam verò esse signa exteriora, consensum internum exprimentia, quæ regulariter solent esse verba. Ita Glossa in cap. *Eva* de sponsalibus, quam ex Canonistis sequuntur Rebellus, Navarrus, & Covarruvias; ex Theologis verò Capreolus, Deza, & Martinonus. Alij è converso existimant, quod consensus interni contrahentium sunt forma, verba autem consensum illum exprimentia sunt materia, quia consensus perficit verba, quandoquidem sine consensu verba nihil efficerent. Sic Joannes Major in 4. dist. 26. quæst. 1.

Sed hæ duæ sententiæ videntur à veritate alienæ, nam materia saltem totalis Sacramenti, & forma illius, debent esse per se sensibiles, ut patet inductione in Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, &c. Sed utriusque contrahentis consensus internus, non est per se sensibilis, sed tantùm ratione expressionis exterioris: Ergo præcisè sumptus, nec materia, nec forma hujus Sacramenti esse potest. Dixi *materia saltem totalis*, quia non est inconveniens quod materia partialis Sacramenti sit insensibilis, ac fiat sensibilis per aliam materiam partialem; ut in Sacramento pœnitentiæ interior attritio vel contritio, quæ est materia partialis, fit sensibilis per confessionem. 91.

Confirmatur: Materia & forma Sacramentorum debent se habere per modum determinabilis & determinantis, quia debent proportionari materiæ & formæ compositorum physicorum, per quorum analogiam assignantur: Sed in Sacramento matrimonij, nec consensus determinat verba, cùm hæc sint antecedenter determinata ad significandum consensum; nec verba consensum, quia licèt illum reddant sensibilem, non tamen determinant quoad significationem; ex se enim sic consensus est determinatus ad hoc & non aliud objectum exprimendum: Ergo in Sacramento matrimonij consensus & verba, non se habent adinvicem per modum materiæ & formæ. Unde alij asserunt, ipsos contrahentes, sive eorum corpora quæ sibi invicem tradunt, esse materiam hujus Sacramenti; verba autem contrahentium, vel eorum consensus per verba explicatos, esse formam. Hanc sententiam ex Antiquis docet Paludanus, & probabilem censet Capreolus; ex Recentioribus verò Vazquez, Mœratius, & Pontius ei adhærent. 92.

Verùm, si hæc opinio tantùm intenderet, corpora conjugum esse materiam remotam contractûs matrimonij, & circa quam velut objectum versatur, vera esset; sed quia intendit esse totam materiam, adeóque materiam proximam, ex qua constat & componitur Sacramentum matrimonij, falsa est. Unde sic arguo: Materia proxima Sacramenti dicitur illa ex qua componitur & perficitur Sacramentum: Sed matrimonium non componitur & perficitur ex ipsis contrahentibus; est enim, etiam ut Sacramentum, quidam contractus, quo contrahentes, seipsos sive sua corpora sibi mutuò tradunt: in contractibus autem id quod traditur, non est materia proxima ex qua constant intrinsecè; alioquin contractus de domo, de agro, de equo, constaret intrinsecè ex ipsa domo, agro, vel equo, quod est absurdum, & contra definitionem contractûs; nullus enim Jurisconsultus hactenus contractum definivit per res circa quas versatur, sed per mutuum contrahentium consensum, verbo, aliisve signis expressum, vel per mutuam contrahentium obligationem, ut per proprietatem immediatè consequentem naturam contractûs, ut patet ex Ulpiano L. *Labeo* 19. ff. de Verb. signif. 93.

Quod

Quod ergo præcipuè in hac sententia displicet, est quod materiam remotam & circa quam Sacramenti matrimonij, confundat cum materia proxima & ex qua. A

94. Addo quod Theologi communiter docent, omnia Sacramenta, exceptâ Eucharistiâ, consistere in actione transeunte: Sed hoc esset falsum, si materia proxima matrimonij essent ipsi contrahentes, vel eorum corpora, matrimonium enim consisteret, saltem ex parte, in re permanenti: Ergo &c. Item Theologi dicunt, illud esse materiam proximam Sacramenti, pro quo ipsum Sacramentum supponit, ablutio enim v.g. pro qua supponit baptismus, est materia proxima ipsius: Sed matrimonij Sacramentum non supponit pro contrahentibus: Ergo contrahentes non sunt materia proxima illius. Minor probatur: Subjectum receptivum Sacramenti, non est id pro quo supponit ipsum Sacramentum, aliàs enim baptismus supponeret pro ipso suscipiente: Sed uterque contrahentium est subjectum receptivum Sacramenti matrimonij: Ergo Sacramentum matrimonij non supponit pro contrahentibus. B

95. Alij demum existimant, verba à priori contrahente prolata, esse materiam hujus Sacramenti prolata autem à posteriori, esse formam; sicut in numero ultima unitas est forma præcedentium, quia per eam determinantur præcedentes ad certam numeri speciem. Ita Richardus, & Henriquez.

96. Sed hæc etiam sententia displicet, materia enim hujus Sacramenti non debet esse vaga, & in contrahentium potestate sic posita, ut fieri possit forma, sed certa & invariabilis: At si consisteret in verbis illis solis quæ prior contrahens profert, non esset certa & invariabilis, sed vaga, & in contrahentium potestate esset, ex materia facere formam, & è contra; quandoquidem uterque potest facere quod verba sua quibus exprimit suum consensum, priùs vel non priùs proferantur, quàm verba alterius: Ergo materia hujus Sacramenti, non sunt verba à priori contrahente prolata. C

97. Confirmatur: Etiam si accideret quod contrahentes simul tempore verbis aut nutibus suum consensum exprimerent, nihilominus esset verum Sacramentum matrimonij, & tamen nulla essent verba priora pro materia: Ergo &c. D

§. II.

Verior seu probabilior sententia declaratur.

98. QUinta igitur & probabilior sententia docet, eadem verba seu signa conjugum quibus mutuum consensum exprimunt, esse sibi invicem materiam & formam, secundùm diversas considerationes, nam quatenus per ea mutuò sua corpora in conjugium sibi invicem tradunt, habent rationem materiæ; inquantum verò per ea corporum traditionem sibi mutuò factam accept- E antant, habent rationem formæ. Hanc sententiam sic explicatam docent ex Thomistis Dominicus Soto, & Petrus de Ledesma; ex extraneis verò Suarez, Bellarminus, Sanchez, Conink, Amicus, & alij.

99. Ratio à priori illius est, quia in contractibus civilibus, traditio ut sensibili signo facta, habet rationem materiæ; acceptatio verò verbis expressa, habet rationem formæ: Sed matrimonium in ratione contractûs non differt à reliquis contractibus civilibus, neque, ut Sacramentum est, diversam habet materiam aut formam à seipso ut contractus est: Ergo in matrimonio eadem verba vel signa conjugum, mutuum consensum exprimentia, quatenus sunt traditio, habent rationem materiæ; prout verò sunt acceptatio, habent rationem formæ. Minor est certa, Major verò sic ostenditur. Illud habet rationem materiæ, quod se habet ut determinabile; quod verò est determinativum, habet rationem formæ: Sed traditio habet rationem determinabilis, completurque & perficitur per acceptationem, quæ se habet per modum determinantis: Ergo in contractibus civilibus, traditio ut signo sensibili facta, habet rationem materiæ, acceptatio vero rationem formæ.

100. Dices primò, non semper traditio, ut quid informe & determinabile, præcedit & inchoat contractum, sed aliquando subsequitur, complet, & perficit illum, ut constat in contractu donationis, in quo potest acceptatio præcedere; potest enim quis priùs velle habere dono agrum ab aliquo, eumque petere & alter posteriùs donare, vel promittere, atque ita complere contractum donationis aut stipulationis perfectæ, juxta l. 1. paragr. *si quis* ff. de verborum obligationibus: Ergo in contractibus civilibus traditio non habet semper rationem materiæ.

101. Respondeo primò, in contractibus non attendi quid per accidens, & in uno vel altero casu fiat, sed quid regulariter & per se; & quia regulariter & per se traditio præcedit & inchoat contractum, acceptatio verò subsequitur, determinat, & perficit illum, rectè illa ponitur ut materia, hæc ut forma contractûs.

102. Respondeo secundò, quod etiam in eo casu quo acceptatio tempore præcedit traditionem, traditio habet rationem materiæ, & acceptatio rationem formæ complentis & perficientis contractum; nam licèt acceptatio duratione sit prior traditione, causalitate tamen est posterior, quia in instanti quo exprimitur consensus traditionis à donante, acceptatio à donatario priùs tempore facta, ut contractum perficiat & compleat, debet per modum actûs moraliter perseverantis, ratificare traditionem sibi à donatore factam, & consequenter supponere illam priùs naturâ ut determinabilem, ut rectè observavit Amicus.

103. Dices secundò, Ex Florentino in Decreto Eugenij, omnia Sacramenta novæ legis tribus perficiuntur, rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri conficientis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: Ergo verba seu nutus quibus conjuges mutuum consensum exprimunt, non possunt esse sibi invicem materia & forma in Sacramento matrimonij.

104. Confirmatur: In quolibet Sacramento materia, forma, & minister, realiter debent distingui: Sed si verba seu nutus conjugum sibi mutuò sint materia & forma, tria illa non distinguentur, realiter, consensus enim unius & ejusdem partis, ut per verba vel nutus expressus, rationem formæ & materiæ habebit, secundùm diversas considerationes; & præterea cùm ipsi conjuges sint ministri hujus Sacramenti, si ipsorum traditio habeat rationem materiæ, causa materialis & efficiens coincident in eandem personam, quod videtur absurdum: Ergo &c.

105. Ad instantiam respondeo, quod quando Florentinum ait, omnia Sacramenta novæ legis constare ex rebus & verbis, non ita strictè accipi

Universidad de Deusto
Biblioteca

debent nomina rerum & verborum, ut neque res pro verbis, neque verba pro rebus interdum accipi possint, sed nomine rerum intelligenda sunt ea omnia quæ sunt vice earum, id est quæ ita adhibentur in Sacramentis loco rerum, ut sicut ipsæ, per alia signa determinentur ad significandum; & similiter nomine verborum intelligi debent omnia quæ loco verborum adhiberi solent ad aliquid significandum, ut litteræ, nutus, & similia, quæ rerum significationem determinare solent: cùm enim materia & forma in Sacramentis assignentur per analogiam ad materiam & formam physicam, illud assignatur ut materia, quodcumque tandem sit quod imitatur materiam physicam; illud verò habet rationem formæ, quod formæ physicæ assimilatur. Sicut ergo in Sacramento pœnitentiæ, quia confessio peccatorum determinatur per absolutionem pœnitentis, ad significandum remissionem peccatorum, verba pœnitentis per comparationem ad verba Sacerdotis, appellantur res Sacramenti pœnitentiæ; ita similiter quia in Sacramento matrimonij, verba unius conjugis quibus suum corpus alteri tradit, determinantur per verba alterius, talem traditionem acceptantis, & è converso, hinc fit quod verba seu nutus quibus conjuges mutuò suum consensum exprimunt, sunt sibi invicem materia & forma, secundùm diversos respectus suprà explicatos.

106. Ad confirmationem nego Majorem, licèt enim Florentinum dicat, omnia novæ legis Sacramenta perfici materiâ, formâ & intentione ministri, non tamen asserit tria illa esse necessariò realiter distincta, ideóque ad veritatem hujus dicti, distinctio rationis seu virtualis sufficit. Addo quod, etsi materia totalis Sacramenti matrimonij copulatim sumpta, & forma item totalis simul sumpta, adinvicem comparatæ, non distinguantur realiter; si tamen unaquæque materia partialis divisim accipiatur, distinguitur realiter à forma partiali quâ perficitur; verba enim conjugis exprimentia traditionem proprij corporis, quæ habent rationem materiæ, distinguuntur realiter à verbis alterius quibus talem traditionem accep-
D tat, & quæ se habent ad modum formæ.

107. Ad illud quod subditur de ministris hujus Sacramenti, dicendum est, nullum esse inconveniens, quod in hoc Sacramento causa materialis & efficiens coincidant in easdem personas; id enim exigit natura contractûs, in quo contrahentes seipsos tradunt; ut constat exemplo illius qui se in servum alicui venderet, idem enim simul esset vendens & res vendita, subindeque illius contractûs causa efficiens & materialis. Idem cum proportione dicendum est de conjugibus
E contractum & Sacramentum matrimonij celebrantibus, habent enim secundùm diversos respectus simul rationem causæ efficientis & materialis talis contractûs & Sacramenti.

A choatio futuri matrimonij, & dispositio moralis ad illud, meritò S. Doctor, postquam de matrimonio in ratione contractûs & Sacramenti considerato disseruit, agit de sponsalibus; de quibus etiam tractat jus civile toto ff. & cap. *de sponsalibus*, & Canonicum tit. *de sponsalibus*, in 6. De illis etiam breviter in hac Disputatione disseremus, earumque naturam, obligationem, personarum habilitatem, & causas quibus dissolvuntur, examinabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sint sponsalia, & quænam ad illorum valorem requirantur?

B 1. SPonsalia à spondendo dicta sunt, eò quòd mos fuit veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras, ut ait Ulpianus lib. 2. ff. *de sponsalibus*, eaque sponsio fiebat olim non ab illa quæ in uxorem ducenda erat, sed ab ejus patre, vel tutore, aut alio qui eam daturus erat, qui ideircò *sponsor* dicebatur, nuptura verò *sponsa*, & vir puellam ducturus, *sponsus* appellantur. Hujus consuetudinis seu sponsionis ratio assignatur in jure, can. *Institutum* 23. quæst. 2. ubi dicitur hanc esse consuetudinem, ut jam pactæ sponsæ, non statim tradantur, *ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam. Quod enim quis non diligit, nec optat, facilè contemnit*, ut habetur can. *præsens* 20. quæst. 3.

2. Porrò sponsaliorum nomen variis rebus accommodari solet: In primis enim interdum contractus matrimonij, per verba de præsenti, & matrimonium nondum consummatum, dicitur sponsalia, & ipsi conjuges, qui de præsenti contraxerunt, nondum tamen carnaliter se cognoverunt, appellantur sponsi. Ita sumitur Lucæ 2. ubi dicitur Maria fuisse Joseph sponsata uxor, & Matt. 1. *Cùm esset sponsata mater Iesu Maria Ioseph.* Et hæc acceptio in lingua Gallica familiaris est, ejusque rationem reddit D. Thomas hic art. 1. ad 6. quia nimirum qui matrimonium per verba de præsenti contrahit, futurum matrimonij actum spondet: sicut qui per verba de futuro sponsalia celebrat, ipsum matrimonium futurum promittit. Secundò munera illa quæ à sponso sponsæ dari solent ad ornatum illius, quæ jocalia communiter dicuntur, sponsalia etiam vocari solent. Quo sensu intelligendum est illud 1. Regum 18. *Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantùm centum præputia Philistinorum.* Eodemque sensu dicitur l. 1. Cod. si nuptiæ ex rescripto petantur, *sponsalia, hoc est arrharum data nomine, reddi sibi præcepto legum cum statuta pœna deposcunt.* Tertiò tandem sumitur magis propriè
E nomen sponsaliorum, pro futuri matrimonij promissione, in quo sensu definiuntur sponsalia cap. *Nostrates* 30. quæst. 5. & l. 1. ff. de sponsalibus, *futurarum nuptiarum promissio.* Dicitur, *futurarum nuptiarum*, ut sponsalia distinguantur à matrimonio, qui contractus est per verba de præsenti expressus; sponsalia autem contrahuntur per verba de futuro; ut accipiam te in uxorem, accipiam te in virum. Dicitur *promissio*, quia ad sponsalia non sufficit propositum aut simplex voluntas, cùm illa non sufficiat ad inducendam obligationem, sed requiritur necessariò promissio, seu voluntas se obligandi, quæ mutua ex parte utriusque contrahentis esse debet.

Unde

DISPUTATIO III.

De Sponsalibus.

Ad quæst. 43. Supplementi.

CUM sponsalia maximam cum matrimonio connexionem habeant, & sint veluti in-

Unde notanter Jurisconsultus usus est voce *repromissionis*, quæ mutuam promissionem importat. Nam sicut in matrimonio non sufficit consensus unius, sed requiritur mutuus ex parte utriusque: ita nec in sponsalibus, quæ matrimonij inchoatio sunt, sufficit promissio unius, sed utriusque necessaria est; unde si alter solùm acceptet promissionem, sed non repromittat, neuter obligatur vi sponsalium; an verò vi simplicis promissionis obligari possit, infrà dicemus.

3. Observandum est autem primò cùm D. Thoma hìc art. 6. in corp. quod promissio futurarum nuptiarum dupliciter fieri potest, absolutè scilicet, vel sub conditione; & rursus absolutè quatuor modis. Primò, nudâ promissione, ut cùm dicitur, *Accipiam te in meam*, & è converso. Secundò, datis arrhis sponsalitiis, ut jocalibus, pecuniis, & aliis hujusmodi. Tertiò, annuli subarrhatione. Quartò, interveniente juramento. Si autem fiat sub conditione, distinguendum est: quia vel conditio est honesta, ut cùm dicitur, *accipiam te, si parentibus placeat*, & tunc stante
B conditione, stat promissio; & non stante, non stat: aut est inhonesta; & hoc dupliciter, quia vel est contraria bonis matrimonij, ut si dicam, *accipiam te, si veneno sterilitatem procures*, & tunc non contrahuntur sponsalia; vel non est contraria bonis matrimonij, ut si dicam, *accipiam te, si furtis meis consentias*; & tunc stat promissio, sed tollenda est conditio.

4. Advertendum secundò, quod ut promissio matrimonij sponsalia constituat, versari debet circa personam determinatam, non autem confusè & & indeterminatè circa aliquam de pluribus, atque determinatè ferri in matrimonium. Unde si Petrus Joanni habenti decem filias, promitteret se aliquam ex illis ducturum, non determinando quam, talis promissio non haberet rationem sponsalium. Item si Titius diceret Berthæ, *nunquam ducam aliam præter te*, talis promissio ad sponsalia non sufficeret; quia qui sic promittit, non obligat se determinate ad matrimonium cum illa ineundum, sed tantùm indeterminatè; sen-
D sus enim illius propositionis est, vel ducam te, vel nullam aliam; & absolutè verificatur, licèt promittens nullam omnino ducat.

5. Tertiò notandum est, ad valorem sponsalium non sufficere solam promissionem externam, utpote quæ non est vera promissio, si desit animus promittendi, neque solam internam; quamvis enim Deo, qui cordium scrutator est, possit homo obligari actu interno; homini tamen alteri, qui sola externa intuetur, non potest obligari, nisi per modum humanum, subindeque nisi signo aliquo externo, ejus promissio exprimatur. Ad sponsalia tamen non est necessarium, quod promissio vel consensus exprimatur per verba vel alia signa determinata, sed sufficiunt hæc aût illa quæcunque apta sunt exprimere alteri sufficien-
E ter consensum & volitionem internam. Hinc est quod in quibusdam locis ad sponsalia sufficit missio annuli in digitum sponsæ, vel appensio torquis ad collum ejus, vel traditio arrharum, vel porrectio manûs sponsæ, postulante sponso; imò & ipsa taciturnitas sponsi & sponsæ, quando nimirum parentes, aut tutores, vel curatores, qui sunt loco parentum, contrahunt sponsalia pro filiis impuberibus, aut etiam puberibus ipsis præsentibus, & non contradicentibus.

6. Hæc sunt certa & indubitata ferè apud omnes

A Theologos & Jurisperitos, sed circà valorem sponsalium aliquæ sunt difficultates & controversiæ breviter hìc discutiendæ & resolvendæ. Prima est, an sponsalia clandestina, id est quæ non fiunt coram Parocho & testibus, post Concilium Tridentinum sint valida? Prohibitis enim per Tridentinum matrimoniis clandestinis, prohibita quoque videntur clandestina sponsalia juxta axioma illud: *Prohibito matrimonio, censetur prohibitum id omne per quod ad illud pervenitur*, sumptum ex lege *Oratio*, ff. de sponsalibus.

7. Dicendum tamen est, sponsalia clandestina, etiam post Tridentinum, esse valida. Si enim essent invalida, maximè quia irritarentur decreto
B Tridentini sess. 24. de reformatione matrimonij, clandestina matrimonia irritantis: Sed tali decreto non irritantur: Ergo post Tridentinum valida sunt. Major patet, Minor verò probatur, ex eo quod id declaratum fuit expresè, teste Ledesmâ, à Congregatione Cardinalium, Tridentini Interpretum, in hæc verba: *Decretum Concilij Tridentini, quo statuit quod matrimonij contractus fiant solemniter coram Parocho, & testibus, habet tantùm locum in matrimoniis per verba de præsenti, non autem in sponsalibus per verba de futuro.* Et rursus: *Decretum hoc annullat solùm contractus matrimoniales, per verba de præsenti clandestinè factos; sponsalia verò per verba de futuro, relinquit in terminis juris communis.*

C Ratio etiam id suadet: Quidquid enim in nova lege expressum non habetur, veteris juris dispositioni relinquitur, ut dicunt Imperatores Theodosius & Valentinianus l. *Præcipimus*, cap. de appell. Sed in novo Tridentini decreto, contra clandestina matrimonia edito, nulla mentio fit de sponsalibus: Ergo ea censentur dispositioni juris veteris relicta, unde cùm jure veteri sponsalia clandestina valida sint, etiam post Tridentinum valida erunt.

8. Addo quod non eadem militat ratio in sponsalibus, ac in matrimonio clandestino: ratio enim quæ Tridentinum movit ad prohibenda matrimonia clandestina, fuit, ut vitaretur adulterium
D quod ex eis sequebatur; solebant enim plerique, spreto priori matrimonio, clam inito, de quo proinde Ecclesiæ non constabat, publicè aliud contrahere, quod tamen adulterium erat: hoc autem locum non habet in sponsalibus, quandoquidem matrimonium contractum, spretis prioribus sponsalibus, validum est.

9. Ad illud verò axioma, *Prohibito matrimonio, censetur prohibitum id omne per quod ad illud pervenitur*, dicendum est illud debere intelligi, quando prohibetur matrimonium absolutè, sive omnibus modis; cùm enim tunc nullo modo contrahi possit matrimonium, sponsalia erunt promissio rei illicitæ, ac proinde nulla. At novâ Tridentini lege non inhibetur inter aliquas personas matrimonium absolutè, sed ut clandestinè duntaxat contrahendum, subindeque ex hac nova lege, nulla in sponsalia prohibitio derivatur, cùm nulla sit inter clandestinitatem matrimonij & sponsalium connexio; optimè enim possunt sponsalia clandestinè contrahi, etiam si matrimonium debeat publicè celebrari.

10. Secunda difficultas est, an matrimonium clandestinum Tridentini lege irritum, habeat vim sponsalium? Id enim affirmant Henriquez, Coninck, Layman, & alij ex Recentioribus; quia (inquiunt) talis contractus ex natura sua virtualiter habet vim sponsalium, & non fuit

irritatus

Universidad de Deusto
Biblioteca

irritatus à Tridentino, nisi quatenus habet rationem matrimonij, propter gravia incommoda quæ ex matrimonio clandestino sequebantur: quæ non habent locum in sponsalibus, ut in resolutione superioris quæsiti dicebamus.

12. Oppositum tamen tenendum censeo, propter duas declarationes Cardinalium, Concilij Tridentini interpretum, quæ habentur in ejus editione Lugdunensi anni 1640. ad sess. 24. cap. 1. decreti de reformatione matrimonij. Prior ita loquitur: *Matrimonium contractum coram testibus, sed sine Parocho, vel alio Sacerdote, de ejus licentia, post Concilium Tridentinum, non solùm est nullum, sed nec vim habet sponsalium: adeò ut sic contrahentes, ad denuò contrahendum compelli non possint.* Posterior verò paulò post ibidem expressa, sic habet: *Matrimonium contractum non servatâ formâ Concilij Tridentini (licèt contrahentes certam inter se de contrahendo matrimonio fidem dederint, & postea coram testibus sine Parocho de præsenti contraxerint, carnali etiam copulâ inter eos subsecutâ) non in sponsalia de futuro resolvitur, ita ut cogi possint contrahere servatâ formâ Concilij.* Ex quibus declarationibus ruit fundamentum contrariæ sententiæ, asserentis Tridentinum suo decreto, clandestinum matrimonium in ratione duntaxat matrimonij, non in ratione sponsalitij contractûs, irritasse. Constat enim ex prædictis declarationibus Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, Tridentinum non solùm matrimonia clandestina, sed etiam sponsalia in in iis virtualiter inclusa, irritasse.

13. Sed quæres, an post Tridentinum, saltem matrimonium clandestinum inter impuberes contractum habeat vim sponsalium? Respondeo etiam negativè, propter aliam declarationem eorumdem Cardinalium in cap. 2. sess. 24. in qua loquens de matrimonio inter impuberes contracto, hæc habet: *Quod si malitia ætatis defectum non supplevit, hujusmodi matrimonium, si modò formâ servatâ Concilij contractum fuit, resolvi in sponsalia.* Ubi vides, ut tale matrimonium in sponsalia validè resolvi possit, ex quibus publicæ honestatis vinculum oriatur, ut necessariam conditionem à sacra Congregatione requiri, ut sit juxta formam Tridentini contractum: Igitur formâ Tridentini non servatâ, in sponsalia non resolvitur.

14. Tertiò dubitatur, an sponsalia conditionata, per copulam clandestinam subsequentem, transeant in absoluta? certum est enim, ea non transire in matrimonium, ob legem Concilij Tridentini matrimonia clandestina irritantis.

Respondeo negativè: Sponsalia enim conditionata non transeunt in absoluta, nisi conditione verificatâ, aut depositâ, si pendeat à sola voluntate contrahentis: licèt autem ante Tridentinum jure antiquo conditio per subsequentem copulam censeretur deponi, eò quòd tunc copula illa erat licita, & conjugalis censebatur; nunc tamen cùm talis copula non admittatur ut conjugalis; nec possit nisi affectu fornicario exerceri, cùm invalida sit ad matrimonium contrahendum, non poterit per eam censeri conditio deponi, subindeque sponsalia sub ea contracta, adhuc manebunt conditionata.

15. Demum circa id quod diximus explicando sponsalium definitionem, ad sponsalia requiri mutuam utriusque promissionem & acceptationem, difficultas est, an possit unus validè promittere alteri matrimonium, illique obligari, absque eo quod iste repromittat? Hoc enim negant Vazquez, & Pontius, quia (inquiunt) matrimonium includit essentialiter mutuam utriusque traditionem & acceptationē de præsenti, neque aliter fieri potest: Ergo promissio matrimonij futuri includit essentialiter mutuam utriusque promissionem & acceptationem, neque potest ab uno validè promitti, quin alter repromittat.

16. Dico tamen, quod licèt promissione sponsalitiâ, non possit unus alteri promittere matrimonium, illique obligari absque eo quod iste repromittat, benè tamen simplici promissione.

Prima pars patet, quia natura sponsalium reciprocam ex parte utriusque desiderat promissionem, ut suprà ostendimus, sponsalium definitionem explicando. Secunda verò probatur ex eo quod nulla apparet repugnantia, cur non possit quis per modum simplicis promissionis, alteri se gratis obligare ad contrahendum cum eo matrimonium, quando ille hoc requiret, & quod iste talem promissionem acceptet, cum expressa voluntate non repromittendi, subindeque sine reciproca obligatione ex parte sui: similis enim conventio fit quotidie in contractu censûs ex altera parte redimibilis, qui contractus est sine dubio onerosus, & ad commutationem pertinens, in illo enim censuarius promittit pecuniam datam ad censum recipere, quotiescunque placebit censualistæ eam reddere; & hæc promissio ab illo acceptatur, alterumque obligat, absque eo tamen quod iste repromittat eam reddere, & ad id obligetur; liberam enim retinet facultatem servandi in perpetuum, si velit, sub onere solvendi censum. Non repugnat etiam, Joannem promittere Petro vendere illi suum prædium, quotiescumque ille volet emere justo pretio, & Petrum hanc promissionem accceptare, absque eo tamen quod ipse ad emendum se obliget; subindeque Joannem quidem ad vendendum agrum manere obligatum, si Petrus velit emere, quamvis Petrus ad emendum non obligetur, Joanne volente ut emat. Idem cum proportione dicendum est in proposito. Nec obstat quod dicunt Adversarij, nempè matrimonium, cùm sit commutatio corporis pro corpore, essentialiter requirere mutuam ex utraque parte obligationem. Quamvis enim matrimonium non possit contrahi sine mutua utriusque traditione & acceptatione, non sequitur quod pariter promitti nequeat, sine utriusque promissione & acceptatione mutua; ut constat exemplo promissionis & professionis religiosæ, potest enim quis ex parte sua per promissionem se obligare ad professionem in religione emittendam, ipsa religione non se obligante (ut patet in votis simplicibus quæ post biennium novitiatûs à Novitiis Societatis emittuntur) tametsi per professionem non possit professus se religioni obligare, quin similiter & reciprocè religio se obliget professo, quia nimirum alia est natura professionis, & promissionis ipsius professionis. Cùm ergo pariter longè sit diversa ratio de contractu matrimonij, ac de ipsa promissione contrahendi matrimonium: potest unus alteri promittere matrimonium, illique obligari, absque eo quod alter repromittat, & ipsi vicissim obligetur; licèt repugnet matrimonium contrahi absque mutua ex utraque parte obligatione. Unde ad argumentum suprà adductum, quod est præcipuum fundamentum Vazquis, & Pontij, concesso Antecedente, neganda est Consequentia.

ARTICU

ARTICULUS II.

Qui possint sponsalia contrahere?

17. CUm sponsalia sint promissio futuri matrimonij, constat eos ad sponsalia inhabiles esse, qui ad matrimonium contrahendum perpetuò inhabiles sunt. Qui verò solùm ad tempus ad illud contrahendum sunt inhabiles, sponsalia contrahere possunt; quia possunt se obligare ad contrahendum matrimonium pro eo tempore quo ad illud erunt habiles. Sic impuberes post septennium validè contrahunt sponsalia de matrimonio tempore pubertatis ineundo. Et leges civiles prohibent ne tempore luctûs viduæ celebrent secundas nuptias, cùm tamen iis concedant eo tempore sponsalia contrahere, ut patet ex l. *solet* ff. de his qui notantur infamiâ, in qua sic dicitur: *Quæ virum eluget, intra id tempus sponsam fuisse non nocet.* Item qui vovisset servare castitatem usque ad annum vigesimum, validè intra illud tempus contrahere posset sponsalia de matrimonio celebrando post illud tempus elapsum. Demum consanguinei in tertio vel quarto gradu possunt sponsalia contrahere sub conditione de futuro, si obtineatur dispensatio. Nec obstat quod habeant impedimentum præsens: nam impedimentum præsens solùm obstat quominus de præsenti matrimonium contrahere valeant, non verò quod possint promittere matrimonium de futuro contrahendum, eo scilicet tempore, quo præsens impedimentum per dispensationem erit sublatum.

18. Certum est etiam, ætatem pro sponsalibus contrahendis ab utroque jure requisitam, esse septennium. De Civili constat ex l. 1. *in sponsalibus* ff. de sponsal. in qua dicitur, *posse sponsalia à primordio ætatis effici, si modò id fieri ab utraque persona intelligatur, id est* (explicatio est legis) *si non sint minores, quàm septem anni.* De jure verò Canonico etiam liquet ex variis Summorum Pontificum rescriptis, ut ex cap. 4. & 5. de despons. impub. ubi Alexander III. interrogatus de sponsalibus juvenis cujusdam cum puella, respondet fuisse valida, si hæc ante desponsationem septimum annum ætatis compleverat, secùs autem fuisse irrita. Et cap. 13. eodem titulo Innocentius III. declarat, inter juvenem & puellam, de quibus fuerat interrogatus, nec matrimonium nec sponsalia fuisse contracta, cùm constet puellam nondum ad septennium pervenisse. Et cap. unico eodem titulo in 6. Bonifacius VIII. affirmat sponsalia ab impuberibus contracta ante septennium, nulla esse, nisi postea consenserint, & signo aliquo externo consensum suum expresserint.

19. Ratio verò cur jura citata hanc ætatem ad valorem sponsalium requirant, assignatur à D. Thoma hic art. 2. Cùm enim sponsalia (inquit) sint quædam promissio futurorum, oportet spondentem habere aliquam prudentiam circa futurum, quæ usum rationis requirit. Ejus autem respectu triplex est gradus secundùm Philosophum 1. Ethic. cap. 4. Primus est, cùm quis neque intelligit per se, neque ab alio capere potest. Secundus, quo homo ab alio capere potest, sed ipse per se non sufficit ad considerandum & intelligendum. Tertius est, cùm homo & ab alio jam capere potest, & per seipsum considerare. Et quia ratio paulatim in homine convalescit, secundùm quod quietantur motus & fluxibilitas humorum, ideò primum statum rationis obtinet homo ante primum septennium, & propter hoc nulli contractui tunc aptus est, adeóque nec sponsalibus. Sed ad secundum statum incipit pervenire in fine secundi septennij, unde etiam tunc temporis solent pueri scholarum disciplinæ tradi. Ad tertium verò statum incipit homo pervenire in fine secundi septennij, quantùm ad ea quæ ad personam ipsius pertinent: quantùm verò ad ea quæ extra ipsum sunt, in fine tertij septennij. Et ideò ante primum septennium, nulli contractui homo aptus est. Sed in fine primi septennij, incipit esse aptus ad aliqua promittenda in futurum, præcipuè de iis ad quæ ratio naturalis inclinat magis; non tamen ad obligandum se perpetuo vinculo, quia non adhuc firmam habet voluntatem; ideóque tunc possunt contrahi sponsalia. In fine autem secundi septennij jam potest obligare se de iis quæ ad personam ipsius pertinent, vel ad religionem, vel ad conjugium. Post tertium denique septennium potest etiam de aliis; unde secundùm leges constituitur ei potestas de rebus suis disponendi, post vigesimum secundum annum.

20. Dices: Pro contrahendo matrimonio diversa assignatur in jure maribus & fœminis, nimirum ætas duodecim annorum pro fœminis, & quatuordecim pro maribus: Ergo cùm sponsalia ad matrimonium ordinentur; pro sponsalibus septennium utrisque assignari non debet.

Sed nego consequentiam & paritatem, nam ut rectè discurrit S. Doctor ibidem in resp. ad 5. *Tempore contractûs matrimonij non solùm requiritur dispositio ex parte usûs rationis, sed etiam ex parte corporis, ut sit tempus generationi aptum; & quia puella in duodecimo anno ad hoc venit, ut possit esse actui generationis apta, puer autem in fine secundi septennij, ut Philosophus ait in 9. animalium; simul autem usum discretionis accipiunt, qui tantum in sponsalibus requiritur; ideò in sponsalibus determinatur unum tempus utrique, non autem in matrimonio.*

21. Quæres primò, an si ante septennium contrahentes habeant usum rationis sufficientem, & si tunc malitia ætatem suppleat, sponsalia valida sint?

Respondeo affirmativè: Malitia enim supplet ætatem respectu matrimonij: Ergo debet quoque supplere respectu sponsalium. Antecedens est certum, & constat ex cap. 9. de desponsat. impuberum, ubi Alexander III. de illis sic ait: *Si ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copulâ carnali conjungi, minoris ætatis intuitu separari non debent, si unus in alium visus fuerit consentire, cùm in eis ætatem suppleviſſe malitia videatur.* Et cap. ultimo eodem titulo, Innocentius III. consultus de puella quæ contraxerat circa annum duodecimum, eratque dubium, an sufficientem ætatem attigisset, respondet in hunc modum: *Si puella nubilis non erat ætatis, & ætatem in ea prudentia non supplebat, procul dubio inter eos, non conjugium sed sponsalia contracta fuerunt.* Consequentia verò probatur, cùm enim sponsalia non sint tanti momenti ac matrimonium, possintque multis de causis dissolvi, matrimonium verò insolubile sit; par vel major est ratio, quod in sponsalibus malitia suppleat ætatem, quàm quod eam suppleat in matrimonio.

22. Quæres secundò, an ultra hunc casum à jure expressum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

expressum, quando scilicet malitia supplet ætatem, tempus septennij pro sponsalibus à jure statutum, possit aliquot diebus præveniri, subindeque non requiratur ad sponsalia septennium mathematicè completum, sed sufficiat quod sit completum moraliter?

Respondeo ad validitatem sponsalium, si in contrahentibus malitia non suppleat ætatem, exigi septennium ultimâ die mathematicè completum. Nam quando tempus à lege præscribitur propter aliquod periculum, quod infra hujusmodi præscriptum tempus subesse potest, servandum est usque ad ultimum complementum mathematicè seu metaphysicè absolutum; ideò enim annus decimus sextus, ad faciendam professionem in Religione, à Tridentino præscriptus, debet esse mathematicè completus, quia est præscriptus ad evitandum periculum quod infra hoc tempus subesse potest de minus maturo & deliberato consensu: Atqui septennium in sponsalibus similiter præscriptum est ad evitandum defectum pleni judicij & libertatis, qui infra septennium subesse potest: Ergo ad valorem sponsalium, septennium usque ad ultimum diem mathematicè completum esse debet, quando non constat quod malitia suppleat ætatem.

23. Dices, Ad contrahendum matrimonium sufficit annus decimus quartus moraliter completus in viro, & duodecimus in fœmina: Ergo etiam ad contrahenda sponsalia, quæ sunt dispositio ad matrimonium, sufficiet septennium moraliter completum.

Confirmatur: In favorem testamenti conceditur testatori ut decimus quartus annus, qui ad testandum requiritur, sit per ultimam diem tantùm inchoatus: Ergo id etiam concedendum est sponsalibus, præsertim cùm hoc in eorum favorem cedat.

24. Respondeo, concesso Antecedente, nego consequentiam & paritatem; nam neque in matrimonio contrahendo, neque in testamento condendo, subest idem periculum quod subest sponsalibus, ne sine pleno consensu fiant, si infra completum septennium contrahantur. Falsum verò est quod additur, nempè in favorem sponsalium cedere, ut ultimâ die septennij tantùm inchoatâ D contrahantur; nam id favorabilius est sponsalibus, quod magis ad eorum libertatem conducit, scilicet ut contrahantur ultimâ die septennij mathematicè expletâ, quia certius est de contrahentium libertate & pleno judicio.

25. Dices rursus: D. Thomas hìc art. 2. ad 7. sic ait: *Dicendum quod in sponsalibus etiam similiter si appropinquant contrahentes ad tempus septennij contractus sponsalium habet robur, quia secundum Philosophum in 2. Physic. quod parum deest, quasi nihil deesse videtur:* Ergo ex D. Thoma valori sponsalium non obest, quod desint aliquot dies ad complendum septennium, subindeque ad valorem ipsorum, septennium moraliter complE tum sufficit.

26. Respondeo eo loco S. Doctorem loqui solùm de casu in quo constat sufficientem usum rationis prævenire tempus septennij expleti, & malitiam supplere ætatem; nam post verba in objectione relata, statim subjicit: *Hæc autem propinquitas à quibusdam determinatur ad tempus sex mensium; sed melius est quod determinetur secundum conditionem contrahentium, quia in quibusdam magis acceleratur rationis usus, quàm in aliis.*

A Quæres tertiò, quis rationis usus requiratur ad contrahenda sponsalia?

Respondent Sanchez, Amicus, & alij, sufficere illum qui satis est ad peccandum mortaliter, 27.
idque probant, quia usus rationis qui sufficit ad obligandum se per votum simplex Religionis, potest etiam sufficere ad obligandum se per sponsalia; cùm hæc obligatio faciliùs auferri possit, quàm illa: usus autem rationis (inquiunt) qui sufficit ad mortale, sufficit ad obligationem voti.

Oppositum tamen docet expresè D. Thomas 28.
hìc art. 2. ad 2. & ratio ejus est, quia ad peccatum mortale sufficit consensus in rem præsentem, ad sponsalia autem requiritur consensus in futurum: major verò rationis discretio necessaria est B ad providendum in futurum, quàm ad consentiendum in actum præsentem. Unde ad fundamentum Recentiorum, negatur subsumptum, propter eandem rationem; votum enim, cùm sit de futuro, majorem usum rationis postulat eo quì sufficit ad peccandum mortaliter.

ARTICULUS III.

Resolvuntur breviter aliquæ difficultates, de obligatione ex sponsalibus proveniente.

C Certum est, sponsalia inducere obligatio- 29.
nem ad matrimonium contrahendum, cùm omnis promissio valida & acceptata, inducat obligationem faciendi id quod promittitur. Unde Innocentius III. cap. 2. de sponsalibus sic ait: *Hi qui de matrimonio contrahendo purè & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent.*

Dices: l. 1. cap. de sponsalibus sic dicitur: *Alij* 30.
desponsata, renuntiare conditioni, & nubere alij non prohibetur: Ergo sponsalia non inducunt obligationem ad matrimonium contrahendum.

Respondet Sanchez lib. 1. disp. 17. legem illam Cæsaream fuisse tanquam injustam à Summis Pontificibus & Jure Canonico abrogatam. Sed verìus cum Glossa dicendum, eam communi sententiæ non adversari, sed intelligi, desponsatam non prohiberi, sponsalibus ex consensu sponsi renuntiatis, alteri nubere. Possunt enim contrahentes, ex communi consensu inita sponsalia sibi mutuò relaxare, iisque relaxatis, validè ac licitè cum aliis contrahere.

Certum est etiam, obligationem illam ex spon- 31.
salibus ortam, gravem esse, cùm sit de re gravi & in materia justitiæ, utpotè inducta per contractum oneросum, subindeque peccare mortaliter sponsum vel sponsam, si absque justa causa resiliat, ut docet D. Thomas hìc art. 1. ad 2. his verbis: *Dicendum quod ex tali promissione obligatur unus alteri ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat.* Ex quo etiam constat posse ac debere cogi pœnitentem, negando illi absolutionem, quandiu vult resilire sine justa causa, quia tandiu est in statu peccati mortalis, atque adeò incapax absolutionis.

Hæc sunt certa & indubitata apud omnes 32.
Theologos & Jurisperitos. Sed dubitatur primò, an resiliens injustè à sponsalibus, in foro externo per censuras, aliasque pœnas à Judice Ecclesiastico cogendus sit servare fidem? Ratio dubitandi est

est primò, quia in cap. *Requisivit* de sponsalibus, A salium frangi: Ergo hoc permitti potest, ut
mulierem quæ etiam cum juramento nuptias pro- illud vitetur.
miserat, monendam esse potiùs quàm cogendam, In illo tamen casu debet Judex in utroque
Lucius Papa declarat, rationemque reddit, quia foro compellere sponsum qui non vult servare fi-
matrimonia debent esse libera, & coactiones dif- dem ad resarcienda damna etiam ex sola violatio-
ficiles solent exitus frequenter habere. Secundò, ne promissionis provenientia, quale est quod
quia matrimonium coactum, & per violentiam fœmina ita repudiata, non tam facilè inveniet
contractum, non est verum matrimonium: Ergo virum alterum cui nubat, nisi augeatur ejus dos.
sponsi cogi non debent ad matrimonium. Ex his facilè conciliari possunt rescripta Lu- 38.

33. Nihilominus dicendum est, regulariter & per cij III. & Alexandri III. suprà relata, quæ vi-
se loquendo, cogi posse ac debere injustè resilien- dentur inter se pugnantia; cùm enim Lucius di-
tem, per censuras, aliasque pœnas, sive spon- xit non esse injuste resilientem cogendum, res-
salia jurata fuerint, sive non; per accidens ta- pexit ad graviora mala quæ ex hujusmodi coa-
men, illum non esse cogendum, quando periculum ctione probabiliter timentur, ait enim: *Cùm li-*
est, ne ex tali coactione sequantur gravia *bera debeant esse matrimonia, monenda est potiùs,*
scandala, vel incommoda, putà mors uxoris, *quàm cogenda, cùm coactiones difficiles soleant exi-*
aut rixæ perpetuæ inter conjuges, vel divortia. B *tus frequenter habere.* Quando verò Alexander

34. Prima pars hujus resolutionis, quæ est contra dixit illum esse cogendum, respexit ad obliga-
aliquos, asserentes tunc solùm resilientes à spon- tionem quam sponsus habet à sponsalibus suæ
salibus cogendos esse, quando sponsalia juramen- causa non resiliendi, ut patet ex verbis illis: *Si*
to confirmarunt, probatur primò ex cap. *Ex lit-* *non acquieverit monitis, Ecclesiasticis censuris com-*
teris 2. de sponsalibus, ubi Alexander III. de *pellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit)*
quodam resiliente à sponsalibus ait, non solùm *in uxorem recipiat.* Ex quo patet solutio ad pri-
esse monendum, sed etiam Ecclesiasticâ censurâ mam rationem dubitandi.
compellendum, nisi rationabilis causa obstiterit. Ad secundam verò respondetur primò, solam
Nec refert quod ibi loquatur de sponsalibus jura- coactionem injustam, qualis non est ea de qua
tis, nam solùm ibi factum narrat, quod non est loquimur, irritare matrimonium. Secundò, ma-
per modum juris ad reliquos casus trahendum. trimonium illud ad quod sponsus injustè à spon-

35. Secundò, Judex ex officio tenetur compellere salibus resiliens cogitur, esse simpliciter volun-
ad reddendum cuique quod ei ex justitia debe- tarium & liberum in sua causa, voluntariè enim
tur, est enim custos justitiæ: Sed contrahentes C & liberè promisit futuras nuptias.
sponsalia ita se habent ut sponsus sponsæ, & Dubitatur secundò, an quando in sponsalibus 39.
sponsa sponso debeat ex justitia servare fidem, nullus præfigitur terminus ad matrimonium con-
etiam si non juraverit: Ergo etiam si non jura- trahendum, ea incipiant obligare statim ac con-
verint, tenetur judex eos compellere, cùm à trahuntur? Affirmant Conink, Pontius, & alij,
sponsalibus injustè resiliunt. probantque primò ex 14. regula juris in 6. quæ

36. Tertio, cùm Judex Ecclesiasticus sit ex officio sic habet: *In omnibus obligationibus, in quibus dies*
pastor animarum, quia forum Ecclesiasticum, *non ponitur præsenti die debetur.* Secundò, quia
etiam externum, in hoc distinguitur à Civili, votum statim obligat à die quâ emittitur: Ergo
quòd per se ordinatur ad bonum spirituale, tene- & sponsalia. Tertiò sic arguit Pontius: Quan-
netur providere bonum spirituale sponsi & spon- do adimpletio promissionis est omni tempore uti-
sæ: Sed ad bonum spirituale sponsi & spon- lis promissario, promittentem semper obligat
sæ pertinet quod uterque adimpleat promissio- ad eam adimplendam: Sed adimpletio sponsali-
nem quam fecit contrahendo sponsalia, alias tiæ promissionis est omni tempore utilis sponsæ
enim uterque peccabit peccato infidelitatis & cui facta est: Ergo semper obligat ad eam adim-
injustitiæ: Ergo per se loquendo Judex tenetur D plendam, nisi ex causa justa differatur.
compellere sponsos ad contrahendum matrimo- Sententia tamen negans, quam tenent San- 40.
nium, si citra legitimam causam sponsalia adim- chez, Amicus, & alij ex Recentioribus, videtur
plere recusent. probabilior; quia id commune est omni debito,

37. Quod verò per accidens interdum illi non sint cujus solutioni non est certa dies præfixa, ut de-
cogendi, quando nimirum periculum est ne ex bitor non teneatur illud solvere, nisi à creditore
matrimonij contractione sequantur gravia scan- requisitus, ex l. *Debitores præsentes,* cap. de pig-
dala vel incommoda, patet primò, quia cùm ex nor. junctâ glosâ: Ergo quando in sponsalibus
fine desumenda sit ratio & necessitas mediorum, nullus præfigitur terminus, ea solùm obligare
tunc solùm Judex Ecclesiasticus debet cogere censentur, quando unus ex contrahentibus exi-
sponsos ad contrahendum matrimonium, quando git promissionis impletionem, & matrimonij ce-
fini matrimonij hoc expedit: Sed in hoc casu co- lebrationem, nisi fortè propter pudorem vel ti-
gere non expedit fini matrimonij, nimirum mu- morem petere non auderet, ut contingere solet
tuo obsequio inter virum & fœminam, utpotè fœminis naturâ verecundis; in eo enim casu te-
quod in hoc casu omnino perturbari evidens est: E neretur sponsus datâ proximâ commoditate cele-
Ergo &c. brare matrimonium, quamvis sponsa id non

Secundò, quia Judex Ecclesiasticus non co- exigeret. Unde
gens renitentem in hoc casu, maximè providet Ad primum oppositæ sententiæ, dicendum 41.
juri partis innocentis, etiam postulantis matri- est, in regula illa juris, *In omnibus obligationibus,*
monium, vitat enim ipsius grave nocumentum; &c. subintelligi debere, *petente creditore,* alioqui
sicut si petenti proprium gladium ad se necan- inutile foret mutuum, si ab ipso primo die mu-
dum Judex denegaret. tuatarium obligaret ad illud restituendum.

Tertiò, quia licitum est minus malum per- Ad secundum nego consequentiam & parita-
mittere ad vitandum majus malum: Sed majus tem, cùm enim Deus per seipsum voti adimple-
malum est, scandala & perpetuas inimicitias in- tionem non petat, nec sit major ratio cur potiùs
ter sponsum & sponsam oriri, quàm fidem spon- uno quàm alio tempore vovens illud adimpleat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad illud implendum omni tempore tenetur quo commoda offertur occasio.

E contra verò cùm contrahentes sponsalia, eorum adimpletionem per seipsos postulare possint, eorum obligatio non urget, donec una pars ab altera eorum adimpletionem petierit. Addo quod adimpletio voti semper est grata Deo, eóque gratior quò citior: celebratio verò matrimonij non semper eò gratior vel utilior est sponsis, quò celerior; imò læpe utilior est uno tempore, quàm alio, ob varias circunstantias occurrentes. Unde ad tertium, nego Minorem. Major etiam non est semper vera, nam licèt omni tempore utilis sit pecuniæ solutio, tamen non semper obligat, nisi creditore requirente.

42. Tertiò dubitatur, an obligatio quam habent desponsati tanta sit, ut si alteruter peccatum fornicationis committat cum alia persona, sit peccatum speciale, sive alterius speciei à fornicatione? Partem negantem tenet Covaruvias lib. 4. decretor. part. 1. cap. 1. quem ex Recentioribus sequuntur Pontius, & Mœratius, probantque primò, quia ut hoc esset peccatum alterius speciei à fornicatione, oporteret quod ratione sponsalium sponsus haberet aliquod jus ad corpus sponsæ, & è converso: hoc autem verificari nequit, quandoquidem sponsalia nihil aliud sunt, quàm mutua promissio futurarum nuptiarum; ex promissione autem non acquiritur jus ad rem promissam.

43. Secundò, Sponsus & sponsa non aliam contrahunt obligationem, quàm ineundi suo tempore matrimonij, quia non aliud sibi promittunt: Sed non faciunt contra hanc obligationem, quando fornicantur: Ergo fornicando non peccant contra justitiam, sed solùm contra castitatem & temperantiam.

Tertiò, Theologi docent sponsalia se habere ad matrimonium, sicut votum simplex Religionis, ad votum solemne: At si ille qui vovit ingredi Religionem, ante ingressum Religionis labatur in peccatum carnis, non peccat peccato mortali distincto à simplici fornicatione: Ergo nec desponsati, cùm ante matrimonij celebrationem cum aliis fornicantur.

44. Demum, Si tale peccatum specie differret à fornicatione, seu peccato intemperantiæ, ad aliam luxuriæ speciem pertineret: Sed hoc dici nequit, cùm D. Thomas 2. 2. quæst. 154. enumerans omnes luxuriæ species, nullam istius faciat mentionem: Ergo &c.

45. His tamen non obstantibus, sententia affirmans tale peccatum specie à simplici fornicatione differre, communior est apud Theologos, licèt Sanchez lib. 1. disp. 2. id solùm concedat quoad sponsam, & eos qui cum ipsa fornicantur, non verò quoad sponsum, & eas qui fornicantur cum ipso; quia (inquit) injuria quæ per fornicationem sponsi fit sponsæ, prudentum arbitrio, levis est, cùm ex illa sponsa nullam incurrat infamiam. Pro resolutione

Dico breviter, copula carnalis sponsæ & sponsi cum aliis, non solùm est contra castitatem & temperantiam, sed etiam contra justitiam in re gravi, subindeque transfert peccatum fornicationis in aliam luxuriæ speciem.

46. Ratio primùm est, quia licèt per sponsalia sponsus non habeat jus in re ad corpus sponsæ, nec sponsa ad corpus sponsi, siquidem hoc jus non traditur nisi per matrimonium, benè tamen jus ad rem; quia promissio quæ est in contractu sponsaliorum obligans ex justitia, est promissio faciendi proprium corpus, sponsi vel sponsæ corpus, & non tradendi ipsum alteri: inde enim infertur, quod si alteri ipsum tradat, sicut tradit per fornicationem, peccat peccato speciali injustitiæ.

Præterea loquendo de fornicatione sponsæ, per eam longè se viliorem reddit, ita ut nullus honestus eam postea vellet ducere in uxorem; in quo certè gravem injuriam sponso irrogat. Insuper sese periculo concipiendi exponit, & consequenter sponsum periculo alienam prolem tanquam propriam alendi, & hæredem habendi. Loquendo verò de fornicatione sponsi, licèt non sit tale periculum, neque inde ipse reddatur notabiliter vilior, sponsæ tamen valde durum est, per se loquendo, videre sponsum, etiam tunc cùm maximè deberet ab ipso amari, implicitum amore alterius, & in periculo suscipiendi ex ea liberos, qui postea communibus sumptibus alendi erunt, quique ipsius oculos perpetuò offendèt. 47.

Ad primum verò ex motivis in contrarium, nego Minorem; ex obligatione enim contrahendi matrimonium, orta ex sponsalibus, sequitur jus justitiæ in sponso ad corpus sponsæ, & è converso; non quidem jus in re, sed jus ad rem, ut in prima probatione declaravimus. Unde 48.

Ad secundum dico, sponsos dando jus ad rem in corpus suum, hoc ipso se obligare ad nihil faciendum illicitè contra illud jus, quo alter justè offendatur, subindeque ad non tradendum corpus suum alteri, sicut traditur per fornicationem. 49.

Ad tertium respondeo quod licèt votum simplex Religionis & sponsalia in hoc conveniant, quòd sicut votum simplex Religionis est promissio, votum verò solemne habet adjunctam traditionem; sic sponsalia habent rationem promissionis, matrimonium verò rationem traditionis; differunt tamen in eo quod per votum simplex Religionis, utpotè quod fit soli Deo Religio nullum jus justitiæ acquirit; at verò per mutuam promissionem quæ fit in sponsalibus, quilibet sponsus acquirit jus justitiæ, quamvis imperfectum, ad corpus alterius. 50.

Ad quartum respondent aliqui cum Paludano, peccatum à sponsis fornicantibus commissum, esse propriè adulterium, quia in l. *si uxor*, parag. 3. ff. ad legem Juliam de adulteriis, dicitur, *In sponsa etiam hoc idem* peccatum *esse vindicandum; quia nec matrimonium qualecumque, nec spem matrimonij violari permittitur.* 51.

Sed hæc responsio displicet, primò quia l. *inter*, paragr. 1. eodem titulo dicitur, *adulterium propriè in nuptam committi*: Sed sponsa nondum est nupta: Ergo peccatum fornicationis cum ipsa commissum, non est propriè adulterium. 52.

Secundò, quia in cap. *Lex illa*, 36. quæst. 1. paragr. *Cùm ego*, definitur adulterium, *violatio thori alieni*: At fornicatio cum sponso vel sponsa, non est thori alieni violatio, quia nondum eundem thorum habent: Ergo non est propriè adulterium. Nec Paludani sententiæ favet suprà dicta lex, *si uxor*, quia talis lex potiùs utrumque peccatum distinguit, adulterium scilicet quo violatur matrimonium, & fornicationem sponsæ, quâ spes matrimonij violatur. Unde dicendum est, tale peccatum reductivè solùm pertinere ad speciem adulterij, sicut sponsalia reducuntur ad matrimonium, suntque matrimonium inchoatum.

ARTICU

ARTICULUS IV.

Quibus de causis sponsalia dissolvi possint?

VAriæ solent assignari causæ, ob quas sponsalia possunt dissolvi, aliquas in hoc articulo declarabimus, alias verò in sequenti.

53. In primis ergo sponsalia inter puberes contracta, mutuo eorum consensu dissolvi possunt, ut docet D. Thomas hic art. 3. ad 5. & probat ex cap. *Præterea* 1. de sponsal. ubi Innocentius III. affirmat sponsos, si se invicem admittere noluerint, resilire posse à contractu. Nec obstat quod addit, posse hoc in patientia tolerari, ne pejus eveniat, quasi tantùm id permittat ut minus malum. Nam, ut rectè ibidem S. Doctor observat, Pontifex adduxit exemplum eorum qui interpositâ fide societatem inierunt, ait enim: *Ad instar eorum qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea adinvicem sibi remittunt, &c.* Sed isti possunt licitè & jure sibi præstitam fidem remittere: Ergo & sponsi, mutuo consensu licitè possunt à sponsalibus resilire.

54. Ratio etiam id suadet: Omnis enim contractus ex natura sua solubilis (ejusmodi est contractus sponsalium) potest per easdem causas dissolvi, per quas potest validè fieri, si jus superius non resistat dissolutioni, ut hìc non resistit, sed potiùs expressè permittit capite citato: Sed contractus sponsalium, mutuo contrahentium consensu fit: Ergo etiam mutuo eorum consensu dissolvi potest. Estque id verum, licèt sponsalia fuerint jurata, quia ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 9. ad 2. quando juramentum annectitur promissioni homini factæ, pendet ab illa, ut accessorium à principali, quo cessante, cessat accessorium: igitur cessante promissione, voluntate ejus cui facta est, juramentum ampliùs non obligat.

55. Dixi autem, *sponsalia inter puberes contracta*, quia impuberes, quandiu tales sunt, non possunt validè renuntiare sponsalibus, ut habetur cap. *De illis*, de desponsat. impuber. sed expectare debent usque ad pubertatem, in qua possunt reclamare, & sponsalia dirimere, ut dicitur eodem cap. & ante hanc ætatem nullus eorum dissensus à jure admittitur. Quod meritò statutum fuit, ne propter illius ætatis infirmitatem & inconstantiam, cum aliorum præjudicio, sponsalia semel contracta, frequenter mutarentur; & simul hac lege provideretur, ut si quæ fortè impuberes sponsalia contraxerint, quæ minùs placerent aut expedirent, maturiori judicio, in nubili ætate adepto, corrigere possent. Si tamen impubes sponsalia juramento confirmaverit pubertatem adeptus, tenetur ea adimplere, ut constat ex cap. *Ex litteris* 2. de sponsal. ubi Alexander III. mandat, compellendum esse quemdam juvenem, qui impubes sub juramento cum puella impubere sponsalia contraxerat, ad ea servanda; *quia periculosum est* (inquit) *contra suum juramentum venire*. Juri Canonico concinit Civile l. *finale* ff. de liberali causa, ubi admittitur juramentum impuberis, & ad illud servandum cogitur pubes factus.

56. Secundò, matrimonium cum posteriori, sponsalia dirimit cum priori contracta, ut definitur cap. *Sicut* & cap. *si inter* de sponsal. & cap. 1. de sponsa duorum. Quia nimirum quotiescumque duo vincula concurrunt simul in eadem persona, quorum nequit utrumque servari, fortius prævalet: Sed fortius est vinculum matrimonij, quàm vinculum sponsaliorum: Ergo conjugali obligatione superveniente, sponsalitia cessat.

Sed difficultas est & controversia inter Theologos, an quando alter desponsatorum contrahit matrimonium cum alia, uxore mortuâ, teneatur priorem sponsam ducere, si ipsa velit, & adhuc innupta sit, subindeque vinculum sponsaliorum tunc non extinguatur, sed tantùm suspendatur? Respondeo affirmativè, quia si obligatio sponsalium tunc penitùs extingueretur, vel id esset ex natura rei, sive jure ipso naturali, vel ex dispositione juris positivi? Non primum, quia solo jure naturali spectato, fortius vinculum & impedimentum superveniens, non extinguit priorem obligationem, sed tantùm eam suspendit. Nec etiam secundum, quia jura citata dicunt, talem debere in matrimonio contracto permanere, quandiu durat, eoque durante, non teneri implere sponsalia, quia matrimonium rescindi nequit. 57.

Confirmatur: Qui vovit ingredi Religionem, posteaque contrahit & consummat matrimonium, non propterea liberatur omnino ab obligatione voti, sed tenetur, mortuâ uxore, Religionem ingredi. Item si promisi Petro agrum, quem postea tradidi Paulo, si Paulus eundem mihi testamento leget, teneor illum Petro titulo promissionis restituere; cùm res promissa & acceptata semper clamet ad promissarium: Persona igitur sponsi, per sponsalitium contractum promissa sponsæ, & per matrimonium cum alia initum alienata, iterum sui juris facta, restituenda est priori sponsæ, cui fuerat per sponsalia promissa.

Dices: Quando aliquis vovit Religionem strictiorem, & profitetur laxiorem, licèt peccet profitendo laxiorem, tamen per solemne votum laxioris extinguitur votum simplex strictioris: Ergo similiter, licèt qui uni desponsatus, matrimonium init cum altera, peccet, tamen per tale matrimonium, obligatio orta ex sponsalibus omnino extinguitur. Sed nego consequentiam & paritatem. Non valet enim exemplum de voto strictioris Religionis: Tum quia de hoc est specialis dispositio juris cap. *Qui post votum*, de regulis juris in 6. ubi Bonifacius VIII. ad subveniendum hominum fragilitati, dispensat, ut votum simplex strictioris Religionis commutetur in solemne laxioris: Tum etiam, quia per simplex votum Religionis, nullum jus acquiritur Religioni, sed Deo tantùm; & per consequens ex parte strictioris Religionis, nullum jus læditur, si in laxiori fiat professio: cùm verò desponsatus uni, matrimonium contrahit cum altera, læditur jus sponsæ, per sponsalia acquisitum quod proinde petit reparari, cùm id possibile est. 58.

Tertiò, ubi constitutio Tridentini de clandestino matrimonio nondum est recepta, priora sponsalia dissolvuntur per posteriora, copulâ subsecutâ, quia per subsequentem copulam posteriora sponsalia transeunt in præsumptum matrimonium, vi cujus priora dissolvuntur, non secùs ac per quodcumque matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum; ut constat ex cap. *Is qui fidem*, de sponsal. præsumit enim jus eos matri- 59.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritali affectu se cognovisse, & consensisse in matrimonium de præsenti, sibique invicem sufficienter id manifestasse.

60. Si autem quæras, an ubi receptum est Tridentinum, etiam posteriora sponsalia, subsecutâ copulâ, dissolvant priora? Respondeo quod si posterior desponsata, per copulam sit damnum passa notabile, aut passura infamiam, nisi cum ea contrahatur matrimonium, dissolvuntur priora sponsalia, non ratione posteriorum, quæ nulla sunt, nec ratione præsumpti matrimonij, cùm talis copula fornicaria sit, subindeque non possit præsumi facta affectu maritali, sed ratione damni quod posterior injustè pateretur; ad quod damnum reparandum vir magis obligatur, quàm ad implendam promissionem datam priori sponsæ; præsertim cùm ista, ut supponimus, non aliud patiatur damnum, quàm non exhibitionem rei promissæ.

61. Quartò, per fornicationem dissolvuntur sponsalia, sive sponsa fornicata fuerit, sive sponsus; Tum quia in sponsalitia promissione, quantumvis jurata, semper subintelligitur hæc tacita conditio, nisi sponsa aut sponsus in legem matrimonij peccaverit. Tum etiam, quia si potest vir propter fornicationem uxoris, justè illam à se dimittere, à fortiori poterit sponsus, propter fornicationem sponsæ, illam ad se non admittere, ut ait Innocentius III. cap. *Quemadmodum*, de jurejurando. Eademque ratio est de sponso fornicante, quia quantùm ad violationem sponsalitiæ fidei, sponsus & sponsa ad paria judicantur, ut rectè ait Panormitanus in caput citatum n. 4. Si verò tam sponsus quàm sponsa fornicatus fuerit, non fit propterea inter ipsos delictorum compensatio, sicut inter conjuges adulterantes; sed sponsus fornicans, sponsam fornicantem dimittere potest, quia inter imparia delicta non cadit compensatio: at sponsus & sponsa fornicando, non sunt in pari delicto, cùm in ordine ad matrimonium, longè gravius crimen sit sponsæ quàm sponsi fornicatio, eò quòd major infamiæ nota sit, sponsum fornicantem sponsam uxorem ducere, quàm sponsam fornicanti sponso nubere. Unde diversa est ratio de fornicatione à sponsis commissa, quàm de adulterio à conjugibus patrato; quia in adulterio spectatur fides conjugalis, quæ æquè à viro ac ab uxore frangitur, cùm æquè uterque ad eam servandam, per matrimonium se obligaverit: in fornicatione verò à sponsis commissa, non solùm spectatur fidei violatio per sponsalia promissæ, sed etiam infamia quæ ex ea sponsis resultat: hæc verò longè major, ut diximus, ex fornicatione sponsæ in sponsum, quàm ex fornicatione sponsi in sponsam, derivatur.

Quod diximus de fornicatione corporea, eam nimirum esse causam sufficientem ad dirimenda sponsalia, dicendum est cum proportione, de fornicatione spirituali, per hæresim vel apostasiam: sufficientem enim causam sponsalia dissolvendi præbet sponsus vel sponsa hæresim amplectens; tum propter periculum perversionis sponsi Catholici; tum propter periculum ne futura proles, patris & matris hæresi inficiatur.

62. Quintò, Sponsus sufficientem habet causam sponsalia dissolvendi, ex eo tantùm quod sponsa fuerit per vim absque ipsius culpa ab alio rapta; cùm hic non tantùm attendatur ad culpam, sed etiam ad infamiam, quæ in eo casu in sponsi personam redundat; magnum enim dedecus sponsi est, habere uxorem, ab alio, etiam sine ipsius culpa, cognitam.

63. Sextò, dissolvuntur sponsalia per discessum unius è sponsis, sine consensu alterius, in regionem remotam, cum mutatione domicilij. Tunc enim licitum est parti relictæ, contrahere cum alio, ut dicitur cap. 5. de sponsal. ubi Alexander III. ea de re consultus ab Archiepiscopo Panormitano, sic illi respondet: *De illis qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis, dimittunt terram, se ad alias partes transferentes, hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis, si non est amplius in facto processum* (hoc est si non sit vel de præsenti matrimonium contractum, vel carnalis copula subsecuta) *ad alia vota se transferre.*

64. Ratio etiam suffragatur: nam hoc ipso quod sponsus in longinquas partes domicilium transfert, ex parte sua censetur à sponsalibus resilire, ac proinde sufficientem causam alteri præbet, ut possit alij nubere, seu ut loquitur Pontifex, ad alia vota se transferte.

65. Dices: L. 2. cap. de sponsal. dicitur quod si sponsus abit à sponsa, sed in eadem provincia, tenebitur sponsa biennio expectare, quo elapso alij nubere poterit. Si verò abit in diversa provincia, tenebitur expectare triennio, l. 2. de repudiis. Quæ lex, etsi non loquatur expresè de absentia in diversa provincia, de ea tamen intelligunt communiter juris Interpretes, idque docet utraque Glossa. Si autem causa absentiæ sit necessaria, expectandum esse ultra quadriennium & ampliùs, ait lex penultima ff. de sponsal. ubi Cajus Jurisconsultus sic loquitur: *Sæpè justæ ac necessariæ causæ, non solùm annum, vel biennium, sed etiam triennium, & quadriennium, & ulteriùs trahere sponsalia possunt, veluti valetudo sponsi, sponsæve, vel mortes parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quæ ex necessitate fiunt:* Ergo falsum est, dissolvi sponsalia propter absentiam sponsi in partes remotas.

66. Respondet Pontius lib. 12. cap. 15. jus Civile non opponi juri Canonico, quia jus Canonicum loquitur de eo qui se cum domicilio aliò transtulit, jus verò Civile de eo qui ex causa necessaria aliò migravit.

Sed contra: Citatá lege 2. de repudiis sic dicitur: *Liberum est filia tua, si sponsum suum, post tres peregrinationis annos, expectandum sibi ultra non putet, omissâ spe hujusmodi conjunctionis, matrimonium facere, ne opportunum nubendi tempus amittat.* Ubi nullâ mentione factâ de causa necessaria absentiæ sponsi, decernit sponsam non obligari ultra triennium illum expectare: Ergo etiam in causa non necessaria jus Civile requirit ut sponsa triennium expectet, antequam ad alia vota transire possit; cùm tamen jus Canonicum nullum petat determinatum tempus, sed permittat sponsæ ad alia vota transire, mox ut illi constiterit de discessu sponsi in partes longinquas, sine spe proximi reditûs. In cujus confirmationem supplementum Gabrielis quæst. 2. art. 2. casu 3. refert hunc casum: Dum quidam reus suspendendus esset, quædam virgo, ut illum à præsenti morte liberaret, sibi in sponsum dari petiit, cum quo contractis de futuro sponsalibus, aufugit; nec diligenter quæsitus, ampliùs inveniri potuit. Sponsa ad Judicem Ecclesiasticum accurrit, facultatem petens, ut cum alio contrahere possit. Cujus voto indultum

indultum est, non expectato biennio, lege civili præscripto. Unde

67. Melius respondetur cum Navarro, Panormitano, Covarruvia, Soto, Sanche, & aliis, juris Canonici dispositionem in hac materia diversam esse à dispositione juris Civilis, jusque Civile, per Canonicum corrigi; & in causis matrimonij magis standum esse dispositioni juris Canonici quàm Civilis; cùm enim matrimonium in lege Evangelica habeat rationem sacramenti, decisio controversiarum ad illud spectantium, magis pertinet ad Judices Ecclesiasticos, quàm sæculares. Unde in Tridentino sess. 24. can. 12. controversiæ matrimonij committuntur Judicibus Ecclesiasticis, qui supponuntur Canonum peritiam habere.

68. Si autem quæras, cur hac in parte discordet utrumque jus, & cur jus Canonicum statim sponsæ facultatem faciat cum alio contrahendi, quando non est spes de proximo reditu sponsi; jus verò Civile jubeat sponsam biennio reditum sponsi expectare, si sit in eadem provincia, & triennio, si in diversa provincia commoretur? Respondeo cum Panormitano, & aliis, jus Canonicum per hoc intendere, vitare periculum fornicationis, quod incurrere posset sponsa, si diutiùs deberet expectare: jus verò Civile in sponsalibus, uti & in reliquis contractibus, publicam duntaxat utilitatem attendere, nec bonum aut damnum spirituale ipsius sponsæ respicere, sicut jus Canonicum.

69. Septimò dissolvuntur sponsalia per lapsum temporis matrimonio contrahendo præfixi, tunc enim pars cui fides servata non fuit, libera manet, ut colligitur ex cap. *Sicut ex litteris*, de sponsalibus, ubi Innocentius III. loquens de viro, qui post sponsalia cum una, diu post contraxerat matrimonium cum altera, jubet eum convenienti pœnitentiâ mulctari, *quia primam fidem irritam fecit. Nisi forsan in juramento suo sponsalibus apposito, certum terminum, intra quem dictam N. duceret in uxorem præfixit, nec per eum stetit, quin ad statutum terminum, matrimonium consummaverit.* Quibus verbis declarat Pontifex, hunc liberum esse à sponsalibus, modò per eum non steterit, quin præfixo termino matrimonium celebratum fuerit.

70. Ut autem hæc decisio Pontificis meliùs percipiatur, & concilietur jus Canonicum cum Civili & cum lege *Celsus* ff. de receptis arb. ubi Jurisconsultus decidit, non eo ipso quod præfixo termino debitum quis non solvit, etiam si per ipsum non steterit, liberari ab obligatione solvendi. Diligenter observandum est, duobus modis posse sponsos terminum contrahendi matrimonium sibi præfigere. Primò, ad solicitandam obligationem sponsalitij contractûs antea jam concluſi; & tunc temporis lapsu non solvitur obligatio celebrandi matrimonium. Secundò, ad instar conditionis, quâ non subsecutâ, dissolvatur prior contractus, & finiatur obligatio, ita ut ultra non remaneat; sicut fieri solet in votis aut præceptis designantibus onus aliquod diei; & tunc per lapsum temporis solvitur obligatio orta ex sponsalibus. Declarat igitur Pontifex, quod si hoc secundo modo fuit terminus à sponsis præfixus, non esse viro, qui post datam fidem priori, cum alia contraxit, pœnitentiam imponendam, subindeque dissolvi sponsalia per lapsum temporis, hoc secundo modo præfixi. Lex verò *Celsus* solùm intendit, quod quando terminus solvendi debitum fuit præfixus ad solicitandum obligationis implementum, eo elapso, obligatio solvendi non extinguitur: *Nam in hoc* (inquit §. 2.) *sunt duo præcepta; unum pecuniam dari, aliud intra Kalendas dari.*

Advertendum est etiam cum Basilio Pontio lib. 12. cap. 16. num. 4. communiter præsumendum esse, talem fuisse sponsorum, certum terminum sponsalibus præfigentium, intentionem, ut voluerint elapso tempore finiri obligationem; quia nolunt contrahentes diutius obligari & expectare, cùm ex longa mora sæpè immineat periculum amittendi occasionem meliùs nubendi, vel incidendi in fornicationem. Unde Glossa in citatum caput *Sicut*, sic ait: *Quia matrimonium non capit tantam dilationem, propter periculum fornicationis, ideò ubi terminus apponitur, ultra terminum ad contrahendum non tenetur.* 71.

Octavò dissolvuntur sponsalia per supervenientes impedimentum dirimens, propter quod scilicet sponsi nequeunt validè contrahere matrimonium: ut si alter sponsorum copulam habeat cum consanguineis alterius in primo aut secundo gradu, ex quo oritur impedimentum affinitatis irritans matrimonium; vel si sponsus contrahat cum sponsa cognationem spiritualem, filium ejus de sacro fonte, vel de chrismate, suscipiendo; impedimentum enim matrimonium dirimens, à fortiori dirimit sponsalia, quæ sunt ad matrimonium dispositio. 72.

Notat verò Basilius Pontius lib. 12. cap. 17. post Hostiensem, Rebellum, Toletum, & alios, non solùm impedimentum dirimens, certum, sed etiam publicâ famâ vulgatum, sponsalia dissolvere; magnum quippe causaretur in populo scandalum, si inter tales contraheretur matrimonium.

Si autem quæras, an qui contraxit tale impedimentum, teneatur petere dispensationem? Respondeo teneri, quando impedimentum suâ culpâ contraxit, quia qui suâ culpâ factus est impotens in præjudicium alterius, tenetur impotentiam à se tollere, ut alteri injustè læso satisfaciat; secùs verò, quando impedimentum ejus culpâ contractum non est, ut si sponsus sponsæ filium in extrema necessitate baptizet. 73.

Dixi autem notanter, *impedimentum dirimens*, superveniens sponsalibus, ea dissolvere quia impedimenta solùm prohibentia matrimonium, non irritant sponsalia, excepto voto simplici castitatis, de quo dicemus articulo sequenti.

Nonò omnis causa rationabilis, subsequens sponsalia, quæ si præcessisset, impedivisset communiter & meritò personas prudentes & boni sensûs, ne contraherent, dissolvit contracta, ut patet ex cap. *Quemadmodum* de jurejurando, ubi causæ jurata sponsalia dissolvendi recensentur lepra, paralysis, oculorum aut nasi amissio, idem dicendum de phtisi, aut persimili morbo, reddente notabiliter inidoneum ad debitum conjugale solvendum. Addunt aliqui oris maleolentiam, quando medicorum arte tolli non potest. Notabilis etiam morum asperitas vel sævitia alterius, si post contracta sponsalia cognita fuerit, est causa sufficiens ad ea dirimenda. Item notabilis mutatio in divitiis, vel notabilis famæ ac æstimationis jactura, & graves inimicitiæ inter sponsorum parentes, quæ ex matrimonio futuræ timentur, justam & sufficientem causam præbent sponsalia dissolvendi. Demum, quæ sufficiunt ad divortium inter conjuges obtinendum, à fortiori sufficiunt ad dirimenda sponsalia. 74.

Universidad de Deusto
Biblioteca

75. Decimò, Omnis causa, quæ superveniens sponsalibus sufficiens est ad ea dirimenda, etiam præcedens, probabiliter ignorata, erit sufficiens, ubi cognita fuerit, ad ea dissolvenda; habet enim de se quod sit causa sufficiens ad ea dirimenda, solùmque requiritur cognitio, ut conditio applicans objectum. Dixi, *probabiliter ignorata*, quia si facile potuit à contrahente sciri, eam non cognoscendo, censetur juri suo cessisse, subindeque non poterit postea eam allegare ut sufficientem ad sponsalia dissolvenda.

ARTICULUS V.

An per solum ingressum in Religionem, & per simplex votum castitatis, sponsalia dissolvantur?

76. CErtum est, sponsalia dissolvi per professionem in Religione approbata; obligatio enim sponsalium non est tanta, quanta est obligatio matrimonij rati, quamvis nondum consummati, & tamen matrimonium ratum, inconsummatum, dissolvitur per professionem in Religione, ut dicitur cap. *Ex publico*, de conversione conjugatorum. Solùm ergo est difficultas & controversia inter Theologos, an sponsalia dissolvantur per solum ingressum Religionis, ante professionem, vel eâ non secutâ, & per votum simplex castitatis?

77. Prima sententia simpliciter affirmat, hoc ipso dissolvi, ita ut pars utraque libera maneat ab obligatione ineundi inter se matrimonium. Ita Sylvester, Navarrus, Toletus, Sanchez, & alij. Secunda ei omnino contraria simpliter negat dissolvi sponsalia, nisi per ipsam professionem. Hanc tenent Richardus, Durandus, Paludanus, Covarruvias & plures alij. Tertia, quæ media est, asserit per solum ingressum Religionis solvi sponsalia ex parte ejus tantùm qui in sæculo remanet, non verò ex parte ejus qui Religionem ingreditur. Ita Petrus Ledesma quæst. 45. de matrimonio art. 3. dub. 2. Henriquez, Conink, Pontius, Amicus, Martinonus, & alij.

78. Quantùm verò ad votum simplex castitatis, opinio negans per ipsum sponsalia dissolvi, est Panormitani, Sylvestri, Navarri, Paludani, Valentiæ, Beccani, Sanchez, Conink, & aliorum. Affirmativa verò est D. Thomæ hîc quæst. 53. art. 1. ad 1. quem sequuntur Cajetanus in summa verbo *Perjur. promiss.* Sotus in 4. dist. 27, quæst. 2. art. 5. Suarez tomo 2. de Relig. lib. 2. de voto cap. 4. Azorius tomo 1. moral. instit. lib. 11. cap. 21. quæst. 10. Sylvius in additionibus ad 3. part. quæst. 43. art. 3. Petrus de Ledesma, Pontius, Amicus, & plures alij.

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

DIco primò, per ingressum Religionis sponsalia solvuntur ex parte ejus qui in sæculo remanet, non verò ex parte ejus qui Religionem ingreditur.

79. Prima pars videtur certa, tum quia eo ipso quod sponsus vel sponsa Religionem ingreditur, sponsalibus renuntiat: Ergo eo ipso manet alter ab obligatione liber. Tum etiam, quia notabilis mutatio in persona sponsi, vel sponsæ, sufficit ad solvenda sponsalia, ut constat ex dictis articulo præcedenti: Sed in persona ingredientis Religionem fit notabilis mutatio, vulgo enim censetur magnum dedecus, inire matrimonium cum eo qui fuit Monachus, aut cum ea quæ fuit Monialis: Ergo quando unus è sponsis Religionem ingreditur, alter qui manet in sæculo, hoc ipso liber est, propter notabilem mutationem status partis alterius.

80. Secunda verò pars, licèt non sit ita certa, est tamen valde probabilis, videturque esse D. Thomæ hic art. 3. ad 1. ubi reddens rationem, cur per Religionis ingressum sponsalia dirimantur, ait, *quia est mors spiritualis*, scilicet ratione professionis, per quam Religiosus sæculari vitæ moritur: Ergo censet, ingressum Religionis, quem non sequitur professio, non dirimere sponsalia, ex parte ejus qui Religionem ingreditur.

81. Ratio etiam id suadet: Cùm enim sponsalia ex justitia contrahentes obligent, nisi sit expressum jus, vel ratio manifesta, quæ eos à tali obligatione liberet, asserendum non est, ipsos ab ea liberari, naturali justitiæ debito prævalente: Sed nullum jus aut ratio manifesta assignari potest ex parte ingredientis Religionem, sed solùm ex parte remanentis in sæculo, nimirum notabilis status & personæ mutatio in altero facta: Ergo per ingressum Religionis non solvuntur sponsalia ex parte ejus qui Religionem ingreditur, sed solùm ex parte illius qui in sæculo remanet. Major patet, Minor probatur. Nam caput 2. de conversione conjugatorum, quòd solùm citatur ab Adversariis, loquitur de professione & de matrimonio rato; ex quo non valet consequentia ad sponsalia respectu probationis; quia in hujusmodi rebus pendentibus à dispositione juris positivi, non licet ab uno ad aliud argumentari, nisi evidenter appareat talem esse mentem legislatoris; vel unum in alio includatur tanquam aliquid minus, sicut obligatio sponsalium includitur in obligatione matrimonij tanquam aliquid minus; unde meritò censetur dissolvi per professionem, per quam dissolvitur ipsum matrimonium ratum & nondum consummatum. Quod verò nulla possit assignari ratio manifesta, quæ suadeat sponsalia dirimi per solum ingressum Religionis, constabit ex solutione objectionum.

Dico secundò, votum simplex castitatis sponsalia dirimit ex parte utriusque contrahentis. Ita D. Thomas hic quæst. 53. art. 1. ad 1. ubi expressè dicit, loquens de voto continentiæ simplici, quod propter ipsum sunt sponsalia dirimenda.

82. Ratio etiam suffragatur: In primis enim quòd per votum castitatis unius dissolvantur sponsalia ex parte alterius, manifestum est: Tum quia vovens eo ipso renuntiat sponsalibus, quæ cum castitatis voto licitè adimpleri non possunt: Tum etiam, quia tale votum novum affert gravamen alteri tantùm subeundum (quod adversatur naturæ matrimonij, in quo onera quoad debitum conjugale sunt paria) nam qui vovit, non potest petere, sed tantùm reddere: At sæpè onerosum est, præsertim fœminis naturâ verecundis, semper petere: Ergo &c.

83. Quod verò etiam ex parte voventis dissolvantur sponsalia, probatur ratione quam assignat D. Thomas loco citato: Quando concurrunt duo vincula incompatibilia, fortius debet prævalere: Sed vinculum voti etiam simplicis castitatis, est incompatibile cum sponsalibus, ut constat, quandoquidem

quandoquidem evidens est, quod non possunt ambo servari; & est fortius, quia obligat Deo, sponsalia verò homini tantùm: Ergo prævalet sponsalibus, ipsisque superveniens, ea dissolvit.

84. Confirmatur: Cùm contrahentes per sponsalia non intendant sibi præjudicium afferre, nec se reddere impotentes ad eligendum statum perfectiorem, in ipso sponsalitio contractu, ex parte utriusque contrahentis, tacitè subintelligitur hæc conditio, *nisi perfectiorem statum elegero*: Sed status castitatis sive continentiæ superat in perfectione statum conjugalem: Ergo in contractu sponsalitio semper subintelligitur ista conditio, *nisi eligam statum continentiæ seu castitatis*, subindeque per votum simplex castitatis sponsalia ex parte utriusque partis dissolvuntur. Quod non solùm intelligitur de sponsalibus simplicibus, sed etiam de juratis, cùm juramentum sequatur naturam & conditionem actûs cui apponitur, & consequenter conditio inclusa tacitè in actu, includatur etiam in juramento.

§. II.

Solvuntur objectiones.

85. OBjicies primò contra primam conclusionem: Sicut se habent sponsalia ad matrimonium, ita probatio seu novitiatus ad professionem; est enim via ad professionem, sicut sponsalia sunt via ad matrimonium: Ergo sicut per professionem dissolvitur matrimonium ratum, ita per ingressum Religionis, & probationem, seu novitiatum, sponsalia debent dissolvi.

86. Confirmatur: Minùs requiritur ad dissolvenda sponsalia, quàm ad dirimendum matrimonium ratum: Ergo si ad istud dirimendum sufficiat professio, ad ea dissolvenda, probatio seu ingressus in Religionem sufficiet.

Confirmatur ampliùs: Id cedit in favorem status religiosi, ut non tantùm professio, sed ipse ingressus sponsalia dirimat: Ergo ita sentiendum est, & hæc sententia præferenda alteri, statui religioso minùs favorabili.

87. Ad objectionem respondeo, dato Antecedente, negando Consequentiam, non valet enim argumentum à similitudine in his quæ à jure positivo pendent: cùm igitur hæc pendeant à jure positivo, ac de ingressu Religionis respectu sponsalium, nihil in jure habeamus, bene autem de professione respectu matrimonij rati & non consummati, ab uno ad alterum non licet arguere.

88. Ad primam confirmationem, nego etiam consequentiam, esto enim minùs obligent sponsalia, quàm matrimonium ratum, nondum consummatum, subindeque minor sufficiat causa ad illa dissolvenda, quàm ad istud dirimendum, quòd tamen ingressus in Religionem sit causa sufficiens, ex jure nobis non constat; unde id non est temerè asserendum, licèt in favorem status Religiosi cedere videatur; alioquin etiam dicendum esset, per solum Religionis ingressum omnia vota priùs facta, omniaque debita in sæculo contracta, penitùs extingui, quod nemo hactenus dixit. Sicut ergo vota simplicia de rebus aliis, ante ingressum Religionis facta, suspenduntur quidem per ingressum Religionis, sed reviviscunt per egressum, ita & obligatio orta ex sponsalibus, suspenditur quidem tempore probationis seu novitiatûs; unde eo tempore non potest sponsus Religionem ingressus, à sponsa in sæculo remanente revocari, habet enim jus per novitiatum Religionem experiendi; si tamen è Religione egrediatur, & ad sæculum redeat, reviviscit talis obligatio, & ad sponsam redire tenetur, & cum ea matrimonium contrahere, si ipsa id exigat. Et certè æquùm videtur, quod non gaudeat privilegiis Religionis, qui in ea non permanet, redeatque ad sæculum, cum suis oneribus. Per quod patet ad secundam confirmationem.

89. Objicies secundò: Major est obligatio voti simplicis Religionis, quàm sponsalium, cùm ista per illam dirimatur: Atqui prior obligatio dissolvitur per ingressum in Religionem bonâ fide, id est ex animo permanendi, quamvis ingressus postea resiliat, expertus statum illum sibi non convenire: Ergo etiam per ingressum Religionis obligatio ex sponsalibus orta dissolvitur penitùs, nec redit per egressum ex illa.

90. Respondeo quod licèt obligatio voti simplicis Religionis, major sit quàm obligatio orta ex sponsalibus, tamen per ingressum in Religionem illa dissolvitur, non ista; quia nimirum ingressus in Religionem, non est impletio obligationis sponsalium, benè tamen voti simplicis Religionis; neque enim ille qui tale votum emittit, plus vovet, quàm ingredi Religionem, & experiri bonâ fide, utrum id sibi melius sit, magisque expediens; unde sicut votum dandi centum nummos in eleemosynam, cessat, postquam illi in pauperes impensi fuerunt; ita & votum simplex Religionis, postquam qui illud emisit, bonâ fide Religionem ingressus est, licèt in ea non perseveret.

91. Objicies tertiò contra secundam conclusionem: In capite *Veniens* 5. qui clerici vel voventes, mulieri, quæ ut dissolveret contracta sponsalia, castitatem voverat, dicitur injungenda pœnitentia, ob mentitam fidem, eique permittitur inire matrimonium: Ergo per votum simplex castitatis non dissolvuntur sponsalia, ex parte voventis.

92. Respondeo idcircò dici à Pontifice injungendam esse huic mulieri pœnitentiam, quia votum illud non sincero animo, sed fraudulenter emiserat, ut nimirum non cogeretur sponso cui fidem præstiterat copulari. Illi verò permittitur cum eo inire matrimonium, tali voto non obstante, quia non statuerat servare continentiam, sed alteri nubere volebat; unde ait Pontifex, *Titium esse ut præfata mulier post fidem datam, & votum simpliciter oblatum, matrimonium contrahat, quàm fornicationis reatum incurrat.*

93. Objicies quartò: Deus non acceptat promissionem rei alteri priùs debitæ, & in ejus præjudicium: Sed votum castitatis emissum ab eo qui sponsalia contraxit, est promissio rei alteri debitæ, nimirum integritatis corporis, cujus usum promisit sponsæ: Ergo irritum est ejusmodi votum, & consequenter non solvit sponsalia ex parte voventis.

94. Confirmatur: Ideò secunda sponsalia, etiam jurata, non dirimunt priora, quia sponsa prima habet jam jus acquisitum ad corpus sponsi: Sed in nostro casu habet sponsa jus acquisitum in corpus sponsi, antequam ipse voveat castitatem: Ergo tale votum ejus, non dirimit sponsalia ex parte illius.

95. Ad objectionem respondeo, distinguendo Majorem: Deus non acceptat promissionem rei alteri debitæ absolutè, concedo. Rei alteri de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bitæ tantùm sub conditione quæ non adimpletur, nego. Similiter distinguo Minorem: Votum castitatis emissum ab eo qui sponsalia contraxit, est promissio rei alteri debitæ, sub conditione quæ non adimpletur, concedo. Rei alteri debitæ absolutè, nego. Non enim sponsus ex contractu sponsaliorum obligatur absolutè ad tradendum usum sui corporis sponsæ, sed tantùm sub conditione implicita, quòd scilicet nolit transire ad statum matrimonio meliorem, qualis est status castitatis, ut paragrapho præcedenti declaravimus. Unde

Ad confirmationem, negatur consequentia & paritas: Disparitas est quòd status secundi sponsalitij non sit perfectior statu matrimonij; at verò status castitatis excedat illum in perfectione.

96. Quæstione 44. Supplementi explicat D. Thomas definitionem matrimonij, & hujus nominis etymologiam, & quærit an matrimonium sit in genere conjunctionis. Sed de his plura diximus disp. 1. unde quæstionem hanc prætermittimus.

DISPUTATIO IV.

De consensu Matrimonii.

Ad quæst. 45. Supplementi, & tres sequentes.

CONSIDERATA causâ ad matrimonium disponente, & ad illud prærequisitâ, nempè contractu sponsalitio, consequens est ut de causa efficiente illius, nimirum consensu, cum S. Doctore disseramus, ejusque necessitatem & qualitates, articulis sequentibus breviter declaremus.

ARTICULUS PRIMUS.

An ita ad matrimonium necessarius sit proprius conjugum consensus, ut nullâ authoritate humanâ, vel divinâ, sine illo fieri absolutè nequeat?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

1. NOtandum primò, seu potiùs recolendum ex articulo primo primæ disputationis, matrimonium posse sumi dupliciter; nempè causaliter, pro ipso contractu quo conjuges sibi mutuò tradunt dominium proprij corporis, in ordine ad copulam; & formaliter, pro ipsa conjunctione & vinculo quod sequitur ex tali contractu, in quo vinculo loco citato diximus essentiam matrimonij consistere.

2. Notandum secundò, seu potiùs supponendum ut certum & indubitatum apud omnes, quod si matrimonium sumatur primo modo, non potest ullo modo fieri sine consensu partium, cùm contractus matrimonij, utriusque conjugis consensum includat formaliter, & causa formalis nullo modo possit ab extrinseca causa suppleri.

3. Tertiò supponendum est, consensum contrahentium esse ita necessarium ad matrimonium formaliter sumptum, ut dicit conjunctionem & vinculum, quod de lege Dei ordinaria sine illo esse non possit. Primò, quia effectus particularis non fit secundùm legem Dei ordinariam, nisi concurrente causâ secundâ proximâ, ad eum secundùm eandem legem ordinatâ, ut patet inductione: consensus autem viri & fœminæ est causa proxima vinculi & obligationis matrimonij, per se ad illum ordinata, secundùm legem Dei ordinariam. Secundò, matrimonium sumptum pro vinculo, consistit in dominio utriusque conjugis in corpus alterius, in ordine ad copulam: At jus naturale hoc docet, ut res quæ est in potestate alicujus, non distrahatur, nec subjiciatur dominio alterius, absque illius consensu: Ergo matrimonii vinculum sine consensu viri & fœminæ, saltem de lege Dei ordinaria, esse non potest.

Tertiò, matrimonium ita contrahi debet, saltem secundùm legem Dei ordinariam, ut mutua charitas & benevolentia conjugum possit consistere, & conservari: Hoc autem, ordinariè saltem, fieri nequit, absque mutuo conjugum consensu: Ergo ille, saltem de lege ordinaria, necessariò ad matrimonium requiritur. Unde Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum, & refertur can. *Sufficiat* 27. quæst. 2. ait quod *si solus in nuptiis consensus defuerit, cætera omnia frustrantur.* Et Innocentius III. cap. *Tua nos* de sponsal. in fine, affirmat matrimonium cum errore C circa substantiam personæ contractum, fuisse invalidum, quia defuit consensus, *sine quo cæteræ nequeunt fœdus perficere conjugale.* Item Florentinum in Decreto Eugenij dicit causam efficientem matrimonij (sumpti pro vinculo) esse mutuum consensum conjugum, regulariter per verba de præsenti expressum.

Nec solùm requirit, de lege Dei ordinaria, 4.
consensum, matrimonium quà contractus est, aut conjunctio & vinculum ex illo resultans, sed etiam quà Sacramentum est. Primò, quia hoc Sacramentum in contractu fundatur, unde ipse consensus, qui necessarius est ad contractum, etiam necessarius est ad Sacramentum. Secundò, quia nullum Sacramentum perficitur D absque propria voluntate & intentione ministri: Sed contrahentes sunt ministri non solùm contractûs civilis, sed etiam Sacramenti matrimonij: Ergo sine illorum consensu, Sacramentum matrimonij, saltem de lege Dei ordinaria, perfici nequit.

Solùm ergo difficultas est & controversia inter 5.
Theologos, an matrimonium sumptum formaliter, ut dicit conjunctionem & vinculum, ita necessariò requirat proprium conjugum consensum, ut nullâ authoritate divinâ vel humanâ, sine illo absolutè fieri nequeat? Prima sententia negat id esse possibile tam respectu divinæ quàm E humanæ authoritatis. Ita Pontius lib. 2. cap. 3. Filliucius tract. 10. de matrim. part. 1. cap. 3. num. 68. Sanchez lib. 2. de matrimon. disp. 26. qui etiam citat supplementum Gabrielis, & Adrianum, qui solùm loquuntur de contractu matrimonij, non de vinculo ex tali contractu resultante. Secunda è contra asserit, non solùm Deum de potentia absoluta, sed etiam potestatem humanam, Civilem, vel Ecclesiasticam, posse efficere vinculum matrimonij, absque consensu conjugum. In hanc sententiam inclinare videtur Victoria in relectione de matrimonio,

monio, parte 1. num. 7. Tertia verò, quæ communis est apud Theologos, fatetur quidem nullam authoritatem & potestatem humanam posse sine consensu conjugum matrimonij vinculum efficere; asserit tamen Deum id posse, de absoluta potentia.

§. II.

Duplici conclusione vera sententia statuitur.

6. DIco primò, vinculum matrimonij, de potentia Dei absoluta, posse fieri, absque consensu ipsorum conjugum.

Hanc conclusionem multi probant hac ratione. Consensus viri & fœminæ non est causa formalis, sed effectiva vinculi matrimonialis, ut suprà ex Florentino vidimus: Sed Deus potest supplere vicem cujuslibet causæ efficientis creatæ: Ergo potest vinculum matrimonij absque conjugum consensu efficere.

Verùm hæc ratio multas instantias patitur, nam actus bonus est causa efficiens meriti, & actus generationis relationis paternitatis, & quævis potentia vitalis est principium effectivum sui actûs; & tamen Deus non potest meritum efficere absque proprio consensu merentis; nec relationem paternitatis in generante, absque proprio actu generativo; neque actionem vitalem, absque proprio influxu principij vitalis: Ergo ex eo quòd consensus viri & fœminæ non sit C causa formalis, sed tantùm effectiva vinculi matrimonialis, non rectè colligitur, Deum absque consensu ipsorum conjugum, posse tale vinculum efficere. Hac ergo ratione prætermissâ.

7. Probatur conclusio hoc discursu: Ideò consensus viri & fœminæ requiritur ad vinculum matrimonij, quia in quolibet matrimonio vir transfert dominium sui corporis in potestatem 1. fœminæ, & fœmina dominium sui corporis in potestatem viri: Sed Deus, non expectato conjugum consensu, potest dominium corporis fœminæ transferre in potestatem viri, & è converso, cùm sit absolutus dominus humani corporis & D totius hominis, & majorem habeat potestatem in corpora conjugum, quàm habeant ipsi conjuges; sicuti potest res alias tranferre de uno in alium, sine dominorum consensu, ut bona Ægyptiorum ad Israëlitas: Ergo Deus de potentia absoluta potest vinculum matrimonij absque viri & fœminæ consensu efficere. Præsertim, cùm possit facillimè eos quos suâ voluntate conjunxerit, ad amorem mutuum excitare, & ad pacem atque concordiam perpetuam, multò majorem, quàm si propriâ voluntate contraxissent. Unde Sanchez non loquitur consequenter ad sua principia, cùm disp. 26. num. 2. ait, *Deum posse dare viro potestatem in corpus fœminæ, & è contra, absque illorum* E *consensu; quia Deus habet majus dominium in conjugum corpus, quàm ipsimet: Cùm ergo possint ipsi, eò quòd sunt domini proprij corporis, dominium illud transferre; à fortiori poterit Deus.*

8. Quod si quæras, an Deus aliquando hoc fecerit? Respondet Victoria suprà citatus, hoc fecisse in matrimonio Adami & Evæ, nec non in conjugio Oseæ & mulieris fornicariæ; idque quia Scriptura non commemorat, eos in matrimonium consensisse.

Verùm, quamvis valde probabile sit, id in matrimonio Oseæ contigisse, ut indicat S. Thomas 1. 2. quæst. 100. art. 8. ad 2. ubi ait quod *Oseas accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem* A *adulteram, non est mœchatus, nec fornicatus, quia accessit ad eam quæ sua erat secundùm mandatum Dei, qui est author institutionis matrimonij*; non est tamen credibile, quod Deus eâ authoritate & supremâ potestate quam habet in humana corpora, ipsosque homines, in matrimonio illo quod aliorum exemplar & norma futurum erat, scilicet in matrimonio primorum parentum, usus fuerit, sed ad suavem Dei providentiam spectat, quod tale matrimonium, mutuo Adami & Evæ consensu factum fuerit. Addo quod, si desponsatio Verbi cum humanitate, non est facta sine consensu B. Virginis, multò minùs desponsatio primorum parentum, absque mutuo eorum consensu, quandoquidem ista erat B onerosa, non verò illa.

Dico secundò, nullam potestatem humanam, Civilem, vel Ecclesiasticam, posse efficere vinculum matrimonij, sine consensu conjugum.

Hanc conclusionem probant aliqui ex eo quod 9.
si posset Respublica aliqua humana causare vinculum matrimonij, sine consensu partium, posset & eadem authoritate ipsum dissolvere, contra illud Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* At hæc ratio non urget, facilè enim responderi posset, quod sicut ipsi conjuges habent potestatem ad causandum mutuo consensu vinculum matrimonij, sed non ad illud dissolvendum; ita Respublica humana, Civilis, vel C Ecclesiastica, potest sine consensu partium, conjugali vinculo virum & fœminam conjungere, quamvis postea tale vinculum dissolvere nequeat, eò quòd illud sit jure divino, & Christi institutione, insolubile.

Alij probant, ex eo quod nulla Respublica 10.
possit conferre jus strictæ justitiæ in corpus alterius ad actum generationis. Verùm cùm possit Respublica conferre jus uni supra libertatem alterius, constituendo unum servum, alterum dominum, cur non poterit jus corporis unius transferre in alterum, & vice versâ, subindeque eos matrimonio copulare? His ergo rationibus prætermissis, vel in sua probabilitate relictis.

Probatur conclusio hoc discursu: Vinculum 11.
matrimonij licèt non dicat essentialiter mutuam animorum conjunctionem per mutuum conjugum amorem, ut patet in his qui divortio disjuncti sunt, illam tamen connaturaliter exigit; unde solus ille potest efficere vinculum conjugale, qui mutuum amorem & obsequium inter conjuges necessarium ad prolis educationem, potest in eorum cordibus excitare & causare? At nulla Respublica civilis & Ecclesiastica, potest mutuum illum amorem excitare & causare in cordibus hominum, sed solus Deus; cùm ille solus habeat dominium in voluntates hominum, & omnipotentissimam inclinandorum cordium quocunque voluerit potestatem, ut loquitur Augustinus: Ergo nulla Respublica, nec ullus Princeps sæcularis, vel Ecclesiasticus, potest sine consensu conjugum, efficere vinculum conjugale.

Confirmatur: Si daretur talis potestas in aliquo 12.
Principe vel Republica, esset in destructionem boni communis, plerumque enim talia matrimonia inter invitos & repugnantes facta, essent causa adulteriorum, homicidiorum, divortiorum; & continuarum rixarum ac dissentionum, quæ ex defectu mutui amoris, & spontaneæ conjunctionis, perpetuò inter conjuges vigerent: Sed nulla potest dari potestas humana, quæ vergat in destructionem boni communis; nam omnis

humana

Universidad de Deusto
Biblioteca

humana potestas est propter bonum commune aut immediatè collata à Deo, vel sponte translata in Principem à populis, qui non præsumuntur transferre potestatem in Principem, quæ ipsorum communi bono adversetur, nec Deus eam concedere: Ergo nullâ potestate humanâ, vinculum matrimonij, absque mutuo conjugum consensu, induci potest.

§. III.

Solvuntur objectiones.

13. OBjicies primò contra primam conclusionem: Matrimonium sumptum pro vinculo est essentialiter vinculum mutui amoris: Sed vinculum mutui amoris sine consensu esse non potest: Ergo nec vinculum matrimonij.

Confirmatur: Matrimonium non est sola corporum, sed etiam animorum conjunctio: At animorum conjunctio sine consensu fieri nequit: Ergo nec matrimonium.

14. Ad objectionem respondeo, negando Majorem, matrimonium enim sumptum pro vinculo non consistit essentialiter in amore mutuo, per animorum & operum conjunctionem; sed in dominio utriusque conjugis in corpus alterius, in ordine ad copulam, mutuaque utriusque ad alterum obligatione & subjectione, vel potiùs in relatione inter conjuges, ex tali dominio & obligatione resultante, ut disp. 1. art. 1. declaravimus; unde de essentia vinculi conjugalis non est consensus, sed hic tantùm est causa illius efficiens, ut ait Florentinum in decreto Eugenij suprà citato: Deus autem, cùm sit supremus & absolutus corporum nostrorum dominus, nobis insciis & invitis, eorum dominium in alium potest transferre, subindeque matrimonij vinculum sine consensu conjugum reperiri.

Ad confirmationem, nego etiam Majorem, matrimonium enim in facto esse, non includit essentialiter mutuam animorum conjunctionem, cùm illud perseveret in iis qui divortio disjuncti sunt.

15. Objicies secundò: Ita proportionaliter se habet vinculum matrimonij in ordine ad conjugatos, sicut vinculum voti solemnis in ordine ad Religiosos: Sed istud sine voventis consensu nequit existere: Ergo nec illud absque viri & fœminæ consensu.

16. Respondeo, datâ Majori, negando Minorem; quamvis enim votum solemne consistens essentialiter in promissione & traditione ipsiusmet Religiosi seipsum liberè donantis, non possit esse sine ipsius voventis consensu; secùs tamen vinculum & obligatio sive subjectio ad Religionem, orta ex voto: Deus enim, pro supremo dominio quod habet in Religiosum, potest per se solus non minùs illum subjicere Religioni, quàm ipsemet per votum proprium.

17. Objicies tertiò: De potentia Dei absoluta nequit dari relatio absque fundamento: Sed vinculum matrimonij est formaliter quædam relatio inter conjuges, cujus fundamentum est mutuus contrahentium consensus: Ergo matrimonij vinculum absque mutuo conjugum consensu nequit existere.

18. Respondeo mutuum contrahentium consensum, non esse solum & unicum fundamentum istius relationis, loquendo de potentia absoluta, potest enim, de absoluta Dei potentia, dari aliud fundamentum sive ratio fundandi talem relationem, nimirum voluntas divina, quæ non minùs potest mutuum corporum dominium transferre in conjuges, per suum decretum, vel præceptum, quàm ipsimet conjuges per suum consensum; cùm Deus majus dominium habeat in conjugum corpus, quàm ipsimet.

19. Dices, Licèt Deus possit tradere corpus fœminæ viro, & corpus viri fœminæ, per absolutum & supremum dominium quod habet in utrumque, id tamen deberet necessariò fieri, scientibus & volentibus illis: Ergo implicat matrimonij vinculum esse, absque proprio conjugum consensu. Consequentia patet, Antecedens probatur. Nullum jus potest alicui acquiri, licèt possit auferri, ipso invito; implicat enim aliquid esse meum, sine meo consensu: Ergo &c.

20. Respondeo, negando Antecedens, potest enim Deus dominium rei alicujus transferre in alium, sine ipsius domini consensu & notitia; si enim hoc præstare possunt jura humana, & Principes sæculares, ut constat ex l. 32. ff. de acquir. rerum dominio, ubi sic dicitur: *Etiam invitis nobis, per servos nostros acquiritur dominium*, à fortiori Deus qui plenam & absolutam habet potestatem in voluntates nostras, potest nobis conferre jus in aliquam rem, absque notitia & consensu nostro, subindeque tradere corpus fœminæ viro, & corpus viri fœminæ, ipsis nescientibus, & non consentientibus. Et quamvis non possent in eo casu conjuges accedere licitè ad copulam, sine prævia notitia talis traditionis, non tamen opus esset, ut actu expresso illam acceptarent, sed sufficeret, quod ei positivè non dissentirent. Si verò positivè dissentirent, peccarent quidem habendo copulam cum tali dissensu, sed talis copula non esset fornicaria, quia non esset accessus ad non suam, neque corpus unius esset revera alienum respectu alterius.

21. Objicies quartò contra secundam conclusionem: Ideò potest Deus aliquos vinculo matrimoniali conjungere, absque eorum consensu, quia habet dominium in corpus humanum: Sed Principes Ecclesiastici & sæculares habent dominium in corpora quorundam, eorum nimirum quos propter delicta possunt privare vitâ, & omnibus bonis: Ergo possunt, ipsis invitis, transferre in alios dominium corporis eorum per matrimonium.

22. Respondeo negando paritatem: Disparitas est, quòd non ideò præcisè possit Deus, utendo suâ potentiâ absolutâ, facere vinculum matrimonij inter virum & fœminam, absque eorum consensu, quia habet in sua potestate eorum corpora, sed quia habet insuper potestatem supra eorum animas & corda, & consequenter potest eorum quos cogeret ad matrimonium animos ita immutare, ut libenter remanerent in tali conjugio, & mutuam charitatem, ad finem matrimonij necessariam haberent; quod tamen nequeunt Principes Ecclesiastici, vel sæculares, ob rationem oppositam; quia nimirum habent quidem in sua potestate corpora, sed non animos & corda suorum subditorum.

23. Objicies quintò: Respublica vel Princeps potest invitos cives cogere ad aliquos contractus ineundos, ut ad vendendum frumentum tempore necessitatis, vel ad seipsos in servitutem propter bonum Reipublicæ redigendos; & tamen illi etiam contractus requirunt ex natura sua consensum contrahentium, graviusque est vinculum servitutis, præsertim perpetuæ, quàm vinculum matrimonij: Ergo & ad contrahendum matrimonium potest invitos cives Respublica cogere.

24. Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem: Discrimen est, quòd in aliis contractibus, sive fiant per voluntatem propriam, sive per voluntatem Reipublicæ, ad cujus etiam bonum universale ordinantur, semper sequitur idem effectus, & idem bonum universale Reipublicæ. At verò contractus matrimonij, si fiat contra voluntatem contrahentium, cogente Republicâ, non sequitur idem bonum & effectus, nempè mutua dilectio, mutuum obsequium inter conjuges, necessarium ad commodam prolis educationem.

25. Objicies sextò: Urgente necessitate potest Summus Pontifex aliquem cogere ad acceptandum Episcopatum, in quo est matrimonium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam, ut docet Evaristus Epist. 2. de Episcopis ejectis, tomo 1. Conciliorum, his verbis: *Sacerdotes vice Christi legatione funguntur in Ecclesia; & sicut ei sua conjuncta est sponsa, id est Ecclesia, sic Episcopis junguntur Ecclesiæ, unicuique pro portione sua. Et sicut vir non debet negligere uxorem suam, sed diligere, & castè custodire, & amare, atque prudenter regere: sic Episcopus, & multò magis custodire, & amare, atque prudenter regere debet Ecclesiam. Et uxor, quæ sub manu est viri obedire debet viro suo, eumque diligere & amare, ita potius etiam Ecclesia Episcopo suo in omnibus obedire, eumque diligere & amare ut animam suam debet, quia illud fit carnaliter, istud spiritualiter:* Ergo à fortiori potest Summus Pontifex, vel Princeps sæcularis, imponere præceptum alicui ut contrahat matrimonium, propter aliquod maximum bonum Ecclesiæ, vel Reipublicæ: Sed qui præcepto adigitur ad matrimonium ineundum, non sponte, sed coactè in illud consentit: Ergo Princeps Ecclesiasticus, vel sæcularis, potest invitos cogere ad matrimonium ineundum.

26. Respondeo, concesso Antecedente, & primâ Consequentiâ, negando Minorem subsumptam; præceptum enim non imponitur ut inviti & coacti matrimonium ineant (tale enim præceptum destrueret naturam matrimonij, quod maximè spontaneum & liberum esse debet) sed ut inducantur ad matrimonium liberè & spontaneè contrahendum. Unde magnum est discrimen inter hoc matrimonium, & illud quod solâ Principis voluntate fieret; nam hoc fit spontaneo & libero conjugum consensu, & præceptum solùm est causa extrinseca impulsiva ad talem consensum præstandum, qui dum præstatur, liberè & sponte præstatur: quod autem solâ Principis Ecclesiastici, vel sæcularis authoritate, obluctante voluntate contrahentium fieret, non esset spontaneum & liberum, cùm nequeat liberum & spontaneum esse, quod solâ extrinsecâ voluntate alterius fit.

27. Dices, Ecclesia videtur usa fuisse hac potestate, quando in cap. *Is qui fidem*, de sponsal. statuit sponsalia transire in matrimonium, per copulam, & cùm cap. *Finali*, de conditionibus appositis, decrevit matrimonium sub conditione impossibili contractum, esse validum; nam qui contrahit sub conditione impossibili, non habet animum adhibendi consensum: Ergo Ecclesia habet potestatem, validum faciendi matrimonium, absque consensu contrahentium.

Sed nego Consequentiam, Ecclesia enim in illis casibus præsumit verum consensum fuisse reipsâ datum; & in primo quidem conjuges habuisse copulam affectu maritali; in secundo, pro nihilo in negotio tam serio & tanti momenti, habuisse conditionem de impossibili, contractui matrimoniali adjectam; si tamen in illis casibus revera nullus sit consensus, non est verum matrimonium, sed præsumptum duntaxat, ut patet ex cap. *Finali*, de sponsa duorum.

ARTICULUS II.

Utrum consensus ad valorem matrimonij requisitus, debeat esse verus, & verbis aut signo aliquo exteriori expressus?

§. I.

Prima difficultas resolvitur.

28. DIco primò, consensus ad validitatem matrimonij requisitus, debet esse verus, unde ad illius valorem consensus fictus non sufficit.

Hanc conclusionem probant aliqui ratione generali, desumpta ex eo quod omnis contractus humanus & civilis requirat ad sui valorem verum consensum & non fictum; est enim (inquiunt) contractus aliqua privata lex, per quam contrahentes sibi obligationem imponunt ad aliquid præstandum; unde sicut repugnat oriri obligationem ex lege, per quam legislator voluntatem non habuit subditos obligandi; ita & contractum obligare, cui deficit verus contrahentis consensus; est enim (inquit Baldus) consensus in contractu, sicut anima in corpore.

29. Verùm hanc rationem non probant Vazquez, Pontius, & alij, existimantes in multis contractibus humanis, putà in emptione, venditione, permutatione, & aliis hujusmodi, non requiri necessariò verum consensum, sed sufficere fictum, modò seria verba ex parte fictè contrahentis interveniant: unde ut ab hac quæstione & controversia abstrahamus, probatur conclusio ratione speciali, petitâ ex natura contractûs matrimonialis; cùm enim in matrimonio fiat traditio rei maximè propriæ, nempè proprij corporis in ordine ad actum conjugalem, non convenit contractum matrimonialem aliter fieri, quàm propria cujusque voluntate; esto quod alij contractus, quibus res externæ, & bona fortunæ traduntur vel commutantur, non requirant verum consensum, sed fictus sufficiat, ut Vazquez, & Pontius existimant. Item, Matrimonium est vinculum quoddam mutui atque perpetui amoris, & animorum, corporumque conjunctio, juxta illud Genes. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ*, &c. Sed repugnat mutuum amorem esse sine vero affectu atque consensu: Ergo & matrimonium.

30. Ex his inferes, eum qui fictè contraxit matrimonium, teneri ex justitia verè contrahere, & fictum consensum in verum commutare; tum quia contractus matrimonialis, cùm consistat in mutua corporis traditione & commutatione, ex parte utriusque contrahentis exigit verum consensum; tum etiam, quia ille qui fictè contraxit, damnum & injuriam gravem alteri parti irrogavit, quam non potest aliter resarcire, quàm consensu ficto in verum mutato, illam accipiendo

Universidad de Deusto
Biblioteca

accipiendo in conjugem ; non potest enim matrimonium simulatum, publicè & in facie Ecclesiæ contractum, dissolvere, allegando suam fictionem, seu fictum consensum, quia Ecclesia nec tenetur nec debet illi fidem præstare, tum ne ansam præbeat plurima matrimonia validè contracta dissolvendi, si facilis esset hujusmodi privatis probationibus admittendis ; tum etiam, quia quâ facilitate deceptor mentitus est in ipso contractu matrimonij celebrando, eâdem censendus erit mentiri in eo dissolvendo.

31. Sunt tamen aliqui casus, in quibus non tenetur deceptor fictum consensum in verum commutare, validumque efficere matrimonium : Primò si deceptor signa deceptionis dederit, seque consensum fingere satis significaverit ; nam tunc altera pars non tam ab ista fuit decepta, quàm seipsam decepit, sibique debet imputare damnum quod sponte subiit. Secundò, si deceptor ipse notabiliter à decepto sit deceptus ; ut si mulier finxit se virginem, nobilem, divitem, aliàs in uxorem non ducendam ; tunc enim deceptio unius, compensatut deceptione alterius. Tertiò, si ex revalidatione matrimonij prævideat pessimos exitus, & mala non parva probabiliter futura. Nisi fortè damna & incommoda ex ficto matrimonio oritura, præponderent incommodis & damnis ex matrimonio revalidato securis. Demum, si deceptor notabilis scandali vitandi gratiâ consensum finxit, non tenetur C posteà verum adhibere consensum ; quia tunc non injustè, sed ex justa causa illum finxit.

32. Notandum verò, quod ut deceptor obligationi suæ satisfaciat, & validè contrahat matrimonium cum parte decepta, debet non solùm elicere verum consensum internum, sed etiam illum externo signo manifestare ; quia, ut dicemus conclusione sequenti, non sufficit ad matrimonium verus consensus internus, nisi externo aliquo signo manifestetur : Atqui verus consensus modò elicitus, non fuit expressus per signum externum priùs exhibitum, cùm fictè contraxit ; nam ille fuit signum ficti consensûs duntaxat : Ergo est opus novo signo externo.

33. Notandum etiam, quod quando matrimonium D fuit ab initio invalidum ex ficto consensu unius ex contrahentibus, non sufficit ad illud revalidandum ponere verum consensum ex parte ejus qui fictè contraxit, sed requiritur insuper consensus alterius conjugis, qui verè contraxit, signo aliquo externo expressus ; licèt enim opposita sententia asserens in eo casu sufficere ut qui fictè contraxit, suum renovet consensum, eumque signo aliquo exteriori declaret, probabilitate non careat, pluresque habeat illustres patronos & defensores ; ista tamen videtur probabilior, ob authoritatem Clementis VIII. qui ut testatur Comitolus libro 1. moral. resp. 5. quæst. 1. interrogatus à Patre Stephano Tuccio, E an in eo casu quo fœmina fictè contraxit, ad revalidandum matrimonium sufficiat quod illa ponat verum consensum, eumque signo aliquo exteriori manifestet ? Respondit, *Necessarium esse novum consensum utriusque conjugis, coram Parocho & testibus, admonito prius marito de matrimonij nullitate. Sed ad evitandum scandalum, Sanctitas sua dispensat, ut secretò inter se contrahant, renovato consensu, cum legitimatione prolis.* Et licèt responderi possit, quod Pontifex in hac sua responsione secutus fuerit sententiam tutiorem, sicut dicendum est quoad alteram partem A responsi, quæ asserit necessarium esse ad valorem talis matrimonij, utrumque conjugem iterum coram Parocho & testibus repetere & significare suum consensum ; cujus tamen oppositum declarasse Pium V. refert Navarrus in Summa c. 22. num. 70. ut dicemus articulo sequenti. Quia tamen quoad id de quo agimus in præsenti (nempè quod ad revalidandum tale matrimonium, necessarius sit consensus utriusque conjugis, signo aliquo exteriori expressus) non habemus contrariam alterius Pontificis declarationem, propter hanc Clementis VIII. censenda est hæc sententia probabilior.

Ratio etiam suffragatur : Cùm enim qui fictè B consensit, per ipsam fictionem reddiderit se positivè inhabilem transferendi dominium sui corporis in alium, qui verè consensit, consensus istius, licèt verus & sincerus, fuit tamen inhabilis ad matrimonium, utpotè præstitus personæ inhabili, cadens in materiam inhabilem & illegitimam ; quare ut revalidetur matrimonium, iste debet ponere novum consensum, illumque signo aliquo exteriori exprimere, subindeque necessarius est novus consensus ex parte utriusque conjugis, ut ait Pontifex. Unde, juxta hanc sententiam, non potuit in hoc dispensare, seu efficere ut illius tantùm consensus sufficeret qui fictè contraxit ; sicut dispensare potuit, & de facto dispensavit in hoc quod utriusque conjugis consensus coram Parocho & testibus manifestaretur ; quia istud repugnat solùm legi Ecclesiasticæ in Concilio Tridentino sancitæ ; illud verò est contra substantiam matrimonij, quam Ecclesia tollere vel mutare non potest.

§. II.

Aliæ difficultates resolvuntur.

34. DIco secundò, non sufficit ad matrimonium solus consensus internus, sed requiritur essentialiter externum signum, sufficienter expressivum interioris consensus. Est contra Vvi-clefum, qui ut scribit Vvaldensis secundo tomo de Sacramentis cap. 32. & 33. existimavit solum consensum internum satis esse ad contrahendum verum matrimonium. Idem dicunt Panormitanus cap. *cùm locum*, titulo de sponsal. & matrimonio, & Cujacius in cap. *Tua fraternitati*, de sponsal. ubi ait verba exprimentia consensum internum, non requiri ad matrimonium ex natura rei, sed solùm ex præcepto Ecclesiæ. Præcipuum ejus fundamentum sumitur ex verbis Innocentij III. qui in prædicto capite sic loquitur : *Nos* (inquit *inquisitioni tuæ respondemus, quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum : sed necessaria sunt, quantùm ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia de præsenti.* Addi potest caput, *Cum locum*, ubi Alexander III. affirmat matrimonium *solo consensu contrahi.* Et caput *Sufficiat* 27. quæst. 2. ubi Nicolaus I. sic ait : *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus de quorum conjunctionibus agitur.* Ratio quoque huic sententiæ suffragari videtur : Votum enim Deo factum, solo consensu interno fit verum & legitimum, quamvis illud videatur esse contractus quidam inter Deum & hominem : Ergo similiter matrimonium, licèt sit contractus inter virum & mulierem, solo tamen consensu interno perfici poterit.

35. Nostra tamen conclusio communis est apud Theologos,

Theologos, eamque expressè docet Sanctus A Thomas hîc quæstione 45. articulo 2. in corp. his verbis : *Dicendum quod conjunctio matrimonialis fit ad modum obligationis in contractibus materialibus. Et quia materiales contractus non possunt fieri, nisi sibi invicem voluntatem suam verbis promant qui contrahunt* (aut aliis signis æquivalentibus) *ideò etiam oportet quod consensus matrimonium faciens verbis exprimatur.* Item D. Bonaventura in 4. dist. 27. qu. 2. num. 21. sic ait : *si sit consensus exterior sine interiori, non est matrimonium secundum veritatem, nec secundum divinum judicium, nec secundum conscientiæ forum, quamvis esse videatur & judicetur secundum judicium Ecclesiasticum. Et cùm hujus sit multiplex ratio, hæc tamen est præcipua, quia in omnibus sa-* B *cramentis requiritur intentio voluntaria faciendi quod facit Ecclesia : quia ergo secundùm veritatem non intendebat contrahere matrimonium, non fuit, nec est sacramentum.*

36. Aliis rationibus nostra conclusio suaderi potest. Primò quia matrimonium essentialiter & ex natura rei, est contractus humanus mutuæ traditionis & acceptionis corporum : Sed contractus humanus postulat ex natura sua, ut fiat aliquo signo humano & sensibili ; nam per talem contractum homo agit cum homine ut homo, hoc est ut constans ex anima & corpore : Ergo per actum utriusque partis ; alioquin si ageret solùm per actum internum, non ageret ut homo, C sed ut Angelus.

37. Secundò, quia ad matrimonium requiritur verus & proprius consensus : Sed ut dicunt Abbas, Præpositus, & alij Canonistæ, in cap. *Tua* de sponsal. non est propriè consensus, nisi mutuò innotescat, sed tantùm simul sensus ; consensus enim duorum esse non potest, nisi sciant se idem sentire : Ergo ad matrimonium essentialiter requiritur ut consensus internus signo aliquo externo & sensibili exprimatur.

38. Tertiò, Matrimonium, ut sacramentum, essentialiter requirit signum sensibile expressivum interioris consensûs ; quia de ratione sacramenti novæ legis est, ut consistat in aliquo sensibili, D quod sit ejus materia, vel forma, ut constat ex dictis de Sacramentis in genere : Ergo etiam ut civilis contractus essentialiter exigit signum aliquod externum, quo interior consensus manifestetur. Consequentia patet, quia Christus elevans matrimonium in Sacramentum, nihil addidit supra contractum civilem, sed in sua natura relictum ad dignitatem Sacramenti evexit, ad quam non potuisset evehi, si aliquo signo sensibili non constaret. Unde

39. Ad caput *Tuæ fraternitatis*, quod est præcipuum Cujacij fundamentum, dicendum est, Innocentium ibi non negare ad matrimonium requiri aliquod signum consensûs interni, sed potiùs nomine consensûs legitimi illud comprehendere ; tantùmque affirmare, verba propriè dicta, & ore prolata, non esse necessaria : *Nam* (inquit) *surdi & muti possunt contrahere matrimonium, per consensum mutuum, sine verbis,* nutibus scilicet, vel aliis signis externis, quæ supplent vicem verborum. Subdit verò, verba consensum exprimentia, esse necessaria, *quantùm ad Ecclesiam*, ut scilicet melius illi constet de consensu interno, faciliúsque probari possit in foro exteriori, si de illo contentio oriatur. Cùm verò Alexander III. Nicolaus I. dicunt ad matrimonium sufficere consensum, vel illud contrahi solo con-

sensu, non excludunt signum externum consensûs interni expressivum, sed duntaxat coactionem aut metum, & volunt, matrimonium coactum, vel gravi metu contractum, non esse verum matrimonium, ut constat ex verbis Alexandri cap. *Cùm locum* citato, ubi sic ait : *Cùm locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, & ubi de ipso quæritur, plenâ debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus ; ne per timorem dicat sibi placere, quod odit ; & sequatur exitus, qui de invitis nuptiis solet provenire.*

Ad rationem subjunctam, concesso Antece- B dente, nego consequentiam & paritatem. Ratio autem discriminis inter votum & matrimonium est, quòd votum fiat Deo, apud quem non est opus verbis, nec signis, & ideò verum est votum, quod solo consensu interno fit : matrimonium verò est contractus inter homines ; hominis autem natura postulat, ut consensus interni perinde sint ac si non essent, nisi declarentur verbis, aut signis externis, unde matrimonium solo consensu interno factum, nullum est.

Ex dictis colligitur, verba non esse neces- 40. saria ad matrimonium, sive ut contractus, sive ut Sacramentum est ; sufficit enim ad valorem contractûs matrimonialis expressio consensûs interni, per aliquod signum externum, quo homines sibi invicem voluntatem suam manifestant. Unde Innocentius III. de sponsal. cap. 23. dicit mutuos contrahere posse validè matrimonium ; quia possunt signis declarare, quod verbo nequeunt exprimere. Et Florentinum in decreto Eugenij, agens de Sacramento matrimonij, dicit *regulariter* fieri per verba de præsenti, hoc adverbio, *regulariter*, significans posse aliter fieri ; & verba licèt communiter & ordinariè adhibeantur, non esse tamen adeò necessaria, ut sine illis contrahi non possit, signis videlicet & nutibus, quæ pro verbis reputantur.

Si autem quæras, quænam signa sufficiant 41. ad exprimendum mutuum conjugum consensum, & ad validè contrahendum matrimonium ? Respondeo, Doctores pro hujus difficultatis resolutione, hanc regulam generalem statuere : Quoties signum ex natura sua, vel ex juris dispositione, aut regionis vel patriæ consuetudine, est certa nota interni affectûs conjugalis erga sponsum, vel sponsam, sufficit ad matrimonium. Talis est, in quibusdam locis, annuli traditio, quæ & subarrhatio dicitur, præsertim (ut notat Sanchez disputatione 22. num. 4.) si annulari digito imponatur, ad quem, ut Anatomistæ observant, venula quædam ex corde protenditur ; subindeque annuli impositio, tali digito facta, signum est cordialis affectûs, quo mutuò conjuges sese diligunt. Item porrectio manûs interdum est sufficiens signum interni consensûs in matrimonium ; si enim vir exprimat consensum matrimonij, dicens fœminæ : *Contraho tecum matrimonium, aut volo ex nunc habere te in uxorem* ; ipsaque manum porrigat, vel ab illo apprehensam non retrahat, signum est, illam matrimonio consentire. Traductio etiam solemnis sponsæ in domum sponsi, in aliquibus locis, consensum in matrimonium significat, ut apud Astures accepisse testatur Covaruvias. Similiter ante Tridentinum spon-

Universidad de Deusto
Biblioteca

salia de futuro, transibant in matrimonium, per copulam, unde illa erat sufficiens signum consensûs de præsenti. Sed tale signum cessat post Tridentinum, ubi ipsius decretum de reformatione matrimonij est acceptatum : eò quòd, vi talis decreti, debeat signum ipsum quo interior consensus exprimitur, & matrimonium contrahitur, coram Parocho & testibus exhiberi.

Si autem quæras, utrum ad valorem matrimonij, & expressionem consensus interni, aliquando silentium possit sufficere, ut si puella verecunda nollet verba pronuntiare, sed tamen non negaret ? Respondeo de hac quæstione non judicandum esse absolutè, sed ex circunstantiis. Nam fieri potest, ut puella non ob aliam causam taceat, nisi ob pudorem ; & tunc silentium externum potest esse signum sufficienter manifestativum consensus interni. Si autem puella taceret metu patris, quia si negaret, malè ab eo tractaretur, tunc silentium non videtur sufficere ad valorem matrimonij, nec esse signum sufficienter expressivum consensus interni. Unde in tali casu non habet locum regula illa juris : *Qui tacet, consentire videtur*, sed potiùs ista : *Qui tacet, nec confitetur, nec negare videtur.*

42. Porrò circa prædicta signa expressiva consensus interni ad matrimonium requisiti, observandum est, quod licèt illa sufficiant ad declarandum consensum, & ad contrahendum matrimonium, convenientius tamen est, ut verbis exprimatur consensus, quoad fieri potest ; quia sic melius innotescit, & faciliùs probari potest. Imò aliqui existimant, verba in valentibus loqui necessaria esse, necessitate præcepti Ecclesiastici ; idque colligunt ex capite *Tuæ fraternitatis*, de sponsal. ubi verba ad contrahendum matrimonium dicuntur *necessaria, quantum ad Ecclesiam*, id est, ut suprà cum multis Doctoribus explicuimus, quoad probationem quæ debet Ecclesiæ constare : Videtur igitur Ecclesia, verba in matrimonio præcipere, ut per ea illud certiùs sibi constare possit, & ut omne periculum dubij matrimonij tollatur ; cùm non omnia signa certa sint, sed aliqua obscura, aliqua ambigua, & alia minùs certa. Quæ sententia probabilitate non caret, licèt alij Theologi communiter existiment, illud non cadere sub præcepto Ecclesiæ, esseque tantùm peccatum veniale, absque necessitate non uti verbis in celebratione matrimonij, illludque solis nutibus & signis contrahere.

ARTICULUS III.

An jure veteri Ecclesiastico, vel novo, per Tridentinum inducto, irritentur matrimonia consensu clandestino facta?

43. CErtum est, spectatâ solâ rei naturâ, & semotâ constitutione Ecclesiasticâ, vel civili, consensum clandestinum esse sufficientem ad valorem matrimonij, ut docet Divus Thomas hic quæstione 45. articulo 5. probatque ex eo quod consensus de præsenti inter legitimas personas, matrimonium facit, aliaque omnia sunt tantùm de solemnitate, & ad hoc adhibentur, ut matrimonium convenientiùs fiat ; unde licèt omittantur, verum est matrimonium. Idem etiam docet expresè Tridentinum sessione 24. in decreto de reform. matrimonij cap. 1. initio, affirmans *non esse dubium, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit.*

Certum etiam est, matrimonia clandestina fuisse semper ab Ecclesia prohibita, adeóque fuisse semper illicita inter Christianos, ut docet idem Concilium cap. citato, sic dicens : *Sancta Dei Ecclesia, ex justissimis causis, illa semper detestata est, atque prohibuit.* Id etiam patet ex decreto Hormisdæ Papæ, relato causâ 30. quæst. 5. his verbis : *Nullus fidelis, cujuscumque conditionis sit, occultè nuptias faciat, sed benedictione accepta à Sacerdote, publicè nubat in Domino.* Et Innocentius III. cap. 3. de clandest. desponsat. *Prædecessorum* (inquit) *nostrorum vestigiis inhærendo, clandestina conjugia penitùs inhibemus, prohibentes etiam ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat.* Solùm ergo difficultas est, an talia matrimonia, initio Ecclesiæ fuerint non modò prohibita & illicita, verùm etiam invalida, vel saltem per Tridentini decretum penitùs irritentur ? Pro resolutione sit

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

45. DIco primò, ante Tridentinum, matrimonia clandestina nunquam fuisse invalida. Est contra Pontium, & quosdam alios, existimantes ea fuisse invalida, à tempore Apostolorum, usque ad tempora Hormisdæ Papæ, qui sedit anno 514. vel etiam usque ad tempora Pelagij, qui Ecclesiam rexit anno 555. Præcipuum ipiorum fundamentum sumitur ex decreto Evaristi, relato cap. *Aliter* 30. quæst. 5. in quo Pontifex clandestina matrimonia appellat adulteria, contubernia, stupra, fornicationes, quia nimirum ea irritaverat. Unde Concilium Colonienſe sub Paulo III. celebratum parte 7. cap. 47. hæc habet : *Optandum ut canon Evaristi Pontificis, Concilio generali renovetur, tollanturque illa clandestina matrimonia, quæ invitis parentibus ac propinquis, Veneris potius quàm Dei causâ contrahuntur. Interea verò donec Ecclesia de hoc prospiciat, si non irrita, prohibita saltem sint.*

46. Nostra tamen conclusio communis est apud Theologos, illamque docere videtur Tridentinum cap. 1. decreti de reform. matrimonij, verbis suprà relatis, quibus ait : Dubitandum non esse, clandestina matrimonia, rata & vera fuisse, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit, his enim verbis innuere videtur, Ecclesiam nunquam ante illud Concilium, irrita fecisse clandestina matrimonia.

Addo quod, si fuisset lex aliqua Ecclesiastica, quæ ante Tridentinum matrimonia clandestina irritasset, hujus haud dubiè Concilium fecisset mentionem, eamque se renovare declarasset (sicut paulò post, loquendo de proclamationibus matrimonio præmittendis, ait se quoad illas renovare decretum Concilij Lateranensis sub Innocentio III.) Præsertim, cùm non deessent ex Patribus, & ex Doctoribus Concilij, qui dubitarent, possetne Ecclesia matrimonia clandestina irritare,

irritare, & materiam aut formam Sacramenti matrimonij aliquo modo immutare ; ut videre est in Actis Concilij, & apud Spondanum, ad annum Christi 1563. Unde

47. Ad authoritatem Evaristi suprà adductam, dicendum, illum matrimonia clandestina appellasse adulteria, stupra, fornicationes, in foro duntaxat externo, in quo Ecclesia ea non præsumit validè contracta, eo ipso quod contra ipsius prohibitionem celebrata sunt. Eodem modo explicari possunt Patres Concilij Colonienſis ; vel responderi potest, Concilium dixisse id quod suprà retulimus, non definiendo, sed quorundam Doctorum sententiam, ut probabilem sequendo.

48. Dico secundò, jure novo, per Tridentinum inducto matrimonia clandestina irrita esse. Patet ex Tridentino sess. 24. decreto de reform. matrimonij cap. 1. ubi sic dicitur : *Qui aliter quàm præsente Parocho vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.* Ex quibus liquet, Tridentinum matrimonia clandestina irritare, & nomine clandestini matrimonij, illud intelligere cui non interest proprius Parochus, aut alius Sacerdos, de ejus licentia, cum duobus saltem testibus ; unde licet publicè coram aliis multis matrimonium contrahatur, si tamen fiat sine præsentia Parochi & testium, clandestinum censetur ab Ecclesia.

§. II.

Solvitur difficile argumentum, & breviter explicatur, quâ ratione Tridentinum matrimonia clandestina irritare potuerit.

49. CIrca prædictum Tridentini decretum, gravissima est difficultas, quomodo potuerit Ecclesia matrimonia consensu clandestino facta irritare, cùm enim matrimonium sit Sacramentum, cujus materia & forma sunt ipsi consensus conjugum, verbis vel aliis signis expressi, ut disp. 2. ostendimus, & Ecclesia non habeat potestatem mutandi materias & formas Sacramentorum (hoc enim est proprium potestatis excellentiæ quæ est in Christo) non videtur, quâ ratione Ecclesia potuerit facere quod consensus clandestinus, qui ante Tridentin. erat sufficiens materia & forma matrimonij, non sit ampliùs sufficiens materia & forma illius. Et augetur difficultas, ex eo quod matrimonium ex una parte sit contractus naturalis, ita ut jure naturæ consensus inter personas habiles faciat verum matrimonium ; & ex alia, Ecclesia non possit irritare aut variare ea quæ sunt juris naturæ.

50. Hæc difficultas adeò torsit aliquos ex Patribus Tridentinis, ut ante decretum prædictum de reformatione matrimonij existimaverint, Ecclesiam non posse clandestina matrimonia irritare ; & quidam ex Theologis qui ei interfuerunt, ut Dominicus Soto, & Ruardus Taperus, quæstionem indecisam reliquerint. Pro resolutione.

51. Notandum primò ex D. Thoma in 4. dist. 34. quæst. unicâ art. 1. ad 4. matrimonium hoc habere suprà cætera Sacramenta, quod non solùm ordinatur ad conjugum sanctificationem, sed etiam est in officium naturæ, & in bonum commune totius Reipublicæ ; atque adeò triplici constat contractu, naturali, civili, Sacramentali. Inquantum est contractus naturalis, statuitur jure naturæ ; inquantum civilis, lege civili ; inquantum Sacramentum, statuitur jure divino, ideóque ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona fieri inhabilis ad matrimonium ; si enim sit impotens ad copulam carnalem, lege naturæ ad illud inhabilis est ; si consanguineus, vel affinis, lege positivâ, civili, & Ecclesiasticâ, si non baptizatus, jure divino incapax est Sacramenti matrimonij, quamvis ad contractum naturalem vel civilem habilis sit.

52. Notandum secundò, Christum Dominum non elevasse omnem contractum matrimonialem, etiam signis sensibilibus expressum, in Sacramentum, sed tantùm eum qui esset legitimus, id est legibus conformis, & inter personas baptizatas & legitimas, id est impedimentum dirimens non habentes.

53. Ex his facilè haberi potest resolutio difficultatis propositæ, & explicari, quâ ratione Ecclesia matrimonia clandestina irritare potuerit : id enim duobus modis præstare potuit, primò indirectè, & mediatè, reddendo personas inhabiles ad contrahendum, ut innuit Tridentinum in decreto suprà relato ; secundò directè & immediatè, cassando & irritando contractus matrimoniales consensu clandestino factos ; cùm enim Ecclesia sit Respublica benè ordinata à Christo, debuit in ea esse potestas ad regulandos contractus suorum subditorum, atque adeò potuit statuere quasdam conditiones, sine quibus tales contractus sint irriti. In quo non mutavit materiam vel formam Sacramenti matrimonij, formaliter sumptas (nam materia & forma Sacramenti matrimonij, etiam post Tridentini decretum, est contractus legitimus, sicut ante) sed tantùm materialiter, faciendo scilicet quod contractus clandestinus, qui antea erat legitimus, non sit ampliùs legitimus, subindeque non sit ampliùs elevabilis ad dignitatem Sacramenti, cùm Christus, ut suprà dicebamus, solum contractum legitimum ad rationem Sacramenti elevaverit.

54. Potestque id explicari & illustrari duplici exemplo aptissimo. Primum est, si quis haberet potestatem mutandi aquam in vinum, posset mutare materiam Sacramenti Baptismi materialiter, (hoc est efficiendo quod ea res quæ erat vera aqua naturalis, jam non sit ampliùs aqua naturalis, nec per consequens materia Sacramenti Baptismi) sed non formaliter, quia semper verum esset, quod aqua vera & naturalis esset materia Sacramenti Baptismi à Christo instituta. Item si terminus iste *corpus*, à sua significatione deponeretur, & ad aliam communi Reipublicæ consensu transferretur, & alius qui vim idem significandi haberet, loco illius substitueretur ; forma consecrationis panis in corpus Christi, mutaretur materialiter, sed non formaliter ; quia semper verum esset quod voces significantes conversionem panis in corpus Christi, essent forma Eucharistiæ. Idem cum proportione dicendum est de materia & forma Sacramenti matrimonij ; Ecclesia enim, prohibendo matrimonia clandestina, non mutavit formaliter, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

materialiter tantùm, materiam & formam Sacramenti matrimonij, faciendo quod contractus consensu clandestino factus, non sit ampliùs legitimus, id est legibus Ecclesiasticis conformis, & reddendo personas sic contrahentes, inhabiles ad matrimonium. Neque novum est quod Ecclesia hac potestate usa fuerit, nam olim in Ecclesia matrimonia erant irrita contracta inter consanguineos usque ad septimum gradum, sine dispensatione; postea verò Ecclesia restrinxit usque ad quartum gradum, unde fecit ut matrimonium inter consanguineos in quinto gradu, quod olim non erat Sacramentum, modò sit Sacramentũ reddendo personas habiles ad contrahendum. Ex his patet solutio ad primam difficultatẽ.

55. Ad secundam verò respondeo, de jure quidem naturæ esse quod contractus legitimus, sit matrimonium, sed quod contractus legitimus sit, non solùm à jure naturali, sed etiam à jure positivo civili & Ecclesiastico dependere; quia cùm matrimonium, ut suprà dicebamus, non solùm sit in officium naturæ, sed etiam in bonum Reipublicæ Christianæ & sæcularis, non solùm statuitur jure naturæ, sed etiam legibus Ecclesiasticis & civilibus subditur; unde jure canonico & civili aliquæ conditiones statui possunt, ex quorum defectu contractus matrimonialis fiat irritus, subindeque non sit elevabilis ad rationem Sacramenti.

§. III.

Resolvuntur aliæ difficultates, seu casus conscientiæ, circa matrimonia clandestina, & prædictum Concilij Tridentini decretum.

56. QUæres primò, quid intelligatur nomine Parochi vel Ordinarij, cujus præsentia ad valorem matrimonij à Tridentino requiritur?

Respondeo nomine Parochi vel ordinarij, non solùm intelligi Parochum in tota sua Parochia, sed etiam Episcopum in tota diœcesi, Archiepiscopum in tota provincia, dum visitat actu, vel causa ad eum per appellationem devoluta est, Summum Pontificem in toto orbe, Legatum Summi Pontificis in tota sua provincia, Vicarios generales Episcoporum in spiritualibus, & Capitulum Cathedrale, sede vacante, in tota diœcesi, & denique eos qui habent jurisdictionem Episcopalem, respectu eorum in quos eam habent, ut Capitula quædã, & Abbates exempti.

57. Quæres secundò, an necessarium sit quod Parochus matrimonio assistens sit Sacerdos?

Respondeo id non esse necesse, sed sufficere ut habeat titulum & officium Parochi, sicut expressè declaravit Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum anno 1593. ut refertur in declarationibus capitis primi decreti de reformatione matrimonij. Ubi etiam dicitur, nomine Parochi intelligi eos qui obtinuerunt Parochiale beneficium, licèt ad Sacerdotium nondum promoti sint, quia nondum expiravit annus illis concessus, ut curent promoveri. Si tamen Parochus alterum velit subdelegare ut assistat matrimonio, non potest subdelegare eum qui non est Sacerdos, quia Tridentinum prædicto decreto de reform. matrimonij ait: *Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit &c.*

58. Quæres tertiò, qualis debeat esse præsentia illa Parochi & testium?

Respondetur non sufficere naturalem, quomodo bestiæ possunt esse præsentes, sed necessariam esse humanam & moralem, quâ scilicet adsint non tantùm corpore, sed etiam sciant & advertant quid agatur. De testibus constat, non possunt enim alioquin testificari de re gesta. De Parocho autem major adhuc est ratio, quia debet adesse ut repræsentans personam Ecclesiæ ut cognoscentis rem quæ geritur, ut sic dici possit matrimonium contrahi in facie Ecclesiæ. Sed

59. Quæres quartò, quid dicendum, quando Parochus & testes sunt præsentes per violentiam?

Respondeo quoad testes, quantumvis sint ibi per violentiam, validum esse matrimonium; quia ad rationem testis qui possit testificari, satis est quod advertat & intelligat. Quantùm verò ad Parochum, licèt stando præcise in littera Concilij, videatur requiri quod Parochus sit præsens voluntariè; videtur enim Concilium requirere quod adsit non ut testis, sed ut Parochus, exercens suum officium, atque adeò ut approbans; tamen stando declarationi Congregationis Cardinalium, qui habent authoritatem à Summo Pontifice interpretandi Concilium Tridentinum, certum esse debet, quod etiam si Parochus sit ibi per violentiam, erit tamen validum matrimonium; ita enim sacra hæc Congregatio declaravit expresè loco suprà citato, in hæc verba: *Congregatio Concilij censuit, matrimonium coram Parocho & testibus contractum, nisi aliud obstet, validum esse; quamvis Parochus invitus interfuerit, & alia de causa, quàm ut matrimonio interesset, à contrahentibus accersitus fuerit, cùm tamen ad actum matrimonialem, verè & formaliter fuerit adhibitus.* Alias declarationes refert ex Farinacio Basilius Pontius lib. 5. de matrim. cap. 21. quarum prior affirmat valere matrimonium. *Dummodo Parochus sit præsens, & intelligat id quod agitur, licèt dissentiat, & contradicat: adhibitus verò Parochus intelligitur, etiamsi ex alia causa vocatus sit, dummodo sit adhibitus ad illum effectum.* Posterior verò est hujusmodi: *An verò si invitus & compulsus per vim adsit Parochus, etiam contrahatur matrimonium, & præcedente supradictâ prohibitione Ordinarij, tale matrimonium subsistat? Congregatio respondit, subsistere.*

60. Quæres quintò, an matrimonia celebrata sine proclamationibus, sint clandestina?

Respondeo negativè, dummodo fiant coram Parocho, & duobus vel tribus testibus: Illud enim in jure censetur clandestinum, quod fit clam, & non coram Ecclesia, cui subinde juridicè constare non potest: At matrimonium coram Parocho & testibus celebratum, non fit clam, sed coram Ecclesia, cui per legitimos testes constare juridicè potest: Ergo non censetur clandestinum, quamvis sine proclamationibus celebretur. Unde omissio proclamationum non reddit matrimonium irritum, etiam post decretum Tridentini, ut expresè declaravit Congregatio Cardinalium ad cap. 1. Decreti de reform. matrim. num. 2. in hæc verba: *Congregatio censuit, matrimonium contractum, non præmissis denuntiationibus, nisi aliud obstet, irritum non esse.* Ex quo intelliges, antiquum jus in Lateranensi sancitum, quo matrimonium sine præviis denununtiationibus celebratum, subjiciebatur pœnis matrimonij

matrimonij clandestini, ut constat ex cap. *Finali*, de clandest. despon. sumpto ex Lateranensi, fuisse per Tridentinum correctum & irritatum; nam hoc ipso quod matrimonio præscripsit formam, per quam efficitur Ecclesiæ juridicè notum, nempè quod celebretur coram Parocho & duobus vel tribus testibus, sustulit ab eo sic contracto clandestinitatem, & consequenter pœnas matrimoniis clandestinis statutas, inter quas præcipua est ejus irritatio & invalidatio.

61. Peccant tamen graviter, qui sine dispensatione, vel legitima causa excusante, non præmissis proclamationibus, matrimonium contrahunt; quia est res gravis, & Tridentinum prædicto de reformatione matrimonij decreto, cap. 1. strictissimè præcipit, ut tales proclamationes celebrationi matrimonij præmittantur. Verba ejus hæc sunt: *Sacri Lateranenſis Concilij, sub Innocentio III. celebrati, vestigiis inhærendo, præcipit (sancta Synodus) ut imposterum antequam matrimonium contrahatur, quod à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia, inter Missarum solemnia, publicè denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum ad celebrationem matrimonij, in facie Ecclesiæ celebretur.*

62. Quæres sextò, an matrimonia filiorum familias, sine consensu parentum, præsertim patris, contracta, irrita sint?

Respõd. talia matrimonia esse valida, licèt in Gallia edictis regiis prohibita sint subindeque illicita.

Prima pars hujus resolutionis constat primò ex Tridentino, decreto de reform. matrim. cap. 1. ubi sic dicitur: *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit, ac proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera & rata esse negant; quique falsò affirmant, matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse, &c.* Constat secundò, exemplo Tobiæ, qui inconsulto patre contraxit matrimonium cum Sara, filia Raguelis, quod fuit acceptum & gratum Deo, & Angelo Raphaëli, hujus matrimonij paranympho. Similiter Esaü Genes. 27. duas uxores duxit, sine consensu patris, quod evidens argumentum est, matrimonia filiorum familias sine consensu parentum inita, non esse jure naturæ irrita. Quod verò jure canonico non irritentur, constat authoritate Summorum Pontificum, Nicolai I. in responsis ad consulta Bulgarorum cap. 3. & refertur can. *sufficiat* 27. Innocentij III. capite *Cùm apud*, cap. *Tuæ fraternitati*, cap. *Tua nos*, de sponsal. Alexandri III. cap. *Cùm locum*, eodem titulo. Similiter ea non esse jure civili irrita, docet antiquissimus Jurisconsultus Paulus in lib. sent. dicens quod non debent contrahi matrimonia sine voluntate patris, sed contracta non solvuntur, quia contemplatio publicæ utilitatis, privatorum commodis præfertur. Unde non sunt audiendi quidam juris civilis Doctores, contrarium sentientes.

63. Ratio etiam suffragatur, ut enim docet S. Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 5. in corp. licèt pater habeat jus dirigendi per imperium actiones domesticas filij, & filius teneatur ei obedire; tamen non habet in suo dominio naturales filij potentias & facultates, qualis est potentia generativa, unde filius jure naturæ potest sine consensu patris de tali facultate disponere, eamque alteri tradere, per contractum matrimonialem. Verba S. Doctoris sunt: *Tenetur homo homini obedire in his quæ exteriùs per corpus sunt agenda, in quibus tamen secundùm ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solùm Deo, quia in his omnes homines naturâ sunt pares, putà in his quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem. Unde non tenentur nec servi dominis, nec filij parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi. Sed in his quæ pertinent ad dispositionem actuum & rerum humanarum, tenetur subditus suo superiori obedire secundùm rationem superioritatis, sicut miles Duci exercitûs, in his quæ pertinent ad bellum; servus domino, in his quæ pertinent ad servilia opera exequenda; filius patri, in his quæ pertinent ad disciplinam & curam domesticam.*

64. Secunda verò pars nostræ resolutionis, quæ asserit matrimonia filiorum familias sine consensu patris, in Gallia, edictis regiis esse prohibita, constat, nam Henricus III. Galliarum Rex Christianissimus, in comitiis regni Blesensibus art. 40. ea strictissimè prohibuit, & contra filios sine consensu patris matrimonium contrahentes, has pœnas statuit: Primò ut jure exhæredes fieri possent. Secundò, ut liceat parentibus jam factas donationes revocare. Tertiò, ut ob id exhæredati liberi, omnia lucra amittant, quæ illis vi consuetudinis aut pacti matrimonialis deferebantur. Demum statuit, quod intervenientes huic matrimonio, pœnâ arbitrariâ plectantur, & Notarius, ac testes, pœnâ capitis puniantur. An verò talia matrimonia in Gallia sint non solùm illicita, sed etiam irrita & invalida, & priventur ratione & dignitate sacramenti, dicemus infra, cùm resolvemus, an Principes sæculares habeant potestatem impediendi quod aliqui contractus matrimoniales ad dignitatem & rationem sacramenti pertingant?

65. Quæres septimò, an ita verum sit, matrimonia clandestina, post decretum Tridentini, esse irrita, ut in nullo prorsus casu valida sint?

Respondeo multos recenseri casus, in quibus talia matrimonia censentur valida, non obstante Tridentini decreto, sed ex illis duos tantùm vel tres video probabiles. Primus est, si fideles contrahant in facie Ecclesiæ, sed invalidè, propter occultum impedimentum; postea cognito impedimento possint occultè contrahere, vel renovando consensum, vel si vir maritali affectu uxorem cognoscat, & in tali casu matrimonium illud licèt clandestinum, validum est, ut à Pio V. declaratum fuisse testatur Navarrus cap. 22. Manualis n. 70. & Petrus Ledesma quæst. 45. art. 5. affirmat Cardinales Congregationis ita declarasse, seque illam declarationem vidisse. Contrarium tamen sentiunt non pauci cum Pontio lib. 5. cap. 6. propter declarationem Clementis VIII. art. præcedenti, paragrapho 2. in fine adductam, quâ asserit, cùm matrimonium ab initio fuit invalidum, ut revalidetur, necessarium esse consensum utriusque conjugis, coram Parocho & testibus. Sed Clementem cum Pio conciliare conatur Amicus hic disp. 7. sect. 13. n. 131. dicens utràque sententiam esse in praxi tutâ ac securam, istam esse tutiorem, & alteram probabiliorem, subindeque potuisse ex diverso fundamento utramque sententiam ab utroque Pontifice in praxi servandam

Universidad de Deusto
Biblioteca

præscribi, primam ut probabiliorem, secundam ut tutiorem.

66. Secundus casus qui ab aliquibus probabilis reputatur, est quando quis per totam vitam habitavit cum concubina, quæ reputabatur ejus uxor, ex qua etiam plures liberos suscepit; postea verò dum ægrotaret, publicè detegitur non fuisse veram ejus uxorem, atque adeò filios esse illegitimos; unde ipse morti propinquus vocat Parochum, qui vel abest, vel non potest inveniri; si tunc coram quinque vel septem testibus contrahat, ut filij fiant legitimi, probabile reputant aliqui, validum esse matrimonium, licèt alij oppositum probabilius existiment.

67. Tertiò, matrimonia clandestina valida sunt, si contrahantur in iis locis in quibus Tridentini B constitutio non est recepta, licèt contrahentes peregrini sint, & in eorum patria talis constitutio sit recepta, imò licèt de industria, eò se contulerint, ut validè contraherent, sicut ait Pontus lib. 5. cap. 9. post Sanchem & alios. Item si duo contrahentes clandestinè, sint diversarum parochiarum, in quarum una publicatum fuerit decretum Tridentini, non verò in altera, valet matrimonium, si fuit celebratum in ea parochia, in qua decretum nondum fuit receptum, ut declaravit Congregatio Cardinalium ad caput 1. Decreti de reformatione matrimonij, & in responsione data Episcopo Antuerpiensi, quam refert Sylvius hìc ad quæst. 45. art. 5.

68. Demum quando Parochus simpliciter haberi C non potest, vel non potest haberi sine maximo vel ipsius Parochi, vel contrahentium periculo, validum est matrimonium in absentia Parochi contractum, ut constat ex decisione ejusdem Congregationis Cardinalium, quæ consulta ab Episcopo Tricariensi, circa formam matrimoniorum, quæ in partibus Hollandiæ, Zelandiæ, & Frisiæ contrahuntur, examinatis ac perpensis rationibus sibi ab Episcopo propositis, postquam declaravit, irrita esse matrimonia hæreticorum, celebrata coram Ministro hæretico, vel Magistratu, in loco ubi Tridentinum est publicatum, subjungit: *Si verò parochia, in qua fuit aliquando observatum decretum proprio Parocho careat, & cathedralis itidem Episcopo, & Capitulo, habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices Parochi aut Episcopi suppleat, matrimonium valet absque præsentia Parochi, servatâ tamen, in eo in quo potest, formâ Concilij, nempè adhibitis saltem duobus testibus. Si verò extent quidem Parochus & Episcopus, sed nullo constituto Vicario, uterque metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur ubi sit, vel eodem metu à Diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium contractum absque Parocho, adhibitis tamen duobus testibus.* D

E

ARTICULUS IV.

An, & quo jure, matrimonium factum ex metu gravi, seu in virum constantem cadente, irritum sit?

§. I.

Quibusdam præmissis, utraque difficultas resolvitur.

69. SUppono primò, metum sic definiri ab Ulpiano ff. de eo quod metûs causâ, *est instantis periculi, vel futuri mali, mentis trepidatio*, quæ definitio omni metui convenit. Omissis autem variis metûs divisionibus, quæ ad nostrum institutum non pertinent, communi divisione metus dividitur in levem & grâvem, qui etiam cadens in virum constantem appellatur, cap. *Veniens* 2. & cap. *Consultationi*, de sponsal. & est ille qui versatur circa malum grave, cujusmodi est mors, mutilatio, perpetuum exilium, diuturnus carcer, defectio à proprio statu, amissio omnium aut notabilis partis bonorum, idque non tantùm respectu propriæ personæ, sed etiam conjunctorum consanguinitate, affinitate vel arctâ amicitiâ, ut notat Sanctus Thomas in 4. dist. 29. quæstione unicâ articulo 2. ad 2. Nec C satis est ut versetur circa malum grave ex falsa imaginatione apprehensum, sed debet reipsa esse tale, ut definitur l. *Nec timorem* 7. ff. *De eo quod metûs causâ*, ubi sic dicitur: *Si quis meticulosus rem ullam frustra timuerit, per hoc edictum non restituitur, quoniam neque vi, neque metûs causâ factum est.* Docet etiam D. Thomas hic quæstione 47. art. 2. ad metum gravem & in virum constantem cadentem, non sufficere quod versetur circa malum grave, quod reipsâ sit tale, & non ex falsa imaginatione, sed insuper requiri quod illud malum sit gravius eo quod eligitur ad illud evitandum: *Quia* (inquit) *constans sequitur rationem rectam, per quam scit quid pro quo dimittendum sit vel faciendum: semper autem minus malum, vel majus bonum eligendum est, & ideò constans ad minus malum sustinendum cogitur metu majoris mali; non autem cogitur ad majus malum, ut vitet minus malum.* Ex D qua doctrina sequitur primò, nullius mali temporalis metum, ad quodcumque peccatum committendum incussum, esse gravem, & cadentem in constantem virum; cùm quodcunque malum temporale, cum quovis peccato etiam veniali comparatum, sit longè minus. Unde Daniel. 13. Susanna ab impudicis senibus sollicitata, maluit mortem eligere, quàm eorum desiderio consentire. *Ingemuit Susanna* (inquit sacer textus) *& ait: Angustiæ sunt mihi undique, si enim hoc egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Sequitur secundò, quod si alicui intentetur amissio notabilis partis bonorum, nisi consentiat in matrimonium, ex quo longè pejora mala obventura timet, talis metus gravis non est, nec cadens in virum constantem, cùm constantis viri sit ex duobus malis, minus eligere.

70. Suppono secundò, metum gravem, sive in virum constantem cadentem, posse inferri à duplici

plici causa, videlicet à causa naturali, ut à naufragio, à peste, à gravi infirmitate; vel à causa libera & extrinseca, ut ab alio homine. Rursus metum illum gravem, qui infertur à causa libera extrinseca, posse inferri dupliciter, justè nimirum, vel injustè. Justè, si Judex v. g. comminetur mortem homicidæ, nisi ut satisfaciat parti, ducat in uxorem filiam & consanguineam occisi. Injustè verò, si persona privata metum illum incutiat. Item metum illum posse inferri, vel ad extorquendum consensum in matrimonium, & tunc per se ordinatur ad matrimonium; vel non ad extorquendum consensum in matrimonium, sed in aliquid aliud, & tunc non nisi per accidens ad matrimonium ordinatur: v. g. si quis ex metu latronis, accipiat in uxorem filiam viri fortissimi, qui illum à latronibus defendat. His positis, pro resolutione difficultatis propositæ,

71. Dico primò, Nullus metus, quantumvis gravis, si à causa naturali proveniat, irritat matrimonium. Patet conclusio in eo qui metu mortis naturalis imminentis, vel ex metu inferni, ducit in uxorem eam quam habuit concubinam; certum est enim, tale matrimonium esse validum, sicut & vota quæ ex metu naufragij, vel imminente alio gravi periculo fiunt, omnium consensu valida sunt; quia nimirum in his casibus nulla est coactio, cùm nulla vis inferatur; nec ulla tunc fiat injuria voventi, vel matrimonium contrahenti.

72. Dico secundò, non irritari matrimonium à gravi metu, justè à causa libera incusso. Patet etiam, tum quia nulla tunc fit injuria contrahenti, tum etiam quia ita sæpè fit in Republica Christiana; Ecclesia enim per excommunicationem cogit nolentes adimplere sponsalia, & Judex adolescenti de stupro virginis convicto, comminatur mortem, nisi eam in uxorem ducat.

73. Dico tertiò, Non irritatur matrimonium gravi metu injustè incusso à causa libera, si talis metus non sit concussus ad extorquendum consensum in matrimonium, sed ob alium finem, D seu ad aliam rem injustè extorquendam. Hæc etiam conclusio est manifesta, valet enim votum factum Deo ad vitandam mortem intentatam à latrone, non in finem extorquendi tale votum, sed pecunias: Ergo similiter, valebit matrimonium, si latro metum incutiat viatori ad pecuniam extorquendam, & viator ut præsentem redimat vexationem, spondeat ipsius filiam se in uxorem ducturum. Item si Judex contra allegata & probata ad mortem damnet reum, qui ut ab injusta morte se liberet, Judicis filiam ducit, validum est matrimonium. Similiter si maritus adultero in delicto deprehenso, propriâ authoritate mortem minatur, ad cujus iram placandam, adulter in uxorem ducit mi- E nantis filiam, valet matrimonium. Demum quando aliquis injustè detentus in carcere, alia de causa, & ob alium finem, ducit in uxorem filiam ejus à quo detinetur, spe libertatis obtinendæ, aut quando Princeps bello licèt injusto ab altero vexatus, petit ipsius filiam, & in uxorem ducit, propter bonum pacis, matrimonium, omnium consensu, validum est.

74. Dico quartò, Omnis metus gravis, ad extorquendum consensum injustè incussus, irritat matrimonium. Ita communiter Theologi, Ca-

A nonistæ, & Jurisperiti, & constat ex cap. *Cùm locum*, 14. & cap. *Veniens*, 15. de sponsalibus, & cap. *de eo qui duxit*, &c. Idque verum est in utroque foro, quia hæc jura absolutè dicunt, eum qui ita contraxit, validè cum secunda contrahere, licitéque cum ea permanere, quod falsum esset, nisi primum matrimonium absolutè in utroque foro esset irritum.

Nec valet si dicas, jura id dicere, quia præsumunt metu coactum non consensisse, sed finxisse. Nam contra est primò, quod oppositum patet ex cap. *Significavit*, ibi enim Pontifex disertè significat, eum qui consensit in unam, sed per vim & non sponte, validum cum altera matrimonium contraxisse. Secundò, ut arguit D. B Thomas hìc quæstione 47. articulo 7. in corp. Ecclesia nunquam præsumit peccatum de aliquo, nisi probetur: Præsumeret autem peccatum mendacij, si existimaret eum qui coactus est non consensisse, quando dixit se consentire. Tertiò, Ecclesiæ præsumit suscipientem aliquod aliud Sacramentum ex metu gravi, verè consensisse, nisi certò constet de opposito, ut patet ex cap. *Majores*, de Baptismo, paragrapho *Item quæritur*: Ergo idem est dicendum à fortiori de matrimonio. 75.

Ratio autem ob quam Ecclesia matrimonia ex 76. gravi metu contracta statuit esse nulla, fuit, quia cùm vinculum matrimonij sit perpetuum & in- C dissolubile, Ecclesia voluit quod ejus celebratio esset ita libera & spontanea, ut ad eam aliena vi & injuriâ nemo cogatur. Qua etiam de causa irritat vota solemnia Religionis, facta ex metu cadente in virum constantem. Non irritat autem Baptismum ex eodem metu susceptum, tum quia, cùm sit Sacramentum, non subjacet dispositioni juris Ecclesiastici, sicut matrimonium, quod non solùm habet rationem Sacramenti, sed etiam contractûs naturalis & civilis: Tum etiam, quia cùm baptizatus ad illum merè passivè se habeat, non requiritur ex parte illius ita perfectum & exactum voluntarium, sicut in contrahente matrimonium, aut emittente vota solemnia Religionis, ut rectè observavit Sanctus Doctor hic quæstione 47. articulo 3. ad 1.

Dico ultimò, matrimonium gravi metu injusto contractum, non esse irritum jure naturali, sed tantùm Ecclesiastico. Est contra Pontium lib. 4. cap. 14. Mœratium disput. 7. sectione 8. & alios, existimantes, talia matrimonia jure naturæ irrita esse.

Probatur conclusio ratione fundamentali: 77. Metus gravis, injustus, neque defectu plenæ libertatis, neque ratione injuriæ quam infert, tollit naturam consensûs ad matrimonium essentialiter requisiti: Ergo illum non irritat jure naturæ. Consequentia patet, si enim illum jure naturali irritaret, altero ex his capitibus id præstaret. Antecedens verò quoad utramque partem suadetur. In primis enim quod ipsum non irritet ex defectu libertatis, patet ex eo quod idem libertatis defectus reperitur in metu gravi justo, ex causa naturali vel libera proveniente, & in metu gravi injusto, ad alium finem quàm ad extorquendum consensum incusso; & tamen triplex ille metus non irritat matrimonium, ut tribus primis conclusionibus ostensum est: Ergo metus gravis, ad extorquendum consensum injustè incussus, jure

Universidad de Deusto
Biblioteca

naturæ non irritat matrimonium, ex defectu plenæ libertatis.

78. Quod verò ipsum jure naturæ non irritet, ratione injuriæ quam infert, probatur; tum quia tanta injuria infertur meticuloso per metum levem, quanta homini forti per metum gravem; & tamen metus levis etiam cadens in virum meticulosum, non irritat jure naturæ matrimonium. Tum etiam, quia, saltem in matrimonio gravi metu injusto ad alium finem incusso, reperitur injuria gravis, quæ tamen matrimonium non irritat, & dominij proprij corporis translationem non impedit, ut conclusione tertiâ variis exemplis declaravimus. Addo quod, in aliis contractibus gravi metu injusto celebratis, gravis infertur injuria, quâ non obstante sunt validi, & efficaces ad dominium transferendum: Ergo metus gravis injustus non irritat jure naturæ matrimonium, ratione injuriæ quam infert.

§. II.

Solvuntur objectiones.

79. CONtra tres primas conclusiones nullum militat argumentum alicujus momenti, sed contra quartam objicitur primò: Si omnis metus gravis, ad extorquendum consensum injustè incussus, irritet matrimonium, sequitur injustè oppressum peccare mortaliter peccato mendacij & sacrilegij, proferendo verba ista, *Ego te accipio in meam:* Sed hoc videtur absurdum: Ergo & illud. Sequela Majoris videtur manifesta, injustè enim oppressus, proferendo illa verba loquitur contra mentem, subindeque mentitur in materia gravi. Item profert formam sacramentalem Sacramenti matrimonii supra materiam indebitam, subindeque illudit Sacramento, & sacrilegium committit, sicut ille qui metu mortis aliquem indispositum absolvit.

80. Respondeo negando sequelam Majoris, quoad utramque partem: In primis enim, quoad peccatum mendacij, contrahens qui illa verba, *Accipio te in meam*, profert ex metu gravi, injustè illato à causa libera, tripliciter se habere potest in eorum prolatione; Primò ita ut non consentiat in matrimonium, & tamen intendat ea proferre in sensu formali; & tunc sine dubio peccat, peccato mendacij, quia loquitur contra mentem, quamvis fortasse illud peccatum non sit mortale, ob metum gravem injustè illatum; sicut quando Judex injustè procedit, mentiri in judicio, non est mortale. Secundò potest contrahens ita proferre verba illa, ut non intendat ea dicere in sensu formali, sed tantùm materiali; & tunc non mentitur, quia nihil dicit contra mentem, nec tenetur loqui juxta intentionem cogentis, quandoquidem supponimus quod injustè cogitur, & non obligatur aliunde erga fœminam, ad eam ducendum in uxorem. Tertiò potest contrahens proferre verba illa cum intentione sensûs formalis significationis eorum, & consensu in matrimonium, quantùm fieri potest ex parte sua præcisè, & tunc etiam non peccat peccato mendacij, quia nihil dicit contra suam mentem; illa enim verba faciunt tunc hunc sensum, contraho tecum, quantùm est ex me, sive pono quidquid requiritur ex parte mea, ad contrahendum tecum.

81. Similiter contrahens matrimonium ex gravi metu, non peccat peccato sacrilegij; nam vel bonâ fide existimat se validè contrahere, & perficere matrimonij Sacramentum, licèt metu coactum, & tunc bona fides, seu ignorantia invincibilis ipsum excusat à peccato; vel contra novit contractum esse invalidum, subindeque non perfici matrimonij Sacramentum, & sic non peccat etiam, nec facit contra reverentiam hujus Sacramenti, qui gravi metu adactus profert verba consensum significantia, simulando se consentire, vel etiam verè significando se consentire quantùm potest; quandoquidem tunc non intendit facere Sacramentum, nec profert illa verba ut formam Sacramenti, neque ponit illius materiam, sed se habet ad instar illius qui repræsentandi causâ ablueret, & proferret in theatro verba Baptismi; vel qui discendi causâ, seque exercendi in modo celebrandi Missam, proferret verba consecrationis super Hostiam chartaceam, sine intentione consecrandi.

82. Addunt aliqui, quod licèt graviter peccet Sacerdos, qui metu mortis aliquem indispositum absolvit, non tamen qui metu gravi coactus, matrimonium contrahit; quia ille consentit ei qui directè aliquid impium & sacrilegium petit, subindeque externum sacrilegium committit; secùs verò iste, quia ab incutiente metum, matrimonium directè tantùm petitur, quatenus est contractus, non autem quatenus Sacramentum: intendere verò facere contractum matrimonij, qui nullus est jure Ecclesiastico, non est peccatum sacrilegii, cùm talis contractus non sit Sacramentum, eò quòd Christus validum duntaxat matrimonii contractum, ad dignitatem Sacramenti elevaverit.

83. Objicies secundò contra secundam conclusionem: Illud irritat matrimonium jure naturali, quod reddit ipsum involuntarium, seu voluntati repugnans, cùm sit de ratione & natura contractûs matrimonialis, quod sit liber & voluntarius: Sed coactio ex gravi metu injustè incusso proveniens, facit quod matrimonium sit involuntarium, seu voluntati repugnans: Ergo reddit ipsum irritum jure naturæ.

84. Respondeo primò, retorquendo argumentum in Adversarios, non minùs enim est coactum & repugnans voluntati matrimonium irritum ex metu mortis justè incusso, quando scilicet Judex metu suspendii corruptorem virginis cogit, ut eam ducat, quàm metus injustè incussus ejusdem aut minoris mali. Et tamen prima illa coactio non irritat matrimonium jure naturali, ut fatentur Adversarij: Ergo non est sufficiens fundamentum in secunda coactione, ut matrimonium dicatur esse nullum jure naturæ. Quod enim justè vel injustè incutiatur, non facit ut minùs repugnet voluntati, & plenæ libertati, vel ut minùs perterrefaciat virum constantem.

85. Respondeo secundò, distinguendo Majorem: Illud irritat matrimonium jure naturali, quod reddit ipsum involuntarium simpliciter, concedo Majorem. Quod reddit ipsum involuntarium tantùm secundùm quid, nego. Similiter distinguo Minorem: Coactio ex gravi metu injustè incusso facit matrimonium involuntarium, secundùm quid, concedo: simpliciter, nego; ut enim cum Aristotele 3. Ethic. cap. 1. ait S. Thom. 1. 2. quæst. 6. art. 6. actiones quæ ex metu fiunt, etsi ex voluntario & involuntario mixtæ sint, simpliciter

simpliciter tamen dicendæ sunt voluntariæ, quia hic & nunc eas liberè volumus, eligentes illas ut minus malum, ad vitandum majus; fiuntque à principio intrinseco cognoscente singula in quibus est actio; unde non competit illis ratio violenti, quod est à principio extrinseco, nullam vim conferente passo. Cùm ergo voluntarium mixtum sufficiat ad actum humanum, sufficit etiam ad matrimonium, spectato jure naturæ, & essentia matrimonij, ut constat ex reliquis contractibus metu celebratis, licèt jure positivo debeant in irritum revocari, ut habetur capite *Abbas*, de iis quæ vi metûve causâ.

Dices, Matrimonium, cùm sit vinculum quoddam mutui atque perpetui amoris, & animorum corporumque conjunctio, debet esse plenè voluntarium & liberum: Ergo ad illud non sufficit voluntarium mixtum.

86. Respondeo, distinguendo Antecedens: Debet esse plenè voluntarium & liberum, connaturaliter, concedo, essentialiter, nego: nam voluntarium mixtum sufficiens est ad transferendum dominium corporis unius conjugis in alium. Addo, consensum metu extortum esse plenè voluntarium ex parte sui, id est cum plena & perfecta deliberatione elicitum, & esse diminutum solùm ex parte objecti, quatenus scilicet illud tantùm vult secundùm aliquam considerationem, nempè prout valet ad vitandum cruciatum, aut aliud grave malum; hunc verò consensum ex parte objecti diminutum, non repugnare essentiæ matrimonij, constat ex eo quod non minùs diminutè ex parte objecti consentit, qui consentit in aliquam, quia dives est, licèt sit deformis, vetula, querula, aliisque vitiis & defectibus obnoxia; & tamen, omnium consensu, tale matrimonium validum est.

87. Objicies tertiò: Coactio repugnat naturæ illius contractûs, qui ex se perpetuam & indissolubilem obligationem inducit, cùm nihil coactum & violentum sit perpetuò durabile: Sed matrimonium est contractus perpetuam & indissolubilem obligationem inducens: Ergo coactio ex gravi metu injustè incusso proveniens, repugnat naturæ matrimonij, subindeque illud jure naturali dissolvit. Unde D. Thomas hîc qu. 47. art. 3. ad 2. sic ait: *Ad matrimonium non sufficit quodcunque voluntarium, sed voluntarium completè, quia debet esse perpetuum, & ideò per violentum mixtum impeditur.* Et in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. in corp. *Dicendum* (inquit) *quod vinculum matrimonij perpetuum est, unde illud quod perpetuitati repugnat, tollit matrimonium. Metus autem qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractûs tollit, quia potest peti restitutio in integrum; & ideò hæc coactio tollit matrimonium, & non alia.*

88. Respondeo primò, idem argumentum fieri posse de matrimonio inito ex metu mortis justè incusso, cùm illud non minùs sit perpetuum, nec minùs indissolubilem obligationem inducat, quàm illud quod ex metu mortis injustè incusso contractum est.

Respondeo secundò, ex eo quod matrimonium sit vinculum perpetuum, & indissolubilem obligationem inducat, solùm colligi, coactionem ex metu gravi injustè incusso provenientem, repugnare illi connaturaliter, non tamen essentialiter; perpetuum enim esse potest, id est ad vitam, quod coactum est, & contra voluntatem; ut patet in carcere perpetuo, aut servitute. Unde

A D. Thomas locis citatis non dicit coactionem suâ naturâ irritare matrimonium, sed affert solùm causam seu rationem quæ movit Ecclesiam ad illud irritandum, quia scilicet convenit naturæ illius contractus fieri sine violentia & coactione, gravesque solent exitus oriri ex matrimoniis cogente gravi metu contractis.

Objicies quartò: Jus naturæ dictat, ut omnis injuria resarciatur eodem modo, seu in eodem genere bonorum, quo illata est: Ergo cùm injuria injusto metu matrimonio illata, non possit aliter reparari, quam per ejus dissolutionem, jus naturæ dictat, dissolvendum esse matrimonium, metu injusto contractum. 89.

Respondeo negando Antecedens, universaliter sumptum; sunt enim multæ injuriæ quæ non possunt, atque adeò non debent, resarciri in eodem bonorum genere in quo factæ sunt: si quis enim fide datâ de matrimonio, corrumpat virginem, & mox aliam ducat in uxorem, injuria gravissima priori illata, non resarcitur irrito posteriori matrimonio, utpotè quod eo non obstante est validum, & consequenter perpetuum. Item jus naturæ dictat resarciendam esse injuriam ab homine qui alium mutilavit, sed non per restitutionem membri quod semel abscissum reparari non potest, sed aliis viis ac modis. Idem dicendum in proposito, jus enim naturæ dictat quidem reparandam esse injuriam, injusto metu matrimonio illatam, sed non per ejus dissolutionem, cùm illud semel validè contractum dirimi non possit, sed aliis modis quo talis injuria reparari potest, putà celebrando de facto matrimonium, illudque revalidando, si pars altera violentiam passa, velit posteà liberè consentire. 90.

Objicies quintò: Donatio quæ fit latroni per metum cadentem in virum constantem, nulla est, etiam stando in jure naturæ; & votum simplex vel solemne, per metum in virum constantem cadentem emissum, est invalidum, etiam jure naturæ; cùm Ecclesia non habeat potestatem ea quæ sunt de jure naturæ irritandi, & tamen irritet omnia ejusmodi vota: Ergo etiam matrimonium ex eodem metu contractum, jure naturæ invalidum erit. 91.

Respondeo negando Antecedens, quoad utramque partem; donatio enim quæ fit latroni propter metum gravem, non est etiam ipso jure humano irrita & nulla, sed venit rescindenda per Judicem, in quo differt à matrimonio, quod ipso jure humano est nullum, si ex illo metu contrahatur, quia cùm inducat vinculum perpetuum, si quando ex gravi metu contrahitur, semel esset validum, non posset rescindi per aliquam potestatem humanam, sicut rescinduntur alij contractus, qui ex sua natura non sunt insolubiles. Similiter votum simplex vel solemne, per metum in virum constantem emissum, non est jure naturali, sed Ecclesiastico tantùm, invalidum. Ad probationem verò in contrarium dico, quòd licèt Ecclesia non habeat potestatem irritandi ea quæ sunt semel valida jure naturæ, benè tamen apponendi aliquas circunstantias, sine quibus sunt invalida, sive sine quibus jus naturæ non tribuit eis valorem, ex quibus una est, quod vota illa non sint per metum gravem extorta. 92.

Objicies sextò: Nullum extat peculiare decretum, quo Ecclesia matrimonia gravi metu injusto contracta irritet, uti fecit cùm matrimonia clandestina antea valida irritavit: Ergo licèt ista 93.

sint

Universidad de Deusto
Biblioteca

sint jure tantùm positivo irrita, illa tamen jure naturæ invalida erunt.

Sed nego consequentiam, sicut enim licèt nullum Ecclesiæ decretum proferri possit, quo matrimonium fidelis cum infideli, id est baptizati cum non baptizata, aut vice versâ, declaretur invalidum, tamen certum est, & fatentur Adversarij, jure solùm positivo irritum esse, quia nimirum, licèt id non habeatur ex peculiari Ecclesiæ decreto, habetur tamen ex traditione Doctorum & Pontificum: ita ob eandem rationem, matrimonia gravi metu injusto contracta, jure positivo irrita sunt, quamvis nullum extet peculiare decretum Ecclesiæ quo irritentur.

94. Objicies ultimò: Si matrimonia gravi metu injusto contracta, jure tantùm Ecclesiastico irrita sint, erunt valida inter infideles, cùm ipsi legibus Ecclesiæ non subsint: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

Respondent Sotus, Henriquez, & alij, negando sequelam; quia (inquiunt) licèt talia matrimonia non sint irrita jure naturæ, sunt tamen invalida jure gentium, quod habet vim apud infideles.

Sed hanc responsionem & doctrinam multi improbant, ex eo quod cùm jus gentium dicatur illud quod ex principiis naturæ cujuslibet rei, per necessariam & evidentem, evidentiâ saltem morali, consequentiam deducitur, quodque proinde sola recta ratio dictat, si matrimonia coacta essent tali jure irrita, sequeretur eorum nullitatem deduci tanquam conclusionem immediatè ex principiis naturæ, & consequenter ex se, sive ex jure naturæ, esse irrita. Unde

Alij respondent negando Minorem, existimant enim, matrimonia ex gravi metu contracta inter infideles esse valida, sicut matrimonia clandestina apud illos valida sunt, cùm ipsi legibus Ecclesiæ talia matrimonia irritantibus non subdantur.

Verùm melius respondetur cùm distinctione dicendo nempè ea esse quidem valida apud infideles, si nullum jus civile ea apud ipsos irritet; invalida verò, si apud illos sit, ut esse potest, lex aliqua civilis ea irritans.

§. III.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

95. EX dictis inferes primò, metum levem injustè incussum non irritare matrimonium: Ecclesia enim non irritat nisi matrimonia gravi metu injustè incusso inita, aliàs omnia in matrimonij contractibus essent incerta, plenaque controversiis & litibus; quia metus levis facilè intervenit, aut etiam fingi ac probari potest. Addo quod, qui levi metu movetur ad contrahendum matrimonium, non est dignus, ut sibi per Ecclesiam subveniatur, cùm facilè potuerit talem metum à se repellere.

96. Inferes secundò, matrimonium ex metu gravi contractum, quantumvis juramento per vim extorto confirmetur, non esse validum; quia juramentum non confirmat actum, jure Ecclesiastico nullum: Sed matrimonium gravi metu injustè incusso contractum, jure Ecclesiastico irritum est, ut suprà ostendimus: Ergo per juramentum vi extortum firmari nequit. Addo quod, si matrimonium metu gravi injustè illato contractum, juramento vi extorto firmaretur, Ecclesia non sufficienter providisset incommodis, quæ ex matrimoniis coactis solent sequi; siquidem facillimum esset cogentibus, non solùm cogere ad matrimonium, sed etiam ad ipsum juramento confirmandum.

97. Dixi, *quantumvis juramento per vim extorto confirmetur*, si enim ille qui metu gravi ad contrahendum matrimonium adactus est, postea sponte juret, se confirmaturum tale matrimonium, titulo religionis tenetur ad validè contrahendum; quia cùm tale juramentum sit sponte præstitum, jurantem constringit ad illud servandum, cùm absque salutis dispendio, & præjudicio tertij, ut supponimus, servari possit. Sicut qui sponte jurat se confirmaturum votum, absque plena libertate emissum, tenetur virtute religionis illud implere. Poterit tamen sponte jurans se confirmaturum matrimonium metu gravi contractum, juramenti relaxationem petere; quia cùm nullum jus ex tali matrimonio sit alteri contrahenti acquisitum, nulla illi fit injuria, si à præstito juramento resiliatur.

98. Inferes tertiò, matrimonium gravi metu injustè illato contractum, non reddi validum, per ejus consummationem, etiam affectu maritali ab eo qui cogitur factam; Ecclesia enim sine ulla exceptione irritat omnia matrimonia facta ex gravi metu à causa libera injustè illato: Unde licèt coactus postea velit matrimonium subsistere, & consentiat in copulam affectu maritali, per hoc tamen matrimonium coactum non fit validum, sed peccat mortaliter, tale matrimonium consummando.

99. Dices: Ecclesia irritat matrimonium coactum, in favorem illius qui cogitur: Ergo si ille velit contrahere, & affectu maritali consentiat in copulam, tale matrimonium, per ejus consummationem, reddetur validum.

Respondeo Ecclesiam irritare ejusmodi matrimonium secundariò tantùm in bonum sive favorem ejus qui cogitur; per se verò & primariò, in favorem boni communis, ad quod ordinatur matrimonium, ut scilicet conjuges commodè possint cohabitare, & prolem educare, quam commoditatem per se loquendo destruit coactio, quæ in matrimonij contractione intervenit.

100. Inferes quartò, quod licèt matrimonium metu gravi injustè extortum, invalidum sit, manet tamen qui vim intulit obligatus ad contrahendum, si pars altera violentiam passa, velit postea liberè consentire: Tum quia Ecclesia irritans tale matrimonium, non intendit favere reo injustè cogenti, sed innocentis tantùm libertati prospicere: Tum etiam, quia qui alium injusto metu compellit ad secum contrahendum, gravem illi injuriam infert, injustè consensum extorquendo in re maximi momenti: Ergo tenetur eam resarcire in eodem genere, si potest; subindeque stare contractui, si alter velit. Unde graviter peccat, qui consensum ab una extorsit, cum altera contrahendo; quia cùm prius fuerit irritum, posterioris validitatem non impedit.

ARTICULUS

ARTICULUS V.

Utrum per consensum conditionatum fiat matrimonium?

101. NOtandum primò, conditionem in eo differre à demonstratione, causa, & modo, quod demonstratio in jure exprimitur per ostensionem qualitatis personæ, ut *duco Mariam, quæ nobilis & dives est*; causa exprimitur per illud quod operantem impellit ad contrahendum, ut *duco Mariam, quia nobilis & dives est*. Modus verò exprimitur per aliquid quod se habet ut finis contrahentis, ut si dicatur, *duco Mariam, ut dives efficiar*, vel *ut dignitatem præsidis obtineam*; conditio autem exprimitur per particulam *si*, vel *dummodo*, ut *do tibi centum, si naves ex India venerint. Duco Mariam, dummodo parentes consentiant*. Unde conditio suspendit dispositionem, ita ut vim non habeat nisi ex futuro eventu: quare definitur à Sylvestro, verbo conditio: *Oratio quâ id omne quod agitur, in futurum eventum suspenditur*.

102. Notandum secundò, conditionem appositam matrimonio, æquè ac aliis contractibus, posse esse multiplicem: unam de præsenti, aut de præterito; aliam de futuro, contingenti, vel necessario. Item conditio potest esse de aliquo possibili, vel impossibili, turpi, vel honesto, aut indifferente, repugnante matrimonio, vel non repugnante. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ,

103. Dico primò: Si quis consentiat in matrimonium sub conditione de præsenti, quæ non contrarietur matrimonio, ut si quis dicat, *Ego contraho tecum si dives es*, stante tali conditione, verum efficitur matrimonium. Si verò apponatur conditio quæ adversetur substantiæ matrimonij, ut si quis dicat, *Accipio te in uxorem, si nolis te obligare ad conjugale debitum*, non fit matrimonium. Ita D. Thomas hic quæst. 47. art. 5. ubi primam hujus conclusionis partem sic probat in argumento *sed contra*: In aliis contractibus fit obligatio sub conditione, & stante conditione (dummodo illa non sit contraria substantiæ aut fini illius.) Ergo cùm matrimonium sit contractus naturalis & civilis, fieri potest sub conditione aliqua de præsenti, dummodo illa substantiæ aut fini matrimonij non adversetur.

104. Ex quo probatur etiam secunda pars: Omnes enim alij contractus in quibus ponitur aliqua conditio contraria substantiæ vel fini contractûs, invalidi sunt jure naturæ: v. g. si quis vendat hac lege & conditione, quod non transferatur dominium rei venditæ, nulla est venditio: item si quis in contractu societatis contrahat hac conditione quod socius sit particeps damni, sed non lucri, talis contractus nullus est: Ergo similiter si quis dicat, *Accipio te in uxorem, si nolis te obligare ad conjugale debitum*, vel *si impedias prolis generationem aut educationem*, matrimonium irritum est, quia pariter illæ conditiones substantiæ vel fini matrimonij adversantur. Unde Gregorius IX. cap. *fin.* de condit. appos. sic ait: *Si conditiones contra substantiam conjugij inferantur, matrimonij contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.*

105. Confirmatur: Matrimonium, cùm per consensum efficiatur, consistere nequit sine consensu in substantialia ipsius: Sed consensus in conditionem contrariam substantiæ matrimonij, tollit consensum in substantialia matrimonij, implicat enim ut quis retento consensu in substantialia matrimonij, simul habeat consensum in aliquid adversum & repugnans substantiæ matrimonij; nam hoc ipso quod vult id quod repugnat substantiæ matrimonij, non vult ipsam: Ergo consensus in conditionem contrariam substantiæ matrimonij, non efficit, sed potiùs destruit ipsum matrimonium. Unde cùm matrimonium ex Dei institutione essentialiter tria includat, nempè perpetuum vinculum, quod præsertim post consummationem nullo modo potest dissolvi; mutuam fidem, sive obligationem non adulterandi, & reddendi debitum conjugale, & obligationem non impediendi generationem, & christianè educandi proiem, si nascatur, quæcumque conditio quæ alicui ex his adversatur, matrimonium irritat.

106. Dices primò: Votum solemne emissum sub conditione contra ejus substantiam, ipsum non irritare, ut colligitur ex cap. *Clerici vel voventes*; ibi enim expresse definitur, votum emissum à muliere, eâ conditione ut haberet propria, & maneret in domo sua, validum fuisse: illa autem conditio contraria est substantiæ voti solemnis, utpotè cùm contrarietur paupertati & obedientiæ, quæ sunt de essentia voti solemnis: Ergo idem dicendum de matrimonio.

107. Respondeo negando Antecedens, & ad probationem ei subjunctam dico, mulierem illam emisisse suum votum cum voluntate retinendi bona quantùm ad usum, ex licentia prælati, quod non contrariatur substantiæ voti & professionis solemnis.

108. Dices secundò: Qui puerum baptizando, aquis immergit, ut eum vitâ & gratiâ regenerante privet, non irritat baptismum, quamvis ipsum detorqueat ad contrarium finem ad quem est à Christo institutus: Ergo similiter qui consentit matrimonio sub aliqua conditione, quæ ejus fini adversatur, putà generationi, vel educationi prolis, ipsum non irritat.

109. Respondeo quod si baptizans nullam intentionem habeat, nisi immergere puerum aquis, ut illum vitâ & gratiâ regenerante privet, nullum efficit baptismum; sin autem cum hac iniqua voluntate intentionem habeat saltem confusam faciendi quod Christus instituit, & Ecclesia facit, validum efficit baptisma, ut in Tractatu de baptismo docuimus; quia per hanc intentionem confusam intendit hoc Sacramentum in ordine ad finem ad quem est à Christo institutum, quod ad validitatem Sacramenti sufficit.

110. Dices tertiò: Inter B. Virginem & S. Josephum fuit verum matrimonium, & tamen cùm B. Virgo ante illud emisisset votum virginitatis, non contraxit, nisi cum conditione nunquam consentiendi in copulam carnalem: Sed hæc conditio repugnat substantiæ matrimonij: Ergo conditio appolita matrimonio, licèt ejus substantiæ adversetur, non irritat illud.

111. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, cùm enim consensus in copulam carnalem non sit de essentia matrimonij, ut suo loco ostendemus, conditio nunquam consentiendi in copulam carnalem, substantiæ matrimonij non adversatur: quodnam verò sit objectum ad quod per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per se primò & essentialiter fertur consensus matrimonialis, dicetur articulo sequenti.

112. Dico secundò : Si quis consentiat in matrimonium, sub conditione de futuro, quæ sit contingens, & honestè fieri possit, non est matrimonium de præsenti, sed tantùm contractus sponsaliorum : v. g. si quis dicat, *duco te in uxorem, si recuperaveris illam domum.* Ratio est, quia ad valorem matrimonij de præsenti, requiritur validus contractus de præsenti, & ad valorem contractûs de præsenti, mutua obligatio de præsenti : quando autem apponitur conditio pendens ex futuro, tunc etiam obligatio pendet ex futuro eventu suæ conditionis, atque adeò non est de præsenti.

113. Dixi verò, cum conditione de futuro, *quæ sit contingens*, si enim conditio de futuro sit necessaria, v. g. si quis dicat, *contraho tecum, si crastinâ die oriatur Sol*, quoad forum externum, validum est matrimonium statim, antequam ponatur conditio; cùm enim talis conditio jam certò existat in sua causa, & necessariò eventura sit in seipsa, non est putandum personam prudentem velle suspendere consensum, donec impleatur, nec aliter ab illa videtur adjici, quàm ut ostendat se jam tam certò contrahere, quàm illa conditio certò futura est. In foro tamen conscientiæ, si contrahens revera haberet animum expectandi eventum talis conditionis, non efficeret matrimonium de præsenti.

114. Si autem quæras, an quando qui consentit in matrimonium sub conditione de futuro contingenti, adimpletâ conditione fiat validum, absque novo consensu, vel necesse sit ut iterum consentiat, impletâ conditione ? Respondeo probabilius esse, & menti S. Thomæ conformius, impletâ conditione, requiri novum consensum de præsenti, actualem, purum, & absolutum ; id enim insinuare videtur S. Doctor in 4. dist. 29. quæst. unicâ art. 3. & hic quæst. 47. art. 5. ubi affirmat, si conditio sit de futuro contingenti, cujusmodi est datio pecuniæ, vel acceptatio parentum, judicandum esse de tali consensu, sicut de consensu qui fit per verba de futuro, unde non facit matrimonium, sed sponsalia : Ergo censet, ut in eo casu matrimonium contrahatur, adimpletâ conditione, poni debere novum consensum, signo aliquo sensibili expressum.

115. Ratio etiam id suadet : Contractus enim matrimonij inter Christianos, eodem instanti quo validus est, est Sacramentum : At si quando quis consentit in matrimonium sub conditione de futuro contingenti, adimpletâ conditione, non ponatur novus consensus, non poterit habere tunc rationem Sacramenti : Ergo tunc non erit validum matrimonium sine novo consensu verbis expresso. Major constat, Minor probatur. Nullum novæ legis Sacramentum actu est eo tempore, quo nihil ejus physicè existit, quod actu sensibile sit : Atqui dum prædicta conditio ponitur, nihil matrimonij physicè existit, quod actu sensibile sit ; consensus enim & verba quibus antea fuit expressus sub conditione, jam præterierunt physicè, neque quidquam sensibile existit nunc physicè, præter ipsam conditionem, quæ cùm nihil Sacramenti sit, non potest ejus ratione, Sacramentum matrimonij dici existere physicè, & esse actu sensibile : Ergo si adimpletâ conditione non ponatur novus consensus, signo aliquo sensibili expressus, contractus matrimonij non poterit habere rationem Sacramenti.

A Nec valet quod ait Amicus hîc disp. 5. sect. 3. quod licèt reliqua Sacramenta tunc quando fiunt, requirant aliquid sensibile physicum, spectans ad ipsorum substantiam, id tamen non est necessarium in Sacramento matrimonij, quia Christus elevavit ipsum in Sacramentum, ut est contractus civilis : contractus verò civilis ut perficiatur, non exigit aliquid sensibile & physicum tunc quando fit. Non valet, inquam, tum quia cùm de ratione Sacramenti ut sic, sit esse signum sensibile, repugnat aliquod Sacramentum, quodcumque illud sit, fieri & poni à parte rei, nisi aliquid physicum & sensibile ponatur quando fit : Tum etiam, quia in sententia D. Thomæ, & Discipulorum ejus, omnia Sacramenta novæ legis, etiam matrimonium, physicè producunt gratiam, quando sunt : Sed matrimonium non posset physicè producere gratiam, si tunc quando fit, nihil physicum poneretur, cùm existentia physica sit conditio necessariò prærequisita in causa efficiente ad hoc ut operetur : Ergo cùm fit matrimonij Sacramentum, necessariò tunc poni debet aliquid physicum & sensibile spectans ad ejus substantiam, subindeque consensus actualis & absolutus, signo aliquo sensibili expressus. 116.

B

C Dices : Contractus conditionales, purificatâ conditione, absque novo contrahentium consensu, statim purificantur, & in absolutos transeunt, l. *hæc venditio* ff. de contrah. empt. *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio.* Et l. *potior* ff. qui potiores : *Cùm semel conditio extitit, perinde habetur, ac si illo tempore quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* Ergo etiam matrimonium sub conditione de futuro celebratum, adimpletâ conditione, statim fit validum absque novo consensu. 117.

Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem; matrimonium enim, cùm sit perpetuum, & pertineat ad eos contractus qui traditione perficiuntur, non purificatur solo conditionis eventu, sed ob sui excellentiam, supra reliquos contractus exigit consensum perfectissimum & liberrimum, qualis non est conditionatus.

D

Dico tertiò, Matrimonium contractum sub conditione turpi, substantiæ matrimonij non adversante, ut *si fornicata fueris, si alterius prolem impediveris*, validum est. 118.

Probatur : Quando conditio non impedit consensum in substantialia matrimonij, ipsum non irritat : Sed conditio turpis non adversa substantiæ matrimonij, non impedit consensum in substantialia matrimonij, ut de se patet : Ergo ipsum non irritat.

Quæres, an teneantur contrahere & celebrare matrimonium, qui sponsalia sub tali conditione contraxerunt ?

E

Respondeo quod etsi ante talem conditionem adimpletam, contrahentes sponsalia ad matrimonium celebrandum non obligentur, obligantur tamen ea adimpletâ. Sicut mandans, sub certa mercede paciscens cum mandatario, pro re illicita patranda, ante executionem tenetur mandatum revocare, & mandatarius mandatum non exequi ; eo tamen adimpleto, tenetur mandans in conscientia mercedem solvere, non quidem ratione patrati peccati, sed laboris impensi.

Dico quartò, matrimonium initum sub conditione impossibili, invalidum esse in foro conscientiæ

scientiæ, quamvis in foro externo præsumatur validum. A

119. Prima pars patet, non valet enim in foro interno matrimonium sub conditione initum, nisi conditio stet : At conditio de impossibili stare non potest, cùm sit impossibilis : Ergo nec matrimonium initum sub conditione impossibili. Idem dicendum de conditione repugnante matrimonio, unde iste contractus invalidus est, *Accipio te in uxorem, si prius me sepelieris*, quia supponit matrimonium perficiendum esse post mortem, quod repugnat. Et iste : *Accipio te in conjugem, si totâ vitâ tuâ non mentiaris* ; quia hæc quoque conditio non ponitur ante finem vitæ, supponitque matrimonium post mortem contrahi.

120. Secunda verò pars conclusionis constat ex Gregorio IX. capite ultimo de conditionibus appositis, ubi sic loquitur : *Si conditiones appositæ matrimonio, turpes aut impossibiles fuerint, debent propter favorem ejus, pro non adjectis haberi*, scilicet in foro externo ; quia nimirum nemo præsumitur aut velle peccare, aut in re adeò gravi & sancta velle nugari, ac suum actum reddere irritum. B

ARTICULUS IV.

An consensus in copulam sit de essentia matrimonij ?

§. I.

Præmittitur quod ferè apud omnes est certum, & sententia Gratiani rejicitur.

121. GRatianus cap. *Quod autem* & cap. *Institutum* 27. quæst. 2. affirmat non modo consensum in copulam, sed & copulam ipsam esse partem essentialem matrimonij, sine qua nullum matrimonium, etiam de præsenti expressum, censet validum ; unde ex hoc infert, liberum esse conjugi ante copulam à viro discedere, & alteri nubere. Idem docuerat olim Julianus, ut testatur D. Augustinus lib. 5. contra ipsum cap. 9. his verbis : *Jam verò de Joseph, cujus Mariam teste Evangelio conjugem dixi, multa diu disputas contra sententiam meam, & conaris ostendere, quia concubitus defuit, nullo modo fuisse conjugium ; ac per hoc secundum te, cùm destiterint concumbere conjuges, jam non erunt conjuges, & divortium erit illa cessatio. Quod ne contingat, agant sicut possunt decrepiti quod juvenes agebant, & ab hoc opere ne effœtis ætate corporibus parcant. Non se cogitent quantum ad libidinis attinet incentiva, senuisse, ut possint conjuges permanere.* D

122. Hæc sententia, seu potiùs error, communiter rejicitur à Theologis : Primò ex verbis istis Apostoli 1. ad Corinth. 7. *De his autem qui matrimonio conjuncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam :* Contrariorum autem eadem videtur esse disciplina, & ut dicunt Jurisperiti : *Omnis res per quæ conjungitur, per eadem dissolvitur :* D. autem Paulus docet non solvi matrimonium, facta etiam separatione corporum : Ergo non fit matrimonium per conjunctionem corporum, seu per copulam carnalem. E

123. Secundò, temerarium videtur negare, fuisse verum matrimonium inter Josephum & Mariam, cùm Scriptura appellet sexies Mariam conjugem, & Josephum virum ejus. Et D. Augustinus libro 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 11. & libro ac capite supra citatis contra Julianum, non tantùm doceat verum fuisse matrimonium, sed omnium verissimum, nimirum quòd conjunctio & societas, in qua matrimonij natura posita est, eò fuerit verior & arctior inter Josephum & Mariã, quò puriore & majore charitate conjuncti erant : At de fide certum est quod non fuerit copula carnalis inter ipsos, cùm uterque virginitatem Deo voverit : Ergo copula carnalis non est de essentia matrimonii.

Confirmatur : Protoparentes in paradiso fuerunt veri conjuges, antequam se carnaliter cognoscerent, ut definit Bonifacius VIII. cap. unico *de voto* in 6. & colligitur ex verbis illis Adæ Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, &c. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Et ex Christi verbis Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet :* conjunxit enim Deus in paradiso, dum illos masculum & fœminam creavit, accedente mutuo eorum consensu : Ergo copula carnalis non est essentia, vel pars essentialis matrimonij.

Addo quod Ecclesia verum matrimonium agnoscit ante ullam copulam carnalem cùm Tridentinum sess. 24. can. 6. definiat, posse matrimonium ratum, non consummatum, solemni Religionis professione dirimi, subindeque ante carnalem copulam, quâ dicitur consummari, verum ac validum esse supponat. C

Favent etiam SS. Patres : Ambrosius enim de instit. virginis sic ait : *Connubium non facit defloratio virginatis, sed fides & pactio conjugalis.* Quam Ambrosij sententiam, sub aliis terminis expressit Ulpianus L. *Cùm fuerit*, ff. de condit. & demonst. dicens : *Nuptias non concubitus, sed consensus facit.* Augustinus lib. 1. de nupt. & concup. cap. 11. *Quibus* (inquit) *placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur ; imò firmius erit, quò magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusque servanda sunt, non voluptuariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum.* Item lib. 23. contra Faustum cap. 8. docet inter B. Virginem & S. Joseph extitisse conjugium, *non concubitu, sed affectu, non commixtione corporum, sed copulatione, quod est charius, animorum* ; & hoc exemplo magnificè insinuari fidelibus conjugatis, etiam servato pari consensu, posse permanere, vocarique conjugium, *non commixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu*, inquit lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 1. Unde plura sunt sanctorum conjugum exempla, qui virginitatem in matrimonio illibatam servaverunt, Elzeari & Delphinæ, Eduardi Anglorum Regis, & Edithæ, Henrici Imperatoris & Cunegundis. Celebratur etiam Græcorum hystoriis conjugium Marciani Imperatoris & Pulcheriæ initum, post datam utrinque fidem mutuæ continentiæ. 124.

Ratio etiam suffragatur : Usus enim matrimonij est quidam actus & operatio ejus : Sed actus & operatio, cùm significetur ut egrediens ab agente, præsupponit essentiam agentis jam constitutam, ut patet in motu deorsum lapidis, præsupponente essentiam lapidis jam constitutam : Ergo copula carnalis, quæ est usus matrimonij, ipsum jam constitutum supponit, subindeque 125.

Universidad de Deusto
Biblioteca

deque pars essentialis illius esse nequit. Idque verum est de matrimonio non solùm ut est in officium naturæ, sed etiam quatenus est Sacramentum : cùm enim contractus naturalis elevetur ad rationem Sacramenti, si vera ratio & essentia contractûs naturalis reperiatur in matrimonio ante consummationem illius, vera etiam ratio & essentialis talis Sacramenti reperitur ante consummationem matrimonij. Addo quod Sacramentum matrimonij dat gratiam ad hoc ut conjuges rectè matrimonio utantur : Sed actus ad quem Sacramentum dat gratiam, non est de essentia talis Sacramenti, ut patet in Sacramento Ordinis ; actus enim conferendi, ad quem dat potestatem & gratiam, non est de ejus essentia : Ergo pariter copula carnalis, quæ est usus matrimonij, non est de essentia hujus Sacramenti.

126. Demum confutari potest Gratiani sententia ex absurdo & inconvenienti quod sequitur ex illa : Si enim copula carnalis esset pars essentialis matrimonij, sequeretur matrimonium non elevari ad dignitatem Sacramenti, neque gratiam sanctificantem conjugibus conferre, nisi in ipso actu carnalis copulæ : Sed hoc videtur absurdum : Ergo & illud. Sequela Majoris probatur. Tunc solùm matrimonium ad dignitatem Sacramenti elevatur, & gratiam sanctificantem conjugibus confert, cùm perficitur contractus matrimonialis : Sed juxta Gratianum, contractus matrimonialis ipso carnalis copulæ actu perficitur : Ergo juxta hujus Authoris principia, matrimonium non elevatur ad dignitatem Sacramenti, neque gratiam confert, nisi in ipso actu carnalis copulæ. Quod est contra Florentinum in Decreto Eugenij, ubi causam efficientem matrimonij, ut Sacramentum est, ait esse consensum, per verba de præsenti expressum : non igitur ex Concilio fit Sacramentum per copulam.

§. II.

Aliquæ objectiones solvuntur.

127. COntra præcedentem doctrinam objiciuntur in primis quædam SS. Patrum testimonia, quæ Gratiani sententiæ favere videntur : Ambrosius enim lib. de instit. virginum cap. 6. & in Epist. 66. & Hieronymus in commentariis super Oseam cap. 4. dicunt matrimonium initiari in conjunctione, perfici verò in corporum commixtione. Ex quo idem Hieronymus in libro adversùs Helvidium infert, non fuisse verum matrimonium inter B. Virginem & S. Josephum, & Mariam in Evangelio dici uxorem Josephi, more Scripturarum, quæ uxorem frequenter appellant, quæ tantùm est desponsata : *Cùm virum* (inquit) *audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis Scripturarum, quod sponsi viri, & sponsæ vocentur uxores.* Demum Augustinus relatus à Gratiano cap. *Non est dubium* 27. qu. 2. sic ait : *Non est dubium illam mulierem ad matrimonium non pertinere, in qua non docetur fuisse matrimoniale misterium.*

128. Quidam Authores apud Bellarminum lib. de matrim. cap. 5. ut ab his authoritatibus sese expediant, docent copulam carnalem esse saltem partem integralem matrimonij, tam ut contractus, quàm ut Sacramentum est, sine qua est quidem perfectum essentialiter, sed non integraliter : Sicut Sacramentum pœnitentiæ ante peractam satisfactionem à Confessario injunctam, est perfectum essentialiter, non integraliter, cùm adhuc ei ad integritatem substantialem desit pars integralis satisfactionis.

Verùm hæc sententia, quam non improbat Bellarminus, cæteris Theologis displicet, & meritò : Quod enim est pars integralis Sacramenti, debet habere aliquem effectum Sacramentalem ex opere operato ; quemadmodum satisfactio causat ex opere operato remissionem pœnæ, & in sententia D. Thomæ, augmentum gratiæ, ut in Tractatu de pœnit. disp. 13. art. 3. ostensum est : Sed copula carnalis, nec augmentum gratiæ, nec alium effectum Sacramentalem causat ex opere operato : Ergo non est pars integralis Sacramenti matrimonij. Hac ergo solutione prætermissâ.

B Dicendum est, SS. Patres citatos, dum asserunt 129
matrimonium perfici in corporum commixtione, non loqui de perfectione matrimonij essentiali, vel integrali, sed duntaxat accidentali, quæ attenditur secundùm usum & operationem ; cùm enim carnalis commixtio sit quædam operatio sive usus matrimonij per quod facultas ad hoc datur, est quædam perfectio accidentalis illius, ut docet S. Thomas hic quæst. 42. art. 4. Similiter quando iidem SS. Patres dicunt matrimonium inter Mariam & Joseph non fuisse perfectum, loquuntur de perfectione accidentali matrimonij, non verò de essentiali & integrali. Caput verò *Non est dubium* falsò refertur à Gratiano ex D. Augustino, apud quem non extat, ut benè advertunt Censores Gratiani. Sunt tamen verba illa apud Leonem in epistola 22. capitis quarti, sed dupliciter adulterata & falsificata à Gratiano : primò quòd sit negatio ante illud verbum *non docetur*, cùm debeat esse affirmatio, *docetur*, ut est apud Leonem. Secundò quòd scribatur nuptiale *ministerium*, cùm debeat scribi *mysterium*. Hoc enim vult probare Pontifex, ideò non fuisse verum matrimonium inter adulterum & meretricem, quamvis intercesserit commixtio corporum, quia inter eos non fuit nuptiale mysterium, id est Sacramentum.

Objicitur secundò : Illud est de essentia matri- 130
monij, saltem ut Sacramenti, ratione cujus habet significationem sibi propriam & essentialem : Sed hanc non habet matrimonium nisi ratione copulæ carnalis : Ergo copula carnalis est de essentia matrimonij. Major patet, Minor probatur : Matrimonium est essentialiter signum expressivum unionis Christi cum natura humana, & cum Ecclesia : Sed talis conjunctio non significatur per matrimonium, nisi ratione copulæ carnalis, ut docet Leo Papa citatus à Gratiano can. *Cùm societas* 27. qu. 2. his verbis : *Cum societas nuptiarum sic ab initio instituta sit, ut præter sexuum commixtionem, non haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum*, &c. Item in cap. *Debitum*, de bigamis dicitur expresè, conjugium illud quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinere ad illud conjugium designandum quod inter Christum & Ecclesiã, per Incarnationis mysteriũ est contractum : Ergo matrimonium nõ habet significationem sibi propriã & essentialem, nisi ratione copulæ carnalis, ratione cujus sit omni potestate humanâ indissolubile, cùm tamen ante copulam, cùm careat prædictâ significatione, possit solemni Religionis professione dissolvi, ut constabit ex dicendis disputatione sequenti.

Respondeo, concesâ Majori, negando Minorem, & ad illius probationem, nego Majorem : Significatio enim essentialis Sacramenti debet esse practica, cùm Sacramentum sit essentialiter 131

liter signum practicum : in Sacramento verò matrimonij significatio unionis Christi cum natura humana & cum Ecclesia, non est practica, sed merè speculativa, benè tamen significatio gratiæ conjungentis conjuges per mutuam dilectionem ; unde ista quidem significatio est Sacramento matrimonij essentialis, illa verò merè accidentalis.

Addo locum Leonis Papæ corruptè & infideliter à Gratiano referri : quasi dixerit : *Cum societas nuptiarum ita à principio sit instituta, ut præter conjunctionem sexuum, non habeant in se nuptiæ conjunctionis Christi & Ecclesiæ Sacramentum.* Cùm potius Leo Epist. 90. aliàs 92. ad Rusticum cap. 4. ex qua verba illa desumpta sunt dicat : *Ut præter sexuum conjunctionem, haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum.*

132. Objicitur tertiò : Si quis post votum simplex Religionis contrahat matrimonium, animo ingrediendi Religionem, ante consummationem, istud matrimonium non est Sacramentum, siquidem non confert gratiam, quia nunquam debet habere actum ad quem datur gratia Sacramentalis : Ergo sine consummatione matrimonium non habet omnia sibi essentialia.

133. Respondeo negando Antecedens, & probationem ei adjunctam ; sicut enim qui intendit nunquam exequi Ordines quos suscipit, verè tamen recipit potestatem Ordinis, per se & ex natura sua ordinatam ad executionem ; ita similiter in matrimonio de quo procedit objectio, C contrahens recipit gratiam ex natura sua ordinatam ad utendum matrimonio ; licèt per accidens & ex intentione contrahentis, non ordinetur tale matrimonium & gratia Sacramentalis ad copulam carnalem.

§. III.

Relatis sententiis, principalis difficultas duplici conclusione resolvitur.

134. QUamvis actualis copula non sit de essentia matrimonij, nec ad ejus valorem necessariò requiratur, ut contra Gratianum ostendimus, & unanimi ferè consensu Theologi docent, certum est, & in eo omnes conveniunt, aliquem consensum in copulam, ad essentiam & valorem matrimonij necessarium esse ; quia cùm matrimonium naturâ suâ ordinetur ad procreationem prolis, & copula sit necessarium medium ad prolis procreationem, nequit substantia matrimonij consistere, excluso omni consensu ad copulam. Verùm qualis ad valorem & essentiam matrimonij requiratur vel sufficiat consensus in copulam, difficilè explicari potest, unde circa hoc triplex est Theologorum sententia.

Prima asserit, ad verum & perfectum matrimonium, necessarium esse explicitum consensum in copulam carnalem. Hanc sententiam, ut Gratiani opinionem ab erroris nota vindicet, probabiliter defendendam suscipit Michaël Medina lib. 1. de sacrorum hominum continentia, cap. 61. & sequentibus. Ex qua infert, inter B. Virginem, & S. Josephum, non intercessisse verum matrimonium, sed tantùm sponsalitium, idque conatur probare Hieronymi testimonio paragrapho præcedenti relato & explicato. Secunda docet, neque explicitum neque implicitum consensum in copulam ex parte contrahentis, ad essentiam & valorem matrimonij requiri, & ait ad illud sufficere consensum implicitum in copulam ex parte ipsius contractûs matrimonialis. Ita San-

A chez, Pontius, Amicus, & plures ex Recentioribus. Tertia verò, quæ communior est, & videtur probabilior, existimat ad essentiam & valorem matrimonij sufficere & requiri consensum implicitum in copulam, non solùm ex parte contractûs, sed etiam ex parte contrahentium.

Dico ergo primò, ad essentiam & valorem ma- 135
trimonij, non requiri consensum explicitum in copulam, sed sufficere implicitum. Ita D. Thomas hic quæst. 48. art. 1. ubi dicit, consentire in matrimonium, idem esse ac *consentire in carnalem copulam, implicitè, non explicitè : non enim debet intelligi, nisi sicut implicitè continetur effectus in sua causa ; quia potestas carnalis copulæ, in quam consentitur, est causa carnalis copulæ, sicut potestas utendi re suâ, est causa usûs.* Et 3. part. quæst. 29. art. 2. in corp. asserit, *omnino verum fuisse matrimonium Virginis matris Dei & Joseph, quia uterque consensit in copulam conjugalem* (id est in vinculum conjugale) *non autem expresè in copulam carnalem, nisi sub conditione, si Deo placeret.* Item in 4. dist. 30. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3. *Dicendum* (inquit) *quod copula carnalis cecidit implicitè sub consensum B. Virginis, sicut actus implicitè continetur in potentia : potentia autem ad carnalem copulam non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipsius, nisi ratione actûs, qui quidem nunquam fuit in proposito Beatæ Virginis, sed erat jam certificata, quod actus nunquam sequi deberet.* Itaque, juxta D. Thomam, ad contrahendum validè matrimonium, non est necessarium, ut conjuges consentiant explicitè in copulam, volendo eam exercere, sed possunt habere contrarium propositum, & votum nunquam eam exercendi, sicut habuit B. Virgo. Ratio est, quia ut paragr. 1. contra Gratianum docuimus, copula carnalis non est de essentia matrimonij, sed tantùm est usus potestatis per illud acceptæ : Sed potestas ab usu separari potest, & accipi potestas ad usum, sine voluntate unquam illam exercendi, imò etiam cum expressa voluntate contraria : Ergo consensus explicitus in copulam carnalem non est de essentia matrimonij.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio, hoc 136
exemplo : Sicut in fundo v.g. duplex dominium distingui solet, alterum proprium ac directum, alterum utile quoad usumfructum ; potestque dominium directum ab utili separari, & unum tradi sine altero, ut contingit quando dominus dat Vassallo agrum in feudum, vel Emphyteusim ; tunc enim dominium directum & supremum sibi retinet, & ad Vassallum seu Usu-fructuarium transfert usum-fructum & dominium utile. Ita in corpore utriusque conjugis, quodammodo distingui potest dominium directum à dominio utili, quoad usum copulæ, unumque ab altero separari ex mutuo pacto inter conjuges, concedendo videlicet dominium directum suorum corporum, & denegando dominium utile quoad usum copulæ, sive ad tempus, sive in perpetuum. Et hoc modo B. Virgo se gessit erga S. Josephum ipsius conjugem ; illi enim solùm dedit dominium directum corporis sui, non autem dominium utile, sive usum-fructum sui corporis, quoad copulam, sed potiùs ex mutuo pacto sibi retinuit ; unde non consensit explicitè in copulam carnalem, sed implicitè tantùm, *sicut actus implicitè continetur in potentia*, ut loquitur S. Doctor suprà relatus.

Confirmatur ampliùs : Qui cum expresso ani- 137
mo ingrediendi Religionem, ante consummatum matrimo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

matrimonium, contrahit, validè contrahit : At hic consensum explicitum in copulam habere non potest : Ergo ad valorem matrimonij non requiritur consensus expressus in copulam. Minor patet, qui enim contrahit expresso animo ingrediendi Religionem, contrahit cum intentione & voluntate servandi perpetuam castitatem, quæ intentio seu volitio, cum consensu expresso in copulam incompatibilis est. Major verò habetur cap. *Commissum*, de sponsalibus, ubi Alexander III. suadet cuidam mulieri, quæ juratam fidem cuidam spoponderat, se illum intra biennium ducturam, & postea facti pœnitens, proposuerat Religionem ingredi, ut propter reverentiam juramenti, priùs matrimonium contrahat, & postea Religionem ingrediatur : At non potuit Pontifex suadere ut matrimonium invalidum faceret : Ergo qui cum expresso animo ingrediendi Religionem, ante consummatum matrimonium contrahit, validè contrahit.

Dico secundò, ad matrimonium, implicitum consensum in copulam ex parte contrahentis necessarium esse.

138. Probatur : Implicitus consensus in copulam ex parte contractûs matrimonialis, ad essentiam & valorem matrimonij necessarius est, ut docent Sanchez, Pontius, & Amicus, contra quos disputamus : Ergo requiritur etiam consensus saltem implicitus & remotus in copulam, ex parte contrahentis. Consequentia videtur manifesta, fieri enim nequit, ut intentio seu tendentia necessaria essentialiter ex parte actûs, non sit etiam necessaria ex parte agentis, prout illud exercentis ; cùm tendentia actûs vitalis non sit alia quàm tendentia ipsiusmet agentis sese exercentis circa tale objectum.

139. Confirmatur : Impossibile est ; quemquam contrahere matrimonium, & consentire absolutè in contractum matrimonialem, nisi consentiat saltem implicitè in omne id quod tali contractui est essentiale : Sed intentio implicita in copulam est essentialis contractui matrimonij, cùm matrimonium naturâ suâ ordinetur ad prolis procreationem, & copula sit necessarium medium ad illam ; unde Augustinus lib. 2. de moribus Manich. cap. 18. *Nuptiæ* (inquit) *ut ipsæ nuptiales tabulæ clamant, liberorum procreandorum causâ, marem, fœminamque conjungunt, &c.* Ergo impossibile est, quemquam contrahere matrimonium, & in illud consentire absolutè, absque eo quod consentiat implicitè saltem in copulam ; subindeque hæc intentio, seu consensus implicitus, non solùm est necessarius ex parte contractûs, sed etiam ex parte ipsius contrahentis ; imò videtur esse implicantia in hoc quod dicunt Authores citati, nempè ad essentiam & valorem matrimonij, necessarium quidem esse consensum implicitum in copulam, ex parte contractûs matrimonialis, sed non ex parte ipsius contrahentis.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

140. OBjicies primò contra primam conclusionem : Omnis contractus ad sui validitatem necessariò requirit expressum consensum in objectum circa quod primò versatur : Sed contractus matrimonialis primò & per se versatur circa copulam, cùm per se primò & ex natura sua ordinetur ad prolis procreationem, ad quam copula medium necessarium est ; Ergo matrimonium ad sui validitatem consensum expressum in copulam necessariò requirit.

141. Respondeo primò, negando Majorem, ad nullum enim contractum validè ineundum necessarius est expressus consensus in rem circa quam contractus versatur, sed sufficit virtualis & implicitus ; hic enim sufficit ad actum humanum, qualem requirunt negotia humana, ut validè peragantur. Constat id, tum in eo qui intentionem habet contrahendi juxta leges & consuetudines loci, licèt eas ignoret : tum in eo qui Sacramentum conficit, solâ intentione faciendi quod facit Ecclesia.

142. Respondeo secundò, datâ Majori, negando Minorem, objectum enim circa quod per se primò versatur contractus matrimonialis, non est ipsa copula carnalis, sed dominium in corpora conjugum, in ordine ad illam ; unde illa non explicitè sed implicitè tantùm continetur in objecto matrimonij, nempè sicut effectus in causa, & usus rei in dominio, seu potestate utendi, quæ ab actuali usu separari potest ; imò & conjuges ex mutuo consensu possunt sibi invicem dare dominium directum corporis sui, retinendo sibi dominium utile quoad usum copulæ, sive ad tempus, sive in perpetuum, ut suprà ostensum est.

143. Objicies secundò cum Basilio Pontio contra secundam conclusionem : Non potest negari sine temeritate, inter B. Virginem, & S. Joseph, verum intercessisse matrimonium, illudque fuisse ab ea contractum, post emissum votum virginitatis : Sed tale matrimonium non potuit esse cum consensu in copulam ex parte contrahentis, alioquin B. Virgo peccasset contra votum ; quia ut ait Augustinus in libro de bono viduitatis cap. 8. & habetur in cap. *Nuptiarum bonum*, 27. qu. 1. post oblatam Deo virginitatem per votum, non solùm nubere reipsa, sed etiam velle nubere, damnabile est : Ergo ad essentiam & valorem matrimonij non requiritur consensus in copulam ex parte contrahentis, sed sufficit consensus implicitus ex parte ipsius contractûs matrimonialis.

144. Respondeo primò, falsum esse quod in Majori dicitur, vel supponitur, nempè B. Virginem antequam desponsaretur B. Josepho, & cum illo iniret matrimonium, absolutè virginitatem vovisse ; siquidem, ut ait S. Thomas 3. part. qu. 28. art. 4. cùm tempore legis scriptæ oporteret generationi insistere tam mulieres, quàm viros, quia secundùm carnis originem cultus Dei propagabatur, antequam ex illo populo Christus nasceretur, non poterat B. Virgo ita velle contrahere matrimonium, ut absolutè excluderet consummationem ejus, atque adeò ut votum virginitatis absolutè emitteret ante desponsationem, sed tantùm sub conditione, si Deo placeret. Subdit tamen S. Doctor in resp. ad 1. quod post desponsationem innotuit ei hoc esse Deo acceptum, & consequenter quod absolutè vovit virginitatem, antequam ab Angelo annuntiaretur.

145. Respondeo secundò, datâ Majori, negando Minorem, & ad probationem ei subjunctam dico, B. Virginem non peccasse contra votum castitatis, contrahendo matrimonium, quia divinâ revelatione certa erat nullum ex matrimonio virginitati suæ præjudicium imminere, ut ait S. Thomas in 4. dist. 30. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3. cujus verba supra concl. 1. retulimus. Aliæ verò mulieres, quæ post votum nubere volunt, peccant contra fidem Deo datam, quia se exponunt evidenti periculo consummandi, dant-

que marito jus exigendi, tenenturque petenti reddere debitum, nisi ille voto consenserit, aut simili obligatione sese obstrinxerit.

146. Objicies tertiò cum eodem Authore : Ad essentiam matrimonij requiritur tantùm, ut sit mutua animorum conjunctio, ad individuam vitæ societatem, cum diversitate sexûs : Sed hoc totum reperiri potest in matrimonio contracto, sine ullo ordine & consensu in copulam ex parte contrahentis : Ergo ad essentiam & valorem matrimonij non requiritur consensus in copulam ex parte contrahentis. Major probatur, tum quia matrimonium sic definitur à Magistro sententiarum : *Matrimonium est viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuam vitæ societatem retinens.* In qua definitione nulla fit mentio de copula carnali, vel de ordine ad illam. Tum etiam, quia nihil cogit (inquit Pontius) ut asseramus, non posse esse in conjugio translationem dominij corporum ad mutua obsequia utriusque sexûs, sine ullo consensu in copulam ex parte ipsorum contrahentium ; dominium enim distinguitur ab usu, potestque fieri contractus circa materiam dominij, sine ullo ordine ad usum, imò etiam illo prorsus impedito, ut fusè antea declaravimus.

147. Respondeo primò, hoc argumentum nimis probare, & ex illo sequi, nequidem ex parte contractûs necessarium esse consensum in copulam carnalem, sed sufficere consensum in conjunctionem animorum, & amicabilem societatem in diverso sexu : quod si verum esset, non apparet cur jure naturali non posset esse matrimonium inter fratrem & sororem, aut patrem & filiam, secluso omni ordine ad copulam, & initâ solùm amicabili conjunctione & societate animorum, quod absurdissimum est. Unde

148. Respondeo secundò, negando Majorem, ad matrimonium enim requiritur essentialiter, ut sit mutua conjunctio viri & fœminæ, in ordine ad procreationem prolis, subindeque in ordine ad carnalem copulam, quæ est medium necessarium ad illam, talisque ordo innuitur per particulam illam *maritalis*, in definitione matrimonij à Magistro positam. Unde si quis ordinem illum excluderet, nolletque jus ad copulam ullum dare, matrimonium non contraheret, sed contractum diversæ omnino rationis iniret. Per quod patet ad primam probationem Majoris.

Ad secundam verò dico, quod licèt dominium corporum quod sibi mutuò conjuges per matrimonium tradunt, ab usu eorum distinguatur, unumque ab altero separari possit, ex mutuo pacto inter conjuges, repugnat tamen illos in ejusmodi dominium consentire, quin implicitè consentiant in copulam ; cùm tale dominium corporum matrimonio acquisitum, sit essentialiter jus ad copulam, & ipsa in eo, ut effectu in causa contineatur, ut loquitur Sanctus Doctor suprà relatus.

149. Ex dictis intelliges, quod licèt matrimonium inter B. Virginem & S. Josephum celebratum, caruerit aliquâ perfectione accidentali, nimirum copulâ conjugali, & jure expedito ad illam, fuit tamen perfectum substantialiter, cùm nihil ei defuerit ex his quæ ad substantiam matrimonij requiruntur, nempè nec traditio corporum, nec dominium directum ipsorum, quamvis ex mutuo consensu à dominio utili, quoad usum copulæ, imò & à consensu explicito in illam, fuerit separatum. Item in eo fuit indissolubilis conjunctio animorum, & fides conjugalis perfectissimè servata, variaque conjugum obsequia sibi mutuò præstita. Præterea matrimonium illud in suo genere perfectissimum fuit, cùm perfectissimè assecutum fuerit finem ad quem à Deo fuit institutum, qui non fuit prolis ex mutuo concubitu susceptio, sed prolis Spiritus Sancti operâ in utero B. Virginis formatæ procreatio & educatio ; nec non altissimi mysterij occultatio, & pudicitiæ B. Virginis, ac famæ, honoris, & integerrimæ virginitatis conservatio & protectio ; quod hanc hujus sanctissimi matrimonij præstantiam & dignitatem mirum in modum commendat ; cùm enim cætera matrimonia ad perdendam & destruendam virginitatem conjugum ordinentur, istud mirabili Dei dispensatione, ad eam conservandam & protegendam institutum fuit ; quod bellissimè quidam, similitudine ulmi vineam obumbrantis, & à Solis ardoribus protegentis, expressit, addito hoc lemmate : PROTEGIT, NON FŒCUNDAT. Addi potest, quod sicut vinum, quod, teste Apostolo, luxuriæ incentivum est, in Eucharistia fit virginitatis germen, & remedium contra luxuriam, unde *vinum germinans virgines*, à Propheta appellatur : ita matrimonium, quod est infensissimus virginitatis hostis, ejusque ruina & perditio, in mysterio Incarnationis, & in castissimo Josephi & Mariæ connubio, virginitatis columen, & integritatis protector effectum est.

DISPUTATIO V.

De indissolubilitate Matrimonii.

CUm inter matrimonij proprietates, præcipua sit ejus indissolubilitas, & de illa variæ ac celebres agitari soleant quæstiones, integram de illa visum est instituere disputationem, ut difficultates illas, eâ quâ par est diligentiâ & perspicuitate, articulis sequentibus resolvamus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum matrimonium, ut est in officium naturæ, non solum lege & institutione divinâ, sed etiam jure naturæ indissolubile sit ?

§. I.

Præmittuntur quæ apud omnes sunt certa, & referuntur sententiæ.

1. CErtum & indubitatum est apud omnes, Deum instituendo matrimonium in statu innocentiæ, dedisse præceptum de ejus indissolubilitate : id enim constat ex verbis illis Christi Matth. 19. *Qui fecit hominem, ab initio masculum & fœminam fecit eos, & dixit : Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Ex quibus subinfert Christus : *Quod ergo Deus conjunxit*, nempè suo præcepto, *homo non separet.* Unde Bonifacius VIII. cap. unico, *de voto & voti redemptione* in 6. dicit

Universidad de Deusto
Biblioteca

matrimonij vinculum, ab ipso rerum omnium A
conditore, ipsum in Paradiso, & in statu inno-
centiæ instituente, unionem & indissolubilitatem
accepisse. Et Tridentinum sess. 24. initio: *Ma-
trimony* (inquit) *perpetuum indissolubilemque ne-
xum, primus humani generis Parens, Divini Spi-
ritus instinctu pronuntiavit, cùm dixit: Hoc nunc
os ex ossibus meis, &c.* Et paulò post addit, Chri-
stum ejusdem nexûs firmitatem, ab Adamo tantò
ante pronuntiatam, his verbis confirmasse. *Quod
ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Unde
præceptum divinum de indissolubilitate matri-
nij, in quo, tempore legis Mosaïcæ, per repudij
libellum dispensatum est, ut articulo sequenti
dicemus, fuit in lege Evangelica in pristinum
vigorem à Christo restitutum; ipsumque Christi B
præceptum à Paulo 1. ad Corinth. 7. his verbis
promulgatum: *Præcipio non ego, sed Dominus,
uxorem à viro non discedere: quod si discesserit,
manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir
uxorem non dimittat, &c.*

2. Fatentur etiam omnes, ex ratione Sacramenti
majorem accedere matrimonio indissolubilita-
tem, quàm eam quæ ipsi convenit, ut est præcisè
in officium naturæ; est enim ut Sacramentum
evectum à Christo ad significandam duplicem
Verbi cum natura humana, & Christi cum Ec-
clesia conjunctionem firmissimam, ac prorsus in-
dissolubilem; & quia duplicem illam unionem
significat matrimonium consummatum (copula
enim carnalis, quâ ex duobus fit una caro, expri-
mit unionem illam, quâ ex duabus naturis, hu- C
manâ & divinâ, fit una persona, & ex Christo
capite, & Ecclesiæ membris, unum mysticum
corpus, ut docet Innocentius III. cap. *Debitum*,
de bigamis,) hinc fit tale matrimonium in nul-
lo prorsus casu esse solubile. Matrimonium verò
ratum & nondum consummatum, in aliquo casu
solvi potest, cùm nimirum unus ex conjugibus
ante consummationem, professionem emittit in
aliqua Religione approbata, ut definit Triden-
tinum sess. 24. can. 6. quia nimirum matrimonium
ratum non significat unionem Christi cum Ec-
clesia, quæ indissolubilis est, sed unionem animæ
fidelis cum Christo, mediante gratiâ sanctifican-
te, quæ solubilis est.

3. Hæc sunt certa & indubitata apud Theologos, D
sed difficultas est & controversia inter illos, an
matrimonium, ut est in officium naturæ, non so-
lùm ex Dei præcepto, à Christo in lege Evan-
gelica renovato & confirmato, sed etiam jure
naturæ, seu ab intrinseca sua natura, indissolubi-
litatem habeat? Id enim negat Cajetanus in
opusculis Tract. 28. de matrimonio, ubi hæc scri-
bit: *Cùm matrimonium dupliciter consideretur,
scilicet ut est officium naturæ, & ut est Sacramen-
tum Ecclesiæ, si attendamus in omnibus & singulis
conditionibus, quas habet, secundùm quod est natu-
ræ officium, quæstio hæc clara est; quia constat ma-
trimonium esse dissolubile, etiam post consumma-
tionem, ut patet de conjugio infidelium.* Idem docent E
Abulensis Matth. 19. quæst. 27. Gandavensis
quodlib. 5. qu. 39. Et Michaël Medina lib. 4.
de sacrorum hominum continentia, controv. 1.
cap. 10. & lib. 5. cap. 88. Sunt etiam aliqui, qui
fatentur quidem matrimonium illud quod jam
consummatum est, esse ex natura sua perpetuum
& indissolubile; sed id negant de matrimonio
nondum consummato. Communiter tamen cæ-
teri Theologi docent, omne matrimonium va-
lidum, esse naturâ suâ indissolubile. Unde sit

§. II.

Conclusio affirmativa statuitur.

DIco igitur, Secundùm legem naturæ matri- 4.
monium indissolubile est; quamvis post
consummationem, majorem jure naturali habeat
indissolubilitatem.

Prima pars probatur primò: Tale est matri-
monium secundùm legem naturæ, quale fuit à
Deo institutum: Sed institutum fuit à Deo inso-
lubile: Ergo est tale, secundùm legem naturæ. Mi-
nor constat ex suprà dictis, Major verò probatur
ex communi Theologorum sententia, quâ do-
cent, Deum in Paradiso terrestri nullum præce-
ptum positivum imposuisse Adamo, præter unum,
de non edendo de fructu arboris: Ergo si insti-
tuendo matrimonium, præceptum dedit de ejus
indissolubilitate, illud non fuit positivum, sed
naturale, subindeque matrimonium jure naturæ
indissolubilitatem habet. Quæ ratio probat om-
ne matrimonium, seu ratum, seu consumma-
tum, prout est in officium naturæ, esse jure na-
turali indissolubile, cùm Adamus verba illa:
*Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, &
adhærebit uxori suæ*, quibus in persona Dei, &
ex instinctu Spiritus Sancti, indissolubilitatem
matrimonii declaravit, antequam matrimonium
ejus cum Eva esset carnali copulâ consumma-
tum, pronuntiaverit.

Probatur secundò eadem pars: Cùm Scriptu- 5.
ra dicat: *Relinquet homo patrem & matrem, &
adhærebit uxori suæ*, firmius est vinculum matri-
monij inter virum & uxorem, quàm inter filium
& parentes, propter quod in communibus neces-
sitatibus providere debet vir potiùs uxori & fa-
miliæ, quàm parentibus, & thesaurizare potiùs
illis, quàm istis: Sed vinculum inter filium &
parentes est naturale & perpetuum: Ergo multò
magis inter virum & uxorem.

Probatur tertiò: Dissolutio matrimonij est 6.
contra naturam ejus: Ergo secundùm legem na-
turæ, matrimonium est insolubile. Consequen-
tia patet, Antecedens verò probatur. Poligamia
quâ quis simul habeat plures uxores, est contra
naturam matrimonii, ut disp. 1. art. 3. ostensum
est: Ergo & à fortiori dissolutio matrimonij.
Consequentia probatur primò, quia dissolvere
matrimonium, est omnino ipsum destruere, cùm
essentialiter consistat in nexu; at verò secundam
uxorem primæ superinducere, non est destruere
matrimonium. Secundò, pluralitas uxorum si-
mul ideò est contra naturam, quia adversatur
fini secundario naturæ in matrimonio, ut loco
citato fusè declaravimus: Atqui similiter, &
multò magis, solutio matrimonii adversatur fini
secundario ejus, imò & primario, ut constabit ex
dicendis probatione sequenti: Ergo multò magis
est contra naturam matrimonij.

Demum eadem prima pars nostræ conclusio- 7.
nis probari potest ex D. Thoma hic quæst. 67.
art. 1. ubi sic discurrit: *Matrimonium ex inten-
tione ordinatur ad educationem prolis, non solùm ad
aliquod tempus, sed per totam vitam prolis, unde
de lege naturæ est quod parentes filiis thesaurizent,
& filij parentum hæredes sint; & ideò cùm proles
sit commune bonum viri & uxoris, oportet eorum
societatem perpetuò manere indivisam, secundùm
legis naturæ dictamen, & sic inseparabilitas matri-
monij est de lege naturæ.*

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio, 8.

hoc discursu: Matrimonium est contractus in- A
ter marem & fœminam, suâ naturâ ordinatus ad
prolis procreationem & educationem: Sed con-
jugum inseparabilitas ad hujus finis consecutio-
nem necessaria est: Ergo matrimonium ex natura
sua exigit conjugum inseparabilitatem. Major
patet, Minor probatur. Perfecta procreatio &
educatio prolis tria exigit, nempè certitudinem
ex parte patris, cui potior incumbit cura prolis:
educationem & instructionem quoad vitam &
mores; cùm enim homo animâ & corpore con-
stet, ad perfectam sui educationem, non solùm
requirit alimenta corporis, sed etiam animi, per
diligentem morum institutionem. Item ad per-
fectam prolis educationem requiritur, ut filij B
succedant parentibus quoad bona fortunæ, &
quod parentes thesaurizent filiis; præsertim cùm
proles, ut pars à parentibus decisa, à natura or-
dinetur ad suos progenitores, quoad fieri potest,
perfectè repræsentandos, & parentes quoad si-
militudinem speciei conserventur in filiis: Sed
ad hæc tria conjugum inseparabilitas necessaria
est; conjugis enim separatio, vel reddit prolem
incertam, si uxor v. g. post copulam carnalem
cum marito, alteri nubat; tunc enim nequit
certò sciri, an nata proles sit prioris vel poste-
rioris viri; vel impedit perfectam prolis instru-
ctionem aut educationem; destituta enim ab uno
parente, non ita perfectè instruitur ab altero;
cùm multa sint quibus proles eget ex parte pa- C
tris, & plura quibus indiget ex parte matris, quæ
non tam benè suppleri possunt ab eo ad quem
proles non pertinet; ut experientia quotidiana
docet in prole, quæ altero parente mortuo, tran-
sit sub cura novercæ, vel vitrici. Unde ut no-
tat D. Thomas 3. contra Gent. cap. 123. aves
illæ ad quarum prolem educandam requiritur
utriusque parentis opera, tandiu commanent si-
mul, quoad usque proles sit perfectè educata,
& instructa, ut sibi ipsa valeat de necessariis
providere. Demum nisi pater & mater simul
commaneant, non possunt ita commodè filiis
thesaurizare, nec tantam divitiarum copiam,
quam filiis hæreditario jure relinquant, congre- D
gare: Ergo &c.

8. Ex his probata manet secunda conclusionis
pars, quæ asserit, matrimonium post consum-
mationem, majorem jure naturæ exigere indisso-
lubilitatem. Dissolutio enim matrimonij, post
ejus consummationem, primò facit injuriam pro-
li, quæ per carnalem conjugum copulam, jus
acquirit ad sui procreationem, in ipso semine,
matrimonij copulâ proseminato; & ad sui edu-
cationem, si jam fœtus in uxoris utero sit effor-
matus. Secundò per illam gravis irrogatur injus-
ria uxori, quæ defloratæ dimittitur; unde S.
Thomas 3. contra Gent. cap. 123. *Si quis* (inquit) E
*mulierem assumens tempore juventutis, quo & decor
& fœcunditas ei adsint, eam dimittere posset, post-
quam ætate provecta fuerit, damnum inferret mu-
lieri contra naturalem æquitatem.* At neutram
injuriam includit matrimonium, nondum carna-
li copulâ consummatum; non conjugis defloratæ,
cùm nondum sit carnaliter cognita; nec
prolis, cùm nullum ante carnalem copulam jus
acquisierit; nam primò illud acquirit per semen
è lumbis parentis decisum, quod est ipsa prolis
inchoatio. Ergo majorem indissolubilitatem exi-
git jure naturæ matrimonium consummatum,
quàm ratum.

§. III.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò: Omnis res per quascumque 9.
causas nascitur, per easdem dissolvitur, ut
dicitur in jure: Sed vinculum matrimonij nasci-
tur ex mutuo contrahentium consensu: Ergo
per eundem consensum dissolvi potest, atque
adeò non est ex natura sua insolubile.

Confirmatur: Alij contractus humani & civi-
les, ex mutuo contrahentium consensu dissolvi
possunt: Ergo & contractus matrimonialis.

Ad objectionem respondeo, Majorem esse 10.
veram duntaxat in iis rebus quæ ex natura sua
sunt solubiles, & quarum dissolutionem non si-
bi reservavit superior, de quarum numero nega-
mus esse contractum matrimonij; se habet enim
quemadmodum anima rationalis, quæ licèt nun-
quam producatur, nisi cum aliqua dependentia
ab agente naturali, postea tamen ab eo corrum-
pi non potest, quia ex natura sua incorrupti-
bilis est.

Ad confirmationem, concesso Antecedente,
nego consequentiam & paritatem, hoc enim in-
ter matrimonium & alios contractus intercedit
discrimen, quòd isti, cùm non ordinentur ex
natura sua ad aliquem finem qui requirat insolu-
bilitatem, ex natura sua possunt dissolvi; at
verò contractus matrimonij, ordinatur ad ali-
quem finem qui requirit insolubilitatem ex na-
tura sua, nimirum ad prolis procreationem &
educationem, ad quam conjugum inseparabili-
tas necessaria est, ut in ultima probatione de-
claravimus.

Objicies secundò: Papa non potest dispensare 11.
in his quæ sunt de jure naturæ: Sed matrimo-
nium ratum, non consummatum, potest Ponti-
ficiâ authoritate dissolvi: Ergo saltem matrimo-
nium ratum non est jure naturæ insolubile. Ma-
jor videtur certa, Minor verò probatur ex facto
plurium Summorum Pontificum, qui in matri-
monio rato dispensarunt, ut de Martino V. Euge-
nio IV. Paulo III. Julio III. Paulo IV. Gre-
gorio XIII. referunt Covaruvias 4. decret.
part. 2. cap. 7. paragr. 4. Henriquez lib. 11.
cap. 8. & Navarrus in Summa cap. 22. qui addit
suo tempore Paulum III. & Pium IV. ter vel
quater dissolvisse quædam matrimonia clandesti-
nè contracta, nondum consummata. Suarez
etiam tomo 3. de relig. lib. 9. cap. 24. ait sibi ex
proprio diplomate constitisse, Gregorium XIII.
in matrimonio rato dispensasse inter conjuges
qui suo tempore vivebant. Demum Spondanus
in Annalibus Ecclesiasticis, ad annum 1599. n. 4.
refert ita judicatum fuisse ab octo Cardinalibus,
& aliis delegatis à Clemente VIII. ad judican-
dum de causis dissolutionis matrimonij inter Si-
gismundum Battorium, Transylvaniæ Principem,
& Mariam Austriæ; illorumque judicium au-
thoritate Apostolicâ fuisse executioni mandatũ.

Huic argumento respondent plures ex recen- 12.
tioribus Theologis, negando Majorem, existi-
mant enim Summum Pontificem posse in aliqui-
bus, quæ sunt de jure divino & naturali dispen-
sare, non per potestatem quam habeat ex se, sed
specialiter sibi à Christo communicatam, ob pu-
blicum bonum Ecclesiæ; unde licèt matrimo-
nium sit divino naturalique jure insolubile, nihi-
lominus (inquiunt) potest Pontifex in matrimo-
nio rato dispensare, propter gravissimas causas

Universidad de Deusto
Biblioteca

animarum salutem concernentes. Add unt quod causæ rationabiles dispensationis esse possunt, notabilis in qualitate & conditione contrahentium disparitas; sæpè enim nimia affectio excœcat amantem, ipsumque inducit ad contrahendum cum persona, qualitate & conditione longè dispari: probabile periculum futuri scandali, aut perpetuæ inter ipsos conjuges dissensionis; morbus contagiosus vel incurabilis superveniens, aut qui ante contractum matrimonium conjugem latebat.

13. Verùm licèt hæc responsio & doctrina practicè probabilis sit, tum ob authoritatem plurium Summorum Pontificum, qui eam ad praxim revocarunt, tum ob sufftagium plurium Theologorum & Canonistarum, qui ei adhærent, speculativè tamen minùs videtur probabilis: Primò, quia si non possit Summus Pontifex, ut fatentur omnes, dispensare in poligamia, sive ante, sive post consummationem matrimonij, multò minùs in indissolubilitate, cùm dissolubilitas magis repugnet naturæ & fini matrimonij, quàm poligamia, ut constat ex dictis in tertia probatione conclusionis.

14. Secundò, Si credibile sit Christum dare Summo Pontifici potestatem dispensandi in matrimonio rato, quia hoc expedire videtur ad bonum publicum Ecclesiæ, & saluti spirituali animarum; similiter ob eandem rationem dici poterit, Papam à Christo accepisse facultatem dispensandi in matrimonio consummato, quia similiter interdum videtur pertinere ad bonum publicum Ecclesiæ, ut in matrimonio consummato dispenset; putà si aliquis Princeps Christianus duxisset uxorem sterilem, & nisi hæredes regni relinqueret, Princeps aliquis infidelis vel hæreticus deberet ei succedere.

15. Tertiò, Plures docti & pij Pontifices, hanc sententiam minùs probabilem judicarunt, ideóque eam ad praxim reducere, & in matrimonio rato dispensare, constanter renuerunt, ut de Innocentio VIII. Adriano VI. & Pio V. refertur: imò Ledesma asserit, neminem ante Martinum V. ausum fuisse talem dispensationem concedere, quamvis per quatuordecim sæcula, quamplurimæ hujus dispensationis faciendæ occasiones occurrerint. Varia etiam Pontius lib. 9. cap. 3. adducit veterum Pontificum decreta, quibus declarant, causas illas quas recentiores Theologi rationabiles existimant ad dispensandum in matrimonio rato, non esse sufficientes ad dissolvendum tale matrimonium. Hac ergo responsione prætermissâ, vel in sua probabilitate relictâ.

16. Respondeo ad objectionem, concessâ Majori, negando Minorem, & ad illius probationem desumptam ex facto Summorum Pontificum, qui in matrimonio rato dispensarunt, dico illos usos esse opinione quam probabliorem existimarunt, eò quòd apud Canonistas communis sit; quod in re obscura, & utrimque probabili, ipsis licuit: quamvis enim non liceat uti opinione minùs probabili, in concursu alterius quæ existimatur probabilior; si tamen opinio, quæ in se minùs probabilis est, alicui videatur probabilior, non peccat, si eam in praxi sequatur, quia tunc excusatur ex ignorantia invincibili; ut in dissertatione de probabilitate, quam post Tractatum de moralitate actuum humanorum adjecimus, fusè ostensum est.

§. IV.

Corollaria notatu digna.

17. EX dictis colligitur primò, nullum matrimonium neque fidelium neque infidelium, non solùm post, sed neque ante carnalem copulam; solo conjugum consensu validè dissolvi posse; matrimonium enim indissolubilitatem habet ex præcepto divino & naturali, quod ad omnes homines se extendit, quodque Adam in paradiso accepit posteris omnibus communicandum, Genes. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Quæ verba fuisse à Deo dicta, & per Adam posteris promulgata, significavit Christus Matth. 19. dum hæc verba non in Adam, sed in Deum retulit. Unde Augustinus lib. 9. super Genesim ad litteram cap. 18. *Hæc verba* (inquit) *cùm primi hominis fuisse Scriptura testetur, Dominus tamen in Evangelio Deum dixisse declaravit, ut hinc intelligeremus propter extasim, quæ præcesserat in Adamo, hoc cum divinitus tanquam prophetam dicere potuisse.* Et Tridentinum sess. 24. initio: *Matrimonij perpetuum indissolubilemque nexum, primus humani generis parens, Divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cùm dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis.* Unde licèt fortè aliqui Gentiles, ob invincibilem ignorantiam hujus præcepti, excusentur, si matrimonium in casu aliquo urgentissimo, ex mutuo consensu dissolvant, dissolutio tamen ejus non erit valida, cùm in ea desit consensus Dei, quem non censetur præbere, nisi in duobus casibus infrà referendis, cùm nimirum alter conjugum infidelium ad Christianam fidem convertitur, & alter remanens in infidelitate non vult cum eo habitare absque contumelia Creatoris; & cùm unus ex conjugibus ante consummationem matrimonij, in aliqua Religione approbata professionem emittit. De quo infrà.

18. Colligitur secundò, matrimonium Christianorum magis esse indissolubile, quàm matrimonium infidelium; nam matrimonium fidelium indissolubilitatem habet non solùm ex jure naturæ, sed etiã ex sacra significatione unionis Christi cum Ecclesia, quæ ei convenit quatenus est novæ legis Sacramentum: hanc verò significationem non habet matrimonium infidelium, ut docet D. Thomas in 4. dist. 26. quæst. 2. art. 2. Ratio est, quia conjunctio Christi cum Ecclesia, quam matrimonium significat, non est per similitudinem tantùm naturæ, quam Christus habet cum toto genere humano, sed per fidem & charitatem, quâ ut sponsus Ecclesiam ut sponsam diligit, ut ex Pauli discursu colligitur, qui maritos adhortatur ad uxores diligendas, sicut Christus dilexit Ecclesiam: ad hanc autem conjunctionem significandam matrimonium infidelium, utpotè fide carens, aptum non est. Unde Innocentius III. cap. *Quantò*, de divortiis, sic ait: *Etsi verum matrimonium inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit, quia sacramentum fidei quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit cõjugij sacramentũ ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.* Ex quo intelliges rationem ob quam matrimonium consummatum infidelium, per alterius conjugis ad fidem conversionem, dirimi possit, non autem fidelium per unius conjugis apostasiam à fide, tametsi nonnunquam majus periculum

periculũ sit, ne hìc per conjugem à fide aversum, quam ille per conjugem in sua infidelitate perseverantem, pervertatur; quia nimirum matrimonium infidelium non est à Christo assumptum, ad significandam indissolubilem sui cum Ecclesia conjunctionem, sicut matrimonium fidelium.

19. Colligitur tertiò, matrimonium in lege nova, esse magis indissolubile, quàm fuerit in lege naturæ vel in lege Mosaïca. Nam ut docet S. Doctor loco citato, matrimonium fidelium ante Christi adventum, non significabat unionem Christi cum Ecclesia, hanc enim significationem accepit in lege Evangelica, cum fuit elevatum à Christo ad dignitatem Sacramenti novæ legis; tum quia congruentius fuit quod eam haberet, post factam Verbi cum natura humana, & Christi cum Ecclesia conjunctionem: tum etiam, quia ante Christi adventum licitum erat matrimonium unius cum pluribus uxoribus; hoc verò matrimonium aptum non erat ad significandam unionem Christi cum Ecclesia, quæ est una, & multò minùs Verbi cum humanitate assumpta, quæ etiam unica est. Ex quo intelliges, cur in lege Mosaïca matrimonium esset solubile per libellum repudij, ut dicemus articulo sequenti, in lege verò Evangelica id non liceat; quia nimirum in lege nova significat unionem Christi cum Ecclesia, quam Deus nunquam repudiabit juxta illud Oseæ *sponsabo te mihi in sempiternum*; in lege verò Mosaïca, hac significatione carebat.

ARTICULUS II.

An repudium olim fuerit licitum Judæis, & Romanis, aliisque Gentilibus, ita ut repudiando uxores, non peccarent, Deo dispensante in lege naturæ?

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & referuntur sententiæ.

20. CONstat ex dictis articulo præcedenti, jure naturali matrimonium esse inseparabile, idque triplici de causa. Prima, quòd matrimonium sit genus quoddam amicitiæ omnium conjunctissimum, & amicitia ex natura sua appetat individuam vitæ societatem. Secunda ex fine matrimonij, qui est filios benè educare, non tantùm gignere: quod commodè fieri non potest, si conjuges separentur. Tertia, propter hæreditates de quarum successione cura esse debet parentibus, nec posset esse satis accurata, si conjuges separarentur passim. Nihilominus hoc naturæ jus non est tam arctum, quin relinquat sæpè locum, si occurrat aliquod majus bonum expetendum, vel gravius malum vitandum. Unde olim in lege Mosaïca permittebatur Judæis uxores dimittere, & libello repudij uxori dato, aliam ducere: Deuteronomij enim 24. sic dicitur: *Si acceperit homo uxorem, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua.* Forma verò hujus libelli, seu verba in eo contenta, hæc erant: *Ego Rabbi Simeon, filius Rabbi Abraham, filij Rabbi David, filij Rabbi Salomonis, die primâ mensis secundi, anno à creatione mundi &c. hic & in hac civitate, ex animi mei consensu, & sine ulla coactione, repudiavi Rachel filiam Rabbi Mosis, filij Rabbi Ioseph, filij Rabbi Jacob; & dedi illi libellum repudij in manu, schedam abscissionis, & signaculum divisionis, ut sit à me abjecta, & abeat quocumque voluerit, ducique possit ab omni viro, nec eum quisquam prohibere præsumat, juxta constitutiones Moysis, & Israël.* Debebat autem hic libellus, non ab ipso repudiante, sed ab aliquo docto scriba componi; idque duplici de causa, primò, ut mora scribendi tardiorem maritum redderet ad repudiandum, daretque tempus maturiùs ea de re deliberandi, extincto interea, vel remisso fervore odij & iracundiæ, ut notat S. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 26. ubi ait quod talis libellus debebat scriptis mandari, *ut in dissidium animus præceps, libelli conscriptione refractus, abstineret, & quid mali esset uxorem dimittere, cogitaret.* Secundò, ut scribæ à quibus exarari debebat, & quibus repudij causa exponenda erat, de ea secundùm legem judicarent, & si justa non esset, repudium impedirent, conjugatosque ad pacem & concordiam revocarent. *Quia ut perhibent* (subdit idem S. Doctor) *apud Hebræos scribere litteras Hebræas nulli fas erat, nisi scribis solis, cùm & excellentiorem profiterentur sapientiam; & si qui eorum essent æquitate ac pietate præditi, non tantùm profiterentur sapientiam, sed etiam sectarentur. Ad hos igitur quos oporteret esse prudentes legis interpretes, & justos dissidij dissuasores, lex voluit mittere eum, quem jussit libellum repudij dare, si dimisisset uxorem. Non enim poterat scribi libellus, nisi ab ipsis qui per hanc occasionem, & necessitatem, venientem quodammodo in manus suas, bono consilio regerent; atque inter ipsum & uxorem, pacificè agendo, dilectionem, concordiamque suaderent.*

21. Porrò libellus repudij in lege Mosaïca dari non debebat, nisi ex gravi aliqua & justa causa, quæ verbis Deuteronomij suprà relatis, generaliter nomine fœditatis exprimitur; putà sterilitas, quæ apud Judæos erat ignominiosa, lepra, morbus perpetuò impediens debiti conjugalis redditionem, veneficium, ebriositas, morositas, & rixæ perpetuæ, vel mali mores mulieris turbantes pacem domesticam, liberisque valde nocentes malo exemplo. Quare non sufficiebat levis causa, ut colligitur ex verbis illis Malachiæ 2. *Cùm odio habueris* (uxorem tuam) *dimitte dicit Dominus Deus Israël.* Quæ verba ironicè dicta esse à Deo, plures Interpretes asserunt, & indicant verba immediatè præcedentia: *Custodite ergo spiritum vestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere*; unde illis Deus reprehendit Israëlitas, eâ solâ de causa odio habentes & repudiantes uxores suas, quòd illæ minùs essent pulchræ quàm alienigenæ.

22. Demum necesse non erat, ut in libello repudij ejus causæ specialiter exprimerentur, sed tantùm in generali, ut ostenderetur justum repudium, ut ait S. Thomas hìc quæst. 67. art. 7. Imo aliqui docent, nequidem in generali causas repudij scribi debuisse, tum quia in forma libelli suprà relata non exprimuntur; tum etiam, quia hoc ipsò quod libellus à scribis exarari debebat, constabat authenticè causam esse justam, utpotè talem ab illis judicatam. Plura de forma repudij Judaïci videri possunt apud Abulensem in cap. 19. Matth. cap. 52. & sequentibus.

Constat, etiam quòd non solùm Judæi, sed etiam plerique Gentilium, olim solebant uxores repudiare,

Universidad de Deusto
Biblioteca

repudiare, ut alias ducerent, sicut de Medis & Persis constat ex libro Esther cap. 1. ubi Assuerus repudiat Vasthi, & de Philistinis ex Judic. 14. ubi Samsonis uxor accepit eo relicto maritum alterum de amicis ejus, & pronubis, putans se ab eo desertam & dimissam fuisse. Olim etiam Romani, libello per nuntium misso, uxores repudiabant, his verbis: *Res tuas tibi habeto. Res tuas tibi agito*, ut scribit Cajus Jurisconsultus lib. de divortiis, Digest. *de divortiis*. Hæc tamen divortia rarò fiebant, quando illorum mores erant magis integri. Unde scribit Tertullianus in Apologetico cap. 6. sexcentos ferè annos ab urbe condita fuisse transactos, antequam ullum repudium visum esset Romæ. Asserit etiam Gellius lib. 4. cap. 3. & Plutarchus in Theseo, & Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. neminem repudiasse uxorem in Republica Romana, ante Spurium Carbilium Geman, longo tempore post conditam urbem, idque eum ad id fuisse coactum, quòd haberet uxorem, ex qua propter vitium corporis non posset filios suscipere. Ut autem mores collapsi sunt, repudia adeò creverunt, ut dicat Tertullianus loco citato: *Nunc repudium votum est, & matrimonij fructus.* Et cap. 39. scribat Catonem & Socratem, absque ulla causa, dimisisse uxores suas & amicis tradidisse: (*O sapientiæ* (inquit) *Atticæ! O Romanæ gravitatis exemplum! Leno est Philosophus & Censor.*

24. Hæc sunt certa & indubitata apud omnes, sed difficultas est & controversia inter Theologos, an repudium licitum fuerit Judæis, vel solùm permissum, aut toleratum; & an Romani, aliique Gentiles, repudiando uxores, peccarent contra legem naturæ, quâ matrimonij indissolubilitas præcipitur, ut articulo præcedenti ostendimus, vel utrum fuerint dispensati à tali lege, ut de Hebræis dicemus.

25. Prima sententia asserit, nunquam in veteri lege fuisse licitum repudiare uxorem, sed tantùm permissum ut impunè fieret, ad majus malum vitandum, ne videlicet Judæi suas uxores occiderent; præstabat siquidem eas dimittere potiùs quam interficere. Quare juxta hanc opinionem, peccabant Judæi dimittendo suas uxores, & vinculum matrimonij non solvebatur; ac proinde si mulieres dimissæ accipiebant novos maritos, non erat novum matrimonium, sed adulterium. Quod autem viri possent alias ducere, non erat per accessionem novi juris ex repudio, sed ex eo quod poligamia tunc esset licita, propter multiplicationem populi fidelis. Hanc opinionem docet D. Hieronymus in cap. 19. Matth. ad verba illa: *Moyses ad duritiem, &c.* ubi hæc scribit: *Nunquid potest Deus sibi esse contrarius, cùm aliud jusserit, & sententiam suam novo frangat imperio? Non ita sentiendum est: Sed Moyses cùm videret propter desiderium secundarum conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, primas uxores interfici, aut malam vitam ducere, maluit indulgere discordiam, quàm odia & homicidia perseverare.* Idem docent Glossa, & Lyranus in cap. 5. Matth. Magister in 4. dist. 33. D. Bonaventura ibidem art. 3. quæst. 1. Sotus ibidem quæst. 2. art. 2. concl. 2. Henriquez, Sylvius, & alij.

26. Secunda docet, sub lege Mosaïca, Deo dispensante in lege naturali, permissum fuisse Judæis repudiare uxores, non solùm impunè, sed etiam licitè, ita ut non peccarent repudiando, & per libellum repudij, vinculum conjugale solveretur. Ita Author operis imperfecti in Matth. homil. 34. D. Thomas Matth. 19. Albertus Magnus in 4. dist. 33. art. 25. Durandus ibidem quæst. 3. Paludanus quæst. 1. art. 2. Bellarminus de matrim. cap. 17. Sanchez lib. 10. de matrim. disp. 1. aliique plurimi ab ipso relati.

Tertia existimat, repudium licitum fuisse non solùm Judæis, sed etiam Gentilibus, eosque repudiando uxores, non peccasse contra legem naturæ; quia repudio usi sunt prudentissimi viri, qui nullâ passione ducti, id ut licitum, & à lege naturali minimè abhorrens judicarunt; ut constat tum de Romanis Jurisconsultis, ex quibus omnis penè Jurisprudentia ad nos derivata est; tum de Platone, qui lib. 11. de legibus, separationem viri ab uxore suadet, quando conjuges propter morum acerbitatem inter se non conveniunt. Ita Abulensis in cap. 19. Matth. quæst. 66. ad 5. & Veracrux apud Sanchem citatum, num. 8.

27.

§. II.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

DIco primò, olim permissum fuisse Judæis repudiare uxores, non solùm impunè, sed etiam licitè, ita ut eas repudiando non peccarent, Deo in lege naturæ dispensante, & matrimonij vinculum, per legem repudij dissolvente.

28. Probatur primò: Verba suprà relata ex Deuteronomio, propriè sumpta & simpliciter, ut sonant, non significant tantùm permissionem seu tolerantiam minoris mali, ad vitandum majus, sed licentiam & potestatem juris, ad repudiandum uxorem: Sed verba Scripturæ, quoad fieri potest, in sensu proprio & nativo intelligenda sunt, juxta regulam traditam à S. Augustino lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10. præcipuè verò in legibus, quæ claræ esse debent: Ergo per legem repudij permittebatur Judæis non solùm impunè, sed etiam licitè, repudiare uxores; præsertim cùm ex nullo loco Scripturæ colligi possit, Deum vim obligandi à lege non abstulisse, & cùm non aliter loquatur Moyses in aliis quæ non permitti solùm seu tolerari, sed & licitè fieri poterant à Judæis.

29. Confirmatur: Quamvis in lege veteri aliqua peccata permitterentur sine punitione, sæpè tamen reprehendebantur de illis Judæi à Prophetis, ut constat de usuris, quæ illis permittebantur circa alienigenas, de iis enim redarguuntur Ezechiel. 18. & Psal. 14. Sed nusquam in tota Scriptura legitur, quod repudiantes uxores, servato modo à Moyse præscripto, reprehendantur. Nam si ironicè intelligendum sit illud Malachiæ 2. *Cùm odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israël*, ut plures Scripturæ Interpretes existimant; & si verbis illis Deus ironicè carpat dimittentes uxorem, loquitur de Judæis, qui sine justa causa eas oderant, & dimittebant, ut alienigenas, quia pulchriores sibi videbantur, acciperent, ut suprà annotavimus.

30. Probatur secundò conclusio: Per libellum repudij verè solvebatur vinculum conjugale: Ergo verè Deus dispensabat in lege naturæ indissolubilitatem matrimonij præscribente, subindeque non solùm impunè, sed etiam licitè, poterant Judæi uxores repudiare, & uxores repudiatæ aliis nubere. Utraque consequentia patet, Antecedens verò probatur primò, quia libellus ipse repudij, qui Hebraïcè *libellus discissionis*, seu *abscissionis* dicebatur, satis hanc conjugalis vinculi solutionem insinuabat. Secundò, quia lex Mosaïca non permittebat fœminis nubere duobus viris: Sed concedebat Deuteron. 24. mulieri repudiatæ, ut nuberet alteri viro: Ergo per libellum repudij dissolvebatur prius matrimonium. Tertiò, lex Moysis prohibebat, ne repudiata, mortuo secundo marito, unquam reciperetur à priori viro: At si repudium non solvisset priùs matrimonium, & consequenter fuisset illicitum, non erat prohibendum, sed potiùs optandum, ut uxor rediret ad priorem suum maritum, si illam voluisset recipere; non fuisset siquidem periculum ne illam occideret, quia in casu quo ei postea iterum displicuisset, æquè eam impunè secundâ vice repudiare potuisset: Ergo per libellum repudij verè matrimonium solvebatur. Quartò, non videtur divinæ providentiæ congruum, permittere legem quæ subditis ansam præbeat passim & impunè adulteria permittendi, cùm Deus quantùm est ex se semper peccata impediat: At si per legem repudij non fuisset solutum vinculum conjugale, & Deus non dispensasset in præcepto naturali de matrimonij indissolubilitate, quod ab initio mundi Adæ & posteris ejus inviolabiliter servandum dedit, Deus passim & impunè adulteria permisisset seu toleràsset; nam cùm repudiata non potuisset validè nubere alteri, continua cum eo adulteria perpetrasset: Ergo per libellum repudij matrimonij vinculum solvebatur. Demum Exodi 21. lex erat ut si servo dominus dedisset uxorem, & & peperisset filios, anno septimo servus egrederetur liber, uxor autem & liberi manerent sub potestate domini; quod certè signum est, fuisse tunc vinculum matrimonij dissolutum; aliàs enim uxor debuisset in perpetuo cœlibatu manere, cùm tamen non sit credibile, mulieres in veteri lege fuisse coactas servare perpetuum cœlibatum, qui eo tempore erat planè inusitatus.

31. Dico secundò, repudium non fuisse licitum, Gentilibus, sed solis Hebræis.

Ratio est, quia indissolubilitas matrimonij est de jure naturæ, quod non solùm ad fideles, sed etiam ad infideles & Gentiles se extendit: At in hoc jure non fuit dispensatum, nisi cum solis Hebræis: Ergo reliquæ Gentes manserunt hoc jure astrictæ, subindeque apud illas non fuit licitum repudium. Major constat ex dictis articulo præcedenti, Minor verò ex eo patet, quod nullibi talis dispensatio cum Gentibus facta extet: nullum autem privilegium, in juris communis præjudicium, sine manifesta Principis dispensatione, præsumendum est. Ex quo intelliges, peccasse contra legem naturalem Romanos, aliosque Gentiles, apud quos solo conjugum consensu, nullâ justâ interveniente causâ, frequenter legitima matrimonia dissolvebantur: qui abusus correctus fuit per authent. Theodosij, Valentiniani, & Justiniani, ut constat ex capite de repudiis, l. *Consensu* & sequentibus.

Aliqui tamen Gentilium excusari possunt à culpa repudij, ratione ignorantiæ invincibilis, quia indissolubilitas matrimonij non deducitur immediatè ex principiis per se notis, sed per remotas consequentias ex illis colligitur; unde præceptum divinum & naturale de indissolubilitate matrimonij invincibiliter poterant ignorare, & existimare in aliquibus casibus matrimonij solutionem, ejus indissolubilitati prævalere. Vix tamen Imperatores Christiani, qui repudium concesserunt, à culpa excusari possunt, licèt aliqui eos excusare conentur, dicendo, eos minimè approbasse aut permisisse repudia tanquam licita, sed tanquam minùs mala, & ut graviora mala præcaverentur, toleràsse. *Permittimus enim* (inquit Chrysostomus) *quod nolentes indulgemus; quia pravam hominum voluntatem, ad plenum prohibere non possumus. Permittitur ergo fieri mala, ne fiant pejora.* Existimant etiam aliqui, Deum interdum dispensasse cum quibusdam Gentilibus in lege naturali de matrimonij indissolubilitate, ut cum Assuero, qui Vasthi repudiavit, & Esther duxit uxorem; quia (inquiunt) tale repudium in salutem totius Gentis Hebraïcæ, quam Aman perdere & abolere volebat, à Deo fuerat ordinatum. *Homil. 32. super cap. 19. Matth.*

Ex dictis in hac secunda conclusione infertur, infideles ad Christianismum conversos, si tempore infidelitatis legitimas uxores repudiaverint, cogendos esse ad illas redire, quamvis jam aliud iniissent matrimonium; quia secunda uxor, quam, priori repudiatâ, duxerunt, non est legitima, cùm prioris repudium invalidum fuerit, utpotè juri naturali repugnans.

§. III.

Solvuntur objectiones.

32. OBjicies primò contra primam conclusionem: D. Thomas hic quæst. 67. art. 3. enumeratis tribus modis, quibus aliquid permitti dicitur, subdit: *Quartus est per privationem punitionis, & sic libellus repudij in lege permissus fuit, non quidem propter aliquod majus bonum consequendum, sicut fuit dispensatio de pluribus uxoribus habendis, sed propter majus malum cohibendum, scilicet uxoricidium, ad quod Judæi proni erant, propter corruptionem irascibilis; sicut & permissum est eis extraneis fœnerari, propter corruptionem aliquam in concupiscibili, ne scilicet fratribus suis fœnerarentur; & sicut etiam propter corruptionem suspicionis in rationali, fuit permissum sacrificium zelotypiæ, ne sola suspicio apud eos judicium corrumperet.* Et 3. contra Gent. cap. 123. *Excluditur* (inquit) *consuetudo dimittentium uxores, quod tamen in veteri lege permissum fuit Judæis, propter eorum duritiam; quia scilicet proni erant ad occisionem uxorum: permissum ergo fuit minus malum, ad excludendum majus malum:* Ergo juxta D. Thomam, repudium non fuit licitum Judæis, sed duntaxat permissum seu toleratum, ad vitandum majus malum, scilicet uxoricidium.

33. Respondeo D. Thomam in supplemento, desumpto ex quarto sententiarum, utramque opinionem ut probabilem defendere, & respondere argumentis utriusque; quia tamen opinio doctrinæ nostræ adversa, eo tempore quo scripsit commentaria in libros sententiarum, communior erat, in eam magis inclinavit, sic concludens articulum citatum: *Dicunt alij, quod quamvis repudiare uxorem, per se sit malum, tamen ex permissione divina licitum fiebat, &c. Et quamvis hoc probabiliter dicatur, tamen primum communius sustinetur: ideò ad utrasque rationes respondendum est.* Similiter in Summa contra Gentiles, in sententiam nostræ adversam, ut probabiliorem, magis inclinavit. Sed in cap. 19. Matth. è contra in nostram opinionem magis propendet, dicens quod licèt repudium *inordinatum quid esset, nolue-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

noluit tamen Deus quod Iudæis imputaretur ad A *culpam*, idque probat ex Chrysostomo dicente quod *à peccato abstulit peccati culpam*, dispensando scilicet in lege naturæ, prohibente dissolutionem matrimonij. Præterea idem S. Doctor 1.2. quæst.102. art.5. ad 3. dicit expressè, quod ideò in veteri lege matrimonium non erat Sacramentum conjunctionis Christi cum Ecclesia, *quia dabatur in ea libellus repudij, quod est contra rationem Sacramenti.* Ex quo sic licet arguere: Ut hæc ratio valeret, necesse est quod per libellum repudij, dissolveretur matrimonium in lege veteri, non tantùm quoad habitationem & thorum, sed etiam quoad vinculum; sola enim dissolutio quoad vinculum, est contra rationem Sacramenti, quandoquidem in lege Evangelica B dissolvuntur matrimonia quoad thorum & habitationem, & tamen hoc non est contra rationem Sacramenti, aliàs enim fieri non posset: Sed si dissolveretur matrimonium in lege veteri, etiam quoad vinculum, per libellum repudij, cùm indissolubilitas matrimonij sit de lege naturæ, hoc non fiebat, nec fieri poterat, nisi Deo dispensante, & consequenter non tantùm impunè, sed etiam licitè, poterant Judæi uxores suas repudiare: Ergo &c

34. Objicies secundò: Christus Matthæi 19. Pharisæis interrogantibus, si liceret homini quacumque ex causa dimittere uxorem? Respondit, non licere, eò quòd obstet institutio matrimonij. Ipsis autem replicantibus: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudij, & dimittere?* Ait: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri, permisit vobis dimittere uxores vestras.* Ex quibus sic arguitur: Non est credibile, Deum in jure naturali dispensasse generaliter, nisi propter finem aliquem honestum, qualis erat multiplicatio generis humani, & specialiter populi fidelis, quomodo dispensabat in lege monogamiæ: Atqui talis finis non reperitur in permissione repudij; solam enim ejus rationem assignat Christus duritiam cordis Judæorum: Ergo non dispensabat Deus, sed tantùm tolerabat impunè, & consequenter peccabant Judæi repudiando suas uxores.

Confirmatur: Libellus repudij datus est propter duritiam cordis Judæorum: Sed talis duritia non excusabat eos à peccato: Ergo nec lex de libello repudij. D

35. Ad objectionem respondeo quod licèt in permissione divortij non reperiretur ille finis, qui reperiebatur in lege monogamiæ, indulgentia tamen Dei conniventis imperfectioni & fragilitati Judæorum, fuit causa honesta ad ita dispensandum, ut liceret eis repudium.

Ad confirmationem respondet D. Thomas hic quæst. 67. art. 3. ad 4. *quod quamvis duritia cordis non excusaret à peccato, tamen permissio ex duritie facta excusabat. Quædam enim prohibentur sanis, quæ non prohibentur infirmis corporaliter; nec tamen infirmi peccant, permissione sibi facta utentes.* Sicut ergo cùm Israël 1. Regum 8. petiit gubernari à Regibus, qui hactenus gubernatus fuerat immediatè à Deo per Prophetas; tametsi ea petitio fuerit iniqua, utpotè facta ab iis qui imperium Dei detrectabant, ut constat ex verbis Dei ad Samuëlem: *Non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*; adhuc tamen Deus exaudivit eam. concessitque illis Reges, dispensando in priori regimine, ut indicant verba illa: *Audi vocem eorum, & constitue super eos Regem.* Ita similiter, licèt dispensationem contra legem communem de indissolubilitate matrimonij Judæis Deus concesserit, ob cordis eorum duritiem, quâ difficiles se ostendebant ad legem illam servandam; nihilominus verè eos à tali lege dispensavit, cùm permisit eis dimittere uxores per libellum repudij, Deuteron. 24. Alioquin, ut suprà dicebamus, cùm ibidem permiserit uxori repudiatæ convolare ad secundas nuptias, si per talem legem non dispensasset in præcepto de vinculo conjugali, ansam præbuisset passim & impunè adulteria committendi; imò quodammodo ad ea induxisset, dum per publicum & juridicum libellum potestatem dabat mulieri repudiatæ, alteri nubendi, eoque mortuo, ad priorem virum redire prohibebat. Quod sanè nedum à veritate, sed etiam à verisimilitudine prorsus alienum est: quis enim sibi persuadeat, legem illam quæ adulterium morte puniebat, jubebatque lapidibus obrui mulierem in adulterio deprehensam, toleràsse impunè tot adulteria continua publicè patrata?

Dices, Lex prohibens ne repudiata quæ alteri nupserat, mortuo secundo viro, reciperetur à priori rationem hujus prohibitionis reddit, *quia polluta est & abominabilis facta coram Domino:* Atqui si dissolutum fuisset priùs matrimonium, & consequenter secundum legitimum extitisset, nullâ ratione dici potuisset polluta; polluta enim non est quæ mortuo marito iterum nubit: Ergo C dicitur polluta ratione adulterij cum secundo viro. 36.

Confirmatur ex illo Jeremiæ 3. *Vulgo dicitur si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit alterum, nunquid revertetur ad eum ultrà? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam.* Quibus postremis verbis, apertè significatur, mulierem repudiatam, non solùm fuisse pollutam, nubendo alteri, sed etiam fornicariam; id enim postulat comparatio ibi à Deo facta. 37.

Ad instantiam, concessâ Majori, nego Minorem, & ad illius probationem dico cum S. Thoma hìc quæst. 63. art. 4. ad 5. repudiatam quæ alteri nupsit, dici pollutam & abominabilem coram Domino, legaliter, eo modo quo immundus dicebatur in eadem lege Mosaïca, qui, mortuum tangebat, vel leprosum, non immunditiâ culpæ, sed cujusdam irregularitatis legalis; unde etiam Sacerdoti non licebat, viduam & repudiatam ducere in uxorem. 38.

Ad confirmationem dicendum, Deum ita loquutum esse, argumentando à minori ad majus, & verbis illis Jeremiæ significare voluisse, quod licèt juxta legem Mosaïcam, mulier repudiata, quæ alteri nupserat, non posset recipi à priore marito; ipse tamen recepturus esset in gratiam E populum Israël, post suas fornicationes cum plurimis amatoribus, & non obstante multiplici idololatriâ, in quam prolapsus erat, tametsi major esset ratio eum non admittendi, ad suam gratiam & amicitiam. 39.

Objicies tertiò: Nullus ex SS. Patribus sub lege Mosaïca viventibus, usus est facultate illâ dandi libellum repudij uxori; solus enim Abraham, qui ante legem illam fuit, legitur, Deo dispensante, Agar repudiasse: Ergo signum est, hoc non fuisse licitum. 40.

Respondeo negando Consequentiam, licèt enim permissio repudij esset licita, quia tamen erat minùs bona, non est mirum, quod perfecti & sancti viri eâ uti noluerint. 41.

42. Objicies quartò contra secundam conclusionem: Deus post diluvium non solùm cum fidelibus, sed etiam cum Gentilibus & infidelibus in monogamia dispensavit, eisque plures uxores habere permisit: Ergo etiam cum illis in matrimonij indissolubilitate dispensavit, & uxorum repudium concessit.

43. Respondeo dato Antecedente, quod Soto, Sanchez & alij negant, negando consequentiam & paritatem; tum quia dissolubilitas magis adversatur matrimonio, quàm poligamia seu uxorum pluralitas, ut articulo præcedenti ostendimus; tum etiam quia post diluvium poligamia, B seu pluralitas uxorum, erat necessaria vel utilis ad propagationem & multiplicationem generis humani, ad quam matrimonium ut ad finem primarium & principalem ordinatur; secùs verò divortium seu repudium.

ARTICULUS III.

Utrum ob adulterium alterius conjugis, matrimonium quoad vinculum dissolvatur?

44. CErtum & indubitatum est apud omnes adulterium alterius conjugis, esse sufficientem causam divortij, seu separationis, quoad thorum & habitationem, ut constat ex cap. 5. & 19. Matt. & ex cap. *Significasti*, cap. *Gaudemus*, cap. *Ex litteris*, de divortio. Ratioque id suadet: Per matrimonium enim conjuges mutuam sibi fidem, quoad thorum & habitationem pollicentur: Sed jus naturæ dictat, ut frangenti fidem, fides servanda non sit: Ergo ex ipso naturæ jure, conjux, cui alter adulterans fidem frangit, minimè tenetur illi fidem servare quoad thorum & habitationem, sed potest quoad utrumque per divortium ab illo separari. Solùm ergo difficultas est, an ob D adulterium alterius conjugis, dissolvatur matrimonium quoad vinculum, ita ut possint conjuges ad alias nuptias transire? Ratio dubitandi sumitur ex verbis illis Christi Matth. 19. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Ubi Christus apertè concedit dimissionem uxoris, ratione adulterij. Nec potest intelligi de sola dimissione quoad thorum & habitationem; quia non esset ad rem Christi responsio, Pharisæi enim de dimissione quoad vinculum, quam repudium appellabant, interrogavere. Hoc fundamento ducti Hæretici nostri temporis, asserunt fornicationem seu adulterium E esse sufficientem causam ad dissolvendum matrimonium, non solùm quoad thorum & habitationem, sed etiam quoad vinculum conjugale; sicut olim in lege Mosaïca, libellus repudij illud quoad utrumque solvebat. Idem docent Erasmus in annotationibus in cap. 7. prioris ad Corinth. Cajetanus in cap. 19. Matth. & Catharinus lib. 5. annotationum contra Cajetanum, in fine. Ut hic error refellatur, & Catholica veritas stabiliatur & defendatur.

45. Dico breviter, ob adulterium alterius conjugis, matrimonium quoad vinculum non dissolvi.

Conclusio est certa de fide, ac definita in Tridentino sess. 24. can. 7. his verbis: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm docuit, & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonij vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissâ adulterâ aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero alij nupserit, anathema sit.* A

Eadem veritas apertè ex Scriptura colligitur: Nam Marci 9. absolutè dicit: *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium commisit super eam.* Item Lucæ 16. universaliter B ait: *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Ubi propositio universalis, *Quicunque* & *Omnis*, nullam excludit causam dimissionis, subindeque Christus verbis illis significat, ob nullam omnino causam, etiam ob fornicationem, posse alterum conjugum ad alias nuptias transire. Unde Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 9. *Si quicunque hoc fecerit ut uxore suâ dimissâ, alteram ducat, mœchatur: sine dubio ibi sunt ambo, & qui præter, & qui propter causam fornicationis dimittit uxorem. Hoc est enim: Quicunque dimiserit, id est, omnis qui dimiserit.* Hanc explicationem & sententiam confirmat admiratio Discipulorum Matth. 19. qui C Christi sententiâ de matrimonio auditâ, dixerunt non expedire, si ita est, uxorem ducere; quia nimirum ut rem difficillimam apprehenderunt, non posse virum, uxore ob fornicationem dimissâ, aliam ducere.

Potest etiam nostra conclusio suaderi ex illo 46. Apostoli ad Roman. 7. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri: igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, &c.* Quod testimonium egregiè urget Augustinus contra Pollentium lib. 2. de adulterinis conjugiis, cap. 2. ubi sic discurrit: *Quomodo igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, quandoquidem vir ejus ille jam non est, conjugali vinculo per mulieris adulterium jam soluto? Quo enim vivente viro, nisi suo, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: sed nullum habens virum, nubendo erit cum suo viro. Quamobrem secundùm doctrinam sanam, mulier alligata est, quandiu vir ejus vivit, id est nondum è corpore abscessit. Hæc verba Apostoli, toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desiverit; esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licitè itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod sit reus adulterij, qui dimissam duxerit, etiam ob fornicationem.* D

Est etiam aliud Apostoli testimonium, ex quo 47. veritas nostræ conclusionis apertè colligitur, ait enim Paulus 1. Corinth. 7. *Iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ubi, ut rectè advertit Augustinus libro 1. de adulterinis conjugiis cap. 1. & 2. & lib. de bono conjugali cap. 9. *Cùm dicit Paulus, quod si discesserit, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur:* loquitur in casu propter quem licitum est uxori à viro recedere, qualis est casus fornicationis; alioquin

Universidad de Deusto
Biblioteca

alioquin determinatè illi præciperet, ut ei reconciliaretur ; non autem disjunctivè, ut vel id faceret, vel maneret innupta, id est cum viro altero matrimonium non contraheret ; quare verbis illis innuit, non licere mulieri, quæ ob mariti adulterium, ab illo discessit, transire ad secundas nuptias, sed debere manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Quam explicationem confirmat Evaristus Papa Epist. 2. ubi sic ait : *Sicut uxori non licèt dimittere virum suum, ut alteri se, vivente eo, matrimonio societ, aut eum adulteret, licèt fornicatus sit vir ejus ; sed juxta Apostolum, aut viro suo reconciliari debet, aut manere innupta. Ita Ecclesiæ non licet dimittere Episcopum suum, aut ab eo segregare se.*

48. Demum probari potest conclusio ex absurdo & inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia ; si enim per fornicationem maritale vinculum solveretur, per illam fieret liber transitus ad secundas nuptias : Sed hoc dici nequit, alioquin melioris conditionis foret, quæ causâ fornicationis, quàm quæ innocens dimitteretur ; quoniam illa, non verò ista, alteri nubere posset ; & sic conjux adultera, per adulterium aperiret sibi viam ad alia & alia matrimonia ; quod est contra principalem finem matrimonij, quod, ob prolis certitudinem, diversorum virorum copulam refugit : Ergo &c. Unde

49. Ad illud Christi Matth. 19. *Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, quod est præcipuum fundamentum adversæ sententiæ, dicendum est, exceptionem illam, *nisi ob fornicationem*, vel solùm referri ad id quod præcedit, id est ad dimissionem, sive ad separationem quoad thorum & habitationem, non verò ad id quod sequitur, scilicet ad contractionem matrimonij cum alia uxore, ita ut sensus propositionis Christi sit iste : Quicunque dimiserit uxorem suam, hoc est ab ea se separaverit, quoad thorum & habitationem, quod quidem facere non potest, nisi propter fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Quod si exceptio referatur etiam ad id quod sequitur, sensus propositionis Christi est iste quem habet S. Martialis Epist. 2. cap. 9. Quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem hoc faciat, mœchatur, & quicunque aliam duxerit, mœchatur ; ille quidem mœchiâ alienâ, dando uxori occasionem mœchandi, iste verò mœchiâ propriâ, cognoscendo eam quæ non est sua : conformiter aliis verbis Christi Matth. 5. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepti à causâ fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.*

50. Instabis tamen contra priorem expositionem propositionis Christi : Præter fornicationem, multæ aliæ sunt causæ, ob quas licitè dimittitur uxor, quoad thorum & habitationem : Ergo exceptio illa, *nisi ob fornicationem*, non potest pertinere præcisè ad priorem partem illius sententiæ Christi ; *Quicunque dimiserit uxorem suam* ; aliàs enim significaret falsum, nimirum nullam esse causam dimittendi uxorem quoad thorum & habitationem, præter fornicationem.

51. Respondeo, distinguendo Antecedens : Sunt aliæ causæ ob quas licitè dimittitur uxor quoad thorum & habitationem, dimissione solùm ad tempus, & quæ fiat jure defensionis, ex causis communibus aliis consortiis, concedo Antecedens. Dimissione perpetuâ, & quæ fiat jure matrimonij, ob causam ei propriam ; de qua dimissione, non verò de alia, loquitur Christus, nego Antecedens & Consequentiam.

52. Explicatur : Duplex esse potest dimissio uxoris, quoad thorum & habitationem, una quæ est solùm ad tempus, donec scilicet ea quæ dimittitur fuerit emendata, & cesset omne periculum ; quæ separatio dicitur fieri jure defensionis, & ob causas communes aliis consortiis putà ob lites & rixas graves & continuas ; & de hac non loquitur Christus verbis citatis : alia verò est dimissio perpetua, ita ut dimittens nunquam teneatur recipere dimissam, ne quidem post actam pœnitentiam, diciturque fieri jure matrimoniali, & propter violatam fidem conjugij ; & de hac loquitur Christus, veraque est ejus propositio, quod nimirum, nisi ob peccatum fornicationis, non licèt dimittere uxorem, tali dimissione.

53. Instabis secundò : Ut responsio Christi in verbis citatis sit ad propositum, debet esse de illa dimissione de qua fuerat interrogatus : Sed fuerat interrogatus de dimissione non solùm quoad thorum & habitationem, sed etiam de illa post quâ dimittens & dimissa possent inire novum conjugium ; Pharisæi enim eum interrogaverunt, an ex quacûque causa cœpisset uxor displicere, liceret eam dimittere, dimissione utique apud ipsos usitatâ, sic nimirum, ut dimittens & dimissa possent consequenter novum matrimonium contrahere : Ergo sensus verborû Christi est, ob peccatû fornicationis licete dimittere uxorẽ, dimissione quæ dissolvat penitùs matrimoniû cum ea contractũ.

54. Respondeo in dimissione uxoris Judæis familiari, duo fuisse, nimirû dimissionem unius quoad thorum, & morem ducendi aliam consequenter : Christû autem respondendo interrogationi Pharisæorum, illa duo separasse ; & prius quidem in prima parte suæ propositionis concessisse licitum esse, sed cum restrictione ad causam fornicationis ; posterius verò omnino negasse esse licitum, & sustulisse. Nam quod dicitur loco citato à Matthæo, sic refertur à Marco cap. 10. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit.* Quo loco Marcus, tanquam Matthæi interpres, declarat quomodo intelligi debeat exceptio facta Matth. 19. *nisi ob fornicationem* : ut referri debeat ad solam dimissionem, quæ propter solam fornicationem absolutè & in perpetuum fieri potest, quoad thorum & habitationem, per se ex vi matrimonij, ut paulò ante declaravimus. Non autem debet referri illa exceptio ad conjugium cum altera, quasi hoc liceat, & non sit adulterium ; cùm Marcus absolutè dicat, *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit.*

55. Potest insuper contra nostram conclusionem objici decretum Zachariæ I. Pontificis, quod refertur cap. *Concubuisti* 32. quæst. 7. his verbis : *Concubuisti cum sorore uxoris tuæ, neuram habeas ; & si illa quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino cui velit.* Quibus verbis definire videtur Pontifex, quod quando unus conjugum adulterium perpetravit, licet alteri innocenti transire ad secundas nuptias.

56. Sed facilè respondetur, verba illa Zachariæ sic debere intelligi, ut mulier illa alteri nubat, post mortem viri, vel eo vivente, si erat tantùm sponsa de futuro, ut explicat Glossa eo cap. *Concubuisti.*

Objicitur etiam canon 10. Concilij Arelatensis 1. in quo sic dicitur : *De his qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & iidem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere, placuit, ut inquantum potest, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licèt adulteris, alias accipiant :* Ergo supponit Concilium, quod validè possint alias accipere ; alioquin præceptum eis dandum erat, non verò consilium.

58. Respondeo verba illa, *ne alias accipiant*, non esse intelligenda de aliis in uxores accipiendis, sed de concubinis ad congressum illicitum : quasi dicant Patres illius Concilij, hortandos esse adolescentes illos, ut servent continentiam, abstineantque à concubitu cum aliis : non quasi prohibitum non sit, ne hoc ipsum faciant, sed quia suavius agendo in hujus vitij emendatione, maluerunt honestum suadere ut patres, quàm severè prohibere & punire ut judices ; consilium enim & monitio utiliùs interdum dantur, quàm præceptum, etiam de iis rebus, quæ cadunt vel possunt cadere sub præcepto.

59. Præterea objicitur locus difficilis Ambrosij in commentario capitis 7. Epistolæ 1. ad Corinth. ubi dicit non permitti mulieri ut nubat, si virum suum causâ fornicationis dimiserit ; licere tamen viro ducere aliam, si dimiserit uxorem adulteram ; quia non eadem lege constringitur vir quâ mulier, cùm vir sit caput mulieris, eique superior, & superior non astringatur eadem lege quâ inferior.

60. Respondent aliqui, hunc commentarium vel non esse Ambrosij, vel ab hæreticis fuisse corruptum. Sed quidquid sit de hoc, ad locum illum responderi potest cum Pontio lib. 7. cap. 52. Ambrosium, vel hujus commentarij Authorem, ibi loqui de lege sæculi, non de lege Christi ; hoc est, loqui habitâ ratione legis Juliæ, suo tempore receptissimæ, quâ permittebatur, aut impunè tolerabatur, ut vir dimittens uxorem propter adulterium, duceret aliam, secùs autem mulier, quia adulterium à muliere commissum, cùm prolem reddat incertam, aliquo modo gravius est. Quod verò Ambrosius talem legem non approbet, nec censeat, virum dimittentem uxorem propter adulterium, posse aliam ducere, constat ex his quæ scribit lib. 1. de Abraham cap. 4. ubi de eadem lege dicit : *Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum, adulterium est : nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab uxore debetur castimonia. Quidquid in eam quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterij damnatur crimine.* Similia habet Lactantius lib. 6. instit. cap. 23. *Non enim* (inquit) *sicut publici juris ratio est, sola mulier adultera est quæ habet alium ; maritus autem, etsi plures habeat, à crimine adulterij solutus est. Sed divina lex ita duos in matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur quisquis compagem corporis in diversa distraxerit.*

61. Demum objici potest, Græcos matrimonia fornicationis causâ dissolvere, nedum quoad thorum & habitationem, sed etiam quoad vinculum, & ad alias nuptias transire. Verùm ritus ille Græcorum, reprehensione & correctione indigere visus est Eugenio IV. & Latinis in Concilio Florentino. Ubi enim definitio fidei edita est, & omnium utriusque Ecclesiæ Episcoporum subscriptionibus munita, Eugenius IV. Pontifex Maximus, ita Græcos allocutus est. *Nos fratres, Dei beneficio, sumus fide conjuncti. Quoniam ergo arcanis Dei judiciis ego sum inter vos membra caput, debeoque qualitercumque admonere, & consiliis instruere ad ea quæ videntur pietatem & Ecclesiam nostram constabilire, propono vobis aliqua ut fratribus, ut Ecclesiarum doctoribus. Et primum dico omnes conqueri de separatione matrimoniorum, idque correctione indiget, &c.* Præsules responderunt ad hoc caput : *Matrimonia dirimimus non sine justis causis.* Cæterùm in variis aliis quæstionibus satisfecerunt Græci, præterquam in duabus, quarum altera erat ille eorum ritus, neutiquam ab Ecclesia probatus, quo matrimonia in causa adulterij dirimere consueverunt.

62. Non etiam prætermitti debet quod in Concilio Tridentino contigisse refert Cardinalis Palavicinus in illius Historia, ex hoc enim habetur, ritum illum Græcorum, nullatenus ab Ecclesia Latina approbatum esse. Narrat igitur, quod cùm Patres Tridentini sessione 24. jam Canonem septimum meditati essent, atque edidissent, quo anathemate feriebantur qui dicerẽt matrimonium propter adulterium alterius conjugum, posse dissolvi, & legeretur ille Canon, totius Concilij ultimo examini subijciendus, antequam ritu solemni promulgaretur, Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Oratores intercesserunt, exposueruntque Sacræ Synodo, Græcos in dictione Venetorum degentes, matrimonia propter adulterium dissolvere ; qui si anathemate ob eum Ecclesiæ suæ ritum ferirentur, maximum in Ecclesiasticæ unitatis detrimentum ea definitio cederet. Hujus intercessionis & supplicationis habita ratione, Tridentini Patres Canonem præfatum emollierunt, hac ratione ut anathema non feriret Recentiores Græcos asserentes matrimonij vinculum, propter adulterium alterius conjugum posse dissolvi, & utrumque, vel saltem innocentem, qui causam adulterio non dedit, posse altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere ; sed eos tantùm configeret, qui *Ecclesiam errare dicerent, cùm docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonij vinculum non posse dissolvi.* Sicque Canon laudatus promulgatus est, & legitur sess. 24. de sacrament. matrim.

ARTICULUS IV.

An, & quo jure, matrimonium ratum, per solemnem Religionis professionem dissolvatur?

63. Erasmus in annotationibus super cap. 7. prioris ad Corinthios, docet matrimonium ratum & nondum consummatum, non dissolvi per solemne votum Religionis, cui doctrinæ subscribunt omnes hæretici nostri temporis. Oppositum tamen est doctrina fidei in Trid. sess. 24. can. 6. definita, subindeque omnibus Catholicis communis, licèt Theologi disputent, quo jure solemnis Religionis professio matrimonium dirimat ? & in tres dividantur sententias. Aliqui enim existimant, illud solvere jure naturæ, alij solo jure Pontificio, alij jure divino positivo, concedente Christo tale privilegium statui Religioso. Pro prima sententia stant, D. Bonavent. Richard. Durand. Paludan. Bellarmin. Sylvius, Covaruvias, & alij. Secundæ adhærent Suarez, Vazquez, Lessius, Coninck, & alij, quos citat & sequitur Amicus hic disp. 8. sect. 4. Tertiam amplectuntur Victoria, Dominicus, & Petrus Soto, Bartholomæus, & Petrus de Ledesma, Henriquez, Sanchez, Meratius, Pontius, & alij, quos illi citant.

Universidad de Deusto
Biblioteca

§. I.

Triplici conclusione, utraque difficultas resolvitur.

Dico primò, Matrimonium ratum, nondum consummatum, dissolvitur per votum
64. solemne Religionis.

Conclusio est certa de fide, & definita in Tridentino citato, his verbis: *Si quis dixerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugis non dirimi, anathema sit.* Constat etiam ex cap. *Ex parte secunda*, de convers. conjugat. ubi Innocentius III. declarat, *Antequam matrimonium sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, reliquo inconsulto, ad Religionem transire, ita quod reliquus ex tunc legitimè poterit alteri copulari*, Item cap. *Verum*, & cap. *Ex publico*, eodem tit. Alexander III. idem declarat, conceditque uxori (idem sentiendum est de marito) spatium duorum mensium, intra quod non teneatur consummare matrimonium, sed de ingressu Religionis deliberet, si velit: quo elapso, tenentur conjuges mutuò reddere debitum, si exigatur. Id etiam longè ante definierat seu declaraverat Eusebius Papa & Martyr, ut refertur can. *Desponsatam* 24. quæst. 2. Demum Nicolaus Papa, in can. *Scripsit* 27. qu. 2. hanc rationem assignat: *Nam licèt sit scriptum, quod Deus conjunxit homo non separet; Deus tamen, non homo separat, quando divini amoris intuitu, ex consensu utriusque conjugis, matrimonia dissolvuntur.* Unde hæc veritas traditio Apostolica creditur, juxta regulam D. Augustini lib. 4. contra Donatistas cap. 24. Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolicâ authoritate traditum censeri debet.

Plura etiam in hujus veritatis confirmationem referri solent sanctorum exempla, qui matrimonio contracto, sed non consummato, sponsas reliquerunt, ut perpetuam continentiam servarent, & fierent Religiosi. Sic enim referunt D. Ambrosius lib. 2. de virginibus, & Epiphanius hæresi 78. de sancta Tecla, Metaphrastes de S. Cecilia, & D. Alexio, & Gregorius Magnus lib. 3. dialog. cap. 14. de quadam Gregoria sanctimoniali. Sunt etiam qui existimant S. Joannem Evangelistam, à nuptiis Canæ, à Christo vocatum fuisse ad Apostolatum. Sed hoc minùs videtur probabile: quis enim credat, Christum conjuges à nuptiis separasse, tempore quo eas suâ prælentiâ sanctificare volebat, & contra futuros hæreticos propriâ authoritate confirmare?

Licèt autem ratio à priori nostræ conclusionis sit sola voluntas Dei, nobis declarata per gesta sanctorum, & communem Ecclesiæ traditionem, congruentia tamen insuper non deest, quam adducit S. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 2. in corp. ubi sic habet: *Dicendum quod ante carnalem copulam est inter conjuges tantum spirituale vinculum, sed post est inter eos etiam vinculum carnale; & ideò sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem; ita per ingressum Religionis ante carnalem copulam solvitur, quia Religio est mors quædam spiritualis, quâ aliquis sæculo moriens, vivit Deo.* Similia habet D. Bonaventura in 4. sent. dist. 27. art. 3. qu. 2. ubi sic discurrit: *Insolubilitas consequitur matrimonium non tantùm consummatum, sed etiam ratum: Et propter hoc etiam ratum est, quia quandam insolubilitatem, licèt minorem, quam matrimonium consummatum, habet; habet tamen sibi competentem: sicut enim vinculum matrimonij consummati est insolubile viventibus extremis vita corporali, nec solvitur nisi morte corporali. Sic nec matrimonium ratum, in quo est conjunctio mentium & animorum, potest solvi, nisi homo moriatur spiritualiter huic mundo, sive operi carnis; & hoc fit intrando religionem, & emittendo votum castitatis solemne.*

65. Alij hujusce rei aliam afferunt congruentiam, dicentes quod per Religionis professionem fit transitus ad meliorem statum. Sed hoc parùm probat, siquidem professio Religiosa est transitus ad meliorem statum, quàm sit status matrimonij non solùm rati, sed etiam consummati, & tamen noluit Deus per votum solemne Religionis dissolvi matrimonium consummatum. Qui suscipit Ordinem sacrum, transit ad meliorem statum. Status Episcoporum melior est, & altior ac perfectior statu Monachorum; & tamen neque per susceptionem sacri Ordinis, neque per assumptionem statûs Episcopalis, matrimonium inconsummatum dissolvitur.

66. Dico secundò, professio Religiosa non dirimit matrimonium ratum, jure naturæ, seu ex natura & efficacia ipsius voti solemnis.

Probatur primò, quia attentâ naturâ rei videtur potiùs quod matrimonium ratum irritet votum solemne, quàm votum solemne matrimonium ratum; nam res uni tradita nequit validè alteri tradi, absque domini consensu: Sed per matrimonium ratum traditum erat corpus alteri conjugi: Ergo non potest validè tradi Religioni per professionem, quantùm est ex natura rei, & citra divinam constitutionem derogantem juri acquisito conjugi, in favorem Religionis, & statuentem ut contractui matrimonij tacitè insit hæc conditio, *nisi voluero ingredi Religionem ante consummationem*, quæ conditio non inest ex natura rei.

Secundò, Vinculum matrimonij non est ex natura sua incompossibile cum professione Religiosa, cùm illud maneat in conjugibus, qui ex mutuo consensu post consummationem matrimonij, Religionem ingressi sunt, & in ea professionem emiserunt, ut communiter docent Theologi: Ergo malè asseritur, votum solemne Religionis ex natura sua matrimonium ratum dissolvere.

Tertiò, Si votum solemne in Religione solveret ex natura rei matrimonium ratum, etiam votum solemne in receptione Ordinis sacri, illud dirimeret: Sed hoc est falsum, & contra communem Theologorum sententiam: Ergo & illud.

Quartò, Si votum solemne ex natura sua solveret matrimonium ratum, nondum consummatum, maximè quia est vinculum naturâ suâ perfectius vinculo matrimonij rati nondum consummati: Sed hæc ratio nulla est, est enim vinculum perfectius vinculo matrimonij etiam cõsummati, & tamen ipsum non dirimit: Ergo &c.

Demum, Si matrimonium inconsummatum juræ naturæ voti solemnis dissolveretur, non posset dici jure naturæ indissolubile: Consequens est falsum, ut constat ex dictis art. 1. Ergo & Antecedens. Sequela Majoris patet, nequit enim res dici naturâ suâ incorruptibilis, & habeat naturalem causam, à qua dissolvi possit: Unde sicut si matrimonium ratum ex natura rei dissolveretur per supervenientem fornicationem, non diceretur ex natura

natura insolubile; ita nec tale dici poterit, si jure naturæ voti solemnis dissolvatur.

Dico tertiò, Matrimonium ratum non dissolvitur per professionem Religionis, solo jure Pontificio, sed jure divino, seu authoritate Christi in favorem Religionis dispensantis in lege naturæ, & in lege Evangelica de matrimonij indissolubilitate.

67. Probatur: Si matrimonium ratum & consummatum dissolveretur solùm jure Ecclesiastico, per votum solemne Religionis, id fieret inquantum Papa vel Ecclesia dispensaret in lege naturali & Evangelica de matrimonij indissolubilitate: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet, matrimonium enim ratum, etiam inconsummatum, est insolubile jure naturæ, & jure divino supernaturali in lege Evangelica, ut articulo primò ostensum est. Minor verò probatur primò ex illo Christi Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Nec dicas, hoc verificari solùm debere de matrimonio consummato. Contra enim est, quod non solùm de matrimonio consummato, sed etiam inconsummato, verificatur prima pars propositionis Christi: *Quod Deus conjunxit*: Ergo etiam tam de matrimonio inconsummato quàm consummato debet verificari secunda pars, nimirum *homo non separet.*

Secundò probatur eadem Minor: Nullus præter Deum potest efficere ut matrimonium ratum inconsummatum non dissolvatur per professionem Religiosam, ut fatentur omnes: Ergo nullus etiam præter ipsum potest efficere ut per eam solvatur.

Tertiò, Papa vel Ecclesia non potest dispensare in his quæ sunt de jure naturali, & multò minùs in his quæ sunt de jure divino supernaturali, ut major pars Theologorum docet; & quamvis plures ex Recentioribus id negent, existimantes posse Pontificem in aliquibus quæ sunt de jure divino & naturali dispensare, non per potestatem quam habeat ex se, sed specialiter sibi à Christo communicatam, ob publicum bonum Ecclesiæ; tamen hoc valde dubium & incertum est: Sed dissolutio matrimonij rati per professionem Religiosam, cùm sit res certissima & de fide, debet reduci in causam certam: Ergo non debet reduci in solam potestatem Ecclesiæ, vel Summi Pontificis, dispensantis in matrimonij indissolubilitate.

Confirmatur: Licèt daretur posse Summum Pontificem in aliquibus casibus extraordinariis dispensare in his quæ sunt de jure naturali & divino supernaturali, tamen incertissimum est, ipsum posse condere legem generalem; per quam deroget his quæ sunt de jure divino vel naturali: Ergo valde incertum est, an possit per legem generalem statuere, ut professio Religiosa dirimat matrimonium ratum, subindeque ad hoc recurrendum non est, sed potiùs ad privilegium à Christo concessum, in favorem Religionis, quod ex traditione habetur, ut constat ex dictis in prima conclusione. Noluit autem Christus id privilegium concedere respectu matrimonij consummati: Primò quia dissolutio matrimonij consummati est injuriosa proli & uxori. Secundò, quia vinculum matrimonij consummati est vinculum carnale, professio autem Religionis, vinculum tantùm spirituale. Tertiò, quia matrimoniũ consummatum significat cõjunctionem Verbi cũ humanitate, quæ omninò indissolubilis est,

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem: Matrimonium consummatum & inconsummatum, cùm sint ejusdem speciei, habent easdem proprietates: Ergo cùm una ex illis sit insolubilitas, matrimonium sive consummatum sive inconsummatum insolubile esse debet; subindeque sicut vinculum matrimonij consummati non solvitur per votum solemne Religionis, ita nec vinculum matrimonij inconsummati. 68.

Confirmatur: Matrimonium inconsummatum tam benè est Sacramentum novæ legis, quàm matrimonium consummatum: Ergo non minùs repræsentat unionem Verbi cum humanitate, & conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ omninò indissolubiles sunt, subindeque non minorem habet indissolubilitatem, quàm matrimonium consummatum; atque ita sicut vinculum matrimonij consummati per professionem Religionis non dissolvitur, ita nec matrimonium ratum per votum solemne solvi potest. 69.

Ad objectionem respondeo, concesso Antecedente, distinguendo Consequens: Ergo vinculum matrimonij inconsummati non solvitur per votum solemne Religionis, ex natura rei, concedo. Ex privilegio à Christo concesso in favorem Religionis, nego. Solutio patet ex dictis paragrapho præcedenti; ibi enim ostendimus, quod licèt votum solemne non habeat ex natura sua vim & efficaciam dissolvendi vinculum matrimonij rati, eam tamen habet ex privilegio Christi, in favorem Religionis derogantis indissolubilitati matrimonij rati, & dispensantis in lege naturali & Evangelica de matrimonij indissolubilitate. Christus verò concessit illud privilegium quoad matrimonium inconsummatum, potiùs quàm quoad consummatum; tum quia licèt per matrimonium inconsummatum uterque conjugum acceperit jus in corpus alterius, corpus tamen unius nondum est perfectè translatum in potestatem alterius, quia nondum accepit possessionem ejus corporalem, sed in eam demum inducitur per carnalem copulam & matrimonij consummationem. Tum etiam, quia matrimonium inconsummatum non repræsentat, sicut consummatum, perpetuam unionem Christi cum Ecclesia. Unde 70.

Ad confirmationem, concesso Antecedente, nego Consequentiam; licèt enim matrimonium inconsummatum tam benè sit Sacramentum, quàm matrimonium consummatum, non tamen propterea significat unionem Verbi cum humanitate, & conjunctionem Christi cum Ecclesia; nam matrimonium, quatenus est Sacramentum, non est evectum à Christo ad significandam duplicem Verbi cum natura humana, & Christi cum Ecclesia conjunctionem firmissimam ac prorsus indissolubilem, nisi ratione consummationis; copula enim carnalis, quâ ex duobus fit una caro, exprimit unionem illam, quâ ex duabus naturis humanâ & divinâ fit una persona, & ex Christo capite & Ecclesiæ membris, unum mysticum corpus, ut docet Innocentius III. cap. *Debitum* de bigamis. Itaque matrimonium inconsummatum significat duntaxat conjunctionem Christi cum anima ut sponsa, mediante gratiâ & charitate; unde cùm unio illa sit solubilis, congruum fuit, ut Christus ex speciali privilegio in favorem Religionis, per votum solemne, 71.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inconsummatum potiùs quàm consummatum matrimonium dissolveret.

72. Dices, Susceptioni Ordinis sacri annectitur votum solemne castitatis, & tamen per ejus susceptionem non solvitur vinculum matrimonij inconsummati: Ergo nec per votum solemne Religionis.

Sed nego consequentiam, tum propter specialem dispensationem Christi in voto solemni Religionis, & non in susceptione sacri Ordinis, declaratam per Ecclesiam, & traditione firmatam. Tùm etiam, quia votum continentiæ non est de essentia Ordinis sacri, sicut est de essentia professionis Religiosæ, neque mors spiritualis, sicut ipsa; quandoquidem Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes, & Episcopi, non vovent paupertatem & obedientiam, sicut Religiosi.

73. Objicies secundò: Nullus potest licitè offerre Deo alienum: Sed qui post matrimonium ratum, quamvis nondum consummatum, professionem Religionem offert Deo alienum; per matrimonium enim ratum, quamvis inconsummatum, abdicavit à se potestatem sui corporis, eamque transtulit in alterum, & tamen ipsam per votum solemne castitatis offert Deo: Ergo nulla est professio Religiosa in hoc casu, & consequenter falsum est quod per tale votum dirimatur matrimonium ratum, nondum consummatum.

74. Respondeo distinguendo Majorem: Nullus potest Deo offerre alienum, si Deus ipse ad hoc facultatem non tribuat, concedo Majorem: Si facultatem ad hoc tribuat, nego Majorem: Deus autem tribuit conjugi potestatem ut ante consummationem matrimonij possit se suumque corpus, ipsi, etiam altero conjuge invito, offerre ad castitatem perpetuam; quia, ut suprà dicebamus, Christus ex speciali privilegio derogat juri acquisito conjugis, in favorem Religionis, & statuit ut contractui matrimonij tacitè insit hæc conditio, nisi voluero Religionem ingredi ante consummationem. Unde traditio corporis quæ fit inter conjuges per matrimonium ratum, non est omnino absoluta, sed aliquo modo conditionata, subindeque illius usus ac perfecta possessio suspenditur per spatium duorum mensium quod Ecclesia concedit conjugibus ad deliberandum de ingressu Religionis.

75. Objicies tertiò contra secundam conclusionem: Ipsa ratio naturalis dictat, licitum esse ab imperfectiori ad perfectiorem statum transitum, nulla tertio injuriâ illatâ: Status verò Religionis est perfectior statu matrimonij, nullaque per professionem Religiosam ante consummationem matrimonij fit injuria uxori, cùm non sit deflorata, nec proli, cùm ea non possit esse in matrimonio rato & inconsummato: Ergo jure naturali licitum est, à statu matrimonij rati & nondum consummati, ad statum Religiosum transire.

76. Respondeo primò, hoc argumentum nimis probare, quia probat licere jure naturæ amplecti statum Religiosum, non solùm post matrimonium ratum, sed etiam post consummatum, cùm status Religiosus sit perfectior statu matrimonij consummati. Quod si dicas fieri injuriam proli, & relictæ fœminæ, cùm jam sit deflorata. Contra: quia cessaret hæc injuria, quando non esset proles, & relicta consentiret.

77. Respondeo secundò, hoc argumentum solùm probare, manente vinculo matrimonij, jure naturali posse alterum conjugum transire à statu matrimonij rati, ad statum Religiosum, per commutationem statûs imperfectioris in perfectiorem; non probare tamen id posse jure naturæ, per dissolutionem vinculi conjugalis; quia vinculum voti solemnis (ut suprà dicebamus) non est incompatibile cum vinculo matrimonij etiam consummati, ut constat quando post matrimonium consummatum ambo communi consensu profitentur; valet enim professio, & manet matrimonij vinculum; & quando ante consummatum, ambo simul profitentur, valet professio, & non dissolvitur vinculum matrimonij rati, ut docet D. Thomas in 4. distinct. 27. quæstione 1. art. 3. quæstiunc. 3. ad 1. his verbis: *Quando uterque pari voto continentiam vovet, tunc neuter conjugali vinculo abrenuntiat, & ideò adhuc manet: sed quando unus tantùm vovet, tunc quantùm est in se abrenuntiat vinculo conjugali, & ideò alter absolvitur à vinculo illo.* Unde ad argumentum in forma, dato Antecedente, distinguendum est Consequens: Ergo jure naturali licitum est, à statu matrimonij rati ad statum Religiosum transire, per dissolutionem vinculi conjugalis, nego. Per commutationem statûs imperfectioris in perfectiorem, concedo.

78. Dices: Votum solemne Religionis irritat ex natura rei matrimonium subsequens, ut docet D. Thomas, & ostendemus infrà: Ergo similiter dissolvit ex natura rei matrimonium ratum.

Sed nego consequentiam & paritatem: Disparitas est, quòd matrimonium sequens votum solemne Religionis, est traditio homini rei quæ jam erat tradita Deo.

79. Objicies quartò cum Francisco Amico contra tertiam conclusionem: Votum in Religione emissum, non dirimit matrimonium, nisi sit solemne: At voti solemnitas solâ Ecclesiæ constitutione inducta est, ut ait Bonifacius VIII. cap. unico *de voto* in 6. Ergo solemne votum Religionis non dirimit matrimonium ratum, nisi jure Ecclesiastico.

80. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, & ad illius probationem dico, quod quando Bonifacius ait, voti solemnitatem solâ constitutione Ecclesiæ esse inventam, loquitur solùm de solemnitate accidentali, & cæremoniali, quæ in professione solemni ab Ecclesia adhibetur, non verò de substantiali & essentiali, consistente in traditione sui ipsius facta in manu superioris, ad servandum illa quæ promittuntur, & in acceptatione quam is facit vice Dei; hæc enim solemnitas est de jure divino, ut fusiùs ostendemus infrà, cùm inquiremus, quo jure votum solemne Religionis dirimat matrimonium subsecutum?

81. Addo quod, quamvis daretur, solemnitatem voti solâ Ecclesiæ constitutione esse inductam, discursus Amici non valeret; quia licèt votum haberet solemnitatem ab Ecclesia, à solo tamen Deo habere posset, quod matrimonium ratum dirimeret, sicut licèt Sacramentalia solâ constitutione Ecclesiæ inventa sint, illorum tamen effectus, nempè remissio venialium, non ab Ecclesia, sed à solo Deo dependet.

Quæres primò, an si ante expletum bimestre quod Ecclesia concedit conjugibus ad deliberandum de ingressu in Religionem, sponsa vi opprimatur à marito, possit adhuc suo jure uti, & ingredi Religionem?

82. Respondeo affirmativè, quia dolus nemini debet patrocinari, & nullus debet jus suum perdere, ob alterius culpam. Addo quod, matrimonium consummatum

consummatum cum injuria conjugis, ex Christi institutione non evehitur ad repræsentandam conjunctionem Verbi cum natura humana, aut Christi cum Ecclesia, quæ ut summè voluntaria, nequit per violentam copulam repræsentari: Ergo potest dissolvi per votum solemne Religionis, sicut matrimonium ratum & nondum consummatum.

83. Quæres secundò, an votum solemne quod emittunt equites Ordinis Melitensis, dirimat matrimonium ratum?

Respondeo affirmativè, quidquid dicat in contrarium Soto lib. 2. de justitia quæst. 5. art. 3. & in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4. Quia per cujuscumque Religionis à Sede Apostolica approbatæ solemnem professionem dirimitur matrimonium ratum, ut definit Tridentinum sess. 24. can. 6. At Ordo Melitensis est Religio à Sede Apostolica approbata: Ergo dirimitur matrimonium ratum per solemnem professionem quæ in eo emittitur. Quod confirmat Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 8. num. 6. exemplo cujusdam ducis, qui per professionem hujus Ordinis sapientum consilio, solutus est matrimonio; refertque ex Navarro in statutis hujus Religionis, à Pontifice approbatis, haberi, in eam admitti posse quemcumque, post matrimonium ratum, non consummatum.

ARTICULUS V.

An & quando matrimonium legitimum & consummatum inter infideles, quoad vinculum dissolvatur, vel dissolvi possit, per alterius conjugis conversionem ad fidem, altero perseverante in infidelitate, & nolente pacificè vel sine contumelia Creatoris, habitare cum altero.

84. CErtum est, matrimonium legitimum & consummatum inter infideles, per alterius conjugis conversionem ad fidem, altero perseverante in infidelitate, dissolvi posse quoad habitationem & thorum, ita ut liberum sit conjugi fideli remanere cum conjuge infideli, vel ipsum dimittere, & non cohabitare cum eo. Ut enim discurrit S. Thomas hic quæst. 59. art. 4. in argumento *Sed contra*, adulterium spirituale est gravius quàm carnale: Sed propter carnale adulterium potest vir dimittere uxorem, quantùm ad thorum & habitationem: Ergo à fortiori propter infidelitatem, quæ est adulterium spirituale. Præterea, ut ait idem S. Doctor in corpore ejusdem articuli, fidelis regeneratur per Baptismum in novam vitam, & moritur priori: qui autem moritur priori vitæ, non tenetur ad ea quæ perfectioni posterioris obstant: Sed obligatio ad actus matrimonij obstat perfectioni Religionis Christianæ, utpotè cujus summum statum continentes possident: Ergo infidelis conversus ad fidem, & regeneratus per Baptismum, non tenetur reddere debitum conjugale alteri conjugi in infidelitate perseveranti, sed potest ab eo separari quoad thorum & habitationem.

85. Ex quo habes congruentiam, ob quam Christus conjugem fidelem potiùs ab obligatione cohabitandi cum uxore infideli liberaverit, quàm servum fidelem ab onere serviendi domino infideli; ut enim ibidem in resp. ad 1. ait idem Doctor Angelicus, servire non est aliquid incompetens Christianæ Religionis professioni, quæ maximè humilitatem profitetur; sed obligatio ad actum matrimonij derogat perfectioni vitæ Christianæ, cujus summum statum continentes possident. Præterea, addit S. Doctor, unus conjugum non obligatur alteri, quasi domino servus, sed per modum societatis cujusdam, quæ non est congrua, si sit infidelis ad fidelem.

Dixi verò, liberum esse conjugi fideli remanere cum conjuge infideli, vel ipsum dimittere, & non cohabitare cum eo; quia licèt per conversionem ad fidem, solvatur ab obligatione cohabitandi cum conjuge infideli, potest tamen, si velit, cum eo remanere, imò id consulit Apostolus 1. ad Corinth. 7. dicens: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hoc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis, per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis, per virum fidelem:* quia nimirum conjux fidelis, suâ exhortatione & exemplo, sæpè conjugem infidelem, ad fidem & professionem Christianam, per quam sanctificatur, inducit. 86.

His præmissis, duplex est difficultas breviter hìc resolvenda. Prima est, an per conversionem alterius conjugis ad fidem, dissolvatur matrimonium consummatum inter infideles, non solùm quoad habitationem & thorum, sed etiam quoad vinculum conjugale, ita ut utrique liberum sit ad secundas nuptias convolare? Secundò quæritur, quo tempore solvatur matrimonium fidelis conversi cum infideli nolente converti, an statim atque ille convertitur, & baptismum suscipit, vel solùm quando transit ad secundas nuptias, & aliud matrimonium reipsa contrahit? Pro resolutione sit 87.

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

D DIco primò, matrimonium infidelium, etiam post consummationem, dissolvi potest, etiam quoad vinculum conjugale, si alter conjugum convertatur ad fidem, & alter nolit pacificè & sine contumelia Creatoris habitare cum illo; secùs verò, si alter velit pacificè & sine scandalo cohabitare.

Prima pars hujus conclusionis certa est, & ab omnibus Theologis admittitur, habeturque cap. *Quantò*, de divortiis, ubi Innocentius III. ait, quod *si alter infidelium conjugum, ad fidem Catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, ad secunda, si voluerit, vota transire posse.* 88.

Colligitur etiam ex Apostolo 1. ad Corinth. 7. ubi primùm de matrimonio contracto inter Christianos sic loquitur: *Iis autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quod si discesserit, manere inuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* Deinde de matrimonio cum infidelibus contracto subjungit: *Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, &c. Quod si infidelis discedit, discedat;* 89.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceda: ; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi. Quæ ultima verba, juxta communem Interpretum explicationem, significant, quod si conjux infidelis, odio Christianæ Religionis sponte recesserit à conjuge fideli, conjux fidelis non subjicitur servituti, ut debeat remanere in cœlibatu, non nubendo alteri. Idem autem dicendum est à fortiori, si infidelis remaneat quidem cum fideli, sed cum injuria Creatoris, & spirituali damno conversi conjugis, quia hoc est deterius, quàm si discederet. Unde Innocentius III. post verba supra relata, subdit: *In hoc casu intelligimus quod ait Apostolus, si infidelis discedit, discedat: Frater enim & soror non est servituti subjectus in hujusmodi, & Canonem etiam in quo dicitur: Contumelia Creatoris solvit jus matrimonij circa eum qui relinquitur.*

90. Dices, nihil tale significari verbis illis Apostoli, tum quia verbum *discedit* apud illum significat discessum imperfectum, quantùm scilicet ad thorum & cohabitationem, non verò etiam quoad vinculi conjugalis solutionem, ut patet ex iis quæ præmiserat, *præcipiens mulierem fidelem à viro fideli non discedere, & si discederet manere innuptam, aut viro suo reconciliari*: Ubi manifestum est, verbum *discedere*, accipi tantùm pro imperfecto discessu, scilicet præcisè quoad thorum & cohabitationem. Tum etiam, quia nomine *servitutis*, quod habetur in eodem loco, Apostolus significat solùm obligationem sequèdi conjugem discedentem, & exhibendi ei debita officia conjugalia: ex hoc autem quod frater vel soror non sit subdita hujusmodi servituti, nullo modo sequitur, quod vinculum matrimonij eo casu dissolvatur.

91. Sed contra: Ideò verbum *discedat*, applicatum ab Apostolo mulieri fideli, discedenti licitè à conjuge etiam fideli, non significat dissolutionem matrimonij quoad vinculum, sed tantùm separationem quoad lectum & tectum, quia verba quæ statim subjungit, videlicet, *quod si discesserit, maneat innupta*, apertè illud declarant; sed è contra verba quæ subjungit Paulus eidem verbo *discedat*, applicata postea conjugi fideli, à quo infidelis discedit, nihil tale declarant, quin potiùs significant discessum perfectum quoad vinculum, quandoquidem dicit absolutè & indefinitè Paulus: *Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi*: Propositio autem indefinita æquivalet universali, atque adeò sensus est, nulli prorsus servituti, neque videlicet quoad habitationem & thorum, neque quoad vinculum, remanere conjugem fidelem subjectum in illo casu; maximè cùm, etiamsi non discederet conjux infidelis à conjuge fideli, sed consentiret cohabitare, etiam absque injuria Creatoris, non esset frater aut soror fidelis subjectus servituti cohabitandi, & officia conjugalia præstandi; quia non est præceptum, sed tantùm consilium cohabitare in tali casu cum conjuge fideli, ut constat ex suprà dictis.

92. Secunda pars conclusionis est contra Bellarminum, Coninxum, & alios Recentiores, existimantes solvi posse quantùm ad vinculum matrimonium fidelis conversi ad fidem Christianam, cum infideli nolente converti, etiam in eo casu quo conjux remanens in infidelitate, vult cohabitare pacificè, & sine contumelia Creatoris. Est tamen D. Thomæ hîc quæst. 59. art. 5. in corp. ubi sic ait: *Quando alter conjugum ad fidem convertitur, altero in infidelitate remanente, distinguendum est; quia si infidelis vult cohabitare sine contumelia Creatoris, id est sine hoc quod ad infidelitatem inducat, potest fidelis liberè discedere* (id est ab eo separari quoad cohabitationem & thorum) *Sed discedens non potest alteri nubere. Si autem infidelis non velit cohabitare sine contumelia Creatoris, in verba blasphemiæ prorumpens, & nomen Christi audire nolens, tunc si ad infidelitatem pertrahere nitatur, vir fidelis discedens, potest alteri per matrimonium copulari.*

93. Idem colligitur ex cap. *Gaudemus*, de divortiis, ubi expressè dicitur, conjugem ad fidem Christi conversum, non posse aliam ducere uxorem, deserendo primam, nisi post conversionem ipsius, illa renuat habitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris. Et cap. *Quanto*. eodem titulo, exprimuntur tantùm hi duo casus, in quibus licet conjugi ad fidem converso, ad secundum si voluerit transire matrimonium: *Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente*: Ergo id non potest, si alter vult pacificè, & sine scandalo, & contumelia Creatoris, cohabitare.

94. Ratio etiam id suadet: Christus enim hoc privilegium infidelibus conversis non concessit, nisi in gratiam fidei, quæ tunc non periclitatur; & ne cogantur, aut perpetuò cœlibes vivere post conversionem, aut habitare cum conjuge scandaloso, & conante ad infidelitatem pertrahere; quod non habet locum, cùm conjux infidelis pacificè & sine contumelia Creatoris cohabitare consentit.

95. Dico secundò, Matrimonium fidelis conversi, cum infideli nolente converti, nec cohabitare pacificè, & sine contumelia Creatoris, non dissolvitur, nisi quando conversus reipsa contrahit aliud matrimonium. Est contra Hostiensem, Altisiodorensem, Angelum, & alios, existimantes tale matrimonium solvi statim atque ille convertitur, & suscipit Baptismum. Est tamen D. Thomæ hîc quæst. 59. art. 5. ad 2. ubi hæc scribit: *Crimen uxoris nolentis cohabitare sine contumelia Creatoris, absolvit virum à servitute, quâ tenebatur uxori, ut non posset eâ vivente aliam ducere; sed nondum solvit matrimonium, quia si illa converteretur antequam ille aliud matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus; sed solvitur per matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis, nisi solutus à servitute uxoris suæ, per culpam ejusdem.*

96. Colligitur etiam manifestè hæc veritas ex cap. *Gaudemus*, de divortiis, ubi Innocentius III. respondet, si conjux infidelis convertatur ad fidem, priusquam fidelis conversus aliud matrimonium inierit, compellendum esse istum, ut compartem recipiat: Sed non esset compellendus, si matrimonium in ipsa conversione dissolutum fuisset; jam enim conjux illius non esset: Ergo matrimonium illud in ipsa conversione conjugis fidelis non dissolvitur, sed solùm quando ille novum contrahit matrimonium. Unde sicut solvitur matrimonium ratum Christianorum, per professionem in Religione approbata, & non priùs, uno alterum quasi formaliter destruente; sic prius matrimonium fidelis conversi cum infideli, in infidelitate contractum & consummatum, cessat eodem instanti quo fidelis conversus reipsa aliud contrahit, & non priùs.

Ex

97. Ex quo inferes primò, infidelem contrahere invalidè cum alio, priusquam fidelis conversus, ad alias nuptias transierit, quia vinculum cum fideli converso, non dissolvitur per matrimonium infidelis, in cujus gratiam non fuit concessum hoc privilegium, sed solùm per matrimonium fidelis conversi, in cujus gratiam tale privilegium à Christo concessum est: Sed manente vinculo prioris matrimonij, non potest infidelis validè aliud contrahere: Ergo nec potest validè contrahere, donec fidelis ad alias nuptias convolarit.

98. Inferes secundò, Si post secundum matrimonium à fideli initum, contingat priorem ejus uxorem converti, & secundam mori, non tenebitur ad primam redire; quia extinctum fuit vinculum prioris matrimonij, & eo extincto, nulla manet obligatio cohabitandi, vel ineundi de novo conjugium.

99. Inferes tertiò, fidelem conversum non posse secundas nuptias inire, nisi postquam illi constat de pertinacia conjugis nolentis converti, aut cum eo pacificè & sine contumelia Creatoris habitare; cùm ea sola pertinacia det illi jus resiliendi à priori matrimonio, & aliud contrahendi. Ex quo sequitur, teneri eum priùs alterum monere & invitare ad fidem, quia aliàs non potest illi constare de alterius pertinacia. Excipe tamen casum, quo hæc monitio esset valde difficilis, & moraliter impossibilis, putà quia infidelis profectus est in regionem longinquam, neque spes est conveniendi intra tempus notabile; vel quia nescitur quò abierit, aut quid de illo factum sit. Qua de causa Pius V. motu proprio quem citat Sanchez lib. 7. disp. 74. num. 13. definit, Indos Occidentales ad fidem conversos, qui scire non possunt quid actum sit de conjuge quem infidelem reliquerunt, posse manere in conjugio quod post conversionem contraxerunt. Idem concessit Gregorius XIII. pro Angolanis, Æthiopibus, Brasilienfibus, & aliis Indorum nationibus: cujus concessionis litteras refert Pontius lib. 7. de matrim. cap. 48. num. 23.

§. II.

Solvuntur objectiones.

100. OBjicies primò contra primam conclusionem: Matrimonium fidelium, altero conjugum lapso in hæresim, & nolente habitare cum fideli, sine contumelia Creatoris, non solvitur quoad vinculum conjugale, sed solùm quoad thorum & habitationem: Ergo etiam matrimonium infidelium, quando unus convertitur ad fidem, & alter non vult pacificè & sine contumelia Creatoris habitare cum eo, solvitur duntaxat quoad thorum & habitationem, non verò quoad vinculum conjugale. Consequentia videtur legitima, ex paritate rationis; nam in primo casu non minor reperitur contumelia Creatoris, neque minus molestiæ aut periculi timetur à conjugale lapso in hæresim, & alterum secum in errorem pertrahere conante: Ergo si hoc non obstante non solvitur vinculum conjugale, non solvitur etiam quando unus ex conjugibus infidelibus convertitur ad fidem, & alter non vult pacificè & sine contumelia Creatoris cohabitare. Antecedens verò est certum de fide, ac definitum in Tridentino sess. 24. can. 5. his verbis: *Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, &c. dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.* Idemque antea declaraverat Innocentius III. cap. *Quantò*, de divortiis, ubi sic ait: *Si alter fidelium conjugum, vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus quod in hoc casu is qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare.*

101. Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem, magnum enim reperitur discrimen inter matrimonia contracta in infidelitate, & contracta post baptismum; quæ enim contrahuntur in infidelitate, non sunt sacramentum, sicut illa quæ contrahuntur post baptismum, & ideò magis dissolvi possunt: unde non mirum quod non solvatur matrimonium Christianorum, cùm alter conjugum fidelium labitur in hæresim, & non vult habitare cum altero sine contumelia Creatoris, benè tamen matrimonium infidelium, quando unus convertitur ad fidem, & alter non vult habitare pacificè & sine contumelia Creatoris. Alia etiam ratio discriminis reddi potest, nam quando unus conjugum infidelium ad fidem convertitur, & suscipit Baptismum; alter verò renuit idem facere, neque vult pacificè cohabitare; Ecclesia quæ non habet potestatem circa infideles, non potest istum cogere censuris & pœnis ad cohabitandum pacificè, & conjugi læso efficaciter succurrere. Ex quo fit, ut nisi solveretur vinculum matrimonij, deberet conversus vel manere perpetuò in statu cœlibatûs, vel pati rixas perpetuas, & continua scandala, periculumque subire fidei amittendæ. Quod incommodum gravissimum est, multosque sine dubio à suscipienda fide Christiana retardaret, nisi Christus illi providisset. Secùs autem est de conjuge baptizato in hæresim lapso, nam ratione Baptismi & characteris, qui est indelebilis, manet semper Ecclesiæ legibus subjectus, & ab illa compelli & puniri potest, etiam morte corporali, nisi ad frugem redeat.

102. Objicies secundò: Si matrimonium infidelium in lege Evangelica solvi possit, per conversionem alterius conjugis ad fidem, sequitur quod etiam dissolvi potuisset ante legem Evangelicam, per conversionem alterius conjugis ad Judaïsmum, verum Deum colentem; rationes enim quibus utuntur Theologi ad probandum talem dissolutionem in lege Evangelica, nimirum quòd multi revocarentur à professione Christianæ Religionis, si intelligerent, discedente conjuge infideli, esse ipsi servandum cœlibatum. Quòd infideles per Baptismum regenerantur ad novam vitam, subindeque non tenentur ad id quod ejus perfectioni obstat, quale est obligatio ad actus matrimonij, ut suprà cum D. Thoma dicebamus. Quòd matrimonij vinculum est relatio æquiparantiæ inter socios: congruum autem non est, quod infideles sint socij & pares cum fidelibus: hæ, inquam, rationes, æquè procedunt de matrimonio infidelium ante legem Evangelicam, ac postea.

103. Respondeo negando sequelam, nunc enim dissolvitur matrimonium infidelium, per conversionem alterius conjugis ad fidem, ex privilegio & dispensatione Christi, quam colligit sufficienter Ecclesia ex verbis Apostoli suprà relatis, pro statu legis gratiæ, non verò pro statu legis scriptæ. Rationes autem quæ afferuntur in objectione, non sunt demonstrativæ, sed tantùm quædam congruentiæ, quæ

suppositâ

Universidad de Deusto
Biblioteca

suppositâ existentiâ rei de qua est quæstio, illam declarant.

104. Objicies tertiò contra secundam conclusionem illud Ambrosij in cap. 7. Epist. 1. ad Corinth. *Contumelia Creatoris solvit jus matrimonij circa eum qui relinquitur.* Quibus verbis docere videtur matrimonium fidelis conversi cum infideli nolente converti, dissolvi statim-atque ille convertitur ad fidem, & suscipit sacramentum Baptismi.

Sed præterquam quòddubium & incertum est, an commentaria illa sint Ambrosij, facilè respondetur, sensum horum verborum esse, contumeliâ Creatoris solvi jus matrimonij, causaliter vel occasionaliter; quia dat jus & potestatem conversо illud dissolvendi formaliter, per aliud matrimonium quod validè cum alio contrahere potest.

DISPUTATIO VI.

De bonis Matrimonii.

Ad quæstionem 49. supplementi.

EXplicatâ præcipuâ matrimonij proprietate, quæ est ejus indissolubilitas, consequens est, ut de triplici ejus bono differamus, & quæ docet S. Thomas qu. 49. supplementi, breviter explicemus.

ARTICULUS UNICUS.

An & quæ bona necessaria sint ad excusandum Matrimonium?

DIco primò, Aliqua oportuit esse bona, ut matrimonium excusaretur, & fieret prudenter eligibile. Ita D. Thomas hic art. 1.

1. Probatur ratione quam ibidem expendit: Nullus sapiens debet aliquam jacturam sustinere, nisi cum recompensatione æqualis vel majoris boni: Sed per matrimonium plura incurruntur damna & incommoda: Ergo ut redderetur honestum & prudenter eligibile, aliqua bona requiruntur, quibus damna illa & incommoda compensentur & reparentur. Major constat, Minor probatur, damna illa & incommoda recensendo. In primis ergo in actu matrimonij jactura quædam rationis incurritur, quippè quæ per nimiam voluptatem absorbetur, ait Philosophus lib. 7. Ethic. cap. 11. circa finem. Unde in illo actu, homo, ut inquit S. Thomas, fit totus caro, & assimilatur equis & mulis, quibus non est intellectus. Hinc Hieronymus Epist. 11. quæ est de monogamia, super hæc verba, quæ de seipso dicit Ezechiël, *Mortua est uxor mea, & apertum est os meum*, sic ait: *Nec ducturus uxorem, nec ille qui duxerat, possunt in opere conjugali liberè prophetare.* Quod rursus urget libro 1. contra Jovinianum cap. 18. ex eo quod Prophetæ nisi tangente corda Spiritu Sancto non prophetent, & in actu conjugali Prophetarum corda Spiritus Sanctus non tangat. Et cap. 28. hæc scribit: *Fertur Aureolus Theophrasti liber, in quo quærit, an vir sapiens ducat uxorem? & cum definisset si pulchra esset, si benè morata, si honestis parentibus, si ipse sanus ac dives, sic sapientem aliquando inire matrimonium, statim infert: Hæc autem in nuptiis raro universa concordant: non est ergo uxor ducenda sapienti.* Et causam subdit, dicens: *Impediri studia Philosophiæ per conjugium, nec posse quemquam libris & uxori pariter inservire.*

Addo quod per usum matrimonij non solùm ratio absorbetur, sed etiam corpus viri multùm debilitatur, omnesque illius sensus obtunduntur, ut quidam bellè his versibus expressit:

Fœmina corpus, opes, animum, vim, lumina, sensus
Destruit, annihilat, necat, eripit, orbat, acerbat.

Hoc sensu Cajetanus in cap. 2. Geneseos exponit id quod dicitur de formatione Evæ ex costa Adami dormientis Genes. 2. versu 21. Vult enim id metaphoricè intelligendum esse, & non aliò pertinere, nisi ad significandam diminutionem roboris ex corpore viri, propter usum conjugij. Mulier verò, licèt ex actu conjugij tantam non patiatur virium diminutionem, quàm vir, adeò tamen graves & acerbos in partu patitur dolores & cruciatus, ut Propheta dolores inferni similes esse doloribus parturientis dixerit Psal. 47. *Ibi dolores ut parturientis.*

3. Secundum matrimonij incommodum est nimia solicitudo placendi conjugi, suscipiendi & educandi liberos, illisque providendi in futurum. Propter quam Apostolus 1. Corinth. 7. dicit conjuges habere cor divisum, id est non integrè & perfectè Deo addictum, dum cogitant quomodo alter alteri placeat, & solliciti sunt quæ sunt mundi. Et ibidem eandem solicitudinem vocat *tribulationem carnis*, quæ à conjugio secundùm statum præsentem naturæ lapsæ, est moraliter inseparabilis.

4. Tertium conjugij incommodum est quòd perpetuam quandam subjectionem & servitutem secum affert, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Et rursus: *Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem.* Quam alligationem, mutuamque subjectionem, servitutis nomine ibidem exprimit, dicens non eam tam strictè obligare, ut teneatur conjux fidelis manere cum altero conjuge infideli, nolente cohabitare pacificè: *Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Hæc & alia matrimonij incommoda eleganter describit Sixtus III. vel Author libri de castitate, qui habetur tomo 5. Bibliothecæ Patrum, pag. 630. editionis Parisiensis. Eaque perstringuntur cap. ultimo de convers. infidel. ubi matrimonium dicitur *ante partum onerosum, doloroſum in partu, post partum laboriosum.*

Dico secundò, Tria sunt præcipua matrimonij bona, ratione quorum honestum redditur, & prudenter eligibile, nempè bonum prolis, bonum fidei, & bonum sacramenti. Ita S. Thomas hic art. 2. post D. Augustinum lib. 9. super Genes. ad litt. cap. 7. ubi hæc scribit: *Nuptiale bonum tripartitum est, scilicet fides, proles, & sacramentum. In fide attenditur, ne prater vinculum conjugale cum altero vel altera concumbatur. In prole ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In sacramento autem, ut conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa, nec causâ prolis alteri conjungatur.*

His

5. His tribus bonis compensantur tria mala & damna suprà recensita, quæ conjugium secum affert. Nam detrimentum jacturæ rationis & diminutionis virium corporis in usu conjugij, compensatur bono prolis, id est procreatione liberorum, quibus genus humanum conservetur, & Deus perpetuò colatur, in quem præcipuè finem optandi sunt, ut ait Plato lib. 9. de legibus in hæc verba: *Oportet parentes gignere & educare liberos, qui vitam tanquam lampadem posteris tradant, ut sint semper aliqui Deum colentes juxta ipsius legem.* Hinc Justinianus Imperator Novellâ 22. in principio ait, quod *matrimonium sic est honestum, ut humano generi videatur immortalitatem artificiosam introducere, & ex filiorum procreatione renovare genus humanum.* Et Novellâ 39. in fine procœmij, *Nuptiis* (inquit) *nihil est hominibus utilius, tanquam solis facere homines valentibus.* Item Justinianus minor Novellâ 2. in principio hæc scribit: *Nihil in rebus mortalium perinde venerandum est, atque matrimonium, quippè ex quo liberi, omnisque deinceps sobolis series existat, quòd regiones atque civitates frequentes reddat, inde denique optimæ Reipublicæ coagmentatio fiat.* Demum Ambrosius libro 1. super Lucam: *Divinum*, ait, *munus est fœcunditas parientis. Agant itaque parentes gratias, quia generaverunt; filij, quia generati sunt; matres, quia conjugij præmiis honorantur. Vernet in Dei laudem terra, quia colitur; mundus, quia cognoscitur; Ecclesia, quia devotæ numero plebis augetur.*

6. Aliud detrimentum solicitudinis placendi conjugi, & providendi liberis, compensatur bono fidei, id est obligatione fidelitatis ad reddendum debitum conjugale petendum legitimè, negandumque corporis sui usum cuicumque alteri.

7. Denique detrimentum subjectionis & servitutis compensatur bono sacramenti, id est vinculi indissolubilis, quo conjuges repræsentant conjunctionem Christi cum Ecclesia, tenenturque se mutuò diligere, sicut Christus dilexit Ecclesiam; sumitur enim hîc sacramentum pro vinculo matrimonij, quod res & sacramentum vocatur. Quamquam etiam multò magis compensatur hæc servitus bono sacramenti propriè sumpti, pro signo efficaci gratiæ; quatenus sanctificat conjuges, datque illis auxilia supernaturalia ad se mutuò diligendum, præstandaque suaviter & fideliter cætera munia matrimonij.

8. Adverte autem, quod licèt sacramentum matrimonij, in ratione signi practici, tenear infimum locum inter omnia sacramenta, eò quòd minimum minùs participet de ratione spiritualis vitæ ad quam ordinantur sacramenta, atque adeò minimum gradum gratiæ inter illa conferat: in ratione tamen signi speculativi, & ut sacrarum rerum symbolum, cætera sacramenta longè superat, triplici significatione, quâ præcipua Religionis nostræ mysteria repræsentat; significat enim unionem Verbi cum humanitate, conjunctionem Christi cum Ecclesia, & castissimum fœdus Dei cum anima, quam hîc sibi per fidem desponsat, ut dicitur Oseæ 2. & per visionem beatam in æternum in cœlo sibi copulat. Hoc autem ita esse voluit Christus, tum ut magnitudine sacramenti & mysterij, damna & nocumenta quæ secum affert matrimonium compensaret: Tum etiam, quia cùm matrimonium maximè dejiciat mentes hominum, præsertim ratione copulæ carnalis, quæ, ut suprà dicebamus, rationem absorbet, & hominem brutis & pecudibus similem reddit, elevare se possent homines conjugati ad contemplanda præcipua illa fidei nostræ mysteria & sacramenta, quæ per matrimonium repræsentantur, & per talem contemplationem Angelis assimilari, ut fusiùs in hujus Tractatûs præfationem expendimus.

9. Ex dictis intelliges, gravissimum esse adulterij crimen, cùm tria prædicta matrimonij bona penitùs destruat, illisque directè adversetur; violat enim fidem conjugij, tollit certitudinem prolis, & sacramenti mysticam significationem, cùm dividat carnem in plures, & membra Christi faciat membra meretricis. Unde non solùm temperantiæ, sed etiam justitiæ, & religioni contrariatur, & triplicem horribilem deformitatem, velut triplex Cerberi caput, monstrum illud in se continet, tamque immane est ut Chrysostomus homil. 62. in Joan. illud comparet cum idololatria, & nescio quid majoris gravitatis in violatione conjugij agnoscat, ex eo quod Paulus virum infideli uxori cohabitare permiserit; adulterum verò dimittendi copiam faciat, imò ut ipse Chrysostomus existimat, etiam suadeat. Item Nicolaus I. Epist. 49. circa finem, & ad consulta Bulgarorum cap. 51. homicidio comparans, gravius longè sentit esse adulterium. Verba ejus sunt: *Denique hoc tam immane scelus est, ut homicidij quidem peccatum, quod Cain in Abel fratrem suum commisit, septima generatione, Cataclismo vindicatum fuerit: adulterij autem flagitium, quod Lamech omnium primus in duabus uxoribus perpetravit, non nisi sanguine Christi abolitum exiterit, qui septimâ & septuagesimâ generatione secundùm Evangelium luxerit in mundum.*

10. Intelliges etiam, non solùm falsam, sed & perversam esse quorundam Recentiorum sententiam, quæ asserit, copulam cum conjugata non esse adulterium, si maritus consentiat: Adulterium enim, sicut ipsum nomen sonat, est *accessus ad alienum thorum*, unde sola thori alienitas, ut ita loquar, attendenda est, quando de adulterio quæstio proponitur: Sed maritus suo consensu efficere non potest, ut suus thorus non sit alienus comparatione cujusvis tertij: Ergo efficere nequit suo consensu, ut accessus cujusvis tertij ad suam conjugem, non sit adulterium.

11. Addo quod, licèt talis concubitus non sit injustus marito volenti & consentienti, est tamen injustus proli, quæ incerta redditur ex parte patris, & sacramento, cujus sanctitas violatur, & significatio sacra, per divisionem carnis conjugalis in plures, destruitur. Unde non minori severitate in jure Canonico puniuntur uxores quæ adulterant consentiente marito, quàm quæ, ipso ignorante & non consentiente, tale crimen committunt, ut constat ex Concilio Illiberitano cap. 70. ubi sic dicitur: *Si conscio marito & consentiente, fuerit uxor mœchata, placuit nec in fine eis dandam esse communionem; si verò eam reliquerit, & separati fuerint, & dignè pœnituerint, post decem annos accipiant communionem.*

12. His refellitur impurissimus & insanissimus Gnosticorum error, qui teste Epiphanio hæresi 26. lauta & oppipara convivia amicis exhibere solebant; quibus peractis, non solùm consentientibus, sed etiam præcipientibus maritis, uxores cum extraneis misceri solebant: *Larga* (inquit) *& oppipara edulia, carnis esum, & vini potum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

potum apponunt, etiam si pauperes fuerint. Ex hoc autem ubi compotaverint, & venas satietate impleverint, ad æstrum se convertunt; & vir quidem concedens uxorem alteri, ait ad ipsam: surge & fac dilectionem cum fratre.

13. Idipsum licere gravissimi viri Cato & Socrates olim existimarunt, & suo exemplo comprobarunt. Catonem enim uxorem suam Martiam, Hortensij domum filiis impleturam, tradidisse Augustinus refert lib. de bono conjugali cap. 18. Et lib. de fide & operibus cap. 7. Socratem, uxorem suam, tanquam armenti matricem, amico suo, ad propagandam sobolem, tradidisse scribit. Unde utriusque sapientiam lepidissimè deridet Tertullianus in Apologetico cap. 39. his verbis: *O sapientiæ Atticæ, & Romanæ gravitatis exemplum! Leno est Philosophus & Censor.*

14. Demum non erit Lectori inutile, nec forsitan injucundum, si hìc referam historiam quæ sub Constantij temporibus accidit, & describam quæ S. Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 16. scribit: *Sed tamen (inquit) utrum quod ait Apostolus, Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir, similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, possit intantum valere, ut permittente uxore, quæ maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena uxor sit, neque à viro disjuncta, concumbere. Sed non ita est existimandum ne hoc etiam fœmina viro permittente facere posse videatur, quod omnium sensus excludit. Quamquam nonnullæ causæ possint existere, ubi & uxor mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debere videatur; sicut Antiochiæ factum esse perhibetur ante quinquaginta fermè annos, Constantij temporibus. Nam Acindinus tunc Præfectus, qui etiam Consul fuit, cùm quendam libræ auri debitorem fisci exigeret, nescio unde commotus, quod plerumque in istis potestatibus perniciosum est, quibus quodlibet licèt aut potiùs putatur licere, comminatus est jurans & vehementer affirmans, quod si certo die quem constituerat, memoratum aurum non exolveret, occideretur. Itaque cùm ille teneretur immani custodiâ, nec se posset debito illo expedire, dies metuendus imminere & propinquare cœpit. Et fortè habebat uxorem pulcherrimam, sed nullius pecuniæ, quâ subvenire posset viro. Cujus mulieris pulchritudine, cùm quidam dives esset accensus, & cognovisset maritum ejus in illo discrimine constitutum, misit ad eam, pollicens pro una nocte, si ei misceri vellet, se auri libram daturum. Tunc illa, quæ se sciret, non habere sui corporis potestatem, sed virum suum, pertulit ad eum dicens, paratam esse se pro marito id facere, si tamen ipse conjugalis corporis dominus, cui tota illa castitas deberetur, tanquam de re sua, pro vita sua vellet id fieri. Egit ille gratias, & ut jam fieret, impetravit, nullo modo judicans adulterium esse concubitum, quod & libido nulla & magna mariti charitas, se jubente & volente, flagitaret. Venit mulier ad villam illius divitis, fecit quod voluit impudicus: sed illa corpus non nisi marito dedit, non concumbere, ut solet, sed vivere cupienti. Accipit aurum, sed ille qui dedit, fraude subtraxit quod dederat, & supposuit simile ligamentum cum terra: quod ubi mulier jam domi suæ posita invenit, prosiluit in publicum eadem mariti charitate clamatura quod fecerat, quia facere coacta est. Interpellat Præfectum, fatetur omnia, quam fraudem passa esset ostendit. Tum verò Præfectus primò se reum, quòd suis minis ad id ventum esset, pronuntiat, tanquam in alium sententiam diceret, de Acindini bonis auri libram fisco inferendam: illam verò mulierem dominam in eam terram, unde pro auro terram accepisset, induci. Nihil hìc in alteram partem disputo; liceat unicuique æstimare quod velit, non enim de divinis authoritatibus deprompta historia est, sed tamen narrato hoc facto, non ita respuit hoc sensus humanus, quod in illa muliere viro vivente commissum est, quemadmodum antea, cùm sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus.* Hæc Augustinus.

15. Colligitur etiam ex dictis, tria prædicta matrimonij bona, non solùm excusare actum conjugalem, licitum eum reddendo, & bonum, verùm etiam sanctum, est enim bonus, ratione prolis, & fidei; sanctus autem, ratione Sacramenti, quatenus significat conjunctionem Christi cum Ecclesia. Ita S. Thomas hìc art. 4. ubi sic ait: *Dicitur aliquis humanus actus bonus dupliciter: uno modo, bonitate virtutis, & sic habet actus quod sit bonus ex his quæ ipsum in medio ponunt, & hoc faciunt in actu matrimonij, fides, & proles. Alio modo bonitate Sacramenti, secundum quod actus non solùm bonus, sed etiam sanctus dicitur; & hanc bonitatem habet actus matrimonij ex indivisibilitate conjunctionis, secundùm quam significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam.*

Denique cum eodem S. Doctore ibidem art. 4. colligitur, peccare conjuges in actu conjugali, saltem venialiter, nisi conveniant causâ procreandæ prolis, aut debiti reddendi. Idem docet Augustinus lib. de bono conjugali cap. 6. his verbis: *Conjugalis concubitus generandi gratiâ, non habet culpam: concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum conjuge, propter fidem thori, venialem habet culpam:* Et cap. 7. *Reddere debitum conjugale (inquit) nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem, est culpa venialis.* Et lib. 2. contra Julian. cap. 10. dicit, *conjuges contrahere unde quotidie dicant, dimitte nobis debita nostra, quando modum generationi necessarium, causa solius voluptatis excedunt.* Similia habet Gregorius Magnus 12. Moral. cap. 17. aliàs 20. ubi hæc scribit: *Tunc solùm conjuges in admixtione sine culpa sunt, cùm non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur.*

16. Observandũ etiam est cum S. Thoma hìc art. 6. peccare mortaliter eum qui cognoscendo uxorem, non intendit aliquod bonum matrimonij, ita scilicet ut aliquis in conjuge non attendat, quòd conjux est, sed solùm quòd mulier, paratus idem facere cum ea, si non esset conjux. Eoque sensu intelligendum est, quod dicitur Tobiæ 6. *Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos.* De his etiam loquitur Hieronymus cùm ait lib. 1. adversùs Jovinianum: *Nihil interest quàm ex honesta causa quis insaniat. Unde & Xystus in sententiis: Adulter est in suam uxorem amator ardentior. In aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem, non affectu. Reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in cœitum. Nihil est fœdius quàm uxorem amare quasi adulteram.*

DISPUTATIO VII.

De impedimentis matrimonij in communi.

Ad quæstionem 50. supplementi.

EXplicata essentiâ matrimonij, ejus causis, & proprietatibus, tribusque bonis quæ secum affert, quibus tria mala seu nocumenta quæ infert, reparantur; superest ut de impedimentis matrimonij disseramus, sed antequam de illis in particulari agamus, & quæ sint impedimenta prohibentia ac dirimentia exponamus, priùs declarandum est, apud quem resideat potestas talia impedimenta constituendi. Unde sit

ARTICULUS UNICUS.

Penes quem sit potestas apponendi impedimenta matrimonio?

1. HÆretici hujus temporis negant hanc potestatem esse penes Ecclesiam: plures verò ex Catholicis existimant, Principes Christianos non habere potestatem statuendi suis subditis fidelibus impedimenta matrimonium dirimentia. Ita Canonistæ, D. Bonaventura, Richardus, Paludanus, Pontius, Sylvius, & alij. Oppositum docent Dominicus, & Petrus Soto, Bellarminus, Henricus, Coninck, Sanchez, & alij.

§. I.

Duplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

2. DIco primò, esse in Ecclesia potestatem ad constituenda impedimenta matrimonium dirimentia. Conclusio est certa de fide, ac definita in Tridentino sess. 24. can. 4. ubi fertur anathemate Novatores dicentes Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in illis constituendis errasse. Et in decreto de reform. matrim. cap. 1. irritat de facto eorum contractus, qui post debitam illius decreti promulgationem clandestinè contraxerint. Item ante Tridentinum in Concilio Provinciali Senonensi sub Clemente VII. in decretis fidei cap. 17. inter errores damnatos refertur iste, *Ecclesia non potuit illegitimare aliquas personas sic quod non possint contrahere matrimonium.* Constat etiam ex consuetudine Ecclesiæ universalis, contra quam disputare insolentissimæ est insaniæ, ut ait Augustinus Epist. 118. illa enim matrimonio multoties impedimenta constituit, ut ex his quæ infrà de unoquoque impedimento dicemus, manifestum erit.

3. Ratio etiam suffragatur: Cùm enim pax & tranquillitas Reipublicæ magna ex parte ex benè initis connubiis pendeat, & contra ex malè copulatis conjugibus magna in ea turbatio oriri soleat, in omni Republica benè ordinata, necessaria est potestas ad providendum abusibus quæ in matrimoniis possunt contingere, & statuendi matrimonio impedimenta, quibus stantibus, validè contrahi nequeat: Ergo talis potestas non debet denegari Ecclesiæ, quæ est Respublica benè ordinata, ne deterioris conditionis sit, quàm reliquæ sæculares, quæ hanc potestatem habent ut ex variis earum legibus de ritu nuptiarum constat. Idque confirmat praxis ipsorum hæreticorum, quamvis alioqui contra Ecclesiæ prohibitiones & constitutiones matrimoniales declament; aliqua tamen constituerunt impedimenta matrimonij, quæ neque jure naturali neque divino posita erant, ut in Gebennensis Ecclesiæ statutis videre est.

4. Hæc verò potestas Ecclesiæ non se extendit supra infideles sibi non subjectos, ut constat ex cap. *Gaudemus* de divortiis, ubi Innocentius III. docet, paganos legitimum contrahere matrimonium in gradibus ab Ecclesia prohibitis, *quippè qui constitutionibus Canonicis non arctantur*, ut ait Pontifex. Idque confirmat ex illo Apostoli 1. Cor. 5. *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?*

5. Sunt tamen aliqui qui etsi existiment, impedimenta matrimonij hactenus ab Ecclesia statuta, ad infideles non se extendere, quandiu manent infidelibus Principibus subjecti, censent nihilominus ad eos extendi, statim ac fiunt Christianis Principibus subditi, eò quòd (inquiunt) quodammodo subjiciantur Ecclesiæ, hoc ipso quod fiunt subditi Christianis Principibus. Ita Ledesma apud Sanchem lib. 7. disp. 3. num. 3. Oppositum tamen videtur probabilius, cùm Ecclesia nec in eos habeat jurisdictionem temporalem, nec spiritualem; omnis enim spiritualis jurisdictio quam Ecclesia habet in homines, fundatur in charactere Baptismali, qui sicut est homini primus aditus ad Religionis Christianæ ingressum, ita & primum fundamentum per quod subjicitur Ecclesiæ.

Confirmatur: Matrimonium infidelium Christianis Principibus subditorum, non est sacramentum, sed tantùm contractus civilis: Atqui contractus civiles infidelium non subduntur Pontifici, sed Principi sæculari: Ergo & matrimonia.

6. Dico secundò, Principes fideles potestatem habere statuendi suis subditis fidelibus impedimenta matrimonium dirimentia. Ita S. Thomas in 4. dist. 34. qu. unicâ art. 1. ad 4. ubi sic ait: *Matrimonium, inquantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ; inquantum est sacramentum, statuitur lege divinâ; inquantum est in officium communitatis, statuitur jure civili; & idèo* (concludit) *ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima.* Et rursus 4. contra Gent. cap. 78. sic discurrit: *Considerandum est, quod quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti: generatio autem humana ad multa ordinatur, scilicet ad perpetuitatem speciei, & ad perpetuitatem alicujus boni politici, puta populi in aliqua civitate; ordinatur etiam ad perpetuitatem Ecclesiæ, quæ in fidelium collectione consistit, unde oportet quod hujusmodi generatio à diversis dirigatur. Inquantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem à natura inclinante in hunc finem, & sic dicitur esse naturæ officium. Inquantum verò ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi civilis legis. Inquantum autem ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subjaceat regimini Ecclesiastico.* Quibus locis S. Doctor conclusionem nostram & docuit & probavit. Matrimonium enim non solùm est sacramentum, in bonum Ecclesiæ, & fidelium sanctificationem ordinatum, sed etiam contractus civilis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

civilis, ordinatus in bonum politicum, & in officium communitatis: Sed contractus civiles, juri civili, & Principum sæcularium legibus subjiciuntur: Ergo & matrimonium, subindeque Principes fideles potestatem habent statuendi suis subditis fidelibus, impedimenta matrimonium dirimentia. Nec tamen potestatem ab eis Christus abstulit, cùm matrimonium ad dignitatem sacramenti evexit, sed potiùs eam præsupposuit, non minùs quàm præsupposuit contractum validè initum, ut materiam hujus sacramenti. Quemadmodum ex eo quod Christus verba ex hominum placito significantia, evexit ad rationem sacramenti, non abstulit à Republica potestatem illa quoad significationem mutandi, & alia idem significantia, eorum loco substituendi.

§. II.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

7. EX dictis colligitur primò, quod si aliquæ leges sint in aliquo regno irritantes matrimonium, maximè si ab initio regni vim habuerint, scientibus & non contradicentibus Summis Pontificibus, de facto illas valere ad irritanda matrimonia. Si enim consuetudo legitimè præscripta, vim legis habeat in rebus aliis etiam Ecclesiasticis, ut patet ex cap. *Cum olim* de Clerico conjugato, cur non in matrimonio, de quo etiam specialiter id affirmatur in cap. *Super eo* de cognat. spirit. ubi dicitur matrimonium initum contra receptam consuetudinem patriæ esse dirimendum; quia nimirum ab initio fuit irritum, cùm consuetudo nullam vim habeat dissolvendi matrimonium legitimè initum, eò quòd ejus vinculum sit juris naturalis & divini.

8. Colligitur secundò, posse Principes fideles suis subditis infidelibus statuere impedimenta matrimonium irritantia, & idem dicendum de Principibus infidelibus, etiam respectu fidelium sibi subditorum; cùm enim talia matrimonia sint contractus civiles, in bonum politicum, & officium communitatis ordinati, juri civili, & Principum sive fidelium sive infidelium legibus subjiciuntur. Unde apud multas barbaras nationes connubia inter alienigenas prohibita & invalida sunt.

9. Colligitur tertiò, Principes, sive Ecclesiasticos, sive sæculares, non posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, nisi justâ & rationabili causâ id exigente: quia potestas humana, sive Ecclesiastica, sive sæcularis, non potest sine causa restringere jus naturale, quod quisque habet contrahendi matrimonium, modo sibi à natura permisso; neque potest de re tanti momenti, quanti est matrimonium, pro merο suo arbitrio disponere. Unde Tridentinum sess. 24. decreto 1. cap. 1. irritare volens clandestina matrimonia, affirmavit se id facere, propter gravia incommoda & peccata, quæ ex hujusmodi matrimoniis ortum habebant; frequenter enim contingebat, ut qui clam matrimonium cum una contraxisset, & consummasset, postea coram, sed invalidè, contrahebat cum altera, cum qua per totam vitam in perpetuo adulterio vivebat.

10. Colligitur quartò, posse Ecclesiam alicui in particulari interdicere matrimonium cum certa persona, justâ & rationabili causâ id exigente: Si enim potest ex causa rationabili interdicere & irritare matrimonium generaliter, inter consanguineos verbi gratiâ, vel affines, usque ad quartum gradum, & olim usque ad septimum: quidni etiam existente tali causâ poterit irritare specialiter inter duas certas personas, & impedire ne validè contrahant? Putà, quia ex tali contractu orirentur magna diffidia inter parentes, vel fieret gravis injuria alicui tertio, vel grave damnum Reipublicæ immineret. Potest etiam Ecclesia, in pœnam delicti, aliquem penitùs inhabilem reddere ad quodcumque matrimonium, eumque privare jure naturali quod habet matrimonium contrahendi; sicut potest in pœnam criminis aliquem libertate naturali privare, detinendo in carcere perpetuo, vel etiam vitâ ipsâ spoliare.

11. Colligitur quintò, fideles, ubicumque existant, teneri servare leges Ecclesiasticas matrimonium prohibentes vel irritantes; quia licèt versentur in terris infidelium, non desinunt esse subjecti Ecclesiæ. Imò quamvis fiant Apostatæ, & ad errores moresque infidelium transeant, semper retinent characterem Baptismi, & subjectionem potestati Ecclesiæ, quam non possunt abjicere. Infideles verò in terris fidelium existentes, non tenentur servare leges Ecclesiæ prohibentes aut irritantes matrimonium, quia non sunt subjecti potestati Ecclesiæ: unde possunt licitè & validè contrahere, servando leges Principum sæcularium quibus subsunt.

12. Colligitur sextò, graviter peccare fideles, qui cum aliquo impedimento ab Ecclesia statuto matrimonium contrahunt; quia fit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi, & si impedimentum sit dirimens, sacramentum inde redditur irritum. Unde peccatum eorum qui scienter & sponte contrahunt cum aliquo impedimento dirimente ab Ecclesia statuto, communiter triplicem deformitatem habet; unam inobedientiæ contra præceptum Ecclesiæ; alteram sacrilegij contra religionem & reverentiam debitam sacramento, quod suâ culpâ irritum reddunt; tertiam contra castitatem, ordinando talem contractum ad habendam copulam, prætextu veri matrimonij.

§. III.

Solvuntur objectiones.

13. CONtra præcedentes conclusiones, & corollaria inde deducta, objiciunt Hæretici, quod si authoritas humana, Ecclesiastica, vel sæcularis, posset apponere matrimonio impedimenta dirimentia, quæ Deus ipse non appossuit, homo separare posset quæ Deus conjungit, contra illud Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

14. Sed facilè respondetur, negando sequelam. Deus enim non conjungit per matrimonium nisi eos qui legitimè contrahunt, quales non sunt illi quibus justa de causa, ab Ecclesiastica vel sæculari potestate, appositum fuit impedimentum dirimens, quo reddantur inhabiles ad contrahendum.

15. Potest insuper objici, quod nulla potestas humana, etiam Ecclesiastica, potest mutare materiam vel formam sacramentorum: Si verò posset Ecclesia statuere impedimenta matrimonium dirimentia, posset mutare materiam hujus sacramenti, quia posset irritare contractum alioqui legitimum, qui contractus est materia sacramenti matrimonij, à Christo instituta.

Verùm huic difficili objectioni abundè satisfecimus

cimus disp. 4. art. 3. §. 11. Ibi enim ostendimus, quod licèt Ecclesia non possit mutare materiam sacramenti matrimonij formaliter, id est efficere ut alia sit materia hujus sacramenti, quàm contractus legitimus; benè tamen materialiter, efficiendo scilicet ut contractus qui antea erat legitimus, non sit amplius legitimus. Sicut qui immutaret vel corrumperet aquam vel vinum, efficeret ut non essent amplius materia Baptismi vel Eucharistiæ, subindeque horum sacramentorum materiam, non formaliter, sed materialiter tantùm immutaret. Vel sicut si Ecclesia, vel Respublica sæcularis, per novam institutionem mutaret sensum horum verborum, *Ego te baptizo*, in alium planè diversum, & alia ad idem significandum eorum loco substitueret, mutaret quidem materialiter formam Baptismi, sed non formaliter; quia semper staret, quod verba quibus externa corporis ablutio significatur, essent forma hujus sacramenti, à Christo instituta.

16. Ad complementum hujus celebris difficultatis quæres, an Principes sæculares potestatem habeant dirimendi matrimonia, non solùm quatenus sunt contractus civiles, sed etiam inquantùm rationem sacramenti habent, seu impediendi quod contractus connubiales ab ipsis prohibiti, ad rationem & dignitatem sacramenti pertingant?

Respondeo id non posse directè & per se, cùm enim leges Principum sint purè humanæ & politicæ, per se & directè attingere nequeunt, ea quæ sunt juris divini, qualia sunt Sacramenta. Id tamen posse indirectè & per accidens, Christus enim ad dignitatem Sacramenti eos tantùm contractus matrimoniales elevari voluit, qui liciti & legitimi sunt, non verò eos qui sunt illegitimi & illiciti, ut constat ex supra dictis: At Principes legibus suis efficere possunt, quod aliqui contractus matrimoniales fiant illiciti & illegitimi, ut supra ostensum est, & duplici D. Thomæ testimonio declaratum: Ergo indirectè saltem & per accidens præstare possunt, quod illi ad dignitatem sacramenti non perveniant, sed eâ careant ac priventur.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Destructo fundamento, ædificium superstructum destrui pariter necesse est: Sed basis & fundamentum sacramenti matrimonij, est solùm contractus connubialis validus ac licitus, cùm hunc solum contractum ad sacramenti dignitatem Christus elevare voluerit: Ergo cùm Principes suis legibus possint hoc fundamentum destruere, ac reddere contractum aliquem matrimonialem invalidum & illicitum, possunt per accidens & indirectè impedire, ne aliquis contractus connubialis rationem & dignitatem sacramenti attingat.

17. Observandum tamen est, nunquam Principes, Christianos uti tali potestate, vel quia illius usum Ecclesiæ sponte cesserunt, ut ait Petrus Soto de matrimonio lect. 4. vel ut alii volunt, quia Ecclesia, justis de causis, usum talis potestatis sibi reservavit. Ex quo intelliges, matrimonia filiorum familias, sine consensu patris inita, non obstante quod ab Henrico III. Galliæ Rege, in comitiis regni Blesensibus articulo 40. prohibita ac irritata sint, non carere tamen ratione Sacramenti, sed totam illam nullitatis & invaliditatis declarationem, restringi & concludi intra limites aliquorum effectuum vel pœnarum purè civilium, quas supra disp. 4. art. 3. §. 3. declaravimus. Unde tertio tomo rerum & decretorum Cleri Francici habetur, quod cùm Rex Christianissimus Ludovicus XIII. suum publicari fecisset edictum anni millesimi sexcentesimi vigesimi noni, mense Januario, eoque renovaret prædictum articulum quadragesimum Edicti Blesensis, & Judices Ecclesiasticos juberet conformiter ad illud in causis matrimonialibus judicare: Clerus Gallicanus, eo tempore sua Parisiis comitia habens, Regem suppliciter his verbis admonuit: *Rex humillimè supplicatur, ut considerare non pigeat, quantum sit momentum in hoc articulo, qui eget expositione ad duarum difficultatum elucidationem. Prima est, non aliter intelligantur hæ voces, validè aut invalidè contracti matrimonii, quam per relationem ad contractum civilem, & nullatenus ad contractum spiritualem sacramenti. Secunda, ut non astringantur Ecclesiastici ad judicandum secundùm hujus edicti simulque Blesensis articulos, sed juxta sacros Canones, & Ecclesiastica decreta, quæ sunt unica regula & norma judicij Ecclesiasticorum. Hi enim non possunt aut debent jurisdictionem, quam à solo Deo collatam habent circa res spirituales, ab ipsis laicis mutuari. Quapropter necesse est ex isto articulo hæc verba resecare: Et obligabuntur Ecclesiastici Judices in causis istiusmodi matrimonium judicare ad hujus articuli normam.*

Ad hanc supplicem requisitionem, Rex Christianissimus officium respondendi commisit magno regni Cancellario, & selectioribus quibusdam officialibus sanctioris Consilii. Hi verbis istis ex scripto responderunt: *Commonitio Cleri, quod spectat ad priorem difficultatem, sic resoluta fuit: verba ista (validè aut invalidè contracta matrimonia) non esse aliter explicanda, quam per solam relationem ad contractum civilem, per laicos judices. Altera pariter difficultas, justa & rationi congrua visa fuit.*

DISPUTATIO VIII.

De impedimentis prohibentibus.

Ad eandem quæst. 50. supplementi.

IMPEDIMENTA matrimonij alia sunt quæ dicuntur impedientia tantùm, quia scilicet impediunt, ne matrimonium licitè contrahatur, contractum tamen non irritant. Alia verò sunt, quæ dirimentia appellantur, non quòd matrimonium jam factum & validè contractum dirimant, ut ipsi termini significare videntur, (constat enim ex dictis disp. 5. matrimonium semel validè inter Christianos contractum, per solam professionem Religiosam, idque ante consummationem, de facto dirimi) sed quia efficiunt, ut nedum illicitè, sed etiam invalidè, matrimonium contrahatur; ita ut cum aliquo ex his impedimentis contrahentes, separari debeant, nisi iterum validè contrahant. De primis impedimentis, breviter hîc agemus, de aliis verò paulò fusiùs disp. sequenti disseremus, quia circa illa graviores extant difficultates & controversiæ.

Impedimenta ergo primi generis communiter numerantur duodecim, quorum aliqua ex jure naturali, alia ex positivo oriuntur; quædam ex crimine ortum ducunt, alia verò ex aliis causis

Universidad de Deusto
Biblioteca

proveniunt. Quinque prima, quæ non oriuntur ex crimine, sed ex alia causa, his versibus comprehenduntur :

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, sponsalia, jungito votum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Alia verò septem, quæ oriuntur ex crimine, comprehenduntur istis :

Incestus, raptus sponsatæ, mors muliebris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat : prohibent hæc conjugium sociandum.

Articulus Primus.

Quinque prima impedimenta exponuntur.

1. PRimum impedimentum prohibens, est Ecclesiæ vetitum, id est prohibitio facta à superiori Ecclesiastico, de matrimonio contrahendo, quæ potest esse vel generalis & communis omnibus fidelibus, ut prohibitio contrahendi sine præviis denuntiationibus, aut earum dispensatione ; vel specialis, ut cùm aliquibus in particulari justa de causa prohibetur matrimonium, putà ad vitandum scandalum, aut aliud grave incommodum ; vel quia est suspicio impedimenti, & veritas priùs detegenda est ; vel quia fit præjudicium tertio ; & talis prohibitio potest esse, vel ad tempus tantùm, ut in exemplis adductis ; vel in perpetuum, ut qui uxoris consanguineam cognovit, prohibetur ab Ecclesia, ne ullo unquam tempore, etiam defunctâ uxore, alteri nubat, Cap. 1. *De eo qui cognovit sanguineam uxoris.*

2. Secundum impedimentum prohibens, est tempus feriatum, id est certum anni tempus, quo Ecclesia matrimonia celebrari vetat, quod ante Tridentinum incipiebat ab Adventu usque post Epiphaniam, à Septuagesima usque ad octavam Paschæ ; à diebus Rogationum ad octavam Pentecostes ; & tribus hebdomadis ante festivitatem S. Joannis Baptistæ, ut ex variis Conciliis & Patribus refert Gratianus 33. quæst. 4. ut nempè fideles eo tempore meliùs se disponerent ad sacramenta confessionis & communionis, quæ ex Concilio Agathensi, tribus hisce festivitatibus, Natalis, Paschæ, & Pentecostes, fideles obligabant. Sed Tridentinum sess. 24. cap. 10. de reform. matrimonij, illud tempus contraxit aliquantulum, prohibens tantùm ne fiant nuptiæ solemniter, ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum, usque ad octavam Paschatis inclusivè. Nimirum quia diebus illis Adventûs & Quadragesimæ, jejunio & orationibus vacandum est, abstinendumque à vanæ lætitiæ signis, quæ in solemnitate nuptiarum adhiberi solent, conviviis, tripudiis, choræis, & hujusmodi.

3. His porrò diebus non prohibentur, saltem post Tridentinum, matrimonia simpliciter, sed solùm cum solemnitate, ut liquet ex verbis ipsius Concilij, quæ habent : *Ab Adventu Domini nostri Jesu Christi, usque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum, usque in octavam Paschatis inclusivè, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit ; in aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.* Accedit declaratio Cardinalium Tridentini interpretum, in hæc verba : *Quocumque tempore potest matrimonium contrahi coram Parocho : sed nuptiarum solemnitates, convivia, traductio sponsæ ad domum sponsi, & carnalis copula, certis temporibus prohibentur.* Imò plures existimant, his temporibus, non solùm licere matrimonium sine solemnitate contrahere, sed etiam illud consummare, saltem si benedictio fuit ante accepta, & ad summum, culpam esse venialem, si nulla subsit consummandi causa. Unde aiunt, Congregationem Cardinalium, dicentem his temporibus carnalem copulam prohiberi, intelligendam esse non de præcepto, sed de consilio, vel juxta antiqua jura, quæ prohibebant his temporibus matrimonia consummari. In omnium verò sententia, licet tunc inire sponsalia de futuro, & præmittere denuntiationes, quia hæc nullo textu juris eo tempore prohibentur, & quamvis aliqua jura antiqua id vetarent, contrariâ tamen consuetudine revocata censentur, & à Tridentino non renovantur prohibitiones, nisi circa solemnitatem nuptiarum, ut patet ex verbis paulò ante relatis.

4. Multi etiam celebres Theologi non improbabiliter docent, tempore interdicti posse matrimonium contrahi sine solemnitate ; cùm enim matrimonium (inquiunt) sit res ardua, & ad illud contrahendum homines habeant ab ipsa natura plenum jus, non est præsumendum, Pontificem velle ejus celebrationem impedire, nisi in suis decretis de hoc faciat expressam mentionem : unde existimandum non est, quod per solum generale interdictum velit Pontifex matrimonium quoad substantiam prohibere, sed duntaxat quoad solemnem benedictionem Sacerdotis. Idque confirmant ex cap. *Capellan.* de feriis, ubi Clemens III. ait matrimonium quocunque tempore contrahi posse. Quod Glossa explicat de contractione matrimonij sine solemnitate. Nec obstat, quod tempore interdicti prohibeantur omnia sacramenta, præter Baptismum, Confirmationem, & Pœnitentiam, ac Eucharistiam per modum viatici, ut constat ex cap. *Alma mater* de sent. & excommunic. in 6. cùm enim ex aliis juribus, præsertim ex verbis Clementis III. jam relatis, constet, matrimonium non comprehendi sub generali prohibitione sacramentorum, non fuit necessaria specialis exceptio illius, ut non intelligeretur cum reliquis sacramentis prohibitum.

5. Tertium impedimentum prohibens, est Catechismus, id est cognatio spiritualis nata ex catechizatione seu institutione in fide, quæ fit ante januam Ecclesiæ super baptizandum. Verùm licèt jure antiquo contraheretur ejusmodi cognatio, ut habetur expressè cap. 2. de cognatione spirituali in 6. idque ex eo quod catechismus sit quædam futuri baptismi professio, ejusque initium ; vel etiam quædam regeneratio imperfecta, per fidem, quam protestatur patrinus pro parvulo ; sicut sponsalia sunt quoddam matrimonij initium ; & consequenter, sicut in iis contrahitur quidam gradus propinquitatis, ita & in illo contraheretur quædam cognatio spiritualis imperfecta ; videtur tamen sublatum tale impedimentum, per Concilium Tridentinum sess. 24. de matrim. cap. 2. ubi expressè statuitur, cognationem spiritualem non contrahi in baptismate, nisi inter susceptores & baptizatum ipsum, illiusque patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, nullamque prorsus mentionem facit Catechismi, aut tenentis in Catechismo. Quod si non solùm per Baptismum, sed etiam per Catechismum, cognatio spiritualis contrahatur, hocque impedimentum non sit per Tridentinum sublatum, ut Navarrus, Valentia, Rebellus, & alij existimant, de illo ut de Baptismo sentiendum est, quoad mensuram graduum ; quia perfecta cognatio spiritualis, debet esse regula seu mensura imperfectæ ; & ut rectè ait Navarrus in Manuali cap. 22. quoties duo sic se habent, ut unum sit metiens & alterum mensum, lex quæ corrigit & limitat metiens, censetur consequenter corrigere vel limitare mensum, si eadem ratio in utroque militet.

6. Quartum impedimentum est sponsalia, seu promissio futurarum nuptiarum alicui facta ; qui enim cum aliqua sponsalia contraxit, non potest sine peccato mortali cum alia matrimonium inire, nisi ex justa causa promissionem alteri factam dissolvat, ut constat ex dictis disp. 3. Nihilominus si matrimonium cum posteriori contrahat, sponsalibus legitimè non solutis, illud validum erit ; quia hoc impedimentum non dirimit contractum, sed tantùm contrahendum impedit, sicut & alia de quibus nunc agimus.

7. Quintum est votum simplex Religionis, aut castitatis, aut suscipiendi Ordinem sacrum, aut non ineundi matrimonium ; hoc enim jure naturali, & ex natura ipsius voti, propter fidem Deo datâ, & promissionem illi factam, obligat ad non contrahendum matrimonium, subindeque reddit illud illicitum, non tamen invalidum : Nam ut ait S. Thomas hic quæst. 53. art. 1. Votum simplex est tantùm promissio : Res autem alicui promissa tantùm, manet adhuc in dominio promittentis, potestque validè, quamvis illicitè, ab eo donari alteri. Quare votum simplex castitatis, id est promissio Deo facta proprij corporis, ad continentiam servandam, non impedit quin vovens possit validè, sed non licitè, illud tradere uxori per matrimonium.

Si quis autem voto castitatis vel Religionis astrictus, spe & pacto futuri conjugij, virginem defloravit, aut honestam aliquam viduam carnaliter cognovit, voto non obstante, tenetur matrimonium cum ea contrahere, posito saltem quod damnum famæ inde emergens non possit aliter reparare ; quia necessitas reparandi hoc damnum, prævalet voto ipsi contrario : sicut in casu quo quis vovisset dare centum aureos pauperibus, posteaque debitum justitiæ contraheret totidem reddendi, ratione mutui, vel injustæ acceptionis, neque posset utrique obligationi satisfacere, hæc posterior obligatio prævaleret.

Quæres, an qui votum castitatis emisit, possit inire matrimonium, animo non consummandi, sed ingrediendi Religionem ?

Respondeo negativè, tum quia decipit sponsam, eique gravem irrogat injuriam, quippè quæ & difficilius alteri nubet, utpotè suspecta de carnali copula cum priori conjuge, & cum molestia expectare debebit usque ad solemnem conjugis in Religione professionem, ante quam matrimonium ratum non dissolvitur. Tum etiam, quia si ille ad Religionem non admittatur, tenebitur redire ad conjugem, cum periculo frangendi votum castitatis.

Ex dictis sequitur primò, eum qui post votum simplex castitatis duxit uxorem, nunquam posse ab ea petere debitum matrimonij ; quia semper votum obligat, quatenus potest, & semper is qui fecit, illud debet servare, quatenus potest. Hoc definitum est cap. *quidem*, & cap. placet de convers. conjugatorum.

Sequitur secundò, eum, qui post votum simplex castitatis duxit uxorem, eâ mortuâ, non posse secundas nuptias inire, quia quamvis semel violaverit castitatem per matrimonium, debet semper servare quantùm potest, & post mortem uxoris, aliam non ducere. Ita definitur capitibus citatis de convers. conjugat.

Articulus II.

Alia septem impedimenta ex crimine provenientia explicantur.

8. EXplicatis impedimentis prohibentibus, à crimine independentibus, exponenda sunt quæ à crimine ortum ducunt, quorum primum est incestus ; nam licèt incestus matrimonium irritet inter eos inter quos commissus est, & inter eorum consanguineos, saltem usque ad secundum gradum, cum quibus per incestuosam copulam affinitas contrahitur ; non tamen dirimit, sed solùm impedit cum cæteris contrahendum, ut habetur cap. *Si quis sponsam* 27. quæst. 2. cap. *Quædam cum fratre viri*, cap. *Si quis viduam*, cap. *Concubuisti*, cap. *Qui dormierit*. Nihil autem refert, quod incestuosus nondum sit conjugatus, nam quod etiam ante conjugium contrahatur hoc impedimentum, & qui committit incestum, in pœnam hujus criminis, licentiâ ullum contrahendi unquam matrimonium privetur, liquet ex cap. *Si quis cum duabus*, & cap. *Si quis cum matre & filia*, & cap. *Quidam fornicatus est*, 34. quæst. 1. ubi privantur spe conjugij, qui incestum commiserunt nullo existente matrimonio.

9. Secundum impedimentum à crimine ortum ducens, est raptus sponsæ alienæ, nam istud etiam crimen est unum ex illis propter quæ jure antiquo interdictum fuit matrimonium, ut constat ex cap. *Statutum* 27. quæst. 2. ubi sic dicitur : *Statutum est à sacro conventu* (Concilij Toletani, vel potiùs Rhemensis, ex quo caput illud desumptum est) *ut si quis sponsam alterius rapuerit, publicâ pœnitentia multetur, & sine spe conjugij remaneat.* Notandum verò, non solùm raptorem, sed etiam raptam, si raptui consensum præbuerit, incurrere hoc impedimentum, ut colligitur ex verbis istis, quæ ibidem subduntur : *Et si ipsa rapta eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negatur.* Hæc enim conditio frustra apponeretur, nisi neganda illi esset nubendi licentia, posito quod consenserit. Multi verò non improbabiliter existimant, hac pœnâ non ligari fœminas virorum raptrices, quia jura tantùm loquuntur de raptu sponsæ alienæ, neque considerant extraordinarios casus, qualis est quod fœmina virum rapiat. Non placet tamen quod alij asserunt, hoc impedimentum non incurri per raptum simplicem, nisi accedat copula raptoris cum rapta. Nam in citato canone *statutum*, nulla fit mentio de copula, sed de raptu duntaxat, ad quem & ad hanc pœnam canonicam incurrendam, quatuor præcipuè conditiones requiruntur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

runtur. Primò, ut adsit violentia, quæ vel puellæ raptæ, vel ejus parentibus aut tutoribus inferatur. Secundò, ut raptus fiat causâ libidinis, sive copula sequatur, sive non; quia ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 154. art. 7. raptus propriè est species luxuriæ. Tertiò, ut rapta abducatur de loco in locum, & ipsius vel parentum potestati extrahatur; per hoc enim differt raptus à stupro, quo puellæ extorquetur copula per vim in eodem loco. Quartò debet esse raptus honestæ mulieris, ut prædictæ pœnæ raptor subjiciatur. Unde hanc pœnam non incurrit, qui meretricem, vel quamcumque aliam projecti nominis fœminam traducit. Quod tamen aliqui limitant, nisi meretrix sit conjugata, ejusque vir leno non sit; vel illa per aliquod tempus honestam vitam ducere incœperit. Hoc impedimentum, post Tridentinum, non solùm prohibet matrimonium B contrahendum, sed etiam dirimit contractum, seu reddit illud invalidum, ut constabit ex dicendis disputatione sequenti.

10. Tertium impedimentum ex crimine proveniens, est mors mulieris, id est uxoricidium, quod si committatur animo ad alias nuptias transeundi, est impedimentum dirimens, ut dicemus disp. sequenti; si verò ex ira, odio, aut vindicta, est tantùm impediens; qui enim uxorem interficit, privatur spe conjugij cap. *Interfectores*, cap. *Quicunque*, & cap. *Admonere*, 33. quæst. 2. quamvis occidat deprehensam in adulterio; licèt enim juxta leges civiles, qui uxorem in adulterio deprehensam, propriâ authoritate interficit, nullâ pœnâ plectatur; quia tamen peccat mortaliter, à jure canonico imponitur illi pœna, ut ad alias nuptias transire non possit, ut constat ex citato cap. *Quicunque*, ubi sic dicitur: *Quicunque propriam uxorem, absque lege, & sine causa, & certa probatione interfecerit*, &c. Eandemque pœnam extendi ad uxorem, quæ maritum occiderit, constat ex cap. 1. de divortiis, ubi sic habetur: *Si quæ mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata est, & ipse aliquem illorum se defendendo occiderit, potest ipse post mortem uxoris, si voluerit, aliam ducere: ipsa autem insidiatrix, pœnitentiæ absque spe conjugij stet subjecta.* Ubi mulieri mortem marito attentanti interdicitur matrimonium cum quocunque: Ergo & à fortiori reipsa necem marito inferenti. D

Ratio etiam suffragatur: Nam, ut rectè discurrit Paludanus in 4. dist. 37. quæst. 2. art. 2. lex data pro uno correlativo, extenditur ad alterum, quando eadem militat pro utraque causa: Sed eadem militat ratio in viricidio ac in uxoricidio: Ergo eadem pœna privationis perpetuæ conjugij, utrumque crimen ab Ecclesia punitur. Major patet, Minor probatur. Ecclesia punit uxoricidium pœnâ privationis perpetuæ conjugij, quia est contra conjugalem nexum, ut constat ex juribus citatis: Sed viricidium non E minùs est contra conjugalem nexum: Ergo eadem militat ratio in viricidio, ac in uxoricidio. Unde minùs probabilis videtur sententia Sylvestri, Toleti, Sanchez, & aliorum, existimantium, hoc impedimentum incurrere duntaxat virum uxorem occidentem, non tamen uxorem maritum interficientem.

11. Quartum impedimentum est susceptus propriæ sobolis, id est cùm alter vel uterque conjux, proprium filium de sacro fonte suscipit, matrimonio insidiandi causâ, id est eâ intentione ut privet alterum conjugem debito conjugali, ratione affinitatis spiritualis, ex ea susceptione inter eos ortæ. Ille enim in pœnam hujus fraudis, inhabilis redditur, ut defuncto conjuge, ad alias nuptias valeat pervenire, ut constat ex can. *De eo* 30. quæst. 1. ubi sic dicitur: *Si conjuges legitimi unus aut ambo ex industria fecerint, ut filium suum de fonte susciperent, si innupti permanere voluerint, bonum est. Sin minùs, gravis pœnitentia insidiatori injungatur, & simul maneant; & si prævaricator conjugij, supervixerit, acerrimâ pœnitentiâ mulctetur, & sine spe conjugij maneat.* Idem impedimentum contrahit, qui hoc animo proprium filium baptizat, aut in Confirmatione tenet; secùs, si id fiat ex necessitate, ne filius scilicet sine baptismo moriatur.

Quintum impedimentum est mors Presbyteralis, seu occisio Presbyteri, privatâ authoritate & injustè facta; qui enim ita interficit Presbyterum, ad quem spectat matrimonio interesse, meritò illi interdicitur matrimonium, can. *Presbyterum*, de pœnit. & remiss. ubi sic dicitur: *Qui Presbyterum occidit, & de eo crimine convictus fuerit, usque ad ultimum tempus vitæ suæ, militiæ cingulo careat, & absque spe conjugij maneat.* Ex quibus verbis liquet, non incurri hoc impedimentum, nisi Presbytericida fuerit in foro contentioso de crimine convictus; id enim manifestè colligitur ex verbo illo *convictus*, quod de sacra & secreta confessione, in qua idem est accusator & testis, verificari nequit, sed solùm de convictione in foro contentioso. 12.

Sextum est, pœnitentia publica & solemnis, 13.
C quâ durante matrimonium olim interdictum erat pœnitentibus, ut patet ex can. 21. Concilij Arelatensis 2. & cap. *Antiqui*, 33. quæst. 2. Imò quandiu quis publicam agebat pœnitentiam, non poterat debitum conjugale petere. Quam ob causam pœnitentia publica non imponebatur conjugato, nisi de consensu alterius partis, ut dicitur can. 22. ejusdem Concilij.

Septimum & ultimum impedimentum prohibens, est matrimonium sacrilegè attentatum cum sanctimoniali, ut habetur cap. *Hi ergo* 27. quæst. 1. ubi statuitur, *ut qui sanctimonialibus scientes matrimonio ad injuriam Christi copulati sunt, juxta censuram zeli Christiani, separentur, & nunquam eis concedatur conjugali vinculo religari, & in pœnitentiæ lamentis se vehementer, dum vivunt, afficiant:* ac proinde totâ vitâ ab omni conjugio abstineant; quippè quod, ut suprà vidimus, iniri non poterat, quandiu publica & solemnis pœnitentia durabat. 14.

Hæc septem impedimenta ex crimine orta, 15.
juxta communiorem Doctorum sententiam, non vigent ampliùs, sed per consuetudinem abrogata sunt; unde non peccant, qui iis innodati, matrimonium sine dispensatione contrahunt. Præsertim cùm Prælati non curent admonere fideles de illa petenda, quamvis sæpè contingat talia crimina & impedimenta ab eis non ignorari. Advertendum tamen, quod etsi impedimentum incestus, quoad inhabilitatem matrimonij post obitum conjugis cum alia contrahendi, consuetudine abrogatum sit, non tamen quoad privationem juris petendi debitum ab uxore vivente, propter affinitatem ratione incestûs cum ipsa contractam; nam sicut vir non posset cum aliqua absque dispensatione contrahere, si ante initum matrimonium, ipsius consanguineam in secundo gradu cognovisset; ita nec post matrimonium initum, potest ab ea sine dispensatione debitum petere;

petere; affinitas enim, quæ ante contractum matrimonium, impedit ne contrahatur, post contractum, impedit ne debitum petatur. A

DISPUTATIO IX.

De impedimentis dirimentibus.

Ad quæstionem 51. *supplementi, & alias sequentes.*

IMPEDIMENTA matrimonium dirimentia, attento jure antiquo, sunt B tantùm duodecim; quia tamen alia duo, jure novo Tridentini statuta, fuerunt addita, sunt omnia quatuordecim, his versibus comprehensa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis,
Si parochi & duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc sociare jubent connubia, facta retractant.

Congruentia autem numeri horum impedimentorum colligi potest ex sequenti discursu, desumpto ex D. Thoma hîc quæst. 50. art. unico. Impedimenta matrimonij sumi possunt vel ex C parte contractus, vel ex parte contrahentium: si ex parte contractûs, cùm liberum requirat consensum, libertati autem contrarietur error, & violentia, ex hoc capite duplex impedimentum dirimens matrimonium provenit, scilicet erroris, & violentiæ, & ad impedimentum violentiæ reducitur impedimentum raptûs. Si ex parte contrahentium, aut simpliciter, aut respectu certæ personæ duntaxat, potest matrimonium impediri. Simpliciter, quando id provenit ratione impotentiæ, quæ contingere potest tripliciter, Primò ita quod nullo modo contrahens matrimonium, possit actus conjugales exercere, & sic statuitur impedimentum impotentiæ. Secundò, D ita quod id possit quidem physicè, sed non moraliter, sive liberè, & est impedimentum conditionis servilis. Tertiò, ita quod id possit physicè, & moraliter, sive liberè, sed non licitè; nimirum, vel propter obligationem ministerij suscepti, & est impedimentum Ordinis; vel ex obligatione voti solemnis emissi, & sic est impedimentum voti. Si verò impediatur matrimonium non absolutè, sed tantùm respectu alicujus personæ, vel hoc ideò est, quia matrimonium contrahens cum una, jam contraxit cum alia, & sic statuitur impedimentum ligaminis; vel quia deficit proportio debita personæ ad personam, idque tripliciter: Primò, ob personarum distantiam, & E tunc est impedimentum disparitatis cultûs. Secundò, ob nimiam conjunctionem, & ita consurgunt tria impedimenta, nimirum cognationis, affinitatis, & publicæ honestatis. Tertiò, ob indebitam conjunctionem præcedentem matrimonium, & habitam inter ipsos contrahentes, & sic est impedimentum criminis. Hoc præmisso, singula impedimenta in particulari explicanda sunt, & difficultates quæ circa illa versantur, breviter resolvendæ. Unde sit

ARTICULUS PRIMUS.

De impedimento erroris & conditionis.

CIrca impedimentum erroris duplex est difficultas breviter hic resolvenda: Prima est, qualis error matrimonium dirimat? Secunda, quo jure illud dissolvat? Pro resolutione 1.

Notandum primò, quadruplicem in contractu matrimonij contingere posse errorem, videlicet circa personam, ut cùm Jacob existimans se ducere in matrimonium Rachelem, accepit Liam. Circa conditionem, ut cùm quis existimat se contrahere cum libera, & contrahit cum ancilla. Circa qualitatem personæ, ut si putet esse pulchram, & nobilem, quæ reipsa est deformis & ignobilis. Vel demum circa bona fortunæ, putans esse divitem, quæ pauper est.

Notandum secundò, errorem duplicem esse, 2.
unum antecedentem, id est qui dat causam contractui, ita ut sine illo non fieret; ut cùm quis errans circa personam, vel qualitatem ejus, sic est affectus, ut nullo modo contraheret cum illa, si veritas ei perspecta esset. Alterum concomitantem, quando nimirum ille qui errat circa personam, vel qualitatem ejus, sic est affectus, ut nihilominus contraheret, tametsi non erraret; ut si contrahens cum Martha, putat esse Mariam, sed nihilominus æquè libenter, aut etiam libentiùs cum Martha contraheret. His præmissis.

Dico primò, errorem antecedentem circa sub- 3.
stantiam personæ, facere matrimonium irritum, non solùm jure humano, sed etiam naturali. Ita D. Thomas hîc quæst. 51. art. 1. & 2. Ratio utriusque partis manifesta est, error enim antecedens circa personam, tollit consensum in essentialia matrimonij, nimirum circa personam individuam, cùm tamen ad matrimonium jure naturæ requiratur consensus in ea quæ sunt ipsi essentialia.

Confirmatur: Nam etiam in aliis contractibus error circa substantiam contractûs, reddit illum irritum jure naturæ, ut si quis pro tritico vendat hordeum, pro auro aurichalcum, pro gemma lapidem aut vitrum: Ergo à fortiori in matrimonio error antecedens circa substantiam personæ, facit matrimonium irritum jure naturæ; cùm enim matrimonium sit conjunctio maris & fœminæ, individuam vitæ consuetudinem retinens, consensum postulat in determinatam personam, cum qua perpetua vita agenda est.

Dices primò, Validum fuit conjugium Jacob 4.
cum Lia, Rachelis loco substituta: Ergo error antecedens circa substantiam personæ, non facit matrimonium irritum.

Respondet D. Thomas loco citato in resp. ad 4. ex Magistro sententiarum, quod *matrimonium quod fuit inter Liam & Jacob, non fuit perfectum ex ipso concubitu, qui ex errore contigit, sed ex consensu qui postmodum accessit, tamen uterque à peccato excusatur;* quia nimirum Jacob maritali affectu accessit ad Liam, putans esse Rachelem; & Lia uxorio affectu debitum solvit, existimans, juxta patriæ consuetudinem, lege primogenitarum, jure se illi à parente fuisse copulatam.

Dices secundò, Reliqua sacramenta ut valida sint, non requirunt ministri consensum in certam & determinatam personam cui conferenda sunt, sed sufficit consensus in personam præsen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem, etiam si ex errore putetur alia; si quis enim putans se baptizare vel absolvere Petrum, baptizat, vel absolvit Joannem validè illum baptizat, vel absolvit. Item in contractu venditionis error circa personam, illum non vitiat; ut si Petro vendas, putans esse Paulum: Ergo similiter error antecedens circa personam, non irritat contractum matrimonij.

5. Respondeo, concesso Antecedente, negando consequentiam & paritatem. Ratio discriminis est, quia in reliquis sacramentis, persona quæ illa recipit, se habet duntaxat per modum subjecti cui illa applicantur; in matrimonio autem contrahentes, eorumque corpora, sunt materia ex qua ipsum sacramentum constat. Similiter in contractu matrimonij, persona ipsa est id quod traditur per contractum; secùs in venditione mercium, aut prædiorum, vel similium rerum; in venditione verò servi, quia persona cadit in materia contractûs, error circa personam, contractum vitiat; unde id quod est accidentale respectu unius contractûs, potest esse substantiale respectu alterius.

6. Dico secundò, errorem concomitantem circa personam, irritare etiam jure naturæ seu ex natura rei, matrimonium.

Probatur, quia tametsi talis error non faciat involuntarium contrarie, seu positivè, facit tamen involuntarium negativè, id est non voluntarium, ut in Tractatu de actibus humanis, disp. 1. art. 7. concl. 3. ostensum est: Sed de ratione & essentia contractûs matrimonij est, ut sit positivè voluntarius, id est ut actu & reipsa consentiat contrahens in personam quæ traditur: Ergo ex natura rei talis error irritum reddit matrimonij contractum.

Confirmatur: Matrimonium non sit sine consensu actu existente, & posito in rerum natura, cùm consensus sit causa efficiens illius, ut ait Florentinum in decreto Eugenij: At ille qui contrahit cum errore concomitante circa personam, nullum de præsenti consensum præbet circa talem personam, sed solùm præberet, si sciret esse talem: Ergo invalidè contrahit.

7. Dico tertiò, Error circa qualitatem, quamvis sit antecedens, si non redundet in errorem personæ, matrimonium non irritat; benè tamen si in errorem personæ redundet. Ratio est, quia quando error circa qualitatem, non redundat in errorem personæ, non versatur circa substantialia personæ, sed duntaxat circa accidentalia & extrinseca, qualitates enim sunt quædam accidentia adhærentia personæ; benè tamen, quando error qualitatis redundat in errorem personæ. Tunc verò error qualitatis redundare censetur in errorem personæ, quando qualitas est simul cum persona per se intenta à contrahente; non redundat verò, quando non est simul cum persona per se intenta, etiam si error talis qualitatis, causam dederit contractui. Unde si fœmina contrahat cum aliquo, quem principem esse existimat, per se intendens in personam, & concomitanter solùm in qualitatem & nobilitatem, valet matrimonium, tametsi ille non sit princeps, sed talem se esse finxerit. E contra verò, si fœmina contrahens, simul cum persona, per se intendat dignitatem & qualitatem, ita ut utrumque simul per modum unius integri & totalis objecti, consensum terminet; & reipsa non contraxisset, si scivisset non esse principem, non valet matrimonium. Unde D. Thomas hìc quæst. 51. art. 2. ad 5. sic ait: *Error nobilitatis, inquantùm hujusmodi, non evacuat matrimonium, eadem ratione quâ nec error qualitatis: Sed si error nobilitatis vel dignitatis redundat in errorem personæ, tunc impedit matrimonium; unde si consensus mulieris feratur in istam personam directè, error nobilitatis ipsius non impedit matrimonium: si autem directè intendit consentire in filium Regis, quicunque sit ille, tunc si alius præsentetur ei, quam filius Regis, est error personæ, & impedimentum matrimonij.*

Hoc impedimentum rectè, & breviter declaratur Can. unico 29. qu. 1. his verbis: *Consensus est duorum vel plurium sensus in idem: qui autem errat, non sentit; ergo non consentit, id est simul cum aliis sentit. Verum non omnis error consensum excludit: Sed error alius est personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error personæ est quando hic putatur esse Virgilius, & ipse est Plato. Error fortunæ, quando hic putatur esse dives qui est pauper, vel è converso. Error conditionis, quando putatur esse liber qui servus est. Error qualitatis, quando putatur esse bonus qui malus est. Error fortunæ & qualitatis, conjugij consensum non excludit, similiter qui duxit in uxorem meretricem vel corruptam, quam putat esse castam vel virginem, non potest eam dimittere, & aliam ducere.*

Dico quartò, errorem conditionis sive servitutis, dirimere matrimonium jure civili & canonico, non tamen jure naturali.

Prima pars probatur afferendo textus utriusque juris, nam Authent. de nuptiis §. *si verò decretum*, sic dicitur: *Si ab initio prævenit aliquis liberæ jungi personæ: illa verò famula postea declaretur existens, non dicimus solvi matrimonium, sed ab ipso initio neque matrimonium fieri propter inæqualitatem personarum.* Item cap. *Si quis ingenuus* 29. quæst. 2. sic habetur: *Si quis ingenuus homo uxorem ancillam alterius acceperit, & existimat quod ingenua sit, ipsa fœmina fuerit postea in servitute detecta, si eam à servitute redimere potest, faciat; si non potest, si voluerit, aliam accipiat.* Et cap. *Ad nostram* de conjugio servorum: *Si constituerit quod miles ignoranter contraxit cum ancilla, ita quod postquam intellexerit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eandem, contrahendi cum alia liberam ipsi concedas authoritate Apostolica facultatem.*

Rationem assignat S. Thomas hìc quæst. 52. art. 1. ubi sic discurrit: *In matrimonij contractu obligatur unus conjugum alteri ad debitum reddendum; ideò si ille qui se obligat, est impotens ad solvendum, ignorantia hujus impotentiæ in eo cui fit obligatio, tollit contractum: sicut autem per impotentiam coeundi efficitur aliquis impotens ad solvendum debitum, ut omnino non possit solvere; ita per servitutem ut liberè debitum reddere non possit; & ideò sicut impotentia coeundi ignorata, impedit matrimonium, non autem si sciatur; ita conditio servitutis ignorata, matrimonium impedit.*

8. Quod verò illud non dirimat jure naturæ, idem S. Doctor ibidem in resp. ad 3. apertè tradit, ratioque id suadet: Nam servitus ex natura rei non contrariatur matrimonio, alioquin, etiam quando non ignoratur, ipsum invalidaret; siquidem quod aliquid ignoretur vel sciatur, impertinens est ad contrarietatem.

Neque dicas, ideò valere matrimonium liberi cum serva, quando conditio non ignoratur, quia liber juri suo derogat. Nam si hoc impedimentum esset naturale, & ex natura rei repugnaret matrimonio, non magis posset voluntas libera contrahentis illi derogare, quàm impedimento consanguinitatis vel impotentiæ naturalis. Sunt enim impedimenta naturalia matrimonij stabilia semper, & immutabilia quacunque humanâ potestate.

9. Objicies: Quod contrariatur essentialibus matrimonij, ipsum destruit ex natura rei: Sed error servitutis contrariatur essentialibus matrimonij, liberæ scilicet potestati tradendi corpus suum ad actum conjugalem, cùm non possit ad libitum dare operam conjugali officio, à quo impeditur, per obsequia quæ tenetur præstare domino: Ergo error servitutis dirimit matrimonium ex natura rei.

Respondeo errorem conditionis contrariari quidem, at non simpliciter, sicut error personæ, sed tantùm secùndùm quid essentialibus matrimonij; quia licèt servus non possit liberè tradere potestatem sui corporis, nec tam facilè reddere debitum conjugale, potest tamen absolutè illam tradere, & debitum reddere, nimirum quando ex rationabli causa non impeditur à domino, aliàs etiam si sciretur servitus, nullum esset matrimonium. Fateor tamen jus humanum quo irritatur matrimonium contractum cum errore servitutis, quando is qui contrahit est liber, habere maximum fundamentum in jure naturali; tum quia nisi jus humanum ipsum irritasset, esset inæqualitas maxima in tam gravi contractu; si quidem ille qui liber est, concedit plenam potestatem sui corporis, servus verò potestatem tantùm secundùm quid; tum etiam, quia tale matrimonium esset aliquo modo in injuriam prolis, quoniam non ita commodè educari posset in illo, cùm non posset esse perpetua habitatio conjugum.

Ex his explicatum manet secundum impedimentum dirimens, nempè conditio, quæ servitutem denotat, matrimonio quodammodo repugnantem. Tribus autem modis aliquis potest fieri servus, Primò nativitate, ut cùm de ancilla nascitur; partus enim quoad libertatem & servitutem sequitur matrem, quoad dignitates verò, honores, & nobilitatem, patrem, ut in jure dicitur. Secundò, jure belli, quo justè captus fit servus capientis, ejus morte in servitutem commutatâ. Quod locum non habet apud Christianos, qui ob dignitatem religionis quam profitentur, à servitutis conditione eximuntur, ut ait Sylvester verbo *servus* quæst. 3. Tertiò emptione, ut cùm à seipso vel ab alio venditur. Unde in Institutis §. *Servi* de jure person. sic dicitur: *Servi aut nascuntur, aut fiunt. Nascuntur ex ancillis nostris, fiunt jure gentium, id est captivitate, aut jure civili, cùm homo liber, major viginti annis, ad pretium participandum sese venundari passus est.*

ARTICULUS II.

Quo jure votum solemne Religionis dirimat matrimonium subsequens?

10. CErtum & indubitatum est apud omnes, votum solemne Religionis dirimere quodcumque matrimonium subsequens; hoc enim definitur ab Alexandro III. cap. *Meminimus*, ab Innocentio III. cap. *Finali*, Qui clerici vel voventes; à Bonifacio VIII. cap. unico *de voto* in 6. & novissimè à Tridentino sess. 24. can. 9. cujus verba infrà referemus. Verùm celebris est controversia inter Theologos, quo jure tale votum dirimat matrimonium subsecutum? Plures enim ex Recentioribus, post Scotum, Richardum, Paludanum, & Cajetanum, asserunt votum solemne Religionis, non dirimere matrimonium subsequens, nisi jure humano Ecclesiastico. E contra verò D. Thomas hìc quæst. 52. art. 2. & 2. 2. quæst. 88. art. 11. nec non quodlib. 3. art. 18. & quodlib. 10. art. 11. ejusque Discipuli, quos sequuntur Maldonatus, infra referendus, Valentia, Sylvius, & Lopez, docent, votum solemne Religionis, jure naturæ, sive ex sui natura, habere quod dirimat matrimonium contractum.

§. I.

Sententia D. Thomæ præfertur.

11. DIco igitur, votum solemne Religionis, jure naturæ dirimit matrimonium subsequens.

Probatur primò conclusio ex Tridentino can. 9, suprà citato, in quo sic dicitur: *Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel voto, anathema sit.* Ad quid enim distinxisset Concilium irritationem matrimonij causatam lege Ecclesiastica in iis qui sacris Ordinibus initiati sunt, ab ea quæ in Religiosis causatur per votum, si jure solùm Ecclesiastico etiam in istis, dirimi censuisset?

12. Probatur secundò: Votum solemne Religionis dissolvit matrimonium antea validum, si sit inconsummatum, idque non jure Ecclesiastico tantùm, ut colligitur ex hac sententia Christi, Marci 10. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; Ergo & à fortiori matrimonium subsecutum; minor liquidem vis & efficacia requiritur ad dirimendum matrimonium subsequens, quàm antecedens, ut patet in Ordine sacro dirimente matrimonium consequens, & non antecedens. Item majus est dirimere matrimonium jam constitutum, quàm impedire illud ne efficiatur.

13. Probatur tertiò: Si votum solemne Religionis dirimat matrimonium solùm ex constitutione Ecclesiæ, fieri poterit quod solemniter professus validum ineat matrimonium, quamvis non sit dispensatum in ejus voto, si nimirum Summus Pontifex constitutionem illam tollat, & votum solemne præcisè in eo vigore quem habet ex natura sua relinquat. Falsitas autem consequentis constat ex cap. *Cum ad monasterium*, de statu Monachorum, in fine, ubi Innocentius III. sic ait: *Abdicatio paupertatis, sicut etiam custodiæ castitatis, adeò annexa est regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

14. Confirmatur: Quia jure tantùm Ecclesiastico votum solemne castitatis est annexum statui Clericali, potest Papa, relinquendo Clericum in suo statu Clericali, dispensare cum eo ut matrimonium contrahat, vel matrimonio jam contracto utatur; ut constat in Sacerdotibus Græcis, qui ex dispensatione Ecclesiæ, utuntur conjugio ante sacram Ordinationem inito: Ergo similiter, si votum solemne Religionis, non ex natura sua, sed ex sola Ecclesiæ constitutione vim habeat impediendi

Universidad de Deusto
Biblioteca

diendi matrimonium contrahendum, & dirimendi contractum, poterit Papa, hanc vim à voto solemni tollere, auferendo præceptum Ecclesiasticum, & tamen relinquere tale votum in suo subjecto, subindeque efficere poterit quod Monachus manens Monachus nubat, uxoremque ac liberos in monasterio habeat; quod apertè repugnat prædictæ decretali Innocentij III. ut fatentur ipsi Adversarij.

15. Demum eadem suaderi potest conclusio ratione D. Thomæ locis citatis: Jus naturæ dictat, ut qui semel aliquid donavit totaliter alteri, eaque donatio fuit ab illo acceptata, non possit illud idem postea alteri tradere: Sed per votum solemne Religionis, vovens totaliter se donat Deo, corpusque illi ad perpetuam continentiam tradit; quæ donatio & traditio, ab eo per Religionis Prælatos acceptatur: Ergo jus naturæ dictat, quod non possit suum corpus alteri per matrimonium tradere, in usum contrarium voto, quo Deo illud donavit & tradidit.

16. Confirmatur: Ideò matrimonium ratum dirimit ex natura sua matrimonium subsequens, quia cùm per prius matrimonium, contrahens suum corpus tradiderit uni uxori, non potest ipsum, eâ vivente, tradere alteri: Ergo cùm per votum solemne Religionis, vovens suum corpus Deo totaliter manciparit, ne dicamus illam traditionem habere minus roboris, eâ quâ quis suum corpus tradit uxori per contractum matrimoniale, dicendum quod jure naturæ dirimit matrimonium subsecutum.

17. Nec valet quod ait Martinonus hîc disp. 74. sect. 3. num. 43. quod licèt professio Religiosa contineat aliquam sui traditionem, non tamen omnimodam, & naturaliter incompatibilem cum matrimonio; sed sicut servus voluntarius, aut emptitius, non ita domino traditur, ut privetur naturali jure matrimonium ineundi, domino licèt invito; sic professus in Religione approbata, non ita se tradit Deo & Religioni, ut quantùm est ex natura rei, non possit validè matrimonium contrahere, quamvis illicitè. Non valet, inquam, hæc responsio: esto enim professio Religiosa non importet omnimodam sui traditionem Deo & Religioni, importat tamen traditionem sui ad castè vivendum: Sed traditio sui ad castè vivendum, est ex sua natura incompatibilis cum matrimonio, cùm illud sit sui traditio ad copulam carnalem: Ergo professio Religiosa importat traditionem naturaliter incompatibilem cum matrimonio, subindeque habet quod illud jure naturæ, seu ex natura sua, dirimat, non verò solo jure positivo Ecclesiastico. Ex quo patet, exemplum servi ab illo Authore adductum, non esse ad rem; servus enim voluntarius, vel emptitius, non se tradit domino ad castè vivendum, sicut Religiosus Deo, sed ad exercenda opera servilia; unde licèt servus, per servitutem non privet se naturali jure matrimonium ineundi, benè tamen Religiosus, per votum solemne castitatis; quare si, non obstante tali voto, matrimonium contrahat, peccat contra jus naturale, & divinum, & non solùm contra jus positivum & Ecclesiasticum. Unde in cap. *Si quis sacro* 27. quæst. 1. de virginibus Deo sacris, & postea nubentibus, sic dicitur: *Verbo Domini, & canonicâ authoritate, in hac sancta Synodo* (Triburiensi) *præcipimus, ut omnino separentur.*

§. III.

Solvuntur objectiones.

18. OBjicies primò: Quando duo vincula ita se habent, quod sunt compossibilia, unum non solvit aliud ex natura sua: Sed votum solemne Religionis & matrimonium subsequens, sunt duo vincula sic se habentia, ut sint compossibilia simul; conjugatus enim potest Religionem solemniter profiteri, etiam post consummatum matrimonium, de licentia conjugis: Ergo votum solemne Religionis non dirimit matrimonium ex natura sua.

19. Respondeo distinguendo Minorem: Votum solemne Religionis, & matrimonium, sunt duo vincula simul compossibilia, si votum solemne Religionis sequatur matrimonium, concedo Minorem. Si è contra ipsum præcedat, nego Minorem, & Consequentiam.

Explicatur: Sicut impotentia ad actum conjugalem non sic repugnat vinculo matrimonij, quin possit matrimonio priùs contracto supervenire, absque eo quod ipsum dissolvat; si tamen ipsum præcedat, irritabit matrimonium subsequens. Ita votum solemne Religionis non sic repugnat matrimonio, quin possit illud subsequi; si tamen præcedat, matrimonium post ipsum contractum, jure naturæ irritum est. Ratio verò disparitatis manifesta est, ut enim matrimonium validè contrahatur, debet contrahens transferre in alium sui corporis potestatem, & jus eo utendi, quod tamen repugnat, voto solemni Religionis præcedente; quandoquidem, ut suprà dicebamus, per tale votum vovens talem potestatem à se omnino abdicat, & ad castè vivendum perfectè Deo se tradit. At verò post matrimonium contractum, potest esse quod unus conjugum vel amiserit per adulterium potestatem utendi corpore alterius conjugis, vel sponte juri illi cedat, & consequenter nihil sit ampliùs in ejus matrimonio, quod repugnet voto solemni. Ex quo intelliges, falsum esse quod ait Martinonus suprà citatus, cujus est hoc argumentum, quod non est major incompossibilitas ex natura rei inter vinculum matrimonij & professionem Religiosam, sive vinculum matrimonij illam præcedat, sive sequatur; liquet enim ex jam dictis, manifectam esse disparitatem inter matrimonium antecedens professionem Religiosam, & matrimonium illam subsequens.

20. Objicit secundò idem Author ibidem: Traditio Professi ad usus Religionis ad quos ille se dat, & subjicit, non est major, quàm sit traditio per quam mancipium subjicitur domino per venditionem, aut alium titulum justum: At hæc non obstat quò minùs mancipium possit validè inire matrimonium, etiam domino resistente: Ergo pariter traditio professi ad usus Religionis, quæ fit in voto solemni, non impedit quin Religiosus validè possit, spectato jure naturæ, contrahere matrimonium.

21. Verùm huic argumento solutio patet ex suprà dictis, ostendimus enim suprà, traditionem quæ fit per vota solemnia Religionis, esse diversæ rationis ab ea quâ mancipium tradit se domino; nam per vota solemnia Religionis, vovens tradit se Deo & Religioni ad caste vivendum, & servandum perfectam continentiam; mancipium verò tradit se domino solùm ad exercenda opera servilia; quare licèt ista traditio non opponatur ex sua natura matrimonio, nec illud jure naturæ dirimat, benè tamen illa. Ratio verò cur traditio quæ fit per professionem Religiosam essentialiter importet votum castitatis, est quia per illam Religiosus totaliter mancipatur cultui divino, id est divinorum contemplationi & meditationi: hæc autem perfecta traditio sui ipsius in ordine ad cultum divinum, necessariò includit castitatem, eò quòd matrimonium contemplationi omnino repugnet: Tum quia contemplatio purissimis spiritibus fovetur; usus autem venereorum consumit multitudinem spirituum, sanguinemque à corde distrahit, cujus collectio ad mentis attentionem necessaria est; unde mentis hebetudinem causat. Tum etiam, quia matrimonium multas affert curas & sollicitudines, ad placendum uxori, ad educandos liberos, & providendum eis de necessariis ad vitæ sustentationem. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 7. *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.*

22. Objicit tertiò Martinonus: Votum solemne Religionis non dirimit matrimonium, nisi quatenus est solemne: Sed voti solemnitas est de jure tantùm Ecclesiastico: Ergo jure tantùm positivo Ecclesiastico, non verò jure naturali, aut divino, votum solemne Religionis matrimonium dirimit. Major est certa, votum enim simplex castitatis, vel Religionis, non dirimit matrimonium, sed tantùm ipsum impedit; unde inter impedimenta prohibentia numeratur, ut disputatione præcedenti declaravimus. Minor verò probatur ex Bonifacio VIII. qui interrogatus ab Episcopo Biterrensi, quod votum dici debeat solemne, & ad dirimendum matrimonium efficax: Respondet cap. unico *de voto, & voti redemptione*, in 6. quod *cùm voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ sit inventa, matrimonij verò vinculum sit ab ipso Deo, illud votum debet dici solemne, quod per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem in Religione approbata solemnizatur.* Ubi Pontifex expresè asserit, solemnitatem voti esse ex sola constitutione Ecclesiæ, & in hoc differre à vinculo matrimonij. Unde infert Ecclesiam non admittere nisi duplex votum solemne celebratum in susceptione Ordinis, aut per professionem Religiosam.

23. Respondeo, concelsâ Majori, negando Minorem, & ad ejus probationem ex Bonifacij Decretali desumptam dico, duplicem esse voti solemnitatem; unam substantialem & essentialem, consistentem in traditione sui ipsius facta in manu superioris, ad servandum illa quæ promittuntur, & in acceptatione quam is facit nomine Dei; aliam verò accidentalem & cæremonialem, quæ consistit in cæremonia & modo, in benedictione & consecratione quibuscum ex statuto Ecclesiæ fit illa traditio & acceptatio; Pontificemque loco citato non loqui de prima solemnitate, sed tantùm de secunda, quæ est ex sola constitutione Ecclesiæ, subindeque nihil ex hac definitione, sequi contra sententiam, quæ asserit votum solemne non habere ratione solemnitatis accidentalis, sed substantialis, quod jure naturæ, seu ex natura sua, matrimonium dirimat. Imò potiùs ex hac Constitutione Bonifacij potest D. Thomæ sententia confirmari: cùm enim vinculum jure Ecclesiastico introductum, superveniens vinculo introducto jure divino, non possit ipsum solvere, quia hoc est fortius; & tamen votum solemne Religionis dirimat matrimonium ratum, nondum consummatum, cujus vinculum ex hac Bonifacij Constitutione est de jure divino, concludi debet, voti solemnis vinculum, non esse juris Ecclesiastici, sed naturalis & divini.

24. Dices primò: Ex eo duntaxat quòd accidentale est voto solemni, non potest definiri quodnam votum debeat dici solemne ad dirimendum matrimonium: Sed ex eo quod solemnitas, de qua loquitur Pontifex loco citato, sit ex sola Constitutione Ecclesiæ inventa, deducit duplex solùm reperiri votum solemne hunc effectum producens, nempè votum solemne celebratum in susceptione Ordinis sacri, & per professionem in Religione approbata: Ergo non loquitur de solemnitate accidentali, sed de substantiali.

Respondeo distinguendo Majorem: Ex eo quod accidentale est voto solemni, non potest definiri quodnam votum debeat dici solemne ad dirimendum matrimonium, tanquam ex eo in quo substantia voti solemnis consistat, concedo Majorem. Præcisè tanquam ex signo indicativo ipsius, nego Majorem. Solemnitas enim illa accidentalis, cùm non sit in usu Ecclesiæ pro votis simplicibus, sed tantùm pro solemnibus, indicat quotuplex sit votum solemne. Similiter distinguo Minorem: Ex eo quod solemnitas de qua loquitur Pontifex, sit ex sola Constitutione Ecclesiæ, deducit duplex solùm reperiri votum solemne tanquam ex eo in quo substantia voti solemnis consistit, nego Minorem. Tanquam præcisè ex signo, concedo Minorem. Sensus ergo definitionis Pontificiæ verus est iste: Nos igitur attendentes, quod signa extrinseca declarativa voti solemnis, sunt ex Constitutione Ecclesiæ, cúmque ex tali Constitutione signa illa in duobus solùm votis reperiantur, scilicet in eo quod Ordines sacri habent annexum, & in illo quod emittitur in professione Religionis, statuimus illa duo vota duntaxat esse solemnia, & dirimere matrimonium subsecutum.

25. Dices secundò, si Pontifex statueret, ut ea vota quæ in Religione approbata, verbi gratiâ in Ordine Prædicatorum, emittuntur, non essent solemnia, quantumcunque vovens in tali Religione, intenderet solemniter vovere, & seipsum Deo tradere, nunquam tamen emitteret votum solemne: Ergo non solùm solemnitas accidentalis, sed etiam substantialis pendet ab Ecclesia.

Sed nego consequentiam: Sicut enim licèt Ecclesia possit efficere ut matrimonium quod antea erat verum & legitimum, non sit ampliùs tale, apponendo aliquas conditiones, sine quibus non est validum, ut patet in matrimoniis clandestinis quæ post Tridentinum non sunt valida; inde tamen colligi nequit, quod substantia & essentia matrimonij ab Ecclesia dependeat: Ita quamvis votum solemne dependeat ab Ecclesia, quantùm ad aliquas conditiones, putà quod fiat in tali ætate, in tali Religione, in manibus talis superioris, ita ut sine illis non stet; non sequitur tamen, quod ipsa substantia voti solemnis non sit de jure divino, subindeque independens ab Ecclesia.

26. Objicies quartò: Quidquid convenit voto solemni essentialiter, convenit etiam voto simplici: Sed votum simplex non habet ex propria natura vim dirimendi matrimonium, ut articulo præcedenti ostendimus: Ergo nec votum solemne. Major probatur, quia votum simplex & votum

Universidad de Deusto
Biblioteca

votum solemne, si sint de eodem objecto, sunt ejusdem speciei.

27. Respondeo, negando Minorem, & ad illius probationem, distinguo Antecedens: Sunt ejusdem speciei, formaliter, quatenus sub eadem ratione formali Religionis tendunt in objectum, concedo. Materialiter & in esse entis, nego. Sicut omnes actus alicujus scientiæ, sunt ejusdem speciei formaliter, quatenus tendunt in objectum scientiæ, sub ratione ejus formali; & tamen materialiter & in esse entis sunt diversæ speciei, quia habent objecta materialia specie distincta. Differentia autem essentialis inter votum solemne & simplex, consistit in hoc quod simplex, est tantùm promissio facta Deo, at verò solemne, supra promissionem, addit traditionem B & acceptationem.

28. Dices: Traditio & promissio inter se pugnant; id enim quod traditur & donatur, promitti non potest: Sed votum quodcumque, etiam solemne, essentialiter habet rationem promissionis, ut constat ex definitione essentiali voti, quâ dicitur quod sit promissio Deo facta: Ergo falsum est quod traditio sit voto solemni essentialis.

Respondeo, distinguendo Majorem: Traditio & promissio inter se pugnant, si ambo referantur ad idem, concedo. Si promissio sit de uno, & traditio de alio, nego. In voto autem solemni, traditur unum, & promittitur aliud; traditur enim arbor, & fructus promittuntur; id est traditur ipsa persona voventis, & promittuntur actus ad observantiam voti necessarij, qui sunt veluti fructus potentiarum animæ nostræ, quæ per votum solemne Deo traduntur & consecrantur.

29. Objicies quintò cum Martinono: Si votum solemne dirimeret ex natura rei matrimonium subsequens, semper illud diremisset, quotiescumque fuisset emissum ante matrimonium: Atqui primis Ecclesiæ sæculis reipsa non diremit: Ergo votum solemne ex natura rei matrimonium non dirimit. Major patet, Minorem verò probat Author citatus ex eo quod in primitiva Ecclesia Monachi qui post votum solemne castitatis matrimonium contraxerant, licèt excommunicarentur, ab uxoribus tamen non separabantur; ut patet ex Concilio Chalcedonensi Act. 15. can. 16. cujus verba sunt: *Virginem quæ se Deo consecravit, similiter & Monachum, non licet nuptialia jura contrahere: quòd si hoc inveni fuerint perpetrantes, excommunicentur.* Idem constat ex Concilio Ancyrano can. 10. & ex Neocæsariensi can. 1.

30. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, & ad ejus probationem, nego Antecedens, falsum enim est quod in primitiva Ecclesia non separarentur ab uxoribus vel maritis, Monachi aut Virgines, quæ post votum solemne castitatis matrimonium contraxerant; oppositum enim apertè constat ex Basilio Epist. 1. ad Amphilochium can. 6. ubi sic habetur: *Canonicorum* (id est Religiosorum) *fornicatio pro matrimonio non reputetur, sed eorum conjunctio omnino divellatur.* Et in Concilio Triburiensi suprà relato, de virginibus Deo sacratis, & postea nubentibus, sic dicitur: *Verbo Domini & Canonicâ authoritate in hac sancta Synodo præcipimus, ut omnino separentur.* Unde licèt in Concilio Calcedonensi non fiat mentio de separatione, sed tantùm de excommunicatione, non rectè colligit Author citatus quod Monachi, aut Virgines, quæ post votum solemne castitatis matrimonium contraxerant, in A primitiva Ecclesia non separarentur ab uxoribus, vel maritis; siquidem ex authoritate negativa nihil concluditur, præsertim cùm adducuntur jura positiva in contrarium. In Concilio verò Ancyrano, & Neocæsariensi, non fit mentio de Monachis, aut monialibus, sed de sacerdotibus, ut constat ex verbis Concilij Neocæsariensis: *Presbyter si uxorem duxerit, ab Ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, extra Ecclesiam abjiciatur, & pœnitentiam inter Laïcos redactus agat.* Unde hæc testimonia non militant contra nostram sententiam, fatemur enim votum solemne Ordinibus sacris annexum, non dirimere matrimonium jure divino, sed tantùm Ecclesiastico. Rationem verò discriminis inter votum solemne annexum sacris Ordinibus, & emissum in Religione approbata, adducemus infrà, cùm agemus de impedimento Ordinis.

Objicies ultimò: Si votum solemne in Religione approbata, jure naturæ nullum redderet matrimonium subsecutum, maximè, quia, ut dictum est, præter promissionem omni voto essentialem, habet insuper adjunctam traditionem & acceptationem: Sed hæc ratio nulla est: Ergo ruit præcipuum fundamentum nostræ sententiæ. Major constat ex suprà dictis, Minor probatur. Vota quæ post biennium probationis emittuntur à Religiosis Societatis Jesu, non sunt solemnia, C sed simplicia, ut dicitur expressè in Bulla Gregorij XIII. concessa Societati, & incipiente: *Ascendente Domino in naviculam*, proindeque non ex jure naturæ, sed tantùm ex jure Ecclesiastico ibidem contento, reddunt inhabiles ad contrahendum matrimonium; & tamen in eis est vera traditio & acceptatio Ecclesiæ, quia per ea vota verè qui illa emittunt, se tradunt, subjiciunt, & mancipant arbitrio & potestati superioris; ita ut minimè imposterum sit eis integrum absque apostasiæ labe, ab eo instituto propriâ authoritate, sed tantùm alienâ recedere; votaque illa à superiore acceptantur, nomine Dei, ex facultate sedis Apostolicæ: Ergo &c.

Respondeo distinguendo Majorem: Quia votum solemne, præter promissionem, habet adD junctam traditionem, qualemcumque, nego. Perfectissimam, & absolutam, concedo. Ad probationem verò in contrarium, desumptam ex votis simplicibus, quæ post biennium probationis à Religiosis Societatis Jesu emittuntur, dicendum est, quod licèt in votis illis sit aliqua traditio & acceptatio, illa tamen non est perfecta, & absoluta, sicut illa quæ fit per vota solemnia ejusdem Societatis, & aliorum Ordinum, sed imperfecta, & conditionata; quia per illa voventes se tradunt quidem, subjiciunt, & mancipant arbitrio & potestati superioris, non absolutè tamen, sed tantùm sub conditione quod remaneant E in Societate, ita ut si dimittantur, remaneant liberi à votis. Unde Vazquez, hanc ponit differentiam inter votum solemne, & vota simplicia, quæ post biennium emittunt in Societate Scholares, & post diuturniorem probationem Coadjutores spirituales formati, quòd traditio in istis est temporanea, ad nutum Præpositi Generalis, juxta causas in Constitutionibus ejusdem Societatis expressas; at verò traditio in voto solemni, ex natura sua perpetua est. Non mirum ergo, quod vota illa simplicia non dirimant matrimonium ex natura sua, sed tantùm jure Ecclesiastico, licèt solemnia id præstent, etiam ex jure naturæ.

§. IV.

§. IV.

Solvitur alia objectio.

33. DEmum contra D. Thomæ sententiam Recentiores objiciunt: Sedes Apostolica non potest dispensare in his quæ sunt de jure naturæ: Sed dispensavit cum aliquibus Religiosis professis, ut nuberent: Ergo votum solemne Religionis non dirimit matrimonium jure naturæ, sed duntaxat jure positivo Ecclesiastico. Majorem ut certam supponunt, Minorem verò probant ex variis historiis, quibus Summum Pontificem, cum Religiosis professis, ut matrimonium contraherent, dispensasse refertur. In primis enim dicitur, Cœlestinum III. Constantiam Rogerij Siciliæ Regis filiam, quæ in Monasterio Panormitano monialis fuerat, dispensasse, ut B Henrico Imperatori quinquagenaria nuberet. Cùm enim Rogerius in expeditione Jerosolymitana mortuos esset, Tancredus ejus regnum tyrannicè occupavit, & insuper Cœlestino obedientiam denegavit. Qua de re commotus Pontifex, eum regno privavit, atque Henricum sextum Imperatorem jussit ducere Constantiam, ut eo matrimonio ad regnum Siciliæ integrum jus haberet. Ex quo matrimonio natus est Fridericus secundus, ut constat ex veteri Epitaphio, quod lapidi sepulchrali post mortem Constantiæ insculptum est.

Cæsaris Augusti latet hîc Constantia conjux,
Undeno lustro hæc plateâ rugosa Sacerdos
Facta dedit partum Fridericum Augusta secundum. C
Pro meritis sacrata tenet sic ossa Panormus.

Ubi vocatur rugosa Sacerdos, quòd multis annis in Monasterio Panormitano monialis fuerit. Secundò refertur, fuisse dispensatum cum Ramiro Arragoniæ Rege, qui erat Monachus S. Benedicti, ut nuberet, & Arragoniæ regnum occuparet. Addunt alij, Casimirum, cùm per decem annos in Monasterio Cassinensi fuisset Monachus, imò & Diaconus, à Benedicto IX. ad Polonorum petitionem dispensatum fuisse, ut ad regnum & ad nuptias transiret. Demum alij asserunt, Alexandrum III. ad restituendam Justinianam familiam, in bello contra Turcas extinctam, Nicolaum Justinianum, patrem B. Laurentij Justiniani, dispensasse, ut relicto habitu D S. Benedicti, nuberet, ut refert Bernardus Justinianus ejus nepos, in vita ipsius Laurentij, apud Surium 8. Januarij.

34. Huic objectioni, concessâ Majori, nego Minorem, ad cujus probationem respondeo primò fabulosas esse, vel saltem dubias, prædictas historias. Nam in primis quoad eam quæ est Constantiæ. Baronius ad annum 1186. hæc scribit: *Quod autem ex Recentioribus quamplures asserunt, Constantiam Monialem fuisse, scias fabulosum esse, atque commentum fortasse inde excogitatum, quòd ipsa asservata fuisset in Monasterio, ut si defuisset Regibus mascula proles, spes esse potuisset nubendi Regi, cum dote regni.* Ibidem etiam addit, nullum scriptorem temporis Friderici, aliquid dicere de monachatu Constantiæ: *Quod si* (inquit) *nubes teslium id rumore quodam conclamasse, potius quàm authoritate Majorum, vel certâ ratione asseruisse cognoscitur, eadem planè quâ effutitur levitate, rejicitur.* Addit insuper hanc historiam variis esse refertam mendaciis. Cœlestinus enim non favebat Henrico, sed potius Tancredo; quomodo ergo dispensavit in A matrimonio Constantiæ cum Henrico, contra Tancredum? Quomodo etiam, illa quinquagenaria nupsit, quæ nec annum quadragesimum quartum attigerat; cùm defuncta est? Quâ etiam ratione fieri potuit, ut Constantia in Monasterium detruderetur à patre, perterrito vaticinio Joachimi Abbatis, qui asserebat quod si nuberet, foret Siciliæ funesta fax, ut narrat Fazellus, cùm ipsa nata sit posthuma, ut omnes fatentur Historici, & constat ex his versibus quæ refert Baronius:

Sponsa fuit speciosa nimis Constantia dicta,
Posthuma post patrem materno ventre relicta.

Denique ipsa variatio Authorum satis ostendit, hanc historiam, meram fabulam esse; cùm alij Cœlestinum III. alij Alexandrum III. dicant Constantiam dispensasse, cùm tamen Alexander III. mortuus esset quinque ferè annis antequam ipsa exiret è Monasterio. Addit P. Nicolai 2. 2. quæst. 88. in scholiis ad art. 3. quod si quæ fuisset revera data dispensatio à Cœlestino, vel Alexandro, D. Thomas iisdem temporibus vicinus, eam haud dubiè non ignorasset.

Ad exemplum Ramiri Arragoniæ Regis, Soto dicit, historiam illam in Chronicis illius regni non haberi, sed esse apocriphan; præsertim cùm non nominetur Pontifex, à quo talis dispensatio emanaverit; & Sylvester verbo *votum*, Ramirum non fuisse professum asserat.

Ad aliud de Casimiro, similiter dico, illud non carere dubietate, cùm alij Benedictum IX. alij Clementem II. cum eo dispensasse narrent, & C illius dispensationis nullum extet monimentum, ut apud Baronium ad annum 1041. videre est. Suntque ex gravibus Authoribus qui dicunt, Casimirum emisisse quidem vota sua, sed vi & metu à Boleslao coactum, quod inde colligunt, quòd exilio pulsus unà cum matre, Cluniacum petiit, ibique ad majorem securitatem, habitum Monachi suscepit. Ubi tamen, statu regni mutato, audivit Legatos venisse, ut ad regnum ipsum reducerent, incredibili gaudio (inquit Longinus) affectus est.

Ad ultimum de Nicolao Justiniano, respondeo etiam ex Baronio citato, Authorem hujus historiæ duo inter se pugnàta scripsisse; ait enim Alexandrum III. cum Nicolao Justiniano dispensasse, & D B. Laurentium Justinianum ejus filium, claruisse tempore Eugenij IV. & ab eo Episcopali infulâ insignitum fuisse. Quæ duo inter se pugnant, quandoquidem Alexander III. Eugenium plusquam ducentis annis præcessit. Prior enim obiit anno 1181. posterior creatus est anno 1431. Cur ergo hæc exempla tam impotenter urget lib. 12. Moralium institutionum Azorius, & similia, vel incerta, vel falsa, ut doctrinæ D. Thomæ cõtradicat: Rectiùs sanè Lopez apud Sylviũ: *Licèt dicat Navarrus, quod major pars non dubitat, Papam dispensare posse super solemni voto Religionis facto, ex* E *gravissima necessitate, quidquid sit de hoc, saltem à Ecclesiæ Catholicæ censurâ, quæ de hoc hactenus nihil definivit, teneo cum S. Thoma, & sequacibus ejus, quia illius rationes videntur fortiores.*

Similia docet Maldonatus in tractatu de sacramentis, agens de impedimento voti quæst. 3. ubi sic ait: *Ad tertiam quæstionem respondeo nonnullos Scholasticos, & juris Ecclesiastici interpretes, docuisse posse Ecclesiam dispensare cum iis qui fecerunt votum solemne castitatis, ut contrahant matrimonium. Sed qui hæc dicunt, videntur mihi majorem rationem habere exemplorum Pontifi-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum Romanorum, quam scripturæ sacræ. Nam quæ Theologia est dicere Ecclesiam posse dispensare in jure naturali, & in jure divino? Votum autem Castitatis obligare jure naturali & divino, quis negat nisi hæreticus? Igitur neque Papa, eque Ecclesia potest dispensare.

Respondeo secundò cum eodem Auctore ibidem, dato quod prædictæ hystoriæ veræ sint, *posse causas aliquas incidere, in quibus Ecclesia non quidem dispenset in voto solemni, sed per interpretationem æqui & boni declaret eum qui fecerit votum, non teneri voto. Nam cùm sit regula generalis, collecta ex jure divino & naturali, ut votum minoris boni relaxetur per votum majoris boni. Et cùm non debeat esse judicium privatum uniuscujusque, an aliquod bonum quod fortasse occurrit, sit majus quam servare castitatem perpetuam, ad quam se constrinxit voto solemni, sed debeat id relinqui judicio totius Ecclesiæ. Et cùm possit aliquando occurrere hujusmodi bonum multò majus, quàm est servare castitatem, non dubium est, quin tunc Ecclesia, aut nomine totius Ecclesiæ, Pontifex possit declarare, illum in eo casu non teneri ad observationem voti. Quod credendum est feciſſe illum Papam cum Rege Aragonum, & illum alterum cum Rege Poloniæ; quia judicarunt bonum publicum totius regni esse præstantius, quam bonum privatum unius Monachi. Sed hoc non est propriè dispensare: nam dispensatio vocatur, cùm manente voto integro, aliquis liberatur ab illius observatione.* Hæc Maldonatus, quibus apertè declarat, dato etiam quod prædictæ hystoriæ veræ essent, hoc tamen non præjudicare nostræ sententiæ, eò quod prædictæ concessiones, non fuerint veræ dispensationes, sed duntaxat nullitatis voti declarationes.

ARTICULUS III.

De impedimento cognationis.

35. COgnatio triplex est; carnalis, quæ per carnalem generationem derivatur; spiritualis, quæ per regenerationem in sacro fonte Baptismatis, & in Chrismatis sacramento; & legalis, quæ per legis adoptionem comparatur; de quibus breviter hîc agendum est, cùm per illas matrimonium dirimatur.

§. I.

De impedimento cognationis carnalis, seu consanguinitatis.

COnsanguinitas, sic dicta, quasi *mutua sanguinis unitas*, ex D. Thoma hîc quæst. 44. art. 1. est *vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum*, id est relatio quædam mutua in communicatione ejusdem sanguinis fundata, quæ amicitiæ radix est. Unde Augustinus 12. de civit. Dei cap. 21. ideò Deus ab uno homine omnes propagari voluit, *ut non tantùm inter se naturæ similitudine, verùm etiam cognationis affectu homines necterentur.* Quod non servavit in brutis, *quæ non ex singulis propagavit, sed plura simul existere jussit.* Propterea in brutis consanguinitas non est, quia ut ait S. Doctor in resp. ad 5. in eis sanguinis participatio ad amicitiam non ordinatur. Dicitur, *ab eodem stipite descendentium*, id est ab eodem homine, à quo procedunt alij, & pullulant, sicut rami à stipite, ita de propinquo, ut ejus virtus in descendentibus perseveret, non solùm secundùm similitudinem specificam, aliàs omnes homines ab Adamo descendentes, essent consanguinei, sed secundùm similitudinem individuam, juxta quam avus & parentes assimilant sibi prolem in figura & complexione. 36.

Ex stipite autem deducuntur linea & gradus. Linea est ordinata collectio personarum ab uno stipite descendentium, metaphorâ ductâ à linea, quæ ab uno puncto videtur derivari. Gradus est habitudo seu mensura distantium personarum, quâ cognoscitur quotâ consanguinitatis distantiâ aliqui conjungantur, metaphorâ ductâ à scala, ut habetur expresè l. *Iurisconsultus* ff. de gradibus. Linea autem triplex est, recta ascendentium, nimirum Patris, Avi, Proavi, &c. recta descendentium, Filij, Nepotis, Pronepotis, &c. Et transversalis, seu collateralis, quæ est collectio eorum qui quidem à nobis non ducunt originem, nec nos ab ipsis, ambo tamen ab uno stipite originem ducimus. Rursum hæc transversalis est duplex: alia est æqualis, quando ambo qui comparantur, æquè distant à communi stipite, ut duo fratres, duo fratrum filij, &c. Alia inæqualis, quando nimirum non æqualiter distant à communi stipite, ut si comparetur frater cum filio fratris sui. His suppositis.

Triplex assignatur regula à D. Thoma art. 2. quæstionis citatæ. Prima est: In linea recta ascendentium & descendentium, si nulla persona mediet inter alias duas, illæ duæ sunt in primo gradu, sicut pater & filius. Si verò aliquæ personæ medient, computandæ sunt omnes personæ mediæ simul cum extremis; & tunc tot erunt gradus, quot erunt personæ, unâ demptâ: verbi gratiâ Auus & Nepos sunt in secundo gradu, quia computato Patre medio, & illis duobus, fiunt tres, demptoque uno, remanent duo, & sic sunt in secundo gradu, & idem dicendum in aliis. Ratio autem est, quia duæ primæ personæ, verbi gratiâ Pater & Filius, non faciunt nisi unum gradum, & ideò non debent computari omnino tot gradus, quot personæ, sed demptâ unâ. Et hæc regula habetur l. 1. §. ff. de gradibus. 37.

Secunda regula est: In linea transversa æquali, tot gradibus distant personæ inter se, secundùm jus Canonicum, quot distant à communi stipite; & secundùm jus civile, tot gradibus distant inter se, quot sunt gradus à stipite ad ipsas, numeratis utriusque personæ gradibus: verbi gratiâ duo fratres, secundùm jus Canonicum, sunt in primo gradu, quia quilibet uno tantùm gradu distat à stipite; at secundùm jus civile, sunt in secundo. Similiter duo fratrum filij, secundùm jus Canonicum, sunt in secundo, secundùm jus civile, in quarto. Hæc regula colligitur ex Alexandro II. can. *Ad sedem*, & ex Zacharia, can. *Parentelæ*, 35. quæst. 5. 38.

Tertia regula pro linea transversa inæquali: Secundùm jus Canonicum personæ inter se tot gradibus distant, quot gradibus remotior distat à stipite; at verò secundùm jus civile, quot sunt gradus à stipite ad ipsas, numeratis utriusque personæ gradibus: verbi gratiâ filius fratris cum fratre est in secundo gradu, secundùm jus Canonicum, & secundùm civile, est in tertio. Hæc regula habetur quoad jus Canonicum in cap. *Finali*, de consanguinitate. Quoad Civile in Authentica *de hæredibus ab intestato vocandis*. Ratio autem hujus diversitatis inter jus Canonicum & Civile, traditur in dicto canone *Ad sedem* 39.

sedem 35. quæst. 5. quia nimirum jus Canonicum considerat gradus consanguinitatis in ordine ad matrimonium contrahendum, quod nequit contrahi nisi inter duas personas, atque adeò duas istas personas extremas in uno gradu computat. At verò jus Civile considerat hujusmodi gradus in ordine ad hæreditatem, ut scilicet illa transferatur ab una persona ad aliam; & ideò singulis personis singulos perficit gradus.

40. Consanguinitas autem quarumdam personarum impedit matrimonium jure naturæ, & quarumdam jure tantùm Ecclesiastico. Matrimonia enim consanguineorum in primo gradu lineæ rectæ, nempè matris cum filio, vel patris cum filia, sunt ipso jure naturæ irrita. Unde Ambrosius ad Patern. *Ne pater* (inquit) *filiam suam accipiat uxorem, interdictum est naturæ jure, interdictum lege, quæ est in cordibus singulorum, interdictum est inviolabili præscriptione pietatis, titulo necessitudinis.* Ratio apud D. Thomam 2.2. quæst. 154. art. 9. est, quòd naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus: huic autem reverentiæ non parùm derogaret conjunctio matrimonialis filiæ cum patre, aut filij cum matre, turpitudo enim patris, vel matris revelaretur.

Præterea, Matrimonium ordinatur ad hoc à natura, ut duo fiant una caro: qui autem sunt in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, jam sunt una caro secundùm carnalem conjunctionem immediatè: Ergo matrimonia inter illos jure naturæ illicita sunt.

41. Hæc sunt certa & indubitata apud omnes, sed difficultas est, & controversia inter Theologos, an lex naturalis irritet etiam matrimonia consanguineorum in primo gradu lineæ transversæ, seu inter fratrem & sororem, sicut in primo gradu lineæ rectæ? Partem enim negantem tenent Scotus, Durandus, Richardus, Paludanus, Cajetanus, Pontius, Coninck, & alij. Quod enim (inquiunt) est de jure naturæ, observatur apud omnes gentes: Sed matrimonium inter fratrem & sororem non est irritum apud omnes gentes: Tum quia Abraham uxorem duxit Saram suam sororem Genes. 20. *Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem.* Tum etiam, quia cùm vellet Ammon Thamar sororem suam opprimere 2. Regum 15. respondit ei: *Noli frater mi opprimere me; quin potiùs loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* Addunt, quod matrimonia inter fratres & sorores fuerunt apud Persas & Ægyptios permissa, unde ex Dione refert Salianus anno ante Christum 50. num. 3. de Ptolomæo Auleto, quòd testamento præceperit Cleopatræ filiæ majori, & filio grandiori, ut more majorum inter se matrimonio copularentur. Addunt etiam, Martinum V. dispensasse cum fratre & sorore, ut matrimonio jungerentur, ut ex S. Antonino refert Sylvester. Demum in ejusdem sententiæ confirmationem, adducunt Canonem 61. Concilij Agathensis; & 30. Concilij Epaunensis, in quibus, ut ait Pontius, sic dicitur: *Si quis germanam uxorem acceperit.*

42. Nihilominus sententia affirmans talia matrimonia esse jure naturæ irrita, videtur probabilior: Primò, quia ratio quam affert D. Thomas pro matrimonio consanguineorum in primo gradu lineæ rectæ, se extendit etiam ad matrimonia consanguineorum in primo gradu lineæ transversæ; ait enim S. Doctor loco suprà citato: *Naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus, & per consequens aliis consanguineis qui ex iisdem parentibus, de propinquo originem trahunt.*

Secundò, quia licèt fratres & sorores non participent eandem carnem & sanguinem, cum dependentia unius ab alio, uti filij à parentibus, tamen ratione participationis immediatæ ab eodem principio, respiciunt se mutuò ut unam eandemque carnem; cùm enim filius, teste Aristotele 5. Ethic. cap. 6. sit pars parentum, ex eorum lumbis, & utero decisa, frater & soror sunt eadem caro, ex parentum lumbis & utero participata. 43.

Tertiò, Philosophi morales docent, cùm multæ causæ sint amicitiæ & amoris, nullam esse majorem, quam sanguinem & originem. Quapropter Aristoteles hanc causam reddidit, cur non debeant uxores esse communes, sicut Plato & Socrates volebant; quia nimirum si omnes essent communes fratres accederent ad sorores; & cùm ipsa sanguinis conjunctio inter illos sit causa amoris vehementissimi, & alia ex parte usus matrimonij & libidinis inflammet amorem, dare sororem fratri nuptui, esset homini ebrio virum propinare. Unde constat ex ipsa lege naturæ fuisse causam desumptam, ut inter fratrem & sororem matrimonia essent prohibita. Unde S. Augustinus 15. de civit. cap. 16. apertè favet huic sententiæ, ait enim: *Quantò antiquius est, ut viri sorores suas conjuges acciperent, compellente necessitate, tantò postea factum est damnabilius, religione prohibente.* Nec satisfacit responsio Cajetani, dicentis Augustinum non dixisse hæc matrimonia non esse prohibita à natura, sed à religione, hoc est lege Ecclesiasticâ. Augustinus enim pro religione hîc non accipit legem aliquam positivam, sed naturalem, quæ extra casum necessitatis conservandi genus humanum, talia matrimonia aversatur, & damnat ut nefaria. Quare subdit: *Fieri ergo debuit, quando potuit, ut existente copiâ inde ducerètur uxores, quæ non erant jam sorores; & non solùm istud ut fieret, nulla necessitas esset, verùm etiam si fieret, nefas esset; cùm talem licentiam ita exhorreat & aversetur humana consuetudo, quasi nunquam licere potuerit.* Quod ergo filij Adæ in primo gradu contraxerint, factum est, Deo dispensante, & dante illis potestatem contrahendi, propter necessitatem propagandi per illos genus humanum: quorum alioqui matrimonium fuisset ipso jure naturali irritum. 44.

Demum eadem sententia suaderi potest ex eo quod, licèt in omnibus gradibus jure naturæ non prohibitis, Ecclesia aliquando dispensaverit, nunquam tamen dispensavit, ut frater sorori matrimonio jungeretur. Solùm legimus, semel existimatum fuisse, obtentam esse talem dispensationem, tempore scilicet Ludovici XI. Francorum Regis, quo Comes Armeniacus dicebat se obtinuisse dispensationem, ut cum sorore sua matrimonium contraheret; qua de re scripsit Ludovicus ad Summum Pontificem, inventumque est, subreptitiam fuisse dispensationem, & Protonotarius qui litteras Apostolicas falsò subscripserat, ultimo supplicio affectus est, ut refert Paulus Emilius. Unde 45.

Ad fundamentum adversæ sententiæ, concessa Majori, nego Minorem, & ad primam ejus probationem dico, falsò supponi, Saram fuisse strictè & propriè sororem Abrahæ, ex eodem patre immediato & propriè dicto, cùm potiùs fuerit filia Aran filij Thare; quippè qui duas uxores habuit, 46.

Universidad de Deusto
Biblioteca

habuit, ex quarum una natus est Abraham, ex altera Aran, qui genuit Saram & Loth. Quare Abraham non fuit propriè frater, sed patruelis Saræ, illi conjunctus in secundo gradu tantùm, licèt phrasi Hebraïcâ fratrem illius se dixerit esse, eodem sensu quo ipsum Loth fratrem suum vocavit, id est nepotem, Genes. 13.

Ad exemplum de Thamar, respondent aliqui, illam non fuisse filiam David, nec proinde sororem Ammon, sed privignam. At meliùs respondetur, ex verbis illis quæ Thamar protulit, dum Ammon eam volebat opprimere, non posse deduci efficax argumentum contra nostram sententiam: nam vel ea Thamar protulit, ex inopinata improvisaque sceleris immanitate turbata. Vel ut eligens ut minus malum, cum fratre inire connubium, quàm cum eodem incestum committere.

Ad tertiam probationem Minoris dico, gentes illas apud quas matrimonia fratrum cum sororibus erant licita, erasse contra lumen naturale rationis, & contra jus naturæ in hoc peccasse, sicut & in multis aliis. Nam quid magis rationi repugnans, quàm uxores habere communes, & adulteria ut honorifica admittere? & tamen primum permittebatur apud Nomadas, secundum apud Gindanes, ut Strabo, Herodotus, & Alexander ab Alexandro testantur.

Exemplum de Martino V. falsum est, non enim ut ait Soto, cum fratre & sorore dispensavit, sed cum affine in primo gradu, nempe cum ea cujus germanam vir fornicariè cognoverat.

Demum Canon 61. Concilij Agathensis, & Canon 30. Concilij Epaunensis, corrigi debent juxta lectionem Concilij Turonensis II. cap. 22. ubi sic dicitur: *Si quis germanam uxoris suæ acceperit*; non autem, ut vult Pontius, *si quis germanam uxorem acceperit.*

§. II.

De cognatione spirituali.

47. COgnatio spiritualis dirimens matrimonium, est quædam personarum propinquitas ex eo proveniens quod quis conferat sacramentum Baptismi, vel Confirmationis, aut ex eo quod tenet seu suscipit illum, cui tale sacramentum confertur. Nam Papa Deusdedit apud Gratianū 30. qu. 1. canone *Pervenit*, citat hac de re constitutiones Julij 1. Innocentij I. & Cœlestini I. Et in Annalibus Galliæ nota est illa historia Chilperici Regis, qui noluit habitare cum uxore Gondorea, quia cùm esset absens, illa peperat, & susceperat infantem ex baptismo. Item Zonaras tomo 3. Annalium scribit, Imperatorem Nicephorum Phocam, fuisse propterea repulsum ab Ecclesia à Patriarcha Constantinopolitano, quòd duxisset Theophanem, cujus ante filiam susceperat ex baptismo. Unde in variis Conciliis vetitum est, ne quis duceret uxorem eam, cujus filiam tenuerat in baptismo. Cujus prohibitionis præcipua ratio est, quia illi qui spiritualiter sunt cognati, debent sibi invicem exhibere singularem quendam honorem, qui non potest consistere cum nuptiis.

Porrò in antiquo jure Ecclesiastico fuerunt tres species cognationis spiritualis: prima erat paternitas inter eum qui conferebat sacramentum, & eum qui susciebat: item inter eum qui tenebat baptizatum vel confirmatum, & ipsum baptizatum & confirmatum. Secunda vocabatur paternitas inter patrem naturalem, & patres spirituales, vel inter matrem naturalem, & matres spirituales. Tertia fraternitas inter filios patris naturalis, & filios patris spiritualis. Sed Concilium Tridentinum sessione 24. cap. 2. adhibuit moderationem, ut spiritualis cognatio non esset impedimentum matrimonij, nisi inter patres, tum inter se, tum cum filiis, idque in primo tantùm gradu. Unde nulla spiritualis cognatio, subindeque nullum matrimonij impedimentum contrahitur inter virum & fœminam, aliquem de sacro fonte suscipientes, aut tenentes in sacramento confirmationis; quia Tridentinum loco citato expresè dicit, inter alias personas tolli omne impedimentum cognationis spiritualis. Si tamen vir teneret proprium filium, contraheret cognationem spiritualem cum uxore ex qua illum suscepit, quâ prohiberetur à debito conjugali. Similiterque fœmina, si teneret filium proprium, contraheret cognationem spiritualem cum marito, ob quam debitum conjugale non posset ab illo exigere. Ex datione verò aliorum sacramentorum, præterquàm Baptismi, & Confirmationis, spiritualis cognatio non contrahitur: quamvis ex sacramento pœnitentiæ oriatur simile quid spirituali cognationi Baptismi, ut dicitur cap. *Omnes* 30. quæst. 1. ratione cujus nonnulli existimant, peccatum luxuriæ inter Confessarium & Pœnitentem, habere malitiam specialem, velut incestûs spiritualis, aut sacrilegij contra reverentiam sacramenti.

Cæterùm impedimentum cognationis spiritualis inter suprà dictas personas non incurritur, nisi certis conditionibus concurrentibus, quarum prima est, ut Baptismus & confirmatio verè & validè conferatur, unde ex cæremoniis in templo suppletis, post Baptismum domi collatum, non oritur; benè tamen ex Baptismo etiam privato. Secunda conditio est, quod personæ sint capaces hujus cognationis, atque adeò quod patrini dum in Baptismo id officium sustinent, sint baptizati. Unde si infidelis nondum baptizatus, filiam matris itidem infidelis baptizaret, non posset ille quidem filiam baptizatam, utpote quæ hoc impedimentum verè contraxit, ducere in uxorem, licèt conversus ad fidem; benè tamen ejus matrem, etiam si ambo converterentur, cùm neuter eo tempore quo infans baptizabatur, legibus Ecclesiæ subjectus esset, & capax cognationis spiritualis. Tertiò requiritur, ut compater & commater teneant eum qui baptizatur, aut confirmatur, vel saltè de manibus baptizantis eum immediatè suscipiant, ut declaratum fuit à Congregatione Cardinalium, quæ respondit, commatrem suscipientem infantem de manu compatris duntaxat, postquam ille baptizatus & à fonte levatus est, ita ut eum non tangat, dum baptizatur, neque de manu ipsius baptizantis suscipiat, non cōtrahere cognationem spiritualem, ut habetur in Declarationibus impressis Lugduni cum textu Concilij anno 1640. ad c. 2. Decreti de reform. matrimonij sess. 24. num. 8. §. *In Episcopatu.*

Addunt aliqui, requiri ut suscipiens respondeat in Catechismo, qui Baptismo præmittitur; atque per seipsum, non per procuratorem suscipiat. Sed primum dicitur sine fundamento, cùm Tridentinum hanc conditionem non requirat, sed tantùm officium tenendi in Baptismo, quod est diversum ab officio respondendi in Catechismo, & olim diversam cognationem spiritualem pariebat, non irritantem, sed prohibentem matrimonium,

monium, ut disp. præcedenti art. 1. declaravimus. Secundum verò repugnat apertè declarationi Cardinalium, loco suprà citato, num. 4. quæ sic habet: *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti.* Itaque mandans & suscipiens per procuratorem, cognationem contrahit, non verò ipse procurator, cùm non suo, sed mandantis nomine, infantem suscipiat.

§. III.

De cognatione legali.

50. COgnatio legalis definitur propinquitas ex adoptione alicujus in filium proveniens, & contrahitur primò inter adoptatum & adoptantem. Secundò inter adoptatum, & conjugem adoptantis. Tertiò inter adoptantem & conjugem adoptati. Quartò inter adoptantem & legitimos filios adoptati, saltem usque ad quartum gradum inclusivè: simili enim modo metiendi sunt gradus cognationis legalis, ac cognationis carnalis, quam illa imitatur. Est etiam inter adoptatum, & legitimos filios adoptantis, usque ad quartum gradum, non tamen perpetua, sed quandiu durat adoptio, & dum filij legitimi sunt sub patris potestate.

51. Hæ verò species cognationis legalis singulæ dirimunt matrimonium, jure Ecclesiastico, & Civili; nam capite unico de cognatione legali, sic dicitur: *Si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit, quandiu durat adoptio inter me & ipsam, nuptiæ consistere non possunt.* Et in cap. *Ita diligere*, Nicolaus Summus Pontifex determinans quod non potest esse conjugium inter illos inter quos est cognatio spiritualis, id probat hac ratione: *Si inter eos non contrahitur matrimonium quos adoptio jungit, quantò potiùs à carnali oportet inter se contubernio cessare illos quos per cœleste sacramentum regeneratio Sancti Spiritus jungit.* De hoc impedimento fusè disserunt Sanchez, Pontius, Amicus, & alij: Sed cùm illud rarissimè accidat, non lubet nec expedit in eo diutiùs immorari.

Articulus IV.

De impedimento criminis.

52. QUintum impedimentum dirimens est crimen, per quod intelligitur primò occisio alterius conjugis, quæ impedit ne conjux superstes, possit matrimonium inire cum authore necis, si cum eo machinatus est mortem, vel si antea adulterium cum eo commisit, etiam sine mortis machinatione. Hoc impedimentum incurritur non solùm à viro uxorem occidente, sed etiam ab uxore occidente virum, vel mandante ut occidatur, aut consilium auxiliumve ad occidendum præbente, ut constat ex cap. 1. de conver. infid. in quo dicitur, hoc impedimentum incurrisse uxores Christianas, quarum viri, ipsarum insidiis & machinationibus fuerunt à Saracenis interfecti. Et in Concilio Triburiensi can. *Si quis* 31. quæst. 1. decretum fuit, quod sive vir uxorem, sive uxor virum occidisse convicta fuerit, in perpetua pœnitentia, sine ulla spe conjugij, reliquum vitæ tempus transigerent.

53. Secundò nomine criminis intelligitur adulterium commissum cum promissione futuri conjugij cum adultera, post obitum propriæ conjugis, vel cum ea de præsenti inito contractu matrimonij, quamvis irrito. Nam per tale crimen jure Ecclesiastico incurritur impedimentum contrahendi matrimonium cum adultera, ut habetur can. *Relictum* 31. quæst. 1. & ferè in omnibus capitibus sub titulo, *De eo qui duxit*, præcipuè cap. *Finali*, ubi sic dicitur: *Si quis uxore vivente, fide datâ promisit aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit; si nec ante, nec post (legitimâ ejus superstite) cognovit eundem: quamvis utrique ipsorum, pro eo quod in hoc graviter deliquerint, sit pœnitentia injungenda, non est tamen matrimonium quod cum ea contraxit, post uxoris obitum dirimendum. Cæterùm tolerari non debet, si priùs, vel postea, dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset.* Ubi Pontifex, ut hoc impedimentum incurratur, requirit quod hæc duo inter se conjungantur, nempè adulterium, & fides de contrahendo, defunctâ propria uxore, aut præsens contractus cum ea quam in uxorem ducere cupit; unde si hæc abinvicem separentur, & sit adulterium sine fide de contrahendo, aut fides de contrahendo, sine adulterio & carnali copula, non incurritur hoc impedimentum. Similiter, si fide datâ, vel contracto de præsenti matrimonio, uterque resiliat, tametsi adulterium sequatur, hoc impedimentum non contrahitur, quia fides & præsens contractus eo casu fuit extinctus. Contra verò, si post adulterium data sit fides, vel contractum sit matrimonium, tametsi id mutuo consensu dissolvatur, contrahitur hoc impedimentum; quia ad illud incurrendum sufficit, quod semel & simul fides & adulterium conjungantur; neque est postea in potestate adulterorum, se à pœna quam incurrerunt eximere.

54. Ratio autem quæ Ecclesiam induxit ad statuendum hoc impedimentum, fuit ne allicerentur conjuges ad machinandam mortem suis conjugibus, spe contrahendi matrimonium cum conspiratoribus. Item ne allicerentur ad adulterium, spe vel prætextu contrahendi aliquando matrimonium cum adulteris. Quæ ratio gravissima & æquissima est, quid enim atrocius, quàm non solùm fidem matrimonij non servare, verùm etiam conspirare in mortem conjugis? Et quid justius, quàm vitæ conjugum consulere, & tam immane scelus, quale est uxoricidium, vel adulterium, condignâ pœnâ punire? Unde perperam contra hoc impedimentum reclamant Lutherus in libro de captivitate Babylonica, cap. de matrimonio, & Melanchthon in locis communibus, titulo de conjugio, quasi imprudenter Ecclesia matrimonium inter adulteros, non solùm prohibuerit, sed etiam irritum fecerit, cùm tamen (inquiunt) David Bethsabeam priùs à se pollutam per adulterium, uxorem duxerit; & Uriam ejus maritum, per insidias interfecerit, 2. Regum 11. Verùm (præterquam quod multa in lege Evangelica prohibentur, quæ in lege Mosaica permittebantur, aut tolerabantur, quia perfectio legis Evangelicæ hoc postulat) non apparet ex sacra historia, concurrisse omnia in matrimonio Davidis cum Bethsabea, quæ nunc per legem Ecclesiasticam requiruntur ad incurrendum impedimentum criminis. Nam nec adulterium illud fuit commissum sub spe & promissione futuri conjugij, neque post illud accessit promissio de contrahendo post mortem Uriæ, neque fuit attentatum inter illos, vivente Uriâ. Neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam constat, Bethsabeam ullo modo conspirasse aut consensisse in mortem conjugis, aut Davidem Uriam interfeciſſe, ut Bethsabeam duceret; quin potiùs ejus mortem machinatus est, ut adulterium cum Bethsabea commissum occultaret, & filius quem ex tali adulterio illa conceperat, Uriæ filius esse crederetur.

ARTICULUS V.

De impedimento disparis cultûs.

55. SExtum impedimentum est cultûs disparitas, quando scilicet baptizatus, sive Catholicus sit, sive hæreticus, matrimonium init cum non baptizata, aut vice versâ; matrimonium enim inter illos contractum, irritum esse, etsi persona nondum baptizata, sit Catechumena & fidelis, constat ex antiquissima traditione Ecclesiæ, quæ ab Apostolis creditur originem duxisse; siquidem Tertullianus, qui proximus fuit Apostolis, hujus rei mentionem facit lib. 2. ad uxorem. Videtur etiam id fuisse constitutum, seu potiùs confirmatum in Concilio Nicæno 1. can. 67. ex Arabicis, ubi sic habetur: *Quæcunque mulier fidelis viro infideli nupserit à communione fidelium separetur. Quæ si pœnitentiam egerit maleficij, & eum virum quem habere non poterat, id est infidelem, dimiserit; non est recipienda, nisi eo modo quo recipitur qui postquam fidem negavit, ad fidem revertitur, debetque ipsa infidelem relinquere.*

56. Causa verò ea matrimonia irritandi fuit primò periculum ab orthodoxa fide prævaricandi; *Quis enim dubitet* (inquit Tertullianus lib. 2. ad uxorem) *obliterari quotidie fidem commercio infideli? Bonos corrumpunt mores confabulationes pravæ. Quantò magis conjunctius & individuus usus, &c.* Secundò, difficultas susceptam prolem benè piéque educandi. Unde D. Thomas hîc qu. 59. art. 1. sic discurrit: *Principalius matrimonij bonum est proles ad cultum Dei educanda: cum autem educatio fiat communiter per patrem & matrem, uterque secundùm fidem suam intendit ad cultum Dei prolem educare; & ideò si sint diversæ fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit, & ita inter eos non potest esse conveniens matrimonium; & propter hoc disparitas cultûs præcedens matrimonium, impedit ne contrahi possit.* Tertiò, perpetua inter conjuges discordiarum occasio, ob religionis diversitatem. *Quomodo enim potest congruere charitas, si discrepet fides?* ut rectè ait Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 9. Hæc & alia plura quæ ex illis matrimoniis sequuntur incommoda, recensèt Tertullianus libro citato ad uxorem, eisque è diametro opponit bona quæ in matrimonio inter fideles conjuges esse solent: *Quale jugum* (inquit) *fidelium duorum, unius spei, unius voti, unus disciplinæ, ejusdem servitutis? Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritûs carnisve discretio. Atquin verè duo in carne una, ubi caro una, unus & spiritus, &c. Talia Christus videns & audiens gaudet. His pacem suam mittit. Ubi duo, ibi & ipse; ubi & ipse, ibi & malus non est.*

57. Sunt etiam ejusmodi conjugia jure naturali & divino illicita, quando est periculum subversionis alterius conjugis fidelis, aut malæ educationis prolis; ideóque fuere à Deo prohibita in lege veteri, Exodi 34. & Deuteron. 7. ubi Deus interdicit matrimonium Hebræorum cum Gentilibus. Et Apostolus 2. Corinth. 6. idem præceptum revocare videtur dicens: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? aut quæ pars fidelis cum infideli?* Quæ verba de jugo matrimonij exponit Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum. Et quamvis essent generaliter intelligenda de commercio & convictu cum infidelibus (ut Chrysostomus, Ambrosius, & Theophilactus interpretantur) à fortiori concluderent de matrimonio, cùm nullum possit dari majus commercium cum infidelibus, quàm iis indissolubili matrimonij vinculo copulari. Item 1. ad Corinth. 7. præcipit idem Apostolus, ut mulier Christiana, si dormierit vir ejus, non nubat, nisi in Domino, id est cum viro Christiano, ut Ambrosius, Theodoretus, Anselmus & D. Thomas ibidem exponunt.

Dixi, quando est periculum subversionis alterius conjugis fidelis, aut malæ educationis prolis; si enim desit tale periculum, non videtur esse peccatum, contrahere matrimonium cum infidelibus. Constat enim Jacob uxores duxisse filias Laban hominis gentilis, Genesis 29. Joseph Asenech filiam Putipharis sacerdotis Heliopoleos, Genes. 41. Moysem Sephoram filiam Jethro Sacerdotis Madiam, Exodi 2. Esther nuptui datam Assuero Persarum Regi, Esther 2. Salomonem accepisse filiam Pharaonis, 3. Regum 3. propter quod à Scriptura non reprehenditur. Id etiam confirmant exempla S. Cæciliæ, quæ nupsit Valeriano ethnico, ut habetur in ejus vita, & in Officio Romano, S. Monicæ matris S. Augustini, quæ Patricio ethnico nupsit, ut ipse refert lib. 9. Confess. cap. 9. & S. Clothildis, quæ ex Gregorio Turonensi lib. 2. histor. cap. 28. & 31. nupsit Clodovæo Regi Francorum, ethnico.

Ex quo intelliges, à fortiori matrimonia cum 59.
hæreticis non semper esse illicita, sed posse, justa de causa, permitti, vel tolerari. Sufficiens autem censetur causa, Primò si hæretici unam constituant Rempublicam cum Catholicis, ut in multis Galliæ, Germaniæ, & Poloniæ partibus factitatur. Secundò, si cessent causæ allatæ, præsertim periculum perversionis à fide, & difficultas susceptam prolem catholicè educandi. Tertiò, si affulgeat spes conversionis alterius conjugis ad fidem. Quartò ad pacem inter Principes componendam. Nunquam tamen tolerandum est, ut Catholicus cum hæretica eo pacto contrahat, ut filiorum educatio pertineat ad patrem, filiarum ad matrem, nam hoc esset evidenti periculo exponere prolem à matre hæretica educandam.

Dices, Ex præcepto Christi tenentur omnes 60.
Catholici dum matrimonium contrahunt, illud contrahere sacramentaliter: Sed non contrahunt sacramentaliter cum hæreticis, qnia cùm credant matrimonium non esse sacramentum, non habent intentionem contrahendi sacramentaliter, sine qua sacramentum fieri nequit; cùm ambo contrahentes sint hujus sacramenti ministri, & sine intentione ministri nullum perficiatur sacramentum, ut Florentinum definit in Decreto Eugenij: Ergo non licèt Catholicis matrimonia cum hæreticis contrahere.

Respondeo, concessâ Majori, negando Mino- 61.
rem, sufficit enim ad contrahendum sacramentaliter, ut velint hæretici facere id quod Christus instituit,

instituit, vel quod decet & facit vera Ecclesia, quæcumque illa sit; unde ad hanc intentionem habendam, semper disponendus est conjux hæreticus, contrahens cum Catholico, ne matrimonium debitâ dignitate sacramenti frustretur.

Instabis: Esto conjux hæreticus intendat facere quod Christus instituit, & facit vera Ecclesia, peccat tamen celebrando & recipiendo hoc sacramentum in statu peccati hæresis: Ergo etiam conjux Catholicus peccat contrahendo cum illo, quia cooperatur ejus peccato.

Sed nego consequentiam, ille enim non censetur cooperari peccato alterius, qui ut suæ necessitati vel utilitati consulat, petit ab illo actum, quem potest licitè præstare, si velit, vel cum illo eum exercet; ut qui petit & accipit mutuum ab usurario, prævidens non daturum sine usura; vel qui propter suam necessitatem, aut notabilem utilitatem, petit & recipit sacramentum à Parocho, quem videt esse illicitè administraturum suâ culpâ.

Septimum impedimentum est vis seu coactio, libertati ad valorem matrimonij necessariæ repugnans, de qua fusè egimus suprà disp. 4. art. 4. ad quem locum Lectorem remittimus.

ARTICULUS VI.

De impedimento Ordinis.

62. ORdinem sacrum irritare matrimonium subsequens, constat ex capite 1. *Qui Clerici vel voventes*, & ex capite *Ut lex* 27. quæst. 1. ubi postquam statuit Pontifex & præcepit, ut qui post sacros Ordines uxores duxerint, ab illis separentur, subjungit causam, his verbis: *Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus.*

63. Hoc impedimentum est merè positivum & Ecclesiasticum, ut constat ex Tridentino sess. 24. can. 9. ubi sic dicitur: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel voto, anathema sit.* Votum autem solemne Religionis, ut art. 2. ostendimus, jure naturali dirimit matrimonium, quia solemnitas talis voti consistit in perfecta traditione; solemnitas verò voti Ordinibus sacris annexi, imperfectam duntaxat traditionem, quâ Clerici se divino cultui ad ministrandum altari mancipant, importat; ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 11. ubi asserit non posse Pontificem dispensare in voto solemnizato per professionem, benè tamen per susceptionem sacri Ordinis; quia (inquit) tale votum ex sola constitutione Ecclesiæ & non essentialiter est annexum Ordini sacro; quod inde provenit, quia in tali voto est tantùm traditio imperfecta; directè enim & per se est ad ministrandum altari, non autem absolutè; sicut in professione Religionis.

64. Porrò in eo discrepant Græci à Latinis, quod illi, si post matrimonium Ordinem sacrum suscipiant, possunt licitè matrimonio uti extra tempus quo altari deserviunt. Isti verò, si post matrimonium validè contractum, ad Ordines sacros ascendunt, ab usu conjugij perpetuò abstinere debent. Qua de re plura diximus in Tractatu de Ordine disp. 3. art. 3.

A Advertendum etiam, quod primis Ecclesiæ 65.
temporibus, licèt Ordo sacer redderet matrimonium illicitum, non tamen invalidum, unde erat solùm impedimentum prohibens, non verò dirimens, ut colligitur ex Concilio Ancyrano can. 10. ubi Presbyteri qui matrimonium contraxerunt, tantùm à ministerio deponuntur, & rediguntur ad communionem laïcam, non verò ab uxoribus separari jubentur. Item in Concilio Neocæsariensi can. 1. sic habetur: *Presbyter, si uxorem duxerit, ab Ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, extra Ecclesiam abjiciatur, & pœnitentiam inter laïcos redactus agat.* Ubi non dicitur tale matrimonium esse irritum, jubeturque gravius puniri Sacerdos, si fornicatus fuerit, vel adulteratus, quàm si matrimonium contraxerit.

ARTICULUS VII.

De impedimento ligaminis.

PEr impedimentum ligaminis intelligitur vin- 66.
culum prioris matrimonij, quo durante, jure divino, invalidum est matrimonium secundum; tametsi prius non sit carnali copulâ consummatum, ut definiunt Gregorius IX. cap. penultimo de sponsalibus, Alexander III. cap. *Licet*, & Innocentius III. cap. *Finali*, de sponsa duorum. Ubi Pontifex corrigit abusum, qui in civitate Mutinensi invaluerat, ut si quis aliquam per verba de præsenti desponsasset, & ante carnalem copulam, cum alia contraxisset, ea sibi in uxorem adjudicanda foret, quam primò cognovisset.

Hoc impedimentum constat ex dictis disp. 1. 67.
art. 3. & disp. 5. art. 1. ubi ostendimus, poligamiam, & repudium, esse à Christo in lege Evangelica sublata, & ut matrimonio in sua prima institutione adversa, prohibita; atque monagamiam, & conjugij indissolubilitatem, ab ipso fuisse restitutam. Unde Augustinus lib. 1. de nuptiis & concupiscentia: *Hujus proculdubio Sacramenti res est, ut mas & fœmina connubio copulati, quandiu vivunt, inseparabiliter perseverent, nec liceat, exceptâ causâ fornicationis, a conjuge conjugem dirimi. Cujus sacramenti tanta observatio est in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus conjugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, ut cùm filiorum procreandorum causâ, vel nubant fœminæ, vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fœcunda ducatur.*

Ex his colligitur, ob nullam mariti absentiam, 68.
etiamsi de illius morte dubitetur, posse uxorem alteri nubere, ut definit Clemens III. cap. *In præsentia*, de sponsalibus, ubi ait non posse mulieres *ad aliorum consortium canonicè convolare, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Quibus verbis significat, ne validè quidem illas posse matrimonium contrahere, donec eis certò constet de morte virorum. Unde hoc capite correctum fuit jus civile, permittens ut mulier posset alteri nubere, postquam quinquennio integro expectasset virum absentem, de cujus vita dubitatur: l. *Vxores* de divortiis; vel toto quadriennio, ut permittebat lex *Vxor*, Codice de repudiis. Nam Clemens III. nullum terminum præfigit, declaratque nullam absentiam sufficere absque certo nuntio.

Porrò per certum nuntium, unius solùm nun- 69.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tij testimonium intelligi non debet, ita ut sufficiat ad hoc ut mulier possit alteri nubere, unum tantùm mortem mariti nunciare; cùm jura dicant, vocem unius, esse vocem nullius; & cùm in nulla causa unius testimonium, etiam juramento firmatum, sufficiat ad plenam probationem faciendam, ut l. *Iurisjurandi* cap. *de testibus* statuit Constantinus Imperator, & Alexander III. cap. *Licèt de testibus*. Sed per certum nuntium intelligi debet certitudo moralis de morte mariti, quæ non ex solo unius nuntij testimonio sumi debet, sed ex aliis etiam adminiculis, quæ arbitrio judicis plenam faciant de morte conjugis probationem. Adminicula verò quibus fama, vel unius nuntij testimonium juvari potest, hæc numerantur à Sanche lib. 2. disp. 46. num. 15. & sequentibus. Longitudo absentiæ, & fama generalis de ipsius morte, in loco ubi contigisse dicitur: præsertim si locus est adeò remotus, ut aliæ probationes difficilè possint inde haberi. Si mors narratur jam pridem contigisse, & ab eo tempore nihil de illius vita auditum est. Si erat valde senex, vel infirmæ valetudinis. Vel si fuit in prælio, & diu expectatus, non est reversus. Si fuit captus ab hostibus, à quibus dicatur interemptus jam à longo tempore, sine ullo nuntio contrario, saltem à persona fide digna accepto, & similia.

70. Si verò contingat, mulierem postquam matrimonium cum secundo contraxit, certò scire proprium maritum vivere, debet abstinere à consortio alterius, ita ut neque petere, neque ei debitum reddere liceat. Si verò probabiliter dubitet eum vivere, debitum quidem petere non potest, sed tenetur illud reddere, ut definit Lucius III. Cap. *Dominus* de secundis nuptiis, ubi sic ait: *Si aliquis vel aliqua de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti; quod à se tamen noverit nullatenus exigendum.* Demum si id suspicetur sine ullo rationis fundamento, debet suspicionem deponere, & cum eo, cui de novo nupsit, ut cum verò conjuge, quoad petitionem & redditionem debiti, se gerere.

ARTICULUS VIII.

De impedimento publicæ honestatis.

71. IMpedimentum publicæ honestatis, est propinquitas quædam ex sponsalibus proveniens, introducta ab Ecclesia, quæ facit quod alter sponsus cum alterius consanguineis matrimonium contrahere non possit. Æquum enim est, & honestati congruum, ut quia in sponsalibus matrimonium inchoatur, non possit qui cum aliqua sponsalia inivit, cum illius consanguineis matrimonio copulari.

72. Statuitur hoc impedimentum cap. unico de sponsalibus in 6. cap. *Litteras*, de desponsat. impuberum, & cap. *Iuvenis*, cap. *Ad audientiam*, cap. *sponsam* de sponsalibus, & in Tridentino sess. 24. Decreto 1. de reform. matrimonij cap. 3. ubi hoc impedimentum valde restringitur, nam jure antiquo nascebatur hoc impedimentum ex quibuscunque sponsalibus, sive validis, sive non, dummodo non essent invalida ex defectu consensûs, ut patet ex cap. unico de sponsalibus in 6. ubi Bonifacius VIII. sic loquitur: *Ex sponsalibus puris* (id est non affectis conditione A suspendente) *& certis, etiam si consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, Religionis, aut aliâ quavis ratione sint nulla, dummodo non sint nulla ex defectu consensûs, oritur efficax ad impediendum & dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvenda, impedimentum justitiæ publicæ honestatis.* Tridentinum verò loco citato statuit, ut hoc impedimentum non oriatur ex sponsalibus quomodocumque invalidi: *Justitiæ* (inquit) *publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit.* Præterea cùm jure antiquo extenderetur hoc impedimentum; usque ad quartum gradum consanguinitatis inclusivè, Tridentinum statuit, illud solùm usque ad primum gradum debere extendi: *Quoniam* (inquit) *in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Unde sequitur Titium, si invalidè cum Berta sponsalia per verba de futuro contraxit, posse jam validè consanguineis Bertæ, etiam in primo gradu constitutis, nimirum matri, aut filiæ, aut sorori illius nubere. Si verò sponsalia validè contraxit cum Berta, potest validè matrimonio copulari cum omnibus consanguineis illius, iis exceptis quæ in primo gradu constitutæ sunt.

B

Porrò si sponsalia validè contracta de consensu 73.
C utriusque partis solvuntur, censentur invalida, ut declaravit sacra Congregatio Cardinalium, his verbis: *Si sponsalia solvuntur de consensu, Congregatio censuit esse invalida*, subindeque, juxta Tridentini decretum, insufficientia ad impedimentum publicæ honestatis inducendum, cùm Concilium sponsalia quacumque ratione invalida, inefficacia esse declaret ad hoc impedimentum inducendum. Similiter sponsalia sub conditione de futuro contigenti, hoc impedimentum non pariunt, ante conditionis adventum. Ex quo infert Bonifacius VIII. cap. unico de sponsalibus in 6. *Qui sponsalia cum aliqua muliere sub conditione contraxit, si postmodum ante conditionis eventum, cum aliqua prioris consanguinea, per verba contraxerit de præsenti, cum secunda remanere debebit; cùm ex sponsalibus conditionalibus ante conditionem extantem, sicut consensum non habentibus, & incertis, nulla publicæ honestatis justitia oriatur.*

D

Ex dictis colligitur, quod si Titius post spon- 74.
salia valida & absoluta cum Berta, matrimonium de præsenti contrahat cum Martha, sorore Bertæ, eamque carnaliter cognoscat, neutram in uxorem habere potest. Non quidem Bertam, propter affinitatem cum ea contractam, ratione copulæ carnalis cum ejus consanguinea. Neque Martham, propter impedimentum publicæ honestatis, ortum ex sponsalibus cum ejus consanguinea in primo gradu contractis.

E

Quærunt hîc aliqui, an ex matrimonio rato & 75.
non consummato, oriatur impedimentum affinitatis, vel publicæ honestatis?

Respondeo hoc impedimentum non pertinere propriè ad publicam honestatem, quæ solùm ex sponsalibus oritur; nec ad affinitatem perfectam & consummatam, quæ non oritur, nisi ex copula carnali, ut dicemus articulo sequenti, sed ad affinitatem quandam inchoatam & imperfectam, quæ oritur ex societate conjugali, ut docet S. Thomas hîc quæst. 55. art. 4. ad 2. his verbis: *Matrimonium affinitatem causat, non solùm ratione carnalis copulæ, sed etiam ratione societatis conjugalis,*

conjugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est. Unde & affinitas contrahitur ex ipso contractu matrimonij per verba de præsenti, ante carnalem copulam. Quare hoc impedimentum non sistit in primo gradu, sicut impedimentum publicæ honestatis, post Concilium Tridentinum, sed se extendit usque ad quartum, uti jure antiquo se extendebat impedimentum publicæ honestatis. Sic enim declaravit Pius V. anno 1568. 1 Julij, bullâ quæ incipit *Ad Romanum*, his verbis: *Nos itaque ut omnis difficultas, dubitatioque tollatur, attendentes, quod sponsaliorum appellatione, quâ Tridentinum Concilium utitur, non nisi impropriè, matrimonium verbis de præsenti conceptis contractum continetur, quodque agitur de correctione juris veteris; quo casu secundum* B *proprietatem verborum duntaxat procedendum est, præsertim cùm longè majorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præsenti contracto, quàm in sponsalibus de futuro vigere à nemine dubitetur. Idcirco motu proprio, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium declaramus, & definimus, decretum Concilij hujusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio sic, ut præfertur, contracto; sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilij introductum erat.* Hæc Pius V. qui etiam mandat, ne in alio sensu, quàm ab ipso declarato, Tri- C dentini Decretum explicetur.

ARTICULUS IX.

De impedimento affinitatis.

76. AFfinitas est conjunctio vel propinquitas orta ex copula carnali, cum commixtione seminum, inter fœminam & consanguineos viri cui copulata est; similiterque inter marem & consanguineas fœminæ, cui copulatus fuit; sive talis copula fuerit licita, sive illicita.

77. Explicatur breviter hæc definitio seu descri- D ptio. Affinitas dicitur primò *conjunctio seu propinquitas*, quia personæ quæ sunt sanguine remotæ, per affinitatem sibi invicem conjunguntur & approximantur. Ut enim ait lex *Non facile* ff. de gradibus affinitatis, per nuptias duæ diversæ cognationes inter se copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. Dicitur secundò *orta ex copula carnali*, quia licèt societas conjugalis quæ fit per matrimonium ratum & non consummatum, sufficiat ad affinitatem quandam inchoatam & imperfectam, ut articulo præcedenti ex D. Thoma ostensum est; ad affinitatem tamen perfectam & consummatam de qua in præsenti loquimur, carnalis copula & matri- E monij consummatio requiritur. Dicitur tertiò, *cum commixtione seminum*, quia ut ait idem S. Doctor hîc quæst. 55. art. 4. ad 2. *Vir & mulier efficiuntur in carnali copula una caro, per commixtionem seminum. Unde quantumcumque quis claustrum pudoris invadat, vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas.* Dicitur quartò, *sive talis copula fuerit licita, sive illicita*, quia ut docet S. Thomas ibidem art. 3. Fornicarius concubitus, inquantum aliquid de carnali conjunctione & commixtione, quæ fit in matrimonio participat, affinitatem causat, sicut licitus matrimonij concubitus.

A Sed cum duplici discrimine: Unum est, quod copula conjugalis ad hoc valet & sufficit ex sola natura rei, quippe quæ per se est fundamentum naturalis cujusdam amicitiæ inter conjugem, & consanguineos conjugis suæ: copula verò illicita affinitatem causat jure tantùm Ecclesiastico, utpotè quæ potiùs est fundamentum inimicitiæ inter fornicarium & consanguineos ejus cum qua fornicatur. Alterum est, quod affinitas orta ex copula illicita, dirimit tantùm matrimonium usque ad secundum gradum inclusivè, ex Trid. sess. 24. c. 4. de reformatione matrimonij, restringente jus antiquum, quo extendebatur usque ad quartum, ut constat ex cap. *Non debet*, de consanguinit. & affinit. Quæ verò oritur ex copula licita, id est conjugali, dirimit usque ad quartum gradum inclusivè; imò olim extendebatur hoc impedimentum usque ad septimum gradum, ut patet ex cap. 7. Causâ 35. quæst. 3, ubi Julius Papa sic loquitur: *Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris; usque ad septimum generis gradum, uxorem ducere, vel incesti maculâ copulari.* Sed hoc jus fuit restrictum ab Innocentio III. cap citato, *Non debet*, ubi restringitur affinitas orta ex copula conjugali, ad quartum gradum inclusivè.

Numerantur autem gradus affinitatis eodem 78.
modo quo in consanguinitate, hanc regulam servando: In quo gradu qui est consanguineus C mariti, in eodem gradu sit affinis uxori, & è converso. Inter ipsos autem consanguineos mariti, & consanguineos uxoris, nulla mutuò oritur affinitas, ut constat ex cap. *Quod super his*, de consang. ubi Innocentius III. sic ait: *Licèt omnes consanguinei viri, sint affines uxoris, & omnes consanguinei uxoris, viri affines; inter consanguineos tamen uxoris & viri, ex eorumdem scilicet viri & uxoris conjugio, nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos debeat matrimonium impediri.* Unde frater, nepos, pronepos uxoris, possunt matrimonium contrahere cum sorore, nepte, & pronepte viri; & è contra, frater, nepos, pronepos viri, cum sorore, nep- D te, & pronepte uxoris. Idem est de consanguineis viri & uxoris sub rectâ linea positis: privigna enim nubere potest filio vitrici, & è contra privignus filiæ novercæ.

Quod si quæras, an affinitas in aliquo gradu 79.
rectæ aut transversæ lineæ, matrimonium jure naturæ irritet? Respondeo certum esse, affinitatem in nullo gradu lineæ transversæ, dirimere matrimonium jure naturæ. Constat hoc ex Scriptura, Genesis enim 29. Jacob duxit duas sorores Rachelem & Liam. Genesis 38. ex voluntate Judæ Thamar nupsit successivè duobus fratribus. Et in lege Mosaïca poterat fratris relictam sine prole uxorem ducere, quod non fuisset licitum, si juri naturæ hoc adversaretur. Demum Levit. 18. non solùm non prohibetur conjugium cum sorore uxoris defunctæ, sed etiam per ista verba, *Nec revelabit turpitudinem ejus, adhuc illâ vivente*, significatur mortuâ uxore esse licitum.

Confirmatur: Pontifex non potest dispensare 80.
in his quæ juri naturali adversantur: At sæpè dispensavit in primo gradu affinitatis lineæ transversæ; nam Martinus V. dispensavit cum viro nobili, qui cum affine collaterali in primo gradu contraxerat, ut ex Archidiacono refert Sylvester, verbo *Papa*. Alexander VI. dispensavit cum Henrico VIII. Rege Angliæ, ut duceret Catharinam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Catharinam uxorem fratris sui Arturi demortui. Quam dispensationem Clemens VII. consultis Theologis & Canonistis ex totius ferè Europæ Academiis, licitam ac validam declaravit, teste Alphonso de Castro de potest.legis pœnal.lib. 1. cap. 12. Demum non ita pridem Innocentius X. dispensavit cum Casimiro Poloniæ Rege, ut Mariam Gonzagam, Mantuæ Principem, uxorem fratris sui demortui, matrimonio sibi copularet. Et rursus idem Pontifex cum Senatore Burdigalensi anno 1651. dispensavit, ut duas alterius Senatoris Burdigalensis sorores successivè uxores haberet, fuitque ad me transmissum Breve dispensationis, per R. P. Joannem Aycard, Ordinis nostri, tunc Romæ apud S. Mariam Majorem Pœnitentiarium, postea verò Inquisitorem Avenionensem; licèt talis dispensatio non fuerit executioni mandata: Ergo matrimonium in primo gradu affinitatis transversæ lineæ, non est jure naturæ irritum.

81. Quantùm verò ad primum gradum affinitatis lineæ rectæ, multi non improbabiliter existimant, irritari jure naturæ matrimonia inter affines in tali gradu, id est inter privignum & novercam, privignam & vitricum, socerum & nurum, socrum & generum: Tum quia(inquiunt) talia matrimonia à nulla gente fuerunt unquam admissa, sed semper ut naturæ adversa reprobata. Unde Apostolus 1. ad Corinth. 5. concubitum privigni cum noverca, appellat fornicationem, C *qualis nec inter gentes auditur*. Tum etiam, quia hactenus Ecclesia non dispensavit unquam in illo gradu affinitatis, licèt pluries, ut vidimus, in primo gradu affinitatis lineæ transversæ dispensaverit.

82. Probabilior tamen videtur sententia quæ docet, ne primum quidem gradum affinitatis in linea recta dirimere matrimonium jure naturali, posseque super eo dispensari, sed non nisi ex gravissima causa, propter indecentiam quæ alioquin apparet in tali matrimonio, præsertim inter novercam & privignum. Ita docent Cajetanus 2.2. quæst. 154. art. 9. circa solutionem tertij, Abulensis super cap. 8. primi Regum, Petrus de Ledesma, Henriquez, Emanuel Sa, Rebellus, Pontius, Amicus, & plures alij, quos refert & sequitur Sanchez lib. 7. disp. 66. Idque planè supponunt canon 61. Concilij Agathensis, & canon 30. Epaunensis, ubi prohibetur quidem matrimonium privigni cum noverca, sed tamen additur, ut si ante prohibitionem contractum fuerit non dissolvatur. Idemque statuitur ibi, & iisdem verbis, de matrimonio cum relicta fratris vel avunculi, quod ferè omnes fatentur non esse irritum jure naturæ.

83. Potestque id confirmari ex Concilio Aurelianensi 3. can. 19. ubi sic statuitur: *De incestis conjunctionibus ita quæ sunt serventur, ut hi qui* E *aut modò ad Baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta sacerdotali prædicatione antea in notitiam non venerunt, ita pro novitate conversionis ac fidei suæ credimus consulendum, ut contracta hucusque hujusmodi conjugia non solvantur, sed in futurum, quod de incestis conjunctionibus in anterioribus canonibus interdictum est, observetur: id est, ut ne quis sibi sub conjugij nomine sociare præsumat relictam patris, filiam uxoris, sobrinam, consobrinam, vel relictam avunculi vel patrui.* Quibus verbis, cùm statuat ut non solvantur ante baptismum matrimonia in gradibus illis affinitatis contracta, illa fuisse valida apertè significat.

A Nec obstant quæ in favorem adversæ sententiæ adduximus, nam falsum est, matrimonia inter affines in primo gradu lineæ rectæ, nunquam fuisse apud Gentiles admissa, Rex enim Seleucus, teste Valerio Maximo, lib. 5. cap. 7. suam uxorem Stratonicam cessit proprio filio Antiocho, ex alia uxore genito, nec factum reprehendit Valerius. Et quamvis talia matrimonia non sint communiter apud Gentiles admissa, non ducitur certum argumentum ea esse jure naturæ irrita; ideò enim rarissimè fiunt, quia in illis quædam apparet indecentia, non verò ex eo quod sint legi naturali adversa. 84.

B Ad locum verò Apostoli, concubitum privigni cum noverca fornicationem appellantis, *qualis nec inter gentes auditur*, respondeo Paulum loqui de eo qui vivente patre uxorem ejus acceperat, & quidem etiam ipso invito, ut D. Anselmus & S. Thomas ibidem docent, & colligunt ex verbis illis ejusdem Apostoli, 2. Corinth. 7. *Scripsi vobis non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est*, &c. 85.

Quod autem nusquam legatur, Pontifices in eo dispensasse, argumentum est merè negativum, nullam in præsenti materia vim habens; cùm enim, ut dicebamus, in matrimoniis illis indecentia quædam appareat, non mirum quod nullus ex Catholicis ea inire unquam tentaverit, nec à Sede Apostolica dispensationem postulaverit.

C Ad perfectam hujus impedimenti intelligentiam, observandum est, affinitatem dirimere duntaxat matrimonium postea contractum, si enim superveniat matrimonio jam contracto, ut fit interdum per copulam illicitam cum consanguineis conjugis in primo vel secundo gradu, per eam non dirimitur matrimonium, sed duntaxat usus illius impeditur; quatenus ille qui copulam incestuosam habuit, privatur jure petendi debitum conjugale (nisi præhabitâ dispensatione, quam Episcopus dare potest) tametsi non privetur facultate reddendi, ne pars innocens puniatur ob delictum alterius. Præterea privatur etiam spe ineundi aliud conjugium, si uxori superstes sit, D ut declaravimus disp. præcedenti art. 2. explicando impedimenta ex crimine provenientia, quæ impediunt matrimonium contrahendum. 86.

ARTICULUS X.

De impedimentis impotentiæ, clandestinitatis, & raptûs.

SObriè ac breviter de impedimento impotentiæ agemus, quia plura quæ circa illud occurrunt, vix honestè detegi & explicari possunt, magisque ad Medicos quàm ad Theologos spectare videntur. Docent ergo communiter Theologi, quod si impotentia ad actum matrimonij perpetua sit, id est sine miraculo, vel probabili vitæ periculo tolli non possit, & præcedat matrimonium, ipsum omnino dirimit, idque etiam jure naturæ, quandoquidem ex jure naturæ nemo potest se obligare ad impossibile; secùs verò si ei superveniat. Quod si impotentia sit tantùm temporalis, id est sine miraculo, aut probabili vitæ periculo, tolli possit, matrimonium non dirimit. In dubio autem an impotentia præcesserit, an non, judicandum est præcessisse, si provenit ab intrinseco; secutam verò esse, si ex maleficio, aliave causa extrinseca oriatur. Quia quòd à natura inest, 87.

est, semper esse præsumitur, non autem quod advenit ab extrinseco, nisi oppositum probetur. Ad experiendum verò, an impotentia sit perpetua vel temporalis, datur conjugibus à jure triennium, quo elapso sine fructu, censetur impedimentum perpetuum, & matrimonium dissolvi potest, seu declarari invalidum.

Docent etiam, impotentiam esse duplicem, unam absolutam, quæ est respectu omnium; alteram respectivam, quæ est tantùm respectu alicujus; primamque esse impedimentum dirimens, respectu cujuscumque, id est impediens ne validè cum quacumque vel quocumque contrahatur; alteram verò dirimere quidem matrimonium respectu illius personæ ad quam est, non autem respectu aliarum.

B Ad impotentiam autem reducitur ætatis defectus, si quis enim ante pubertatis annos, nempè mas ante decimum quartum, & fœmina ante duodecimum ætatis annum expletum, contrahat, matrimonium nullum est, saltem Ecclesiastico jure, nisi fortè propinquo legitimæ ætatis termino, malitia suppleat ætatem.

88. Præter hæc decem impedimenta matrimonium dirimentia, alia duo fuere addita à Tridentino nempè clandestinitas, & raptus. Nam sess. 24. Decreto de reformat. matrimonij cap. 1. decernit ut deinceps non possit validè contrahi matrimonium, nisi præsente Parocho, vel de ejus licentia, alio Sacerdote, cum duobus aut tribus testibus. De quo fusè disp. 4. art. 3. agendo de consensu clandestino. Item cap. 6. in raptores sequens decretum edidit: *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor, mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decemer arbitrio judicis dotare.* Plura de raptu diximus disp. præcedenti art. 2. Unde de impedimentis D matrimonij nihil aliud hîc occurrit dicendum.

89. Quantùm verò ad potestatem dispensandi in illis, dico breviter, Summum Pontificem validè dispensare posse in impedimentis omnibus, quæ jure Ecclesiastico matrimonium dirimunt, secùs verò in illis quæ jure naturali, vel divino, illud dissolvunt. Episcopus autem non potest ordinariè in impedimentis matrimonij jure positivo dirimentibus dispensare, cùm hæc impedimenta, vel à Summis Pontificibus, vel à Conciliis generalibus inducta fuerint. Quia tamen leges humanæ moraliter tantùm obligant, id est quantùm fieri potest sine gravi scandalo aut detrimento, & dari potest casus in quo maximum detri- E mentum aut scandalum oriretur, si recurrendum esset ad Summum Pontificem, ideò potest in tali casu Episcopus dispensare, ex benigna reservationis interpretatione.

90. Plures hîc agunt de debito conjugali, & modis quibus peccant conjuges in usu matrimonij, de quo lato ac pingui calamo disserit Sanchez toto libro 9. per quadraginta septem disputationes. Verùm quia in hac materia plurima sunt morbis illis similia, quos à Medicis quidem non ignorari necessarium est, sed tamen parùm honestè

A detegi & explicari possunt, ab his in præsenti abstinendum esse, puritati ac modestiæ religiosæ consentaneum existimavi. Unde placet solùm hîc transcribere præclara Clementis Alexandrini lib. 2. Pædag. cap. 10. verba, quibus admonentur conjuges honestatis servandæ in usu conjugij. *Quibus* (inquit) *uxores ducere concessum est, iis pædagogo opus est, ut non interdiu naturæ mystica celebrentur orgia, nec ex Ecclesia v.g. aut ex foro mane rediens, galli more coeat, quando orationis & lectionis & efficacium quæ interdum fiunt operum tempus est. Vesperè autem oportet post convivium quiescere, & post gratiarum actionem quæ fit Deo pro bonis quæ accepimus. Non semper autem concedit tempus natura, ut peragatur congressus matrimonij, est enim conjunctio eò desiderabilior, quò diuturnior. Neque verò noctu tanquam in tenebris se immodestè & intemperanter gerendum est, sed verecundia tanquam lux rationis in animo est includenda. Nihil enim à Penelope telam texente differemus, si interdiu quidem texamus dogmata temperantiæ, noctu autem ea retexamus, cùm in cubile venerimus. Si enim honestatem oportet exercere, multò magis uxori tuæ ostendenda est, inhonestas vitando conjunctiones, & quod castè versetis cum proximis, fide dignum è domo adsit testimonium. Non est enim aliquid honestum apud eam reputandum, apud quam non est testata ac probata honestas in acribus illis voluptatibus. Benevolentia autem, quæ fatetur se ferri præcipitem ad congressio-* C *nem, exiguo floret tempore, & cum corpore consenescit, nonnunquam autem etiam præsenescit, flacescente jam libidine, quando matrimonialem moderationem ac temperantiam, meretriciæ voluptates injuriâ affecerint. Amantium enim corda sunt volucria, amorisque irritamenta extinguntur sapè pœnitentiâ; amorque sapè vertitur in odium, quando reprehensionem senserit satietas. Impudentium verò verborum, & turpium figurarum, meretriciorumque osculorum, & hujusmodi lasciviarum nomina, ne sunt quidem memoriæ tenenda, beatum sequentibus Apostolum, qui apertè dicit: Fornicatio autem & omnis immunditia, vel plura habendi cupiditas, ne nominetur quidem in vobis, sicut decet sanctos. Rectè ergo dixisse videtur quispiam: Nulli quidem profuit coitus, benè autem cum eo agitur, si non etiam laserit.*

Addam quæ scribit Augustinus in libro de 91.
bono conjugali: *Concubitus* (inquit) *necessarius causâ generandi, inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille autem qui ultra necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur.* Et rursus: *Reddere debitum conjugale, nullius est criminis: exigere autem ultra necessitatem generandi culpæ venialis.* Unde Gregorius Magnus de cura pastorali part. 3. admonitione 28. *Admonendi sunt conjuges* (inquit) *ut suscipiendæ prolis se meminerint causâ conjunctos, & cùm immoderatæ admixtioni servientes, propagationis articulum, in usum transferunt voluptatis, perpendant quod licèt extra non exeant, in ipso tamen conjugio, conjugij jura transcendunt. Unde necesse est, ut crebris exhortationibus moneantur, ut desleant quod pulchram copulæ speciem, admixtis voluptatibus fœdant.*

Dices, actus conjugij licitè & absque ulla 92.
culpa exerceri potest, ad vitandam fornicationem; unde matrimonium dicitur esse institutum in remedium concupiscentiæ: Ergo potest, fieri etiam absque veniali culpa, quamvis filiorum generatio non intendatur.

Respondeo

Universidad de Deusto
Biblioteca

92. Respondeo ex D. Thoma in 4. dist. 31. qu. 2. art. 2. ad 2. *Si aliquis per actum matrimonij intendat vitare fornicationem in conjuge, non est aliquod peccatum, quia hoc est quædam redditio debiti, quod ad bonum fidei (matrimonij) pertinet. Sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas, & secundùm hoc est peccatum veniale: nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundùm indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.* Idem docet S. Bonaventura ibidem num. 24. his verbis: *Dicendum quod qui coit causâ fornicationis vitandæ: aut hoc est in se, aut in altero. Si in altero, ut reddat debitum, hoc est puræ justitiæ, hoc est fidei, & est de bonis matrimonij, rectè ideò omnino à culpa excusatur: Qui verò coit causâ fornicationis vitandæ in se, in hoc semper peccat venialiter.* Ex quo intelliges, verissimum esse quod ait Augustinus in libro de bono conjugali: *Hoc tam magnum est, ut multi* B *hodie faciliùs se totâ vitâ ab omni concubitu abstineant, quam modum teneant non coeundi, nisi prolis causâ, si matrimonio copulentur.*

93. D. Thomas quæst. 65. supplementi agit de pluralitate uxorum, quæst. 66. de bigamia, & quæst. 67. de libello repudij. Verùm quia de his, vel superioribus disputationibus, vel in Tractatu de Ordine, fusè disserui, Tractatui de matrimonio, totique Theologiæ nostræ finem imponam, verbis illis quæ scribit Augustinus in Procœmio libri 3. de Trinitate: *In omnibus litteris meis, non solùm pium Lectorem, sed etiam liberum correctorem desidero. Veruntamen Lectorem sicut meum nolo mihi esse deditum, ita correctorem nolo sibi. Ille me non amet amplius, quàm Catholicam fidem: iste* A *se non amet amplius, quàm Catholicam veritatem. Sicut illi dico, noli meis litteris quasi Canonicis inservire; ita isti dico, noli meas litteras ex tua opinione, vel contentione, sed ex divina lectione, vel inconcussa ratione corrigere.*

Omnia verò scripta, vel scribenda, Romanæ Ecclesiæ Censuræ humiliter subjicio, cujus & protectionem, ubi contra inimicos Dei pugnavero; correctionem, ubi erravero; approbationem, ubi rectè sensero, enixè postulo & totis votis. Quidquid ab illa præscriptum fuerit, hoc teneo; quidquid improbatum, improbo; damnatum, damno; anathematizatum, anathematizo. Hæc est columna & firmamentum veritatis, errorum expultrix, hæresum domatrix, Apostolicæ Traditionis custos, bonorum morum magistra, & vera, ac viva, incorruptaque fidei regula. Hæc denique navis illa Petri, quæ perire non potest, & de qua Christus, verus & unicus magister noster, turbas docuisse dicitur; mysticè nobis insinuans, quod apud Romanam Ecclesiam totius Christianæ doctrinæ authoritas & magisterium remaneret. Quicumque ergo aliquid ab Ecclesiæ Romanæ doctrina dissonum sentit, haud dubiè errat. Qui cum Romano Pontifice, Petri successore & Christi Vicario, non colligit, spargit. Demum, ut Hieronymi verbis ad Damasum utar, & huic operi finem imponam: *Ego nullum primum nisi Christum sequens,* Ep. 57. *Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in hac arca Noë non fuerit, peribit, regnante diluvio.*

Finis Tomi V. Clypei Theologiæ Thomisticæ.



INDEX RERUM ET MATERIARUM, QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

Littera T. Tomum indicat, littera p. paginam littera n. numerum.

A

Abraham.

ABRAHAM non fuit mentitus, cùm dixit Saram esse sororem suam, quia soror erat ex parte patris, quamvis non ex parte matris, ut dicitur Genes. 20. Non quòd fuerit genita ex eodem patre proximo, etsi non ex proxima matre, quasi fuisset soror germana, sed non uterina; ut quidam existimant; sed quia nata erat ex eodem patre, scilicet Thare, mediante filio ejus Aram patre Saræ. Tom 3. pag. 247. num. 20.

Abraham non peccavit, cùm filium Isaac immolare voluit, quia Deus tanquam supremus dominus vitæ & necis omnium, dedit ei jus in vitam innocentis, vel eo tanquam ministro & executore uti voluit. Tom. 3. pag. 526. num. 72.

Abrahæ devotio eleganter describitur à D. Ambrosio. Tom. 4. pag. 374. n. 4.

Aborsus.

Aborsum procurare ante animationem fœtûs censetur homicidium, & ad illud reductivè pertinet, quia per illum futuri hominis nativitas impeditur. Unde Tertullianus in Apologetico cap. 9. *Nobis homicidio semel interdicto, etiam conceptum in utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet. Homicidij festinatio est prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, aut nascentem disturbet: homo est & qui est futurus, & fructus omnis jam in semine est.* Tom. 3. in dissertatione de probabilit. pag 286. n. 117.

Absolutio.

Hæc sola verba, *Absolvo te*, sunt essentialia absolutioni. Tom. 5. pag. 452. n. 2.

Forma absolutionis deprecatoriè prolata, valida non est. Ibidem p. 454. n. 16.

Non potest dari scripto, vel absenti. Ibid. 458. num. 48.

Sententia adversa damnata fuit à Clemente VIII. Ibid. p. 459. n. 54

Potest impendi moribundo, qui in absentia Sacerdotis signa contritionis exhibuit. Ibid. p. 463. n. 74

Abstinentia.

Abstinentia est species temperantiæ, & virtus cupiditates & delectationes esculentorum inordinatas refrænans, & in ciborum usu debitam moderationem constituens. Unde proprius ejus actus est subtractio ciborum, secundùm rationem regulatæ, & in eo consistens, quod homo à cibis abstineat prout oportet, pro congruentia hominum cum quibus vivit, & pro valetudinis suæ necessitate. Tom. 4. p. 285. n. 7.

Accidentia Eucharistica.

Accidentia Eucharistica sunt sine subjecto substantiali. Quod esse possibile declaratur ex doctrina D. Basilij docentis primâ die creatam esse lucem per se subsistentem, & ab omni subjecto separatam. Tom. 5. p. 273. n. 2.

Quantitas panis & vini est aliorum accidentium subjectum. Ibidem p. 275. n. 16.

Ei divinitùs communicatur modus existendi per se, ratione cujus subsistit independenter à subjecto. Ibidem n. 17.

Actus liber Dei.

Vide Decretum Dei.

Actus Humanus.

Quæ sit differentia inter actiones hominis, & actiones humanas? Tom. 3. p. 4. n. 10.

Actus humani alij sunt eliciti, alij imperati. Ibidem p. 5. n. 13.

Prima intellectûs cogitatio, & motus voluntatis indeliberati, non sunt simpliciter & absolutè actus humani, sed causaliter tantùm & initiativè, quatenus sunt initium humanæ deliberationis. Ibidem n. 15.

Quadruplicis generis actiones in homine possunt distingui. Ibidem p. 6. n. 20.

Actus indifferens.

Dantur actus indifferentes secundùm speciem, non tamen in individuo. Tom. 3. p. 237. n. 4. & p. 238. n. 13.

Poeta Ethnicus, multis Theologis æquior, damnat indifferentiam actuum singularium, hoc aureo versu: *Ni ratio jubeat, digitum exere, peccas.* Ibidem p. 240. n. 21. in fine.

Actus otiosus.

Omnis actio, quæ ad finem honestum non ordinatur, est otiosa, subindeque mala moraliter. Ibid. p. 240. n. 22.

Si de verbis otiosis redditur ratio, quantò magis de operibus? Ibidem.

D. Bernardus piè & eleganter declarat, quàm gravis, perniciosa, & culpabilis sit jactura temporis, quod in verbis & operibus otiosis impenditur. Ibidem n. 24.

Adam.

Adam fuit creatus à Deo perfectus secundùm æta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem, & quantùm ad molem seu magnitudinem corporis. Tom. 2. p. 465. n. 11.
Fuit productus extra paradisum terrestrem, & ut plures Hebræorum volunt, in agro Damasceno formatus fuit ex *Adamah*, hoc est terra rubra, qualis est terra nondum elaborata, quæ vulgo terra virgo dicitur. Ibidem n. 12.
In gratia fuit conditus, & omnibus virtutibus tam moralibus quàm Theologicis ornatus. Ibidem 468. & 469. n. 25. & 29.
Habuit in sua creatione tantam scientiæ plenitudinem, ut mortales omnes, Christo solo excepto, cognitionis amplitudine & certitudine superaverit. Ibidem n. 32.
Non cognovit tamen futura contingentia, nec secreta cordium, nec omnia individua cujusllibet speciei. Ibidem p. 470. n. 36.
Habuit dominium supra omnia animalia & corporea. n. 39.
Antequam peccaret, errare aut decipi non poterat, nec peccare venialiter, priùs quam peccaret mortaliter. Ibidem n. 42. & 48.
Habuit potentiam non moriendi, si legem sibi præscriptam servasset, & ab omni ægritudine, dolore, & tristitia, in statu innocentiæ fuit immunis. Ibid pag. 472. n. 49. & 57.
Primum ejus peccatum fuit superbia, quod tamen præter superbiæ malitiam, inobedientiæ & gulæ habuit deformitatem. Ibidem pag. 493. n. 2. & 6.
Fuit gravissimum, si attendantur circunstantiæ ejus, & damna ex eo secuta. p. 495. n. 11.
Per pœnitentiam peccati sui veniam consecutus est, & in gratiam Dei restitutus. Ibid. p. 504. n. 2
Deus Adæ & uxori ejus, fecit tunicas pelliceas, ut eo vestitu indicaret eis, quod nuditatem animæ suæ à peccato causatam, obtegere deberent per virtutem pœnitentiæ seu mortificationis, quæ idoneum peccatorum integumentum est. Ibidem n. 4.

Adjuratio.

Adjuratio est actus externus religionis, qui fit, cùm aliquem ad quippiam faciendum vel omittendum attestamur per Deum ipsum, ut ejus amor, timor, vel reverentia ipsum promoveat ad id præstandum, vel omittendum. Differt à juramento, quia juramentum usurpamus ad nos ipsos obligandos, vel ad aliquid confirmandum per Dei veracitatem & authoritatem. Adjuramus autem, ut alium obligemus aut adigamus ad aliquid faciendum, vel omittendum, propter reverentiam aut errorem divinæ majestatis. Tom. 4. pag. 379. n. 25.

Adoratio.

Adoratio est actus externus Religionis, qui definiri potest: *Honor externo corporis gestu Deo exhibitus.* Tom. 4. pag. 376. n. 10.
Obligatio colendi Deum externâ adoratione, est de jure naturæ; cùm enim ex duplici natura compositi simus, intellectuali scilicet & sensibili, duplicem adorationem Deo offerre tenemur, nimirum spiritualem, quæ consistit in interiori mentis devotione; & corporalem, quæ in exteriori corporis humiliatione sita est. Ibidem.

Adoptio.

Adoptio à Theologis & Jurisperitis definitur: *Gratuita assumptio personæ extraneæ ad alterius hæreditatem.* Tom. 4. pag. 100. n. 105.
Deus homines justos in filios adoptat. Ibidem numer. 106. ubi egregia SS. Patrum testimonia referuntur.
Forma quæ dat homini esse filium Dei adoptivum, seu quæ hujusmodi filiationem fundat, nec est divinitas Spiritus Sancti nobis unita, nec habitus charitatis, sed gratia habitualis, quæ est divinæ naturæ participatio. Ibid. p. 101. n. 109.
Adoptio humana supponit in persona adoptanda naturam ejusdem speciei, & proportionatam cum hæreditate adoptantis; non verò adoptio divina, quia Deus hominem quem adoptat, idoneum facit per gratiæ munus ad hæreditatem cœlestem percipiendam. Ibid. p. 105. n. 140.
Adoptare creaturam rationalem in filium, non est proprium alicui ex personis divinis, sed commune tribus, quamvis per appropriationem Filio, ut exemplari; & Patri æterno, ut authori attribuatur; & Spiritui Sancto, ut infundenti gratiam, per quam adoptamur & assimilamur Deo. Ibid. p. 106. n. 143.
Adoptatus in Filium Dei debet cum summo studio & pietate orare, & patienter promissam hæreditatem sperare. Ibidem p. 107. n. 49. in fine.

Advocatus.

Advocatus, si scienter injustam causam defendat, graviter peccat, & ad restitutionem tenetur ejus damni, quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit. Tom. 3. in dissertatione de probabilitate. pag. 280. n. 89.
Ibidem etiam refertur formula juramenti, quod emittere jubentur jure Cæsareo omnes causarum patroni seu Advocati.

Adulatio, seu Adulator.

Quisquis malè agentibus adulatur, pulvillum seu cervical sub eorum capite ponit, ut molliùs in suis vitiis & peccatis dormitent ac quiescant, quod reprobatur à Domino per Propheram dicentem: *Væ qui consuunt pulvillos sub omni capite manûs, & faciunt cervicalia sub capite universæ terræ ad capiendas animas.* Tom. 3. in dissertatione de probabilitate. pag. 270. n. 52. ubi egregium D. Gregorij magni, testimonium refertur.

Adulterium.

Adulterium peccatum gravissimum est, quia destruit triplex matrimonij bonum, nempè fidem conjugalem, certitudinem prolis, & significationem sacramenti. Tom. 5.
Copula cum conjugata, etiam, consentiente marito, adulterium est. Ibidem n. 10. Refertur ibidem n. 14. egregia historia, quæ sub Constantij temporibus Antiochiæ accidit, & describitur à D. Augustino lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 16. De hoc etiam fusè disseritur in Tractactu de probabilitate. p. 286. n. 120.

Æqualitas divinarum personarum.

Personæ divinæ sunt perfectissimè inter se æquales, ideoque Psalm. 109. Filius sedere dicitur à dextris Patris, & in fine ejusdem psalmi, è contra Pater describitur ut sedens ad dexteram Filij, subditur enim, *Dominus à dextris tuis:* non quòd Personæ Divinæ mutent sedes, & modò Filius ad dexteram Patris, modò Pater ad dexteram Filij sedeat, sed ut designetur nullam inter illos esse graduum aut dignitatum distinctionem, sed perfectissimam in gloria, majestate, potentia, & perfectione inveniri æqualitatem. Tomo 2. pag. 250. numero 1.
Relatio æqualitatis inter divinas personas non est realis, sed rationis. Ibidem p. 251. n. 11.
In personis Divinis non datur relatio realis æqualitatis fundata in proprietatibus personalibus & virtualiter distincta à relationibus originis. Ibidem p. 255. n. 44.
Personæ Divinæ sunt æquales non solùm in magnitudine & perfectione, sed etiam in æternitate & duratione. Unde Filius, *Splendor Patris*, in Scriptura appellatur, ut Patri coæternus ostendatur, sicut splendor est coævus luci, ut eleganter expendit Ambrosius. Ibid. p. 25. n. 47.

Æternitas.

Æternitas rectè definitur à Boëtio: *Interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Est essentialiter duratio, & habet rationem mensuræ respectu esse divini, non quidem formaliter, sed tantùm virtualiter. Tom. 1. p. 108. n. 141. 142. 144
Triplex est divinæ æternitatis radix. Ibid. n. 139.
Omnia futura contingentia sunt præsentia realiter & physicè divinæ æternitati, non per anticipatam illorum productionem in æternitate, distinctam ab illa quâ producuntur in tempore, nec per coextensionem ipsius rei temporalis ad totam æternitatem, sed per coextensionem ipsius æternitatis ad illam differentiam temporis, in qua futura contingentia aliquando existent, & fient præsentia. Ibid. p. 262. per totam.
Hanc realem & physicam futurorum contingentium in æternitate præsentiam, passim docent SS. Patres, præsertim D. Thomas, qui rectè comparat æternitatem centro; sicut enim centrum, quamvis indivisibile, adest tamen cuique puncto opposito in circumferentia, & omnibus lineis ab eadem circumferentia ad centrum deductis. Ita æternitas, quamvis indivisibilis, & tota simul, adest omnibus rebus temporalibus, fluentibus, & successivis. Docet etiam, quod Deus se habet in ordine ad præterita & futura, sicut existens in alta specula, ex qua intuetur totam viam, & omnes in ea transeuntes. Ibid. p. 263. n. 212. & seq. & p. 265. n. 224.
Realis & physica futurorum contingentium in æternitate præsentia, necessariò requiritur, ut Deus habeat invariabilem de illis notitiam, & ut cognitio divina ad illa terminata, obtineat rationem intuitionis. Ibidem p. 272. n. 260.
Si tamen per impossibile futura contingentia in æternitate Deo realiter non coexisterent, ea in suo decreto efficaci & immutabili certò cognosceret. Ibid. p. 276. n. 294.

Ævum.

Ævum est mensura, quâ duratio substantiæ incorruptibilis, ejusque actiones naturales & necessariæ mensurantur. Tom. 2. p. 328. n. 1.
Ævum, quamvis sit indivisibile & totum simul, cùm tamen sit finitum, non coexistit rebus temporalibus, nisi quando actu sunt, & earum transitum & adventum expectare debet, ut ea continere & mensurare possit. In quo differt ab æternitate, quæ cùm sit infinita & indivisibilis, ambit & continet omnia præsentia, præterita, & futura, in uno nunc indivisibili, & ut loquitur D. Bernard. serm. 80. in Cant. *Tempora sub ea transeunt, non ei: futura non expectat præterita non recogitat, præsentia non experitur.* Ibid. n. 4.
Ævum strictè sumptum, pro duratione maximè regulari & uniformi, durationem cujuscumque substantiæ incorruptibilis mensurante, est unicum tantùm, quod nec in Lucifero, nec in anima Christi, sed in supremo Angelo residet. Ibid. p. 329. n. 8.

Affinitas.

Affinitas est conjunctio, vel propinquitas, orta ex copula carnali. Certum est, eam in nullo gradu lineæ transversæ dirimere matrimonium jure naturæ, imò probabilior videtur sententia, quæ docet, ne primum quidem gradum affinitatis in linea recta dirimere matrimonium jure naturali, subindeque super eo posse dispensari. Tom. 5. p. 633.

Alleluia.

Alleluia idem significat, ac *laudate Deum*, componitur enim ex verbo Hebraïco *Hallelu*, hoc est laudate, & nomine *Iah*, hoc est Deum. Tom. 1. p. 186. n. 11.

Amicitia.

Quatuor ad veram & perfectam amicitiam conditiones requiruntur. Tom. 4. p. 343. n. 3. Inter Deum & homines vera amicitia dari potest. Ibidem, ubi varia & egregia SS. Patrum testimonia referuntur.

Amor.

Amor ex Dionysio est virtus unitiva, quæ superiores cum inferioribus, inferiores cum superioribus, quodammodo adæquat, ut parili societate jungantur. Tom. 4. p. 344. n. 7.
Amor est ignea catena, flammeusque nexus, quo amantium corda inter se copulantur. Vel ut ait Augustinus, est vitta coccinea duo copulans vel copulare appetens, amantem scilicet & amatum. Tom. 2. p. 230. n. 110
Amor triplicem includit unionem; unam, quam supponit; aliam, in qua consistit; alteram, quam efficit, vel exoptat. Tom. 2. p. 131. n. 130.
Ficinus ait perfectissima omnia in rebus creatis esse amoris symbola, nam inter planetas Sol suo calore amoris symbolum est; inter elementa, ignis; inter metalla, aurum; & inter gemmas, carbunculus, qui est veluti carbo accensus. Tom. 3. p. 56. n. 135.
Plato dicebat: Nihil habeo in me majus, quàm quod amo; nihil melius, quàm quod amor. Ibid. num. 134
Rectus ordo est cognoscere, ut diligamus; perversus autem, diligere ut cognoscamus. Anselmus. Ibid. n. 136.
Qui Deum vero amore prosecutus fuerit, Deum inveniet, & se in Deo recuperabit, quia ad suam, per quam creatus est, redibit idæam; ubi rursus reformabitur, quia ideæ suæ perpetuò cohærebit. Ideò quisquis nostrûm in terris à Deo separatus est, non verus est homo, sed semihomo, cùm à sui idæa sit formaque disjunctus. Marcilius Ficinus in convivium Platonis. Ibid. p. 53. num. 121.
Amor in via præstat scientiæ, & ardor luci, unde ordo Seraphinorum superior est ordini Cherubinorum, quia hæc nomina Seraphim & Cherubim, non fuerunt imposita ex amore & cognitione patriæ, sed viæ. Hinc D. Bernardus serm. 3. de verbis Isaiæ alloquens Luciferum, bellissimè ait: *Bonum erat tibi, si ignifer magis esses, quàm lucifer.* Ibidem p. 56. n. 135.
Amor ex Marcilio Ficino est *nummus quo Deus emitur.* Tomo 4. tract. 10. disp. 10. art. 5.

Amor Divinus.

Deo cum proprietate competit amor, & non solùm gaudium suæ bonitatis. Tom. 1. p. 443. n. 3.
Gaudium & amor specialiter dictus distinguuntur in Deo virtualiter. Ibid. p. 445. n. 20.
Deus non amat creaturas merè possibiles. Ibidem p. 357. n. 61.
Amat Deus, nec aliunde hoc habet, sed ipse est unde amat, & ideò vehementiùs amat, quia non amorem tam habet, quàm hoc est ipse: Bern. Tom. 4. p. 347. n. 34.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Amore nitet Divinus Pater, amore ornatur æternus Filius, amore etiam pulchrescit & venustatur Spiritus Sanctus: Rupertus. Tom. 2. p. 234. n. 127. in fine.
Amor est nomen Spiritui sancto appropriatum. Ibidem p. 228. n. 104.

Angelus.

Dari Angelos Scriptura docet, ratio suadet, & experientia probat. Tom. 2. p. 266. n. 1. & seq.
Fuerunt creati in cœlo Empyreo, & ex illo mali post peccatum ad tartara detrusi, *ut ex hoc discamus*, ait Bernardus, *quod nusquam est securitas neque in cœlo neque in paradiso, multò minùs in mundo. In cœlo enim cecidit Angelus sub præsentia divinitatis, Adam in paradiso, de loco voluptatis; Iudas in mundo, de schola Salvatoris.* Ibidem pag. 271. num. 33. & seq.
Angeli non fuerunt conditi ante mundum corporeum, sed in ipso mundi corporei initio, seu prima die creationis. Ibid. pag. 269. num. 18. & seq.
Angeli sunt omnino incorporei & immateriales, quamvis plures ex SS. Patribus olim aliter senserint; imò aliqui existimarint, primum peccatum Angelorum fuisse impuram illam commixtionem cum filiabus hominum, de qua fit mentio Gen. 2. Ibidem p. 272. n. 1. & seq.
Maxima est ac prope modum stupenda Angelorum multitudo, & numerum specierum materialium excedit. Ibid. p. 277. n. 30. & seq.
Omnes Angeli specie inter se differunt, imò implicat eos intra eandem speciem multiplicari. Ibidem p. 280. n. 43. & seq.
Ex natura sua sunt immortales & incorruptibiles, subindeque immutabiles secundùm esse, licèt sint mutabiles quantùm ad intellectum & voluntatem, & quoad operationem & locum. Unde Isaïæ 6. Seraphini describuntur stantes simul & volantes, quia in statione eorum immobilitas, in volatu verò mutabilitas designatur. Ibid. p. 286. n. 87. & seq.
Angeli nudis pedibus & alati in sacris paginis depinguntur, ut eorum ad parendum celeritas demonstretur. Ibidem p. 290. n. 107.
Dionysius cap. 5. de divin. nomin. ait Angelos in vestibulo collocatos esse supersubstantialis Trinitatis, quia propiùs quàm cæteræ omnes creaturæ ad Deum accedunt, non dignitate gratiæ, sed perfectione naturæ. Ibidem n. 106.
Nazianzenus, ejusque Commentator Nicetas, cœlestes illos spiritus sic describunt: Angeli sunt primi luminis æterni radij, primique splendoris administri, supernæ gloriæ spectatores, & testes; supercœlestes & purissimæ naturæ, ad malum immobiles, vel certè non facilè mobiles, perpetuos choros circa principem illam causam agitantes, purissimo splendore illinc perfusæ, & à summa illa pulchritudine adeò informatæ, ut ipsæ quoque alia lumina efficiantur, ac per primi luminis influxiones & communicationes alios illuminare possint. Ibidem n. 107.
In Angelo magis relucet Dei similitudo, quàm in homine, unde non dicitur ad similitudinem Dei conditus, sed ipsum signaculum Dei similitudinis, ut quò subtilior est in natura, eò in illo similitudo Dei plenius credatur expressa, ut ait Gregorius lib. 32. Moral. cap. 18. Ibidem p. 291. n. 110.
Natura Angelica, licèt simpliciter ac multipliciter finita sit, est tamen infinita secundùm quid. Ibidem p. 292. n. 117. & 118.
Licèt Angeli non habeant corpora sibi naturaliter unita, ea tamen assumere possunt, sed non in eis vitæ vegetativæ aut sensitivæ opera exercere. Ibid. p. 292. n. 1. & seq.
Angelus non est in loco per suam substantiam immediatè, sed per operationem transeuntem. Unde nihil prohibet Angelos in nullo esse loco, si nullam operationem circa locum habeant. Ibid. p. 294. n. 1. & sequent.
In cœlo Empyreo lumen producunt, quo innatus ejus splendor magis perficitur, & corpus illud cœleste maximè decoratur & ornatur. Vel sicut infernus locat Dæmones, quia ut instrumentum divinæ virtutis agit in illos, eos detinendo, unde resultat in illis passio dolorifera: Sic cœlum empyreum, ut instrumentum divinæ virtutis, suaviter detinet spiritus ex qua detentione, & quasi amplexu, resultat in eis passio lætitiæ, & gaudij accidentalis. Ibid. p. 301. n. 50. & sequentibus.
Angelus non est propriè in loco, sed tantùm metaphoricè, unde ubi angelicum non est prædicamentale; nihil enim aliud est, quàm ipsa operatio Angeli, ut habet aliquam similitudinem & analogiam cum ubi corporeo. Ibidem p. 304. n. 69. & seq.
Angelus nec actu nec potentiâ est in spatiis imaginariis, aut supra cœlos, nec potest moveri localiter in vacuo. Ibid. p. 307. n. 91. & 95.
Unus Angelus non potest illabi menti alterius. Ibidem n. 96.
Angeli non sunt ubique, quoniam, ut ait Damascenus, cùm in cœlo sunt, non sunt in terra: & cùm in terram à Deo mittuntur, non manent in cœlo. Ibidem p. 308. n. 98.
Unus Angelus non potest naturaliter esse in pluribus locis suæ virtuti adæquatis, benè tamen in pluribus locis inadæquatis, inter se distantibus, etiam absque eo quod existat in medio. Ibidem p. 311. n. 109. & seq.
Potest moveri localiter motu tam continuo quàm discreto, non tamen in instanti. Pag. 315. n. 1. & seq.
Potest moveri motu discreto, non transeundo per medium. Ibid. p. 321. n. 39.
Actus liberi Angeli mensurantur tempore discreto, quod est unum tantùm, in Angelo magis ordinatè & regulariter operante existens. Ibid. p. 328. n. 5. & seq.
Intelligere Angeli non est ejus substantia, vel ejus esse. Ibid. p. 332. n. 2. & seq.
Angelus indiget speciebus ad cognoscenda alia à se, quas non accipit à rebus, sed habet à Deo infusas à primo instanti creationis; illæ tamen non sunt propriè & in rigore proprietates ipsorum. Ididem p. 333. n. 1. & seq.
Superiores Angeli per species magis universales, quàm inferiores intelligunt. Ibid. p. 344. n. 78.
Angelus seipsum cognoscit per suam essentiam tanquam per formam sive speciem intelligibilẽ; non gerit tamen substantia Angeli in cognitione sui vices speciei expressæ. p. 347. n. 1. & seq.
Angeli inferiores non comprehendunt superiores ex vi solius virtutis naturalis sui intellectûs; superveniente tamen illuminatione Angeli inferioris factæ à superiori, potest inferior imperfectè superiorem comprehendere. Ibid. p. 353. n. 39. & seq.
Angeli cognoscunt singularia per eandem speciem, per quam naturam specificam illis communem intelligunt. Ibidem p. 356. n. 59.
Non cognoscunt futura contingentia seu libera, nec

nec cogitationes cordium per vires suæ naturæ, & secluso lumine divinæ revelationis. p. 359. n. 77. & seq.
Non possunt plura per modum plurium intelligere, nec uti discursu, nec formali compositione aut divisione. Ibid. p. 367. n. 8. & seq.
Angelus seipsum & Deum ut authorem naturæ necessariò amat, etiam quoad exercitium, Ibid. p. 374. n. 2. & sequentibus.
Angeli eguerunt gratiâ, ut in Deum ut authorem supernaturalem se converterent, eamque in primo instanti creationis receperunt, per propriam dispositionem. Ibid. p. 378. n. 15. & seq.
Angeli qui in accepta justitia & sanctitate perseveraverunt, beatitudinem supernaturalem meruerunt, non tamen per opera illam subsequentia, vel per actus naturâ tantùm & causalitate priores, sed tantùm per actus eam duratione præcedentes. Ibidem p. 382. & sequenti.
Via malorum & bonorum Angelorum, triplici instanti completa fuit. Ibid. p. 385. n. 44. & seq.
Primum peccatum Angelorum, nec aliud fuit, nec esse potuit, quàm superbiæ propriè dictæ. Ibid. p. 396. n. 35. & seq.
Objectum excellens in cujus appetitione Angelus primò superbiit, nec fuit, nec esse potuit, omnimoda æqualitas cum Deo in natura, nec unio hypostatica, sed beatitudo naturalis, quam inordinatè appetiit, illam non ordinando ad finem supernaturalem. p. 401. n. 67. & seq.
Primum Angeli peccatum non provenit ex ignorantia, vel ex errore, sed solùm ex inadvertentia, seu inconsideratione. In primo instanti suæ creationis peccare non potuit. Ibid. p. 410. n. 133.
Angelus superior illuminat inferiorem, non imprimendo physicè aliquid in eo, nec uniendo suum lumen cum lumine inferioris Angeli, sed proponendo illi objectum antea ipsi incognitum, modo illi proportionato, quod est illuminationem Angelorum fieri per modum cujusdam artificiosi magisterij, ut quidam loquuntur p. 433. n. 2. & seq.
Certum est Angelos inter se loqui, seu cordium secreta & affectus in voluntate latentes, sibi mutuò patefacere. De qua locutione eleganter disserit Gregorius magnus lib. 2. Moral. cap. 2. Illa non fit per influxum physicum speciei conceptûs Angeli loquentis in intellectum ejus cui loquitur; nec per aliqua signa corporea vel spiritualia, sed per solam ordinationem seu directionem conceptuum, ut declarat Theophilactus explicans verba illa Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum*, subdit enim: *Angelis porro lingua est, vis nimirum illa, quâ sibi divinarum rerum intellectum, ac divinas cogitationes impertiunt.* Ibidem p. 441. n. 49. & seq.
Tres sunt Angelorum hierarchiæ, & novem Ordines. Angeli quatuor primorum Ordinum, nunquam mittuntur ad exteriora mysteria. Ibid. p. 447. n. 1. & seqq.
Deus per beatorum Angelorum ministeria, hunc visibilem mundum gubernat, quare Job. 9. orbem sustinere & portare dicuntur. Illis etiam hominum custodia commissa est, unde singulis hominibus singuli adsunt Angeli custodes. *Cùm ad nos veniunt* (inquit Gregorius magnus) *sic exteriùs implent ministerium, ut tamen nunquam desint interius per contemplationem: nam quacunque mittantur, intra Deum currunt.* Moventur juxta Dionysium triplici motu, circulari, recto, & obliquo. Ibidem pag. 454. numer. 46. & seqq.

Annuntiatio B. Mariæ Virginis.

D. Bernardus homil. 3. super *Missus est*, hæc verba Angeli ad B. Virginem *Dominus tecum*, expendens, sic ait; *Valde mirandum est, quomodo qui Angelum miserat ad Virginem, ab Angelo inventus est esse cum Virgine: ita ne celerior Angelo fuit Deus, ut festinantem Angelũ celerior ipse præveniret ad terras? Nec mirum, cujus nomen accelera, festina; omnibus mobilibus mobilior est sapientia, velociter currit sermo ejus. Victus es, Archangele, qui misit te, præcessit te.* Tom. 4. p. 116. num. 22.

Apollo.

Apollo Delphicus dixit Jovem ab Hebræa fœmina carnem sumpsisse, & cùm diu mutus extitisset, fateri tandem coactus est Cæsari Augusto, qui ei Hecatumbem obtulerat, ut ab eo responsum obtineret, sibi impositum fuisse silentium à puero Hebræo, qui Deus existens, cuncta pro arbitrio disponebat. Item Apollo Milesius consultus, & de Christo interrogatus, his verbis Christum commendavit: *Mortalis erat à ducibus Chaldæis armis comprehensus, clavis, fustibusque amaram mortem passus est.* Tom. 4. p. 244. num. 256.

Apollonius Tyaneus.

Apollonius Tyaneus, magus insignis, passeres loqui & eorum sermonem se intelligere asserebat. Tomo 3. pag. 12. n. 69. ubi egregia narratur hystoria.

Apostoli.

Cyrillus exponens verba illa Prophetæ, *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, dicit montes illos sanctos esse Apostolos, in quibus jacta sunt Evangelicæ veritatis fundamenta, & qui primos orientis Evangelicæ facis radios excipere meruerunt, à quibus totus mundus illuminatus est. Hi etiam sunt purissimi & plenissimi Christianæ doctrinæ fontes, de quibus Regius Vates Spiritu Prophetico dicebat: Benedicite Domino de fontibus Israël. Ubi Ambrosius: *Dicendi sunt Apostoli fontes, quia veluti fontes purissimi gratiâ prædicationis exuberant.* Tomo 4. p. 267. n. 38.
Modus admirabilis quo in mundum fides Christiana inducta & propagata est per Apostolos. Ibidem p. 240. n. 246.

Aqua.

Hoc purissimum elementum Spiritus Sanctus in ipsius mundi exordio, tanquam propriam sedem ac vehiculum assumere dignatus est, ut eleganter describit Tertullianus in libro de Baptismo. Aqua est symbolum gratiæ sanctificantis, variasque & egregias cum ea habet analogias & similitudines. Tomo 2. p. 236. n. 134. & 135. Varias habet qualitates, ob quas conveniens fuit, ut Christus eam pro materia Baptismi assumeret. Tomo 5. p. 119. n. 54. & sequentibus.

Ascensio Christi.

Christus suâ passione meruit nobis introitum regni cœlestis, & impedimentum removit; sed per suam ascensionem nos quasi in possessionem regni cœlestis introduxit, juxta illud Micheæ 4. *Ascendit pandens iter ante nos.* Tomo 3. pag. 84. numer. 7. ubi plura de Ascensione Christi.

Attributa Dei.

Hebræi attributa divina vocant *Sephirot*, quasi saphiros,

Universidad de Deusto
Biblioteca

saphiros, ad significandum, quod quemadmodum saphirus omnes colores recipit, sic Deo omnes perfectiones attribuuntur. Tomo 1. pag 74. n. 2.

Attributa divina non distiguuntur ab essentia, nec inter se entitativè, vel modaliter, alioquin realem cum illa efficerent compositionem, divinæ simplicitati repugnantem. Unde Bernardus 5. de consider. *Nisi omnia unum in Deo & cum Deo conspideres, habebis multiplicem Deum.* Et rursus: *Tam non est simplex quod vel uni fuerit obnoxium formæ, quàm nec virgo, vel uni cognita viro.* Ibidem n. 5. & 6.

Repugnat etiam divinis attributis, & naturæ divinæ simplicitati & infinitati distinctio formalis & ex natura rei, quam Scotus & ejus Discipuli admittunt. Datur tamen inter attributa divina & essentiam distinctio virtualis seu eminentialis, quæ duplex habet fundamentum; unum remotum, eminentiam scilicet divinæ naturæ, æquivalentis pluribus perfectionibus creatis; aliud proximum, nempe limitationem intellectus creati, concipientis distinctis conceptibus inadæquatis ea quæ in Deo sunt maximè unum & simplicissimum; quare distinctio illa non fit ab intellectu beatorum, videntium Deum ut est in se, ut eleganter declarat D. Bernardus lib. 5. de consider. Attributa divina inter se & ab essentia, ita ratione distinguuntur, quod essentia in suo conceptu implicitè includit attributa, & includitur in illis, & quodlibet attributum includit cœtera. Ibidem p. 76. à num. 9. usque ad 44.

Attritio.

Sicut in corporalibus ea dicuntur attrita, quæ aliquo modo diminuta sunt, sed non adhuc perfectè comminuta; contrita verò dicuntur, quando omnes partes per divisionem ad minima redactæ sunt. Ita in spiritualibus attritio significat dolorem imperfectum de peccatis, contritio verò perfectam de illis tristitiam & displicentiam. Varia & insignia inter attritionem & contritionem reperiuntur discrimina. Attritio nunquam potest fieri contritio formaliter, benè tamen virtualiter, seu æquivalenter. Tomo 5. p. 410. n. 19. & sequentibus.

Attritio ex metu gehennæ est actus bonus, & sufficit ad dignè & fructuosè recipiendum sacramentum pœnitentiæ, illique conjuncta, æquivalet contritioni, & ad gratiam & justificationem disponit. Oppositа tamen sententia, quamvis à paucis Scholasticis teneatur, nullâ tamen debet notari censurâ, ob decretum Alexandri VII. id prohibentis. Ibidem p. 412. n. 30. 37. & seqq.

Ad recipiendum effectum sacramenti pœnitentiæ, requiritur attritio vera, supernaturalis, & universalis, seu quæ ad omnia peccata mortalia se extendat; unde non sufficit attritio apparens, seu existimata; nec attritio naturalis, existimata supernaturalis; nec attritio particularis ex motivo turpitudinis alicujus peccati in particulari, quæ ad alia peccata mortalia diversæ speciei non se extendit. Ibidem p. 419. n. 71. & sequentibus.

Aureolæ Beatorum.

Aureola est gaudium quoddam accidentale, quod Beati percipiunt ex victoria, quam in vi alicujus virtutis particularis, puta fortitudinis, aut virginitatis, reportant. Unde est diminutum quoddam præmium, respectu præmij essentialis, quod *aurea*, sive *corona aurea* appellatur. Triplex assignari solet, Martyrum scilicet, Virginum, & Doctorum, inter quas aureola martyrij cœteris præstat, quamvis Tertullianus virginitatem præferre martyrio videatur: ait enim: *Majus est vivere cum castitate, quàm mori pro castitate.* Tom. 3. p. 80. n. 47. & sequentibus.

Avaritia.

Avaritia ad Ephes. 5. *Idolorum servitus* appellatur, quia, ut ibidem S. Doctor lect. 3. observat, Idolatria est, quando honor soli Deo debitus, impenditur creaturæ: Deo autem duplex honor debetur, scilicet, ut in eo finem nostrum constituamus, & ut in eo fiduciam nostram finaliter ponamus: Ergo qui hæc in creaturis ponit, reus est idololatriæ. Hoc autem facit avarus, qui finem suum in creatura ponit, & etiam totam suam fiduciam. Unde Chrysostomus homil. 18. in Epist. ad Ephes. *Qui in animato* (inquit) *serviunt auro, clarum est ejusmodi idolorum esse cultores.* Hinc Hebræi vitulum aureum adoraverunt, & Judas triginta argenteos, quos à Principibus Sacerdotum in pretium sanguinis Christi acceperat, projecit in templum, non in sterquilinium; *quia*, ut ait Ambrosius, *talibus Diis suum templum devoverat.* Tomo 3. pag. 467. n. 48.

Chrysologus de avaritia loquens ait: *Statera ejus iniquissima est, plus enim in ea ponderat obolus, quàm Deus; plus nummus, quàm anima.* Ibidem n. 50

Augmentum charitatis.

Quandiu sumus in statu viæ charitas habitualis augeri potest, unde Jacob vidit Angelos ascendentes & descendentes per scalam, neminem verò stantem, quia spiritum nostrum, sicut & corpus, crescere vel decrescere necesse est. Tomo 4. p. 355. n. 88.

Licèt charitas viæ pervenire possit ad perfectionem intensivam charitatis patriæ, ista tamen semper illam excedit in statu & modo operandi, quia charitas patriæ est conjuncta lumini gloriæ & visioni beatificæ, à qua regulatur; charitas autem viæ dirigitur & regulatur per cognitionem obscuram fidei; unde de Joanne Baptista Christus Matth. 11. dicebat: *Qui minor est in regno cœlorum, major est illo.* Ibid. p. 356. n. 94.

Actus charitatis remissi augmentum gratiæ & charitatis merentur, gratia tamen & charitas in esse habitùs & qualitatis, non augentur statim per actus habitu remissiores, sed tale augmentum differtur usque ad ingressum gloriæ, seu usque ad primum instans glorificationis, in quo homo prorumpit in actum ferventissimum charitatis, per quem se disponit ad augmentum debitum actibus remissis in via elicitis. Ibidem pag. 361. n. 140. & sequentibus.

Auxilium Dei, vide Gratia.

B

Baptismus.

Baptismi elogia seu prærogativæ. Tom. 5. p. 110 in præfatione.

Baptismi institutio, & illius præceptum: ibidem p. 111. n. 1. & sequentibus.

Ejus materia & forma. ibid. p. 119. n. 52. & sequentibus, ubi variæ assignantur congruentiæ, quare Christus aquam pro materia hujus sacramenti elegerit, & variæ aquarum laudes recensentur. ibid. p. 120. n. 59.

Baptismus in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque collatus, non est validus pag. 122. n. 82.

Apostolorum tempore validum fuit Baptisma in nomine solius Christi collatum: ibid. p. 124. n. 95.

Baptismus iterari non potest ibid. p. 125. n. 106. & sequentibus.

Quindecim præcipuæ baptismi cæremoniæ. Ibid. p. 127. n. 119. & seqq.

Quid significent verba illa Apostoli: *Quid faciunt qui baptizantur pro mortuis:* vide ibid. n. 118.

Convenienter assignantur tria Baptismata, fluminis, flaminis, & sanguinis. Ibid. pag. 128. n. 126.

Baptismus parvulis necessarius est, necessitate medij; unde temerarium & erroneum est asserere, quod deficiente oportunitate baptizandi parvulos, ad eorum salutem sufficiat votum Baptismi, à parentibus aut ab aliis conceptum, cum aliquo signo exteriori, vel cum aliqua benedictione prolis, seu oblatione ipsius ad Deum, cum invocatione sanctissimæ Trinitatis. pag. 141. num. 11.

Baptismus fictè susceptus, recedente fictione, ex opere operato, suum effectum producit. p. 154. num. 15.

Ad recipiendum effectum baptismi, sufficit in adulto sola attritio de peccatis commissis, ut expresè docet D. Thomas in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 3. ad 5. his verbis: *Ad hoc ut homo se præparet ad gratiam in baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio.* Ibid. p. 148. num. 56. & seqq.

Bajazetus.

Tempore Bajazeti secundi, Talismanus quidam, seu Mahumeticæ sectæ sacerdos, Constantinopoli in templo Sanctæ Sophiæ, coram ipso Imperatore, illustre reddidit testimonium fidei nostræ, ideoque protinus occidi jussus est. Tomo 4. pag. 245. n. 260.

Beatitudo objectiva hominis.

Beatitudo objectiva hominis non consistit in bonis fortunæ, seu in divitiis: Tum quia illæ appetitum hominis non satiant, juxta illud Bernardi: *Non plus satiatur cor hominis auro, quam corpus aurâ.* Tum etiam, quia illæ, nec omnia bona afferunt, nec omnia mala excludunt, quin potiùs multas pariunt curas & afflictiones, quæ animum pungunt & lacerant, ideoque spinæ Lucæ 8. à Christo appellantur. Tomo 3. p. 27. num. 2. & sequentibus.

Beatitudo objectiva hominis non consistit in honoribus, dignitatibus, ac sæculari potentia, cùm illa fluxa, caduca, & transitoria sint, *& vapor ad modicum parens*, ut dicitur Jacobi 4. Ibidem pag. 28. n. 6. & 7. ubi variæ mutationes, quæ tam in sæculari, quàm Ecclesiastica potestate contigerunt, breviter recensentur.

Beatitudo objectiva hominis non consistit in aliquo bono corporis, præsertim in voluptate, quæ, ut ait Hugo Victorinus: *Mel habet in ore, fel in corde, aculeum in dorso.* Et ut dicebat olim Simplicius, brevis insania est, ideóque sapienti simè à natura constitutum est, ut citò transiret, ne diu insani essemus. Ibid. & pag. sequenti.

Beatitudo objectiva hominis non consistit in scientiis, cùm illæ sciendi desiderium cuilibet homini naturaliter insitum satiare nequeant. Unde S. Thomas opusc. 61. egregiè observat, plures esse fontes ex quibus Philosophi aquas sapientiæ haurire conati sunt, ut animæ sitim extinguerent, nempè cœlum, elementa, plantas, animalia, & alia corpora mixta; sed quia objecta illa creata, summum bonum non sunt, nec primam veritatem continent, in illis sciendi desiderium extinguere non potuerunt. Ibid. num. 17.

Beatitudo objectiva hominis non consistit in virtute, cùm illa non sit ultimus finis, sed ad alium finem, nempè Deum, ordinabilis. Unde Augustinus: *Non virtus animi tui te facit beatum, sed qui tibi virtutem dedit.* Et rursus: *Præmium virtutis erit ipse qui virtutem dedit.* ibid. p. 30. n. 20.

In nullo bono creato, beatitudo objectiva hominis consistere potest; sed in solo bono increato, quod cùm sit universale, potest perfectè appetitum hominis satiare. Ibidem n. 21. & sequentibus.

Totus mundus per globum seu circularem figuram repræsentatur, cor autem hominis est figuræ pyramidalis, seu triangularis, cujus basis est supra, & cuspis infra, ut docent Anatomici: unde sicut posito circulo supra triangulum, semper aliquis angulus trianguli manet inexpletus, & per alium duntaxat triangulum repleri potest, ut demonstrant Mathematici, ita cor hominis per nullas creaturas mundi globo contentas, sed solùm per alium triangulum, nempè sanctissimam Trinitatem repleri potest. Ibidem.

Essentia divina sine personis, non est sufficiens objectum ad beatificandum hominem; unde si per impossibile Sancti in cœlo Deum ut Trinum non cognoscerent, non essent verè beati, & periret essentia beatitudinis. Ibidem pag. 32. n. 41.

Beatitudo formalis.

Homines non beatificantur in cœlo, per increatam visionem Dei sibi unitam, nec per illapsum Dei specialem in essentiam animæ, vel in potentias ejus. Tom. 3. pag. 37. n. 2. & sequentibus.

Beatitudo formalis non est habitus, aut actus primus, sed operatio ab intellectu beati efficienter producta. Ibidem pag. 39. n. 26. & sequentibus.

Beatitudo formalis essentialiter & formaliter consistit in operatione intellectûs, nempe clara Dei visione, per quam homo summum bonum adipiscitur, omniaque ejus desideria perfectè satiantur. Ibid. pag. 51. n. 107. & sequentibus.

Beatitudo cœlestis torrenti rectè comparatur Ibid. pag. 54. n. 127.

Beati diligunt necessariò Deum, quantùm ad exercitium, & de ipso clarè viso delectantur. Ita sunt impeccabiles ab intrinseco, ut repugnet peccatum actuale vel habituale cum visione vel amore beatifico componi. Ibid. p. 66. n. 58. & sequentibus.

De Gaudio beatifico, & ejus causis, vide ibidem num. 129.

Octo Beatitudines.

Beatitudines sunt operationes quædam donorum Spiritus Sancti, quibus ex instinctu & motione speciali Spiritus Sancti ad vitam æternam accedimus; quæ operationes beatitudines appellantur, vel quia ad beatitudinem faciunt pervenire, vel quia sunt veluti quædam participationes & inchoationes futuræ beatitudinis. Tomo 3. p. 345. num. 35.

Octo numerantur beatitudines à D. Matthæo, ex quibus quatuor pertinent ad exclusionem & remotionem

Universidad de Deusto
Biblioteca

motionem falsæ beatitudinis, aliæ verò ad dispositionem & tendentiam ad veram & æternam Beatitudinem. Ibidem. Cur verò S. Lucas quatuor solùm enumeret. Ibidem pag. 346. n. 37. ratio assignatur.

Bigamia.

Bigamus est Ordinis incapax, non quidem jure divino, sed tantùm humano & Ecclesiastico. Triplex à Theologis & Canonistis distingui solet bigamia, vera, interpretativa, & similitudinaria. Tomo 5. pag. 524. num. 74. & sequentibus.

Bonitas Dei.

Deus est summè bonus, triplici bonitate. Bonus est per essentiam, tam ex parte subiecti, quàm ex parte prædicati. Tomo 1. pag. 90. n. 37. & sequentibus.

C

Calvinus.

CAlvini errores circa gratiam & liberum arbitrium, & præcipua doctrinæ Thomisticæ & Calvinianæ discrimina. Tomo 1. pag. 542. in Apologia Thomistarum, num. 18. & sequentibus.

Ex doctrina Calvini asserentis gratiam spontaneè solùm movere liberum arbitrium, & tollere seu absorbere omnem dissentiendi potentiam, inducitur in actus humanos non solùm necessitas consequentiæ & hypothetica, sed etiam consequentis & absoluta; unde apertissimè sibi contradicit, dum 1. inst. cap. 16. ex Dei decreto in nostras actiones solam necessitatem consequentiæ derivari asseverat. Ibidem p. 545. n. 31. & sequentibus.

Calvinus variis in locis docet Deum esse Authorem peccati, etiam secundùm malitiam & deformitatem, pluraque adhuc in ejus institutionibus extabant loca, quibus id expressè asserebat, sed ea in posterioribus editionibus à Calvinistis erasa sunt, ut testatur Andreas Duvallius, Doctor Sorbonicus. Ibidem pag. 560. & 561. n. 114. & sequentibus.

Perspecta fuit doctrina Calvini Patri Lemos, eamque rectè expositi in Congregatione de auxiliis. Ibidem n. 53. & 128.

Tres necessitates erroneæ, & libero arbitrio repugnantes, Stoïca scilicet seu fatalis, Manichæa, & Calvinistica. Ibidem pag. 549. n. 51.

Errores Calvini circa prædestinationem & reprobationem, & præcipua doctrinæ Thomisticæ & Calvinianæ discrimina. Tomo 2. p. 76. n. 47. & sequentibus.

Carthusiani.

Carthusiani in gravi ægritudine constituti, non solùm licitè possunt abstinere à carnibus, cum vitæ dispendio, aut periculo, sed etiam ad id tenentur; quia quidquid licitum est, præcipi potest, & fieri statuto necessarium, ad boni communis incolumitatem. Similiter aliorum Ordinum Religiosi, possunt ex amore & reverentia suæ regulæ, ita illam servare, ut à morbo liberati nolint, si necesse sit Constitutiones suæ Religionis violare; & si ex earum violatione, observantia regulæ non parùm tepesceret, & disciplinæ religiosæ vigor multùm imminueretur. Tomo 3. pag. 543. n. 68.

Castitas.

Castitas est species temperantiæ, quæ affectum moderatur & cohibet circa delectationes venereas. Ejus encomia eleganter ab Origine descripta. Tomo 4. pag. 385. n. 11.

Character sacramentalis.

Characterem sacramentalem agnoscunt SS. Patres, præsertim Dionysius & Basilius. Tomo 5. p. 72. num. 4.

Imprimitur per tria sacramenta, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem. Ibidem n. 10.

Non est habitus, sed potentia. Ibidem pag. 76. num. 37.

Subjectum proximum & immediatum illius, est intellectus practicus. Ibidem p. 83. n. 97.

Charitas.

Charitas est verè & propriè amicitia hominis cum Deo. Quam amicitiam solo luminis naturalis fulgore agnovit Seneca, de quo bellissimè ait Eralmus: *Ethnicè loquitur, si Christianus sit; Christianè, si Ethnicus.* Tomo 4. p. 343. n. 2.

Charitas habitualis est forma creata, à Spiritu Sancto distincta, & animæ intrinsecè inhærens. Unde egregiè Bernardus: *Charitas dat charitatem: substantiva accidentalem: ubi dantem significat, nomen est substantiæ: ubi donum, qualitatis.* Ibidem pag. 346. n. 25.

Charitas, ut se extendit ad Deum & proximum, est virtus unius speciei atomæ. Ibidem p. 351. num. 61.

Est cæteris virtutibus præstantior. Ibidem p. 353. num. 78.

Magnitudo animæ ex magnitudine charitatis metienda est. Ibidem n. 79.

Hujus virtutis encomia, initio hujus disputationis recensentur. pag. 342.

Cherubim.

Nomen Cherubim, plenitudinem scientiæ, seu scientiam multiplicatam, significat. Dionysius verò Beatos illos Spiritus θεοπτικὸς appellat, seu divinæ pulchritudinis contemplativos; eosque ait esse specula perlucida, ab omni labe pura, quæ primum divinæ lucis radium recipiunt, & sine invidia in eos qui sequuntur infundunt. De illis etiam hæc scribit Bernardus: *Cherubim ex ipso sapientiæ fonte, ore Altissimi haurientes, & refundentes fluenta scientiæ, universis cœli civibus infundunt.* Tomo 2. p. 449. num. 10.

Deus dicitur in Scriptura sedere super Cherubim, non quòd ad illos specialiter hæc excellentia & prærogativa pertineat, sed quia cùm vicini sint Thronis, aliquam cum eis habent affinitatem & cognationem, ratione cujus ea quæ Thronis sunt propria, Cherubinis interdùm attribuuntur, ut eleganter declarat D. Gregorius homil. 34. in Evangelia. Ibidem p. 450. n. 17.

Christus.

Christus ordine intentionis, & in genere causæ finalis, priùs fuit volitus quàm omnia alia, sive ordinis naturalis, sive supernaturalis, ideoque *initium viarum Domini*, seu operum Dei ad extra, à SS. Patribus appellatur; in genere tamen causæ materialis seu occasionalis, dependet à prævisione peccati Tomo 4. pag. 453. n. 46. & sequentibus.

Christus est persona verè & propriè composita ex duplici natura, divina & humana. Item persona Christi est composita ex natura humana & personalitate Verbi Divini. Ibidem p. 461. n. 26. & sequentibus.

Christus, cùm per naturam divinitatis non haberet quo crescceret, per Incarnationem, quomodo

modo crescceret invenit. Ibidem p. 418. n. 11.

Christus terram cœlumque, velut ponte, ita corpore suo junxit, ut homines paulatim ad sublimiora & diviniora erigi consuescerent. Ibidem. num. 12.

Christus venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes; humana quærere, præstare divina. Tomo 1. pag. 458. n. 53.

Christus, ut homo, est verè & propriè servus Dei, non servitute legali, sed naturali. Tomo 4. p. 679. n. 3. & seqq.

Christus ut homo, verè oravit, dum esset in hac vita mortali; & nunc in cœlo existens, etiam verè & propriè orat, nobis divina beneficia postulando. Ibidem pag. 682. num. 34. & sequentibus.

Christus, ut homo, est verè & propriè sacerdos, subindeque mediator inter Deum & homines. Ibidem p. 684. n. 50. & sequentibus.

Christus habuit jus regium & dominativum in totum universum. Ibidem p. 687. n. 59.

Sicut in Christo fuit potestas legislativa, juxta illud Isaïæ 53. *Dominus legifer noster, Dominus rex noster.* Ibidem p. 688. n. 67.

Christus, inquantùm homo non est filius Dei adoptivus. Ibidem p. 689. n. 7. & sequentibus.

Vide Incarnatio, Satisfactio Christi, Gratia Christi, Scientia Christi, Potentia Christi, Meritum Christi, Prædestinatio Christi, & similia.

Christianus.

Omnis Christianorum culpa, Divinitatis injuria est, atrociùs sub sancti nominis professionem peccamus. Ipsa errores nostros Religio quam profitemur accusat. Salvianus: Tom. 3. p. 220. num. 20.

Circumcisio.

Circumcisio per se primò instituta fuit ad remissionem peccati originalis, & solùm secundariò seu ex consequenti ad consignandum Dei populum, illumque à cæteris distinguendum. Tomo 5. p. 159. n. 1. & sequentibus.

Circumcisio habebat quidem vim quandam moraliter excitantem ad causandam gratiam, sed carebat virtute gratiæ productiva, quæ in sacramentis novæ legis reperitur. Ibidem p. 161. n. 11. & sequentibus.

Non licèt Æthiopibus seu Abassinis se circumcidere, mortificationis gratiâ, vel ad gerendam corporalem cum Christo similitudinem. Ibidem p. 162. n. 24. & sequentibus.

Circumsessio Divinarum personarum.

Circumsessio Divinarum personarum, quæ à Græcis περιχώρησις appellatur, est mutua ac reciproca unius personæ divinæ in alia existentia. Tomo 2. p. 256. n. 48.

Tribus modis una persona divina est in alia: Primò quidem ratione essentiæ, quæ omnibus personis communis est. Secundò, ratione correlationis mutuæ, quâ unum relativum dicitur esse in alio secundùm intellectum. Tertiò, ratione originis, quæ cùm sit actio immanens, exigit ut id quod procedit, maneat in principio à quo procedit, & non separetur ab illo. Ibid. num. 49.

Ratione charitatis hujus mirabilis divinarum personarum circumsessionis in nobis habemus imaginem, ut enim dicitur 1. Joan. 4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quæ verba S. Bernardus expendens, sic ait: *Deus charitas est, quid pretiosius? & qui manet in charitate, in Deo manet, quid securius? & Deus in eo, quid jucundius?* Ibidem.

Circumspectio.

Circumspectio est una ex octo partibus prudentiam integrantibus, quas enumerat S. Thomas 2. 2. quæst. 49. Tomo 4. pag. 370. n. 6.

Circumspectio dicit attentionem ad omnia quæ occurrunt, & conferentiam illius quod in finem ordinatur, cum his quæ circunstant, ne quid ex necessariis desit in opere. Ibidem.

Circunstantiæ.

Circunstantiæ sunt quædam conditiones extra essentiam actus humani, ipsum tamen attingentes, vel afficientes. Tomo 3. p. 133. n. 1.

Septem enumerantur circunstantiæ actuum humanorum. Ibidem. pag. 134. n. 4.

Actus humani, etiam interni, desumunt à circunstantiis aliquam bonitatem vel malitiam. Tomo 3. pag. 220. n. 19.

Circunstantiæ personæ, loci, temporis, eleganter describuntur à SS. Patribus. Ibidem n. 20. & sequentibus.

Circunstantiæ valde notabiliter aggravantes malitiam peccatorum intra eandem speciem, necessariò explicandæ sunt in confessione, ut illa integra sit. Tomo 5. p. 442. num. 45. & sequentibus.

Clementia.

Clementia differt à mansuetudine, licèt enim utraque mitiget iram circa vindictam, sub diversa tamen ratione id præstant; mansuetudo quidem, quatenus id decet animum iræ dominantem; clementia verò, quatenus id consentaneum est homini in potestate constituto. Unde mansuetudo communis est omnibus personis, clementia verò propria est superiorum Judicum. Enituit hæc virtus præcipuè in Theodosio, ut eleganter declarat D. Ambrosius in oratione de ejus obitu. Tomo 4. pag. 388. n. 22.

Clerici.

Clerici non obligantur legibus civilibus Principum, quoad vim coactivam, cùm sint ab eorum jurisdictione exempti, benè tamen quoad vim directivam, & ex æquitate naturali, ratione conformitatis cum aliis membris Reipublicæ. Tomo 3. pag. 544. n. 75.

Probabilius est, exemptionem Clericorum à legibus & jurisdictione Principum sæcularium, non esse ex jure divino, sed tantùm humano, nimirum ex Summorum Pontificum constitutione, & principum sæcularium favore. Ibidem.

Coactio.

Voluntas non potest cogi in actu ab ea elicito, nec quantùm ad actus quos imperat & simul elicit; benè tamen quoad actus, ab ea quidem imperatos, sed ab aliis potentiis ei inferioribus elicitos. Tomo 3. pag. 98. num. 62. & sequentibus.

Cæcitas mentis.

Peccata & vitia, præsertim carnalia, mentem excæcant; unde peccatum meritò comparatur stercori hirundinis, quod cadens in oculos Tobiæ, ipsum excæcavit. Item in hujus rei typum, Sanson à Dalila deceptus, & à voluptate devictus, oculos amisit, & à Philistæis ad molam deputatus est. Tomo 4. p. 36. n. 68.

Tribus modis cæci in Scriptura dicuntur illuminati, nimirum luto, quo Christus linivit oculos cæci nati, Joan. 9. felle piscis, quo Tobias unxit oculos patris cæci Tobiæ 11. & melle, quod Jonatas accipiens in summitate virgæ degustavit, 1. Regum 14. ut per illud innueretur, homines

Universidad de Deusto
Biblioteca

homines per tria præcipuè noſtræ religionis myſteria illuminari, nempè per myſterium Incarnationis, paſſionis Chriſti, & Euchariſtiæ. Ibidem n.70.

Cœlibatus.

Cœlibatus lege tantùm Eccleſiaſticâ ſacris Ordinibus annexus eſt, rectè tamen & juſtè talis lex ab Eccleſia ſtatuta fuit: antiquiſſima eſt, & à temporibus Apoſtolorum in Eccleſia viguit. Tomo 5.p. 518. n.37. & ſequentibus.

Cognatio.

Cognatio eſt impedimentum dirimens matrimonium. Triplex eſt; carnalis, quæ per carnalem generationem derivatur; ſpiritualis, quæ per regenerationem in ſacro fonte Baptiſmatis, & in Chriſmatis ſacramento; & legalis, quæ per legis adoptionem comparatur. Tomo 5. pag. 626. n.35. & ſequentibus.

Cognitio Dei.

Triplex diſtingui poteſt Dei cognitio; una naturalis, quâ Philoſophi ex creaturis Dei attributa contemplantur; alia fidei, per quam fideles ſolâ revelatione ipſum ut authorem gratiæ cognoſcunt, altera clara & intuitiva, quâ ſeſe Deus revelatâ facie beatis mentibus manifeſtat. Prima comparatur nocti, ratione obſcuritatis. Secunda auroræ, quia tenebris lucem permiſcet. Tertia, quæ æternis ſplendoribus, & fidei umbras, & ignorantiæ tenebras depellit, plena meridies eſt, quam olim ſponſa optabat Cantic. 1. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie.* Tomo 1. præfatione Tractatûs de viſione beatifica. pag. 112.

Chorepiſcopus.

Duo erant olim genera Chorepiſcoporum, aliqui enim erant veri Epiſcopi, & erant quales nunc ſunt Suffraganei, qui ſunt Epiſcopi titulares aliarum Eccleſiarum: alii verò erant ſolùm Preſbyteri, qui tanquam vicarii Epiſcopi in oppidis majoribus & muratis morabantur. Tomo 5. p. 506. n.25.

Columba.

Columba ſymbolum eſt & figura Spiritus Sancti, ratione fœcunditatis, puritatis, & manſuetudinis. Tomo 2. pag. 234. n. 128. & ſequentibus.

Columba habet ſeptem proprietates, ad deſignandum ſeptem dona Spiritus Sancti; quia ſcilicet ſecûs fluenta habitat, meliora grana eligit, alienos pullos nutrit, non lacerat noſtro, felle caret, in cavernis petræ nidificat, & gemitum pro cantu habet. Ibidem p. 235. n. 132.

Columba quæ apparuit ſuper Chriſtum baptizatum, fuit verum animal, licèt ipſam Spiritus Sanctus in unitatem perſonæ non aſſumpſerit, ſicut Chriſtus humanam naturam. Ibidem num. 133.

Comprehenſio Dei.

Comprehenſio duobus modis uſurpari ſolet, primò largè & impropriè, pro aſſecutione, & obtentione, ſeu poſſeſſione ejus quod deſiderabatur, juxta illud Apoſtoli: *Sic currite ut comprehendatis*; & ſic eſt una de tribus dotibus animæ, à qua beati appellantur comprehenſores. Secundò ſtrictè, pro cognitione objecti undequaque perfecta, id eſt adæquata cum objecti cognoſcibilitate, per quam objectum cognoſcibile eſt. Tomo 1. pag. 158. n.23.

Anomæi comprehenſivam Dei cognitionem ſtultiſſimè ſibi arrogabant. Ibidem pag. 122. num. 51.

Auguſtinus de Roma, Epiſcopus Nazarenus, aſſerebat animam Chriſti Deum comprehendere. Ibidem p. 159. n.24.

Beati Deum comprehendunt; imò implicat, aliquem intellectum creatum, etiam de abſoluta potentia, Dei eſſentiam comprehendere. Ibid. num. 25.

Deus quatuor modis dici poteſt incomprehenſibilis, ſcilicet loco, tempore, intelligentiâ & amore. Prima incomprehenſibilitas ipſi competit, ratione immenſitatis; ſecunda, ratione æternitatis; tertia, ratione infinitatis & ſummæ immaterialitatis; quarta demum, ratione ſummæ bonitatis & pulchritudinis. Ibid. p. 163. n.46.

Communio. Vide Euchariſtia.

Concilium.

Concilium eſt congregatio primorum Eccleſiæ, ſub uno certo capite, ad controverſias fidei definiendas, legeſque univerſales, ad totius Eccleſiæ mores ſpectantes, condendas. Tomo 4. p. 298. n. 1.

Concilium quadruplex eſſe poteſt, generale, nationale, provinciale, & diœceſanum. Ibidem num. 2.

Concilium generale, legitimè congregatum & celebratum, non poteſt errare, in determinando res fidei. Ibidem p. 299. n. 5.

Concubina.

Periculoſa & erronea eſt Joannis Sancij ſententia, aſſerentis concubinarium non teneri pellere domo concubinam, imò poſſe illam admittere ad ſui famulatum, ſi abſque illa vitam tranſigeret triſtiùs, & epulæ ab aliis præparatæ, tædio ipſum afficerent. Tomo 3. in diſſertatione de probabilitate, p. 286. n. 118.

Mulieres quæ cum Abraham & Jacob, aliiſque viris ſanctis antiquæ legis concumbebant, erant veræ illorum uxores, quamvis eorum concubinæ in Scriptura appellentur. Tomo 5. p. 544. num. 76.

Concupiſcentia.

Concupiſcentia appellatur ab Apoſtolo peccatum, non quòd ſit peccatum formaliter, ſed quia ex peccato eſt, ſcilicet originali, & ad peccatum inclinat, videlicet actuale, ſeu quod idem eſt, appellatur peccatum, quia eſt effectus peccati originalis, & cauſa peccati actualis. Tomo 3. p. 423. n. 78.

Concupiſcentia eſt materiale in peccato originali, eo modo quo in actuali actus exterior habet ſe ut materia, reſpectu interioris; vel converſio, reſpectu averſionis. Ibidem p. 424. n.84.

Quomodo concupiſcentia augeat voluntarium, & cauſet involuntarium ſecundùm quid: Vide Tom. 3. p. 106. n. 119. & ſequentibus.

Conditio.

Error ſeu ignorantia conditionis ſive ſervitutis dirimit matrimonium jure civili & canonico, non tamen jure naturali. Tomo 5. p. 620. n.7.

Confeſſio peccatorum.

Confeſſio peccatorum eſt ſalus animarum, diſſipatrix vitiorum, reſtauratrix virtutum, expugnatrix dæmonum. Obſtruit os inferni, aperit portas paradiſi. Tomo 5. p. 451. n.26. Vide ibidem plura alia quæ SS. Patres congerunt in laudem confeſſionis.

Confeſſio ſacramentalis eſt jure divino præcepta. Ibidem 425. n. 2.

Datur etiam præceptum Eccleſiaſticum de annua confeſſione proprio ſacerdoti facienda. Ibidem 427. n. 14. & ſequentibus, ubi varii caſus conſcientiæ reſolvuntur.

Solus

Solus Sacerdos eſt miniſter confeſſionis ſacramentalis; in caſu tamen neceſſitatis, v. g. in evidenti periculo alicujus naufragii, deficiente Sacerdote, peccator, humilitatis & devotionis causâ, & ad excitandam contritionem de peccatis, poteſt laïco confiteri. Ibidem p. 429. n. 1. & ſequentibus.

In miniſtro confeſſionis juriſdictio prorſus neceſſaria eſt, non ſolùm ut licitè, ſed etiam ut validè abſolvat. Ibidem pag. 431. n. 14. & ſequentibus.

Poteſt dari confeſſio ſacramentalis valida, & tamen informis. Ibidem p. 436. d. 10. n. 3.

Formalis integritas ſemper eſt neceſſaria ad valorem confeſſionis, non tamen integritas materialis, plures enim ſunt cauſæ excuſantes ab integritate materiali confeſſionis. Ibidem p. 440. n. 30. & ſequentibus.

Circunſtantiæ valdè notabiliter aggravantes malitiam peccatorum intra eandem ſpeciem, neceſſariò explicandæ ſunt in confeſſione, ut illa integra ſit. Ibidem p. 442. n. 45.

Quando pœnitens aliter ſuum peccatum explicare non poteſt, quàm perſonam complicis revelando, poteſt, imò & tenetur, ob integritatem ſuæ cõfeſſionis, perſonam complicis indirectè manifeſtare. Ibidem p. 445. n. 71. & ſequentibus.

Tam ſtricta eſt ſigilli confeſſionis obligatio, ut nequidem in periculo boni communis, liceat illud violare. Ibidem pag. 448. num. 4. & ſequentibus.

Confirmationis Sacramentum.

Ritus ille, qui in Eccleſia Catholica confirmatio appellatur, eſt verum novæ legis ſacramentum. Tomo 5. p. 163. n. 2. & ſequentibus.

Probabilius eſt, ſacramentum confirmationis fuiſſe à Chriſto inſtitutum in nocte cœnæ. Ibidem p. 167. n. 19.

Ejus materia remota eſt chriſma, confectum ex oleo per Epiſcopum benedicto, & balſamo. Ibidem n. 21. & ſequentibus, ubi variæ difficultates reſolvuntur.

Ex diſpenſatione & commiſſione Papæ, ſimplices Sacerdotes validè & licitè confirmare poſſunt, non tamen ex commiſſione Epiſcopi. Ibidem p. 175. n. 83. & ſequentibus.

Conſanguinitas.

Conſanguinitas eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum. Tomo 5. pag. 626. n. 35.

Conſanguinitas quarumdam perſonarum impedit matrimonium jure naturæ, & quarumdam jure tantùm Eccleſiaſtico. Ibidem pag. 627. n. 40.

Probabilius eſt, matrimonia conſanguineorum in primo gradu lineæ tranſverſæ, ſeu inter fratrem & ſororem, eſſe jure naturæ irrita. Ibid. n. 42. & ſequentibus.

Conſcientia.

Conſcientiam abyſſum eſſe impenetrabilem, eleganter declarat D. Bernardus. Tomo 3. in diſſertatione de probabilitate p. 259. n. 1.

Conſcientia idem eſt ac cordis ſcientia, vel ac concludens ſcientia. Ibidem n. 2.

Non eſt potentia, nec habitus, ſed actus, non voluntatis, ſed intellectûs, nempè judicium intellectus practici, dictans de bonitate vel malitia eorum quæ hîc & nunc à nobis agenda ſunt. Ibidem n. 3.

Dividitur in certam, probabilem, & dubiam, ad quam reducitur ſcrupuloſa. Ibidem pag. 260. num. 7.

De conſcientia bona eleganter diſſerit Hugo Victorinus. Ibidem n. 8.

Conſenſus.

Conſenſus eſt actus quo voluntas conſentit in media ab intellectu propoſita. Tomo 3. p. 190. num. 13.

Cùm voluntas per conſenſũ fertur ad plura media; tunc talis conſenſus, eſt actus realiter diſtinctus ab electione; cùm autem fertur in unicum medium, tunc conſenſus & electio, ſolâ ratione differunt. Ibidem n. 15. & ſequentibus.

Conſenſus matrimonij.

Licèt potentiâ Dei abſolutâ, vinculum matrimonii poſſit fieri abſque conſenſu ipſorum conjugum, non tamen poteſtate humanâ, civili, vel Eccleſiaſticâ. Tomo 5. p. 573. num. 6. & ſequentibus.

Conſenſus ad validitatem matrimonii requiſitus, debet eſſe verus, unde ad illius valorem conſenſus fictus non ſufficit. Requiritur etiam ad ejus validitatem, ſignum aliquod exterius, expreſſivum conſenſus interioris. Ibid. p. 575. n. 28. & ſequentibus.

Licèt jure veteri Eccleſiaſtico matrimonia conſenſu clandeſtino facta non eſſent irrita, jure tamen novo, per Tridentinum inducto, invalida ſunt. Ibidem pag. 578. num. 43. & ſequentibus.

An & quo jure matrimonium factum ex metu gravi, ſen in virum conſtantem cadente, irritum ſit. Ibid. p. 583 n. 71. & ſequentibus declaratur. De conſenſu verò conditionato agitur ibidem p. 586. n. 103. & ſequentibus.

Conſenſus expreſſus in copulam non eſt de eſſentia matrimonii, ad ejus tamen eſſentiam & valorem requiritur conſenſus implicitus in copulam, non ſolùm ex parte contractûs, ſed etiam ex parte contrahentis. Ibid. p. 591. n. 135. & ſequentibus.

Conſilium.

Conſilium in homine non importat ſolùm inquiſitionem & conſultationem de mediis, ſed etiam judicium ſeu ſententiam intellectûs de eorum convenientia & bonitate. In Deo autem non dicit inquiſitionem & conſultationem de mediis, ſed tantùm judicium rationis practicæ de eorum convenientia & bonitate. Tomo 3. p. 188. n. 4. & ſequentibus.

Conſilia Evangelica.

Chriſtus adimplevit præcepta veteris legis, ſuperaddendo in nova lege conſilia Evangelica. Tomo 3. p. 579. n. 26.

Conſilii donum.

Officium hujus doni eſt, præcipere agenda neceſſaria ad ſalutem, ex vi affectûs experimentalis, & quaſi guſtûs divinorum, ac proinde præter regulas communes prudentiæ. De hoc dono eleganter diſſerit D. Gregorius in Moralibus. Tomo 3. p. 344. n. 28. & 29.

Conſuetudo.

Conſuetudo eſt *jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex*, ut ait Iſidorus apud Gratianum diſt. 1. cap. *Conſuetudo.* Tomo 3. p. 552. n. 1.

Conſuetudo & præſcriptio in aliquibus conveniunt, & in multis differunt. Ibidem n. 2.

Quomodo conſuetudo differat ab uſu & more, & à foro ac ſtilo, ibidem num. 3. & 4. declaratur.

Conſuetudo legitimè introducta triplicem habet vim, nempè inſtituendi, abrogandi, & interpretandi

Universidad de Deusto
Biblioteca

pretandi legem ; potest enim novam legem instituere veterem abrogare , & dubiam interpretari. Ibidem p.553. n.6.

Quod tempus necessarium sit , pro justa & legitima consuetudinis introductione, Ibid.num.16. & 17. declaratur.

Continentia.

Continentia dupliciter sumitur , primò pro virtute refrænante & reprimente passiones , quæ sunt circa venerea, quo pacto convertitur cum castitate ; & pro habitu quodam , per quem voluntas resistit passionibus concupiscibilis , taliterque in bono firmatur, ut quantumvis hujusmodi passiones exurgant & intumescant , non trahatur ab illis contra rectum judicium rationis;& sic est pars potentialis temperantiæ. Tom. 4. pag.382. n.20.

Contingens.

Effectus Contingens ille dicitur qui procedit à causa quæ impediri potest , & consequenter , etsi causa aliquando in ejus productionem inclinet , potest tamen non evenire. Tomo 1. p.226. n.16. & sequentibus.

Contritio.

Contritio derivatur à verbo contero , quod significat rem duram in minutissimas partes dividere seu reducere ; nam quia peccatum cor & voluntatem hominis obdurat , actus ille , quo hæc duritia tollitur , & peccatum deletur , meritò contritio appellatur. Tomo 5. p.408. num.1.

Contritio consistit essentialiter in dolore de peccato, ut est offensa Dei , & præsuppositivè tantùm in odio sive detestatione ipsius. Ibidem p. 409. n.5.

Contritio differt essentialiter ab attritione. Ibidem p. 411. n.20. & sequentibus , ubi variæ inter contritionem & attritionem differentiæ recensentur.

Contritio semper habet conjunctam remissionem peccati mortalis,etiam ante receptionem actualem Sacramenti. Ibidem p.378. n.28.

Contritio non concurrit formaliter , sed tantùm dispositivè ; ad expulsionem peccati , nec ipsum efficienter physicè , sed moraliter tantùm , seu per modum satisfactionis & compensationis , expellit. Ibidem p.380. n.45. & sequentibus.

Jure naturali tenentur omnes qui sunt in peccato mortali actum contritionis elicere , si non possint ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere ; non obligantur tamen statim ac peccatum commissum est , vel quandò primùm memoriæ occurrit , aut in singulis diebus festis , talem actum elicere , benè tamen in articulo , vel periculo mortis. Ibidem pag.421. n.82. & sequentibus.

Crimen, ut est impedimentum matrimonij.

Duplex est crimen , matrimonium dirimens , seu impediens ne validè contrahatur : primum est occisio alterius conjugis, quæ impedit,ne conjux superstes possit matrimonium inire cum authore necis , si cum eo mortem machinatus est, vel si antea adulterium cum eo commisit , etiam sine mortis machinatione. Secundùm est, adulterium commissum , cum promissione futuri conjugij , cum adultera , post obitum proprij conjugis. Tomo 5. p.629.n.52.& sequentibus.

Crux Christi.

Chrysostomus Christi crucem , *mundi lampadem*, appellat , & Basilius Seleucus Homil.de Transfigur. docet quod Christo moriente & in Cruce pendente , sol ferre non valens Crucis splendorem , lucis suæ radios abscondit : *Vidit* (inquit) *sol quæ prius non didicit , ut qui doctus sit abscondi , alterius luminis illustratione.* Tomo 4. pag.37. n.71.

Virtus Crucis (inquit Cyprianus) *omnia peragit sacramenta , sine quo signo nihil est sanctum , neque aliqua consecratio meretur effectum. Hinc omnium sanctificationem exurgit sublimitas, & profundum, & longè latéque diffunditur plenitudo gratiarum.* Tom.5. p.170. n.48.

D.

David.

David non peccavit , cùm panes propositionis comedit. Tomo 3. p.542. n.59.

Davidis lyra figura erat Christi in Cruce pendentis, quem Augustinus , *misericordiæ lyram* , appellat. Tomo 2. p.276. n.22.

Davidis Paræi , insignis Calvinistæ , versus , quibus asserit , Calvinum quidem, sed non Calvinistas , Deum facere authorem peccati. Tomo 1. in Apologia Thomistarum. p.562. n.121.

Dæmon.

Dæmon *Behemot* dicitur , ob malitiam , & in homines crudelitatem : *Leviathan* verò hoc est serpens, sive draco , propter astutiam , & nocendi artes , ut ait D. Gregorius. Tertullianus verò ipsum appellat *serpentem lucifugam , colubrum tortuosum , & divinæ imaginis prædonem.* Vocatur etiam apud Job , μεμικύλιον , id est monstrum quoddam ex formica & leone compositum ; quia , ut ait D. Gregorius, titillat ut formica , & ut leo sævit ac debacchatur. Tomo 2. p.460. n.75. & 76.

Dæmones sunt obstinati in malo , & pœnitentiæ incapaces , juxta illud D. Gregorij 34. Moral. cap.6. *Cor antiqui hostis , ut lapis indurabitur , quia nullâ unquam conversionis pœnitentiâ mollietur.* Tomo 2. p.421. n.8.

Hujus obstinationis duplex est causa , una extrinseca , nimirum substractio divinæ gratiæ ; alia intrinseca , nempè liberi arbitrij inflexibilitas , proveniens ex eo quod connaturale est Angelo immobiliter adhærere objecto , quod semel omnino deliberatè & perfectè apprehendit & amplexus est. Ibidem p.419. n.2. & sequentibus.

Dæmones torquentur ab igne inferni , per alligationem eorum ad ipsum , quæ fit per aliquam qualitatem realem, in solis eorum potentiis operativis receptam ; nec datur aliud tormenti genus , quo acerbiùs torqueantur.Fictitia verò est qualitas , substantiam Dæmonis fœdans , deturpans , & veluti maculans , quam aliqui Recentiores imaginantur. Ibidem num.32. & sequentibus.

Decalogus.

Deus non potest dispensare in præceptis Decalogi, dispensatione propriè sumptâ , ut est quædam relaxatio ac remissio præcepti erga aliquem ; dispensatione verò impropriè sumptâ , pro mutatione materiæ , aut circunstantiæ, quibus variatis , cessat lex & obligatio præcepti , potest dispensare in præceptis secundæ tabulæ , quæ ordinant immediatè ad proximum ; non verò in præceptis primæ tabulæ , quæ ordinant immediatè ad Deum. Tomo 3. p.526.n.72.

Decretum

Decretum Dei.

Decretum Dei non constituitur adæquatè vel inadæquatè per actionem transeuntem, quâ Deus creaturas ad extra produxit , vel per effectus ad extra productos , aut per respectum rationis ad creaturas. Tomo 1. pag. 362. num. 16. & sequentibus.

Non superaddit actui necessario aliquam perfectionem, vel modum realem, ab illo ratione distinctum , sed solam terminationem , sub conceptu terminationis defectibilem, & indefectibilem sub ratione entitatis. Vel, ut alij volunt, solam connotationem ad creaturam , defectibilem quantùm ad id quod importat in obliquo, non verò quantùm ad id quod dicit in recto. Ibidem n.20. & sequentibus.

Decreta divina de actibus nostris liberis , sunt de se & ab intrinseco efficacia , non verò purè indifferentia , & expectantia determinationem à libero arbitrio. Ibidem pag. 400. disp. 5. per totam , ubi ex Scriptura, SS. Patribus , variisque rationibus , hæc veritas demonstratur , & ostenditur , decreta indifferentia , qualia à Recentioribus admittuntur, esse quidem imaginationi speciosa, sed rationi invisa,& ex illis plura absurda & inconvenientia sequi. Contra illa militare videtur decretum ab Innocentio XI. nuper editum, , ut ibidem ostensum est. p.418. num. 88.

Omnia quæ olim à Pelagianis & Semipelagianis contra Augustini sententiam objiciebantur , nunc à defensoribus scientiæ mediæ Thomistis opponuntur, & ex Augustini doctrina ab ipsis diluuntur. Unde meritò licet illud Prosperi contra Collatorem reponere : *Quid de elisarum argumentationum ratiunculis fracta studetis arma colligere ?* Ibidem p.420. n.96. & sequentibus.

Lessius Decreta Thomistarum *ferrea & adamantina* vocat. Thomistæ decreta indifferentia Lessij & aliorum Recentiorum , rectiùs decreta *cerea & plumbea* appellare possunt, utpotè quæ sponte liquescant , & sigillationem ab humana voluntate expectent. Vel ut veriùs dicam, decreta illa *vitrea* meritò dici possunt , ut enim verbis Augustini utar : *Quasi lucent vanitate , sed franguntur veritate.* Ibidem ante numerum 57. & num.96.

Argumentum desumptum ex inexcusabilitate peccatorum, in Adversarios retorquetur, & multipliciter diluitur. Ibidem pag.426. n.122.

Divinorum decretorum efficacia , ad statum innocentiæ Angelorum & hominum , etiam juxta Augustini mentem & doctrinam , extendenda est. Ibidem pag. 434. num. 60. & sequentibus.

In Deo admittenda sunt decreta conditionalia. Tomo 1. pag. 281. n.27.

Deus.

Deum esse,est propositio per se nota quoad se, non tamen quoad nos. Tomo 1. p. 34. n. 5. & 6.

Quinque rationes principales elegit D.Thomas ad probandum Deum esse , & ad destruendum atheismum ; sicut olim David ad debellandum & prosternendum Goliath , elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente , & misit eos in peram pastoralem. Ibidem pag. 37. n. 25. & sequentibus.

Existentia Dei ex magno & parvo mundo , id est ex artificiosa mundi structura , & mirabili hominis compositione demonstratur. Ibid. p. 42. n.48. & sequentibus.

Summi Numinis unitas duodecim rationibus demonstratur , ostenditurque polytheismum esse atheismum, seu plurium Deorum admissionem, esse unius veri Dei negationem , juxta illud Tertulliani : *Veritas Christiana distinctè pronuntiavit , Deus si non unus est , non est.* Ibidem p.46. n.65. & sequentibus.

Hoc Deus est , quod *cùm dicitur , non potest æstimari ; cùm definitur , definitione crescit* , ut Nazianzenus ait : Ibidem initio disputationis secundæ. pag.49.

Natura divina , sub ratione naturæ , seu principij radicalis attributorum, non constituitur per infinitatem, vel per rationem entis increati, & per essentiam , aut per intellectualitatem radicalem , sed per ipsum intelligere actuale. Ibidem p.51. n.10. & sequentibus.

Non datur distinctio virtualis inter essentiam Divinam , sub conceptu essentiæ , & sub conceptu naturæ. Ibidem pag. 50. num. 5. & sequentibus.

Deus simplicissimus est , & omnis realis compositionis expers. Ibid. p.83. n. 3.

Non debet in illo admitti compositio rationis ex genere & differentia. Ibidem p.85. n.12.

Triplici bonitate bonus est , infinitus , immensus, & præsens in omnibus rebus per operationem, virtualiter transeuntem ; unde non est actu in spatiis imaginariis, sed potentiâ tantùm seu virtute. Est etiam immutabilis, subindeque æternus, & ut loquitur Dionysius, *omnium ævum & tempus : ante dies,ante ævum, ante tempus.* Quod egregiè declaratur Danielis 7. in visione illa, quâ antiquum dierum sedere vidit. Ibidem p.90. à n.34. usque ad 141.

Deliciæ paradisi.

Duæ differentiæ egregiæ inter delicias terrenas & cœlestes. Tomo 3. pag.54. n. 129.

Quàm ingens ex visione beatifica in beatis delectatio oriatur. Ibidem n.126.

Delectatio beatifica rectè torrenti comparatur. Ibidem n.127.

Deus in cœlesti gloria , æternum faciet electis suis convivium , in quo omnium deliciarum florem, & omnium bonorum medullam ministrabit , juxta illud Isaiæ 25. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc , convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ.* Ibidem pag.55. n.132.

Devotio.

Devotio est voluntaria quædam promptitudo ad Dei cultum & famulatum,juxta illud Exodi 15. *Egressaque omnis multitudo filiorum Israël obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino.* Est actus internus religionis.Tomo 4. pag.374. n.4.

Devotio Abrahami eleganter describitur à D.Ambrosio. Ibidem.

Dilectio Dei & proximi.

Dilectio Dei & dilectio proximi , ab eodem charitatis habitu procedunt : *Sunt duo* (inquit Gregorius) *isti amores, duæ quædam partes, sed unum totum est ex utrisque compositum ; duo annuli, sed catena una ; duæ actiones , sed una virtus ; duo opera , sed una charitas ; duo apud Deum merita, sed unum sine alio inveniri impossibile est.* Tomo 4. pag.351.n.62.

Dilectio inimicorum.

Dilectio inimicorum est signum prædestinationis, juxta illud Augustini : *Dilectio sola distinguit inter filios Dei & filios diaboli.* Unde Salomonis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Templi, quod cœlestis habitationis typus fuit, singulæ portæ ex olivarum lignis erant constructæ, ut significaretur, quod misericordia & inimicorum dilectio, cœli portas aperit. Tomo 2. pag. 68. n. 31.

Odium inimicorum non erat permissum in veteri lege. Tomo 3. pag. 56.

Disparitas cultus.

Unum ex impedimentis matrimonij est cultûs disparitas, quando scilicet baptizatus, sive Catholicus sit, sive Hæreticus, matrimonium init cum non baptizata, aut vice versâ: matrimonium enim inter illos contractum, jure Ecclesiastico irritum est, etsi persona nondum baptizata, sit catechumena & fidelis. Matrimonia cum Hæreticis non semper illicita sunt, sed possunt, justa de causa, permitti, vel tolerari. Tom. 5. pag. 630. n. 55.

Dispensatio.

Dispensatio est juris communis relaxatio, facta cum cognitione causæ, ab eo qui jus habet dispensandi. Tomo 3. pag. 558. n. 1.

Quomodo dispensatio differat à legis interpretatione, à privilegio, & absolutione. Ibidem n. 2. 3. & 4. declaratur.

Dispensatio rectè vulnus, seu vulneratio legis, appellatur. Ibidem p. 559. n. 5.

Dispensatio propriè & strictè sumpta, non cadit in legem divinam, sed solùm in legem humanam. Ibidem n. 6.

Non licet superiori subditum sine justa causa à lege humana dispensare; si tamen dispenset, dispensatio valida est, eâque uti potest inferior tutâ conscientiâ. Ibidem num. 9. & sequentibus.

Dispensatio facta à Summo Pontifice in votis, vel in aliis quæ sunt de jure divino, aut naturali, sine legitima causa invalida est, subindeque non licet sic dispensatione uti. Ibid. p. 560. n. 13.

Summus Pontifex potest validè dispensare, ex plenitudine suæ potestatis, in quibuscunque legibus ac statutis Conciliorum generalium, & aliorum Summorum Pontificum, etiam sine legitima causa; cùm omnes istæ leges sint juris humani, supra quod summus Pontifex habet supremam & plenam potestatem. Ibidem num. 14.

Divitiæ.

Divitiæ ab Apostolo comparantur stercori: quia nimirum sicut stercora congregata fœtent, effusa verò, & super terram dispersa, eam germinare, ac fructum copiosum afferre faciunt: ita divitiæ congregatæ, multa damna & mala avaris afferunt; dispersæ verò pauperibus per eleemosynas, copiosos meritorum fructus producunt. Unde Boëtius dicit quod illæ, *effundendo magis quam congregando, meliùs nitent.* Tomo 3. pag. 28. num. 5.

Propheta divites avaros, *viros divitiarum* appellat, non divitias virorum, ut ostendat eos non esse possessores divitiarum, sed à divitiis possideri, ut rectè annotavit Ambrosius. Ibid. num. 4.

Divitiæ comparantur spinis à Christo, quia, ut ait Gregorius, *cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant.* Ibidem.

Augustinus de illis ait: *si fuerint supra nos demergent nos, si fuerint infra nos, attollent nos.* Tomo 3. p. 565. n. 16.

Dona Spiritus Sancti.

Dona Spiritus Sancti sunt habitus distincti à virtutibus infusis, sive Theologicis, sive moralibus. Tomo 3. pag. 341. num. 4. & sequentibus.

Septem dantur Spiritus Sancti Dona, figurata per septem oculos super lapidem unum, de quibus fit mentio Zachar. 3. & per septem lucernas, de quibus dicitur Exodi 25. *Facies lucernas septem, & pones eas super candelabrum,* & denique per septem crines, in quibus fortitudo Sansonis posita erat, ut habetur Judicum 16. Ibidem p. 343. n. 25. & 26.

Hæc septem dona in particulari, ibidem p. 344. n. 27. & sequentibus, explicantur.

Dotes animæ beatæ.

Cùm in beatitudine sit conjunctio perpetua inter animam & Deum, & veluti spirituale quoddam connubium, rectè à Theologis assignantur dotes, quasi ornamenta quædam sponsæ, seu animæ beatæ, scilicet visio, comprehensio seu tentio, & delectatio. Tomo 3. pag. 73. n. 1. & sequentibus.

Hujusmodi dotes consistunt in habitibus, connotando operationes, tanquam proprios actus. Ibidem p. 74. n. 9.

Dos comprehensionis consistit in habitu gloriæ, ut tenente habitualiter visionem, quæ est tentio & comprehensio actualis. Ibidem p. 75. n. 17. & sequentibus.

Dotes corporis glorioſi.

Quatuor sunt dotes corporis glorioſi, nimirum impassibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas. Ibidem pag. 76. n. 25.

De illis sigillatim agitur ibidem n. 26. & sequentibus.

E.

Ecclesia.

Ecclesia rectè definitur societas visibilis fidelium baptizatorum, sub uno capite Christo in cœlis, & Vicario ejus in terris, inter se eodem cultu communicantium. Tomo 4. p. 261, n. 1. & 2.

Non potest errare in rebus fidei, etiam per ignorantiam invincibilem & inculpabilem. Ibidem pag. 262. n. 7. & sequentibus.

Lunæ & Soli meritò comparatur. Ibidem p. 263. n. 14. & sequentibus.

Quatuor sunt notæ veræ Ecclesiæ, quæ soli Ecclesiæ Romanæ competunt. Ibidem p. 265. n. 27. & sequentibus.

Ecclesia ut mater diligenda est juxta illud Augustini: *Amemus Dominum nostrum, amemus Ecclesiam ejus, illum sicut patrem, illam sicut matrem; illum sicut Dominum, hanc sicut ancillam, quia filij ancillæ ipsius sumus.* Ibidem p. 269. num. 44.

Ecclesia Romana, & fidei puritate, & morum innocentiâ præfulget, unde meritò dicere possumus, mysticas hujus purissimæ columbæ pennas, fidem scilicet & mores, esse deargentatas, & pallore auri fulgentes; cùm illa, & fulgore sapientiæ, per aurum designatæ, & morum candore, per argentum expresso, mirum in modum resplendeat. Tomo 3. in dissertatione de probabilitate. pag. 296. n. 166.

Ecclesia medium tenet locum inter synagogam, & paradisum, ut docet Dionys. c. 5. de Ecclesiastica hierarchia. Idem affirmat Eucherius his verbis: *Tria sibi Deus tabernacula fecit: synagogam, quæ*

quæ umbras habuit sine veritate; Ecclesiam quæ veritatem & umbras habet; cœlum, ubi nullæ sunt umbræ, sed nuda veritas. Tomo 5. p. 25. n. 2.

Electio.

Electio est substantialiter actus voluntatis, licèt præsupponat specialem motionem & ordinationem rationis. Tomo 3. p. 180. n. 1.

Electio non est de fine, sed tantùm de mediis. Ibidem pag. 182. n. 11. & seq.

Minus bonum, cognitum ut tale, & voluntati propositum, non potest eligi, relicto meliori, Ibidem p. 183. n. 23.

Si duo media æqualia proponantur, neutrum potest eligi, donec intellectus in uno aliquam rationem seu convenientiam excogitet, ob quam præmineat & præponderet alteri. Ibid. p. 184. num. 28.

Suppositâ efficaci & absolutâ intentione finis, si unum tantùm occurrat medium ad illum obtinendum, voluntas ad ejus electionem necessitatur. Ibidem pag. 187. num. 50. & sequentibus.

Electio prædestinatorum ad gloriam,
Vide prædestinatio.

Eleemosyna.

Falsa & erronea est Vazquis, & aliorum recentiorum Casuistarum sententia, asserentium nunquam teneri aliquem ad eleemosynam, præcisè ex superfluo statûs, cùm vix unquam hujusmodi superfluum (inquiunt) in sæcularibus, etiam in Regibus, inveniatur. Tomo 3. in dissertatione de probabilitate, pag. 293. n. 152.

Eleemosyna in scriptura nomine justitiæ exprimitur, quia, ut ait Gregorius, *cùm qualibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur; justitiæ debitum potiùs solvimus, quàm misericordiæ opus implemus,* &c. Ibidem n. 153.

Eleemosyna (inquit Ambrosius) *est aliud animarum lavacrum, imò indulgentior est eleemosyna, quam lavacrum.* Tomo 5. pagina 470. num. 25.

Per eleemosynam Dei beneficentiam exprimimus, & in nobis repræsentamus, juxta Gregorium Nissenum: imò, juxta Nazianzenum, *misericors fit quasi Deus, Dei misericordiam imitando.* Ibidem.

Episcopatus.

De fide certum est, Episcopos, jure divino, dignitate, & potestate, esse Presbyteris superiores. Tomo 5. pagina 526. num. 3. & sequentibus.

Episcopatus non est Ordo distinctus à sacerdotio, sed solùm ipsius sacerdotij extensio, & excellentissimum ejus complementum. In consecratione tamen Episcopali confertur gratia ad rectè & debitè præstanda munera Episcopalia. Ibid. p. 529. n. 21. & sequentibus.

Adeò necessariò requiruntur tres Episcopi ad unius consecrationem, ut in eo Summus Pontifex dispensare non possit. Ibidem p. 531. n. 40. & sequentibus.

Epiikia.

Epiikia sic definitur ab Aristotele 5. Ethicor. cap. 10. *Emendatio legis ea ex parte quâ deficit propter universale.* Tomo 3. pag. 557. n. 2.

Legis humanæ interpretatio per epiikiam, in aliquibus casibus necessaria est. Ibidem.

Epiikia non solùm potest interpretari legem, quando evidens est esse illicitum verba legis observare, sed etiam, quando est evidens, nimis durum esse observare illam. Ibidem n. 3.

Stante judicio dubio non habet locum Epiikia, sed conveniri debet superior, vel non est agendum præter verba legis. Ibidem n. 4.

Quando probabiliter judicatur legem non comprehendere aliquem casum, licet uti Epiikia, dummodò tunc non habeatur aliud judicium, quo probabilius existimetur casum illum comprehendere. Ibidem p. 558. n. 7.

Esaü.

Apostolus ad Hebræos 12. Esaü inter peccatores & impœnitentes numerat, quod non leve argumentum est, ipsum non veram pœnitentiam erga Deum habuisse. Tomo 2. pagina 74. num. 30.

Cùm Propheta dixit, *Esaü odio habui*, significatur, Deum in illo odisse peccatum originale, ut docet Augustinus epist. 105. his verbis: *Quid oderat in Esaü, antequam faceret aliquid mali, nisi originale peccatum?* Ibidem pag. 81. num. 76.

Esaü est typus omnium reproborum, unde probabilius est, ipsum non solùm à temporali hæreditate, sed etiam à cœlesti regno fuisse exclusum. Ibidem p. 74. n. 27.

Eva.

Formatio Evæ ex Adamo describitur. Tomo 2. p. 466. n. 14.

Cur Deus Gen. 2. dicatur ædificasse costam, quam tulerat de Adamo, in mulierem. Ibidem num. 15.

Cur costam Adæ adhibuerit Deus ad Evæ productionem, variæ & egregiæ, ibidem n. 16. assignantur rationes.

Non tantùm una costa, sed & caro, ex Adamo sumpta est ad Evæ productionem. Ibid. p. 467. num. 17.

Moyses ait, quod Deus detractâ unâ ex costis Adami, ut ex ea formaret mulierem, *replevit carnem pro ea*, ut significaret mulierem ex viro accepisse robur & firmitatem, quam significabat costa; virum autem accepisse à muliere teneritudinem & mollitiem, quam denotabat caro ei loco costæ data. ibid.

Narratio formationis Evæ ex costa Adæ debet litteraliter & non metaphoricè intelligi. Ibidem num. 20.

Cur verò Scriptura dicat, quod Deus Evam adduxit ad Adam. Vide ibidem p. 468. n. 24.

Qualis fuerit serpens, qui tentavit Evam in Paradiso terrestri, eamque ad peccandum, & de ligno vetito comedendum, induxit; & cur Eva ad ejus aspectum non corruerit, nec obstupuerit, audiens secum illum loquentem? Ibidem p. 495. n. 12. & sequentibus.

Quomodo intelligi debeant verba illa Evæ Gen. 3. *Serpens decepit me*, & ista Apostoli: *Mulier seducta in prævaricatione fuit*: Vide ibidem p. 472. n. 45.

Eucharistia.

Veritas Eucharistiæ, seu vera & realis Christi in hoc Sacramento præsentia, contra Hæreticos defensa. Tomo 5. t. 4. totâ disp. procœmiali, quatuordecim articulos continente. Ubi articulo ultimo de concordia Ecclesiæ Græcæ cum Latina, circa transubstantiationem, & veram ac realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. p. 182. & sequentibus.

Sacramentum Eucharistiæ non consistit in usu seu sumptione, sed in aliquo permanenti, nempè in speciebus consecratis Ibid. p. 210. n. 5. & seq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sacramentum Eucharistiæ est unum specie infimâ & non plura specie diversa, ob unitatem finis, spiritualis scilicet & integræ refectionis, ad quem ex Christi institutione ordinatur. Plura tamen sunt numero sacramenta, quæ in diversis Ecclesiis vel altaribus consecrantur seu conficiuntur. Ibidem p. 216. n.46. & sequentibus.

Licèt Sacramentum Eucharistiæ in re susceptum, non sit medium necessarium ad salutem, benè tamen susceptum in voto saltem implicito, tacito, & interpretativo, quod in susceptione Baptismi & aliorum sacramentorum includitur. Ibidem p.220. n.76. & sequentibus. Ubi mens Augustini aperitur, & à nonnullorum calumniis vindicatur.

Christus cœnam Agni paschalis die seu lunâ 14. mensis primi ad vesperam celebravit, subindeque eadem die Sacramentum Eucharistiæ instituit. Ibidem p.225. n.107. & sequentibus.

Licèt solus panis triticeus sit sufficiens materia Eucharistiæ, potest tamen confici in pane azymo, vel fermentato: sed azymus convenientior est, cùm in eo Christus sacramentum Eucharistiæ instituerit & consecraverit. Ibidem p.230. n. 4. & sequentibus.

Solum vinum de vite est materia calicis. Ei ex præcepto Ecclesiæ debet modica aqua admisceri, quæ non convertitur in sanguinem Christi, nisi priùs fuerit conversa in vinum. Ibidem p.233. n.24. & sequentibus.

De jure divino est, ut sacramentum Eucharistiæ non conficiatur, nisi consecrando utramque speciem. Unde Summus Pontifex non potest dispensare, ut Sacerdos consecret in una tantùm specie. Ibidem p. 242. n. 86. & sequentibus.

Corpus Christi continetur ex vi verborum, sub specie panis, non verò anima, ut tribuit gradum vitæ, benè tamen, ut dat esse corporeum. Similiter sanguis continetur ex vi verborum sub specie vini, anima verò rationalis solùm per concomitantiam; seu, ut loquitur Tridentinum, ex vi illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini inter se copulantur. Ibidem p. 258. n.2. & sequentibus.

Sub specie vini corpus, & sub specie panis sanguis, & sub utraque specie divinitas, in hoc sacramento continentur, non ex vi verborum, sed per concomitantiam. Ibidem p. 259. n. 12. & sequentibus.

Corpus Christi est in hoc sacramento cum sua quantitate, totusque existit sub qualibet parte specierum, etiam ante fractionem, & sub quolibet indivisibili hostiæ consecratæ, tam continuativo, quàm terminativo. Ibidem p. 261. n.19. & sequentibus.

Præsentia sacramentalis corporis Christi sub speciebus, est modus aliquis supernaturalis quoad substantiam, additus corpori Christi; non est tamen accidentalis, sed substantialis, subindeque ad prædicamentum substantiæ reductivè pertinet. Ibidem p.264. n. 50. & sequentibus.

Christus in Eucharistia non potest moveri per se motu locali, benè tamen per accidens, ad motum specierum. Non potest tamen agere vel pati actione corporeâ. Ibidem p. 267. n. 66. & sequentibus.

Oculus corporeus supernaturaliter elevari potest ad videndum corpus Christi existens in Eucharistia, non tamen ad videndum ipsum modum quo in ea existit. Ibidem p. 270. num. 82. & sequentibus.

Corpus Christi desinit esse sub speciebus sacramentalibus, quando per corruptionem illarum, desitura fuisset propria illarum substantia. Ibid. p.272. n.103.

Forma consecrationis panis in his quatuor verbis, *Hoc est corpus meum*, essentialiter consistit. Ibidem p.282. n.2.

Probabilius est & menti ac doctrinæ S. Thomæ conformius, omnia verba quæ in consecratione calicis proferuntur, esse de substantia formæ calicis. Ibidem pag. 284. num. 15. & sequentibus.

Christus in consecratione sui corporis & sanguinis aliquibus verbis usus est, iisdem scilicet quibus à Sacerdotibus hoc sacramentum conficitur. Ibidem p.289. n. 50. & sequentibus.

Verba consecrationis recitativè simul & assertivè à Sacerdote proferuntur. Ibidem p. 290. n. 60. & sequentibus.

Varij ac mirabiles sunt hujus sacramenti effectus, nam præter gratiam sanctificantem, & habitualem, causat, quantùm est de se, gratiam quandam actualem, nempè excitationem charitatis, & actualem refectionem, cum quadam dulcedine & gaudio spirituali, juxta illud Cant. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi*. Unde S. Doctor opusc. 58. dicit quod in sacramento, *dulcedo in proprio fonte degustatur*. Tollit etiam peccata venialia, & præservat à mortalibus, causatque perseverantiam, & gloriæ adoptionem, unde Viaticum appellatur, quia dat virtutem perveniendi ad patriam. Ibidem p.293. & sequentibus.

Eucharistia habet etiam aliquos effectus in corpore, tum in hac vita, mitigando fomitem appetitus sensitivi, tum in alia, causando resurrectionem corporis, imò & splendorem quemdam specialem in corporibus eorum qui in hac vita sæpè & devotè communicarunt. Quod explicat Cyrillus Jerosolymitanus exemplo quorumdam vermium, qui corpora habent lucida & fulgentia sicut lucernæ. Ibidem p. 296. n. 11. & sequentibus.

Vinum quod luxuriæ incentivum est, ut ait Apostolus, mirabili quadam Dei dispositione, in Eucharistia fit virginitatis germen, & remedium contra concupiscentiam. Unde Pascasius libro de corpore & sanguine Christi cap. 21. *Felix fructus ubertatis, ex quo virginitas germinatur; nam hoc nostri generis vino castitas corrumpitur, isto verò virgines procreantur*. Et Glossa super illa verba: *Selmon mons Dei*, sic ait: *De corpore Christi manat umbra gratiæ, quæ nobis defensaculum est contra incentiva vitiorum, & carnalis concupiscentiæ*. Ibidem n.11.

Divina sapientia suam divinitatem & humanitatem ad modum lactis nobis exhibet in hoc sacramento, adimplens quod promiserat Isaïæ 60. *Mamillâ Regum lactaberis*. Ibidem pag. 294. num.4.

Christus in hoc sacramento satiat nos de torrentibus mellis & butyri, ut explicat D. Gregorius 15. Moral. Ibidem n.3.

Probabilius est, hoc sacramentum causare gratiam, quando primùm species sacramentales stomachum aut ventriculum attingunt. Ibidem p.300. n. 32.

Licèt ad recipiendam gratiam spiritualis refectionis & dulcedinis, requiratur devotio actualis, excludens mentis distractionem, & peccata venialia actu exercita, non tamen ad recipiendum

piendum augmentum gratiæ habitualis. Ibid. p.301. n.46.

Sacerdos sub duplici specie communicans, non plus recipit gratiæ, quàm laïcus, qui sub una tantùm specie communicat, si uterque sit æqualiter dispositus. Ibidem p. 303. num: 60. Unde Sacramentum Eucharistiæ figuratum fuit per manna, de quo Exodi 56. sic dicitur: *Non amplius habuit qui plus collegerat, nec qui minus paraverat, reperit minus*. Ibidem num.65.

Nullum jus divinum extat de laïca communione sub utraque specie, subindeque Ecclesia usum calicis prohibere potest, & convenienter, ac justis de causis, de facto prohibuit. Ibid.p.314. n.52. & sequentibus.

Solus Sacerdos potest hoc sacramentum conficere. Ibid. p.319.n.2. & sequentibus.

Diacono ex officio convenit sanguinem Christi populo dispensare, non potest tamen corpus Christi dispensare, nisi de mandato Presbyteri vel Episcopi. Ibidem p. 321. n.14.

De Eucharistia, ut est sacrificiu, vide verbo *Missa*.

Eutrapelia.

Eutrapelia est virtus quæ jocis & ludis modum rationis imponit. Tomo 4. pag.390. n.32.

Hujus virtutis necessitas ibidem ostenditur, variisque exemplis declaratur.

Exorcista.

Duplex fuit in primitiva Ecclesia Exorcistarum genus; alij fiebant ordinatione Episcopi, quo pacto S. Martinus à B.Hilario Exorcista constitutus est; alij verò Exorcistæ dicebantur, ob gratiam gratis datam, & donum expellendi Dæmones ab energumenis, quod à Deo acceperant. Tom.5.p.507. n.30.

Extrema-Unctio.

Extrema-Unctio, quæ solet in Ecclesia adhiberi infirmis de vita periclitantibus, est verum novæ legis sacramentum. Tomo 5.p.480.n.2.

Ejus materia remota est oleum ab Episcopo benedictum; materia proxima, unctio ex tali oleo: Forma in verbis istis consistit: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum*, &c. Ibidem p. 483. n.19. & sequentibus.

Effectus primarius & proprius hujus sacramenti, non est remissio peccatorum venialium aut mortalium, ex inadvertentia in confessione omissorum, sed augmentum gratiæ habentis jus speciale ad auxilia quibus infirmus confortetur & roboretur contra Dæmonis tentationes in ultimo agone concurrentes. Ibidem p.488. n. 2. & sequentibus.

F

Fatum.

Duplex in rebus humanis potest distingui fatum, unum Ethnicum & prophanum, à Gentilibus olim confictum; aliud Christianum & Catholicum, à D. Augustino, & S.Thoma receptum. Primum est libertati contrarium, & necessitatem antecedentem & absolutam in rebus humanis inducens; secundum verò libertati non præjudicat, sed potiùs eam fovet, perficit, firmat, & causat. Tomo 1. p. 422. num. 109.

D.Thomas quodlib. 12. quæst. 3. art. 4. ait posse concedi omnia subjici fato, si nomine fati intelligamus divinam providentiam, omnia quæ fiunt in mundo prædeterminantem & præordinantem; quamvis hoc nomine fati non deberemus uti, quia nec nomina cum Gentilibus convenit habere communia. Unde ibi tandem cum Augustino concludit: *Si quis hoc modo intelligat fatum, sententiam teneat, linguam corrigat, ut non dicat fatum, sed providentiam Dei*. Idem docet 1. parte quæst.116. art. 3. Ibidem.

Fides.

Fides est habitus vel actus supernaturalis intellectûs, quo veritatibus à Deo revelatis, propter ipsius revelationem & authoritatem, certò quidem, sed inevidenter assentimur. Tom. 4. pag. 205. n.1.

Objectum ejus formale quod, est Deus, sub ratione primæ veritatis in essendo, subindeque sub ratione deitatis; objectum verò formale sub quo, est veritas prima in dicendo, non præcisè sumpta, sed ut connotans primam veritatem in cognoscendo, seu summam & infinitam Dei sapientiam, ratione cujus in seipso falli nequit. Demum objectum materiale illius complectitur omnia, quæ divinâ revelatione nobis innotescunt, & quæ duodecim articulis symboli comprehenduntur, vel ad eos reducuntur. Ibidem pag. 206. n.4. & sequentibus.

Ultima resolutio nostræ fidei, quoad propositionem credendorum, fit in ipsam Ecclesiam à Spiritu Sancto directam, quâ veluti organo fidelibus loquitur, & credenda proponit ac revelat. Quoad assensum verò quem fideles eis præbent, fit solùm in primam veritatem, non verò in Ecclesiæ testimonium. Ibidem pag. 210. n. 41. & sequentibus.

Nec ex parte Dei revelantis, nec ex parte hominis credentis, fidei falsum subesse potest. Ibidem pag.216. n. 82. & sequentibus.

Quomodo obscuritas pertineat ad rationem formalem fidei. Vide ibidem p. 222. n. 134. & sequentibus.

Non possunt esse simul in eodem subjecto actus nec habitus fidei & scientiæ ac visionis claræ de eadem veritate, benè tamen habitus fidei cum actu scientiæ evidentis, seu claræ Dei visionis, per modum transeuntis communicatæ. Ibidem p. 224. n. 146. & sequentibus.

Evidentia in attestante cum fide compossibilis est. Ibidem pag. 231. n.196.

Mysteria fidei evidenter credibilia sunt. Ibidem p.235. n.224.

Varia sunt credibilitatis nostræ fidei motiva seu argumenta, quæ tamen ad duodecim præcipua reduci possunt, quæ sunt veluti duodecim stellæ, quibus præfulget mystica corona Ecclesiæ, ut dicitur Apocal.12. Ibid. p.237. n. 238. & sequentibus.

Ad actum fidei internum requiritur pia motio voluntatis, quâ determinet & moveat intellectum, ut credat id quod ipsi cum obscuritate proponitur; ad eam tamen eliciendam, non requiritur virtus, vel qualitas habitualis, sed sufficit auxilium actuale. Ibid. p.303. n. 2. & sequentibus.

Actus internus fidei supernaturalis, est omnibus adultis simpliciter necessarius necessitate medij ad salutem; ita ut sine illo in re habito justificari & salvari non possint, secundùm legem ordinariam. Ibidem p.306. n.28.

Ante Christi adventum, seu in lege naturæ, & lege scripta, fides explicita Christi, seu Redemptoris & mediatoris venturi, non fuit necessaria necessitate medij ad salutem; sed satis erat credere, Deum per suam providentiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

velle homines à peccatis liberare, illisque de rebus ad salutem necessariis providere. Ibidem p.309. n.50. & sequentibus.
Post sufficientem legis Evangelicæ promulgationem, fides explicita mysterij Incarnationis & Trinitatis, necessaria est necessitate medij ad justificationem & æternam beatitudinem. Ibid. p.311. n. 67. & sequentibus.
Externa fidei confessio à virtute fidei elicitur, & non solùm imperatur. Ibidem. p. 316. n.96.
Præceptum de fide exteriùs profitenda, non obligat fideles, datâ quavis profitendi occasione, sed tantùm in quibusdam casibus; unde per se loquendo licitum est Pastoribus & Prælatis fugere vel se occultare tempore persecutionis. Ibid. p.318. n. 111.
Fides informis, & à charitate separata, est quidem vera virtus, sed non perfecta. Ibidem p. 321. n.3. & sequentibus.
Fides nec est virtus moralis, nec intellectualis, sed Theologica. Ibidem. n.8.
Fides ordine originis est prior spe & charitate; ordine verò dignitatis, est quidem inferior charitate, sed perfectior spe, & virtutibus moralibus infusis. Ibidem pag. 322. num. 14. & sequentibus.
Dotes & prærogativæ fidei, à Guillielmo Parisiensi descriptæ. Ibidem p.523. n. 17.
Fides, etiam prout est in nobis, omnes cognitiones naturales in certitudine excedit, licèt quoad nos sit minùs certa scientiis naturalibus, & habitu primorum principiorum. Ibidem n. 18. & sequentibus.
Fides non est propriè discursiva, sed rebus revelatis immediatè assentitur. Ibidem p.324.n. 23.
Fides remanet in peccatoribus, non verò in hæreticis, aut in dæmonibus, vel in damnatis. Ibid. n. 26. & sequentibus.
Causæ fidei, & præcipui ejus effectus, n.70.recensentur. pag.330.

Finis.

Actus voluntatis qui versantur circa media, vel circa finem nondum obtentum, sunt propter finem; secùs verò illi qui finem jam adeptum supponunt, ut fruitio, & delectatio de fine jam adepto. Tom. 3. pag. 6. n. 21. & sequentibus.
Bruta non se movent & dirigunt in finem, operando gratiâ finis, sed ad finem diriguntur & moventur ab Authore naturæ. Ibidem pag.10. n. 59. & sequentibus.
Deus in actibus liberis agit propter finem, non verò in necessariis, essentialibus, aut notionalibus. Ibidem pag. 14. n.86. & sequentibus.
Finis intermedius, verè & propriè habet rationem finis. Ibidem p. 16. n. 94. & sequentibus.
Non potest idem homo, pro eodem tempore, efficaciter appetere duos ultimos fines totales & adæquatos; benè tamen unum efficaciter, & alium inefficaciter. Ibidem pag.18. n.121.
Quomodo quæcunque vult homo velit propter ultimum finem: Vide ibidem p. 23. num.152. & sequentibus.

Fortitudo.

Fortitudo est virtus existens in irascibili, coercitiva timoris, & audaciæ moderativa, instantibus periculis. Tomo 4. p.382. n. 1.
Duplex est actus ejus, aggredi & sustinere, inter quos iste potior est, ut eleganter declarat Gregorius homil. 35. in Evang. his verbis: *Minor est victoria urbes expugnare, quia extra sunt quæ vincuntur: majus autem est quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus superatur, & semetipsum sibimetipsi subjicit, quando cum patientia in humilitate tolerantiæ stravit.* Unde martyrium est principalis actus fortitudinis. Ibidem num.3. & seq.
Vitia opposita fortitudini tria præcipuè numerantur, nimirum timiditas seu ignavia, intimiditas seu vacuitas timoris, & temeritas, seu nimia audacia. Ibidem p.393. n.16.

Fructus Evangelici.

Fructus Evangelici realiter differunt ab aureolis. Tomo 3. pag. 81. n. 58.
Fructus trigesimus, sexagesimus, & centesimus, licèt diversis rebus accommodari possit, speciali tamen ratione competit virtuti continentiæ. Ibidem n. 62.
Convenienter distinguuntur tres continentiæ partes, scilicet conjugatorum, viduarum, & virginum, quibus fructus trigesimus, sexagesimus, & centesimus correspondent. Ibidem pag. 82. num.66.

Fructus Spiritus Sancti.

Fructus Spiritus Sancti sunt quædam opera virtutum, procedentia ex motione Spiritus Sancti, quæ sunt delectabilia & fructuosa, quæ dicuntur etiam flores respectu beatitudinis, quia sicut ex floribus accipitur spes fructûs; ita ex operibus illis habetur spes vitæ æternæ & beatitudinis. Tomo 3. pag.346. n.38.
Fructus Spiritus Sancti sunt duodecim, quæ recensentur ab Apostolo ad Galat. 5. Ibidem num.39.

Fruitio.

Fruitio, nec est possessio objecti concupiti, nec ejus amor, sed delectatio ex amore & præsentia rei causata. Tomo 3. p. 177. n.3.
Duplex dari potest fruitio ultimi finis, una perfecta, quæ habetur in patria de Deo clarè viso; alia imperfecta, quæ habetur hîc in via de Deo per spem & amorem imperfectè possesso, de qua dixit Apostolus ad Roman. 12. *Spe gaudentes.* Ibidem pag. 178. n.9.

Furtum.

Falsa & erronea est Baunij sententia asserentis quod non tenetur quis sub peccato mortali restituere quod ablatum est per parva furta, quantumcunque sit magna summa totalis. Tomo 3. in dissertatione de probabilitate. p.289. num.133.

Futurum.

Futurum est id quod est determinatum in causa, ad habendam existentiam pro duratione sequenti. Tomo 1. pag.224. n.1.
Duplex est futuritio, una certa & infallibilis, per ordinem ad causam primam; & altera fallibilis & impedibilis, per ordinem ad causas inferiores contingentes, vel liberas, de qua locutus Aristoteles 2. de genera. textu 64. dixit: *Futurus quis incendere, non incedet.* Ibidem num.7.
Nihil est determinatè futurum ante decretum & prædefinitionem divinæ voluntatis. Ibid.p.230. n.34. & sequentibus.

G

Gaudium.

GAudium & amor in Deo virtualiter distinguuntur. Tomo 1. pag.445. n.19.
Quàm ingens sit gaudium beatificum & quæ præcipuæ ejus causæ, per fructus quos exploratores

tores de terra promissionis attulerunt, insinuatur. Tomo 3. pag.55. n.131.
Gaudium illud adeò ingens est, ut humano corde concludi nequeat; quare melius dicitur homo in illud intrare gaudium, quàm illud gaudium cor hominis introire. Unde Anselmus in prosol. cap.26. *Tam magnum est de Deo gaudium cœlestis patriæ, ut non possit concludi in homine, & ideo homo intrat in gaudium illud incomprehensibile, & non intrat gaudium illud in homine, tanquam comprehensum ab homine.* Ibidem pag.54. num.129.
Causæ illius immensi gaudij eleganter describuntur ab Augustino de spiritu cap. 64. Ibidem num.131.

Gratia actualis, seu auxilians.

Homo in statu naturæ lapsæ potest sine gratia, seu auxilio speciali, aliquas, imò & singulas veritates naturales tam speculativas quàm practicas cognoscere, non tamen totam earum collectionem. Tomo 4. pag.29. num. 14. & sequentibus.
Ad assentiendum veritatibus supernaturalibus, & mysteriis fidei, requiritur auxilium supernaturale, non solùm in intellectu, sed etiam in voluntate. Ididem p.39. num.81.
Homo potest sine gratia sanctificante, & charitate, elicere aliquos actus honestos, & moraliter bonos; unde quæcumque fiunt à peccatoribus, ante adeptam justificationem, non sunt peccata. Ibidem p.42. n.101. & sequentibus.
Fides ad benè operandum non est ita necessaria, quin infideles, in statu infidelitatis, aliquos actus honestos exercere valeant. Ibidem p.44. n.118. & sequentibus.
Homo lapsus, sine auxilio speciali, & cum concursu generali Dei, aliqua opera honesta & moraliter bona, naturalis ordinis, efficere potest. Ibidem p.47. n.148.& sequentibus.
Homo in statu naturæ lapsæ non potest viribus liberi arbitrij, & cum solo concursu generali, Deum ut authorem naturæ efficaci dilectione diligere, imò supposita elevatione naturæ humanæ ad statum supernaturalem, ad talem dilectionem eliciendam, requiritur non solùm auxilium supernaturale, sed etiam gratia sanctificans; in statu verò naturæ puræ, cum solo auxilio speciali ordinis naturalis, eam elicere potuisset. Ibidem p.55. n.193. & sequentibus.
Homo in statu naturæ lapsæ non potest totam legem naturæ quoad substantiam observare, sine auxilio entitativè supernaturali, imò nec sine gratia habituali. Ibidem pag.64. n. 250. & sequentibus.
Non potest etiam, ex viribus naturæ, diu vitare peccata mortalia, quæ sunt contra legem naturalem, nec graves tentationes contra illa præcepta vincere. Ibidem pag. 68. n. 285. & sequentibus.
Homo in statu naturæ lapsæ, quantúmcumque sit justus & sanctus, non potest ex vi auxiliorum quæ communi lege gratiæ annectuntur, omnia peccata venialia per totam vitam, vel per longum tempus vitare; sed ad hoc specialissimo auxilio seu privilegio indiget, quod soli Beatissimæ Virgini fuit concessum; licèt aliqui sancti speciale privilegium habuerint vitandi omnia venialia collectivè in aliqua certa & determinata materia. Ibidem p.72. n.317.& sequentibus
Requiritur speciale donum ad perseverandum in gratia usque ad mortem, etiam in adultis, qui post acceptam gratiam citò moriuntur, & in parvulis baptizatis, decedentibus ante usum rationis. Ibidem p.77. n.350. & 356.
Homo indigebat, etiam in statu innocentiæ, speciali auxilio ad perseverandum. Ibidem p. 80. n.370. & sequentibus.
Donum perseverantiæ finalis consistit formaliter in conjunctione gratiæ cum morte, ex efficaci glorificationis intentione imperata. Ibid. p.82. num.386. & sequentibus.

Gratia habitualis, seu gratum faciens.

Gratia gratum faciens, non est solus extrinsecus Dei favor, vel amor, sed forma aliqua homini intrinseca, nimirum qualitas aliqua entitativè supernaturalis, quæ est participatio physica & formalis divinæ naturæ, etiam formaliter & reduplicativè, ut infinita est, & actus purus, habetque totam essendi plenitudinem, imò & prout subsistit in tribus personis divinis. Ibidem pag.84. n.2. & sequentibus.
Gratia sanctificans participat aliquid de immutabilitate, infinitate, & omnipotentia Dei, tribuitque homini justo rerum omnium dominium, idque nobilius & fœcundius omni dominio civili. Ibidem pag. 94. num.64. & sequentibus.
Gratia sanctificans, licèt una & simplex qualitas, pro diversa tamen subjectorum in quibus recipitur capacitate & exigentia, multiplices & interdum specie diversos operatur effectus. *Sicut aqua, cùm unius sit speciei, vario modo operatur, dealbans in lilio, rubricans in rosa, perpurissans in viola*, ut ait Chrysostomus. Ibidem p. 98. num.90.
Gratia sanctificans est simpliciter perfectior charitate, lumine gloriæ, visione beatifica, imò & Dei maternitate. Demum, ut ait D. Thomas. *Bonum gratiæ unius, majus est quàm bonum naturæ totius universi.* Quæ verba expendens Cajetanus subdit: *Ante oculos tuos semper die nocteque tene, quod bonum gratiæ unius, est melius quam bonum naturæ totius universi, ut continuè videas damnationem imminentem non æstimanti tantùm bonum oblatum.* Ibid. pag.98. n.91. & sequentibus.
Gratia sanctificans reddit hominem filium Dei adoptivum, eaque sola talem effectum præstare potest. Ibidem pag.100. num.105. & sequentibus.
Gratia habitualis realiter distinguitur à charitate, quare subjectatur immediatè in anima, non autem in voluntate. Ibidem pag.107. n.151.& sequentibus.
Nulla creatura, quantúmcumque perfecta, nequidem Christus, inquantùm homo potest esse causa principalis gratiæ sanctificantis. Ibidem p.118. n.1. & sequentibus.
Gratia sanctificans, neque propriè creatur, neque concreatur, sed de potentia obedientiali animæ educitur. Ibidem p.122. n.32.
Ad gratiam sanctificantem requiritur aliqua dispositio, quæ in adultis est motus liberi arbitrij, in parvulis verò virtutes infusæ, quæ cùm ipsam semper comitentur, & ab ea sint inseparabiles, dispositiones ejus concomitantes dici possunt. Ibidem p.125. n.59.
Nullus, seclusâ revelatione, potest esse certus, certitudine fidei, se esse in gratia, imò nec de hoc habere certitudinem moralem, omnem formidinem & dubietatem excludentem, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

duntaxat probabilem & conjecturalem. Ibidem p.127. n.3. & seq.

Gratiæ gratis datæ.

Gratia interna convenienter dividitur in gratiam gratum facientem, & gratis datam. Tomo 4. p.112. n.4.

Diviſio gratiæ gratis datæ, in novem ab Apoſtolo aſſignatas, adæquata eſt. Ibidem n.7.

Aliquæ ex gratiis gratis datis ſunt in homine per modum motionis tranſeuntis: juxta illud Gregorij Magni homil. 9. ſuper Ezechiel. *Spiritus Sanctus in Sanctorum cordibus, juxta quaſdam virtutes ſemper permanet, juxta quaſdam verò, receſſurus venit, & venturus recedit, &c.* Ibid. p.113. & ſequenti n.9.

Gratia ſufficiens.

D. Thomas ſub nomine auxilij Dei, utrumque auxilium tam ſufficiens, quàm efficax comprehendit, cùm utrúmque ſit quædam Dei motio, quâ ad actus ſupernaturales perfectos vel imperfectos animam applicat. Tom.1. p.398, num.147.

Auxilium ſufficiens, ab efficaci diſtinctum, agnoverunt veteres Thomiſtæ Cajetanus, Ferrarienſis, Soto, & alij. Ibidem 149.

Nomine auxilij ſufficientis Theologi intelligunt illud quod dat potentiæ complementum & totam virtutem ſeu ſufficientiam; unde licèt detur auxilium quod admittunt Thomiſtæ, & ſufficiés appellant, non eſſe ſufficiens grammaticaliter, eſt tamen ſufficiens theologicè. Ibid. n.152. & & ſequentibus.

Licèt Deus omnibus offerat vel præparet auxilia ad ſalutem ſufficientia, omnibus tamen non confert, nec omnes ea recipiunt, ſed plures illis privantur in pœnam peccati mortalis, actualis, vel originalis. Omnibus tamen juſtis, inſtante præcepti ſupernaturalis obligatione, ſemper auxilium ſufficiens conceditur. Tomo 2. p.94. n.160. & ſeq.

Gratia efficax.

Efficacia decretorum & auxiliorum probatur ex orationibus Eccleſiæ, Dei promiſſionibus, & ex inſcrutabilitate hujus quæſtionis, *cur vocatio & gratia Dei in uno ſit efficax, non verò in altero?* Tomo 1. pag.406. num.30. & ſequentibus.

Divina decreta & auxilia, eſſe ex ſe & ab intrinſeco efficacia, oſtenditur ex verbis Apoſtoli 1. Corinth. 4. *Quis enim te diſcernit?* pag. 408. n.38.

Martinonus in Anti-Janſenio fusè oſtendit omnia argumenta, quæ ex læſione libertatis, vel inſufficientia auxilij ſufficientis fieri ſolent contra gratiam de ſe efficacem & phyſicè prædeterminantem, militare contra gratiam congruam, quam Suarez, Vaſquez, & alij admittunt, omneſque Societatis Theologi, ex præſcripto & decreto Claudij Aquavivæ, ejuſdem Societatis Generalis, docere tenentur. Ibidem p. 427. n.126. & ſeq.

Gratiæ efficaci poſſumus ponere obicem, ex viribus liberi arbitrij, non tamen ad illius receptionem nos diſponere. Ibidem pag.430. n.143.

Leo Papa ſerm.8. de Ephiphania: *Hæc ſanctis cauſa eſt tremendi atque metuendi, ne ipſi in operibus pietatis elati, deſeranturope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* Ibid. n.145.

Omnibus veraciter humilibus habenda ſemper præ oculis eſt hæc Richardi Victorini ſententia: *Gratia quam ſemel homo accepit ante peccatum, juſtè ſubtrahi non potuit, quam etſi præter meritum acceperat, ſine culpa tamen amittere non debebat: nunc autem omni horâ poteſt juſtè ſubtrahi, quia nunquam poteſt homo ſine culpa inveniri.* Ibid. n.145.

Superbia & præſumptio, ac in propriis viribus fiducia, maximum divinæ gratiæ ponunt obicem, ut eleganter declarat D. Bernardus. Ibidem num.146.

Gratia moraliter excitans & gratia phyſicè præveniens, ſunt veluti duo brachia Dei, animam complectentia, de quibus dicitur in Canticis: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabiturme.* Ibid. pag.432. n.150.

Gratia Sacramentalis.

Gratia ſacramentalis addit ſolùm ſupra gratiam habitualem jus quoddam ad ſpecialia auxilia quæ Deus confert his qui ſuſceperunt Sacramenta, quando illis auxiliis opus habent in ordine ad proprium finem cujuſlibet Sacramenti. Tom.5. p.69.num.202.

Gratia Chriſti ſubſtantialis.

Humanitas Chriſti Domini eſt grata & ſancta formaliter, per aliquod donum ſubſtantiale, à gratia habituali diſtinctum, nempè per gratiam unionis. Tom.4. p.535. n.2.

Divinitas, prout à perſonalitate diſtincta virtualiter, ſanctificat humanitatem Chriſti ſanctitate ſubſtantiali. Ibid. p.538.n.31.

Gratia Chriſti accidentalis, ſeu habitualis.

Præter gratiam ſubſtantialem unionis, fuit in anima Chriſti gratia accidentalis, ſeu habitualis, ei infuſa ab initio ſuæ conceptionis. Ibidem pag. 542. num.2. & ſequentibus.

Gratia habitualis fuit neceſſaria in anima Chriſti, ad completam illius ſanctificationem, & ut connaturaliter actus ſupernaturales eliceret, & inſuper ut connaturali modo præmium ſupernaturale mereretur. Ibidem numer. 3. & ſequentibus.

Gratia habitualis Chriſti in eſſe gratiæ, & in eſſe moris conſiderata, infinita dici debet. Ibidem p.559. n.9. & ſeq.

In Chriſto eſt plenitudo gratiæ, tàm intenſiva, quàm extenſiva, ſecundùm potentiam Dei ordinariam, potuit tamen eſſe major intenſivè, de potentia Dei abſoluta. Ibidem p.563. num. 40. & ſequentibus.

Gratia Chriſti capitalis.

Chriſtus, ut homo, eſt caput Eccleſiæ, ſubindeque omnium fidelium, etiam in mortali exiſtentium, non tamen hæreticorum, cùm illi ſint extra Eccleſiam. Ibid. p.569. n.2. & ſequentibus.

Chriſtus, ut homo, eſt caput Angelorum, in eos tamen non influit gratiam, & gloriam eſſentialem, ſed duntaxat accidentalem. Ibidem p.574. n.41. & ſequentibus.

Gratitudo.

Gratitudo eſt pars potentialis juſtitiæ, ad cujus munus pertinet, beneficium ab alio acceptum recognoſcere, & pro eo aliquod beneficium rependere, nempè gratiarum actionem, obſequium, cultum vel aliud beneficium. Tom.4. p.380. n.6.

Tres ſunt præcipui gradus gratitudinis, nempè beneficium agnoſcere & memoriâ tenere; ipſum declarare, benefactorem laudando, & gratias agendo, & facto ſeu rebus aliquid retribuere; pro loci, temporis, & aliarum circunſtantiarum ratione. Ibidem.

De

De hac virtute eleganter diſſerit D. Bernardus, qui etiam loquens de ingratitudine, ait quod illa eſt *ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ.* Ibidem, pag.393. num.12.

Henoch & Helias.

HEnoc aſſervatur vivus in Paradiſo, ut extremo mundi & Antichriſti tempore veniat, & omnibus pœnitentiam prædicet. Tom.2.p.488. num.58.

Hieronymus Henoch & Heliam *paradiſi colonos* appellat; Tertullianus *æternitatis candidatos*, quia eorum ſtatus eſt veluti medius inter ſtatum viatorum & comprehenſorum. Ibidem p.489, num.62.

Utrum in Paradiſo terreſtri degentes, de facto mereantur? Vide Tomo 4. p.173. n.35.

Henoch & Helias futuri ſunt ſecundi Chriſti adventûs præcurſores, Apoſtoli & Martyres ejus glorioſi, qui, ut loquitur Tertullianus, Antichriſtum ſanguine ſuo extinguent. Ibidem num.36.

Homo.

Cur mundo corporeo jam condito & ornato, homo poſtremo loco productus ſit? Tomo 2. p.463. n.1. ubi egregiæ ex SS. Patribus afferuntur rationes.

Inſignes hominis prærogativæ & excellentiæ inſinuatæ, his verbis Domini Geneſ. 2. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, &c.* Ibidem num.3. & ſequentibus.

Cur Deus tam vilem materiam, qualis eſt limus terræ, in productione hominis adhibuerit? Ibidem p.464. n.9.

Cur Deus in creatione & infuſione animæ hominis, uſus eſt verbo *inſpiravit*, ſeu *inſufflavit*? Ibid. num.10.

Primus homo creatus fuit à Deo perfectus ſecundùm ætatem, & quantùm ad molem ſeu magnitudinem corporis. Ibidem p.465. n.11.

Extra Paradiſum terreſtrem productus fuit. Ibidem n.12. Cur autem Deus noluerit ipſum creare in Paradiſo, egregiæ, Ibidem n.13. aſſignantur rationes.

Nazianzenus Orat. 42. hominem vocat *alterum Angelum, mixtum adoratorem, viſibilis creaturæ ſpectatorem, myſtam intelligibilem, eorum quæ in terra ſunt Regem, terrenum pariter ac cœleſtem.* Ibidem p. 463. n.2.

Tertullianus exiſtimat, Deum ab initio, in formatione hominis, & unione animæ ſpiritualis cum corpore, ex limo terræ formato, Divini Verbi incarnationem præfigurare voluiſſe: *Quodcunque enim* (inquit) *limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus.* Ibidem p.465.n.9.

Horæ canonicæ.

Falſa eſt quorundam Caſuiſtarum ſententia aſſerentium in recitandis horis canonicis ſufficere attentionem externam, & non requiri internam, ſubindeque quemlibet poſſe voluntariè diſtrahi. Tomo 3. in diſſertatione de probabilitate. pag.278. n.87.

Horologium.

Horologia, juxta Caramuelem, habent vim opinionis probabilis, & tamen idem Author in Theologia fundamentali Tom.2. n.374. ait horologia ferè omnia concepta eſſe in originali peccato, ſubindeque actualia neceſſariò committere. Tom.3. in diſſertatione de probabilit. p.280. n.90.

Humilitas.

Humilitas eſt virtus, quâ quis conſiderans ſuum defectum, tenet ſe in infimis, ſecundùm modum ſuum. Vel, ut ait D. Bernardus, *virtus quâ quis veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit.* Tomo 4. p.389. n.25.

Humilitas & magnanimitas inter ſe diſtinguuntur, licèt enim habeant cohibere affectum hominis ne inordinatè tendat in excelſa, diverſimodè tamen id præſtant. Ibid. n.26.

Differunt etiam inter ſe humilitas & religio, licèt magnam habeant adinvicem ſimilitudinem & affinitatem. Ibidem n.27.

Variæ ejuſdem virtutis prærogativæ & excellentiæ, Ibidem num.28. & 29. ex SS. Patribus recenſentur.

Humilitas eſt ſignum prædeſtinationis. Tom. 2. p.68. n.32.

Hypocriſis.

Chryſologus loquens de hypocriſi ait: *Crudeli arte virtutes necat mucrone virtutum, jejunium jejunio perimit, orationem oratione vacuat, miſericordiam miſeratione proſternit.* Tomo 3. p.228. num.24.

I.

Jacob.

JAcob non eſt mentitus, cùm dixit Patri: *Ego ſum primogenitus tuus Eſaü:* Tum quia primogenita illius ei de jure debebantur, & ſic ſe appellabat Eſaü, non in perſona, ſed in jure; ſicut Joannes dictus eſt Elias, non in perſona, ſed in ſpiritu: Tum etiam, quia loquebatur propheticè, & in ſenſu myſtico, ut ſcilicet deſignaret, quod minor populus, ſcilicet Gentilium, ſubſtituendus erat loco majoris, nempè Judæorum. Tomo 3. p.247. n.20.

Jacob & Eſaü fuerunt typus & figura omnium prædeſtinatorum, & reproborum, unde quamvis hæc verba Malachiæ: *Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui*, ad litteram intelligantur de electione & repulſu à bonis temporalibus, tamen in ſenſu myſtico & ſpirituali intelliguntur ab Apoſtolo ad Roman.9. de electione ad gloriam, & reprobatione ſeu excluſione ab illa. Tomo 2. p.74. n.27.

Ideæ Divinæ.

DAri in mente divina Ideas ſeu exemplaria creaturarum, Scriptura & SS. Patres manifeſtè declarant, ratioque multiplex demonſtrat. Tomo 1. p.331. num.9. & ſequentibus.

Eſſentia divina, cognita à Deo ut imitabilis à creaturis, habet rationem ideæ, non verò ut gerit vices intellectionis, aut ſpeciei & formæ intelligibilis. Ibidem p.333. n.25.

Quarum rerum Deus habeat ideas, Ibidem p.339. n.66. & ſequentibus explicatur.

De illis eleganter diſſerunt Auguſtinus lib.11. Confeſſionum cap.6. & lib. 12. de civit. Seneca Epiſt.65. Boëtius lib.3. de conſolat. & Dionyſius Carthuſianus lib. de Dei laudibus, quorum verba referuntur ibidem p.331. n.10. & ſequentibus.

Celebre eſt etiam dictum illud Platonis aſſerentis illum qui ideas contemplatur, dicturum eſſe Deum inter homines, ut refertur in fine præfationis Tractatûs de ſcientia Dei. p.189.

Jejunium.

Variæ circa legem jejunij novorum Caſuiſtarum laxitates referuntur ac refelluntur. Tomo 3.

in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Tractatu de probabilitate. pag.288. numero 126.

Ignorantia.

Ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter; ignorantia consequens, voluntarium simpliciter, & involuntarium secundùm quid; ignorantia verò concomitans, neque causat voluntarium, neque involuntarium, sed non voluntarium. Tom. 3. pag.108. n.131. & sequentibus.

Multiplex ignorantiæ divisio. Eodem Tomo p. 402. n.2. & sequentibus.

Ignorantia est causa peccati, non directè & per se, sed per accidens & indirectè, seu ut removens prohibens effectum. Ibidem n.5.

Ignorantia invincibilis & antecedens, non est causa peccati, sed ab illo excusat. Ibidem, & fusiùs in Tractatu de probabilitate. p.305.n.217. & sequentibus.

Quomodo dari possit ignorantia invincibilis juris naturalis. p.519. num.44. & sequentibus.

Imperium, seu actus imperij.

Imperium non est solùm constituendum in hominibus, respectu aliorum sibi inferiorum & subditorum, sed etiam in quolibet, respectu sui ipsius, suarumque operationum. Tom.3.p.193. num.36.

Imperium est substantialiter actus intellectûs, præsupponit tamen necessariò actum voluntatis. Ibidem p.196. n.58.

Quinam actus subdantur imperio rationis: Vide Ibidem p.199. n.83. & sequentibus.

Præter judicium regulans electionem, constituendum est in Deo imperium regulans usum & executionem. Tom.2. p.8. n.32.

Potentia executiva Dei, quæ est ejus scientia practica, omnia ad extra produxit per actum imperij formaliter immanentem & virtualiter transeuntem; juxta illud Psalmi 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Tom. 1. p.222. n.95.

Incarnatio.

Quid Incarnationis nomine significetur: Tom.4. p.400. n.1.

Varij Hæreticorum errores circa Incarnationis mysterium. Ibidem n.2. & sequentibus.

Judæorum error existimantium Messiam nondum venisse, testimoniis veteris testamenti confutatur. Ibidem p.403. n.16.

Possibilitas Incarnationis suadetur, & argumenta, quæ contra illam fieri solent, diluuntur. Ibid. p.405. n.1. & sequentibus.

Verbum divinum per Incarnationem non solùm non est extrinsecè mutatum, sed nec etiam innovatum. Ibidem pag.409. num.28.& sequentibus.

Possibilitas Incarnationis solo lumine naturali cognosci nequit. Ibidem p.412. n.53.

Mysterium Incarnationis Deo, homini, totique universo fuit convenientissimum In eod. Tom. pag.415. num.1. & sequentibus, ubi variæ & egregiæ Incarnationis convenientiæ declarantur.

Tres mixturæ factæ in mysterio Incarnationis. Ibidem. p.416. n.7.

Christus per Incarnationem quomodo crescerat invenit. Ibid. p.418. n.11.

Splendor divinitatis per mysterium Incarnationis temperatur, & nostræ naturæ claritas augetur: ideoque tale mysterium per electrum, quod fit ex mixtura auri & argenti, apud Ezechielem repræsentatur, ut eleganter declarat D. Gregorius. Ibidem n.12.

Incarnatio significatur per osculum, quod est præcipuum amoris & benevolentiæ signum, ut tradit. D. Bern. serm. 1. in Cantica. Ibidem numero 15.

Zeno Veronensis ait quod in cœlesti Zodiaco Virginem excipit libra, ut nosceremus per Christi ex Virgine adventum, advectam esse justitiam. Ibidem p.419. n.16.

Mysterium Incarnationis figuratum fuit per mysticam illam scalam, in qua Jacob vidit Angelos ascendentes & descendentes. Ibidem numero 19.

Ante Incarnationem Angeli patiebantur se ab hominibus adorari, sed post Incarnationem hoc nolunt permittere, quia vident naturam hominis Dei filio hypostaticè unitam, & ad tantum celsitudinis gradum evectam, ut quò altiùs attollatur non habeat. Ibidem n.19.

Per Incarnationem homines in ordine gratiæ habent caput homogeneum, & ejusdem naturæ, à quo omnium gratiarum charismata in membra defluunt. Ibidem p.420. n.20.

Per Incarnationem Deus dedit nobis perfectum exemplar omnium virtutum, & præclarissimum speculum, ut egregiè declarant D. Bernardus, & Drogo Ostiensis. Ibidem n.21.

Christus factus est homo, ut homo haberet in Deo unde fieri posset plenè beatus; in anima, videndo Christi Divinitatem; in corpore, videndo ejus humanitatem, sicque tota hominis conversio esset ad Christum. Ibidem num.22.

Per Incarnationem non solùm motivum, sed etiam facilitatem ipsum amandi, nobis Deus præbuit. Ibidem p.421. n.26.

Convenientius fuit Filium incarnari, quàm Patrem; vel Spiritum Sanctum, & naturam humanam potiùs quàm angelicam ab illo assumi. Ibidem p.422. n.31. & sequentibus.

Incarnatio convenienti tempore facta fuit. Ibid. p.423. n.35. & sequentibus.

Nulla pura creatura potest condignè satisfacere pro culpa mortali propria, vel aliena, subindeque necessarium fuit Deum incarnari, ad exhibendam Deo condignam satisfactionem. Ibid. p.424. n.2. & sequentibus.

Ex vi præsentis decreti, Verbum Divinum carnem humanam non assumpsisset, si homo non peccasset. Ibidem pag. 448. num.3. & sequentibus.

Solo existente peccato originali venisset Christus ex vi præsentis decreti, non verò existentibus solis peccatis actualibus. Ibid. p.456. n.72. & sequentibus.

Unio Verbi Divini cum humanitate, non est facta in natura, sed in persona. Ibid. p.458. n.3. & sequentibus.

Verbum unitur humanitati sine ullo prorsus medio aut modo ab extremis modaliter distincto. Ibid.p.464. n.46. & sequentibus.

Assumptio humanæ naturæ ad personam Verbi, creatio animæ Christi, & productio humanitatis, sunt actiones realiter inter se distinctæ. Ibidem p.468. n.77. & sequentibus.

Terminus totalis actionis unitivæ Dei est Christus, seu persona composita ex humana & divina natura; terminus verò formalis, est ipsa Verbi divini subsistentia, ut communicata humanitati. Ibid.p.470. n.91. & sequentibus.

Unio

Unio hypostatica, ex parte extremorum quæ uniuntur, non est maxima omnium unionum, benè tamen ex parte medij in quo uniuntur. Ibidem p.472. n.105. & sequentibus.

Beata Virgo non fuit elevata à Deo tanquam instrumentum ad conjungendam hypostaticè humanitatem Verbo Divino, Ibid. p.473. n.2. & sequentibus.

Christus per opera prioritate temporis vel naturæ præcedentia, Incarnationem non meruit; imò nec eam mereri potuit per opera subsequentia, vel prioritate naturæ antecedentia; potuit tamen de potentia absoluta eam mereri de congruo per opera prioritate temporis antecedentia; potuit enim humanitas Christi priùs tempore quàm uniretur Verbo produci, & in supposito sibi connaturali subsistere, sicque subsistens, opus supernaturale elicere, ordinatum ad Incarnationem merendam. Ibidem p.475. n.14. & sequentibus.

Christus non meruit suæ Incarnationis continuationem, nec B. Virginis maternitatem, hoc est ex Beatissima Virgine concipi & nasci, nec alias circunstantias Incarnationem antecedentes, vel concomitantes, benè tamen consequentes, ut Pastorum & Magorum adorationem, apparitionem stellæ &c. Meruit etiam reünionem suæ humanitatis ad Verbum, quæ fuit facta in resurrectione. Ibidem pag.479. n.41.& sequentibus.

SS. Patres qui Incarnationem præcesserunt, eam de condigno mereri non potuerunt; eam tamen de congruo quantùm ad substantiam, & quantùm ad accelerationem, aliasque circunstantias meruerunt. Ibidem p.482. num. 61. & sequentibus.

Beata Virgo, nec meruit, nec meteri potuit de condigno, ut esset Mater Dei, benè tamen de congruo. Ibidem p. 486. num.84. & sequentibus.

Verbum divinum terminat primariò & immediatè humanitatem per subsistentiam personalem & relativam, secundariò vero & mediatè, per subsistentiam communem & absolutam. Ididem p.488. n.3. & sequentibus.

Verbum non solùm subsistentiam, sed etiam existentiam in humanitate Christi supplevit, subindeque illa non per existentiam creatam & sibi propriam, sed duntaxat per divinam & increatam existit. Ibidem pag.493. num.34. & sequentibus.

Deus, ut communis tribus personis, ratione subsistentiæ absolutæ, potest alienam naturam assumere, illique immediatè uniri, subsistentiis relativis eam solùm secundariò terminantibus. Ibidem p.497. n.59. & seq.

Plures personæ divinæ possunt unam naturam assumere, & è contra una persona divina plures naturas. In utroque tamen casu non essent plures homines, sed unus homo. Ibidem p.499. n.78. & sequentibus.

Non potest etiam supernaturaliter, sive de potentia absoluta, persona creata, vel creabilis, alienam naturam terminare. Ibidem n.115.

Natura angelica assumptibilis est à persona divina. Ibidem p.508. n.3.

Natura etiam irrationalis completa, potest, de potentia absoluta, uniri hypostaticè Deo, & ab ipso assumi in unitatem suppositi. Ibidem num.8.

Implicat materiam primam assumi ad divinam subsistentiam, sine forma substantiali; anima tamen rationalis à corpore separata, est unibilis Deo, & ab ipso assumptibilis. Ibidem p.509. n.37. & sequentibus.

Partes integrales, puta caput, manus, brachium, quando sunt inter se & toti compositio unitæ, non possunt assumi, nisi assumatur compositum, si tamen separentur à toto, possunt assumi, etiam illo non assumpto. Ibidem p.514. n.55. & sequentibus.

Nullum accidens est immediatè assumptibile ad personalitatem seu subsistentiam divinam; non implicat tamen accidens uniri immediatè cum existentia divina. Ibidem p.516. n.73.

Natura creata, subsistens in propria persona, propriâ personalitate retentâ, non potest, etiam de absoluta potentia, uniri personæ divinæ, & per illius subsistentiam subsistere. Ibidem p.518. n.92. & sequentibus.

Hæc propositio (*Deus assumpsit hominem*) in rigore & proprietate sermonis non est vera. Ibid. p.521. n.109.

Humanitas Christi, actu unita Verbo, non habet inclinationem seu appetitum innatum, per modum actûs secundi, ad propriam personalitatem. Ibidem p.522. n.116.

Sanguis corporis Christi, non quidem purè nutrimentalis, sed naturalis, hypostaticè Verbo Divino unitus est, sivè ad ejus subsistentiam assumptus. Idem dicendum de aliis humoribus, & de spiritibus vitalibus, & animalibus, nec non de dentibus, unguibus, & capillis. Ibidem p.525. n.137. & sequentibus.

Sanguis Christi non solùm dum esset in corpore Christi viventis, sed etiam in triduo mortis, in quo mansit separatus à corpore, fuit hypostaticè unitus Verbo Divino. Ibid.p.529.n.161.

Ordine executionis priùs naturâ assumptæ sunt à Verbo partes humanitatis, quàm tota humanitas, & anima priùs naturâ quam corpus. Ibidem p.531. n.3.

Gratia habitualis in anima Christi existens, non habuit rationem medij, seu dispositionis physicæ, aut moralis, ad unionem hypostaticam cum Verbo; potest tamen dici medium congruetiæ respectu hujus unionis. Ibid. p.533.n.18.

Infernus.

Error Origenis asserentis pœnas damnatorum non esse in æternum duraturas, sed per misericordiam Dei tandem aliquando finiendas, impugnatur. Tom.3. p.454. n.95.

Ignis fornacis Babilonicæ, quadraginta novem cubitos supra fornacem ascendebat, nunquam tamen ad quinquagesimum, qui est annus Jubilei, perveniebat, ut per hoc significaretur, ignis tartarei combustionem fore perpetuam, & damnatos nunquam veniam seu indulgentiam peccatorum consecuturos. Ibidem n.97.

D. Cyprianus eleganter pœnas inferni describit serm. de Ascens. ad finem, sicut & D. Gregorius lib.15. Moralium. Ibidem n.98.

Propheta Regius loquens de damnatis ait: *Mors depascet eos*, non enim mors eos eradicabit, vitam ex toto auferendo, sed depascet, conservando radicem vitæ, ut iterum pullulent, iterum & iterum, atque in æternum depascendi. Unde Bernardus: *Mors depascet eos, quia semper morientur ad vitam, & semper vivent ad mortem.* Ibidem

Hugo Victorinus lib.4. de anima sic infernum describit: *Infernus profundum sine fundo, ubi nulla*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nulla spes boni, & nulla desperatio mali. Ibidem.

Intentio.

Intentio est actus voluntatis, licèt præsupponat actum intellectûs. Ejus objectum formale est finis, tam ultimus, quàm non ultimus, ut per media obtinendus. Tomo 3. pag. 177. num. 1. & sequentibus.

Bases uniuscujusque animæ sunt intentiones suæ, nam sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innituntur; ita vita nostra in virtutibus, virtutes verò in intima intentione subsistunt. Gregorius in Moralibus. Ibidem n. 7.

Facies animæ est mentis intentio, quia sicut ex facie pulcritudo corporis existit; ita & rectitudo operis ex mentis intentione. Bernardus: Ibidem.

Mentis intentio lucernæ & oculo à Christo comparatur: quia sicut à luce omnia decorantur & ornantur, ita (inquit Gregorius) *per bonæ intentionis radium, merita illustrantur actionis.* Et sicut oculo pes, manus, & cætera corporis membra reguntur, eorumque externi motus, quo debent tendere diriguntur; sic intentio, veluti animæ oculus, humanos actus in ultimum finem ordinat, à quo mala intentione deflectunt. Unde Gilbertus in Cantica: *Si plures habes oculos, sagittantis exemplo, omnes alios claude, hoc uno utaris, quo solum dilectum valeas invueri.* Ibidem.

An, & quæ intentio ad valorem Sacramenti requiratur, Vide Tom. 5. p. 93. n. 16. & sequentibus.

Iracundia.

Iracundia est excessus iræ, & immodicus appetitus vindictæ. De hoc vitio eleganter disserunt Cassianus & Seneca. Tomo 4. pag. 395. n. 31. & 32.

In Deo non est propriè ira, sed metaphoricè tantùm. Tomo 1. p. 448. n. 38.

Iuramentum.

Juramentum est attestatio divini Numinis, vel invocatio divini testimonij, ad fidem faciendam, promissionemve firmandam. Tomo 4. pag. 379. num. 24.

Ut juramentum religiosum sit, tria habere debet, veritatem, justitiam, judicium, secundùm illud Jeremiæ: *Vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia.* Veritas requiritur, quia Deus non nisi verum potest testificari. Justitia, quia non vult suo testimonio alicui injustè noceri. Judicium, quia Dei testificatio irreligiosè adducitur de re admodum levi, vel ubi nulla est necessitas. Ibidem.

Falsa & erronea est Tamburini sententia, asserentis licitum esse inducere testem ad jurandum falsum, quod jurans quidem putat esse verum, ipse verò inducens scit esse falsum. Tomo 3. in dissertatione de probabilitate. p. 281. num. 91. & sequentibus.

Ius.

Jus multipliciter dividitur. Tom. 4. pag. 371. num. 2.

Jus gentium dicitur illud, quod est omnibus gentibus benè institutis commune, & earum consensu vel saltem usu inductum. Ibidem numero 3.

Jus gentium continetur sub jure positivo humano, quamvis aliquid participet de jure naturali. Ibidem.

Divisio librorum juris Canonici & Civilis. Tomo 3. p. 507. n. 73.

Iustitia.

Justitia est perpetua & constans voluntas jus suum unicuique tribuens. Duæ sunt partes integrales illius, scilicet boni operatio, & mali vitatio. Partes verò subjectivæ, seu illius species, sunt tres, nempè justitia commutativa, distributiva, & legalis. Demum partes illius potentiales sunt novem, nimirum religio, pœnitentia, pietas, observantia, gratitudo, vindicativa, veritas, amicitia, & liberalitas. Tomo 4. p. 371. n. 1. & sequentibus.

Aristoteles 5. Ethic. cap. 1. ait: *Præclarissima virtutum est justitia, & neque Hesperus, neque Lucifer, ita admirabilis.* De illa verò dicit Ambrosius: *Hæc virtus publica est, aliis nata, non sibi: forit tota, & quidquid habet quadam inclementiâ sui, dum rapitur amore communi, transfundit in proximos.* De illa etiam eleganter disserit Ribadeneira lib. 2. de Principe Christiano. Ibid.

Justitia à Porphyrio vocatur *virtutum omnium obsonium*, quia sicut fames ciborum omnium condimentum est, ita justitia omnibus virtutibus gratiam atque saporem conciliat. Ibidem.

Justitia à D. Ambrosio Euphrati comparatur: *Euphrates enim* (inquit) *fœcunditas atque abundantia fructuum nuncupatur, præferens quoddam insigne justitiæ, quæ omnem pascit animam. Nulla enim virtutum lætiores videtur habere fructus, quàm justitia, quæ magis aliis quàm sibi prodest; & utilitates suas negligit, communia emolumenta præponens.* Ibidem p. 373. n. 9.

Iustitia divina.

In Deo non datur justitia commutativa, benè tamen distributiva, & vindicativa. Tom. 1. p. 451. n. 7. & sequentibus.

De hoc attributo eleganter discurrit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 12. & 13. *A primordio* (inquit) *Creator tam bonus quàm justus, pariterque utrumque processit. Bonitas ejus operata est mundum, justitia modulata est, &c.* Et rursus: *Justitia Dei est plenitudo divinitatis ipsius exhibens Deum perfectum, & Patrem, & Dominum. Patrem clementiâ, Dominum disciplinâ, Patrem potestate blandâ, Dominum severâ. Patrem diligendum piè, Dominum timendum necessariè.* Ubi notanda sunt verba illa: *Justitia modulata est*, his enim innuitur, quod sicut musica diversos tonos & cantus ordinat, & ad debitum numerum ac proportionem reducit: ita & justitia Dei in creatione mundi omnes creaturas ad debitum ordinem & consonantiam redegit, dando unicuique quod suum est, & faciendo omnia in numero, pondere, & mensura. Unde ibidem addit Tertullianus; *Omnia ut bonitas concepit, ita justitia distinxit.* Ibidem p. 450. n. 1.

Iustificatio peccatoris.

In justificatione peccatoris verè & propriè remittuntur peccata, & non solùm justitiâ Christi teguntur, vel occultantur. Tom. 4. p. 134. n. 2. & sequentibus.

Causa formalis nostræ justificationis non est justitia Dei vel Christi nobis imputata, sed realis & interna quædam justitia, per quam interiùs renovamur & sanctificamur, atque omnibus peccatorum sordibus realiter mundamur. Ibidem p. 135. n. 13. & sequentibus.

Actus contritionis vel charitatis non sunt neque esse possunt causa formalis justificationis, sed id soli gratiæ habituali competit. Ibidem p. 139. n. 43. & sequentibus.

Non

Non potest homo, etiam de potentia extraordinaria, perfectè & completè justificari, per solùm externum favorem Dei, sed necessariò requiritur infusio alicujus formæ supernaturalis, tollentis maculam peccati, quæ in statu elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, non potest esse alia quàm gratia habitualis. Ibid. p. 141. n. 59. & sequentibus.

Tanta est inter gratiam habitualem, & peccatum mortale, tum actuale, tum habituale pugna, ut ne divinâ quidem virtute in eodem subjecto simul esse possint. Ibidem p. 149. n. 115. & sequentibus.

Quæ dispositiones ad justificationem adulti requirantur, explicatur n. 145. & sequentibus.

Per absolutam Dei potentiam adultus justificari potest, sine ullo motu liberi arbitrij in peccatum. Ibidem p. 158. n. 176.

Actus contritionis & charitatis ad gratiam justificantem ultimò disponentes, procedunt ab illa ut à principio radicali vitæ supernaturalis, non verò ab aliquo auxilio ab ea realiter distincto. Ibidem p. 159. n. 182.

Licèt communiter justificatio fiat in tempore, & in ea procedatur de imperfecto ad perfectum; per se tamen non requirit tempus, sed potest unico instanti fieri, nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Ibidem pag. 166. num. 225.

Licèt justificatio non sit actio miraculosa, est tamen mirabilis, & præcipuum opus divinæ omnipotentiæ. Ibid. n. 229.

Mirabilia quæ fiunt in justificatione peccatoris ibidem recensentur, & varia Sanctorum Patrum testimonia referuntur. Item n. 231. quatuor causæ nostræ justificationis explicantur.

L

Lex.

Hoc nomen lex, vel à legendo, vel à ligando dicitur. Tomo 3. p. 497. n. 1.

Existentia, seu necessitas legum declaratur. Ibid. num. 4.

Lex præsupponit actum voluntatis, sed consistit formaliter in actu intellectûs, nimirum in actu imperij, seu potiùs in aliquo per ipsum constituto. Ibid. p. 498. n. 6. & sequentibus.

De ratione legis est quod ad commune bonum ordinetur; quod sit perpetua, & quod pro communitate feratur. Ibid. p. 500. n. 24.

Explicantur differentiæ, quæ inter legem, præceptum, sententiam, & privilegium reperiuntur. Ibid. p. 502. n. 43.

Apud quos potestas legislativa resideat, ibidem p. 503. n. 44. & sequentibus explicatur.

Ut lex obliget in actu secundo, aliqualis ejus promulgatio necessariò requiritur; illa tamen non est de essentia legis, aut ratio formalis illius, sed duntaxat conditio necessariò requisita, ut actualiter obliget sibi subditos. Ibidem p. 504. n. 55. & sequentibus.

Lex sic rectè definitur à D. Thoma: Lex est quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata. Ibid. pag. 506. n. 69.

Legis divisio ibidem p. 507. n. 70. explicatur.

Lex æterna ponenda est in Deo, quæ nihil aliud est, quàm ratio divinæ sapientiæ existens in Deo ab æterno, secundùm quod est directiva omnium actuum & motionum creaturarum, in ordine ad bonum commune totius universi. Ibidem p. 509. n. 1. & sequentibus.

Quomodo lex æterna differat ab idea & providentia, ibidem n. 6. & sequentibus explicatur.

Universæ leges, ab æterna, ut rivuli à fonte promanant, juxta illud Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Ibidem p. 510. n. 9.

Lex æterna est verè & propriè lex, quæ creaturis intellectualibus promulgatur per impressionem luminis rationis; creaturis verò ratione carentibus, per impressionem inclinationis & instinctûs naturalis. Ibidem pag. 511. num. 14. & & sequentibus.

Datur in nobis lex naturalis, quæ consistit in actu imperij ad ea quæ tali lege præscripta sunt obligantis. Ibidem p. 513. n. 1. & sequentibus.

Hæc tria, lex naturæ, conscientia, & synderesis distinguuntur. Ibidem p. 516. n. 23.

Omnia præcepta Decalogi pertinent ad legem naturalem, excepto tertio de sanctificatione sabbati, quod quantùm ad terminationem temporis, est legis divinæ positivæ & scriptæ. Ibid. p. 517. n. 27. & sequentibus.

Præter legem naturalem & divinam, adhuc necessariæ sunt leges humanæ. Ibidem p. 528. num. 1.

Lex humana est ordinatio rationis humanæ ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet sufficienter promulgata. Ibidem n. 3.

Conditiones & qualitates legis humanæ, ab Isidoro descriptæ. Ibidem p. 529. n. 5. & sequentibus.

Qualem promulgationem requirat lex humana, ut obliget, Ibidem p. 530. num. 17. & sequentibus, declaratur.

Ut lex humana obliget, non requiritur consensus; seu acceptatio populi, sed ea, si justa sit, & legitimè promulgata, obligat subditos, etiam dissentientes & repugnantes. Ibidem n. 19.

Lex humana non potest obligare ad actus internos, qui per exteriores non manifestantur, nec cum illis aliquam connexionem habent; benè tamen ad actus internos, qui per se sunt causæ exteriorum, illos sufficienter manifestantium; imò & ad actus internos, qui per se sunt causæ in genere moris, saltem ut conditiones necessarias, quamvis per exteriores non manifestentur. Ibid. p. 534. n. 3. & sequentibus.

Leges humanæ, sive Ecclesiasticæ, sive civiles, possunt ad culpam obligare, & necessitatem in foro conscientiæ imponere. Ibidem p. 537. n. 23. & sequentibus.

Leges humanæ possunt obligare ad culpam mortalem, si materia sit gravis, non verò, si materia levis sit. Ibidem pag. 540. num. 41. & & sequentibus.

Leges humanæ interdum obligant cum periculo & dispendio vitæ, non tamen semper. Ibid. p. 541. n. 56. & seq.

Quinam verò legibus humanis teneantur, ibidem p. 543. n. 69. & sequentibus declaratur.

Dantur leges humanæ purè pœnales, illæque possunt obligare ante sententiam judicis ad quamcumque pœnam passivam seu privativam; secùs verò ad pœnam activam, seu quæ ad sui executionem aliquam rei actionem requirit. Ibidem p. 546. n. 1. & sequentibus.

An transgressor legis pœnalis teneatur in conscientia subire pœnam legis post judicis sententiam? Ibidem p. 550. n. 34. & sequentibus declaratur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Leges quibus tributa imponuntur, non sunt purè pœnales Ibidem p.551. n.47.
Leges humanæ mutari & abrogari possunt, idque tribus modis: primò per expressam revocationem Principis: secundò, per constitutionem novæ legis priori repugnantis: tertiò, per contrariam consuetudinem. Ibidem p.561. n. 20. & sequentibus.
Lex Divina vetus, quæ à tempore Moïsis, usque ad Christi passionem, & mortem inter Israëlitas viguit, fuit bona, & sancta, atque utilis populo Judaïco, non tamen perfecta, præsertim si comparetur cum lege nova. Ibidem p.563. n.1. & p.565. n.17. & 18.
Fuit data à Deo Moysi, per Angelos, & ab eodem promulgata. Ibidem p.567. n.28. & sequentibus.
Triplicia fuerunt præcepta legis Mosaïcæ, moralia, cæremonialia, & judicialia. Ibidem p.569. n.43.
Lex Mosaïca in ipsa Christi morte & resurrectione cessavit. p.572. n.60.
Non fuit tamen mortifera statim-atque cessavit obligare, sed aliquo tempore, post illius abrogationem, fuit licitum servare illius præcepta cæremonialia, quamvis non esset necessarium. Ibidem n.53. & sequentibus.
Christus instituit novam legem, quæ triplicia continet præcepta, nempè moralia, sacramentalia, & fidei. Ibidem pag. 575. num.7. & sequentibus.
Quomodo lex nova differat à veteri, Ibid. p.576. n.12. & sequentibus, explicatur.

Libellus repudij.

Olim permissum fuit Judæis repudiare uxores, non solùm impunè, sed etiam licitè, ita ut eas repudiando non peccarent, Deo in lege naturæ dispensante, & matrimonij vinculum, per legem repudij dissolvente. Tomo 5. pag. 598. num.28.
Forma hujus libelli, seu verba in eo contenta, hæc erant: *Ego Rabbi Symeon, filij Rabbi Abraham, filij Rabbi David, filij Rabbi Salomonis, die prima mensis secundi, anno à creatione mundi &c. hic & in hac civitate, ex animi consensu, & sine ulla coactione, repudiavi Rachel filiam Rabbi Mosis, filij Rabbi Iosephi, filij Rabbi Iacob, & dedi illi libellum repudij in manu, schedam abscissionis, & signaculum divisionis, ut sit à me abjecta, & abeat quocumque voluerit, ducique possit ab omni viro, nec eum quisquam prohibere præsumat, juxta constitutiones Moysis & Israël.* Ibid. p.597. n.20.
Repudium non fuit licitum Gentilibus, sed solis Hebræis, aliqui tamen excusari possunt à culpa repudij, ratione ignorantiæ invincibilis. Ibid. p.599.n.31.
Primus qui inter Romanos anno circiter ab urbe condita 500. sterilitatis causâ uxori repudium dedit (teste Valerio Maximo) fuit Spurius Camillus, vel Corbilius, seu Corvinus; qui tamen reprehensione dignus judicatus est, quòd cupiditatem liberorum conjugali fidei prætulisset. Ibidem num.23.

Libertas arbitrij.

Multiplex libertatis divisio. Tom.3. pag. 110. num.150.
Varij circa liberum arbitrium Hæreticorum errores. Ibidem n.152.
Homo in statu innocentiæ fuit liber libertate indifferentiæ. Ibidem n.153.
Etiam in statu naturæ lapsæ homo gaudet libertate indifferentiæ. Ididem p.112. n.156.
SS. Patres, ut voluntatis nostræ indifferentiam explicent, eam comparant cardini versatili, qui modò versùs Orientem, postea versùs Occidentem vergit. Ibidem p.113. n.159.
Arbitrij libertas, juxta Bernardum, est planè quid divinum, præfulgens in anima, tanquam gemma in auro. Ibidem.
Homo ad imaginem Dei dicitur conditus, quia libertate indifferentiæ fuit à Deo donatus. Ibid. num. 160.
Ut actus nostri sint laudabiles aut vituperabiles, meritorij, vel demeritorij, non sufficit spontaneitas, seu libertas à coactione, sed requiritur libertas indifferentiæ. Quod adeò certum existimat D.Thomas, ut dicat oppositum contrariari fidei, & omnia Philosophiæ moralis principia subvertere. Augustinus etiam ait, hoc adeò esse notum & manifestum, ut *illud canent & in montibus pastores, & in Theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in Sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum.* p.115.n.170.
Ut actus sint moraliter boni vel mali, meritorij, vel demeritorij, non requiritur necessariò libertas contrarietatis seu specificationis, sed sufficit libertas contradictionis seu exercitij. Ibidem n.176.
Indifferentia contradictionis, seu potestas ad agendum vel non agendum, non solùm pertinet ad statum liberitatis, ut est in nobis viatoribus, sed etiam ingreditur essentiam & rationem formalem; non verò indifferentia ad bonum & malum, seu peccandi potentia. Ibidem p.117. n.186. & sequentibus.

Lucifer.

Lucifer supremus fuit inter Angelos, unde Job. 40. sub typo Behemot, appellatur *principium viarum Dei*, quia nimirum, ut ait Gregorius, *cùm cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit.* Quare etiam de illo sub figura Regis Tyri dicitur: *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei. Omne lignum Paradisi Dei, non est assimilatum illi, & pulchritudini ejus; quoniam speciosum fecit eum in multis condensisque frondibus.* Tom.2. p.418. num.183. ubi etiam lege egregia SS. Patrum testimonia.
Bernardus alloquens Luciferum serm.3. de verbis Isaïæ, sic ait: *Bonum erat tibi, si ignifer magis esses quàm Lucifer, nec tam immoderato appetitu lucendi, ut eras frigidus ipse, frigidam quoque eligeres regionem.* Ibidem n. 184.
Gregorius lib.32. moral. explicans perfectiones quas Lucifer in sua creatione acceperat, sic ait: *In medio ignitorum lapidum perfectus ambulavit, quia inter Angelorum corda, charitatis igne succensa, clarus gloriâ conditionis extitit. Quam benè extentum, ac protegentem dicit, omne enim quod extenti protegimus, obumbramus. Et quia comparatur claritati suæ, cæterorum claritatem obumbrasse creditur, ipse extentus & protegens fuisse perhibetur. Reliquos enim quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem, excellentiâ majore transcendit.* Ibidem p.379. n.18.

Lutherus.

Lutherus distinctionem necessitatis consequentis & consequentiæ, quâ utuntur Theologi ad conciliandum libertatem humanam cum divina providentia & prædestinatione, ut merum phantasma,

phantasma, & inutile figmentum irridet. Tom. 1. in Apolog. Thomistarum. p.548. n.47.
Lutherus variis in locis clarè & apertè docet realem corporis & sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis præsentiam. Et in libro de abroganda Missa, longam ait se habuisse disputationem cum Dæmone, qui sophysticis argumentis contendebat, Christum non adesse sub sacris speciebus, à quo tamen, ut ipse ibidem testatur, convinci non potuit. Tomo 5. pag.197. num.61.

Lux.

A luce omnis decor, venustas, & pulchritudo rebus accedit; ex hac syderum nitor, cœli splendor, terræ ornatus, totiusque mundi forma & venustissima species; ideoque hanc Deus primam omnium creavit, ut ex ejus radiis cuncta pulchresceret; vel ut ait Hugo à S. Victore: *Primum fecit lumen, ut cætera omnia postmodum faceret in luce.* Tomo 1. disp. proæmiali. p.28. num.100.

Lumen gloriæ, vide Visio beatifica.

Luxuria.

Luxuria vitium capitale est, quia multa alia vitia ex illa oriuntur, propter vehementem delectationem cum qua conjunctum est, quâve homines alliciuntur ad multa alia peccata perpetranda, aut in alia vitia incurrunt. Tom. 4. p.394. num.25.
Octo sunt vitia, quæ ortum ducunt à luxuria, & quæ sunt veluti hujus miseræ matris filiæ infelices, nimirum cœcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor, odium Dei, affectus præsentis sæculi, & horror futuri. Quibus adjungit Isidorus alia quatuor externa & ad locutionem pertinentia, nempè turpiloquia, scurrilia, sive leviter & inconsideratè dicta, ludicra seu faceta, & stultiloquia. Ibidem numero 26.
Hoc vitium eleganter describit Hieronymus in quadam Epistola, his verbis: *Ignis infernalis est luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.* Ibidem p.395, n.28.

M

Mansuetudo.

MAnsuetudo est virtus, quæ passionem iræ ita componit & moderatur, ut non permittat eam exurgere, nisi cùm oportet, & in ea mensura in qua fuerit necessarium. Tomo 4. p.388. n.21.
Mansuetudo distinguitur à clementia, licèt enim utraque mitiget iram circa vindictam, sub diversa tamen ratione id præstant; mansuetudo quidem, quatenus id decet animum iræ dominantem; clementia verò, quatenus id consentaneum est homini in potestate constituto. Unde mansuetudo communis est omnibus personis, clementia verò propria est Superiorum & Judicum. Ibidem n.22.

Martyrium.

Martyrium est præstantissimus actus fortitudinis. Tomo 4. p.383. n.5.
Parvulos & adultos ex opere operato justificare potest. Tomo 5. p.130. n.144. & seqq.
Martyrium non est novæ legis sacramentum, cùm non sit à Christo institutum, ut homo viâ ordinariâ eo uti possit in suam utilitatem & sanctificationem. Ibidem p.133. n.160.
Mors ex peste in obsequium languentium oppetita, non est verum & propriè dictum martyrium, ut contendit Theophilus Rainaudus, in libro quem edidit de martyrio per pestem, qui idcirco justissimè à sacra Inquisitione Romana anno 1647. damnatus est. Ibid.p.134.n.170.& seq.

Macula peccati, vide peccatum habituale.

Mater Dei.

Humanitas Christi ex hoc quod est unita Deo, & beatitudo creata ex hoc quod est fruitio Dei, & B. Virgo ex hoc quod est mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus, & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo. Tomo 4. p.417. initio.
Unum ex præcipuis signis prædestinationis est devotio singularis erga Sanctissimam Virginem, quæ est veluti via lactea, quâ electi pergunt ad Regis cœlestis palatium, & mystica scala Jacob, per quam Deus descendit, in terram, & homo ascendit in cœlum. Tomo 2. p.68. n.33.

Maria Magdalena.

Petrus Damianus serm. 5. de S. Bonifacio, hæc ait de S.Magdalena: *Stipula tartari in momento cedrus facta est paradisi, & torris inferni factus est splendidum Sydus cœli.* Tom.4.p.167.n.230.
Stephanus Cantuariensis apud Tilmanum in allegoriis, ait B. Magdalenam esse mirabilem illum arcum quem Deus posuit in nubibus, ut signum esset fœderis, quod cum hominibus inierat. Sicut enim (inquit) arcus fit ex repercussione radiorum Solis, & nube rorida; ita Christus, verus Sol justitiæ, respiciens Magdalenam, veluti nubem roridam, eam velut sacram iridem, variarum virtutum coloribus decoravit, & in lacrymarum imbrem resolvit. Ibid.

Matrimonium.

Matrimonium vocatur conjugium, eò quòd duos sub eodem veluti jugo societatis perpetuæ conjungat. Dicitur etiam connubium, à velo quo ex antiqua cæremonia teguntur virgines & obumbrantur, quando maritis traduntur. Tom.5. p.535. n.1.
Formaliter consistit in vinculo illo, quo conjuges uniti sunt, resultante ex mutua eorum obligatione, seu ex mutuo jure & potestate, quam ex mutua traditione uterque conjux habet in corpus alterius. Ibidem n.3.
Matrimonium non solùm est ex inclinatione & instinctu naturæ, sed etiam cadit sub præcepto, non positivo, sed naturali. Ibidem p.537. & sequentibus.
Polygamia, seu uxorum pluralitas, est contra legem naturæ: non tamen directè fini primario matrimonij, sed secundario tantùm adversatur. Ibidem p.540. n.43.
Matrimonium est verè & propriè Sacramentum, seu signum practicum & efficax gratiæ sanctificantis. Ibidem p.546. n.5.
Est etiam Sacramentum, quando inter absentes per procuratores, vel per litteras contrahitur. Ibidem p.551. n.25. & sequentibus.
Minister hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes, non verò sacerdos ipsos benedicens, & hæc verba, *Ego conjungo vos*, proferens. Verba autem & signa conjugum, quibus mutuum consensum exprimunt, sunt sibi invicem materia & forma. Ibidem p.555. n.67. & sequentibus.
Copula conjugalis non est de essentia matrimonij. Ibidem. Tomo 4. n.121.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secundum legem naturæ matrimonium indissolubile est, quamvis post consummationem, majorem jure naturali habeat indissolubilitatem. Ibidem p.594. n.4.

Per adulterium alterius conjugis non dissolvitur quoad vinculum, benè tamen per votum solemne Religionis, idque jure naturæ. Ibidem p. 601.n.45. & sequentibus.

Matrimonium infidelium, etiam post consummationem, dissolvi potest, etiam quoad vinculum conjugale, si alter conjugum convertatur ad fidem, & alter nolit pacificè & sine contumelia Creatoris habitare cum illo, secùs verò si alter velit pacificè & sine scandalo cohabitare. Ibidem p.607.n.88.

Tria sunt præcipua matrimonij bona, ratione quorum honestum redditur, & prudenter eligibile, nempè bonum prolis, bonum fidei, & bonum sacramenti. Ibidem p. 611. n. 5.

Impedimenta matrimonium prohibentia & dirimentia, ibidem disp.8. & 9. explicantur.

Mendacium.

Non est licitum mentiri propter aliquem bonum finem, ut ad tuendam vitam proximi vel aliquod grave damnum vitandum. Unde erronea est Abbatis Joseph sententia, apud Cassianum collat. 17. cap. 18. dicentis: *Quando grave aliquod imminet de veritatis confessione discrimen, tunc mendaciorum sunt recipienda perfugia.* Tomo 3. p.246. n.14.

Absurdum est quod dicunt quidam antiqui Theologi, nempè quod licèt Deus non possit mentiri de potentia ordinaria, benè tamen de potentia extraordinaria & absoluta; nam posse mentiri non est effectus, sed potiùs defectus potentiæ. Unde Ambrosius epist. 37. *Impossibile istud* (scilicet non posse mentiri) *non infirmitatis, sed virtutis est & majestatis; quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatem erroris.* Tomo 4. p.216. n.85.

Meritum justi.

Homo justus per gratiam operando, potest verè & propriè, seu de condigno, aliquid à Deo promereri. Tomo 4. p.168. n.2.

Conditiones ad merendum requisitæ, Ibid. p.169. n.12. & sequentibus explicantur.

Redditio præmij pro meritis in Deo non est actus gratitudinis aut fidelitatis, sed justitiæ, non commutativæ, sed distributivæ. Ibidem p.178.n.79. & sequentibus.

Opera justorum ex gratia & charitate procedentia, sunt verè & propriè meritoria de condigno vitæ æternæ, quæ in gratia tanquam fructus in semine continetur. Unde Bernardus: *Latet gloria fratres mei, abscondita nobis est in tribulatione; in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc levi pondus sublime & supra modum.* Ibidem p.185. num.120.

Meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundariò, secundùm quod earum actus imperantur à charitate. Unde Augustinus: *Anima charitati quantùm adhærescit, tantùm de lumine gloriæ illustrabitur.* Et S. Thomas *Plus participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate.* In hujus rei typum Apocal.21. Angelus mensurâ arundineâ aureâ metitur portas & murum cœlestis Jerusalem, ut per hoc significaret, charitatem esse mensuram gloriæ essentialis, & gradus luminis gloriæ commensurari gradibus charitatis. Ibidem p.188. n.136. & sequentibus.

Nullus potest de condigno sibi mereri primam gratiam justificantem, sed illa ex pura Dei misericordia tribuitur. Unde Augustinus: *Cui redderet coronam justus Judex, si non donasset gratiam misericors Pater? Quomodo illa tanquam debita redderetur, nisi prius ista gratuita donaretur?* Nullus etiam homo purus alteri potest de condigno mereri primam gratiam, benè tamen de congruo. Ibidem p.195.n.186.& sequentibus.

Homo justus non potest mereri sibi reparationem post lapsum, merito de condigno, neque de congruo, si meritum de congruo strictè & propriè accipiatur; illam tamen potest mereri alteri, merito de congruo propriè & strictè sumpto. Ibidem p.199.n.204. & sequentibus.

Homo non potest mereri de condigno donum perseverantiæ, sicut enim prævenienti gratiæ, rectæ vitæ tribuitur initium, felix illius clausula, dono perseverantiæ assignatur; utrumque Divinæ gratiæ opus est, illud prævenientis, istud finalis; ambo Divinæ munificentiæ dona præclarissima, unde neutrum cadit sub merito; illud quidem, quia principium est meriti, istud quia meritorum omnium perfectio & consummatio est. Ibidem p.200. n.217.

Prædestinatio est veluti aurea quædam catena, quâ Deus homines ad se trahit, & è terra ad cœlum evehit, ex variis Dei beneficiis, veluti annulis composita, nempè prædestinatione, vocatione, justificatione, & glorificatione: aurea verò fibulâ, quâ annuli illi inter se cohærent, perseverantia est; hæc enim finem principio, & glorificationem æternæ prædestinationi conjungit. Hac Deus ad cælum electos attrahit, sed miserans, juxta illud Jeremiæ 31. *Attraxi te miserans*, quia perseverantiæ donum, ex sola Dei misericordia, non verò ex nostrorum operum meritis, nobis tribuitur. Ibidem p. 201.n.219.

Meritum Christi.

Christus verè & propriè meruit, à primo instanti suæ conceptionis, & in infantia, totoque vitæ tempore, usque ad instans mortis exclusivè; unde vulnus lateris Christo mortuo inflictum, non fuit meritorium, neque satisfactorium; hæc tamen plaga valde nobis fuit salutaris, *Christus enim compunctus in cruce, balsamum per cæveram punctionis erupit, odorem remissionis peccatorum & redemptionis effudit*, ut ait Ambrosius. Animæ devotæ in hoc vulnere lateris, ut mysticæ columbæ, continuò habitare & conquiescere debent, ut egregiè declarant Guerricus Abbas & Lanspergius. Tomo 4. p.649. n. 4. & sequentibus.

Christus meruit per actum charitatis, ut terminatum ad bonitatem Divinam; non ut est ratio diligendi perfectiones necessarias Dei, sed ut est ratio diligendi creaturas. Ibidem p.654.n.42.& sequentibus.

Varij modi conciliandi libertatem & meritum Christi cum ejus impeccabilitate referuntur, ac refelluntur, & verus statuitur & explicatur. Ibid. p.657. n.57. & sequentibus.

Operationes Christi Domini habuerunt valorem meritorium simpliciter infinitum. Ibidem p.666. n.110. & sequentibus.

Christus non sibi meruit gratiam habitualem, nec gloriam essentialem animæ, benè tamen gloriam sui corporis, suique nominis exaltationem, juxta illud Tertulliani: *Christus favos post fella gustavit, nec ante Rex gloriæ in cœlestibus salutatus, quàm Rex Judæorum proscriptus in cruce.*

Nobis

Nobis autem meruit omnes prædestinationis effectus, hoc est gloriam, auxilia supernaturalia, dispositiones proximas & remotas ad gratiam, &c. Deus enim, ut ait Apostolus, *benedixit nos omni benedictione spirituali in Christo.* Ibidem p.669.n.137. & sequentibus.

Metus.

Quæ ex metu fiunt, sunt mixta ex voluntario & involuntario, seu voluntaria simpliciter, & involuntaria secundùm quid. Tom.3. p.102. n.94. & sequentibus.

Metus non solvit valorem contractûs matrimonij, aut voti solemnis Religionis ex natura rei, sed jure tantùm positivo. Ibidem pag. 105. num.112.

Misericordia Dei.

Misericordia est in Deo formaliter, non solùm quantùm ad affectum, sed etiam quantùm ad effectum subveniendi alienæ miseriæ. Tomo 1. pag.456. n.44. & 45.

Misericordia est attributum Deo maximè proprium. Ibidem p.457. num.46.

Tres rationes D. Thomæ cur Deus miserendo & parcendo, omnipotentiam suam manifestet. Ibidem n.47.

Deus est, ut ait Euthimius, infinitum quoddam pelagus misericordiæ, in quo qui se mergit, non obruitur, sed salvatur; obruitur verò qui non se immergit. Ibidem.

Misericordia appellatur à D. Bernardo primordialis causa omnium, & causalissima causarum. Ibidem n.44.

Misericordia in Deo includit omnem perfectionem simpliciter simplicem, & rationem actus purissimi & perfectissimi, ut egregiè explicat Cajetanus. Ibidem n.48.

Divinæ misericordiæ thronus Ezechiel.1. dicitur esse positus supra firmamentum, quia divina misericordia nullo circumscribitur tempore, & nullo coarctatur loco. Ibidem pag. 458. num.51.

Divinæ misericordiæ thronus Apocal. 4. dicitur esse Iride circundatus, quia sicut in Iride varij colores videntur, ijque pulcherrimi, ita misericordia Dei, multiplex nobis apparet. Subditur, illum esse similem visioni Smaragdinæ, quia sicut nullius coloris aspectus jucundior est, quàm aspectus Smaragdi, qui viriditate sua oculorum lassitudinem recreat; sic etiam nullius attributi divini consideratio, ita mentem hominis exhilarat ac demulcet, sicut divinæ misericordiæ contemplatio. Ibidem numero 52.

Mysterium Incarnationis fuit necessarium ad aliquod divinæ misericordiæ complementum. Ibidem num.53.

Missa.

Nomen Missæ, quod aliqui Hebraïcum putant, alij verò Latinum, antiquissimum est. Tom.5. p.324. n.3.

Missa, sive celebratio Eucharistiæ, est verè & propriè sacrificium. Ibidem n.5.

Tota ejus essentia consistit in consecratione corporis & sanguinis Christi, ut dicente ordinem transcendentalem ad sumptionem, tanquam ad finem & terminum extrinsecum. Ibidem p.330. & 331. n.44.

Valor sacrificij Missæ est intensivè & extensivè infinitus, subindeque oblatus pro pluribus, æquè prodest cuilibet, ac si pro uno tantùm offeratur; non licèt tamen propterea, pro eadem Missa, plura stipendia à pluribus accipere. Ibidem p.334. n.68. & sequentibus.

Missio divinarum personarum.

Missio divinarum personarum, sic definiri vel describi potest: *Missio est processio originis à mittente cum novo modo existendi in alio.* Unde Pater æternus à nullo mitti potest, Filius à solo Patre, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio. Tom. 2. p.258. n.8. & sequentibus.

Missio invisibilis divinarum personarum, non fit nisi ratione gratiæ & charitatis. Ibidem p.259. n.15. & sequentibus.

Triplex datur in homine invisibilis missio divinarum personarum. Prima fit in Baptismo, vel in prima peccatoris justificatione; secundâ homo justificatus novum gratiæ augmentum acquirit; tertia fit in ipsa beatitudine, in qua Deus incipit esse novo modo in anima, per unionem essentiæ suæ, in ratione speciei intelligibilis. Ibidem p. 261. n.29.

In Missione invisibili divinarum personarum, Filius & Spiritus Sanctus, ratione gratiæ sanctificantis, sunt specialiter, etiam secundùm substantiâ, præsentes in anima justi. Ibidem p.262.n.32.

Modestia.

Modestia à modo dicitur, quia nimirum modum statuit, qui in humanis affectionibus & actionibus, in gestu corporis, cultu, & vestitu servari debet. Tomo 4. p.338. n.23.

Modestiam esse Dei portionem, id est partem notabilem habitationis Dei in homine, egregiè dixit Ambrosius. Tertullianus verò de illa loquens hæc scribit: *Emanat ab anima in habitum, & eructat à conscientia in superficiem, ut & foris inspiciat quasi suppellectilem suam.* Ibidem.

Homo modestus solo sui aspectu contuentibus prodest, quod Ambrosius explicat similitudine hujus animalis, quod si ab icterico conspiciatur, sanat conspicientem. Unde Ignatius Epist. ad Trallianos, præsulis modestiam vocat, *Magnam aliorum disciplinam.* Ibidem.

De modestia cultûs seu apparatûs exterioris Tertullianus in libro de velandis virginibus, eas alloquens sic ait: *Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpurâ pudicitiæ. Taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem.* Ibidem p.391. n.34.

Mollities.

Erronea est Caramuelis sententia, asserentis mollitiem jure naturæ prohibitam non esse; unde si Deus (inquit) eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali. Mirum celasse naturam Christianum Doctorem, quod Poëtæ Gentili, & aliàs in moribus satis depravato, scilicet Martiali, non occultavit; ille enim mollitiem, ut de se malam, & naturæ repugnantem, acriter reprehendit Epigram. 42. Tomo 3. in dissertatione de probabilitate, p.276. n.77. & 78. & 79.

Moralitas actuum humanorum.

Moralitas actuum humanorum consistit in relatione quam actus humani dicunt ad suam regulam seu mensuram; unde libertas est quidem fundamentum moralitatis actuum humanorum, non tamen ipsa moralitas formaliter. Tomo.3.p.205. n.2. & sequentibus.

Duæ sunt regulæ moralitatis, una remota & extrinseca, in mente divina existens, scilicet lex æterna; alia proxima & intrinseca, ac in homine residens, nempè dictamen nostræ rationis, secundùm quod prædictam legem participat, & ei subordinatur. Ibidem p.210. n.29.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Duæ tantùm sunt species moralitatis, bonitas scilicet & malitia; indifferentia enim non est aliqua species moralitatis, media inter bonitatem & malitiam. Ibidem pag. 211. num. 1. & sequentibus.

Bonitas moralis consistit formaliter in respectu transcendentali ad objectum, ut consonum regulis morum. Ibidem p. 213. n. 10.

Prima & specifica actuum humanorum moralitas sumitur ex objecto, in esse morali, & ut consonat vel dissonat rationi, considerato; secundaria verò, & accidentalis, sumitur ex circunstantiis. Ibidem pag. 217. num. 1. & sequentibus.

Actus humani interdum ultra bonitatem vel malitiam quam sumunt ex objecto, habent aliam ex fine operantis, quæ est diversa specie ab ea quam habent ex objecto. p. 218. n. 7.

An idem actus humanus possit simul habere diversas species moralitatis? Ibidem p. 226. n. 3. & sequentibus, fusè declaratur.

Mors.

Mors est effectus seu pœna peccati originalis; unde Isidorus in libro etymol. docet quod mors à mordendo dicitur, quia cùm primus parens fructum vetitum momordit, per morsum mortem incurrit. Tomo 3. p. 444. n. 13.

Moses.

Moses non fuit author veteris legis, sed duntaxat ejus promulgator. Tom. 3. pag. 567. n. 31. & sequentibus.

Non peccavit occidendo Ægyptium. Ibid. pag. 247. num. 21.

N.

Necessitas.

EXplicatur mens Anselmi distinguentis duplicem necessitatem; alteram antecedentem, quæ tollit libertatem; alteram consequentem, quæ libertati non nocet. Tomo 1. pag. 526. num. 143. & sequentibus.

Hæc propositio: *Quod ex inimpedibili per necessariam sequitur consequentiam, hoc inimpedibile est & necessarium*, fuit olim damnata Romæ à Xisto IV. anno 1476. ut refert Sylvius in opusculo de primo motore. Ibidem pag. 528. num. 158.

Omnis suppositio antecedens, non inducit necessitatem antecedentem. Ibidem p. 523. n. 129. & sequentibus.

Nomen Dei.

Non potest à viatoribus, benè tamen à beatis, Deo imponi nomen, quod ipsum quidditativè & ut est in se significet. Tom. 1. p. 185. n. 1. & sequentibus.

Decem præcipua nomina quibus Hebræi olim Deum cognominare solebant. Ibidem pag. 186. num. 11.

Nomen Dei quatuor litteris apud omnes Gentes scribitur. Ibidem n. 12.

Aliqua sunt nomina, quæ removent à Deo imperfectiones creaturarum; alia, quæ ipsum significant per modum excessûs & supereminentiæ; alia, quæ exprimunt ejus causalitatem & dominium erga creaturas. Ibidem n. 13.

Deus est quod *cùm dicitur non potest dicibile æstimatur, non potest æstimari; cùm definitur ipsâ definitione crescit*, ut loquitur Nazianzenus. Ibidem n. 14.

Deus rectè appellatur à Dionysio & Nazianzeno *innominabilis & omninomius*, quia licèt pluribus nominibus appelletur, ut à nobis aliquo modo cognosci possit, nullum tamen ipsum exprimere potest ut est in seipso. Unde egregiè Augustinus: *Omnia possunt dici de Deo, & nihil dignè dicitur de Deo. Nihil latius hac inopiâ. Quæris congruum, non invenis. Quæris quoquo modo dicere, omnia invenis.* Ibidem.

Notiones divinæ.

Discrimen quod inter relationes, proprietates, & notiones versatur. Tomo 2. p. 193. n. 43.

Tria requiruntur, ut aliquid dicatur notio in divinis. Ibid. p. 194. n. 44.

In divinis quinque tantùm dantur notiones, nimirum paternitas & innascibilitas in Patre, filiatio in Filio, spiratio activa in Patre & Filio, ut sunt principium Spiritus Sancti, & processio seu spiratio passiva, in ipso Spiritu Sancto. Ibidem num. 49.

O

Obedientia.

OBedientia est virtus specialis, quia etsi ad omnium materias se extendat, in omnibus tamen unam inspicit rationem formalem, quæ est superioris præceptum. Tomo 4. p. 380. num. 3.

Tres conditiones ad perfectam obedientiam requiruntur. Ibidem n. 4.

S. Augustinus & D. Thomas obedientiam cæteris virtutibus moralibus præferre videntur. Ibidem.

Oblatio.

Oblatio, ut distincta à sacrificio, est actus, quo res externas Deo offerimus, sine mutatione earum facta. Unde Apostolus ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Ubi per dona, quæ distinguit Apostolus à sacrificiis, intelligit simplices oblationes primitiarum, aliarumque rerum, quæ non adolebantur aut consumebantur in sacrificium, sed integræ Deo offerebantur, ad usum sacerdotum & templi. Tomo 4. p. 378. n. 21.

Observantia.

Observantia est virtus, per quam homines aliqua dignitate antecellentes, cultu quodam & honore prosequimur: sicut enim parentibus & patriæ, quæ sunt principia naturalis esse & educationis, debemus peculiare obsequium & cultum, pro quo exhibendo constituitur pietas; ita superioribus, quia authores sunt nostræ gubernationis & directionis, per leges, per præcepta, per consilia, per doctrinam, &c. debemus specialem honorem, ad quem præstandum ponitur observantia. Tom. 4. p. 380. n. 2.

Occisio sui.

Non licet homini seipsum interficere, ut ad feliciorem transeat vitam, vel ut præsentis vitæ miserias evadat: sicut enim (inquit Lactantius) in hanc vitam non nostrâ sponte venimus; ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tandiu habitaturos, donec jubeat emitti. Unde falsa est quorundam Casuistarum sententia asserentium milites navales, licitè posse ignem injicere in pulverem sulphureum, ne navis in hostium potestatem integra deveniat, vel ne

ne hostes fiant animosiores ex parta victoria. Tomo 3. in dissertatione de probabilitate p. 283. num. 103.

Falsa & erronea est Tamburini sententia, asserentis, ad tormenta, damnaque gravia vitanda, posse quemlibet sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors sit sibi secutura. Sicut enim qui seipsum falso testimonio interimit, suicida est, quid enim refert quod seipsum ferro vel linguâ perimat, dummodo seipsum perimat? Ibidem pag. 182. num. 100.

Non minùs à veritate alienum est, quod idem Author asserit, nimirum justè damnatum ut fame pereat, posse oblatum panem respuere. Cùm enim in eo casu non sumere panem, sit seipsum occidere, manifestum est, illum eodem præcepto teneri panem oblatum acceptare, quo tenetur seipsum non occidere. ibid n. 105.

Omissio.

Ut omissio & effectus ex illa sequens sint voluntaria, requiritur debitum seu obligatio ponendi actum qui omittitur. Tomo 3. pagina 93. num. 31.

Opinio.

Opinio est actus intellectûs, qui fertur in unam partem contradictionis, cum formidine alterius. Tom. 3. in dissertatione de probabilitate. p. 261. num. 13. & sequentibus.

Intellectus rationi innititur, fides authoritati, opinio sola verisimilitudine se tuetur. Habent illa duo certam veritatem; sed fides clausam & involutam, intelligentia, nudam & manifestam. Cæterùm opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quærit, potiùs quàm apprehendit. Ita Bernardus 5. de consider. cap. 2. Ibidem.

Opinio non est virtus intellectualis. Ibidem.

Non licèt sequi opinionem minùs probabilem, faventem libertati, in concursu probabilioris, quæ favet præcepto. Ibidem p. 262. n. 20. & sequentibus.

Probabilitatum monstra, seu varij novorum Casuistarum excessus referuntur ac refelluntur. Ibidem pag. 275. num. 75. & sequentibus.

Casuistarum Apologia, à Sorbona, & Galliæ Episcopis, & tandem à Summo Pontifice reprobatur. Ibidem pag. 295. num. 162. & sequentibus.

In concursu duarum opinionum æquè probabilium, tutior semper est eligenda. Ibid. p. 270. n. 54. & sequentibus.

Unius tantùm Doctoris suffragium seu authoritas communiter loquendo, non potest reddere opinionem aliquam probabilem, & in praxi tutam. Ibidem pag. 273. num. 65. & sequentibus.

Oratio.

Licèt oratio sit actus religionis, quæ est in voluntate, subjectatur tamen & elicitur ab intellectu, cùm orare nihil aliud sit, quàm internum nostrum conceptum ad Deum ordinare, ipsi exprimere, intimare, & notum facere, quod est munus intellectûs. Tomo 4. pagina 374. num. 5.

Quatuor in oratione veluti partes integrales numerat Apostolus 1. ad Timoth. 2. orationẽ, postulationem, obsecrationem, & gratiarum actionem. Ibidem. p. 375. n. 7.

Dionysius Areopagita lib. de divin. nomin. pulcherrimo symbolo & erudienti hieroglyphico aureæ catenulæ è cœlis emissæ, ad sydera & ad ipsum Deum nos trahentis, orationem depinxit & adumbravit. Ibidem n. 8.

Anima orationi destituta, est veluti paralitica; sicut enim, ut ait Chrysostomus, corpus humanum absque nervis motum aliquem habere non potest, ita neque anima absque oratione. Ibidem.

Oratio est cella vinaria, in qua anima inebriatur vino devotionis, quod lætificat cor, & torrente voluptatis potatur. Ibidem.

Varia orationis elogia ibidem ex Augustino referuntur.

Qualitates bonæ orationis rectè designantur similitudine Thimiamatis, quod offerebatur in templo, ex præcepto Dei, mane & vespere, ut Cassiodorus & Bellarminus egregiè declarant. Ibidem.

Ordo seu Ordinis Sacramentum.

Ordo seu ordinatio, quâ Ministri Ecclesiæ initiantur, est verè & propriè Sacramentum. Tomo 5. p. 499. n. 2.

Non solùm Sacerdotium, sed etiam Diaconatus, Subdiaconatus, & quatuor minores Ordines, sunt verè & propriè Sacramenta. Ibid. p. 503. n. 6. & sequentibus.

Singulorum Ordinum materia & forma, ibidem p. 508. n. 38. & sequentibus explicantur.

Nequit simplex Sacerdos, ex commissione Summi Pontificis, conferre majores Ordines, benè tamen minores. Ibidem p. 514. n. 3. & sequentibus.

Osculum.

Incarnatio significatur per osculum, quod est præcipuum amoris & benevolentiæ signum; sicut enim in osculo os unius dilecti ori alterius conjungitur; ita per Incarnationem duæ naturæ, divina scilicet & humana, in eadem Persona Verbi copulantur, ut eleganter declarat D. Bernardus serm. in Cantica. Tomo 4. pag. 418. num. 15.

Spiritus Sanctus Patris & Filij osculum dicitur, ut egregiè expendit D. Bernardus serm. 8. in Cantica, ubi hæc verba Sponsæ: *Osculetur me osculo oris sui*, explicans ait: *Si rectè Pater osculans, Filius osculatus accipitur, non erit abs re osculum Spiritum Sanctum intelligi, utpote qui Patris, & Filij imperturbabilis pax sit, glutenum, individuus amor, indivisibilis unitas.* Tomo 2. p. 230. n. 112.

Eucherius Homil. in initio quadragesimæ, osculum impudicum, *arrham peccati* appellat, additque etiam esse *morsum diaboli*. Basilius verò lib. de vera virginitate hæc scribit: *Formosorum oscula cavere oportet, non secùs quàm animalium venenatorum morsus: diffunditur enim venenum ex osculo per totum corpus.* Tom. 4. p. 395. num. 29.

P.

Papa.

PApa seu Romanus Pontifex, ex Cathedra loquens, est infallibilis regulâ fidei, & judex controversiarum. Tomo 4. p. 271. n. 8.

Soli singulari personæ Petri à Christo concessus fuit primatus & suprema potestas regendi universalem Ecclesiã, non verò aliis Apostolis, subindeque Paulus æqualem cum Petro non habuit potestatem & authoritatem in Ecclesia. Ibidem p. 277. n. 36. & sequentibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERUM,

Romanus Episcopus est legitimus Petri successor in primatu totius Ecclesiæ. Ibidem pag. 286. n.78. & sequentibus.

De fide est Innocentium XI. esse legitimum Petri successorem & Christi Vicarium. Ibidem p.291. n.103.

Sacræ successionis Romanorum Pontificum series. Ibidem p.295. n. 125. & sequentibus.

Nullus ex ducentis triginta tribus Pontificibus, qui hactenus Ecclesiam Catholicam gubernarunt, dies Petri exæquavit : cujus egregiam rationem tradit Petrus Damianus. Ibidem num. 126.

Paradisus terrestris.

Quæ Moyses scripsit de Paradiso terrestri, non figurate & allegoricè, sed litteraliter intelligenda sunt. Unde Paradisus terrestris fuit locus visibilis & corporeus, in Orientis partibus situs, non verò sub Æquinoxiali, aut Zona torrida, sed sub Zona temperata. Tomo 2. p. 479. n. 2. & sequentibus.

Quem situm, seu altitudinem habuerit, & quantæ fuerit magnitudinis, amœnitatis, & pulchritudinis, ibidem pag. 482. n.24. & sequentibus declaratur.

In medio ejus duas arbores præstantissimas Deus plantaverat, quarum una arbor vitæ, altera arbor scientiæ boni & mali dicebatur. Ibidem p.485. n.42. & sequentibus.

In medio quoque ejus erumpebat magnus fons, qui in quatuor capita, seu ingentia flumina dividebatur, quorum nomina erant Phison, Gehon, Tigris, & Euphrates. Ibidem p. 487. num.51.

Paradisum terrestrem adhuc extare, & Henoch ac Eliam in eo commorari, usque ad adventum Antichristi, celebris est multorum SS. Patrum, & veterum ac recentium Theologorum sententia. Ibidem pag. 488. num. 57. & sequentibus.

Peccatum.

Peccatum definitur ab Augustino, dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam. Unde essentiale est cuilibet peccato, quod sit contra legem Dei æternam, sicut & quod sit injuria & offensa Dei. Tomo 3. p. 355. n. 54. & sequentibus.

Præcipuæ species seu divisiones peccati, ibidem p.358. n. 1. & sequentibus exponuntur.

Distinctio specifica peccatorum sumitur ex objecto in quod tendunt, non verò ex præceptis quibus opponuntur. Ibidem n. 13.

Ratio formalis constitutiva peccati commissionis, non consistit in privativo, sed in positivo, nimirum in tendentia actus humani ad objectum ut regulis morum difforme. Ibidem pag. 364. n.15. & sequentibus.

Non potest dari omissio culpabilis, sine actu præcedente, aut concomitante, qui sit causa vel occasio omittendi. Ibidem p.373. n. 81.

Omissio in somno contingens, verè imputatur ad culpam, tempore quo instat præceptum, & non solùm est effectus peccati. Ibid. p.381. num.141.

Peccata commissionis & omissionis, sunt ejusdem speciei in genere moris, si ad idem ordinentur, & ex eodem motivo procedant. Ibid. pag.385. num.166.

Omnia peccata non sunt inter se connexa, nec æqualia in gravitate & malitia. Ibidem p.386. n.1. & sequentibus.

Inæqualitas essentialis peccatorum sumitur ex objecto, accidentalis, ex circunstantiis non mutantibus speciem. Ibidem pag. 389. n. 23. & sequentibus.

Appetitus sensitivus, prout est in homine conjunctus parti rationali, etiam sine actuali voluntatis influxu, potest esse principium & subjectum culpæ venialis. Ibidem p. 395. n. 18. & sequentibus.

Non potest voluntas peccare, nisi aliquis error practicus, vel saltem aliqua inconsideratio, seu inadvertentia, in intellectu præcesserit. Ibidem p.404. n.19.

Deus nec directè, nec indirectè dici potest causa peccati. Ibidem pag. 407. & 408. n.33. & sequentibus.

Error Pelagii, negantis peccatum Adæ in ejus posteros traduci, pluribus Scripturæ & SS. Patrum testimoniis, variisque rationibus refellitur. Ibidem pag.411. n. 1. & sequentibus.

Quomodo peccatum originale voluntarium sit, ibidem pag. 414. num. 21. & sequentibus explicatur.

Quomodo verò per generationem in posteros Adæ traducatur, ibidem pag. 417. num. 44. declaratur.

In quo ejus essentia seu ratio formalis consistat, vide ibidem pag. 427. num. 109. & sequentibus.

In quo subjectetur, vide p.433. n. 150.

Parvuli cum solo originali decedentes, non subibunt pœnam gehennæ, & combustionis æternæ, nec ullo afficientur dolore vel tristitia interiori, ob carentiam beatificæ visionis ; non erunt tamen post diem judicij beati beatitudine naturali. Ibidem pag.435. num. 168. & sequentibus.

Inclinatio naturalis ad bonum honestum minuitur quidem per peccatum originale & actuale, non tamen omnino tollitur. Ibidem p.442. n. 4. & sequentibus.

Mors, morbi, & cæteræ miseriæ corporales, sunt effectus seu pœnæ peccati originalis. Ibidem p.443. n.11. & sequentibus.

Relinquitur etiam ex peccato præterito quædam macula in anima peccatoris, quæ est privatio nitoris gratiæ sanctificantis, cum respectu ad actum peccati præcedentem, à quo causatur. Ibidem p.444. n.19. & sequentibus.

Macula peccati venialis consistit in privatione fervoris charitatis, seu in diminutione charitatis quoad habilitatem & expeditionem ad eliciendos suos actus. Ibidem p.449. n.60.

Peccatum mortale per se, & ex malitia sua intrinseca, reatum pœnæ æternæ inducit ; unde error Origenis est, pœnas damnatorum non esse in æternum duraturas, sed per Dei misericordiam, tandem aliquando finiendas. Ibidem pag.453. n.95. & sequentibus.

Peccatum veniale non remissum quoad culpam in hac vita, & conjunctum mortali, per accidens punietur in inferno pœnâ in æternum duraturâ ; non tamen peccatum sive mortale, sive veniale, dimissum in hac vita quoad culpam, sed non quoad pœnam. Ibidem pag.456. num.107. & sequentibus.

Unicuique peccato mortali duplex pœna debetur, scilicet damni & sensus, id est carentia visionis beatificæ, & dolor sensibilis ab igne causatus. Ibidem pag. 458. num. 120. & sequentibus.

Pœna

ET MATERIARUM.

Pœna damni multò gravior est pœnâ sensûs, ut docet Chrysostomus homil. 47. ad populum Antiochenum. Ibidem p.459. n.134.

Pœna damni non est æqualis in omnibus damnatis Ibidem n.135. & sequentibus.

Peccatum veniale naturâ suâ distinguitur à mortali. pag. 461. n. 6. & sequentibus.

Inter peccatum mortale & veniale quinque præcipua reperiuntur discrimina. Ibidem pag.464. num.25.

Peccator per peccatum mortale ultimum finem in creatura constituit, si non expressè & formaliter, virtualiter saltem & interpretativè, ut egregiè declarat Tertullianus in lib. de idololatria his verbis, quibus increpat peccatorem : *Potes linguâ negasse quod manu confiteris ? verbo destruere quod facto struis. Verum Deum confiteri, qui falsos facis*, &c. Item Hieronymus exponens hunc versiculum Psal. 80. *Non erit in te Deus recens*, hæc scribit : *Quot vitia habemus, tot recentes habemus Deos.* Ibidem p. 467. n.48.

Creatura in qua mortaliter peccans finem ultimum constituit, non est illa, quæ est objectum peccati, sed bonum proprium & privatum ipsius peccatoris. Unde Aristoteles 9. Ethicor. cap. 8. pravos seu peccatores vocat *philautos*, seu amatores sui, & ibidem ait, quod *pravus sui gratiâ cuncta agit, & tanto magis, quanto pravior.* Ibidem p.469. n. 61. & sequentibus.

Quem ultimum finem intendat ille qui venialiter peccat, ibidem pag.472. num.75. declaratur.

Homo in statu justitiæ originalis existens, impotens erat peccandi venialiter, antequàm peccaret mortaliter, idque ex vi doni integritatis & justitiæ originalis. Ibidem pag. 475. n. 96. & sequentibus.

Angelo etiam convenit ex conditione suæ naturæ, quod non possit peccare venialiter, sed tantùm mortaliter. Ibidem pag.476. num.108. & sequentibus.

Peccatum mortale, in ratione offensæ, est gravitatis & malitiæ simpliciter infinitæ in esse moris, Ibidem pag.479. n.136.

Peccans mortaliter, quantùm est in se, Deum perimit, & à regno suo deiicit, ut egregiè declarat D. Bernardus serm. 3. de resurrectione Domini. Ibidem pag.480. num.137.

Quilibet homo in primo instanti usûs rationis tenetur sub mortali ad Deum se convertere, subindeque peccatum veniale cum solo originali esse non potest. Ibidem pag. 484. num.174. & sequentibus.

Pelagiani & Semipelagiani.

Origo pelagianæ hæresis, & varii status illius. Tomo 4. pag. 3. n.1. & sequentibus.

Pelagius non solùm gratiam externam, consistentem in manifestatione Evangelii, & exemplis Christi, sed etiam internam Spiritus Sancti illustrationem agnovit. Ibidem pag. 6. num. 18.

Admisit etiam excitationem & motionem moralem in voluntate, sed per hoc à commendatione legis & doctrinæ non recessit. Ibidem num. 20.

Pelagius auxilium possibilitatis, seu quod dat posse, admisit, sed auxilium voluntatis & actionis, seu quod dat nobis velle & operari, rejecit. Ibidem p. 7. n.24.

Pelagius admisit gratiam cooperationis, aut coëfficientiæ, seu concursum simultaneum ordinis supernaturalis. Ibidem pag. 8. num.28.

Pelagiani docebant, gratiam remissivam peccati, esse donum internè renovans, seu instaurans naturam, & non extrinsecè tantùm peccata condonans. Ibidem n. 33.

Pelagiani veram Christi gratiam, quæ facit velle & operari, nunquam admiserunt, licèt post damnatam eorum hæresim sub Zozimo Papa, cœperint deflectere ad Semipelagianismum, & docere gratiam ex meritis bonæ voluntatis dari, eamque solùm ad faciliùs operandum requiri. Ibidem p.10. n.43. & sequentibus.

Pelagianorum errores circa liberum arbitrium. Ibidem p. 12. n. 48.

Origo Semipelagianæ hæresis. Ibidem p.13. n.1. & sequentibus.

Quid de prædestinatione Semipelagiani docuerint. Ibidem p.15. n.6.

Quid de viribus liberi arbitrii, initio fidei, & postrema in fide & sanctitate perseverantia. Ibidem p. 16. n.12.

Inter Semipelagianos aliqui omnem prorsus gratiam, ab initio fidei & meriti removerunt, alii talem admiserunt, quæ cùm esset purè indifferens, & liberi arbitrii determinationem non causaret, sed expectaret, locum adhuc naturali merito relinqueret. Ibidem pag. 17. n. 15. & sequentibus.

Semipelagiani initio fidei & bonæ voluntatis vim merendi tantùm de congruo tribuerunt. Ibidem p.20. n. 30. & sequentibus.

Semipelagianæ hæresis Authores, vel sectatores præcipui, fuerunt Vitalis Carthaginensis, Cassianus, Faustus Regiensis, Gennadius. Dubitatur verò de Severo Sulpitio. Chrysostomus verò (quidquid dicat Vasquez in contrarium) nunquam in sententia Semipelagianorum fuit. p.21. n.39.

Idem dicendum de Vincentio Lirinensi, Cassiani contemporaneo. Unde Vincentius ille, in quem scripsit Prosper, fuit alius ejusdem nominis. Ibidem n.39. & sequentibus.

Canones secundi Concilii Arausicani, contra Semipelagianos. Ibidem p.23. n.54.

Pelagiani & Semipelagiani aratoribus Ægypti non immeritò comparantur pag. 115. n. 13.

Perfectio Dei.

Deus rerum omnium perfectiones in se continet, ut testatur nomen Jehova, quod interpretatur *unus & omnia*, & derivatur à radice *Haiath*, quæ significat ipsum esse, seu ipsam essendi plenitudinem, unde à Nazianzeno, pelagus quoddam essentiæ immensum & infinitum, & à Trismegisto, *Rerum omnium universitas* appellatur. Similiter Græci illum τὸ πᾶν, id est universum, nominarunt, ut significarent, omnia in illo eminentissimo & perfectissimo modo contineri. Tomo 1. pag. 86. num. 17. & sequentibus.

Perfectiones creaturarum, quæ *simpliciter simplices* appellantur, continentur in Deo formaliter ; illæ verò, quæ dicuntur perfectiones *secundum quid*, in eo solùm virtualiter, seu eminenter continentur. Ibidem pag. 87. n. 22. & sequentibus.

Deus simul cum creaturis non est quid majus aut perfectius, quàm Deus solus : sicut Oceanus sic à natura dives est, sic seipso abundans, ut nec adventitiis aquis crescat, nec perpetuâ

aquarum

Universidad de Deusto
Biblioteca

aquarum subter labentium fugâ decrescat. Unde Augustinus : *Si fueris sine Deo, minor eris, si fueris cum Deo, major. Deus non erit : non ex te ille major, sed tu sine illo minor.* Ibidem pag. 89. n. 30. & sequentibus.

Mira divini esse eminentia & comprehensio, declaratur in illa visione Isaïæ, quâ vidit Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, &c. Ibidem pag. 88. n. 29.

Perseverantia.

Perseverantia est virtus fortitudini annexa, quæ firmat animum, ne ex diuturna difficilium passione fatigetur, & ab illorum sustinentia desistat. Tomo 4. p. 383. n. 7.

Deo non tantùm primitiæ, sed etiam & decimæ olim offerebantur, quia ab ipso non tantùm est inchoatio bonorum, per primitias significata, sed etiam perseverantia in eis, designata per decimas, eodem Tomo pag. 76. n. 346.

Elogia hujus virtutis eleganter describunt D. Bernardus, & Gregorius magnus. Ibidem.

Sola perseverantia (inquit Augustinus) *informat meritum, remunerat currentem, coronat pugnantem, & ad portum ducit navigantem. Hæc sola* (addit Bernardus) *æternitatis speciem præ se fert : Sola est cui æternitas redditur, vel quæ æternitati hominem reddit.* Ibidem pag. 84. n. 394. in fine.

Huic prudenti ejusdem S. Doctoris consilio obtemperandum est : *Tene quod tenes, hostiaque caudam junge capiti, & tunicam Dei gratiâ jam polimitam, cura facere & talarem ; quoniam cœpisse nihil proderit : si quod absit, perseverare non contigerit.* Unde lepidè Blesensis : *Cum virtutes omnes currant ad bravium, sola perseverantia coronatur, & gloria filiæ Regis est in fimbriis aureis, quia nihil prodest gloria bonæ conversationis in principio, nisi sit gloriosus & finis.* Qua de causa in fimbria vestimenti Summi Sacerdotis, jussit Deus apponi malogranata, quibus coronam natura indidit, ut significaretur, coronam dari soli perseverantiæ.

Personæ Divinæ in communi.

Dantur in personis Divinis proprietates aliquæ reales, quibus constituuntur, & inter se distinguuntur. Tomo 2. pag. 240. n. 2.

Personæ Divinæ non constituuntur per proprietates absolutas, vel origines activas, & passivas, sed per relationes, non ut exercent munus referendi, sed quatenus sunt formæ hypostaticæ, & prout subsistentiæ munus gerunt. Ibidem p. 245. n. 41. & sequentibus.

Si subsistentia accipiatur pro perseitate excludente communicabilitatem alteri ut supposito, non est ponenda in Deo secundùm se considerato, & ut præintelligitur relationibus & personis ; benè tamen, si usurpetur pro perseitate excludente dependentiam ab alio in existendo. Ibidem pag. 175. num. 3. & sequentibus.

Subsistentia pro perseitate independentiæ sumpta, non multiplicatur in personis Divinis, benè tamen, si pro perseitate incommunicabilitatis accipiatur. Ibidem pag. 179. n. 35. & sequentibus.

Quæ nomina singulariter vel pluraliter dicantur in Deo, vel personis Divinis, ibidem p. 185. n. 1. & sequentibus explicatur.

Persona Patris.

Duo sunt nomina primæ Sanctissimæ Trinitatis personæ propria, nimirum nomen Patris, quod est tantæ religionis & excellentiæ, ut Cyrillus asserat, hoc præclarissimum nomen magis ei quàm Dei titulum convenire ; & nomen ingeniti, seu innascibilis, quod etiam summæ dignitatis & excellentiæ est, cùm designet, Patrem nedum in Divina personarum Triade, primatum tenere originis, sed insuper totius Divinitatis inexhaustum esse, ac fontale principium. Tomo 2. pag. 196. num. 1. & sequentibus.

Innascibilitas, ut est Patris notio, non constituitur per aliquid positivum, sed per negationem omnis processionis vel productionis passivæ, quam de formali significat. Ibidem n. 6. & sequentibus.

Persona Filij.

Licèt varia in Sacris litteris Dei Filius sortiatur nomina, quæ D. Ambrosius ad duodenarium numerum redegit, tria tamen sunt præcipua, nempè nomen Filii, Verbi, & Imaginis. Ibidem pag. 197. initio disp. 9.

Poëtæ finxerunt olim Minervam ex Jovis cerebro prodiisse ; sed fides Catholica credit, increatum æterni Patris filium, ex fœcundissima ejus mente ante sæcula genitum fuisse. Unde egregiè Tertullianus in Apologetico, Gentilium Philosophorum insipientiam irridens : *Accipite* (inquit) *hanc fabulam, similis est vestris.* Ibid. pag. 198.

Verbum per se in quarto modo procedit ex cognitione Patris, sui, Spiritus Sancti, & creaturarum possibilium, non tamen ex cognitione futurorum, sive absolutorum, sive conditionatorum. Ibidem n. 4. & sequentibus.

Ratio imaginis verè & propriè, ac perfectissimè competit Verbo Divino. Ibidem pag. 210. num. 101. & 102.

Creatæ imagines, vel non sunt veræ, quia fideliter non repræsentant prototypum ; vel sunt inanimatæ, & mutæ, quia carent vitâ, & facultate loquendi ; vel denique inanes & vacuæ, quia carent virtute & operatione : *At imago ista* (inquit Ambrosius) *veritas est ; imago ista, Dei virtus est, non muta, quia Verbum est ; non inanis, quia virtus est ; non vacua, quia vita est ; non mortua, quia resurrectio est.* Ibidem p. 211. n. 105.

Præcipua Verbi Divini encomia, in primo capite Evangelii D. Joannis contenta. Ibid. p. 212. num. 114. & sequentibus.

Persona Spiritus Sancti.

Græcorum error circa processionem Spiritus Sancti, testimoniis Scripturæ & SS. Patrum refellitur. Ibidem pag. 216. num. 2. & sequentibus.

Christus cùm resurrexisset à mortuis, & apparuisset Discipulis suis, insufflavit, & dixit, *Accipite Spiritum Sanctum*, ut illum de se procedere ostenderet. *Propterea*, inquit Bernardus, *in illo Domini conflatu Spiritus Sanctus datus est, ut per hoc intelligeretur, & ab ipso pariter, tanquam à Patre procedere, tanquam verè osculum, quod osculanti osculatoque commune est.* Ibidem pag. 217. num. 9.

Athanasius comparat Patrem Soli, Filium luci, seu splendori, & Spiritum Sanctum ardori seu calori ; & docet quod sicut à Sole procedit lux, & à Sole & luce calor ; ita & à Patre Verbum generatur, & à Patre, Filioque Spiritus Sanctus producitur. Ibidem n. 13.

Si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, ab illo non

non distingueretur realiter. Ibidem pag. 219. n. 26. & sequentibus.

Spiritus Sanctus pro principio sui productivo, per se duas personas exigit, Patrem scilicet & Filium ; ex vi enim suæ processionis habet quod sit mutui ac reciproci amoris terminus, nexus individuus Patris & Filii, ac suavissimum osculum utriusque. Ibidem pag. 223. n. 63. & sequentibus.

Pater & Filius unum sunt Spiritus Sancti principium. Ibidem pag. 225. n. 78.

Tertia Sanctissimæ Trinitatis persona, Spiritus appellatur, tum quia ejus processio plures & egregias cum respiratione nostra habet similitudines & analogias ; tum etiam, quia suis donis nos spirituales efficit, & in quandam Divinæ spiritualitatis trahit participationem. Dicitur verò Sanctus, quia illi ex vi suæ processionis, & ratione proprietatis personalis, sanctitas convenit, & est creaturæ rationalis sanctificator. Ibidem pag. 227. n. 99. & sequentibus.

Nomen amoris duplici titulo Spiritui Sancto convenit, nempè ratione suæ processionis, & suæ operationis. Ibidem p. 228. n. 104.

Dicitur etiam donum, quia amor est primum donum quod confertur amico, & ad quod cætera consequuntur. Ibidem pagina 229. num. 106.

Plura alia Spiritus Sanctus habet nomina sibi appropriata, dicitur enim indissolubile vinculum Trinitatis, individuus Patris & Filij nexus, suavissimum utriusque osculum, fructus gaudij, quo Pater ab æterno gaudet & lætatur in Filio, Paracletus, spiritualis unctio, virtus Altissimi, &c. Ibidem p. 230. n. 110 & sequentibus.

Varia Spiritui Sancto attribuuntur opera, tam respectu totius creaturæ, ut creatio, ornatus & pulchritudo universi, &c. quàm respectu creaturæ rationalis, ut peccata remittere, mentem renovare, adoptionem filiorum tribuere, &c. Ibidem p. 232. n. 123.

Variæ & egregiæ rationes cur Spiritus Sanctus sub specie & figura columbæ in baptismo Christi apparere voluit. Ibidem pag. 234. n. 128. & sequentibus.

Sub symbolo aquæ gratia Spiritus Sancti congruè designatur. Ibidem p. 236. n. 134.

Variæ etiam assignantur congruentiæ, quare sub specie ignis & in forma venti, seu spiritus vehementis, nec non sub figura linguæ igneæ, in die Pentecostes Spiritus Sanctus apparuerit, & super Apostolorum capita descenderit. Ibidem num. 136. & sequentibus.

Spiritus Sanctus vocatur ab Augustino serm. 1. feriæ 2. Pentecostes, vicarius Redemptoris : *Venit* (inquit) *vicarius Redemptoris Spiritus Sanctus, ut beneficia quæ Salvator Dominus inchoavit, Spiritus Sanctus virtute consummet, & quod ille redemit, iste sanctificet ; quod ille acquisivit, iste custodiat.* Ibidem pag. 240, num. 153.

Pietas.

Pietas est virtus, per quam parentibus debitus cultus officiumque tribuitur. Tomo 4. p. 379. num. 11.

Parentes cùm sint tanquam secundaria principia essentiæ & vitæ, repræsentant filiis quodammodo ipsum Deum, qui est primarius & summus omnium Pater. Et ob hanc rationem, post præcepta primæ tabulæ, quæ ad cultum Dei pertinent, primum secundæ tabulæ institutum fuit de honore parentibus exhibendo. Ibidem.

Pietas non solùm parentes, sed etiam patriam respicit, quia hæc etiam aliquo modo est ortûs principium, & opportuna ad educationem præbet. Ibid.

Pœnitentia, ut Sacramentum.

Datur in Ecclesia Christi remedium aliquod, quo peccata post baptismum commissa remittuntur, illudque est Sacramentum propriè dictum. Tomo 5. p. 349. num. 4. & sequentibus.

Remedium institutum à Christo Domino pro reconciliatione lapsorum post baptisma, non est memoria baptismi jam suscepti, sed aliquod Sacramentum à baptismate omnino distinctum. Ibidem p. 350. n. 10.

Sacramentum pœnitentiæ immediatè à Christo institutum est, non solùm quantùm ad formale, seu quantùm ad potestatem absolvendi à peccatis ; sed etiam quantùm ad materiale, seu quantùm ad confessionem peccatorum. Ibidem p. 352. n. 28. & sequentibus.

Sacramentum pœnitentiæ fuit institutum à Christo post resurrectionem, cùm verba illa protulit : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata*, &c. Ibidem p. 354. n. 36. sequentibus.

Materia proxima hujus Sacramenti sunt actus pœnitentis, nimirum dolor de peccato, & ejusdem confessio, & pro eo satisfactio ; materia verò remota illius sunt peccata actualia post baptismum commissa. Ibidem pag. 355. n. 41. & sequentibus.

Forma Sacramenti pœnitentiæ sunt verba absolutionis à Sacerdote prolata. Ibid. p. 356. num. 46.

Sacramentum pœnitentiæ in re vel voto necessarium est necessitate medij ad delenda peccata post baptismum commissa. Non requiritur tamen necessariò votum explicitum illius, sed sufficit implicitum. Ibidem p. 359. n. 76. & sequentibus.

Pœnitentia, ut est virtus.

Pœnitentia non significat tantùm propositum novæ vitæ inchoandæ, & simplicem resipiscentiam & vitæ novitatem, sed etiam tristitiam, dolorem ac detestationem peccatorum. Ibidem p. 362. n. 1. & sequentibus.

Pœnitentia est virtus specialis, cujus objectum materiale est peccatum, quatenus est offensa Dei expiabilis per satisfactionem ; formale verò, jus Divinum læsum per offensam, ut reparabile per satisfactionem & compensationem quandam. Ibidem p. 364. n. 18. & sequentibus.

Pœnitentia est virtus distincta à religione, charitate, justitia commutativa, vindicativa, & distributiva ; pertinet tamen ad justitiam reductivè, & est pars potentialis illius. Ibidem p. 366. n. 40. & sequentibus.

Habitus pœnitentiæ residet in voluntate, non verò in appetitu sensitivo. Ibidem pag. 372. num. 82.

Non reperitur in Angelis, cùm enim immobiliter adhæreant objecto semel electo, non possunt retractare actum elicitum ; remanet tamen in hominibus beatis, qui hanc virtutem non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non amittunt in patria. Fuit etiam in Adamo in ſtatu innocentiæ, imò & in B. Virgine, licèt ex privilegio ſpeciali fuerit præſervata à peccatis etiam venialibus. Demùm hæc virtus una cum aliis, parvulis in baptiſmo infunditur, unde ſicut fideles dicuntur, quia habitum fidei per infuſionem receperunt; ita & pœnitentes appellari poſſunt, quia pariter ipſis infuſus eſt pœnitentiæ habitus, ut eleganter declarat Auguſtinus lib. 1. de peccat meritis cap. 19. Ibidem n. 82. & ſequentibus.

Tam in virtute quàm in Sacramento pœnitentiæ eſt efficacia ſufficiens ad delenda quæcunque peccata, illi ritè ſubjecta; ita ut nullum ſit peccatum, quod remitti non poſſit, ſi vera de illo habeatur pœnitentia. Ibidem p. 374. n. 3.

Regulariter & per ſe loquendo, ad remiſſionem peccatorum mortalium extra Sacramentum, requiritur in adultis actus pœnitentiæ formalis, nimirum contritio, quâ doleant de peccatis commiſſis. Per accidens tamen & in aliquo caſu extraordinario, ad remiſſionem peccatorum ſufficit pœnitentia virtualis. De abſoluta verò Dei potentia, peccata remitti poſſunt abſque actu pœnitentiæ tam formalis quàm virtualis. Ibidem p. 376. n. 11. & ſequentibus.

Dimiſſâ per pœnitentiam culpâ peccati mortalis, & pœnæ æternæ reatu, peccator ſemper remanet obnoxius pœnæ temporali luendæ, vel in hac vita, per actus ſatisfactorios; vel in alia, per ſupplicium purgatorij. Ibidem p. 382. n. 63. & ſequentibus.

Ad remiſſionem peccatorum venialium, non ſufficit quodcumque opus bonum & meritorium vitæ æternæ, ſed requiritur neceſſariò aliquis actus pœnitentiæ; non tamen neceſſe eſt quod pœnitentia illa ſit formalis, ſed ſufficit quod ſit virtualis. Ibidem p. 384. n. 1. & ſequentibus.

Omnia Sacramenta novæ legis habent vim remittendi peccata venialia ex opere operato, id tamen ſpecialiter aliquibus Sacramentis competit, nimirum Baptiſmo, Pœnitentiæ, Confirmationi, Euchariſtiæ, & Extremæ-Unctioni. Ibidem p. 390. num. 55. & ſequentibus.

Non ſolùm Sacramenta, ſed etiam nonnulla Sacramentalia, poſſunt remittere peccata venialia ex opere operato. Ibidem n. 57.

Certum de fide eſt, per pœnitentiam non ſolùm recuperari gratiam deperditam per peccatum, ſed etiam merita ſeu bona opera per peccatum, ſed etiam merita ſeu bona opera per illud mortificata reviviſcere. Ibid. pag. 399. n. 4.

In qua verò proportione & quantitate reviviſcant pag. 400. num. 17. & ſequentibus declaratur.

Hujus virtutis elogia & prærogativas, vide in præfatione Tractatûs de Pœnitentia p. 345.

Potentia Dei.

Non datur in Deo potentia executiva, ab intellectu & voluntate virtualiter diſtincta. Tomo 1. pag. 221. n. 86.

In Deo potentia immediatè executiva, non eſt voluntas, ſed intellectus practicus, ut motus & applicatus à voluntate. Ibidem pag. 222. num. 94.

Deus ad extra producit creaturas, per actum imperij, quo dicit, *fiat hoc*, juxta illud Geneſ. 1. *Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux* Ibid. pag. 223. n. 95.

Potentia Chriſti.

Refellitur error quorumdam Judæorum & Ethnicorum, qui miracula Chriſti ſupernaturaliter edita, retulerunt ad magicam pronunciationem nominis Dei. Tomo 4. pag. 624. num. 1.

Confutatur error aliorum, qui Chriſti miracula tribuerunt corporis ejus temperamento. Ibidem n. 2.

Exploditur delirium aliorum, qui Chriſti miracula non fuiſſe vera, ſed duntaxat myſtica, affirmarunt. Ibidem n. 3.

Rejicitur hæreſis Ubiquiſtarum, qui exiſtimabant potentiam exequentem animæ Chriſti, non eſſe quid creatum, ſed ipſam Dei omnipotentiam, formaliter communicatam Chriſto ut homini. Ibidem pagina 625. num. 6. & 7.

Quomodo intelligenda ſint verba illa Chriſti Matth. ultimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra.* Ibidem n. 12.

Humanitas Chriſti, ſive Chriſtus ut homo, inſtrumentaliter phyſicè concurrit ad productionem gratiæ, & miraculorum, aliorumque effectuum ſupernaturalium. Ibidem p. 626. n. 15. & ſequentibus.

Prædeſtinatio.

Certum de fide eſt, aliquos homines à Deo prædeſtinari, ſeu in vitam æternam abſoluto & efficaci decreto præordinari, & per auxilia gratiæ ad æternam beatitudinem tranſmitti. Unde Vates Regius loquens de electis, ait: *Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum.* Quibus verbis, ſagittis à ſagittante excuſſis, quæ non proprio motu, ſed illius impulſu, in ſcopum feruntur, aptiſſimè prædeſtinatos comparat. Tomo 2. pag. 3. n. 4. & ſequentibus.

Prædeſtinatio ita ad ſalutem neceſſaria eſt, ut ſine illa impoſſibile ſit, aliquem de facto ſalvari. Ibidem pag. 5. num. 14. & ſequentibus.

Licèt multi actus ad negotium prædeſtinationis concurrant, & præſuppoſitivè, vel de connotato importentur; illa tamen eſſentialiter, & in recto, conſiſtit in actu intellectûs, nempè in judicio practico ſubſequente electionem, quod imperium appellatur. Ibidem pag. 7. n. 26. & ſequentibus.

Prædeſtinatio non eſt pars ſubjectiva ſed objectiva providentiæ. Ibidem pag. 14. num. 84. & ſequentibus.

Prædeſtinatio rectè definitur: *Præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur.* pag. 15. num. 99.

Electio efficax prædeſtinatorum ad gloriam, non ſit ex præviſis meritis, nec illa reſpicit ut motiva, quibus Deus inducatur ad illos eligendos, ſed ut effectus ab ipſa derivatos, & ad illam ſubſequentes, juxta illud Proſperi: *Deus his quos elegit ſine meritis, dat unde ornantur ex meritis.* pag. 18. n. 5.

Hanc ſententiam adeò certam exiſtimant duo illuſtriſſimi & piiſſimi Cardinales, Bellarminus & Baronius, ut primus aſſerat, illam non quorumvis Doctorum opinionem, ſed fidem

fidem Eccleſiæ Catholicæ dici debere. Secundus verò ad annum 409. n. 32. hæc ſcribat: *Cum igitur Fauſti ſententiæ, ubique ab Eccleſia fuerit contradictum, videant quanto periculo quidam ex Recentioribus, dum in Novatores inſurgunt, ut eos confutent, à S. Auguſtini ſententia de prædeſtinatione recedant, cum alioquin arma non deſint quibus hæretici profligentur.* Ibidem n. 5. & ſequentibus.

Omnia abſurda & inconvenientia, quæ à Recentioribus contra hanc ſententiam objiciuntur; fuerunt olim D. Auguſtino à Pelagianis & Semipelagianis objecta, & à S. Doctore ſoluta & contrita. Ibidem pag. 31. n. 86. & ſequentibus.

Nulla datur ex parte noſtrâ cauſa meritoria de condigno vel de congruo primi effectus prædeſtinationis, ſeu primæ vocationis, & primi auxilii ſupernaturalis. Ibidem pag. 34. n. 96. & ſequentibus.

Referuntur ac refelluntur duo præcipua Pelagianorum & Semipelagianorum motiva. Ibid. pag. 36. num. 107. & ſequentibus.

Opera bona moraliter, ex naturæ viribus facta, nec etiam diſpoſitivè ad primam vocationem concurrunt. Ibidem pagina 37. num. 113.

Exponuntur quædam teſtimonia D. Thomæ, deſumpta ex primo & ſecundo libro Sententiarum, in quibus oppoſitum docuiſſe videtur. Ibidem pag. 38. n. 127.

Vindicatur Chryſoſtomus ab errore Semipelagianorum, quem Vazquez falsò illi affingit. Ibidem pag. 40. n. 138.

Nulla datur lex, quâ Deus ſtatuerit, homini facienti quod in ſe eſt ex facultate naturæ, infallibiliter conferre auxilia gratiæ. Unde axioma illud, *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*, intelligendum eſt de faciente quod in ſe eſt, non ex viribus naturæ, ſed ex auxilio gratiæ, ut explicat D. Thomas. Ibidem pagina 41. num. 143. & ſequentibus.

Glorificatio, juſtificatio, & quæcunque efficax vocatio, ſunt effectus prædeſtinationis. Ibid. pag. 46. n. 4. & ſequentibus.

Gratia etiam per peccatum interrupta, & vocationes inefficaces, inter effectus prædeſtinationis computari debent. Ibidem pag. 47. n. 16. & ſequentibus.

Item determinatio noſtræ voluntatis ad bonum, ſeu bonus liberi arbitrii uſus, ut tenet ſe ex parte noſtra, eſt effectus prædeſtinationis. Ibidem pagina 50. numero 41. & ſequentibus.

Ipſa etiam ſubſtantia prædeſtinati poteſt dici effectus prædeſtinationis, non elicitus, ſed imperatus. Ibidem pag. 53. n. 62. & ſequentibus.

Demùm permiſſiones peccatorum in electis, ſunt prædeſtinationis effectus; Deus enim interdum permittit electos in peccatum cadere, ut humiliores, cautiores, & ferventiores reſurgant: Sicut qui vult ignem ardentiùs accendi, aliquot guttis aſpergit carbones, & ad tempus extinguit aliquid, ut fortiùs accendatur. Unde Gregorius: *Fit plerumque gratior Deo amore ardens vita poſt culpam, quàm in ſecuritate, torpens innocentia.* Et Ambroſius: *Fidelis factus eſt Petrus, poſtquam fidem ſe perdidiſſe deflevit, atque ideò majorem gratiam reperit, quàm amiſit.* Ibidem pag. 57. & 58. n. 89. & ſequentibus.

Prædeſtinatio eſt certa, non ſolùm certitudine præſcientiæ, ſed etiam certitudine cauſalitatis mediorum. Ibidem pag. 63. num. 5. & ſequentibus.

Nemo in hac vita, ſeclusâ Dei revelatione, poteſt certò ſcire, an ſit de numero prædeſtinatorum, Deus enim occultare nobis voluit prædeſtinationis ſecretum, ut magis eſſemus de ſalute noſtra timidi & ſolliciti, & ut quò magis celatur meta, eò ad Deum diligentiùs contendamus curſum, & feſtinemus ingredi in illam requiem. In hujus rei typum Seraphini Iſaïæ 6. volabant amoris & contemplationis pennis, & tamen alis ſuis Dei caput & pedes velabant, eò quòd, ut declarat Bernardus, ipſos etiam lateat quod ante mundum fuit, quodve futurum eſt poſt conſummationem. Ibidem pag. 66. num. 22. & ſequentibus.

Aliqua prædeſtinationis ſigna, ibidem pag. 67. n. 29. & ſequentibus declarantur.

Quàm parvus etiam ſit numerus electorum, ex Scriptura & SS. Patribus, ibidem pag. 69. n. 36. & ſequentibus oſtenditur.

Præmotio ſeu prædeterminatio phyſica.

Juxta D. Thomam Deus non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè præmovet voluntatem creatam ad operandum. Tomo 3. p. 149. n. 27. & ſequentibus.

Prædeterminationem phyſicam, ſeu concurſum prævium eſſe de mente D. Thomæ, plures ex Patribus Societatis fatentur. Ibid. p. 153. n. 56. & ſequentibus.

Scriptura & SS. Patres docent Deum applicare cauſas ſecundas ad agendum, ſubindeque eas præmovere & prædeterminare, ſeu per concurſum prævium in illas influere: motio enim moventis, præcedit motum mobilis, prioritate naturæ & cauſalitatis, ut docet S. Thomas 3. contra gent. cap. 149. Ibidem pag. 155. n. 63. & ſequentibus.

Sine tali concurſu prævio non ſalvatur ſubordinatio immediata cauſarum ſecundarum ad primam in operando, cùm omnis ſubordinatio dicat ordinem, & ordo prioritatem & poſterioritatem. Unde S. Thomas 3. p. qu. 19. art. 1. *Ubicunque ſunt plura agentia ordinata, inferius movetur à ſuperiori, ſicut in homine corpus movetur ab anima, & inferiores vires à ratione, &c.* Ibidem pag. 156. n. 65. & ſequentibus.

Voluntas creata ratione ſuæ indifferentiæ indiget à Deo præmoveri & prædeterminari; *quod enim indifferenter ſe habet ad multa, non magis unum operatur, quàm aliud, unde à contingente ad utrumque non ſequitur aliquis effectus, niſi per aliquid, per quod ad unum determinatur:* Inquit S. Doctor 3. contra Gent. cap. 2. Ibidem pagina 159. num. 79. & ſequentibus.

Cùm Deus habeat perfectum dominium in noſtras voluntates, eas etiam ad volendum applicat; uſus enim rei ſeu applicatio illius ad operationem, eſt proprius actus dominij; unde voluntas noſtra, quia eſt Domina & Regina potentiarum inferiorum, eas ad ſuos actus applicat. Ibid. p. 160. n. 89. & ſeq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sublatâ prædeterminatione physicâ, neque sufficiens, neque efficax gratia stare possunt. Ibidem pag. 162. num. 97. & sequentibus.
Exponuntur testimonia D. Thomæ, quæ Petrus à S. Joseph nobis objicit in opusculo, quod D. Thomæ defensionem appellat. Ibidem pag. 166. num. 118. & sequentibus.
Antiquiores Thomistæ, ut Capreolus, Ferrarienſis, Conradus, Cajetanus, Sotus, docent Deum per concursum prævium movere, & applicare causas secundas ad agendum quod est eas prædeterminare. Ibid. p. 174. n. 163. & sequentibus.
Quomodo prædeterminatio physica libertatem nostræ voluntatis non tollat, aut minuat, sed potiùs eam causet & perficiat, vide Tomo 1. p. 513. num. 64. & seqq.

Præsumptio.

Præsumptio, seu in propriis viribus fiducia, maximum Divinæ gratiæ ponit impedimentum, ut eleganter declarat D. Bernardus serm. 54. in Cantica. Tomo 1. pag. 430. num. 146.

Primatus Petri. Vide Papa.

Privilegium.

Privilegium est lex privata, speciale aliquid indulgens. Tomo 3. pag. 555. num. 10.
Quomodo privilegium à lege, dispensatione, & gratia differat, ibidem n. 2. explicatur.
Variæ etiam privilegiorum species n. 4. & sequentibus recensentur.
Quandonam verò privilegium incipiat in privilegiario suos effectus operari, num. 8. declaratur.
De cessatione privilegiorum agitur ibidem n. 10. & sequentibus.

Processio Divinarum personarum.

Constat ex sacris litteris dari in Deo ab æterno processiones Divinarum personarum productivas. Tomo 2. pag. 115. num. 1. & sequentibus.
Illæ sunt verè & propriè actiones immanentes ac vitales, & non puræ ac simplices emanationes. Ibidem p. 118. n. 23.
Processiones Divinæ activè sumptæ, non sunt actus ex æquo distincti ab intelligere & velle, sed dictio ac spiratio, formaliter includunt intellectionem & volitionem. Ibidem p. 119. n. 39. & sequentibus.
Non datur in Deo intellectio notionalis & relativa, in linea intellectionis, virtualiter ab absoluta distincta. Ibidem p. 121. n. 50.
Principium primum & radicale Divinarum processionum, est Divina essentia, ut modificata relatione; principium verò quo proximum, sunt intellectus & voluntas, ut relationibus paternitatis & spirationis activæ modificantur. Ibidem pag. 126. n. 86. & sequentibus.
Duæ sunt processiones in Deo, una Verbi per intellectum, altera Spiritus Sancti per voluntatem. Illa habet rationem generationis, non verò ista, quia Verbum procedit in similitudinem naturæ, ex vi suæ processionis, non verò Spiritus Sanctus. Ibidem p. 130. n. 128. & sequentibus.

Providentia Divina.

Stando tam principiis fidei, quàm luminis naturalis, negari non potest, esse in Deo providentiam. Tomo 1. p. 459. num. 2. & sequentibus.
Providentia Dei perfectissima est, illaque ad singularia etiam corruptibilia se extendit, & vilium etiam animalium numerum prærdinat ac prædefinit. Nec oppositum docet D. Thomas, ut ipsi imponit Bellarminus lib. 4. de gratia & libero arbitrio cap. 15. non referens fideliter verba Sancti Doctoris, sed omittens unam particulam integritati sensûs prorsus necessariam. Ibidem pag. 460. n. 12. & 16.
Deus non solùm habet providentiam rerum naturalium, sed etiam humanarum & contingentium, quæ non destruit, sed potiùs astruit illarum contingentiam & libertatem: *Sic enim* (inquit Augustinus) *administrat omnia quæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat.* Ibidem p. 462. n. 21. & sequentibus.
Impiorum fallaciæ & cavillationes contra Divinam providentiam referuntur ac refelluntur. Ibidem pag. 463. n. 26.
Defectus tam naturales quàm morales, quos Divina providentia permittit in rebus creatis contingere, ad perfectionem, decorem, & pulchritudinem universi conducunt, & ex permixtione bonorum & malorum, mirabilis resultat Divinæ providentiæ harmonia & concentus. Ibid. n. 27.
Monstra suo modo conducunt ad pulchritudinem universi. Ibidem p. 464. n. 29.
In tribulationibus justorum mirum in modum relucet Divina providentia. Ibidem pag. 465. n. 31. & 32.
Mali ita continentur intra ambitum Divinæ providentiæ, quod decidentes ab ordine bonitatis, & misericordiæ, incidunt intra ordinem Divinæ justitiæ, nec ordinantur in bonum proprium, sed in bonum electorum, & in manifestationem Divinæ justitiæ. Ibidem pag. 467. n. 43. & sequentibus.
Divina providentia actum voluntatis connotat & præsupponit, sed consistit essentialiter in actu intellectûs, nimirum in actu imperii. Ibidem p. 468. n. 50. & sequentibus.
Providentia Dei distinguitur ab ejus scientia practica, & arte, nec non à lege æterna, & ideis in mente Divina existentibus. Ibidem p. 473. n. 93. & sequentibus.
Distinguitur etiam virtualiter, saltem inadæquatè, à potentia Dei executiva, quâ res ad extra producit. Ibidem n. 94.
Deum suâ infinitâ providentiâ, omnes nostras bonas operationes ab æterno prædefinire & prædeterminare, pluribus Scripturæ, & SS. Patrum, præsertim S. Augustini & D. Thomæ testimoniis, nec non variis rationibus Theologicis ostenditur. Ibid. p. 475. n. 103. & sequentibus.
Nomen prædeterminationis passim à D. Thoma usurpatur, unde non est novum, nec à Thomistis excogitatum, ut Recentiores causantur. Ibidem p. 478. n. 106. & n. 108. & seq.
Decretum prædeterminans causat libertatem actualem voluntatis nostræ, & non lædit, sed perficit potentialem. Tomo 1. pag. 513. n. 70. & sequentibus, ubi etiam convelluntur duo

duo præcipua fundamenta Adversariorum, illorumque objectiones fideliter proponuntur & solvuntur.
Quomodo autem peccata Divinæ providentiæ subsint, Tomo 1. p. 484. n. 149. & sequentibus, fusè declaratur.

Prudentia.

Prudentia definitur à Philosopho *recta ratio agibilium.* Partes integrales illius octo assignantur à D. Thoma 2. 2. quæst. 49. nempe memoria, intellectus, vel intelligentia, docilitas, solertia, ratio, providentia, circunspectio, & cautio. Tomo 4. p. 369. num. 1. & sequentibus.
Cùm inter virtutes morales prudentia magis perficiat rationem, aliis virtutibus moralibus præfertur, sicut visus omnibus externis sensibus antecellit. Unde sicut Philo visum *regem sensuum* appellat, ita prudentia omnium virtutum moralium regina appellatur, propriusque ejus actus est imperium. Tomo 3. pag. 339. n. 58.
Hanc virtutem mirum in modum commendant SS. Patres, Chrysostomus enim dicit eam esse lucernam animæ, Reginam cogitationum, Magistram eorum quæ bona sunt & honesta. Ambrosius lib. de Paradiso, quadruplicem fluvium inde promanantem explicans: *Phison prudentia est* (inquit) *& ideò aurum optimum habet.* Tomo 4. pag. 369. num. 1. & sequentibus.
Proverb. 3. *beatus vir* dicitur, *qui affluit prudentiâ*, vel hebraïcè, *beatitudines viri*, ut multiplex beatitudo viri prudentis commendetur. Ibidem p. 370. n. 9.

Pudicitia.

Pudicitia temperantiæ species est, quæ in hoc à castitate distinguitur, quod ista habet moderari & rationi subjicere delectationes ex commixtione venerea consurgentes; illa verò moderatur & subjicit rationi delectationes, quæ talem actum circunstant, puta quæ sunt in osculis, tactibus, & amplexibus impudicis. Tomo 4. p. 387. n. 18.
De hac virtute hæc ait Tertullianus in libro de pudicitia: *Pudicitia flos morum, decor sexuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis.* Ibidem.

R.

Raptus.

RAptus mulieris ante Tridentinum erat solùm impedimentum prohibens matrimonium, sed post Tridentinum est impedimentum dirimens; decrevit enim sancta Synodus sess. 24. de reformatione matrimonii cap. 6. inter raptorem & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Tomo 5. p. 635. n. 88.

Ratio.

Ratio proprium hominis bonum est, cætera illi cum animalibus communia sunt. Est fortis, & leones. Formosus est, & pavones. Velox est, & equus. Habet vocem, sed quantò clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem & suaviorem luciniæ? Seneca in Epistolis. Tomo 3. pagina 28. num. 9.

Redemptio Christi.

Redemptio Christi generalis est, & ad omnes & singulos se extendit: *Omnes enim* (inquit Nazianzenus orat. 25.) *citra ullam exceptionem instaurati sumus per cœlestem Adamum, qui primi Adæ participes fuimus, & à serpente decepti & peccato mortui. Mysticus Sol justitiæ* (subdit Ambrosius) *omnibus passus est, & omnibus resurrexit.* In eandem veritatem conspirant unanimiter SS. Patres. Tomo 1, pagina 379. & 380. num. 23. & sequentibus.
Augustinus lib. 2. de symbol. ad Cathecum. cap. 8. ait Christum reprobis, & maximè Judæis ejus crucifixoribus, dicturum in die judicij: *Videtis vulnera quæ inflixistis, agnoscitis id latus quod pupugistis; quoniam & per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* ibid. n. 31.
Sententia asserens Christum pro omnibus non esse mortuum, fidem mutilat, spem infringit, charitatem refrigerat. Ibidem pag. 382. n. 38. & sequentibus.

Relationes Divinæ.

Relatio in creatis, nullius ferè est entitatis & subsistentiæ, nulliusque soliditatis & permanentiæ. Ubi tamen in Deo reperitur, tanta est ejus dignitas & nobilitas, ut Sacratissimum Trinitatis mysterium, quo nihil in Christiana religione nobilius & excellentius est, in solis relationibus fundetur ac subsistat, illisque Divinæ constituantur ac distinguantur personæ. Tomo 2. pag. 142. ante numerum 1.
Relationes quæ in creaturis sunt accidentia, inhærentia subjecto, in Deo, ut sic loquar, substantificantur; sicut enim, ut docet Gregorius in moralibus, apud Deum labentia stant, mutabilia immutabilitatem consequuntur, temporalia æternitatem; ita & ipsa accidentia subsistunt. Ibidem p. 143. num. 7.
Relationes Divinæ, nec modaliter, nec ex natura rei, sed virtualiter tantùm distinguuntur ab essentia. Ibidem p. 144. n. 15. & sequentibus.
Essentia Divina est de conceptu formali, & quidditativo relationum, & è converso. Ibidem p. 149. num. 51. & sequentibus.
Quomodo realis relationum distinctio, stare possit cum perfecta identitate illarum in essentia. Ibidem pag. 155. n. 5. & sequentibus declaratur.
Relationes Divinæ non addunt perfectionem relativam ad essentiam. Ibidem pagina 160. num. 133.
Non gaudent existentiis relativis, realiter inter se & virtualiter ab existentia absoluta essentiæ distinctis. Ibidem pagina 165. numero 16.

Religio.

Religio juxta D. Thomam à Religando dicitur, quia homines quodam modo Deo religat; vel à relegendo, ut vult Cicero, quia religiosus debet ea quæ sunt Divini cultus, frequenter legere, & in corde revolvere; vel ut docet Augustinus 10. de civit. cap. 4. à reeligendo, quia Deum reeligere debemus, quem amiseramus negligentes. Tomo 4. p. 373. ante numerum 1.
Religio definitur, virtus quæ debitum cultum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deo tribuit, tanquam primo omnium principio. Ibidem n.1.

Actus Religionis tam interni, quàm externi, ibidem p.374. n. 4. & sequentibus recensentur & explicantur.

Hæc virtus inter morales præstantissima est, quia magis de propinquo accedit ad Deum, inquantum operatur ea quæ directè & immediatè ordinantur in honorem Divinum. Unde Isidorus Pelusiota ait, quemadmodum in corpore valentior pulchritudinis pars est oculorum pulchritudo, ita etiam in animo præcipua pulchritudinis pars est pietas seu religio. Ibidem n. 2.

Reprobatio.

Datur in Deo reprobatio, seu decretum aliquod efficax & immutabile, quo ab æterno aliquos homines & Angelos voluit à gloria excludere. Unde Concilium Valentinum 3. can. 3. *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Eadem veritas in sacris Paginis, sub variis parabolis, & figuris declaratur. Tomo 2. pag. 71. num. 1. & sequentibus.

Reprobatio in Deo non dicit solam negationem prædestinationis, sed actum positivum intellectûs & voluntatis, quo ab æterno decrevit aliquos excludere, vel non admittere ad gloriam, ob manifestationem suæ justitiæ. Ibid. p.72. n.6.

Reprobatio positiva, seu decretum infligendi pœnam damni & sensus, prævisionem peccatorum, seu demeritorum præsupponit; secùs verò reprobatio negativa, seu decretum denegandi gloriam, ut beneficium indebitum; quamvis probabilius videatur, & doctrinæ S. Augustini & D. Thomæ conformius, illud præsupponere præscientiam peccati originalis, & ab eo ut à causa materiali & occasionali dependere. Ibidem p.74. 75. & 81. num. 27. & sequentibus, usque ad num.75.

Qui sint reprobationis effectus, Ibid. pag.90. num. 134. & sequentibus.

Resurrectio Christi.

Resurrectio Christi est causa exemplaris nostræ justificationis: Sicut enim Christus citò, verè, & perfectè, seu non iterum moriturus, resurrexit; ita justificatio nostra, quæ est spiritualis quædam resurrectio à morte peccati ad vitam gratiæ, debet esse prompta, vera, & perfecta, & sicut *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, ut ait Apostolus; ita Christianus in justificatione spiritualiter renascens, & ad vitam gratiæ resurgens, non debet ampliùs mori morte peccati, nec peccatum illi ultra dominari. Tom. 4. pag. 167. numero 231.

S.

Sacerdotium.

SAcerdotij novæ legis dignitas ex triplici capite commendatur, primò quòd imperium in animas exerceat; secundò, quòd mystico Christi corpori, videlicet Ecclesiæ, dominetur; hanc enim expiat Sacerdos, illustrat, perficit, ac deificat, ut docet Dionysius, unde Sacerdotes dicti sunt *Theurgi*, id est, *Deos facientes*: Tertiò quòd Sacerdos ipsi etiam vero Christi corpori imperet, ipsumque in altari sacro ore conficiat. Hinc meritò celebratur illa sententia, quæ D. Augustino, vel S. Gregorio tribuitur: *O magna Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis, Christus quotidie incarnatur.* Tomo 2. p.291. n.115.

S. Ephrem Sacerdotium appellat *stupendum miraculum, omnium ornamentorum præstantissimum, bonorum omnium quæ in hominibus sunt apicem, Divinum quoddam, omniumque quæ inter homines expetuntur velut extremam metam.* Ibid. p.292.

Sacerdotium Melchisedech fuit typus & figura Sacerdotij Christi, ut egregiè declarat Theodoretus. Tom.4. p.378. n.19.

Sacramentum.

Sacramentum non solùm est in genere signi, sed etiam in genere causæ efficientis moralis, vel formalis sacrativæ. Tomo 5. pag.8. num.1. & seqq.

De ratione Sacramenti est, significare perfectam sanctitatem, quæ est per gratiam, in actuali usu & susceptione Sacramenti conferendam. Unde Sacramentum rectè definitur *signum ad placitum rei Sacræ, perfectè sanctificantis homines.* Ibid. p.11. n.25.

Sacramenta novæ legis sunt signa rememorativa, demonstrativa, & prognostica; rememorativa Passionis Christi, quæ præcessit; demonstrativa gratiæ, quam efficiunt; & prognostica gloriæ, quam expectemus. Ibid. p.14. n.47.

Sacramenta rebus sensibilibus constare convenientissimum fuit, pluresque afferri possunt congruentiæ. Ibidem pag. 15. num.65. & 66.

Christus non determinavit in specie, sed duntaxat in genere materias & formas aliquorum Sacramentorum novæ legis. Ibidem, p.18. n.77.

In omnibus Sacramentis novæ legis requiruntur verba propriè vel impropriè sumpta, at in Sacramentis veteris legis, non erat necessarium quod rebus verba adderentur. Ibidem n.80. & sequentibus.

Quomodo res & verba se habeant in Sacramentis novæ legis, ibidem p.20. n.85. & sequentibus declaratur.

Quæ verò mutatio ex parte materiæ, vel formæ, reddat Sacramentum invalidum, Ibidem pag. 23. n.11. & sequentibus explicatur.

Sacramenta sunt homini necessaria ad salutem, ob triplicem rationem. Ibidem p.25. num.2.

Nullum fuit institutum Sacramentum, pro illo brevi tempore, quo status innocentiæ in Adamo duravit; imò si felicissimus ille status perseverasset, nulla fuissent instituta Sacramenta, ex vi decreti quod Deus ab æterno habuit. p.26. n.8.

In statu legis naturæ fuerunt aliqua Sacramenta, tam pro adultis, quàm pro parvulis, in remedium peccati originalis & actualis; illa tamen non fuerunt determinata immediatè à Deo in particulari, sed relicta in hominum arbitrio. Ibidem p.32. num.54. & sequentibus.

Conveniens fuit, ut Christus in nova lege aliqua

qua Sacramenta instituerat. Ibidem p. 39. n.105. & sequentibns.

Sacramenta novæ legis non producunt gratiam in ponentibus obicem. Ibid. pag. 44. n.2. & 45. num.16. ubi egregia magni Gregorij verba referuntur.

Peccatores & infideles validè Sacramenta conficiunt, si adhibeant omnia ad illorum valorem requisita. Tomo 5. pag. 99. num. 58. & seqq.

Licitum est à malo ministro, ab Ecclesia tolerato, sacramenta petere & recipere, quando urget necessitas, secùs verò, si nulla urgeat necessitas. Ibidem pag. 105. numero 117.

Minister solemnitatis Sacramenta conficiens vel administrans in peccato mortali, peccat mortaliter, non verò minister necessitatis. Ibidem pag.102. n.88. & 93.

Quatuor præcipuè sacramenta magna appellantur: scilicet baptismus, ratione effectûs, quia delet culpam, & aperit januam paradisi. Confirmatio, ratione ministri, quia solùm à Pontificibus, & non ab aliis confertur. Eucharistia, ratione continentiæ, quia totum Christum continet. Matrimonium, ratione significationis, quia significat conjunctionem Christi & Ecclesiæ. Tomo 5. p.548. n.11.

Sacrificium.

Sacrificium est *oblatio rei sensibilis, à legitimo ministro Deo facta, per realem immutationem, ad testandum supremum illius dominium, in vitam, & in mortem.* Tomo 4. pag. 376. num.11.

Varia ac multiplicia fuerunt in veteri lege sacrificia, quæ perfectissimum novæ legis sacrificium figurabant, unde illo existente cessarunt, juxta illud quod in quadam collecta ait Ecclesia: *Deus qui legalium differentiam hostiarum, unius Sacrificij perfectione sanxisti, &c.* Ibid. p.378. n.18. & 19. & sequentibus.

In omnibus Sacrificiis legis naturæ vel scriptæ, fiebat aliqua destructio vel immutatio rei oblatæ. Item in Missæ Sacrificio fit immolatio mystica ipsius Christi, quatenus vi verborum ponitur corpus sub specie panis, & sanguis sub specie vini ad repræsentandam separationem utriusque factam in Cruce, & in morte Christi. Unde in tali Sacrificio, fit mystica quædam sanguinis per gladium verborum effusio, ut Cyrillus loquitur. Ibidem n.15. & sequentibus.

Offerre Deo Sacrificium est de jure naturæ, unde in qualibet ætate, & apud quaslibet hominum nationes, semper fuit aliqua Sacrificiorum oblatio. Tomo 5. pag. 30. n.42. & 43.

Sanctitas.

Sanctitas tria importat, seu ex tribus coalescit: primum est munditia & puritas, Sanctus enim græcè dicitur ἅγιος, quasi sine terra; secundum est firmitas, Sanctum enim idem significat ac sancitum seu lege firmatum, unde Ulpianus ff. de divisione rerum, ait Sacra loca Sancta esse, quia Sanctum est quod sanctione aliquâ firmatum est. Tertiò sanctitas importat quandam Divino cultui consecrationem, & perfectam conjunctionem cum Deo, quæ fit per charitatem. Tom. 1. p.91. num.40.

Licèt Sanctitas sit attributum commune tribus Personis, specialiter tamen appropriatur tertiæ, quæ Spiritus Sanctus idcirco appellatur. Tomo 2. pag. 228. num.101. & sequentibus.

Sapientia.

Sapientia alia est infusa, quæ est donum Spiritus Sancti, & quæ importat quandam rectitudinem judicij circa Divina conspicienda & consulenda, secundùm quandam connaturalitatem ad res Divinas, procedentem ex charitate, quæ nos unit Deo: alia acquisita, quæ est una ex virtutibus intellectualibus enumeratis ab Aristotele 6. Ethic. cap.4. quæ habet judicare de rebus per altissimam causam. Tomo 1. p.21. n.74.

In hoc differt sapientia à scientia communiter dicta, quod illa est cognitio rei per causam, non quamcumque, sed altissimam: unde in genere ædificij, artifex qui disponit formam domûs, dicitur sapiens & architectus, respectu inferiorum artificum, qui dolant ligna, vel parant lapides; & in ordine morali vir prudens, qui ordinat suos actus in ultimum finem, vocatur sapiens. Ibidem p.22. n.75.

Satisfactio est voluntaria punitio ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, eumque sic placandum, ut temporalem pœnam remittat. Tom.5. p.465. n.4.

Homo potest satisfacere de condigno pro pœna temporali, peccato mortali debita, non tamen de rigore justitiæ. Ibidem num.5.

Conditiones requisitæ ad satisfaciendum. Ibidem pag. 466. numero 12. & sequentibus declarantur.

Omne opus satisfactorium, est meritorium, & è contra. Ibidem p.468. n.18.

Satisfactio sacramentalis.

Satisfactio sacramentalis est pars, non essentialis, sed integralis duntaxat, Sacramenti Pœnitentiæ. Ibidem p.471. n.29. & 30.

Satisfactio sacramentalis triplicem ex opere operato habet effectum, nempè remissionem pœnæ temporalis, ex peccatis jam condonatis relictæ, auxilia quædam supernaturalia, ad faciliùs præcavenda peccata in futurum, & augmentum gratiæ habitualis. Ibidem n.31. & sequentibus.

Tenetur Sacerdos, auditâ confessione, satisfactionem, quæ vulgò pœnitentia appellatur, pœnitenti injungere; nec satis est, quod qualemcumque injungat, sed tenetur injungere aliquo modo proportionatam gravitati criminum, & eorum multitudini, atque etiam dispositioni & conditioni pœnitentis, nisi rationabilis causa excuset. Ibid. p.473. n.45.

Tenetur etiam pœnitens pœnitentiam sibi à Confessario injunctam acceptare, & acceptatam adimplere. Ibidem p.474. n.46.

Quivis legitimus Confessarius mutare potest pœnitentiam ab alio impositam, propter peccata non reservata; sed non nisi in confessione, & auditis peccatis, pro quibus fuit imposita. Ibidem p.475. n.52.

Unus non potest pro alio satisfacere, si satisfactio consideretur ut medicina & remedium peccati, benè tamen, si consideretur, ut est compensatio

Universidad de Deusto
Biblioteca

compensatio pœnæ in purgatorio luendæ. Ibid.p.476. n.60. & 61.

Satisfactio Christi.

Satisfactio Christi ex sua intrinseca dignitate & valore, non solùm fuit condigna, sed etiam superabundans. Tomo 4. p.429.n.27. & sequentibus.

Fuit valoris simpliciter infiniti in esse moris. Ibidem p.433. n.48. & sequentibus.

Observavit omnes leges strictæ & rigorosæ justitiæ. Ibidem pag. 437. num.79. & sequentibus.

Non fuit elicita à religione, sed à justitia; non legali, aut distributiva, sed commutativa. ibidem p. 444. n.136.

Scientia Dei.

In Deo reperitur verè & propriè scientia, respectu creaturarum, & suorum attributorum. Tomo 2. pag. 189. numero 5. & sequentibus.

Variæ scientiæ Dei divisiones. Ibidem p. 193. n.27. & sequentibus.

Ejus dotes & prærogativæ. Ibidem p.194. n.31. & sequentibus.

Deus cognoscit creaturas in sua essentia tanquam in causa, non verò immediatè in seipsis, seu independenter ab essentia Divina prius visa & cognita. Ibidem pag.196. num.5. & sequentibus.

Quomodo Deus non entia, mala, singularia, & infinita cognoscat, ibidem p.207. n.74. & sequentibus declaratur.

Quodnam verò sit objectum formale, tam motivum quàm terminativum Divini intellectus, explicatur eod. Tom. pag.66. num.92. & sequentibus.

Scientia in Deo est causa rerum, non solùm directiva, sed etiam effectiva; ea tamen quæ efficit & causat res in actu secundo, non est illa, quæ simplicis intelligentiæ dicitur, sed ea, quæ visionis seu approbationis appellatur. Ibidem p.209. n.7. & sequentibus.

Hæc propositio: *Ideo res sunt futuræ, quia sciuntur à Deo*, vera est in sensu causali: ista verò, *ideò res ut futuræ cognoscuntur à Deo, quia futuræ sunt*, falsa est in sensu causali, & vera tantùm in sensu illativo; si enim aliqua sunt futura, sequitur quidem quod Deus ea præsciat, non tamen res futuræ, sunt causa cur Deus ea sciat: *Si enim hoc esset, tunc ejus quod æternum est, aliquid existeret causa ab eo alienum, ab eo diversum, & ex creaturis penderet scientia Creatoris, & creatum esset increati causa*, ut ait Magister Sententiarum in 1. distinct. 38. pag. 218. numero 62. & sequentibus.

Potentia executiva, quâ Deus res ad extra operatur, non distinguitur virtualiter ab intellectu & voluntate, sed est ipse intellectus, ut motus & applicatus à voluntate, qui res ad extra producit per actum imperij, juxta illud Genes. 1. *Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux.* Et istud Psalmi 148. *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.* Unde Christus Lazaro mortuo ait, *Lazare veni foras*, & Matth. 8. *imperavit ventis & mari.* Ubi Hieronymus: *Ex hoc loco intelligimus, quod omnes creaturæ sentiunt Creatorem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animata, sed majestate Conditoris, quâ sensibilia sunt, quæ apud nos sunt insensibilia.* Ibidem pagina 223. numero 96.

Scientia Dei respectu futurorum contingentium.

Præscientia futurorum, certissimum est divinitatis argumentum, juxta illud Tertulliani in Apologetico cap.2. *Idoneum opinor testimonium divinitatis, veritas divinationis*, & istud Augustini de civit. Dei cap.9. *confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.* Hinc præscientia futurorum, *divinatio* appellari solet, ut per hoc significetur, eam aliquid esse Divinum, & Deo maximè proprium. Tomo 1. pag. 227. num.21. & sequentibus.

Nihil Deus cognoscit ut determinatè futurum, ante decretum & prædefinitionem suæ voluntatis, determinantis extrahere res ex statu & massa possibilitatis, eisque dare existentiam in aliqua differentia temporis. Ibidem p.230. n.34.

Deus non cognoscit futura contingentia antecedenter ad suum decretum, in suis ideis, aut in causis liberis & contingentibus, vel in suo decreto, ut futuro, & ponendo in sequenti signo rationis, aut in veritate objectiva propositionum de futuro contingenti, cùm; in signo rationis antecedenti Divinum decretum, nulla sit determinatè vera, vel determinatè falsa. Ibidem pag. 233. numero 51. & sequentibus.

Deus cognoscit certò & infallibiliter futura contingentia absoluta, in decreto & prædefinitione suæ voluntatis, juxta illud Hilarij 9. de Trinit. *Quæ Deus facere decrevit, in sua voluntate cognovit.* Ibidem p.248. n.144. & sequentibus.

D. Thomas variis in locis duplex medium assignat, in quo Deus futura contingentia certò & infallibiliter cognoscat, earum scilicet præsentiam in æternitate, & efficax divinæ voluntatis decretum. Ibidem num.146. & sequentibus.

Peccata futura, quantùm ad id quod in illis privationis est & defectûs, seu malitiæ moralis, à Deo cognoscuntur in decreto permissivo. Quantùm verò ad id quod in eis est entitatis, & bonitatis transcendentalis, cognoscuntur in decreto positivo concurrendi ad illorum entitatem. Demum quantùm ad utramque rationem, clarè ab illo videntur in præsentia suæ æternitatis. Ibidem p.257. n.188. & sequentibus.

Deus futura conditionata certò cognoscit, certaque eorum præscientia fundatur in decretis absolutis ex parte subjecti, & conditionatis ex parte objecti. Ibidem p.277. num.2. & sequentibus.

Scientia media.

Nomine scientiæ mediæ, quam Recentiores ponunt in Deo, intelligitur cognitio certa & infallibilis futurorum conditionatorum, ante decretum actuale & exercitum, quo Deus prædefiniat & prædeterminet illorum futuritionem. Ibidem p.286. n.1.

Talis scientia non est nova, & à Recentioribus inventa, sed perantiqua, & olim Pelagianis & Semipelagianis familiaris. Ibidem p.288. n.6. & sequentibus.

Præcipua Pelagianorum & Semipelagianorum motiva,

motiva, ad fingendam in Deo talem præscientiam, ac excludendum decretum de se efficax, & humanas præveniens voluntates, Ibidem pagina 290. num. 13. & sequentibus.

Talis scientia fuit ab Augustino reprobata, non solùm quantùm ad abusum, sed etiam quantùm ad substantiam, unde *scientia reprobationis* meritò appellari potest, Ibid.p.291.n.19. & sequentibus.

Illa etiam pluribus principiis doctrinæ D.Thomæ apertissimè repugnat. Ibidem p.296.n.47. & sequentibus.

Variis etiam & efficacissimis rationibus expungitur ac de medio tollitur scientia media. Ibidem p.297. n.58. & sequentibus.

Ostenditur scientiam mediam non esse utilem aut idoneam ad conciliandam humanam libertatem, cum prædestinatione & gratia efficaci. Ibidem p.305. per totam.

Curiel & Basilius Legionensis, viri toto orbe celeberrimi, licèt scientiam mediam aliquando docuerint, tamen sapientiores facti, eam retractarunt. Ibidem num.97.

Joannes Lallemandet, recentissimus Scriptor Ordinis minimorum, Tomo 1. cursus Theologici, disp.8. partitione 3. ostendit, nec Magistrum Sententiarum, nec alios veteres Theologos in lectione S. Patrum versatissimos, neque Patres Concilij Tridentini, scientiam mediam agnovisse, nec illam adhibuisse ad conciliandam libertatem nostram, cum prædestinatione & gratia efficaci, & tandem ironicè sic concludit: *Quanta igitur ignorantiæ tenebræ in antiquis Theologis, & quanta lux illuminans de novo præcipua Religionis nostræ mysteria, apud Reverendos Patres Societatis orta!* Ibidem numero 99.

Baronius in Epistola quam scripsit ad Dominum de Villars, Archiepiscopum Viennensem, conqueritur quod *Molina quæstionem excitarit, quâ Ecclesia Catholica non erat opus*, subditque *se admonuisse Jesuitas, ne existimationem suam, defendendo sententiam Molinæ, discrimini exponant.* In Apologia Thomistarum pag. 558. n.104. ubi talis epistola tota exscribitur.

Henricus Henriquez apertè scientiam mediam reijcit, his verbis: *Necesse est in signo rationis supponere liberam quandam Dei conditionalem prædefinitionem, quâ positâ novit quid esset facturus in tali rerum concursu & occasione.* Et infra: *Hæc disputatio* (inquit) *de præscientia futurorum conditionatorum, à nobis* (id est Jesuitis) *ante viginti annos excitata est, & contra votum nostrum suscepta est in Italia sententia.* Ibid. p.559. n.107.

Claudius Tiphanius ejusdem Societatis, qui fuit in Gallia Provincialis, in libro de Ordine deque priori & posteriori, dicit: *Nullum alium Theologum, ante Molinam, ne per somnium quidem de illa scientia cogitasse, nec eam ullibi vel supposuisse, vel adhibuisse, ad ullam, sive Scripturæ Sacræ, sive Theologiæ Scholasticæ difficultatem expediendam.* Ait etiam, *sententiam negantem scientiam mediam, & antiquitate, & defensorum numero ac athoritate, longe esse meliorem.* Ibidem pag. 560. num.110.

Mariana lib.4. de regimine Societatis, ait quod *Societas sapientissimos Dominicanæ familiæ Theologos, potiùs venerari debebat, ut puriores doctrinæ Antistites, quàm sequi hesternæ Ludovici Molinæ commenta.* Ibidem.

Azorius lib.4. institut. moral. cap.22. quæst.2. hæc scribit: *Pauci juniores Theologi, fortassis ut voluntatem nostram liberam faciant, faciunt sacrilegam, dum negant Deum libera nostra opera bona prædefinire*, Tomo 1. pag. 305. num.99.

Absurdis & inconvenientibus scientia media explodituv. Ibidem pag.309. num.122. & sequentibus.

Convelluntur fundamenta scientiæ mediæ. Ibidem p.318. n.66. & sequentibus.

Scientia Christi.

Christus adhuc viator & in terris degens, vidit Divinam essentiam, subindeque habuit scientiam beatam, idque à primo instanti conceptionis. Tomo 4. pag. 588. n.1. & sequentibus.

Licèt anima Christi per scientiam beatam non cognoverit in Divina essentia omnes creaturas possibiles, cognovit tamen omnia præterita, & futura. Ibidem pag.592. n.28. & sequentibus.

Præter scientiam beatam fuit in anima Christi scientia infusa, eaque duplex, una supernaturalis, & alia naturalis. Ibidem p.597.n.2. & sequentibus.

Ad quæ objecta scientia infusa supernaturalis se extenderit, ibidem p.601. n.29. & sequentibus declaratur.

Præter scientiam beatam & infusam, constituenda est in anima Christi Domini scientia per se acquisibilis, quam Christus propriis actibus sibi comparavit, nec à Deo solùm per infusionem accepit. Ibidem p.619. n.3. & sequentibus.

Triplex est modus intelligendi in anima Christi omnino diversus, triplici ejus scientiæ correspondens, nempè modus intelligendi per essentiam Divinam gerentem vices speciei intelligibilis, qui competit scientiæ beatæ: modus cognoscendi per species à Deo inditas, qui convenit scientiæ infusæ; & denique modus intelligendi per species à phantasmatibus abstractas, qui proprius est scientiæ acquisitæ. Primus modus intelligendi est Divinus; secundus, Angelicus; tertius, humanus. Ibidem p.623. n.40.

Christus nihil ab Angelis didicit. Ibidem numero 41.

Quomodo verò intelligi debeat id quod dicitur Lucæ 22. ipsum fuisse ab Angelo confortatum, instante passione suâ, ibidem n.42. declaratur.

Scriptura Sacra.

Nomina & elogia, quibus Scriptura Sacra communiter insignitur. Tomo 4. pag.249. num.3.

Divisio Scripturæ Sacræ. Ibidem pag. 251. num. 6.

Variæ Scripturæ editiones. Ibidem n.10.

De editione vulgata, ejusque in Ecclesia authoritate. Ibidem p.253. n.14.

Explicantur quædam antilogiæ, seu contradictiones apparentes quæ in variis Scripturæ locis reperiuntur. Ibidem p.254. num.29. & sequentibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sensus compositus & divisus.

Sensum compositum & divisum perperam interpretantur Suarez, Lessius, Molina, Conink, Vazquez, & Petrus à S. Joseph; dicunt enim, sensum compositum, ut explicatur à Thomistis, esse quando motio Divina, & gratia efficax, cum ipsa voluntate componitur & conjungitur; divisum verò, quando ab illa dividitur & separatur. Qui modus explicandi, ut Calvinisticus, ab omnibus Thomistis rejicitur, ut fatetur Pater Annatus in libro de libertate incoacta, contra Commentatorem cap. 5. §. 1. ubi de Jansenianis ait: *Quem ex Thomistis dabunt, qui distinctionem sensus compositi & divisi sic interpretetur, ut sensus sit, voluntatem à Deo motam posse dissentire, quandiu illa motio aberit, & advenerit alia?* Tomo 1. pag. 510. num. 50. & sequentibus.

Veram & germanam hujus celebris distinctionis explicationem & intelligentiam, tradunt Bannez, Alvarez, Gonzalez, & alij. Ibidem p. 511. n. 56.

Distinctio sensus compositi & divisi, ita celebris & antiqua est, ut D. Thomas qu. 6. de verit. art. 4. ad 8. asserat quod illa communis erat suo tempore, eaque communiter utebantur Theologi ad conciliandam libertatem cum prædestinatione. Ibidem pag. 512. numero 62.

Hanc distinctionem tradit Venerabilis Beda in axiomatibus Philosophicis ex Aristotele collectis, littera O. Ibidem n. 63.

Seraphim.

Seraphim dicitur à verbo hebraïco *Saraph*, quod latinè accendere dicitur. Unde Dionysius, Seraphinos appellat ἐμπυροὺς, seu *ignitos*, Cyrillus Alexandrinus θερμαίνοντας, seu *calefacientes*, Chrisostomus ἔμπυρα σώματα, id est *ignea ora*. De illis ait Gregorius magnus: *Tantò magis ardent, quantò Deum vicinius vident. Horum profectò flamma amor est, quia quò subtilius claritatem Divinitatis aspiciunt, eò validius in ejus amore flammescunt.* Tomo 2. p. 449. n. 10.

Servitus.

Tribus modis aliquis potest esse servus, primò, nativitate, ut cum de ancilla nascitur; secundò, jure belli; quo justè captus, fit servus capientis, ejus morte in servitutem commutatâ. Tertiò, venditione, ut cùm à seipso vel ab alio venditur. Tomo 5. p. 621. n. 9.

Simonia.

Falsa est quorundam Casuistarum sententia, qui asserunt, quod dare pecuniam, vel aliud quid temporale pro beneficio, ut motivum, quo voluntas collatoris ad illud conferendum inducatur, non est Simonia, si non detur ut pretium beneficio æquale. Tomo. 3. in dissertatione de probabilitate. pag. 291. num. 143.

Simoniacus est, qui promissâ sine intentione solvendi pecuniâ, ad Sacerdotium pervenit, quia pecuniâ parat sibi viam ad rem spiritualem obtinendam. Ibidem n. 144.

Sybillæ.

Sybillas multi Patres, post Theophilum Antiochenum *Gentilium Prophetissas* appellant. Tanta fuit earum veneratio in orbe, ut multi existimarint eas de Cœlo lapsas, teste Clemente Alexandrino lib. 1. Stromatum, qui etiam refert particulam concionis D. Pauli, in qua fideles hortatur ad lectionem Sybillinorum voluminum. Tomo 4. pag. 243. num. 254.

Adeò familiare fuit olim Christianis convincere Gentiles per oracula Sybillarum, ut propterea Sybillitæ appellarentur, teste Origene lib. 5. contra Celsum. Ibidem.

Versus Sybillarum de Christo, & præcipuis Christianæ Religionis mysteriis. Ibidem num. 255.

Synesis.

Synesis est virtus benè judicativa de agibilibus, secundùm communes leges, & ideò est directiva communis justitiæ legalis. Gnome verò judicat de his in quibus deficit lex communis, à qua proinde dirigitur Epikeia, quæ est altior justitia, quàm legalis communiter dicta. Tom. 4. p. 370. n. 8.

Sobrietas.

Sobrietas est species temperantiæ, quæ versatur circa potum, non quemcumque, sed inebriare valentem, & cerebrum perturbare, uti est potus vini. Hæc virtus licèt sit omnibus necessaria, præcipuè tamen quinque generibus personarum, nempè juvenibus, mulieribus, senibus, Episcopis, atque Ecclesiæ ministris, & Regibus ac Magistratibus. Tomo 4. pag. 385. numero 8. & sequentibus.

Sol.

Plinius lib. 2. hyst. de Sole sic fatur: *Medius inter sydera Sol fertur, amplissimâ magnitudine ac potestate, nec temporum modò terrarumque, sed syderum etiam ipsorum, Cœlique rector. Hunc mundi esse totius animum, ac pleniùs mentem; hunc principale naturæ regimen ac numen credere decet, quia hic suum lumen cæteris quoque syderibus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens,*

Spes.

Spes est propriè virtus, licèt, prout est informis, & à charitate separata, modum ac statum perfectæ virtutis non habeat. Tom. 4. p. 331. num. 2.

Objectum formale quod spei, est sola beatitudo æterna, non autem alia bona naturalia, vel supernaturalia; quæ à Deo speramus, quæ sunt tantùm objecta secundaria & materialia illius. Ratio verò formalis sub qua, est omnipotentia Divina, sive Deus, ut auxilians, non verò arduitas objecti sperati, vel ejus bonitas, ut nobis conveniens, & amabilis amore concupiscentiæ. Ibidem p. 333. n. 8. & sequentibus.

Habitus spei Theologicæ non remanet in Beatis & comprehensoribus. Ibidem pag. 339. num. 66.

Si Deus alicui suam damnationem revelaret, ille posset quidem adhuc desiderare & concupiscere beatitudinem, non tamen illam sperare, subindeque ex præcepto spei non teneretur sperare illam. Ibidem p. 341. n. 76.

Hujus virtutis elogia & prærogativæ, initio disputationis ante numerum 1. recensentur.

Spiritus.

Spiritu omnia vivificantur & animantur, ut egregiè & eleganter declarat Cornelius Mussus. Tom. 2. p. 232. n. 22.

Spiritus

Spiritus Sanctus.

Vide supra verbo *Personæ Divinæ.*

Sponsalia.

Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio, unde in hoc distinguuntur à matrimonio, quòd matrimonium est contractus per verba de præsenti expressus, sponsalia verò contrahuntur per verba de futuro, ut, accipiam te in virum. Tomo 1. pag. 560. numero 2.

Licèt post Tridentinum matrimonia clandestina irrita sint, sponsalia tamen clandestina valida sunt; matrimonium verò clandestinum, Tridentini lege irritum, non habet vim sponsalium. Ibidem pag. 561. num. 7. & sequentibus.

Ætas à jure requisita pro contrahendis sponsalibus, est septennium; si tamen ante septennium contrahentes habeant usum rationis sufficientem, & tunc malitia ætatem suppleat, sponsalia valida erunt. Ibidem p. 563. n. 18. & sequentibus.

Resolvuntur plures difficultates de obligatione ex sponsalibus proveniente. Ibidem n. 29. & sequentibus.

Quibus de causis sponsalia dissolvi possunt, ibidem pag. 564. numero 53. & sequentibus declaratur.

Status naturæ humanæ.

De felicissimo statu innocentiæ, & donis ac privilegiis ei annexis. Tomo 2. p. 468. n. 25. & sequentibus.

In eo statu fuissent homines propagati per naturalem generationem, & melius fuisset respectu uniuscujusque personæ matrimonium contrahere, quàm virginitatem seu continentiam servare. Ibidem pag. 474. num. 60. & 61.

Non fuisset in eo statu esus carnium, aut potus vini, respectu hominis. Animalia tamen, quæ nunc sunt carnivora, ab exordio mundi, & in statu innocentiæ, carnibus in cibum usa esse, probabilius est. Ibidem p. 475. n. 62. & sequentibus.

Justitia originalis, quæ Adamo in statu innocentiæ, pro ipso & ejus posteris fuit collata, non erat habitus realiter distinctus à gratia sanctificante. Ibidem p. 477. num. 67. & sequentibus.

Status naturæ integræ formaliter constituitur per vigorem, appetitum sensitivum rationi perfectè subjicientem, unde distinguitur à statu innocentiæ, qui vigorem illum includit quidem, aut supponit, sed præter illum, alia importat dona & privilegia, nempè immortalitatem, indolentiam, immunitatem ab omni errore & deceptione, & similia. Ibidem p. 491. n. 2. & sequentibus.

Homo in statu naturæ lapsæ, non habens peccatum actuale, sed tantùm originale, non est debilior ad bonum morale, quàm esset in statu naturæ puræ. Ibidem. pag. 501. numero 46.

In quo differat gratia statûs naturæ lapsæ, & per Christum reparatæ, à gratia statûs innocentiæ. Ibid. p. 506. n. 13. & sequentibus.

Primus parens, atque adeò totum genus humanum, potuit ante peccatum à Deo creari sine gratia gratum faciente, subindeque non ordinari ad claram Dei visionem, & beatitudinem supernaturalem. Ibidem p. 509. n. 4. & sequentibus.

De potentia Dei ordinaria, providente singulis rebus, juxta illud quod naturaliter exigunt, potuit homo, etiam ante lapsum Adamij, creari in statu naturæ puræ, quoad dona integritatis & immortalitatis, sive cum inclinatione effræni & rebelli partis sensitivæ adversùs rationem, & cum necessitate moriendi. Ibidem p. 510. n. 16.

Studiositas.

Studiositas duo habet præcipua munera: unum est frœnandi ac temperandi scientiæ desiderium, quo naturâ duce omnes ad cognitionem rerum & delectationem ex ea comparandam impellimur. Alterum est excutiendi pigritiam & torporem, quo plures retrahuntur à studio, & à necessariarum rerum cognitione præpediuntur. Tomo 4. p. 390. n. 30.

Subtilitas.

Subtilitas est dos corporis glorioši, cujus præcipuus effectus erit, corpus gloriosum ab omni terrenæ labis concretione & crassitie reddere liberum, ipsumque quasi cœleste & spirituale efficere. Præterea dabit corpori glorioso vim penetrandi omnia alia corpora, sed hunc effectum non præstabit efficienter & activè, sed moraliter tantùm, quatenus ad ejus præsentiam, & in signum talis dotis, præstabitur penetratio illa à Deo, ad voluntatem Beati. Tomo 3. pag. 76. num. 28. & sequentibus.

Superbia.

Superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, vitium capitale, seu potiùs omnium aliorum fons & origo, & ut loquitur Cassiodorus, *omnium malorum mater, scelerum fons, vena nequitiæ.* Tomo 4. pag. 396. numero 36.

Quatuor sunt quæ trahunt superbiæ currum, ut exponit Hugo Victorinus de clausto animæ lib. 1. cap. 6. Ibidem p. 397. n. 37.

Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet suum vermem: alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius tritici. Vermis divitiarum superbia. Augustinus sermon. 5. de verbis Domini cap. 9. Ibidem.

Deus ad puniendum aliquorum superbiam; permittit eos cadere in peccatum luxuriæ, ut observat D. Gregorius lib. 11. Moral. cap. 8. explicans illud Job. 12. *Balteum Regum dissolvit*, subdit: *Regum itaque balteum dissolvit, quando propter elationis culpam, castitatis in eis cingulum destruit.* Ibidem.

T

Temperantia.

TEmperantia est virtus, quæ habet refrœnare appetitum sensitivum in concupiscentiis & delectationibus corporalibus, quæ maximam vim habent deducendi à bono rationis. Unde materiale objectum illius sunt delectationes corporeæ, non tamen omnes, sed illæ duntaxat, quæ ex cibo & potu, & rebus venereis percipiuntur. Objectum verò formale est bonitas seu honestas specialis, quæ reperitur in eo quod homo delectationibus ciborum & venereorum moderatè utatur, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

secundùm præscriptum rationis. Tomo 4. p.383. n. 1. & sequentibus.
Hujus virtutis laudes eleganter describit S. Prosper lib.2. de vita contemplat. cap.19. Ibidem ante numerum 1.
Partes subjectivæ seu species temperantiæ, sunt abstinentia, sobrietas, castitas, & pudicitia. Ibidem n.6.

Theologia.

Theologia, etiam prout est in nobis viatoribus, est verè & propriè, ac substantialiter scientia, licèt defectu evidentiæ actualis, quâ caret in hoc statu, non sit perfectè scientia, sed in statu imperfecto & præternaturali. Tomo 1.disp. procœmiali p.2.n.2.
Est propriè subalternata scientiæ Dei & Beatorum subindeque remanet in patria. Unde Hieronymus in Epist. ad Paulinum: *Talem scientiam discamus in terris, quæ nobiscum perseveret in Cœlis.* Ibidem pag.5. num.11. & sequentibus.
Ejus objectum formale & specificativum est Deus, sub ratione Deitatis, ut cadit sub revelatione virtuali: ita quod ipsa Deitas sit ratio formalis *quæ*, revelatio verò divina, virtualis & mediata, ratio formalis *sub qua*; objectum verò materiale extensivum & terminativum, quodcunque revelatum à Deo. Ibidem p.8. num.22.
Theologia hæreticorum specie distinguitur à nostra, quia nostra deducit suas conclusiones ex principiis fide divina creditis, & habet pro ratione formali sub qua revelationem virtualem; Theologia verò hæreticorum deducit suas conclusiones ex principiis fide solùm humanâ creditis, nec habet pro ratione formali revelationem Divinam, sed traditionem humanam; unde illa est potiùs fides humana, vel opinio, quam scientia. Ibidem p. 11. n.33.
Theologia est una specie infimâ scientia, nec dividitur in plures habitus partiales, specie diversos. Ibidem num.35.
Est eminenter formaliter speculativa & practica. Ibidem p.13. n.41.
Certior est, etiam ut est in nobis viatoribus, quâlibet scientiâ & habitu ordinis naturalis, non tamen quoad nos; cùm enim certitudo scientiarum naturalium sit conjuncta cum evidentia & claritate, est magis connaturalis & proportionata intellectui humano, magisque illum satiat & quietat, quàm certitudo fidei & Theologiæ, quæ est conjuncta cum obscuritate & inevidentia. Ibidem p.15. n.47. & sequentibus.
Licèt habitus Theologiæ sit extrinsecè & objectivè, vel radicaliter & originativè supernaturalis, quia versatur circa objectum supernaturale, & dependet ab habitu fidei, in quo tanquam in semine vel radice continetur; intrinsecè tamen, & secundùm suam entitatem, naturalis est. Ibidem p.18. n.61. & sequentibus.
Theologia nostra verè & propriè est sapientia. Ibidem p.22. n.75.
Est argumentativa, & ex duodecim locis sua argumenta depromit. Ibidem p. 23. n.79. & sequentibus.
Scriptura Sacra convenienter utitur metaphoris seu similitudinibus: *Quemadmodum enim* (inquit Augustinus) *multa per vitrum aut succina pellucent jucundiùs; ita magis delectat veritas, per imagines & symbola collucens.* Ibid. p.24. n.82. & sequentibus.
Duplex est sensus Scripturæ, unus hystoricus seu litteralis, alter spiritualis sive mysticus, qui tres alios continet, nempè allegoricum, moralem, & anagogicum. Ibidem pag.25. n.85. & sequentibus
Theologia Scholastica Ecclesiæ utilissima est, ut declarat Martinus I. in Epistola ad Constantinum Imperatorem dicens, *Theologiam thus purum & eximium, & optimi odoris esse, mirrham conservatricem bonorum, & contrariorum expultricem doctrinam.* Ibidem pag.27. num.94.
Præcipuæ Theologiæ dotes seu prærogativæ, Ibidem pag.28. num.98. & sequentibus exponuntur.

Timor.

Petrus Cellensis lib. de panibus cap. 14. hæc scribit: *Quasi quidam custos super innumerabiles gazas, sic timor in ultimo carissimatum poritur ad conservandas incomparabiles gratias. Gemma pretiosissima pietas, sed facilè ab impietate subripitur, nisi timore custodiatur*, &c.
Isaiæ 25. versu 17. ubi vulgata habet: *Peperimus spiritum, salutes non fecimus in terra*, Septuaginta sic legunt: *A timore tuo Domine concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus Spiritum salutis*, id est pœnitentiæ salutaris, ut interpretatur Divus Thomas 3. part. quæstion. 85. articul. 3. in argumento sed contra. Tomo 4. pagina 157. numero 163.
Duo pedes Dei, qui sunt misericordia & justitia, à pœnitente, per fiduciam de Divina misericordia, & justitiæ suæ timorem osculandi sunt, ut more suo eleganter & piè meditatur D. Bernardus. Similiter D. Gregorius 33. Moral. cap. 11. explicans illud Deuteron. 24. *Non accipies loco pignoris superiorem aut inferiorem molam*, sic ait: *Superior & inferior mola est spes & timor, spes quippe ad alta subvehit, timor autem cor inferùs premit: Sed mola superior & inferior ita sibi junguntur, ut una sine altera inutiliter habeatur. In peccatoris itaque pectore incessanter debent spes & formido conjungi, quia incassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat; incassum justitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat.* Ibidem.
Donum timoris fuit in Christo quoad actum primarium, qui est subjectio reverentialis ad Deum, ob divinam eminentiam, ut potentem infligere malum. Idem dicendum de Angelis beatis, juxta illud Job: *Columnæ Cœli pavent & contremiscunt ad nutum ejus.* Ubi per columnas Cœli intelliguntur Angeli beati, ut explicat Gregorius 17. moral. cap. 15. dicens: *Columnæ Cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus: ipsæ enim virtutes Cœlestium, quæ Deum sine cessatione conspiciunt, in ipsâ contemplatione contremiscunt. Sed idem timor, ne eis pœnalis sit, non timoris est, sed admirationis, quia scilicet admirantur Deum supra se existentem, & in eis incomprehensibilem.* Tomo 4. p.556. n.109.

Traditio.

Præter Scripturam aliquæ admitti debent Traditiones non scriptæ, ad regulam fidei pertinentes. Tomo 4. p.255. n.30.

In

In statu legis naturæ & scriptæ, fuerunt aliquæ Traditiones. Ibidem p.258. n.40.
In statu etiam legis gratiæ, plures dantur Traditiones observatæ in Ecclesia, quæ ex Gravina recensentur. Ibidem num. 45. & sequentibus.

Tribulatio.

In tribulationibus justorum mirum in modum divina relucet providentia, plures enim ex illis percipiunt utilitates & fructus, ut passim docent ac declarant SS Patres. Unde Demetrius quidam Philosophus, relatus à Seneca lib. de providentia, dicebat, *nihil sibi videri infelicius eo cui nihil advenit adversi.* Cui concinit Boetius lib. de Consolat. dicens, *infelicissimum infortunij genus esse, semper fuisse felicem.* Tomo 1. pag.464. num.31. & sequentibus, ubi lege plura & egregia SS. Patrum testimonia.
Inter signa prædestinationis præcipuum est sævientis fortunæ adversitas, & afflictio pro Christi nomine æquo animo tolerata. Tomo 2. p.67. n.29.
Electi *filij excussorum* à Regio vate appellantur, quia dum eos Deus per flagella excutit, quasi sagittas in Cœlum transmittit. Ibidem.
Tertullianus in Scorpiaco cap. 6. ait: *Dilectio hominem martyrem Deo excudit*, quia sicut moneta ut valorem habeat, debet notari sigillo Principis; ita electi, ut ad Regnum cœleste admittantur, debent in Christo per tormenta & tribulationes sigillari, unde à Paulo ad Ephes. 1. *in Christo signati* dicuntur. Hinc Tertullianus in Apologetico irridens Gentiles, qui ligna & lapides sculpebant & secabant, ut idola conficerent: *Si per hæc*, inquit, *causatur aliqua Divinitas: Ergo qui puniuntur, consecrantur, & numina erunt dicenda supplicia.* Ibidem pag. 68.

Trinitas.

Præcipui Hæreticorum errores circa Mysterium Trinitatis referuntur ac refelluntur. Tomo 2. pagina 108. numero 1. & sequentibus.
Licèt in creaturis aliqua reluceant vestigia Trinitatis, ex his tamen seclusâ Dei revelatione, non possumus in hujus mysterij notitiam devenire, & multò minus illud demonstrare: Unde Dionysius lib.1. de divin. nomin. *Nullus numerus, aut unitas, aut fecunditas, aut aliud quippiam aperuit arcanum illud Divinitatis, quod omnem rationem superat & intelligentiam.* Hinc Ezech.10. Thronus Sanctissimæ Trinitatis dicitur esse positus super quatuor animalium capita, quia (ut interpretantur Doctores) hujus mysterij sublimitas, quadruplicis cognitionis creatæ gradus transcendit; sensitivæ, scilicet, per bovem; phantasiæ, per leonem; rationabilis, per hominem; & angelicæ, per aquilam figuratæ. Ibidem pag. 189. numero 2. & sequentibus.
Alia ad hoc ineffabile mysterium spectantia, explicantur verbis *processio, relatio, personæ divinæ*, &c.

Throni.

Throni sunt Angeli primæ Hierarchiæ, qui Deum respiciunt ut peculiariter in eis sedentem, & in illuminationibus suis ultimatè quiescentem. Unde Deum quammodo portant, & θεοφόροι vocantur. Tom.2. pag.449. num. 10.
Throni dicuntur propter quatuor convenientias ad sedes materiales, quia elevantur super terram, firmantur, sedentem suscipiunt, & apertæ sunt desuper. Ibidem.

V.

Ubiquistæ.

HÆretici quidam ex Lutheranorum grege, sæculo præcedenti orti sunt, & nomine desumpto à sua hæresi, *Ubiquistæ* appellati; affirmant enim, animam Christi, & totam ejus humanitatem, taliter esse Verbo unitam, ut esset ubique, sicut ipsa Divinitas. Qui error manifestè repugnat variis Scripturæ locis, quibus asseritur, Christum non fuisse ubique sed de uno in alium locum trasmigrasse. Tom. 4. p.625. n.6. & 7.
Verecundia non est virtus, quia potest compati cum effectu peccati, est enim timor vituperij seu opprobrij, quod imminet, vel nascitur, si turpe factum committatur: qui timor non tollit affectum peccandi, sed tantùm vel externam ejus executionem impedit, vel saltem publicam, licèt non occultam, & per accidens est illi quod peccatum destruatur, dum ponitur.

Vindicatio

Vindicatio est virtus justitiæ annexa, quæ habet malum pœnæ pro malo culpæ rependere, idque ut rectus ordo servetur, & quod extra ordinem recti per culpam prolapsum est, ad illum per pœnam rovocetur. Id huic virtuti peculiare est, quod persona in qua residet, non possit, per seipsam consummare actionem propriam, quia materia ejus est malum pœnæ, quod nullus privatâ authoritate infligere potest; unde executio vindicativæ justitiæ, solùm debet fieri à judice, cui est authoritas puniendi malefactores. Tomo 4. p.381. n.7.

Violentia.

Violentum est illud quod est à principio extrinseco, passo non conferente vim. Quæ ultima verba non solùm negativè sunt intelligenda, quasi sufficiat subjectum cui vis infertur, non cooperari motui violento; sed etiam positivè & contrariè, ita ut passum positivè renitatur, & agenti extrinseco resistat. Tom.3. p.96. n.55.
Hæc quatuor nomina, necessarium, violentum, coactum, involuntarium, quæ interdum confunduntur, inter se differunt, secundùm diversas formalitates quas exprimunt. Ibidem p.97. n.60.
Per nullam potentiam potest inferri violentia in actu voluntatis ab ea elicito, imò nec quoad actus quos imperat & simul elicit, benè tamen quantùm ad actus ab ea quidem imperatos, sed ab aliis potentiis ei inferioribus elicitos. Ibidem & sequentibus.
Non solùm voluntas, sed nec ulla creatura, potest pati violentiam à Deo: *Deus enim* (inquit Augustinus) *Creator & Conditor omnium*

Universidad de Deusto
Biblioteca

creaturarum, nihil contra naturam facit: id enim est cuique naturale, quod ille facit, à quo est omnis numerus, motus, & ordo naturæ. Ibidem p.100. n.82.

Violentia causat involuntarium simpliciter, quia violentia directè opponitur voluntario, cùm violentum sit ab extrinseco, voluntarium verò ab intrinseco. Unde Christianas fœminas, quæ per Gotticam irruptionem, Româ captâ, vim à Barbaris perpessæ fuerant, solatur Augustinus lib.1. de civit.cap.17. quod *inconcussa ac stabili permanente virtute, quidquid alius de corpore vel in corpore fecerit, quod sine peccato proprio non valeat evitari præter culpam sit patientis.* Ibidem pag. 102. numero 90.

Virginitas.

Virginitatis nomen à virore deducitur, nam sicut illud dicitur virens, quod non est ex abundantia caloris adustum; ita quæ concupiscentiæ adustionem per veneream delectationem & operationem expertæ non sunt, Virgines vocantur, quasi in suo nativo virore persistentes. Tom.4. p.386. n.15.

Pulchritudo excellentissima Virginitati specialiter tribuitur, cujus egregiam rationem assignant Salmanticenses. Ibidem

Virginitatis laudes & prærogativæ ex SS. Patribus. Ibidem n.17.

Lilium inter cæteros flores est symbolum Virginitatis, ut egregiè declarat Peraldus Episcopus Lugdunensis, in Summa virtutum & vitiorum. Ibidem p.387. n.18.

Virtus.

Quatuor solent tradi definitiones virtutis: Prima ex Augustini doctrina desumpta, traditur à Magistro dist.27. & est hujusmodi: *Virtus est bonæ qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nullus malè utitur, quam Deus in nobis, sine nobis operatur.* Secunda sumitur ex Aristotele 2. Ethic cap.6. ubi ait, quod *virtus est habitus, qui bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit.* Tertia habetur apud eundem Philosophum ibidem dicentem quod *virtus est habitus electivus, in mediocritate consistens, prout sapiens & prudens dictaverit.* Quarta demum sumitur ex eodem Aristotele 3. Physic. textu 3. ubi virtus dicitur *dispositio perfecti ad optimum*, id est dispositio constituens perfectum, seu complens potentiam in ordine ad actum eliciendum. Tomo 3. pag. 315. n.37. & sequentibus.

Virtutes aliæ sunt intellectuales, quæ residunt in intellectu, nimirum habitus primorum principiorum, sapientia, scientia, ars, & prudentia: aliæ morales, quæ subjectantur in voluntate, ut justitia, & in appetitu sensitivo, ut fortitudo & temperantia. Non sunt tamen ponendæ virtutes in voluntate, in ordine ad bonum connaturale proprij suppositi, sed solùm in ordine ad bonum supernaturale, vel bonum naturale alienum. Ibidem p.316. per totam.

Præter virtutes morales acquisitas, necessariò admittendæ sunt virtutes morales per se infusæ. Ibidem p.326. n.2. & sequentibus.

Virtutes omnes morales consistunt in medio, & ita inter se connexæ sunt, ut qui unâ caret, nullam perfectè habeat. Ibidem p.331. n.3. & sequentibus.

Virtutes morales acquisitæ, à charitate separatæ, sunt quidem veræ virtutes, sed non simpliciter & perfectè tales. Ibidem p.337. n.44. & sequentibus.

Error Stoïcorum asserentium omnes virtutes esse inter se æquales, nec intendi posse, nec remitti, ibidem pag.339. numero 59. confutatur.

Virtutes intellectuales præeminent moralibus, quia illæ perficiunt intellectum, istæ appetitum, qui est minùs nobilis, quàm intellectus. Ibidem n.60.

Quæ autem ex virtutibus moralibus præcellat aliis, Ibidem num.61. declaratur.

Visio beatifica.

Nullus intellectus creatus ex propriis viribus potest clarè & intuitivè videre Deum. Unde Isaiæ 6. dicitur: *Vidi Dominum sedentem in solio excelso:* quasi transcendentem proportionem & vires cujusvis intellectus creati, etiam angelici. Quare Dionysius cap.1. de Divin.nom. tribuit elevationi supra naturam, quod Angeli Deum videant, & ait, *eos constanter & immobiliter ad illucentem sibi radium attolli, & congruo permissarum sibi illuminationum amore, velut in altum pennis sublevari.* Tomo 1. p.113. n.3. & sequentibus.

Repugnat dari substantiam supernaturalem completam, cui visio beatifica sit connaturalis, & à qua lumen gloriæ dimanet tanquam proprietas. Ibidem p.115. n.16.

Intellectus creatus potest supernaturaliter elevari ad videndum Deum, juxta illud Anselmi: *Deus inaccessibilis cùm sit nostris viribus, acceditur ad eum suis muneribus.* Ibidem p.120. num.41.

Visio beatifica est perfectissima operatio creaturæ intellectualis, cùm sit participatio majoris excellentiæ divinæ, plus gloriæ Deo conferat, & plus nobilitatis & perfectionis ipsi creaturæ. Ibidem n.43.

Chrysostomus non negavit possibilem esse visionem Dei quidditativam, sed duntaxat comprehensivam, quam sibi Anomæi arrogabant, quidquid in contrarium dicat Vazquez. Ibidem pag.121. n.50.

Nec oculus corporeus, nec ullus sensus internus vel externus, potest supernaturaliter ad videndum Deum elevari. Ibidem p.123. n.58. & sequentibus.

Possibilitas visionis Dei, ut est in se, solo lumine naturali demonstrari nequit, aut evidenter cognosci. Ibidem pag.124. n.64. & sequentibus.

In homine secundùm se considerato, solùm est capacitas seu potentia obedientialis, respectu visionis beatificæ, non verò appetitus innatus, imò nec elicitus efficax. Ibidem p.126. n.85. & sequentibus.

Nec datur nec possibilis est in visione beatifica species aliqua creata, impressa, vel expressa. unde essentia Divina unitur intellectibus Beatorum per modum speciei impressæ, subindeque activè concurrit ad claram Dei visionem. Habet etiam aliquo modo rationem speciei expressæ, seu verbi, non tamen propriè, sed solùm communiter & impropriè dicti, cùm essentia Divina ab intellectu beato non sit expressa, nec terminus per illam productus. Ibid. p.130. n.11. & sequentibus.

Deus summum & indeficiens lumen, nunquam sine lumine videri potest, nam ut author naturæ

turæ, naturalis rationis lumine percipitur; ut author gratiæ, in hac mortali vita, obscuro fidei radio cognoscitur, in patria verò non nisi lumine gloriæ clarè & intuitivè à Beatis videri potest, de quo Job 36. dicitur, *In manibus suis abscondit lucem.* Ibidem pag. 144. num. 2.

Lumen gloriæ propter tria requiritur, nempè ut disponat intellectum creatum ad unionem essentiæ Divinæ, per modum speciei intelligibilis, ut ipsum elevet ad visionem Dei eliciendam, & disponat ad recipiendam visionem beatificam. Ibidem pag.145. n.9. & sequentibus.

Repugnat intellectum creatum videre Deum sine lumine gloriæ, per modum habitûs, vel auxilii communicato. Ibidem p.147. n.19. & sequentibus.

Potentia obedientialis proximè & immediatè activa effectuum supernaturalium, & singulis rebus creatis à natura congenita, chimerica est, & totum ordinem gratiæ destruit. Ibidem p.148. n.28. & sequentibus.

Lumen gloriæ est minùs perfectum gratiâ sanctificante, est tamen nobilius & perfectius charitate. Ibidem p.151. n.40.

Intellectus creatus, lumine gloriæ perfusus, producit efficienter visionem beatificam, ut vera causa secunda principalis, & non ut merum instrumentum Dei. Ibidem pag.153. n.48. & sequentibus.

Visiones Angelorum & hominum non differunt inter se specie essentiali. Ibidem p.155. n.1. & sequentibus.

Inæqualitas intensiva, quæ est in visionibus beatificis, à sola inæqualitate luminis gloriæ derivatur. Ibidem pag.156. num.11. & sequentibus.

Beati, nec Deum comprehendunt, nec ipsum, etiam de potentia absoluta, comprehendere possunt. Ibid. p.159. n.25. & sequentibus.

Beati vident omnia quæ sunt in Deo formaliter & necessariò, ut essentiam, attributa, & relationes; imò repugnat posse videri Divinam essentiam sine attributis & relationibus; aut attributa & relationes, sine essentia; vel unam personam Sanctissimæ Trinitatis, sine alia. Ibidem p.164. n.2. & sequentibus.

Quomodo visio beata penetret libera Dei decreta, ibidem p.168. n.37. declaratur.

Beati vident creaturas possibiles in Deo tanquam in causa, & medio priùs cognito. Ibid.p.171. n.49. & sequentibus.

Licèt repugnet videri omnes creaturas possibiles in Verbo, seu in essentia Divina tanquam in causa, non implicat tamen, totam possibilium collectionem, extra Verbum quidditativè cognosci. Ibidem p.173. n.61. & sequentibus.

Non repugnat quod Deus ut est in se videatur, nullâ visâ creaturâ possibili in particulari. Ibidem n.81. & sequentibus.

Quas creaturas de facto Beati videant in Verbo, & unde diversitas eas videndi proveniat, ibidem p.178. n.86. & sequentibus explicatur.

Visio beatifica non mensuratur, nec ævo, nec æternitate essentiali, sed æternitate participata. Ibidem p.182. n.6. & sequentibus.

Visio beatifica sub symbolo & figura amœnissimi fluvii describitur à D. Joanne Apocal.22. Tomo 3. tract. 1. d. 3. num.128.

Vitium.

Vitium & peccatum, quamvis conveniant in hoc quod deviant à regula, differùt tamen in hoc, quod vitium deviat à regula, per modum actus primi inclinantis ad actionem deordinatam; peccatum verò deviat per modum actus secundi. Tom. 3. p. 348. n.1.

Licèt aliqua vitia propriè & directè contrarientur virtutibus moralibus acquisitis, non tamen virtutibus moralibus infusis. Ibidem n.4. & sequentibus.

Omnia vitia, tam ea quæ virtutibus acquisitis, quàm quæ infusis opponuntur, sunt contra naturam hominis. Ibidem p.351. n.21. & sequentibus.

Vitia opposita prudentiæ, & virtutibus ipsi annexis. Tomo 4. pag.391. n.1. & 2.

Vitia opposita justitiæ. Ibid. n.3.

Vitia opposita Religioni. Ibidem n.5.

Vitia opposita aliis partibus potentialibus justitiæ. Ibidem n.7. & sequentibus.

Vitia opposita fortitudini, & partibus potentialibus illius Ibidem n.16. & sequentibus.

Vitia opposita temperantiæ, & partibus ejus subjectis, nimirum abstinentiæ, sobrietati, castitati, & pudicitiæ. Ibidem. num.21. & sequentibus.

Vitia opposita partibus potentialibus temperantiæ. Ibidem n.30. & sequentibus.

Voluntarium.

Voluntarium est id quod procedit à principio intrinseco cum cognitione finis. Tomo 3. pag.89. n.1.

Voluntarium est duplex, unum perfectum, & aliud imperfectum: primum reperitur in sola natura intellectuali; secundum verò non solùm in hominibus, sed etiam in brutis locum habet. Ibidem n.4.

Actus necessarii ex perfectione cognitionis, ut amor beatificus, per claram Dei visionem regulatus, sunt magis voluntarii, quàm actus liberi. Ibidem p.90. n.9. & sequentibus.

Voluntas Dei.

Stando tam principiis fidei quàm luminis naturalis, negari non potest, dari in Deo voluntatem. Tomo 1. p.342. n.1.

Voluntas Divina in ordine ad volitionem essentialem non habet rationem potentiæ, sed solùm ex modo nostro significandi & concipiendi res Divinas, per similitudinem & analogiam ad res creatas. Ibidem p.343. n.9. & sequentibus.

Voluntas aut volitio Divina, non est de formalissimo conceptu, seu de constitutione metaphysica Divinæ naturæ. Ibidem p.345. n.24. & sequentibus.

Objectum formale motivum & terminativum Divinæ voluntatis, est sola bonitas Divina & increata, non autem bonum in communi, ut abstrahit à creato & increato. Ibidem p.349. n.3. & sequentibus.

Deus diligit propriam bonitatem necessariò; non solùm quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium; creaturas verò existentes, aut futuras, non necessariò, sed liberè diligit; possibiles verò, nullo modo amantur à Deo. Ibidem p.354. n.38. & sequentibus.

Celebris est divisio voluntatis Dei in antecedentem & consequentem, quàm Theologi à Damasceno, qui primus eam in Scholas induxit, acceperunt. Voluntas antecedens est illa quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

versatur circa objectum, ut non vestitum omnibus circunstantiis quibus est executioni mandandum. Consequens verò ea dicitur, quæ objectum inspicit omni suâ circunstantiâ vestitum. Ibidem pag. 376.

Quid sit voluntas beneplaciti & signi, ibidem n. 14. explicatur, ubi etiam quinque referuntur signa voluntatis Divinæ, scilicet operatio, permissio, præceptum, prohibitio, & consilium. Ibid. p. 378. n. 15.

Voluntas antecedens salvandi omnes homines, propriè & formaliter, & non tantùm metaphoricè & eminenter in Deo reperitur. Ibidem p. 385. n. 61.

Talis voluntas non dicitur conditionata, ex eo quod pendeat à consensu voluntatis humanæ tanquam à conditione, quam supponat vel expectet à libero arbitrio, sed quia importat actum conditionatum, quo Deus vellet salutem omnium hominum, nisi hoc repugnaret ordini suæ providentiæ, & nisi ex hoc impediretur bonum universale suæ justitiæ, & manifestatio suorum attributorum. Ibidem p. 389. n. 87. & sequentibus.

Per voluntatem antecedentem præparantur media & auxilia, quibus homines sufficienter ordinantur & promoventur in vitam æternam. Ibidem pag. 392. n. 99. & sequentibus.

Votum.

Votum est promissio Deo facta, ad ejusdem Dei cultum; unde si quis promittendo Deo perpetuam castitatem, nullo modo intenderet ejus honorem, sed tantùm majorem commoditatem temporalem, aut aliquid aliud, non propriè voveret, neque talis promissio esset indispensabilis ab Episcopo, sicut est verum votum perpetuæ castitatis. Tomo 4. p. 378. num. 23.

Votum aliud est simplex, aliud solemne, primum est simplex tantùm promissio Deo facta; solemne verò supra promissionem, addit traditionem & acceptationem; per illud enim traditur ipsa persona voventis, & promittuntur actus ad observantiam voti necessarii. Tomo 5. p. 624. n. 27.

Votum simplex castitatis impedit solùm matrimonium contrahendum, solemne verò matrimonium jam contractum dirimit, idque jure naturæ. Ibidem p. 622. n. 11.

Solemnitas voti est duplex, una substantialis & essentialis, consistens in traditione sui ipsius, facta in manu superioris, ad servandum ea quæ promittuntur, & acceptatione quam is facit, nomine Dei. Altera accidentalis, quæ consistit in quibusdam cæremoniis, cum quibus ex statuto Ecclesiæ fit illa traditio & acceptatio. Ibidem p. 625. n. 23.

Summus Pontifex cum Religiosis professis, ut matrimonium contrahant, dispensare nequit. Ibidem n. 35. & sequentibus.

Referuntur ac refelluntur variæ hystoriæ, quibus asseritur, Summum Pontificem in voto solemni castitatis aliquando dispensasse. Ibid.

Usura.

Cùm pecunia ex se & ex natura sua sit sterilis, non minùs contra naturam est, ut quis ex ea fructū mediante fœnore expectet, quàm si ex mula ex sua natura sterili, mulum gigni speraret. Unde Aristoteles 1. Politic. cap. 7. relatus à D. Thoma 2. 2. qu. 78. art. 1. ad 3. docet quod usuraria acquisitio pecuniarum, est maximè præter naturam, quia in fœnore *nummus nummum parit*. Tom. 3. In dissert. de probabilit. pag. 293. n. 150.

Contractus Mohatra, si fiat cum intentione lucri, & cum pacto revenditionis prævio inito, ut communiter fieri solet, illicitus est, & manifesta usuræ palliatio. Ibidem n. 151.

Usus.

Præter electionem mediorum datur in voluntate nostra actus, quo cæteras potentias applicat ad operandum, & usus activus appellatur: positâ enim electione, adhuc est nova difficultas ad operis executionem, ut experientiâ constat, sæpè enim contingit aliquem benè judicare de agendis, & rectè eligere, & tamen postea in executione deficere, ut eleganter declarat Divus Bernardus lib. 1. de considerat. capit. 1. his verbis: *Quoties vis, & incassum? Quoties moves, nec promoves? Quoties conaris, & non datur ultra? Eniteris, & non obtines; parturis, & non paris; tentas, & abriperis; & ubi incipis, ibi deficis; & dum adhuc ordiris, succidunt te? Venerunt filij usque ad partum, ait Propheta, & vires non habet parturiendi.* Tomo 3. p. 190. n. 1. & sequentibus.

Z.

Zelus.

CHrysologus serm. 15. de S. Paulo sic ait; *Per zelum legis impugnabat legem, & in Deum Dei amore peccabat.* Tomo 3. p. 468. num. 52.

Zeno Veronensis.

Zeno Veronensis Verbum Divinum in sinu Patris residentem, *nobilem cordis Patris inquilinum* appellat. Tomo 2. p. 213. n. 116.

Ait etiam de Patre æterno generante Filium: *Lætatur Pater in alio se, quem genuit ex se.* Ibidem p. 230. n. 114.

Idem author *Tolle spem omnes artes cessabunt, &c.* Tomo 4. p. 333. n. 1.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mi Amo es D.n Alexandro M
Villaverde, Familiar del Illmo S.or
Obispo de Palencia, y Theologo Clasico
de la Academia de S.n Pablo, y Semi-
nario Real y conciliar de S.n Isef M
ella, y Enero 24 de 1799.

E

Universidad de Deusto
Biblioteca